Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/dionysiipetaviir01peta

THEOLOGICA

DOGMATA

DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

Saint-Quentin. — Ex Typis JULES MOUREAU.

DOGMATA
THEOLOGICA
DIONYSII PETAVII

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVA

DISSERTATIONIBUS AC NOTIS F. A. ZACHARIÆ, ALIORUMQUE, NECNON ADRIANI LECLERC SELECTIS NOTIS, ALIISQUE NONNULLIS NUNC PRIMUM EDITIS ILLUSTRATA ET ORNATA, CUI ACCESSIT INDEX GENERALIS TUM VERBORUM, TUM RERUM LOCUPLETISSIMUS, NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITUS, CURANTE

J.-B. FOURNIALS

PAROCHO S. SATURNINI, CANONICO HONORARIO INSIGNIS ECCLESIÆ METROPOLITANÆ ALBIENSIS, OLIM MINORIS SEMINARII CASTRENSIS MODERATORE.

TOMUS PRIMUS

IN QUO DE DEO DEIQUE PROPRIETATIBUS AGITUR

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
Via vulgo dicta Delambre, 9

M DCCC LXV.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

DEC 29 1931
3211

INDEX

Præfatio hujus editionis. I.
Præfatio Antonii Zachariæ. VI.
R. P. Dionysii elogium. VIII.
Virorum illustrium de Petavio testimonia. XV.

PROLEGOMENA

IN QUIBUS DE THEOLOGIA IPSA EJUSQUE PRINCIPIIS AC NATURA DISPUTATUR.

CAPUT I. Explicatur *theologiæ* vox, ejusque non protrita significatio traditur. Tum ejusdem scientiæ divisio, ex qua suscepti operis informatur partitio. De principiis theologiæ, quæ quidem ex fide petuntur. Ea porro scripto Dei verbo, tum eo quod traditione constat, tum utroque ab Ecclesia interpretato continetur. Exponitur veterum illa sententia, quæ nihil de divinis rebus asserendum docet nisi quod in Scriptura legitur. Hujus intelligendæ rationem ex Ecclesia repetendam esse. pag. 1

CAPUT II. De principiis theologicis, quæ ex conciliis et Patribus adstruuntur. Ostenditur horum vim in eo sitam esse, quod ex illis de traditione constat, quatenus quidem assentiendi necessitas indidem efficitur. Qua cautione ac delectu tractanda sint Patrum testimonia, et ad probationes theologicas adhibenda. Cujus rei regulæ quædam utiles præscribuntur. 8

CAPUT III. De philosophia et dialectica quatenus assumuntur ad usum theologiæ. Proponuntur veterum sententiæ quædam, quæ hujus commercio illis interdicere videntur. Ex Platonis philosophia prodiisse multas hæreses, et cur ad has producendas, Platonica quam Aristotelea sit aptior. Categoriarum nomine totum organum logicæ Aristotelis comprehensum ab Socrate historico, ejusque causa conjicitur. Ariani et Eunomiani ab eodem libro subornati ad hæresim. Metaphysica Aristotelis Parisiis damnata. 15

CAPUT IV. Philosophiam et dialecticam utilem esse theologiæ. Quid sit philosophia. Theologum ab Clemente Alexandrino vocari γνωστικόν. Huic vero prodesse philosophiam et liberales artes, nec tantum ad ornatum illam valere, sed etiam necessariam esse. Dialecticam imprimis ad retundendos hæreticos et alios fidei hostes conferre, tum ad gignendam divinarum rerum scientiam requiri. Quo sensu Patres disciplinas illas longius arceant. Fidem præire, non sequi debere. De ἐριστικῇ et sophistica dialectica, et quatenus adhibenda sit. 21

CAPUT V. Explicatur uberius quæstio illa, an ad theologiam adjungenda sit subtiliter disputans philosophia. Nicephori Gregoræ pro negante parte dissertatio, et Emmanuelis Calecæ altera pro affirmante, quæ et priori verior. Refelluntur itaque argumenta Gregoræ. Qua ratione Patres contentiosam illam philosophiam cavendam duxerint. Erasmi insulsa super hoc expostulatio diluitur. Perperam ab eo rideri scholasticas plerasque controversias, quæ et ab antiquis disputatæ sunt. 30

CAPUT VI. De cautione in disputando de rebus divinis adhibenda. Patrum testimonia subtilius inquiri vetantium. Tum aliorum certo modo permittentium. Quæstionum theologicarum genera duo, quarum aliæ ad fidem spectant, aliæ minime, et quomodo utræque tractandæ. Vitandam ubique tum temeritatem, tum nimis enucleatam et anxiam inquisitionem. Scholasticæ theologiæ contra ejus iniquos reprehensores patrocinium. Hæreticos contra dialecticam nunquam non argumentando peccare. 35

CAPUT VII. De cultu ornatuque theologiæ ex politis artibus adjungendo. Veterum diversæ de ea re sententiæ. Plurimos videri omnem ab illa decorem et ornamentum abjudicare, maxime ab sacris Litteris. Etiam gentilium judicia consentire. Plotini in loquendo infantia. Opponuntur aliorum Patrum testimonia elegantiam in theologia commendantium. Conciliantur illi omnes invicem. Stulta Castalionis in vertendis Bibliis affectatio latinitatis exquisitæ. Barbaris locutionibus quatenus uti liceat, etiam probantibus elegantissimis scriptoribus. Linguarum varietas theologo apprime utilis. 40

CAPUT VIII. De theologiæ genere disputatur, an sit scientia. Quod primo dubium esse monstratur, quia fide nititur. Deinde esse scientiam ostenditur, etsi non cujusmodi nota esse potuit Aristoteli. Non solum esse scientiam, sed etiam sapientiam. Illustratur Aristotelis locus in sexto Ethicorum, ubi de habitibus agit qui circa verum occupantur, quem locum interpretes non sunt assecuti. Quid sapientia sit, et quomodo differat a scientia. 47

CAPUT IX. De laude ac commendatione theologiæ. Hanc non solum ad intellectum et scientiam pertinere, sed etiam ad voluntatis affectum. Itaque verum et absolutum theologum, sanctum esse oportere. Cujusmodi gnosticum informat Clemens Alexandrinus, aut hierarcham Dionysius. Episcopos primarios esse theologos. Fide præditum imprimis theologum debere esse tum cæteris virtutibus, ac purum ab omni prava animi affectione. Nonnulla de hujus operis instituto, quod triplicem theologiæ formam complectitur, deque ejus divisione ac partibus. 52

LIBER PRIMUS

IN QUO DE DEI ESSENTIA EJUSQUE PROPRIETATIBUS GENERATIM AGITUR.

Caput I. Deum esse variis argumentis ostenditur, ac primum communibus et popularibus. Sed ante cur id probare oporteat exponitur. Prima ratio ex mundi ejusque partium contemplatione ducitur, de quo Athanasii pulchra disputatio proponitur, tum Patrum aliorum, nec non gentilium philosophorum testimonia. Communes et naturales notiones esse certissimas. Mundum ab intelligente causa procreatum et ordinatum videri. 61

Caput. II. Deum esse paulo subtilioribus argumentis ostenditur ex rerum creatione et existentia, tum ex mutabilitate, et inæqualitate perfectionis, atque ex ideis rerum, tum ex rerum generatione, velut hominum, quæ ex æterno esse non potuit. 71

Caput III. Demonstratur unum esse Deum, ac primum ex naturali instinctu, consensuque hominum etiam gentilium: tum ex mundi gubernatione ac procreatione. Adversus Marcionitas et Manichæos ostenditur, duo non esse contraria principia rerum. 78

Caput IV. Exquisitioribus argumentis res eadem probatur, non uno plures posse deos esse. 86

Caput V. De multiplici ratione cognoscendi Dei ab antiquis theologis tradita, præsertim symbolica et demonstrativa, tum affirmante ac negante. Hanc illi anteferri tam a nostris quam a gentilibus philosophis, multis testimoniis ostenditur, et posterior imprimis illustratur. 93

Caput VI. De essentia vel τῷ τί ἦν εἶναι Dei et ejus attributis universe. Videri in eo sitam essentiam, quod sit id quod est. Idque gentilium philosophorum et Patrum sententiis adstruitur. Solum Deum proprie esse et ens nominari ex iisdem fontibus ostenditur 103

Caput VII. De notionibus quas Græci ἐπινοίας vocant, et quomodo inter se et cum essentia comparentur. Falsa hæreticorum opinio qui illas funditus respuunt et solis vocibus metiuntur, adeoque locum in Deo iisdem esse nullum putabant. 119

Caput VIII. De distinctione attributorum divinorum ab essentia. Aetii et Eunomii error nihil interesse prorsus arbitrantium. Gilberti Porretani huic opposita ex adverso hæresis exponitur. 125

Caput IX. Quomodo divinæ proprietates a se invicem et ab essentia differant. Discrimen hoc ἐπινοίας, id est rationis, sive cogitationis esse non rei nec nominis solius. Unam proprietatem non involvi in altera, ut a nobis percipiuntur. 129

Caput X. De distinctione illa quæ κατ' ἐπίνοιαν, id est secundum cogitationem dicitur. Eam interdum realem constitui, atque ita divinas personas et naturas in Christo duas hoc modo discerni. Alias autem solius differentiam rationis et intelligentiæ significare, quod variis antiquorum locis adstruitur. Hujus item secundæ differentiæ alias esse species majores et minores. Explicatur uberius attributorum distinctio 140

Caput XI. Adversus illa quæ de attributorum differentia dicta sunt quædam objecta solvuntur. Non esse falsam notitiam nostram quæ differentiam inter illa constituit quæ est nulla reipsa. Explicantur veterum loca quæ in speciem adversantur. Proprietates illæ quomodo unum significare dicantur. Anselmus pro contraria opinione adductus exponitur. Easdem proprietates non eatenus solum Deo convenire quod extrinsecus aliquid efficiunt, sed per sese ac formaliter, quod tamen de omnibus intelligendum non est quæ de Deo utcumque dicuntur. Dionysius explicatur. Rursus ostenditur attributa notiones habere distinctas, nec invicem permixtas. 148

Caput XII. De Græcorum recentiorum opinione, qui a Dei substantia reipsa differre putant operationes illius et proprietates, deque sectæ hujus antesignano Gregorio Palama, ac de Barlaamo, Gregorio Acindyno, aliisque illius adversariis. Exponuntur illorum conflictus et synodi in eorum causa Constantinopoli habitæ. 156

Caput XIII. Referuntur ac discutiuntur præcipua dogmata quæ in Constantinopolitana quadam synodo proposita sancitaque sunt contra Barlaamum, Acindynum aliosque, de discrimine essentiæ divinæ et operationum, sive attributorum, ac multa alia incredibiliter absurda produntur. Dionysius aliique Patres, quorum testimoniis abutuntur, expositi. 161

LIBER SECUNDUS

IN QUO DE ATTRIBUTIS QUÆ NEGATIVA DICUNTUR SINGILLATIM AGI INCIPIT, AC NOMINATIM DE IIS QUÆ AD IPSAM DEI SUBSTANTIAM PERTINENT.

Caput I. De Dei simplicitate, ac primum demonstratur, non esse corpus aut corpore concreatum Deum. Veterum de ea re variæ sententiæ ut Anthropomorphitarum, Audianorum, Tertulliani et aliorum. Quo sensu nihil, præter Deum, incorporeum dicatur. Hilarius defenditur. 173

Caput II. De eadem Dei simplicitate paulo exquisitius agitur, et ostenditur nullum omnino compositionis in illo genus inveniri. Quod primum ex Dei excellentia colligitur, tum quod æternus sit et nihil anterius habeat, neque aliunde quod est accepit. Item quia quod habet, hoc est. Tum quod interminatus et infinitus est. Quod perfectus ac sibi sufficiens. Quæ omnia variis antiquorum testimoniis approbantur. 185

Caput III. An ex personarum proprietatibus et substantia fiat in Deo aliqua compositio. Afferuntur causæ propter quas nulla fit, tametsi de essentia et relatione diversa prædicentur. Ἰδιότητες sive proprietates possintne dici personæ, de quo veterum opiniones inter se conciliantur. Calvini et Autotheitarum falsa et inepta sententia redarguitur, Filium dicentium, qua Filius est, non qua Deus, a Patre genitum. Eulogii locus insignis, quo Basilii alterum exponit. 194

Caput IV. An fiat aliqua in Deo compositio ex eo quod personæ tres in illo sint reipsa distinctæ. Ostenditur nullam esse propter unitatem substantiæ, quæ ratio variis antiquorum testimoniis illustratur. Qua ratione uniri et conjungi personæ dicantur a Patribus. Explicatur admirabilis quædam Patrum sententia realem personarum distinctionem majorem Dei simplicitatem efficere quam si una tantum esset persona. 200

Caput V. De compositione illa quæ est ex genere et differentia, quam in Deo non esse ex antiquorum opinione Patrum ac theologica ratione conficitur. 207

Caput VI. De compositionis genere illo quod ex substantia et qualitatibus constat. Ostenditur non esse in Deo, sed ipsum suam esse bonitatem, et quidquid in modum qualitatis de illo dicitur, idque variis antiquorum testimoniis

et argumentis adstruitur. Magister sententiarum a Lamberti Danæi reprehensione vindicatus. 213

CAPUT VII. Declaratur uberius nullam eorum quæ insunt Deo aliam esse differentiam quam quæ sola consideratione ac ratione constat, et alioqui compositionem in eo fore adversus Græcos Palamitas ostenditur. Gilberti Porretani et eorum qui rei discrimen invehunt, opinio revincitur. 223

CAPUT VIII. De divina monade sive unitate, ecquid in Deum competat, quave ratione. Variæ de ea re veterum sententiæ partim aientium partim negantium. Utræque porro declarantur et ostenditur Deum exquisita quadam ratione secundum essentiam unum esse, imo unitatem. 232

LIBER TERTIUS

QUI PROPRIETATES DEI NEGANTES EXPLICARE PERGIT.

CAPUT I. De immutabilitate Dei quæ primum e Scripturis ac veterum testimoniis adstruitur, tum certa ratione. Quid mutatio sit et quæ ejus species. Harum nulla mutari Deum. Nihil Deo contrarium. Tum ideo immutabilem esse, quia est id quod est. Item quia est a se, vel a nullo, sive æternum. Maximi martyris locus illustratur. Alia ratio immutabilitatis ex infinitate, tum ex perfectione, ac denique quia est ipsissimum bonum. 247

CAPUT II. Quæ adversus Dei immutabilitatem facere videntur, exponuntur ac dissolvuntur. Non mutari Deum, cum creare incipit aut desinit. Error Origenis de mundi æternitate. Tertulliani eadem de re ambigua sententia. Ira Dei et pœnitentia quid sit. De ira, Tertulliani, Lactantii et aliorum error. Arnobii contrarium illis dogma. 260

CAPUT III. De æternitate Dei. Quæ sit natura illius et conditio, quatenus soli ipsi competat neque cum rebus creatis communicari possit. Quid sit αἰὼν apud Græcos, apud Latinos *ævum*. Tres æternitatis divinæ conditiones proponuntur, quarum prima declaratur, ut initio careat: qua ratione æternitas soli Patri tribuitur interdum. Creaturis minime competere, tametsi ab æterno extitisse fingantur. 272

CAPUT IV. Duæ aliæ dotes æternitatis divinæ declarantur. Prior est ut tota simul sit sine omni temporis differentia, quæ variis antiquorum testimoniis illustratur tam gentilium quam christianorum. Omnia in Dei æternitate esse præsentia. Cur verbo *erat* usus sit Evangelista. Posterior æternitatis conditio est immortalitas. Explicatur ergo Dei immortalitas: cur ei soli tributa sit, ut et æternitas. Anima quomodo mortalis dicitur. Vitam illius esse Deum. 278

CAPUT V. An præter Deum res aliqua fuerit ab æterno. Græcorum Palamitarum et Eugubini notatus error, qui lucem nescio quam coæternam Deo statuunt. Hanc opinionem ad Manichæorum hæresim pertinere. Quid Plato de mundi æternitate ac creatione senserit. Basilium minime suffragari lucis illius æternitati, cujus locus illustratur. De æonibus, quos nonnulli antemundum conditos asserunt. 288

CAPUT VI. An aliquid ab æterno creare potuerit Deus, uti mundum. Non potuisse probatur ex Patrum decretis, quod omnis creata res ex nihilo sit, et ex initio aliquo. Zachariæ Mitylenæi locus insignis quo variæ illius causæ traduntur, maxime quod creaturam ab æterno esse ejus essentiæ repugnet. 293

CAPUT VII. De Dei immensitate secundum locum. Eorum error qui non ubique esse Deum substantia putarunt, tam hæreticorum, quam cæterorum, et imprimis Eugubini ac Vorstii, quibus Scripturarum imprimis auctoritas opponitur sanctorum Patrum interpretatione firmata, nec non gentilium ipsorum suffragio probata. Cyrilli opinio de veteribus patriarchis, qui immensitatem Dei non intellexerint. Commune Judæorum duntaxat ea inscitia laborasse. Veteres quidam Patres, qui itidem ut isti sensisse videntur, commodum ad sensum referentur. 299

CAPUT VIII. Deum ubique esse ac nullo definiri spatio ex antiquorum theologorum auctoritate convincitur, qui non solum efficientia, sed etiam substantia ubique illum esse docent. Varia ex iisdem argumenta ad probandam ejus immensitatem. Cur in cœlo præcipue esse dicatur. 307

CAPUT IX. Explicatur modus, quo Deus ubique, id est omni in loco esse dicitur, quemadmodum intra et extra omnia sit et omnia complectatur: cur veterum alii ubique, alii nusquam illum esse dixerunt. 318

CAPUT X. An Deus in infinitis illis spatiis sit quæ extra cœlum tenduntur et *imaginaria* vulgo nominantur. Qua ratione ibi esse dici debeat, quod et ex Aristotele deducitur. 327

LIBER QUARTUS

IN QUO DE DIVINIS PROPRIETATIBUS AGITUR QUÆ AFFIRMANTES VOCANTUR ET AD DEI SCIENTIAM SPECTANT.

CAPUT I. De intelligentia Dei sive scientia aut sapientia. Eam Dei maxime esse propriam. Cujusmodi illa sit. Quinque illius dotes proponuntur, quarum prima hoc in capite declaratur, nempe non esse aliquid divinæ additum substantiæ, sed ipsammet substantiam. 334

CAPUT II. De reliquis divinæ scientiæ proprietatibus velut quod omnia in se et in natura sua cognoscit. Id quod ex gentilibus philosophis ostenditur, tum ex christianis. Demonstratur ideo illa nosse Deum, quia causa est eorum efficiens. Tum quomodo Deus illa norit. Aliter Deum seipsum cognoscere, aliter creatas res, has enim in decretis suis, se vero in natura sua nosse, id esse, dicere. Quomodo creaturæ in Deo contineantur. Videri ab eo absolute et ut in se sunt, etsi dicantur non videri in seipsis. De simplicitate divinæ scientiæ, nullam in ea compositionem inesse. Idque et ex gentilibus philosophis adstruitur. Esse etiam immutabilem ac denique rerum omnium causam. Augustini locus exponitur haud recte ab Vive in scholiis acceptus. In sapientia Deum omnia fecisse, in qua omnium causæ rationesque continentur. Ideo in ea Deum illa dixisse. 338

CAPUT III. De rebus quæ divinæ scientiæ subjectæ sunt. Deum perfecte se ac reliqua omnia cognoscere, nec id negare Aristotelem: tum distincte, ac singillatim, quod utrum Aristoteles crediderit, haud satis constat. Hieronymi locus ambiguus. Probatur e Scripturis et Patribus Deum singula nosse, tum ex infinita scientia et omnipotentia, et ex eo quod causa sit omnium. 347

CAPUT IV. Deum ita omnia nosse ut ex æterno præsentia illa habeat, non præterita vel futura, demonstratur aliquot veterum Patrum sententiis, quarum nonnullæ velut præterita eadem illa esse significant. Idem et ex gentilibus philosophis adstruitur. Eumdem et privationes ac mala nosse, et quonam modo. Explicatur Dionysii locus.

Cur in Deo mala esse non dicuntur, cum sint in ejus præscientia. 352

Caput V. Explicatur illius præsentiæ modus, quo res omnes ab æterno Deo præsentes esse dicuntur. Duæ hac de re explicatæ sententiæ. Ostenditur ex Patrum sententia non videri reipsa, sive *reali coexistentia* præsentes esse. Easdem res dici aliquando præteritas, idque quo sensu, aut etiam cur præsentes dicantur, exponitur. Neutrum proprie usurpari, nec aliter quam potestate et ut in idea contineri in Deo. 357

Caput VI. De futurorum cognitione quæ præscientia dicitur. Esse hanc in Deo. Quo sensu quidam veterum illam negaverunt: non dubiam aut probabilem inesse illi, sed certam et tanquam præsentes sint res cognitæ. 361

Caput VII. Quomodo cum futurorum contingentium præscientia cohæreat libertas hominis. Ciceronis opinio negantis conciliari posse ab Augustino refutata, a quo et illa quæstio deciditur. Boetii itidem de ea re sententia. Necessitas duplex, absoluta et conditionalis. Origenis, Anselmi, Guillelmi Parisiensis loca insignia quibus argumentum illud explicatur. Item philosophorum gentilium, ut Plotini et Ammonii. An res contingentes causæ sint scientiæ Dei. Varia de eo veterum placita conciliantur. Duplex Dei scientia, altera *simplicis intelligentiæ*, altera *visionis*: illam causam esse rerum, non hanc posteriorem. De veritate propositionum de futuris contingentibus. Eas in Deo veras esse, in se nec falsas nec veras. 365

Caput VIII. De contingentibus non reipsa futuris, sed quæ futura erant, certa conditione posita, quæ nunquam ponenda sit. Ea cognosci a Deo, idque certa scientia tam e Scripturis quam ex Patribus ostenditur Græcis ac Latinis, et imprimis Augustino. Explicantur tam hujus quam Fulgentii loca, quæ talem præscientiam negare videntur. 373

Caput IX. De ideis divinis. Quid universe sit idea, maxime ex Platonis sententia: ostenditur ab eo substantias quasdam separatas constitui et eas universales. Aristotelem recte id refellisse. Non putasse Platonem, ideam esse notionem ipsam Dei, sed aliquid ab eo diversum, ac discipulos illius prius illud commentos videri ut se a Peripateticorum argumentis defenderent. Philonis Judæi de ideis istis ineptum absurdumque dictum. 378

Caput X. De formis quibusdam abstractis et universalibus exponitur opinio Dionysii, quæ Platonicæ speciem habet. Duo ab eodem constitui idearum genera. Maximus et Pachymeres interpretes notati, qui ideas illas apud Dionysium ipsam putant esse Dei naturam, tum Maximi mirificus de iisdem locus. Omnem processionem divinam in aliquid a producente distinctum progredi. Ideo non esse proprie dictum a Dionysio et aliis, ideas divinas a Deo produci ex æterno. Dionysium Platonis studiosissimum fuisse. Explicatur demum Dionysii sententia et cum catholica fide conciliatur. Ammonii locus insignis. 386

Caput XI. De ideis vera tandem ex theologorum veterum decreto ratio constituitur. Dionysii de illis locus, nec non Clementis illustratur. Maximus et Pachymeres notati. Augustini de ideis memorabilis locus. Idea quomodo sit ipsa Dei notio, non tamen simplex, sed adjuncta Dei voluntate ac decreto. Quare vis illi actuosa tribuitur. Cur Verbo proprie accommodatur. Explicatur quemadmodum natura ipsa divina rationem habeat ideæ. Quinam divina idea ab humana distet. 395

LIBER QUINTUS

IN QUO DE VOLUNTATE DEI, POTENTIA ET OPERATIONE AGITUR.

Caput I. De voluntate Dei ac libertate. Ac primum universe de libertate, in quo sit ejus posita ratio. Ostenditur in eo sitam esse, quod in potestate habeat agere, necessariis omnibus ad agendum positis, quod imprimis ex philosophorum aliquot gentilium, ut Aristotelis et cæterorum, nec non Philonis testimoniis ac decretis probatur. 403

Caput II. Liberi arbitrii natura ex christianis Patribus exponitur, iisque primum qui eam rem non obiter, sed ex instituto tractarunt, Nemesio, Joanne Damasceno, Anselmo, Bernardo, qui omnes in indifferente statu et nulla ad utrumvis necessitate addicta libertatem circumscribunt. 408

Caput III. Christianorum theologorum ac veterum Patrum de liberi arbitrii natura sententiæ, ex quibus superioris capitis doctrina corroboratur, nimirum libertatem hominis in indifferente statu et ad neutrum necessario determinato voluntatis esse positam. 411

Caput IV. De divinæ voluntatis arbitrio libero, quod inesse illi primum ostenditur e Scripturis, tum ex Dei natura, ac Patrum testimoniis. Quatenus necessario Deus agat, tum quatenus insit ei libertas. Actionem ipsam liberam a Dei substantia non differre et ex æterno esse in Deo. De varia divisione voluntatis divinæ. 418

Caput V. De omnipotentia Dei. Varia ejus nominis interpretatio. Quinam Deo illam detraxerint. Guillelmi Parisiensis falsa opinio refellitur. Eadem omnipotentia ex Scripturis et argumentatione colligitur. Quæ sint illius vestigia et effecta: quod ex nihilo, id est nulla antecedente materia res parvas magnasque crearit, quodque eadem facilitate illas conservet. 427

Caput VI. Quæ ad evertendam Dei omnipotentiam facere videntur explicata et discussa. Quo sensu Patres aliqui dixerint, ea sola posse Deum facere quæ vult. Exponuntur difficilia quædam illorum loca, velut Athenagoræ, Gregorii Nysseni, Hieronymi. Probatur e Scripturis multa posse facere Deum quæ nunquam facit, tum e Patribus. Abælardi sententia refellitur. An semper optima quæque Deus faciat. Deum libere quæ vult facere. Calvini de omnipotentia Dei sententia exponitur. 433

Caput VII. De quibusdam quæ a Deo fieri non posse vulgo et quidem impune dicuntur, velut non posse mori, mentiri ac cætera peccata committere. Titi Bostrensis notata de ea re sententia. An facta infecta possit facere et naturas mutare rerum. Hieronymi de eo dictum a Petro Damiani reprehensum. Impossibilia variis modis dicuntur. Tum de ea potentia quam obedientialem vocant. Dei voluntatem esse rerum naturam cur Patres dixerint. 443

Caput VIII. In quo sita sit omnipotentia Dei: plerique in voluntate constituunt. Alii Verbum ipsum vocant ejus omnipotentiam, et βουλήν, id est consilium sive voluntatem nominant. Varia itidem Filii nomina eodem spectantia. Ut quod viva et subsistens efficientia dicitur, nec non manus, tum voluntas quatenus dicatur expenditur. Item Pater dicitur per Filium agere, eaque locutionis formula declaratur. 453

Caput IX. Spiritum sanctum perinde Patris vel Filii vel

utriusque vocari efficientiam. Quod quanam ratione sit intelligendum exponitur, nec non de Filio quod capite antecedente propositum erat dissolvitur. Quomodo Patris omnipotentia vocetur potissimum Filius, maxime quia *imperium* est illius. 462

Caput X. De ἐνεργείᾳ, id est actione Dei. Explicantur variæ notiones nominis istius, ac præsertim quadruplex proponitur. Expositus Maximi martyris locus. Cujusmodi motio sit ἐνέργεια. 467

Caput XI. Utrum in Deo ἐνέργεια id est actio vel operatio distinguatur ab ejus οὐσίᾳ. Ostenditur ex veterum sententia nullum interesse discrimen, quia nulla est in Deo motio, nulla potentia. R. Mosis Maiemonidæ sententia etiam in creaturis spiritualibus nihil esse potentiæ, refellitur. De vocabulo ἐντελεχείας. Rursum de Dei simplicitate quæ efficit, ut ἐνέργεια idem sit cum substantia. Gregorii Nysseni locus illustratur, necnon Basilii. Gentiles philosophi ἐνέργειαν a Deo non differre sentiunt. Græcorum recentium opinio de hac re falsa confutatur, præsertim Hieremiæ patriarchæ. Theodori Abucaræ locus expenditur. 471

Caput XII. De actione libera voluntatis divinæ. Hanc reipsa differre ab essentia quidam arbitrati, ut Pseudo-Justinus. Videri et Basilium huic affinem opinioni, et Gregorium Nyssenum et alios. Sed hos et alios fere antiquos de sola externa voluntatis actione, non interna, et locutos et intelligendos videri, tametsi nonnulli de interiore ipso voluntatis actu nonnihil attigerunt. 479

Caput XIII. Exponitur vera de actu libero Dei sententia ex antiquorum Patrum decretis, ex quibus quatuor principia colliguntur superius enucleata. 483

LIBER SEXTUS

IN QUO DE DEI BONITATE DEQUE SUMMO BONO AGITUR NEC NON DE MALO, TUM DE DEI IMPECCABILITATE, DEQUE EJUS PERFECTIONE AC PULCHRITUDINE.

Caput I. De Dei bonitate. Eam Dei propriam imprimis esse ut et *boni* vocabulum. Id tamen non prius esse quam τὸ ὄν. Quid sit universe bonum et quæ ejus definitio. Relativum esse quiddam nonnullis placet, aliis absolutum. Non esse propriam illam definitionem boni ut sit quod omnia appetunt. Videri rationem boni in convenientia esse positam potius quam in perfectione. De tribus quæ in omni bono cernuntur, modo, specie et ordine, quæ singillatim enucleantur, tum de numero, pondere et mensura. Quatenus priora tria insunt in Deo. 487

Caput II. De duplici genere boni, quorum unum est summum, alterum participatio summi. Esse aliquod summum probatur idque esse Deum, in quem summi boni proprietates cadere singillatim ostenditur. Proprietates autem istæ vel summo bono secundum se et absolute conveniunt, vel ut ad opera sua effectaque refertur. De priori genere hoc in capite agitur, velut est esse οὐσιωδῶς bonum, non ex accidenti qualitate, a seipso bonum esse non ab alio, esse immutabile, esse unum non multiplex. 494

Caput III. De summo bono qua extra se diffunditur et ad effecta comparatur, idque per tria, sed maxime duo causarum genera declaratum, finem et efficientem. 501

Caput IV. De malo ejusque natura quam in negatione vel privatione esse sitam ostenditur ex Patrum sententia, contra quam recentiorum pugnat opinio quæ malum quippiam *positivum* esse statuit, sed ea refellitur. Malum in inconvenientia, vel ordinis perversione positum videri. 510

Caput V. De origine mali, sive unde sit malum. Veterum error hæreticorum mali quoddam æternum et increatum principium asserentium. Itidem et eorum qui materiam æternam et mali causam esse docuerunt. Calvinus multo quam illi detestabilior, qui Deum ipsum mali et peccati causam efficientem constituit, ac veteres Patres impudenter arguit. Hanc blasphemiam a gentilibus et christianis omnibus rejectam, qui omnes Deum mali ac peccati auctorem non esse defendunt. 518

Caput VI. De Dei ut vocant *impeccabilitate*, Græce ἀναμαρτησία. Explicantur causæ propter quas mali, id est peccati non sit effector Deus : quod non sit factus : quod non sit mutabilis : quod natura bonus : quod invidiæ expers. Cur omnino et extra Deum sit malum nec ab infinito bono profligetur. Non posse esse summum malum. Deum mali ejus auctorem esse quod culpa caret. Qui contra senserunt. Dorotheus excusatur. 526

Caput VII. De perfectione Dei, ac primum de perfectione generatim quid sit. Varii ejus modi, quædam numeris omnibus absoluta, alia quæ longius progredi potest, idque dupliciter, *extensive* aut *intensive*, quo utroque modo infinita est Dei perfectio. Qua ratione quidem *perfecti* nomen a Deo segregant. Probatur aliquot argumentis primum extensiva perfectio Dei. Explicatur Gregorii Nysseni sententia, virtutem ac bonitatem nullum habere terminum præter oppositam pravitatem. Tum de intensiva perfectione quæ et ipsa demonstratur. Quomodo perfectum omne in Deo contineatur vel eminenter vel formaliter, ubi et de perfectione simplici, atque obiter de relativis proprietatibus quatenus perficere dicantur. 533

Caput VIII. De Dei pulchritudine, ac primum pulchritudinis natura consideratur : quam sit affinis bonitati ac perfectioni, adeo ut quæ de illa dicuntur, eadem in pulchritudinem conveniant, velut aptum et congruens, item modus, ordo et species. 542

LIBER SEPTIMUS

IN QUO DE DEI VISIONE AGITUR.

Caput I. De proprietate illa Dei qua sub cognitionem et intelligentiam cadit, quam *cognoscibilitatem* vulgo nominant. Deum ut in se est naturæ vi non posse cognosci, sed neque fide sola. Anomœorum impudentia qui se clare Deum, itidem ut se novit, percipere dixerunt : utrum isti de naturali an naturam excedente scientia ita locuti sint. Horum firmamentum evertitur. Argumenta quibus veteres probant Deum ut in se est perspicue non posse cognosci. 551

Caput II. De Dei cognitione quam post mortem adepturi sumus, ac primum illud explicatur utrum corporis sensibus Deus percipi possit. Augustini de ea re dubitatio, imo propensio in affirmantem partem, et mira quidem, quod cum ante negasset, tanto postea doctior affirmare visus est. Non posse ullo modo videri oculis etiam beatorum probatur auctoritatibus veterum, e quibus quæ allatæ sunt ab Augustino expenduntur, tum alia Patrum testimonia, quibus et argumenta junguntur. De corpore spirituali maxime Christi, quod angelis subtilius esse dicit Anselmus. 558

Caput III. De Dei cognitione sive visione quæ fit mente et intelligentia, ac primum de comprehensione. Explicatur Græci vocabuli τῆς καταλήψεως propria notio, ejusdemque significationis alia quædam nomina. Explicatur ex Zenone philosopho quid sit κατάληψις, cujus ille auctor est vocis. Tum quid sit comprehendere. Nihil aliud esse quam rem totam clare ac perspicue cognoscere, sic ut illius nihil lateat. Plenam hanc notitiam tum rei ipsius esse oportere secundum se ac substantiam suam, tum eorum omnium quæ illius in potentia continentur, quod *eminenter* inesse dicitur. 562

Caput IV. De comprehensione agitur porro, et superiori capite constituta ratio illius adstruitur ex auctoritate veterum qui perfectam Dei cognitionem in eo collocant, ut quæcumque potest facere percipiantur, maxime illi qui adversus Anomœos disputarunt. Quæ sint profunda Dei, et quomodo scrutatur illa Spiritus sanctus. De Christi cognitione qua Patrem comprehendit. Probatur eadem comprehensionis notio ex sancto Thoma. Nova scholasticorum quorumdam de comprehensione sententia proponitur et rejicitur. Quibusdam Patrum testimoniis eam fulciri sed perperam : Fulgentii locus insignis quo præcipue illa convincitur. 571

Caput V. De clara et perspicua Dei cognitione qua in cœlo beati fruuntur, ecquid essentiam illius videant. Veterum de ea re sententiæ qui negasse videntur, ut Chrysostomus cujus verba commoda interpretatione leniuntur, tum Gregorii Nyssenus et Nazianzenus, Cyrilli ambo, Hierosolymitanus et Alexandrinus, Dionysius, Cæsarius, qui omnes cum vero dogmate conciliantur, contra quam recentioribus theologis videtur. 579

Caput VI. Proponuntur aliorum testimonia Patrum, quæ diserte ne ab angelis quidem ac beatis hominibus clare videri Deum adstruant. Quorumdam tamen explicata et ad veram sententiam accommodata, ut Hieronymi et Ambrosii. 584

Caput VII. Deum in futura vita clare et secundum essentiam videri primum ex antiquorum Patrum auctoritate colligitur tam Græcorum quam Latinorum, tum ex Scripturis. Græci et Armeni contra sentientes refutati, et eorum firmamenta discussa. 590

Caput VIII. De modo quo Deus videtur a beatis. Opus esse divino quodam auxilio, quod lumen gloriæ vulgo dicitur. Cujusmodi autem sit non plane constare ex fidei principiis, ac videri ex veterum doctrina magis ad objectum quam ad efficientem causam referri. Ostenditur summam felicitatis in illa perspicua Dei visione consistere. Nulli creaturæ naturalem esse posse eamdem Dei visionem, adeoque nec gloriæ lumen illud ostenditur. 595

Caput IX. De eo quod beatæ visioni subjicitur. Deum et quæ in Deo *formaliter*, ut vocant, continentur, ab omnibus videri beatis. De iis autem quæ eminenter insunt, tota est quæstio. Quid sit videri in Verbo. Non omnia quæ fieri a Deo possunt beatos cognoscere, quod est comprehendere Deum, idque videri ex sacrarum Litterarum auctoritate catholica fide compertum. 599

Caput X. De inæqualitate visionis Dei et æternæ felicitatis, quæ ex sacris Litteris primum adstruitur, tum ex antiquorum Patrum testimoniis. Joviniani et fortassis Origenis error discutitur. Undenam diversitas illa et inæqualitas oriatur. 602

Caput XI. De parabola operariorum quæ est *Matthæi* XX, ex qua æternæ compensationis æqualitas videtur adstrui. Diversæ illius interpretationes attinguntur, quibus simplex quædam antefertur. Generalis regula parabolarum explicandarum : solum id in nostra spectasse Christum ut æternæ felicitatis præmium ex solo gratiæ fonte proficisci monstraret. 606

Caput XII. Utrum patriarchæ ac prophetæ in antiqua lege Deum clare viderint. Nonnulli vidisse putarunt, sed probabilius est nonnisi per speciem et adumbrate vidisse etiam Mosem, de quo dubitandi ratio potior. Tertullianus explicatur. 609

Caput XIII. Ecquid sancti æternæ modo sint felicitatis compotes, quod hodie in fidei dogma susceptum, olim dubios habuit nonnullos Patres. Idem vero auctoritate veterum approbatur Græcorum et Latinorum. Hoc ipsum eo significari, quod in cœlum ac paradisum recipi dicuntur. Tum ex descensu Christi ad inferos idem adstruitur. 612

Caput XIV. De eadem præsenti sanctorum felicitate expenduntur aliorum Patrum loca vel quorumdam etiam e superioribus, quæ dogmati illi videntur esse contraria. Irenæus Millenariorum imbutus errore, ut proinde mirum non sit ab eo sanctorum differri beatitudinem. Quod idem et de Lactantio ac Tertulliano dicendum. De latrone et paradiso in quem receptus est variæ sententiæ. 617

LIBER OCTAVUS

IN QUO DE PROVIDENTIA ET DEI NOMINIBUS AGITUR.

Caput I. De providentia Dei. Primum vis ipsa nominis explicatur, tum ejus definitio multiplex. Duplex illius pars ex duplici itidem fonte derivata, scientia Dei et bonitate. Eam cur probare instituamus, cum et notissima sit et sine perfidia negari nequeat. 625

Caput II. Deum providentia sua gubernare res a se procreatas quibusdam argumentis asseritur, quæ triplici capite continentur, ratione, exemplo ac testimonio. Rationes ex Dei ipsius natura ducuntur, scientia, bonitate, justitia, omnipotentia. Quod res omnes procreavit, quod easdem conservet. Et probatur Deum eadem qua creavit actione conservare. Item ex immensitate Dei. 627

Caput III. Eadem Dei providentia ex effectis rebusque conditis a Deo probatur, velut e cœlestibus orbibus ac sideribus, eorum motione, anniversariis tempestatibus. Tum ex rebus inferioribus quæ mutationibus obnoxiæ et inter se confligentes, tamen perpetuo conservantur : ex animantium ac stirpium generatione et vultuum humanorum diversitate, ex brutorum animantium instinctu, ex structura corporum præsertim animalium, ex varietate quæ inest in rebus, ex vita et rebus gestis sanctorum, ex incarnatione Filii Dei, tum ex variis et mirabilibus eventis præsertim in puniendis sceleribus. Item e Scripturæ testimoniis, ac denique communi ex hominum sensu. 634

Caput IV. Quarum rerum et circa quas providentia sit. Platonis opinio de triplici providentia. Deum necessitate nulla teneri, eique contingentia esse vel illa quæ necessaria sunt. Variæ antiquorum de fato sententiæ, præsertim Platonicorum, quæ refellitur. Dei providentiam ad ima et minima descendere variis rationibus ostenditur. Hieronymi locus difficilis qui hoc negare videtur. Sed ex ipso etiam Hieronymo id astruitur. Idem est a natura fieri aliquid atque a Deo. Hominem primario regi divina providentia et qua de causa. Quæ a libertate pendent, eidem subjici. Damasceni locus expensus. 644

Caput V. De argumentis aliquot quibus divina providentia oppugnari solet, quæ omnia ad certa redacta capita diluuntur. Velut quod nimium negotiosus esset Deus, quod multa in mundo mala sint. Opinio Arnobii, mala etiam culpa carentia non esse a Deo, ac ne animas quidem mali capaces. Cur Deus mala esse velit, et quid utilitatis conferant etiam illa quibus mali fiunt homines. Item cur malis bene, bonis male interdum eveniat. 654

Caput VI. De nominibus Dei, ac primum universe de impositione nominum quam sapienti Plato, imo diis attribuit, nos Adamo ac Deo vero defendimus. An nomina rerum naturas exprimant. Aristotelis locus in quo voces signa et notas esse rerum ait, notiones autem esse imagines. Deum nomen habere nullum multi veteres dixere tam gentiles quam christiani, cujus affertur ratio. Quibusdam tamen nominibus congrue appellari ex effectis et divinis emanationibus. Variæ divisiones nominum divinorum. 662

Caput VII. Expenditur illud, utrum nomina Dei aliqua substantiam ejus significent. Veterum super hac re diversæ opiniones, quorum alii negant, alii affirmant. Eæ inter se conciliantur. Damascenus explicatur. Falsa de nominum significatione R. Mosis sententia, tum etiam Damasceni minus probabilis, si absolute dicatur nominum Dei notionem esse causalem. Nicolai Cusani multiplex error. 668

Caput VIII. Exponuntur particulatim Dei propria nomina. Ac primum ὁ Θεὸς, quod alii divinam substantiam proprie significare volunt, alii negant. Ejus interpretatio varia. Græcorum Palamitarum opinio de divinitate multiplici refellitur. Quomodo nomina Θεὸς et *Deus* essentiam significent, aut non significent. Et utrum relative dicantur ad res creatas. 673

Caput IX. De Dei nominibus apud Hebræos decem : de tetragrammato memorabilis locus Origenis, ex quo dubium fit an Hebraice sciverit. Exponitur vis et proprietas illius nominis. Iao, Ieuo, Iabe, Iaou, Jova vel Jehova quid sint. Nomen septem vocalium. Item litterarum XII vel XLII. Cur nomen illud ineffabile. Quid sit Eloim, Saddai, Adonai, Sabaoth. 677

UNI

SOLI VERE EXISTENTI

SIMPLICI IMMUTABILI

IMMENSO SEMPITERNO

OMNISCIO OMNIPOTENTI

LIBERO BONO

MALI AC PECCATI NULLIUS AUCTORI

OMNIUM ORDINATORI PROVIDO

PULCHRO PERFECTO INVISIBILI FELICI

AC FELICITATIS PRO CUJUSQUE MERITO

DESTINATORI SIMUL ET LARGITORI

DEO

PRIMUM TOMUM

THEOLOGICORUM DOGMATUM

EJUS NUTU SUSCEPTUM

OPE PERFECTUM OFFERT CONSECRATQUE

DIONYSIUS PETAVIUS
Societatis Jesu.

PRÆFATIO

NOVÆ HUJUS EDITIONIS.

Cum tot virorum pietatis ac scientiæ laude commendatorum, qui singulis retro sæculis, pro tuenda et late diffundenda veritate catholica, strenuam navarunt operam, monumenta, nostris hisce temporibus novis typis mandentur, magno veræ scientiæ et pietatis incremento, fieri non poterat, quin *Opus theologicorum dogmatum*, a Dionysio Petavio Aurelianensi, e Societate Jesu presbytero, omnimoda eruditionis ecclesiasticæ copia refertum, miro ingenii acumine ac judicii pondere concinnatum, purissimo ac elegantissimo genere dicendi politum ac ornatum, e bibliothecarum pulvere excuteretur, ac in lucem denuo prodiret, eodem eruditorum applausu, quo primum acceptum fuit, nunc quoque excipiendum. Notum enim omnibus est, quanto olim in pretio hoc opus fuerit apud omnes scientiarum ecclesiasticarum alumnos, etiam heterodoxos, nec apud quemquam, elabentibus annis, aliquid de hac æstimatione detractum, et quidem merito, ut cuiquam legenti patebit.

Nova nunc se prodit, luctuosis hisce temporibus, ejus præclari operis denuo typis mandandi opportunitas, urgensque necessitas. Nunc, sicuti evenit nascentis Ecclesiæ incunabulis, convenerunt et fremuerunt adversus Dominum, et præcipue adversus Christum ejus, recentiores nominis christiani adversarii, seu hæretici, seu rationalistæ; repetitis assultibus ipsius fidei fundamentum impetentes, ac totum catholicæ religionis ædificium, angulari commoto lapide, collapsum iri præfidentes. Quod nunc agitur, olim actum est. Veteres hæretici, alii Christi divinitatem sustulere; iique plures et potentes, ac Romanorum imperatorum auxilio suffulti: alii humanitatem, alii personæ unitatem, hi naturarum dualitatem, hi vero voluntatum ac operationum negaverunt. Totis igitur viribus incubuere Patres et auctores ecclesiastici, ut vera de Verbo incarnato fides immota permaneret. Inde tot doctissima scripta prodierunt, veram religionem propugnantium et novo splendore illustrantium. Arma, quibus de hoste antiquo triumpharunt, præsto nobis sunt ad nuperos veritatis hostes retundendos. Hæc auctor noster miro ordine, immensa eruditione, omnibus numeris absoluta judicii maturitate congessit ac disposuit, in aureo

vere de incarnatione tractatu, vix duobus tomis *in-folio* absoluto. Hic, quidquid adversus Christum veteres allatrarunt hæretici, hic quæcumque rationum momenta, pro vera fide tuenda et illustranda allata sunt, enarrantur et explicantur; pugnarum historia ac triumphorum texitur; hic quidquid amantior pietas de Christo Domino ejusque matre Virgine primis effudit Ecclesiæ sæculis, ipsis sanctorum verbis expressum reponitur. Ita ut inexpugnabilium armorum adversus cujuscumque ætatis hæreticos inexhaustum promptuarium hoc opus exhibeat, necnon amœnissimam, quibus delicientur animæ devotæ, virtutum ac spiritualium aromatum apothecam.

Nihil hic de auctoris vita privatisque virtutibus addendum his, quæ in sua Venetiana editione reposuit eruditus Franciscus Antonius Zacharias, e Societate Jesu presbyter, quæque infra legentur. Pauca vero de auctoris methodo, deque veteribus hujusce operis editionibus, necnon hac nova, quam paramus editione præfari, opportunum nobis visum est, nec benevolo lectori ingratum fore confidimus.

DE AUCTORIS METHODO.

Immobile fuit Auctoris nostri institutum, e divinis Scripturis et ex antiquitatis venerandis promptuariis, quidquid nobis catho lica fides credendum proponit, elicere et illustrare. Id ipse initio sui operis testatur, dum ait sibi esse propositum « ut ex antiquorum monumentis, velut sanctis augustisque fontibus, liquida et incorrupta rerum divinarum scientia eruatur. » Et paucis interjectis profitetur « antiquorum Patrum auctoritatem, secundum Scripturas et synodos, in suo theologiæ instituto dominari. »

Non hic igitur unicus ac solitarius auditur theologiæ magister, quantumvis scientia præstans et eruditus, sed omnes veteres catholicorum dogmatum testes et interpretes, suo quisque ordine pro veritate dicunt testimonium, et oppositos errores profligant. Porro Patrum expositiones, et pro veritate tuenda inita certamina, cum historia hæresum, quas impugnarunt, arctissime conjunguntur : unde fit ut *Opus theologicorum dogmatum*, historico-theologicum evadat. Errorum ortus, processus, occasus, concilia congregata, scripta in utramque partem edita e regione ponuntur, ut ex eorum mutuo collisu lux veritatis purior et fulgentior resplendeat. Si antiqua bella, populorum strages, imperatorum bellica studia et triumphi, hodiernos adhuc lectores delectant, quidni præstantioris sane generis triumphi? quidni bella, in quibus non pro terrenis et caducis decertatur, sed pro cœlestibus ac æternis, cum æquali voluptate et potiori fructu hodiernis lectoribus percurrenda exponerentur?

Nec vero cuiquam suspicio in mentem subrepat, ne *Opus theologicorum dogmatum* meram exhibeat et aridam compilationem testimoniorum juxta positorum prout materia tractanda postulat, vel ordine historico digestorum. Facilior hæc methodus, ideoque

communior, parumque utilitatis, multumque fastidii habens. Non hæc Petavii agendi ratio. Tria, quæ rarissime conveniunt, nec nisi in præstantissimis inveniuntur viris, a natura, seu potius a naturæ auctore, habuit. Memoriam scilicet usque ad prodigium tenacem ac fidelem, acutissimam mentis aciem, tutissimumque judicium. His accessit Græcarum omnium Latinarumque litterarum cultura politum ingenium ac ornatum, ita ut, post aurea latinitatis sæcula, vix quisquam inveniatur qui Græca et Latina vel melius sciverit, vel purius ac elegantius scripserit. His rarissimis præditus dotibus, improbum impendit laborem in evolvendis sanctorum Patrum codicibus,aliorumque ecclesiasticorum auctorum scriptis investigandis : unde factum est ut quidquid pro unoquoque fidei dogmate illustrando et propugnando veneranda usque ad sæculum XII protulit antiquitas, uno mentis intuitu contemplatus, opportunissimum quemque traditionis testem suo ordine collocet, et sua nativa ubertate loquentem inducat, et vario colore margaritam, in adeo stupendi ædificii structura, suo loco ponendam ab ipso mutuetur et accipiat. Hæc ossa natura quidem sua sunt arida, sed in opere Petaviano, quasi spiritu prophetico afflata, cuncta moventur, cunctaque vivunt.

Alio superest occurrendum scrupulo, ne scilicet in hac methodo, sola auctoritate, neglectis theologicarum rationum momentis, res agatur. Huic exceptioni jam ex parte factum est satis. Notavimus enim sanctos Patres et Doctores evocari pro veritate certantes, certantes utique iisdem theologicarum rationum momentis, quibus nunc explanantur et propugnantur catholica dogmata. Sed non his contentus auctor, omnium philosophorum, et maxime dialecticorum placita familiaria sibi fecit; quidquid habent præsidii ad illustrandam et tuendam veritatem ascivit. Philosophiam, dialecticam, hermeneuticam, criticam, philologiam, velut antemurale fidem circumdans posuit, miro concentu inter se sociavit, et theologiæ velut famulas et sequentes induxit, ita ut nescias quid magis admiratione dignum, argumentorum pondus et firmitas, an eloquii ornatus et ubertas.

Longe igitur abest nostri auctoris methodus, a methodo quam *scholasticam* nuncupant. « Uberiorem, ut ipse profitetur, elegit theologiam, et elegantiorem, quæ ad eruditæ vetustatis expressa speciem, hoc est a dialecticorum dumetis, liberiora ad campi revocata spatia, nativam ac domesticam copiam ostentat. » *Prolegom.*, cap. 1.

Stylus auctoris admodum purus, sobriaque elegantia ornatus. Ipse in *Prolegomenis*, quo nam genere sermonis sit utendum theologo, in edisserenda divina scientia, exposuit : « Caveantur, inquit, duo vitia : nam neque dicendi ornamenta persequi debet theologus, ut in orationem suam rhetorum myrothecas et arculas effundat, quibus compta et decorata procedat oratio, velut ad pompam et speciem; nec tamen putide et absurde loqui. Non sit illi cura, plusquam necesse est, ut semper apta numeris dictio et modulata decurrat, sed ne salebras amet et sordes, et offensiones aurium. » *Prolog.*, cap. VIII, § 8. Quæ præcepta auctor aliis dedit, ipse prior opere complevit. Purum, elegans, et ad Tulliani et Maroniani eloquii normam exactum dicendi genus assumpsit, non fucata nec contorta, sed nativa ubertate profluens.

Ad opus hujuscemodi tum concipiendum, tum ad felicem exitum perducendum,

aiunt merito Car. Passaglia, qui felicioribus temporibus, novam editionem *Theologicorum dogmatum* Romæ adornare aggressus est, collatis studiis cum Clem. Schrader e Societate Jesu presbyteri: « Opus fuit viro qui humanioribus litteris emineret, cui Hebraica, Græca, Latina familiaria fuerint; qui chronologica, historica, hermeneutica, critica apprime calleret; qui scholam universam habuerit compertam, quique in Patribus et auctoribus ecclesiasticis evolvendis, enucleandis, illustrandis, prolixam et strenuam operam insumpserit. At quæ regio tantum dabit virum, qui universam in animo imbiberit encyclopædiam, quique in singulis ejus fere partibus palmam retulerit? Tantum nobis virum Gallia dedit, isque non alius est a Dionysio Petavio, » Societatis Jesu *Aquila* a coætaneis nuncupato, ecclesiasticarum decus et ornamentum scientiarum.

DE VARIIS THEOLOGICORUM DOGMATUM EDITIONIBUS.

Plures prodierunt, sæculo proxime elapso, præclari ejus operis editiones, seu auctore adhuc in vivis degente, seu vita defuncto. Duas tantummodo recensebimus, utpote cæteris præstantiores, sæpiusque prælis submissas. Prior prodiit Antwerpiæ Amstelodami, anno 1700, sex tomis in-folio absoluta. Hæc editio brevibus notulis aucta est Adriani Leclerc, sub ementito nomine Theophili Alethini. Harum notarum pars maxima virum rationalistam refert, ideoque vel refutandæ, vel explodendæ. Nonnullæ tamen reperiuntur vere utiles, et ab omni erroris labe immunes, quas retineri in hac nova editione opportunum duximus. Cæteroquin Amstelodamensis editio, tum chartæ, tum characterum nitore conspicua, perpauca habet menda, nobisque ad genuinum Petavii textum restituendum sæpe fuit utilis.

Novam editionem *Theologicorum dogmatum*, Venetiis, 1757, adornavit Franciscus Antonius Zacharias, e Societate Jesu presbyter, vir sane eruditus, ac in theologicis quæstionibus versatus. Notis Adriani Leclerc in universum repudiatis, novas concinnavit, necnon dissertationes plurimas, tum a se elucubratas, tum ab aliis mutuatas. Hæc editio meliori, quam præcedens, ordine materiarum est digesta, nonnullasque habet dissertationes ab aliis D. Petavii operibus depromptas, nonnullosque tractatus integros qui in Amstelodamensi editione desiderantur. Cæteroquin seu chartæ, seu characterum nitore longe inferior. Hanc editionem typis mandamus novis additamentis auctam et ornatam, de quibus nunc agendum.

Romæ anno 1857 nova prodire cœpit editio, typis sacræ congregationis de Propaganda fide, collatis studiis Car. Passaglia et Clem. Schrader e Societate Jesu, quamplurimis ex prolixis notis et appendicibus aucta et ornata. Tomus primus in lucem prodiit, cæteri desiderantur. Nonnullas notas hujus editionis retinuimus.

DE HAC NOVA EDITIONE.

1° In hac nova operis *Theologicorum dogmatum* editione, pro religione habuimus nihil omnino in textu Petaviano immutare, absque præcedentium editionum auctoritate, eumque non interrupta serie legendum lectori exhibere. Quapropter varias contulimus editiones, omnesque notas, quæ in textu intermixtæ, ejus seriem abrumpebant, ad ima paginarum loca relegavimus.

2° Breves notulas in marginibus ponendas nunc primum curavimus. Hæ notulæ, res quæ in quolibet paragrapho tractantur, indicant, et lectori investiganti persæpe sunt utiles.

3° Indicem generalem tum verborum, tum rerum, qui in omnibus præcedentibus desiderabatur editionibus, nunc primum adornavimus, et in fine tomi sexti et ultimi edendum curabimus. In hoc indice locupletissimo, et quantum fieri potuit, numeris omnibus absoluto, indicem particularem, quem ipse Petavius concinnavit, et duobus tomis *de Incarnatione*, velut coronidem, subjecit, quique nonnisi decurtatus et detruncatus in plerisque habetur editionibus, integrum reponimus; magno sane lectorum commodo. Videantur articuli *Christus*, vel *Maria*, et alii, ubi cuncta quæ de Christo et beata Virgine habet antiquitas in compendium redacta leguntur.

4° Auctor, qui Græcas litteras æque ac Latinas apprime callebat, phrases aliquas Græcas, seu saltem nonnullas voces, e quibus totius pericopes sensus dependet, Græco textu interserit, quin eas Latina interpretatione illustret. Harum phrasium seu vocum interpretationem Latinam in marginibus, et caractere italico distinctam edimus; aliquibus fortasse usui futuram, a cæteris facile prætermittendam.

5° Maximum sane auctor noster impendit studium in Patrum seligendis testimoniis, ne pro genuinis spuria vel dubia asscisceret. Sed in tanta farragine dubiorum, spuriorum fetuum, qui in antiquis editionibus sanctorum Patrum, quas in manibus solas habebat, cum genuinis intermixti jacent, supra erat hominis vires non aliquando esse deceptum, et potius admiratione dignum videbitur, auctorem nostrum non sæpius errasse, et in plerisque casibus, subodoratum esse, quod postea, magnis exantlatis laboribus, monachi Benedictini e congregatione sancti Mauri, aliique viri eruditi, lucem in hoc tenebroso chao præferentes, perfecerunt. Nos nonnulla loca, de quibus nullum olim dubium, et quæ nunc in controversiam vocantur, notavimus, de hisque monendum lectorem censuimus.

Cum hæc editio variorum auctorum notis sit illustranda, unicuique notæ subjicietur chirographum initialibus litteris, auctorem indicans cui sit tribuenda, scilicet T. AL. Theophilum Alethinum, seu Adrianum Leclerc; Z. Franciscum Antonium Zachariam auctorem editionis Venetianæ; E. R. Editores Romani; Car. Passaglia et Clem. Schrader; J. B. F.. Nostras referent. Si quæ aliæ edantur, integrum auctoris nomen retinebunt.

J. B. FOURNIALS CAN. HON. ALBIENSIS.

FRANCISCI ANTONII

ZACHARIÆ

SOCIETATIS JESU

IN THEOLOGICORUM DOGMATUM EDITIONEM VENETIANAM

PRÆFATIO.

Theologica Dogmata a Dionysio Petavio, viro Societatis nostræ longe doctissimo, explicata ea sunt apud omnes celebritate, ut quo sæpius in lucem eduntur, eo providentius theologicis scholis, atque adeo christianæ reipublicæ consulatur. Quare mirabitur nemo, decennio ab extrema Veneta editione vix præterlapso, novam hanc ab Joanne Baptista Remondio adornari. Quanquam vere ut dicam isthæc *Petavianorum Dogmatum* editio *prima* jure appellabitur. Ex quo Joannes Clericus An. MDCC. *Theologica Petavii Dogmata* divulgavit Antwerpiæ, atque adeo Amstelodami, qui illa deinceps typorum formis excuderunt, Clerici exemplar religiose exscribendum sibi duxerunt; neque (quod tamen et oppido fuerat necessarium, et deprehensu facillimum) animadverterunt, non solum prætermissa fuisse tum a Clerico theologica aliquot Petavii opuscula, quæ quod illorum copia editori cæteroqui diligenti non fuerat, tribus post annis in tertium *de Doctrina temporum* volumen iisdem Amstelodamensibus typis expressum illata fuere; sed etiam quæ collecta primum fuerant, non satis apte, suoque loco fuisse distributa. Quare ut curam novæ hujus editionis suscepi (suscepi autem libentissime tum ut amicissimo typographo satisfacerem, tum ut publicæ utilitati luculentius prospicerem) nihil eorum omisi, quæ si ad eam accederent, cæteris, quas hactenus vidimus, omnibus multo præstantior prodiret illa in lucem, optabiliorque. Itaque non ea solum Petavii opuscula, quæ Clericus, uti nuper dixi, tertio addidit volumini præclarissimi operis *de Doctrina temporum*, hic typis describi jussi, sed et pauca alia ex eruditissimis ipsius Petavii in sancti Epiphanii, ac Synesii libros animadversionibus prompta, quæ ad *Theologica Dogmata*, resque in illis explicatas maxime pertinerent: tum omnia suis in locis collocari, imo novum quemdam aptioremque, quam quo editi ante nos sunt, tractatibus hisce ordinem tribui; qua in re ex iis, quæ anonymus auctor XXXVII *Niceronianæ* collectionis volumine, pag. 166 et 167, animadvertit, aliquid profecisse me non negavero. Aliqua præterea, quæ Petavii nomen, resque ab eo gestas, atque

Dogmata Theologica propius attingunt, litterariæ historiæ cultoribus non injucunda illa quidem, in fronte primi hujus voluminis ut ederentur, curavi; elogium nempe Petavii ex Sotuelli Bibliotheca scriptorum Societatis nostræ cum adnotationibus meis; catalogum librorum omnium ab eodem Petavio editorum ex Niceronio, aliisque; clarissimorum virorum de Petavio, ejusque lucubrationibus testimonia quædam a me collecta; observationem demum de *Tractatibus theologicis* cardinalis Augustini Oregii, auctore P. Oudin Societatis nostræ, ex actis Lipsiensibus an. 1718, p. 491 et seq. Utinam quos Petavius *de Sacramentis, de Legibus, de Gratia, de Fide, Spe, Charitate, ac Virtutibus, deque Peccato* scribere morte prohibitus fuit, magno sane theologicæ rei detrimento, tractatus quinque, iisque ego lucubrandis fuissem! Absolvendi operis hujusce provincia delata post Petavii obitum a nostris Patribus primum fuerat P. Gabrieli Cossartio, Guidone Patino teste in epistola quadam XIII kal. januarias an. 1652 perscripta; hic tamen perficiendæ Labbeanæ Conciliorum collectionis cura valde distentus dum vixit, operi illi sane gravissimo manum admovere vix potuit. Deinde qui hoc aggrederetur, aptissimus visus est (quod ex Simonio in criticis ad *Dupinii bibliothecam* animadversionibus, et in primo epistolarum volumine editionis an. 1730 Niceronius narrat, p. 181) Petrus Josephus Cancelius; cui socium additum fuisse P. Harduinum sunt qui perhibeant (V. *Nouvelles de la République des lettres,* décembre 1684, art. 1). Verum ille infirma nimium utebatur valetudine; qua de causa brevi extinctus est; hic vero non eo erat ingenio, ut alienis vellet vestigiis insistere, alterive in ineunda studiorum ratione subesse. Tellerium quoque in eam curam aliquando incubuisse, ut extrema tanti operis persequeretur, deque pœnitentia aliqua commentatum fuisse legi. Romæ tandem P. Antonius Casinus, vir magna eruditione nuper et ipse demortuus ante aliquot annos, animum ad absolutionem *Theologicorum dogmatum* adjecerat. Quod ex *Ephemerid. Litteratorum Italiæ* tomo XXXVIII, part. 1, pag. 45, didicimus. At neuter, nescio quo fato, in incœpto diu perstitit. Quid ego facerem, qui ab istorum præstantissimorum hominum ingenio, doctrinaque longissime absum? Sed vere illud dictum a celeberrimo Ludovico Thomassino in præfatione ad suum *de Verbi divini Incarnatione* volumen : *Tantæ molis operis excogitando, adoriundo, perpoliendo, profligando, unum parem fuisse Petavium.* Quod unum igitur neque a studiis meis, neque ab hac mea mediocritate multum abhorrebat, Prolegomenis, quæ in primo volumine excusa sunt, ex CL. V. Joannis Baptistæ Faure, *Apparatu theologico* Romæ primum, tum ex eodem hoc ipso Remondiniano typographio Venetiis in lucem emisso, Pontificum Patrum, conciliorum, hæreticorumque indiculum subjeci, additis locis, in quibus de illis a Petavio agitur. Aliquot præterea tum meas, tum aliorum doctissimorum virorum, Casini scilicet, Tournemini, atque Airolii dissertationes addidi, quibus vel omissa a Petavio supplerentur, vel tractata post novas eruditissimorum hominum curas reformarentur. Adnotationes denique identidem adjeci, quibus nonnullos Petavii locos vindicavi, illustravi plurimos. Erant fortasse, qui Clerici adnotationes quererentur hic desiderari. Et nonnullas fortasse adjicere poteram, sed plerasque necessum fuisset omittere, ut quæ heterodoxis erroribus scatent. Confutare autem illas alterius temporis erit integro libro, qui *Petaviana appendix* inscribi poterit. Faxit Deus, ut hoc quidquid est laboris nostri, non inutile Ecclesiæ suæ sit; Romanæ, inquam, Ecclesiæ, ad quam *propter potiorem principalitatem* (ut Iræneus scribebat, lib. III, *Adversus hæreses*, cap. III); *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab apostolis traditio.*

R. P. DIONYSII PETAVII

ELOGIUM

EX BIBLIOTHECA SCRIPTORUM SOCIETATIS JESU A P. SOTUELLO AUCTA, CUM

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ

EJUSDEM SOCIETATIS, ADNOTATIONIBUS.

Dionysius Petavius natione Gallus, patria Aurelianensis (1), ingressus in Societatem anno 1605 (2), ætatis vigesimo secundo. Vir, ut ejus ostendunt opera, ingenio maximo, judicio acerrimo, excellenti memoria, omnium fere rerum scientia excultus; omnibus ad hæc sua modestia, affabilitate, morum innocentia charus. Rhetoricam Parisiis (3) maximo omnium concursu professus est annis XI (4), sacras Litteras ibidem interpretatus est annis XXIV (5). Solemni IV votorum nuncupatione obstrictus ab anno 1618. Vir plane eximius, sive doctrinam, sive virtutem spectes, et inter prima Societatis lumina merito recensendus. A puero litteras sic adamavit, ut dies integros in evolvendis libris transegerit (6), et vix decimum ætatis annum attigerat, cum carmina mira facilitate pangeret. Adultior non otium, non ludos cæterorum more quæsivit, sed secessum (7) ut se totum in studia abderet, nec quidquam in severioribus disciplinis reconditum, quod ille non penetraverit (8). Hinc in omni scientiarum genere libros adeo eruditos publici juris fecit, ut ex omnibus prope regnis ab eruditis consultus fuerit (9). Hinc Philippus IV, rex Hispaniæ, eum ad Academiam novam a se Matriti erectam (10); Urbanus VIII (11) Romam non semel invitarunt; sed impedivit utrumque rex christianissimus Ludovicus XIII, non ferens regnum suum tanto viro privari. Actum etiam certo est sub Urbano VIII (12), de eo inter purpuratos Patres cooptando, sed ea fuit humilitate vir plenus Deo, ut propterea profectionem Romam, quantum potuit, semper defugerit (13). Cum hac tanta præcellentia doctrinæ ita conjunxit splendorem virtutum, ut merito dubites, sanctiorne an doctior fuerit. Pietatem illius nemo non mirabatur (14), cum viderent ipsum tot inter negotia atque studia, nihil de solitis pietatis officiis remittere; ad stata orandi tempora confestim alia omnia seponere; et solitum dicere, malle se omnis doctrinæ jacturam facere, quam vel semel examen conscientiæ quotidianum, vel quid simile omittere. Tenerrimo amore ferebatur in beatissimam Virginem, tanquam Matrem suam, et singulari veneratione erga sanctissimam Eucharistiam, quam hora

solita singulis diebus, non ad brevem horam, sed ad longum tempus invisebat. Societatis institutum amabat unice (15), et enituit in eo semper eximium religiosæ disciplinæ, paupertatis, obedientiæ, modestiæ, silentii, cæterarumque virtutum studium. In omnes alios mirifice amabilis (16), in se unum severus, atque immitis, flagris adeo in corpus suum sæviebat, ut ad vulnerum medelam chirurgicorum opem implorare non raro habuerit necesse. Hanc tam exaggeratam virtutem viri volens Deus tanquam aurum in igne adhuc probare magis, et perficere in camino infirmitatis, permisit illum variis morborum generibus cruciari, et doloribus acerrimis torqueri (17), ut coactus fuerit subinde prorumpere in eas voces : *Circumdederunt me dolores mortis.* Et cum aliquando de acerbitate dolorum amanter quasi expostularet ad Dominum, inaudisse fertur cœlitus hanc vocem : *Tu de me cogitas, ut homo : Ego de te cogito, ut Deus.* Unde mox discussæ tenebræ, et de sævitia dolorum remiserunt morbi. Adstantes lecto non cessavit verbis et exemplis accendere ad amorem Dei, et ad amorem instituti nostri, quod gaudebat se relinquere illibatum, sicut Tiro repererat. Denique omnibus rite communitus sacramentis in corona fratrum septuagenarius piam efflavit animam (18) Parisiis (19), die 11 decembris (20), anno 1652. Scripsit plurima, quæ sequuntur, servato ordine, quo lucem aspexere.

ADNOTATIONES.

(1) Hieronymi filius, Pauli celeberrimi viri abnepos, natus est 21 augusti an. 1583.

(2) 15 junii. Petavius cum hypodiaconatus ordine, tum canonicatus in principe Aurelianensis urbis Ecclesia munere atque officio (quod jam pridem instituerat) ecclesiastico statui adstrinxerat sese. Nondum autem viderat Jesuitas ; hi enim Aurelianis in ejus patria urbe, anno tantum 1617, sedem ac domicilium collocarunt ; Parisiis vero exulabant. Bituricensi tandem commoratione, de qua paulo post dicturi sumus, occasionem habuit Societatis nostræ homines observandi, genusque institutorum suorum perspiciendi, planeque noscendi. Placuit adolescenti Petavio ea vitæ ratio. Subcrescens hoc Petavii in Jesuitas studium foverunt maxime, auxeruntque graves Josephi Scaligeri, sectariorumque cum illis inimicitiæ : neque id mirum ; incredibile enim dictu est, quanto istiusmodi homines et Scaligerum maxime odio prosequeretur Petavius, cujus quidem odii causas enarrabimus alias opportunius. Parisios deinde rediit Petavius ; ibique Frontonem Ducæum, cujus doctrinam Jesuitis infensissimus quisque suspexit semper, prædicavitque, cum reperisset, dedit se in ejus consuetudinem sic, ut de ingredienda societate cum illo deliberaret. Ducæi igitur consiliis factum est, ut Petavius quid ab eo supremum numen exposceret, plane intelligeret. Tum enim vero posthabitis rebus omnibus, confractisque, quibus colligabatur maxime, vinculis, Nanceium advolavit, Societati nomen daturus.

(3) Post tyrocinii biennium, biennio item in Mussipontano collegio, quod tum florebat maxime, theologiam audiit ; deinde tribus annis Rhemis, Flexiæ item tribus annis rhetoricam

docuit; anno vero 1616, Parisios concessit, historicum Nicephori Constantinopolitani patriarchæ compendium typis paraturus; inde, cum qui ex nostris Flexiæ sacra Biblia interpretabatur, ab hoc munere discessisset, vertente qui consecutus est, anno 1617, huc iterum evocatus Petavius fuit, ut mensibus, qui reliqui erant scholasticarum exercitationum, Scripturarum volumen eruditis auditoribus explanaret. His autem elapsis mensibus, Parisios rediit rhetoricam artem traditurus, quam et ibi professus est ad mensem octobrem anni 1621.

(4) Docuit quidem annis XI rhetoricam Petavius, non tamen Parisiis; nam ut ex iis constat, quæ paulo antea diximus, quatuor tantum annis Parisienses præclaræ illius facultatis præceptis instituit.

(5) Leg. annis XXII et aliquot mensibus. Nam sub festa Paschalia an. 1644, datus est illi in theologica cathedra successor P. Vavassor. Octobri autem mense an. 1621, ut diximus, Theologiæ professor renuntiatus est. In Parisiensi collegio ab an. 1623 præfectus fuerat bibliothecæ; hoc in munere, dimissa theologica schola, perseveravit.

(6) Multum debet Petavius Hieronymi patris sui institutioni; hic enim in educandis liberis suis multum operæ collocavit; quo factum est, ut non mares modo, quos sex omnino ex uxore susceperat, sed et puellæ duæ Latinam, Græcamque linguam callerent, atque utroque idiomate carmina pangerent. Dionysium vero nostrum secundo loco natum, quod ad studia excolenda naturam habebat præ cæteris omnibus eximiam atque illustrem, pater diligentius curabat, instituebatque. Felicem enim vero, fortunatumque patrem. Nam filius parentis optimi studiis respondere satagebat eo fructu, ut tenellus ferme puer in liberalibus ac mathematicis artibus processus sane admirabiles efficeret, annumque agens septimum et decimum ex Philosophia, quam biennio audierat, selectas theses Græce propugnarit; cum autem annos haberet decem et novem, in Bituricensi academia ejusdem philosophicæ facultatis professor fuerit designatus, in eoque munere duobus, qui consecuti sunt, annis, magna fuerit cum laude versatus.

(7) Post philosophica studia, ad theologica se convertit Petavius; hisque biennio navavit operam sub celeberrimorum virorum Andreæ Duvallis, Philippi Gamachæi, et Nicolai Ysamberti civis sui disciplina. Memoriæ autem proditum est, Petavio unum hoc fuisse, si quando studio intermitteret, oblectamenti genus, Regiam Parisiensem Bibliothecam adire, ac veteres, qui ibi magno numero sunt, Græcos Latinosque codices versare. Sedulus autem temporis custos fuit, ut scriberet ep. 31, l. 3: « Ego nullam in istis carminibus pangendis serii temporis particulam colloco, sed eundo, redeundo, ambulando per urbem, per ædes, inter cœnandum, noctu, reliquis successivis horarum momentis, raptim illa meditari soleo. »

(8) Antequam Petavii studia relinquamus, ut aliquo saltem pacto Bailleto fiat satis, qui ad rectam puerorum institutionem, quam in studiis suis Petavius secutus est, rationem exstare cupiebat, non omittam id in more habuisse virum diligentissimum, ut si quid in adversaria referret, non tumultuarie illa, aut paucis adnotaret, sed plane digereret, et uberiore stylo describeret. Quamobrem ubi librum aliquem aggrederetur, ad scribendum materiem in promptu habebat. Auctor vitæ Petavii apud Niceronium (p. 187) seu clariss. P. Oudinus noster, ex inedita Vavassoris ad Petavium epistola id ducit; scribit enim Vavassor de libro, quem de pœnitentia publica ediderat Petavius: *Hunc librum rivuli instar puto unius de millibus, quos ex fonte illo tuo excerptorum derivare, dum lubeat, liceat.* Addo ex historia Bibliothecæ Fabricianæ, quam Joannes Fabricius contexuit (T. 1, p. 83) consuevisse Petavium quotannis: *repetere Jo. Despauterii grammaticam, ne quid ipsi excideret contra regulas grammaticæ.*

(9) Ut cætera deessent, testantur id plures ex ejus epistolis. Adhuc adolescens cum Isaaco

Casaubono, quem Henricus IV Parisios advocaverat, amicitiam inierat, ac litterarum commercium. Vide Casauboni epistolas 1028, 1034, 1038, 1044, 1105. Bignonio autem, et Grotio quem plurimi faciebat, conjunctissimus fuit. Gassendus quoque in litteris ad Christophorum Scheinerum 13 april. 1632, datis apud Niceronium p. 131, gloriatur cum *eruditissimo Petavio consuetudinem sibi intercessisse.* Dignum etiam est, quod in hanc rem describatur, fragmentum epistolæ Guillelmi Prousteau, celeberrimi Aurelianis professoris, 17 octobris an. 1713, ad nuper memoratum auctorem vitæ Petavii a Niceronio in suam monumentorum collectionem inlatæ p. 188. *On disoit que sa simplicité et sa modestie parurent admirables en* 1645. *Lorsque le roi de Pologne envoya cette ambassade si solennelle pour demander en mariage la princesse Marie, de la maison de Mantoue, comme s'il n'y avoit point eu pour eux rien de plus digne d'être vu en France, que le P. Petau, tous ces ambassadeurs, gens des plus illustres pour leur naissance et pour leur doctrine, vinrent au collége de Clermont et, en entrant dans la cour, crièrent :* Volumus videre clarissimum Petavium; *le P. Petau enseignoit lors une leçon de théologie : il parut avec son porte-feuille sous son bras, et répondit à leurs compliments latins avec son éloquence ordinaire.*

(10) Scripsit ea de re Philippus rex ad Mutium Vitellescum, Societatis præpositum generalem, ac tanto quidem ardore ac studio, ut ad christianissimum regem, si necessarium videretur litteras quoque daturum se affirmaret. Non tamen catholici regis desideriis cedendum putavit Mutius Vitellescus, antequam Petavium certiorem faceret, ejusque de tota re sententiam ac voluntatem cognosceret. Monuit tamen illum, ac prope modum imperavit, ut nisi insuperabilis quædam difficultas esset, eo proficisceretur. Discimus id ex Petavii epistola ad Heribertum Rosweidum, quæ 26 est lib. III ejus epistolarum. Ad illas generalis sui litteras rescripsit Petavius, sibi cur eam provinciam defugeret ac detrectaret, rationem esse ejusmodi, quod neque ab ingenio satis et a corporis viribus nullo modo paratus esset ut vel tam infinitæ de se expectationi satisfaceret, vel peregrinationi illi, commorationique tolerandæ idoneus esse posset; se tamen quidquid de ipso decerneret Paternitas sua, tanquam divinitus editura oraculum, animo libenti promptoque suscepturum, et impigre conaturum exequi. Exstat etiamnum hæc Petavii epistola lib. eodem III epistolarum, num. 49. Vitellescus rationes a Petavio expositas ejus generis esse duxit, ut e Galliis sine piaculo dimoveri non posset. Quamobrem ab illa mente destitit Philippi regis voluntati satisfaciendi. Franciscus de Macedo Lusitanus, is, qui ab Jesuitis deinde ad RR. PP. Minores secessit, aptissimus visus est, qui pro Petavio Matritum mitteretur. Ubi hæc retulit, qui in Niceroniana collectione vitam Petavii scripsit, eruditus certe auctor, narrationem suam concludit his verbis, p. 114 : *Si le Père Petau avoit eu plus de santé, il étoit perdu pour la France et pour la littérature. Qu'auroit-il pu faire dans un pays où l'on ne trouvoit ni livres, excepté ceux qu'un sçavant ne doit pas lire, ni ouvriers qui sussent imprimer deux mots de latin ; et où la formalité soumet les écrits à la censure de gens incapables de les entendre, et dès là intéressés à les supprimer?* Videant Hispani, num hæc intemperantius dicta sint.

(11) Qua in re usus est Vitellesci hortatoriis litteris, quibus tamen quale responsum dederit Petavius, habes III ejus epist. libri epist. 53. Hispanus quidam ex nostris scriptor in historico Petavii elogio ait Petavium Romam aliquando fuisse profectum, ut generali congregationi interesset. At narrationem hanc falsitatis arguit ipsa illa Petavii ad Vitellescum epistola, in qua causas exponit, quibus a Romano itinere deterrebatur. Illud quidem verum est an. 1645 Petavium unum fuisse ex iis tribus Patribus, quos Parisiensis provincia constituerat Romam profecturos. Sed iter illud Petavius nunquam suscepit. Quamobrem honorata tantum electio

illa fuit, qua suam de Petavio sententiam, dignam sane ejus pietate, prudentia, ac doctrina Provincia illa significavit.

(12) Idem in schedis D. Massuau canonici Aurelianensis, atque in manuscriptis monumentis D. de la Mare Salmasio amicissimi, quem propterea nemo credat hæc confinxisse, ut Petavium ornaret, invenisse se affirmat sæpius a me laudatus Anonymus auctor vitæ Petavii a Niceronio editæ p. 135.

(13) Mirandum magis, quod nuper citatus auctor in Niceronianis monumentis editus narrat p. 135. Petavium ex iis de amplissima Cardinalatus dignitate sibi a Pontifice impertienda rumoribus tantum percepisse mœrorem, ut in morbum gravem ac periculosum incideret.

(14) Huc spectat quod in epistola alias citata scribebat Guillelmus Prousteau, celeberrimus Aurelianis juris professor, vita functus 15 martii 1715. *J'étois*, ait ille, *pensionnaire au collége de Clermont en 1649, durant et après le blocus de Paris, et j'étois de la Congrégation des pensionnaires, dont le P. Petau avoit la conduite; cela me donnoit lieu de le voir quelquefois, et d'être présent aux exhortations qu'il faisoit aux pensionnaires congréganistes. Ce saint homme (on peut le qualifier ainsi) nous recommandoit toujours la lecture de Granada; c'étoit son Père favori, où il avoit puisé une dévotion angélique. On eût dit qu'il sçavoit tout le bien, et qu'il ne sçavoit point de mal.* Hactenus ille. Joannes vero Fabricius in historia Bibliothecæ Fabricianæ Petavium appellat *virum æque sanctum, ac doctum.*

(15) Fuit tamen scribillator sane miser æque atque impudens, qui hanc fabellam prodiderit. vi, additisque, nisi pareret, minis ejectionis e Societate, a moderatoribus suis adactum Petavium ut quæ *de Prædestinatione*, t. I, *de Deo*, lib. IX, disseruerat, confutaret ipse, obtemperasse illis Petavium; causam vero obedientiæ suæ hanc afferre ipsum consuevisse amicis : *Je suis trop vieux pour déménager.* De hac fabula iterum agendum mihi erit, in animadversionibus ad ejusdem t. I decimum librum. Interea aio Petavium vere illud aliquando usurpasse : *Je suis, etc.*, quo nimirum tempore Romam accersitus fuit; at seu collegii Parisiensis, seu provinciæ item Parisiensis, seu demum Societatis universæ præsides expulsionem e Societate Petavio indixissent unquam, viro scilicet, cujus eruditionem demirabatur Europa universa, quem Galliarum rex, regnique proceres summum nationis suæ ornamentum habebant; quem Urbanus VIII in cardinalium numerum cooptare decreverat; improvidus, et credulus omnino sit oportet, qui sibi persuadere possit. Neque major illis habenda fides est, qui Petavium scripsere bis de Societate dimittenda cogitasse, quod diutius in tradenda rhetorica arte detineretur, quodque Sirmondi, a quo sale facetiisque superaretur in familiari sermone, cubiculum majori, quam suum, hominum frequentia celebrari animadverteret. Similia nempe de celeberrimo Mabillonio prodita sunt a maleferiatis hominibus. Sed quod ad Petavium spectat, si in animum ille induxisset suum, Societati valedicere, facili id negotio consequi potuisset. Cum enim post Biblicas prælectiones, quas Flexiæ habuerat, iterum rhetoricam tradere jussus est, nondum se solemni IV votorum professione Societati devinxerat; ubi vero Urbanus VIII cardinalitia illum dignitate insignire proposuit, ostium reserari sibi Petavius censuit, unde ipsi non sine magno certe nominis sui splendore exitus e Societate patebat. Cur ergo Romanum iter defugit? Cur præclarissimam dignitatem aversatus est? Cur nullum non lapidem movit, ut in Galliis, et Societate mori sibi liceret? Quæ vero duæ causæ afferuntur, cur Petavius deserere Societatem voluerit, earum altera falsa est, altera etiam ridicula. Nam docendæ rhetorices munus id erat, quo facillime ac plane lubenti animo fungeretur Petavius, neque aliud invenies, quod ejus studiis aptius conveniret, dum Frontoni Ducæo amico suo, ac magistro, viro omnis

variæ eruditionis, qui tradendarum theologicarum disciplinarum cursum ingressus fuerat, sufficeretur. Nihil porro magis a vero, atque a Petavii moribus, quam invidentia illa propter frequentiam amicorum, qua ornabatur Sirmondus. Qui enim Sirmondo, iidem Petavio amici erant : si qua autem de re questus est Petavius, una hac fuit, litterarum et amicorum assiduitate, quam ii solum optent, qui tempus in nugis terere consueverunt.

(16) Modo hæretici non essent, quos aiebat ille a se haud aliter haberi, ac Turcæ ab equitibus Melitensibus. Audi quid ex epistola quadam Ill. Huetii Abrincensis episcopi recitet hanc in rem Niceronianus auctor vitæ Petavii p. 174 : *Il me souvient que, comme Isaac Vossius me faisoit le dénombrement des gens sçavans qu'il avoit connus en France, j'étois étonné qu'il ne me parlât pas du P. Petau. Je lui en demandai la raison. Il me répondit en son langage wallon qu'il ne l'avoit pas cultivé, parce qu'il étoit trop morose. Il est vrai que le P. Petau ne se rendoit pas gracieux à ces protestans étrangers qui le venoient voir, parce que, à ce que je lui ai souvent ouï dire, il ne vouloit point de commerce avec les hérétiques. Il faut avouer, néanmoins, qu'il étoit naturellement austère. Pour moi je n'ai trouvé que facilité et ineffabilité en lui.* Idem Huetius in suis Huetianis Parisiis editis an. 1722, p. 118, narrat Petavium de sua in Scaligerum malevolentia ab ipso reprehensum respondisse, merito succensere se homini, qui a Romana Ecclesia descivisset. Nimirum non ignorabat vir in Patrum lectione apprime versatus, Gregorium Nazianzenum, et Cyrillum in Julianum, aliosque Patres in apostatas inclementer egisse. Quod autem addit Huetius, aliam fortasse Petaviani in Scaligerum odii causam fuisse, quod nimirum hic Serarium, Clavium, Martinum del Rio, cæterosque ex Jesuitis plures virulento stylo proscidisset, divinando dictum est. Aliam ipse afferam ex Niceronio, p. 82, longe verisimillimam. Cum Aurelianensis urbs ad Calvinianas partes pleraque transfugisset, Hieronymus Petavius nostri pater consanguineorum amicorumque exemplis, suasionibusque ferme devictus de catholica deserenda fide cogitabat; cum in vetere, quæ Christi est, religione, re quadam, quæ miraculo similis fuit, confirmatus est. Dum noctu dormit, tectum domus repente concidit; Hieronymus vero Deo sancte promittit, si e tanto vitæ discrimine evaderet, nullam sibi deinceps futuram cum novatoribus communionem. Voti compos factus est. Jacuit enim ille diu ea ruina oppressus; dum autem ab amicis et consanguineis collacrymantibus cadaver ipsius diligentius quæreretur (nam interiisse illum omnium sententia fuit), emersit tandem incolumis, ac ne leviter quidem vulneratus. Tum enimvero Hieronymus non modo avitam ipse religionem retinere ac tueri, sed nihil etiam eorum omittere, quibus nostræ fidei amorem, heterodoxarum novitatum odium filiis instillaret. Dionysio autem nostro illud sæpe inculcare solitus fuit, omnia ipsi comparanda doctrinæ præsidia; ut cum allophylorum gigante (hoc nomine compellabat Scaligerum magnæ inter protestantes existimationis) congredi aliquando posset, eumque prosternere. Hæc simultatum causa, quas Dionysius cum Scaligero habuit maximas. Cæterum Isaacum Casaubonum amavit ille Parisiis degentem, *sæpe enim* (Frontonis Ducæi verbis utor) *professus erat, se de sanctissimi Eucharistiæ sacramenti veritate cum Ecclesia Romana sentire, et fidem dederat se Calvinianis erroribus nuntium proximis feriis Pentecostes remissurum.* At ab Jacobo I in Angliam revocatus, Casaubonus in hæresi permansit. *Nimirum aliquando* (quod ibid. a Ducæo scriptum) *et cœlum et animum mutant, qui trans mare currunt.* Tum autem Petavius se a Casauboni amicitia sejunxit. Hugoni quidem Grotio amicus fuit semper Petavius, sed nimirum ipsum animo tenus nobiscum catholicis sentire putabat Petavius. In Menagianis proditum est, Grotium auctore Petavio Sveticum iter suscepisse, legationis suæ rationem redditurum, sponsione facta etiam Bignonio remeandi deinde Parisios, catholicamque fidem profitendi. At in itinere decessit. Quam ejus mortem Brietius in *Annalibus* referens ad annum 1645,

scripsit in hanc sententiam : *Obiit hoc anno litteratorum decus et gloria, Hugo Grotius, cui inter catholicos moriendi voluntas non defuit, sed facultas. Is enim illam ipsam, quam tenemus animo* (ut mihi fassus est) *profitebatur fidem.* Sed et ex Grotii editis libris constat ipsum aliquot ante obitum annis Reformatorum errores ejurasse, an. 1641, in libro de *Antichristo*, eorum *Palladium* (ut Salmasii ob hanc rem de Grotio querentis utar verbis) eripuit ipsis, stultam nempe persuasionem, quam egregie confutavit, Papam esse Antichristum. Quid autem (ut notatum est ab Antonio Arnaldo, ep. 432) protestantibus magis contrarium, quam quod in opere posthumo, cujus hic titulus : *Rivetani Apologetici discussio, scriptum a Grotio legimus, sine tali primatu* (Petri) *exiri e controversiis non poterat : Sicut hodie apud protestantes nulla est ratio, qua ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur finis. Et hic primatus post apostolos mansit in fide Romana.* Sensere protestantes quo ista spectarent, ac ne Grotii nomen ipsorum res prosterneret, Salmasium homini vita functo opposuerunt, qui sub ficto *Simplicii Verini* nomine libros duos Renaudotii sententia mendaces edidit, alterum inscriptum *Judicium de libro posthumo H. Grotii,* alterum de *transsubstantiatione, contra H. Grotium.* Quamobrem miretur nemo (quod plures tradunt) Petavium, ut amici mortem accepit, sacrum pro expianda ipsius anima fecisse. Mirandum potius fuisse qui scripto vel sermone dissiparent, hominem hæreticis infensissimum, Petavium dico, assentiri illorum opinioni, qui Petrum ac Paulum duo Ecclesiæ fuisse capita defenderent. Fuere tamen, eoque tempore, quo de illa sententia prorsus inepta absurdaque damnanda Romæ agebatur. Purgavit autem se Petavius Terentio Alciato Societatis nostræ eruditissimo viro, ac sanctæ Romanæ Inquisitionis, ut aiunt, Qualificatori per litteras, quæ etiamnum extant, lib. III, *Ep.* epist. 62.

(17) A pluribus annis cum adversa valetudine conflictatus fuerat Petavius ; sed maio mense anni 1651, gravi morbo correptus est, quem ipse, epist. 95, lib. III, et in carmine *Ad sanctam Genovefam Urbis Patronam*, iis coloribus pinxit, ut qui legerit, vix temperare possit a lacrymis.

(18) Illud hic memorandum, quod ad pietatem Petavii ostendendam maxime facit, proximo, antequam moreretur, die, Guidonem Patinum ad ejus lectum accessisse, mortemque illi brevi adfuturam prænuntiasse ; tum gaudio exsilientem Petavium, sui *Rationarii temporum* exemplum unum, calamumque ut sibi adferretur rogasse, inscriptoque primæ libri paginæ hoc titulo *Guidoni Patino medico charissimo* munusculum obtulisse medico verbis istis, *debeo evangelica*, donum scilicet pro fausto nuntio.

(19) Ad patriam urbem medicorum suasu concesserat, unde et epistolam dedit quam not. 17, indicavimus, lib. III, epist. 95. Verum cum adeo nullum sentiret e patrio climate beneficium, ut potius gravius ægrotaret, Parisios rediit, ubi vitam cum morte commutavit.

(20) Labbeum arguit Bœlius in Diction. quod *Chron. Franc.*, t. V, p. 894, scripserit, Petavium XI novembris die decessisse. Verum typographo qui novembrem pro decembri ediderat, error hic facile tribuatur. At qui excusabimus Bœlium scribentem tredecim post Salmasium heddomadis Petavium vivis fuisse sublatum, cum Salmasius 3 septembris consequentis anni 1653 obierit ? Sunt qui Petavium 12 decembris an. 1652 denatum scribant. Facile hos cum Sotuello concilies, cum 11 decembris hora noctis ferme duodecima e vita migrarit. Vixerat annos LXIX, menses III, dies XX. Germanus Bricius in descriptione Parisiensis urbis duo peccavit, cum Petavium scripsit kalendis decembris obiisse, et annos quidem natum XCII.

VIRORUM ILLUSTRIUM

DE PETAVIO TESTIMONIA

ALIQUOT

A FRANCISCO ANTONIO ZACHARIA S. J.

COLLECTA.

GUILLEMUS PROUSTEAU.

(*In epistolâ ad auctorem vitæ* Petavii, t. XXXVII, Nicer. *collect. editæ.*)

« Le P. Petau est encore présent à mon esprit; j'en ai une si vive idée, que si j'étois bon peintre, il me semble qu'il ne m'échapperoit pas. Il avoit un front grand et large, qui avançoit sur le visage, et qui montroit contenir deux fois plus de cervelle qu'un autre. Je le suis allé voir quelquefois, et il avoit la complaisance de descendre pour un écolier ; mais il eût fait deux tours de salle sans parler après le bonjour donné, si on ne le mettoit sur quelques matières de science ou de dévotion. Feu M. Toynard, si savant en l'écriture et en la chronologie, disoit du P. Petau, qu'il étoit capable de remplir le monde de livres originaux en toutes sciences. »

DUPINIUS.

(*In Biblioth. script. eccles. sæc.* XVI, t. II.)

« On ne peut nier que ce savant Jésuite n'eût un génie très-étendu, et très-vaste, une lecture surprenante, une facilité merveilleuse à écrire, particulièrement en latin. Il a excellé également dans les belles-lettres, dans la science des langues, dans la poésie, dans l'astronomie, dans la géographie, dans la chronologie, dans l'histoire, et dans la théologie. Il est rare de trouver un auteur, qui ait tant sçu de choses, qui ait tant travaillé sur différentes matières, et qui ait réussi en tout genre, etc. »

SIMONIUS.

(*In Critica Dupinii*, l. V, c. 2.)

« Le Bibliothécaire a rendu justice au docte P. Petau, quand il lui a donné un des premiers rangs parmi les auteurs illustres du XVIIe siècle ; j'ose même dire qu'il est au-dessus de tous, tant pour la rare érudition, que pour le choix des ouvrages qu'il a composés, etc. »

JOSEPHUS OLIVETUS.

(*In præf. ad* t. I *Operum Ciceronis*, p. 14.)

« Dionysius Petavius, Aurelianensis, e Societate Jesu..... vir ultra humanam sortem eruditus. »

G. J. VOSSIUS.

« Dionysius Petavius permulta post Scaligerum optime observavit. Sed nolim judicium interponere inter eos, quorum uterque præclare adeo de chronologia meritus est, ut nullis plus hæc scientia debeat. »

ALEXANDER MORUS.

(*In præf. ad Scaligeri Thesaurum temporum.*)

« Eum (Petavium) inter principes chronologos non illibenter putamus, et versatile hominis ingenium, eruditionem sane multijugam, et bene latinum, ac rotundum eloquii genus complectimur, eumque adeo magis interdum, quam Scaligerum sequimur. »

EM. NORISIUS.

(*Dis. de Vot. decenn.* c. 6.)

« Petavius, vir omnium diligentissimus, cui in rebus chronologicis nemo par aut secundus hoc sæculo opponatur. »

JOANNES CLERICUS.

(*In Com. hist. Univ. Amstel.* 1698.)

« Petavius accuratissimus chronologorum. »

J. A. FABRICIUS.

« Multa post Scaligerum præclare observavit acerbus nimis ejus insectator Dionysius Petavius in immortali de *Doctrina temporum opere.* »

PETRUS LUDOVICUS DANES.

(*In Generali Temporum notione*, Ven. edit. 1733, p. 67.)

« Dionysius Petavius, Aurelianensis, S. J. vir, omni ex parte doctissimus, et chronologorum antesignanus. »

VEN. CARD. JOSEPHUS MARIA THOMASIUS.

« Petavius optime de Patrum est Theologia meritus, grandi illo opere *Dogmatum theologicorum.* »

CARD. NORISIUS.

« Dionysius Petavius in doctrina Patrum versatissimus, insignis theologus. »

HUETIUS, APUD NICER, p. 180.

« Toutes les écoles de Théologie de la chrétienté retentissent du nom du P. Petau, écoutent, et profitent de ses leçons, et il continuera d'éclairer l'Église jusqu'à la consommation des siècles. »

ALEXANDER DE BURGOS, CATANENSIS EPISCOPUS.

(*In Institutionum theologicarum Syntagmate*, p. 103).

« Ex recentioribus legendi sunt et Dionysius Petavius, et Ludovicus Thomassinus.... In primo commendanda Patrum, præsertim Græcorum peritia; Græca enim lingua pollebat maxime; pollebat item Latina, cultissimo enim stylo scribit. »

ACTA LIPSIENSIA.

(*Suppl.* t. VII, an. 1721, p. 87.)

« Opus prorsus stupendum sunt ejus *Dogmata* . »

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS.

(*Riflessioni sopra il buon gusto*, parte II, cap. x.)

« Incomparabile ingegno è il P. Petavio, e abbastanza non può commendarsi la sua *Teologia dogmatica*, per proseguire la quale è da desiderare, che nasca un genio si vasto, com' era quello del Petavio.» Confer eumdem Muratorium *de Moderatione ingeniorum*, lib. I, cap. xi.

P. MICHAEL LE QUIEN, ORD. PRÆDIC.

« Vir (Petavius) priscorum Ecclesiæ Patrum theologiæ studiosus quam qui maxime fulgentissimum sæculi nuper elapsi lumen. »

Auctor libri *della Lettura de' Padri della Chiesa* e Gallico idiomate Italico redditi, parte III, c. xiii.

« Abbiamo anche ne' dogmi del Petavio ottime regole, senza l' ajuto delle quali sarebbe molto difficile il penetrare nel fondo della dottrina de' Padri, e liberarsi dalle difficoltà, onde sono circondati. »

JOAN. BAPTISTA DONIUS

In Epistola ad Petavium nuper in ejusdem Donii *Commercio litterario* Florentiæ edita a clariss. Gorio, p. 24.

« Sic enim velim existimes me universo Ordini vestro ita esse summis beneficiis obstrictum ut eum plurimum amem. Viris autem ejus ordinis pietate et eruditione eximiis, inter quos omnium confessione primas tenes, sic a me diligi, cujus opera in suis gloriosis laboribus utantur, summopere gaudeam, atque exultem. »

DANIEL GEORGIUS MORHOSIUS.

Polyhistoris, lib. V, n. 18.

« E Pontificiis maximis ornari laudibus debet Dionysius Petavius, Jesuita, vir summi laboris et judicii, quem unum e Jesuitis sapere judicabat Scaliger, utut ab illo scriptis criticis lacessitus scripsit ille libros *Dogmatum theologicorum... Culta illi elegansque est tractandi ratio, varia eruditione undique aspersa, non horrida illa et scholastica, frequens antiquorum lectio, in quibus evolvendis et emaculandis multum temporis consumpsit.* »

JACOBUS DUPORTUS.

(*In epistola suæ Græcæ Psalmorum metaphrasi præfixa.*)

« Dionysius Petavius... vir sane doctissimus, et cum multifaria eruditione præditus, tum Græcæ imprimis linguæ scientia non leviter imbutus. »

JOANNES GEORGIUS WALCHIUS.

(*In Hist. Eccles. Novi Testamenti*, p. 84.)

« Ex Pontificiis nominandus est Dionysius Petavius. Edidit *Theologica dogmata*, et per ista singularem laudem sibi comparavit; nec sine causa, cum ea sane opus constituant præstantissimum et plane egregium. »

Sed infinitus sim, si omnia doctorum virorum de Petavio testimonia colligere velim. Paucos tamen indicabo scriptores, quos consule sis : Morerii *Dictionarium ;* Baelii item *Dictionarium; Elogium virorum illustrium* Gallice scriptum a D. Perrault, t. I, p. 63, edit. Hollandicæ an. 1698 ; Pauli Colomesii *Galliam orientalem* (217) et *Bibliothecam selectam ;* Bailletum in suis *Judiciis de doctis viris*, ubi *de Criticis grammaticis*, c. 513, *de Traductoribus Latinis*, c. 921, ac *de Poetis*, c. 1474 ; Joannis Clerici *Bibliothecam selectam*, t. II, art. IV ; Curcellæum, p. 862, qui illum *inter Jesuitas Aquilam* appellat ; Limborchium, *Theol. Christ.* l. II, c. XVII, a quo dicitur *Doctor inter Jesuitas celeberrimus ac doctissimus ;* Joannem Fabricium in *Historia Bibliothecæ Fabricianæ*, t. I, p. 83, seq. Omitto Ursium in dissertationis *de Baptismo in nomine Christi* vindiciis; Mammachium in *Originibus et Antiquitatibus christianis* non uno loco, præsertim vero tomo IV, aliosque ; Leonis tamen Allatii præterire silentio non possum *Melisselyram de Laudibus Dionysii Petavii* carmine Græco iambico, Romæ 1653 editam, et Exercitationem *De mensura temporum*, cap. XV, itemque orationem in obitum Petavii habitum an. 1653 a doctissimo Henrico Valesio, typisque expressam cum in Lipsiensi Petavii Epiphanii editione ; tum *in Vitis selectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate, aut pietate inclaruere*, a Guilielmo Batesio collectis, Londini 1681, p. 678. Nescio quæ Petavii, ac Salmasii vitæ memorantur in *Bibliotheca historica* P. Le Long, n. 6105 et 17319, Divione editæ, illa an. 1716, hæc an. 1717. Sed cui tribuuntur, Oudinus noster apud Niceronium p. 233 neutri scribendæ admovisse unquam se manum disertis verbis affirmavit. Quamobrem libris videntur addendæ, qui nunquam exstitere.

AD

TOMUM PRIMUM

THEOLOGICORUM DOGMATUM

PROLOGUS GALEATUS.

Cum sit hoc propositum opere in isto Theologicorum dogmatum *ut ex antiquorum monimentis, velut sanctis augustisque fontibus, liquida et incorrupta divinarum rerum scientia ducatur, jure prima nobis et præcipua cura fuit in dijudicandis ac secernendis auctoribus quorum testimonio deinceps niti decrevimus, ne pro germanis et idoneis, supposititii, vel saltem dubii fidejussores obreperent. Quod et pluribus et sæpius quam dignum et utile sit, evenisse sciunt qui in hoc tractando litterarum ac librorum genere versati sunt. Quamobrem vigilanter in hoc incubuimus ut pro usu quem in iis studiis mediocrem sumus adepti, nullos nisi graves et probatos asisceremus. De his loquor in quibus momentum aliquod ad vim et robur argumentationis aut decreti cujuspiam constituendi ponitur. Nam sunt alii, quos magis ad ornandam illuminandamque disputationem, quam ad dirimendam quæstionem moris est assumere. Ut in honestis etiam conviviis præter solidos ac necessarios cibos, scitamenta et bellaria in mensam inferuntur ad lenocinia moderatæ ac concessæ voluptatis. Hujusmodi sunt oratorum, poetarumque dicta ac reliquorum id genus scriptorum. Quod enim ad philosophos maxime peripateticos attinet, eos velut domesticos ac necessarios administros adjungit sibi theologia, ut eorum formata præceptis decreta sua ratiocinando recte ac sine errore colligat, de quo uberius dicendum erit in prolegomenis. Nunc quod ad priores illos spectat, hoc est antiquos patres, quorum auctoritas secundum Scripturas et synodos, in hoc nostro theologiæ instituto dominatur, confirmare hoc possumus nos eorum scita et responsa summa fide ac diligentia retulisse. Quæ quidem non ad præsentem duntaxat usum quæsita, sed attenta et continenti lectione diu ante notata et expensa suis locis accommodavimus. Tum quod ad Græcos attinet, eorum verba majori ex parte latine ipsi sumus interpretati, quod complures locos illorum et sententias minus fideliter in latinum translatos fraudi fuisse sciremus eruditis de schola theologis, ut ex iis placita quædam eorum et dogmata conficerent ab ipsorum mente prorsus aliena. Ac sæpenumero non libros tantum et capita, sed etiam paginas ipsas librorum tam latinorum quam græcorum adnotamus. Quare uti diligentiæ ac fidei nostræ ratio constet eruditis lectoribus, auctorum indiculum subjiciam et in eorum plerisque editionis ipsius formam ac tempus adscribam.*

PROLEGOMENA

IN QUIBUS DE THEOLOGIA IPSA EJUSQUE PRINCIPIIS AC NATURA DISPUTATUR.

CAPUT PRIMUM.

Explicatur theologiæ *vox, ejusque non protrita significatio traditur. Tum ejusdem scientiæ divisio, ex qua suscepti operis informatur partitio. De principiis theologiæ, quæ quidem ex fide petuntur. Ea porro scripto Dei verbo tum eo quod traditione constat, tum utroque ab Ecclesia interpretato continetur. Exponitur veterum illa sententia, quæ nihil de divinis rebus asserendum docet, nisi quod in Scriptura legitur. Hujus intelligendæ rationem ex Ecclesia repetendam esse.*

Quamnam in hisce libris auctor mandare aggrediatur theologiam.

Magnum equidem ac labore immensum atque copia, sed longe pulcherrimum opus aggredior, universam theologiam mandare in his libris, non illam contentiosam, ac subtilem, quæ aliquot abhinc orta sæculis jam sola pene scholas occupavit, a quibus et *scholasticæ* proprium sibi nomen ascivit; verum elegantiorem et uberiorem alteram, quæ ad eruditæ vetustatis expressa speciem, hoc est a dialecticorum dumetis liberioris ad campi revocata spatia, solam ad usum cultumque sui, nativam et domesticam copiam ostentat.

Ea priusquam a nobis per partes tradatur, acuendi ac præmuniendi lectoris gratia, communibus quibusdam informanda notionibus videtur, ut quid illa sit et quid valeat, ac quibus innixa principiis et quomodo tractanda sit, in ipso aditu cognoscat. Hæc enim ante scientiæ cujusvis ingressum, tum ab ejus studiosis flagitari solent, tum a doctoribus et magistris, legitimis quibusdam prooemiis ac prolusionibus explicari.

Quo in genere nihil ei prævertendum esse merito sapientes admonent, ut scientiæ vocabulum interpretemur ipsum, quod eo plerumque natura illius et proprietas continetur. Etenim putide id quidem, sed non sine veri significatione scriptum est ab Ruperto Tuitiensi : « Titulum dici a Titane, quia velut præmisso lumine libri sequentis introitus aperitur [1]. » Quæ sit igitur *theologiæ* nomini subjecta vis et potestas initio dicemus; maxime cum ea vox usum quemdam apud Græcos Patres singularem et reconditum habeat, neque passim aut a viris etiam græce alioqui peritissimis animadversum.

Theologiæ non protrita significatio traditur.

Sic igitur observavimus * : Θεολογίαν sæpe pro ea sola usurpari divinæ scientiæ parte, quæ de Divinitate ipsa disserit, hoc est de Deo,

* Hisce animadversionibus Petavii de vocibus Θεολογία et Θεολογεῖν permotus, ut puto, C. Suicerus, calvinista Tigurinus, in lexico quod inscripsit *Thesaurum ecclesiasticum*, similia de iis conscripsit; et cum loca a Petavio allata, tum alia etiam adjecit, ex quibus liquet hasce voces significatus non infrequenter obtinere, quos animadvertit prior Petavius noster. Hucusque Th. Alethinus. *Verum* non unus Suicerus, sed quotquot Petavium consecuti sunt

1 Rupert. lib. I. *in Gen.* c. II.

Deique proprietatibus iis, quæ Divinitatem sequuntur; ac θεολογεῖν non simpliciter idem esse, quod theologice aliquid explicare ac disputare, ut in commentariis Buddæus et ex eo cæteri passim adnotarunt. Sed hoc esse plerumque « divinitatem alicui tribuere ac de eo sic loqui, tanquam de Deo ac divina sorte conditioneque prædito [1]. » Id adeo perspicuum est cum de Christo loquentes veteres, naturas in illo discernunt duas, et uni, hoc est divinæ, θεολογίας nomen, humanæ vero οἰκονομίας assignant.

Theologia œconomia.

II. Ita Basilius cum « ab Spiritu sancto præmuniri sic intelligentiam nostram asserit, ut ne ad alterum accedentes, excidamus ab altero; et ne in theologiam, id est in ea, quæ Divinitatis propria sunt intenti, assumpti hominis mysterium contemnamus [a]. » Cyrillus Alexandrinus libro primo *in Joannem*, ad illa verba, *In propria venit* [2], etc. « Valde, inquit, apposite ad sermonem de incarnatione progreditur, ac subinde transit ab mera theologia ad explicandam dispensationem incarnationis, quam propter nos gessit Filius [b]. » Et homilia quadam in *Ramos palmarum* ait: « Christum sursum ab Seraphinis Deum prædicari [c].» Ephræmius Antiochenus patriarcha in epistola quam contra Eutychianos scripsit, docet: « Non oportere quæ de theologia, id est divinitate, patres nostri dixerunt, cum iis conferre, quæ de incarnatione dixit Leo Romanus præsul [d]. »

Maximus martyr in libro *de Oratione dominica* scribit in illa oratione Christum docuisse θεολογίαν, et υἱοθεσίαν ἐν χάριτι, etc., hoc est *divinitatem* et *adoptionem per gratiam*. Ac subinde: « Theologiam docuisse incarnatum Dei Verbum, ut qui in se Patrem ostendat et Spiritum sanctum [e]. » Et postea illud explicans, *Pater noster*, scribit sic: « Statim Dominus, ut par est, ab theologia in illis auspicari docet orantes [f]. »

Sic idem in disputatione cum Pyrrho θεολογίαν ab οἰκονομίᾳ secernit [3]. Gregorius Nazianzenus oratione XXXVIII: « Hactenus, inquit, de Deo disputatum sit, quod ad præsens spectat. Nihil enim plura his attinet dicere, quoniam non de Divinitate propositum est modo agere, sed de incarnatione [g]. »

Theologiam ab œconomia

Anonymus quidam in psalmum tertium ad illa verba, *Domini est salus*, sic adnotat: « Fortassis autem et Divinitatem hic David attingit, nempe quemadmodum a Domino et Patre missus est Jesus Salvator, naturæ salus, et benedictio Spiritus sancti in populum tuum missa [h]. »

a Basil. epist. 141. Πανταχοῦ τὴν ἔννοιαν ἡμῶν ἀσφαλιζομένου τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἵνα μὴ θατέρῳ προσβαίνοντες, θατέρου ἐκπίπτωμεν, καὶ τῇ θεολογίᾳ προσέχοντες' τῆς οἰκονομίας καταφρονῶμεν.

b Cyril. Εὐαφόρμως δὲ λίαν εἰς τὸν περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως εἰσελαύνει λόγον, καὶ καθέρπει λοιπὸν ἐξ ἀκράτου θεολογίας εἰς ἐξήγησιν οἰκονομίας τῆς μετὰ σαρκώσεως, ἣν ἐποιήσατο δι' ἡμᾶς ὁ υἱός.

c Idem. Καὶ ἄνω ὑπὸ Σεραφὶμ θεολογεῖται.

d Ephræm. apud Phot. cod. 228. Μὴ δεῖν συγκρίνειν ἃ περὶ θεολογίας εἴρηται τοῖς πατράσιν ἡμῶν τοῖς περὶ οἰκονομίας εἰρημένοις Λέοντι τῷ Ῥώμης.

e Maxim. Θεολογίαν μὲν γὰρ διδάσκει σαρκούμενος ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὡς ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν πατέρα, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.

f Ibid. Εὐθὺς καθηκόντως θεολογίας ἐν τούτοις ἀπάρξασθαι διδάσκει τοὺς προσευχομένους.

g Naz. Ταῦτα μοι περὶ Θεοῦ πεφιλοφήσθω τανῦν. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ ταῦτα καιρὸς, ὅτι μὴ θεολογία τὸ προκείμενον ἡμῖν, ἀλλ' οἰκονομία.

h Anon. in cat. *in Psal.* Τάχα δὲ καὶ θεολογίαν ἐνταῦθα ὁ Δαβὶδ λέγει, ὅτι παρὰ μὲν τοῦ Κυρίου, καὶ Πατρὸς ἀπεστάλη Ἰησοῦς, ὁ σωτὴρ, ἡ σωτηρία τῆς φύσεως, καὶ ἡ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος εὐλογία ἐπὶ τὸν λαόν σου καταπεμφθεῖσα.

viri eruditi, eadem de vocibus θεολογία et θεολογεῖν monenda esse censuerunt. Neque injuria, quando ejusmodi usurpatio in christianis monumentis *ab ipsa propemodum apostolica ætate* adeo sit frequens, ut trita vulgataque merito videatur. Succedit laxior universalisque ex eodem loquendi usu profecta potestas, qua θεολογίας vocabulo tota christianæ revelationis doctrina comprehenditur. Quemadmodum enim religiosa ethnicorum institutio, tum quæ populi esset et a poetis maxime celebrata, tum quæ viris politioribus præhaberetur, alterutro nomine vel τῆς θεολογίας simpliciter, vel τῆς φιλοσοφίας θεογονικῆς, exprimebatur; ita consentaneum imprimis fuit, ut christiana disciplina in illius locum beatissima rerum conversione suffecta, non alio quam θεολογίας vocabulo designaretur. Christiana porro disciplina tota quanta est e divina pendet revelatione, omniaque complectitur cœlestia dogmata divinitus patefacta. Usu venit igitur ut θεολογίας nomen summam cœlestium dogmatum, supernæque revelationis demonstraret. Quæ laxior universalisque usurpatio jampridem ita viget, ut sola propemodum regnare in scholis videatur. Conferendi sunt Petrus Lombardus (in 1, sent. dist. 1.) et Thomas Aquinas (S. I p. q. I.) quique illius sententias atque hujus summam magno numero explanarunt. E. R.

1 Henr. St. in *Thes.* et alii. — 2 *Joan.* I. 11. — 3 Apud Baron. in calce tom. VIII, pag. 704.

Eodem spectant exempla illa quæ Budæus attulit, ex eoque Stephanus; nec ambo tamen vim illius vocis intellexerunt. Ut cum Dionysius ad Demophilum scribit, *tyrannicos dæmones Jesum vere* θεολογεῖν [a], quod ille vertit, *vere de Christo disserentes*. Non utique recte. Verteret potius, *vere Deum esse confitentes*.

Ita quod Theodoretus ait, Valentem *hostem illorum fuisse*, *qui Christum* ἐθεολόγουν, nihil aliud significat [b].

Sic Eusebius Cæsariensis Deum verum nominat, *qui apud solos Hebræos* ἐθεολογεῖτο, hoc est *Deus habebatur* [c]. Et idem initio noni libri ejusdem operis, distinguit in Christo τὴν κατ' αὐτὸν θεολογίαν, id est *divinitatem*, *divinitatisve professionem*, et τὴν οὐρανόθεν εἰς ἡμᾶς κάθοδον, hoc est *descensum ad nos*, sive *incarnationem*.

Joannes Evangelista præ cæteris proprie *theologus* est appellatus.

Postremo ex hoc etiam apparet cur Joannes Evangelista proprie θεολόγος, ac præ cæteris Evangelistis appellatus sit, nempe quod aperte et insigniter Filii divinitatem expresserit, quam haud adeo diserte reliqui declarant.

Theologiæ, vox stricte sumpta.

III. Hoc modo usurpata *theologiæ* vox peculiari notione institutum de Deo sermonem ac disputationem significat, tam qui naturam illius, hoc est divinitatem ipsam et personas ac cætera, quæ ad divinam substantiam per se atque in sese spectatam attinent, explicare quomodo potest aggreditur, quam qui in ejusdem tractandis proprietatibus occupatur, quæ *attributa* nominant. Nam hæc ambo etsi cogitando ac contemplando utcumque discernimus, quod aliter capi a nobis nequeunt, tamen reipsa una sunt divinitas, et uni sunt Dei subjecta scientiæ, quæ tam Dei naturam, quam ejus proprietates inquirit. Quo loco memorandum Maximi martyris est summi viri præceptum, quo ita jubet : « Ut qui de Deo disputare volet, non eas rationes inquirat, quæ secundum se illi congruunt. Non enim eas invenire poterit humana mens, sed nec alia quælibet divina minor. Verum eas contemplare rationes, inquit, quæ circa ipsum sunt, velut æternitatis, infinitatis, interminabilitatis, bonitatis, et sapientiæ ac virtutis tam conditricis, quam providentis et judicantis ea quæ sunt. Nam is demum magnus inter homines est theologus, qui illorum rationes investigare vel ex parte aliqua potest [d]. »

Theologiæ nomen, latius sumptum

Nonnunquam tamen *theologiæ* ac τοῦ θεολογεῖν nomina latius porriguntur, ac non ea solum quæ sunt propria Dei, verum etiam alia ac porro creata continent; cum videlicet non ut in se sunt ista spectantur, sed quatenus ad auctorem Deum referuntur, ac vel ejus sunt opera, vel instrumenta, vel quoquo modo ad primam causam pertinent. Ut cum de angelis, de hominibus, ac cæteris quæ in mundo sunt, deque sacramentis et id genus creatis rebus agitur.

Suppositum.

Theologiæ definitio.

Hæc nominis interpretatio propemodum ejus, quam suscepimus disciplinæ rationem definitionemque complectitur, quantum quidem e re subjecta capi potest eoque quod τὸ ὑποκείμενον appellant. Sic enim definiendo quid illa sit explicare licet : ut sit « scientia quæ in Dei et eorum, quæ ad Deum quoquo modo pertinent contemplatione consistit. » Sed hæc rudis et nondum absoluta definitio est, quæ quibusdam additis, quæ deinceps exponam, illustrior fiet ac perfectior. Nunc eum nobis usum afferet illa vocabuli notatio, ut ex ea constituamus, quo in partes scientia tota tribuatur. Nam eas omnes illius appellatio, ut est superius explicata, continet.

Generalis theologiæ divisio.

Theologiæ.

IV. Potest igitur theologia generatim primo dividi in partes duas, quarum prior est de Deo ipso et iis, quæ Divinitatis propria sunt, quæque minus trita illa in θεολογίας notione poni diximus; ut sunt disputationes de Deo ac divinis proprietatibus et de Trinitate. Posterior circa Dei opera versatur. Cum autem dupliciter Deum intueri possimus, velut naturæ auctorem aut gratiæ; hinc duo existunt operum genera, totidemque posterioris illius theologiæ partes, quarum altera Dei, qua creator auctorque naturæ est, rimatur

a Dion. Τί δὲ οἱ τυραννικοὶ δαίμονες ἀληθῶς θεολογοῦντες τὸν Ἰησοῦν.

b Theodoret. lib. IV. Τῶν τὸν δεσπότην Χριστὸν θεολογούντων ὁ πολέμιος.

c Euseb. in calce libri VIII *de Demonst. evang.* Τῷ παρὰ μόνοις Ἑβραίοις θεολογουμένῳ Θεῷ.

d Maxim. cent. 2 *de Charit.* c. xxvii. Θεολογεῖν μέλλων μὴ τοὺς κατ' αὐτὸν ζητήσῃς λόγους· οὐ γὰρ μὴ εὕρῃ ἀνθρώπινος νοῦς, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλου τινὸς τῶν μετὰ τὸν Θεόν. ἀλλὰ τοὺς περὶ αὐτὸν, ὡς οἷόν τε, διασκόπει· οἷον τοὺς περὶ ἀϊδιότητος, ἀπειρίας τε, καὶ ἀοριστίας, ἀγαθότητός τε, καὶ σοφίας, καὶ δυνάμεως δημιουργητικῆς τε, καὶ προνοητικῆς, καὶ κριτικῆς τῶν ὄντων· οὗτος γὰρ ἐν ἀνθρώποις μέγας θεολόγος ὁ τούτων τοὺς λόγους καὶ ποσῶς ἐξευρίσκων.

opera; altera, quæ dicuntur gratiæ. Naturalium operum quædam mere spiritalia sunt, ut angeli et hominum animæ : alia nihil præter corpus sunt, ut præter hominem, cætera, alia denique ex utroque composita, ut homo ipse. Quæ quidem posteriora duo, mundi et universitatis ambitus voxque ipsa comprehendit [a]. Opera gratiæ in generale nomen includi possunt τῆς θεωσέως quam *deificationem* possis dicere, quæ est divinitatis communicatio, qua creaturæ intelligentes ad quoddam cum Deo consortium ac necessitudinem supra naturæ suæ conditionem evehuntur. Est autem divinitatis illa communio duplex. Nam vel absoluta est et interior, qua non divina solum, sed etiam Deus fit et in unam cum Deo personam convenit humana natura. Vel ex parte duntaxat et externa, utpote sola voluntatum inter se conjunctione constans, quam *moralem* scholæ nuncupant. Ad hunc vero conficiendum statum duo adhibentur præsidia. Quippe alia sunt instrumenta, eaque partim efficientia, ut sunt sacramenta novæ legis; partim dirigentia, ut est lex, ac morum virtutumque præcepta. Aliæ sunt interiores causæ τῆς θεώσεως, eæque rursus bifariam spectantur.

Deificationis.

Nam est alia, quæ forma, sive causa formalis dicitur, qualis est gratia, per quam sancti fiunt homines et angeli; itidemque fides, spes, et charitas, et quæ vocantur infusæ virtutes reliquæ. Alia est dispositio sive præparatio ad illam formam capiendam. Quo in genere locum habent auxilia omnia et adjutoria gratiæ, sive internæ motiones intelligentiæ ac voluntatis. Huic porro statui, quam θέωσιν dicimus, respondet ex adverso peccati status, cui nonnulla contemplationis theologicæ pars propterea debetur. Siquidem oppositorum invicem eadem est scientia. Hæc sunt præcipua divinæ illius scientiæ capita et argumenta, in quibus tractandis et enucleandis elaborare deinceps in hoc opere theologico decrevimus.

Deificationem.

V. Verum inanis et irridenda est opera omnis et industria, quæ in percipienda re aliqua ponitur, nisi ordine ac ratione procedat, « neque labor ipse per se, sed qui cum arte collocatur, laudem meretur [a], » ut ait Philo; vel, ut Fulgentius scribit, « magnum bonum confert inquisitio veritatis, quæ tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur [1]. » Alioqui in id inciditur, quod jure in eodem loco Philo reprehendit, ut ἐπιστήμη ἀνεπιστημόνως, id est *inscienter scientia* tradatur. Est autem tradendarum disciplinarum ordo ille naturalis, ut quæ cujusque propria principia sint explicetur. Scire aliter non possumus, nisi causæ rerum et principia noscantur, ut scribit Aristoteles [2]. Quamobrem antequam divinæ hujus scientiæ tractationem ingrediar, de theologiæ principiis consentaneum est agere.

Omnis ratione percepta cognitio, ut Bernardus indicat, aut opinione, aut fide, aut intellectu constat. « Quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem, sed fides clausam et involutam, intelligentia nudam et manifestam. Cæterum opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius quam apprehendit [3]. » Quocirca tria hæc suo quæque principiorum genere nituntur. Opinionis propria neque certa sunt neque manifesta. Fides autem divina, de qua scilicet hic loquimur, ut nondum perspicue et evidenter cogniti, ita certo testificantis Dei auctoritate nititur. Intellectus, si pro scientia sumitur, manifestis perinde ac certis, si pro ipsorum notitia principiorum, quæ per se nota sunt, nullis aliis principiis innititur.

VI. Ex his vero tribus quodnam theologiæ proprium sit, non est difficile dictu. Etenim, ut Hilarius scribit, « a Deo discendum est quid de Deo intelligendum sit, quia nonnisi se auctore cognoscitur [4]. » Et alibi : « Non subeunt ingenia nostra in cœlestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi Deo de se credendum est, et iis quæ cognitioni nostræ tribuit obsequendum [5]. » Etenim « nulla divinarum rerum manifesta est hominibus, quod Græcorum quidam sapiens dixit [b], » ut scribit auctor *Expositionis fidei* inter opera Justini. Itaque « lubrica res, ut ait Cyrillus, et plerisque detrimentosa videtur esse disputatio de

Principi[a] theologi[æ] ex fide petuntur

a Philo in tract. *Quod deter. pot. insid.* "Οτι οὐχ' ὁ πόνος καθ' αὐτὸν, ἀλλ' ὁ μετὰ τέχνης ἀγαθός.

b Just. Οὐδὲν ἀνθρώποις τῶν θείων σαφὲς, ὡς Ἑλλήνων σοφός τις ἐφθέγξατο.

1 Fulg. lib. I, *ad Trasim.* c. III. — 2 In I. post. cap. II. — 3 Lib. V. *de Consid.* c. III. — 4 Lib. V. C. — 5 Idem, lib. IV

suprema omnium substantia et mysteriis ad eam pertinentibus [a]. » Ex quo fidei ac divinæ significationis, quam *revelationem* vocant, necessitas intelligitur. Quæ enim captum humanæ mentis excedunt, ea fide honoranda sunt : ut idem Cyrillus affirmat [b]. Qui et alibi « oportere, docet, quæ supra nos sunt fide venerari probationis experte. Quippe imbecilliorem hominis esse mentem, quam ut intelligentia capere ista possit [c]. » Celebre est Platonis illud in *Timæo* : « Veritatem omnem uno duntaxat addisci modo posse, si eam vel ab ipso Deo, vel ab iis qui a Deo sunt orti, doceamur [d]. » Ex quo Clemens Alexandrinus concludit, « merito nos christianos, qui ab divinis oraculis testimonia colligimus, gloriari per Dei Filium nos veritatem didicisse. » Basilius quoque, « theologiæ mysterium a fide ait nulla probatione comperta assensum requirere [e], » Ubi θεολογίαν eo sensu accipit, quem paulo ante notavimus : nimirum qua credimus et profitemur esse Deum, ut ibidem mox subjicit. « Æquum est igitur, ut ait Cassianus, ut de agnitione illius ipsi credamus, cujus scilicet totum est quod de eo credimus, quia agnosci utique Deus ab homine non potuit, nisi agnitionem sui ipse tribuisset [1]. » Hinc veteres philosophi, qui Dei ac divinarum rerum scientiam non ab ipso doctore Deo ac magistro perceperunt, sed suopte ingenio industriaque confisi sunt; longius aberrarunt a vero variisque sese opinionum erroribus implicarunt, ut in homilia quinta ad epistolam priorem *ad Corinthios* animadvertit Chrysostomus et Theodoretus in primo *contra Gentiles*.

Fides a verbo Dei petitur ab Ecclesia interpretato.

VII. Quapropter primarium ac generale principium divinæ scientiæ hujus est fides. Ea vero præsertim e Scripturis petitur ac verbo Dei scripto. Quanquam hoc ipsum per sese ad omnia fidei dogmata plene ac liquido probanda non sufficit. Nam et traditione multa propagata esse constat, ut alias dicetur [2] : et illa ipsa quorum in Scriptura mentio fit, nisi cum interpretandi auctoritate declarentur, varias in partes et contrarias duci argumentando possunt. Itaque ad Scripturas adjungenda est Ecclesiæ auctoritas, quæ in conciliis generalibus potissimum loquitur ac verum Scripturæ sensum aperit et ad decidendas de dogmatibus fidei controversias illas applicat. Ita triplici ex illo fonte manant theologiæ nostræ principia, de quibus hic paucis explicandum. Nam copiosior illorum expositio suis est reservanda locis, maxime cum de fide ac fidei regula disputabitur. Nunc quantum præsentis interest negotii, pauca hic attingam.

Exponitur veterum sententia. *nihil esse in rebus fidei asserendum nisi quod in Scriptura legitur.*

Ac veteres quidem sæpissime admonent de divinis nihil, nisi ab Scripturis expressum oportere dici. De quo celebre istud est Dionysii ab theologorum scholasticorum principe citatum [3] : « Nemini committendum esse uti dicat ac vel cogitatione quidem tractet aliquid de supersubstantiali et arcana deitate, præter illa quæ divinitus nobis e sacris Scripturis declarata sunt [f]. » Quæ Dionysii verba paucis insertis descripsit Joannes Damascenus in primo *de Fide* capite secundo. Basilius quoque in homilia contra calumniatores sanctæ Trinitatis, « his quæ scripta sunt crede, inquit,

a Cyril. init. comm. 1. *in Joan.* Πρᾶγμα μὲν γὰρ σφαλερόν τε, καὶ οὐκ ἀζήμιον τοῖς πολλοῖς, ὁ περὶ τῆς ἀνωτάτω πασῶν οὐσίας, καὶ τῶν κατ' αὐτὴν μυστηρίων ὁρᾶται λόγος.

b Cyr. *in Glaph.* Πίστει τιμάσθω τὰ ὑπὲρ νοῦν.

c Idem lib. I. *cont. Jul.* Δεῖν οἶμαι τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς ἀβασανίστῳ τῇ πίστει τιμᾷν· ἀσθενεῖ γάρ πως ὁ ἀνθρώπινος νοῦς εἴς γε τὸ δύνασθαι συνιέναι ταῦτα.

d Clem. Alex. 6. *Strom.* Εἴπερ οὖν καὶ κατὰ Πλάτωνα, ἢ παρὰ τῶν ἐκγόνων τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀληθὲς ἐκμανθάνειν μόνως οἷόν τε, εἰκότως παρὰ τῶν θείων λογίων τὰ μαρτύρια ἐκλεγόμενοι, τὴν ἀλήθειαν αὐχοῦμεν ἐκδιδάσκεσθαι διὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

e Basil. *in Ps.* cxv. Οὕτω δὴ οὖν καὶ τὸ τῆς θεολογίας μυστήριον τὴν ἐκ τῆς ἀβασανίστου πιστέως ἐπιζητεῖ συγκατάθεσιν *.

f Dion. cap. I. *de Divin. nom.* initio. Καθόλου τοιγαροῦν οὐ τολμητέον εἰπεῖν, οὔτε μὴν ἐννοῆσαί τι

* Homiliæ in *Psal.* cxv admodum dubia est auctoritas : multa enim habet quæ Basilio indigna videntur. Libratis in utramque partem rationum momentis, sequens de eo judicium profert Julianus Garnier, monachus Benedictinus e congregatione sancti Mauri, in eruditissima præfatione quam editioni operum sancti Basilii præfixit. « Ut unum fatear, inclinat animus, ut hanc enarrationem in dubiis et adulterinis ponam. » Hæc memoria retinenda, quandoquidem hæc homilia, utpote de fide agens, non una vice a nostro citatur auctore. J. B. F.

1 Cass. lib. IV. *de Incarn.* cap. II. — 2 In tract. *de Fide* et infra, tom. III. lib. *de Eccl. hier.* c. I. — 3 S. Th. in 1. part. qu. 39. argu. 2

quæ non sunt scripta, ne quære [a]. » Nam, ut scribit Augustinus, « ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem aliquam declinando [1]. » Et Cassianus, « ubi de Deo, inquit, agitur, nulla re divinitas melius, quam suis testibus approbatur [2]. » De quo argumento latius disserit auctor variorum tractatuum adversus hæreticos, maxime eutychianos, qui est inter Athanasii rejicula. Qui ad dogmata fidei illustranda et probanda, Scripturas sacras impense commendat exemplo apostoli Pauli, qui eodem usus est instituto. « His, inquit vocibus ad probandam veritatem usus est Paulus. Quod si Paulus ineffabilium verborum auditor, arcanorum mystes, Christum habens in seipso loquentem, non auctoritate sua simpliciter usus est absque testimonio Scripturarum, quinam periculo vacat nunc, divina lege contempta, quælibet e suo corde proferre [b]? » Tum supposititius alter in eodem tomo Athanasii, jubet omnia quæ de Deo scribit, « ad stylum sacræ Scripturæ conferre, et secundum regulæ æquitatem justitia moderante perpendere [c]. »

Cyrillus item Hierosolymitanus, « oportet, inquit de divinis ac sanctis fidei mysteriis ne tantillum quidem tradi sine sacris Litteris, neque simpliciter probabili rerum specie ac verborum artificio in transversum abripi [d], » Atque, ut Cyrillus alter perhibet, impie faciunt qui ea, « quæ supra mentis captum sunt, miserarum ratiuncularum inventis temere ac stulte examinare contendunt. » Ac prudenter sane Antipater Bostrensis adversus Origenis commenta disputans negat « esse juris nostri, cum tantis de rebus verba facimus, ratiocinari tanquam a nobis ipsis. Sed ejus est cui talia concredita sunt a Deo, tum prædicare, tum Ecclesiam sacris erudire doctrinis [e]. » Quippe « minimi effectus sunt, quæ tantum de nostro probata, nullo Scripturarum cœlestium adminiculo fulciuntur [4], » ait Alcimus Avitus.

VIII. Quibus ex antiquorum Patrum sententiis et harum similibus, in quas passim incidimus, non illud universe absoluteque conficitur, quod insulse dictitant hæretici, nihil penitus nisi exaratum in sacris Libris et expressum ad fidem, et quod consequens est, ad theologica spectare principia. Etenim vel hoc ipsum quod paulo ante dixi, ad id refellen-

περὶ τῆς ὑπερουσίου, καὶ κρυφίας θεότητος, παρὰ τὰ θειωδῶς ἡμῖν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἐκπεφασμένα *.

a Basil. Τοῖς γεγραμμένοις πίστευε· τὰ μὴ γεγραμμένα, μὴ ζήτει **.

b Tom. 2. Athan. Ταύταις κέχρηται ταῖς φωναῖς πρὸς σύστασιν τῆς ἀληθείας ὁ Παῦλος. Εἰ δὲ Παῦλος ὁ τῶν ἀῤῥήτων ῥημάτων ἀκροατὴς, ὁ τῶν ἀποῤῥήτων μύστης, ὁ τὸν Χριστὸν ἔχων ἐν ἑαυτῷ λαλοῦντα, οὐ κέχρηται ἁπλῶς αὐθεντίᾳ δίχα τῆς τῶν γραφῶν μαρτυρίας, πῶς ἀκίνδυνον νῦν ἀμελεῖν μὲν τῆς θείας νομοθεσίας, λαλεῖν δὲ τὰ δοκοῦντα ἀπὸ καρδίας;

c Cyr. Hier. cat. 4. Δεῖ γὰρ περὶ τῶν θείων, καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν, μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι, καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι.

Cyr. Alex., dial. *de Trinit.*, t. V. part. I. Ἀνοσιουργεῖν δὲ τοὺς δι' ἐναντίας, τὰ καὶ νοῦ παντὸς ὑπερφέροντα λογισμῶν ἀθλίων εὑρήμασιν ἀσυνέτως ἐκβασανίζοντας.

d Antip. apud Damasc., in Eclogis, tit. 72. Οὐ γὰρ Κύριοι ἡμεῖς ἐν τοῖς περὶ τῶν τηλικούτων λόγοις λογίσασθαι, ὡς ἐξ αὐτῶν, ἀλλὰ τοῦ ταῦτα παρὰ τοῦ Θεοῦ πιστευθέντος, καὶ κηρύξαι, καὶ μυσταγωγῆσαι τὴν Ἐκκλησίαν.

* Quantæ fuerint apud theologos etiam præstantissimos auctoritatis opera Dionysii, nemo est qui ignoret. Nunc nec levibus de causis in controversiam vocantur quam dirimendi nec animus nec vires nobis suppetunt. Auctor testimoniis Dionysii utitur, juxta morem sui ævi, quo indubitata generatim eorum auctoritas habebatur, quin iis omnimodam attribuerit authenticitatem. Sic enim in tractatu *de Angelis*, lib. II, cap. I, § 12, mentem suam aperit. De ordinibus Angelorum verba faciens : « Nec temere apud antiquiorem aliquem (auctore scilicet *Comment. in Psalmos* qui inter opera Hieronymi legitur) quique primis Ecclesiæ sæculis vixerit, novenarium hunc ordinum numerum invenies; cum nondum exstarent opera Dionysii a quo primum ille proditus est. » Similiter in tractatu *de Incarnatione*, lib. XIV, cap. XIV, § 6, de vocabulo θεανδρικὴ (deivirilis) agens, notat hoc vocabulum antiquitus neutiquam sitatum, a Dionysio primitus inventum. In eodem tractatu passim animadvertit vocabulum ὑποστάσεως pro *persona* a Dionysio constanter usurpari, contra usitatum priorum sæculorum et constantem usum. Quæ omnia auctoris de Dionysio judicium ejusque mentis acutissimam aciem satis abundeque manifestant. J. B. F.

** Ejusdem prorsus farinæ est hæc homilia in calumniatores sanctæ Trinitatis, ac præcedens in *Psal.* CXV ac

1 Lib. V, *de Peccat. mer.* c. 35. — 2 Cass. lib. II, *de Incarn.* cap. III. — 3 Lib. I. *de Unita Deit. Trinit.* ad Teoph.— 4 Aviti epist. 21. p. 16.

dum satis est, non ipsam per se nudamque Scripturam, nisi expositam ac declaratam, non solum cum peritia, sed etiam cum auctoritate ac potestate, idoneam esse ad ejus, quid dicat, faciendam et comprobandam fidem. Ac cum de dogmate aliquo fidei lis et quæstio nascitur deque Scripturæ sententia, quæ diversos et contrarios in sensus ab ingeniosis ambarum partium hominibus trahitur, manifestum est solam huic componendæ controversiæ non sufficere Scripturam. Siquidem hæretici, ut scribit Athanasius, « postquam impietatem in corde suo pro canone constituerunt, ad eum divina omnia corrumpunt oracula[a].» Hinc, quod docet Hilarius libro quarto *de Trinitate*, solis illi Scripturæ verbis inhærentes, nulla certa et legitima interpretandi adhibita regula, varios in errores et pravitates opinionum incidunt. « Videntur enim sibi de singulis quæ asserunt præstare rationem, quia singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundum pravitatem interpretantium præstitura. » Itaque nihil in ore frequentius hæreticos habere quam Scripturas ait Athanasius. Ex quo fit ut « simplex quilibet et idiota nec satis exacte prima fidei rudimenta perdoctus, cum verba tantummodo considerat, statim illorum insidiosis artibus abductus teneatur[b]. » Hac igitur adjuncta cautione, ut ad scriptum Dei verbum legitima hujus interpretandi potestas et auctoritas accedat; id quod humanis etiam in legibus ac rebus publicis usuvenit, habebit hoc theologia nostra non minus quam fides germanum certumque principium, quo ad divinas res tum animo percipiendas, tum docendas ac declarandas uti poterit.

IX. Hæc prima ratio est illius exponendi, quod non nunquam usurpari a Patribus ostendimus, nihil divinis de rebus aliud oportere credi, quam quod in Libris sacris expressum fuerit. Nempe ut vel liquido ac diserte loquentes illos habeamus, vel quæ ibidem involuta et obscura significatione continentur, ut ea ratiocinando necesse sit eruere, non humana et privata, sed certa constituta divinitus auctoritate colligantur. De quo paulo post aliquid dicam, postquam cætera pertexuero quæ ad illud explanandum veterum dictum facere præterea videntur. Quorum est hoc unum, de privatis illos potissimum loqui ac nullo pronuntiandi interpretandive jure et auctoritate præditis hominibus, cujusmodi fere illi erant artifices hæresum, quos contra disputabant, qui ingenio suo, plus quam prudentes deceret, confisi, enarrandæ sibi Scripturæ magisterium arrogabant, nec tam enarrandæ quam multis ad eam additis depravandæ, ad suam ipsorum perditionem [1], ut apostolus Petrus loquitur. Sic enim ariani et inter hoc potissimum anomœi creaturam esse dicebant Filium, nec non Patris essentia dissimilem, et alia hujus generis, quæ nec Scriptura diserte aperteque loquitur, neque ut interpretationis loco, tanquam ex traditione majorum, illius verbis affingerent, idonea penes ipsos residebat auctoritas. Quamobrem recte contra istos præscribunt Patres non debere illos, utpote privatos, et jus cum potestate divini explicandi verbi non habentes, novum illi sensum tribuere, veteri ac receptæ in Ecclesia professioni contrarium. Ut cum de forensibus controversiis agitur civium inter se, hos quidem quia privati sunt, ex vi verborum et expressa conceptione legis pendere oportet, nec hujus interpretandæ et ad causam suam accommodandæ jus usurpare sibi. At magistratus et quorum est de litibus cum summa potestate judicium, legis interdum rigorem ac severitatem æquitate quadam ac lenitate temperant. Quemadmodum Romæ prætores edictis suis et honorario, quod illorum proprium erat, jure faciebant. Ita Scripturam Ecclesia sæpe ex traditione declaravit, indidemque certa fidei decreta fixit quod non temere cui-

[a] ATHAN. orat. 2. Κανόνα ἐπὶ καρδίαν ἀσέβειαν θέμενοι, πρὸς τοῦτον πάντα θεῖα λόγια διαστρέφουσι.

[b] ATHAN. orat. 1. Ὁ δὲ ἁπλοῦς, καὶ μὴ κατηχηθεὶς ἀσφαλῶς, ὁ τοιοῦτος τὰ λεγόμενα μόνον σκοπῶν, καὶ μὴ τὴν διάνοιαν θεωρῶν εὐθὺς ὑποσύρεται ταῖς ἐκείνων μεθοδείαις.

idem de utraque ferendum judicium. Stylus nimium a Basiliano abhorret, ut quisquis primis labris attigerit, facile deprehendet. Plura habet alia quæ illam reddidere suspectam editori Benedictino operum sancti Basilii, quæ vide, si lubet, in præfatione tomo secundo præfixa. J. B. F.

[1] II *Petr.* III, 16.

vis e populo nec sine pronuntiandi et interpretandi, ut diximus, auctoritate conceditur.

X. Adde non de omnibus fidei mysteriis, nec universe loqui Patres illos, sed de præcipuis maximeque necessariis ad salutem adipiscendam, ut sunt Trinitatis, Incarnationis et similia dogmata, quorum plena et perspicua fit in sacris Litteris mentio, nihil ut ad eas necesse sit addi, quod quidem scire omnium intersit, et si quid explicato est opus in iis, quæ involuta et obscure comprehensa videntur, non hoc cujusvis arbitrio, sed iis quorum id officii est, permitti debeat. Verum de hoc argumento tum uberius explicabimus, cum de fide agemus et hujus regula[a]. Qua ex disputatione modo istud sumimus, Scripturam ipsam non aliter quam legitima interpretante potestate loquentem ac pronuntiantem, fidei esse normam, et quod ex eo sequitur, principium divinæ illius, quam suscipimus doctrinæ, quam ex fide pendere diximus.

Hujusmodi autem jus et potestas penes Ecclesiam est, « cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, » ut Tridentini Patres loquuntur [1]. Ac non minus hoc hodiernæ quam veteri concessum est Ecclesiæ, id quod suo loco declarabitur. De veteri autem hic potissimum agimus, quoniam major pars theologicorum dogmatum antiquorum sancita decretis, in tractationem nostram adducitur, et de hodiernæ judicio quæ per se ipsa coramque quodammodo loquitur, aut nulla est aut certe perexigua quæstio. Maxima vero et acerrima solet esse de antiquioris placitis, in quibus enucleandis universa fere scientiæ nostræ industriæque ratio consistit, ut propterea nonnihil ad hunc ornandum locum operæ ac moræ sit adhibendum.

CAPUT II.

De principiis theologicis, quæ ex conciliis et Patribus adstruuntur. Ostenditur horum vim in eo sitam esse, quod ex illis de traditione constat, quatenus quidem assentiendi necessitas efficitur. Qua cautione ac delectu tractanda sint Patrum testimonia, et ad probationes adhibenda. Cujus rei regulæ quædam utiles præscribuntur.

I. Ecclesiæ vox veteris et judicium partim synodorum decretis, partim antiquorum in Ecclesia patrum ac doctorum testimonio constat [b]. Tametsi utrobique Patrum auctoritas agitur, sed major illic et sanctior, ubi non privatim singuli, sed universi et in unum cœtum collecti sententiam dicunt. Quamobrem post divinam Scripturam proximum habent auctoritatis gradum concilia, præsertim generalia, quæ et œcumenica dicuntur; vel etiam minora, sed Ecclesiæ totius ac Sedis apostolicæ approbatione sancita. De majoribus tritum illud est Gregorii Magni. « Præterea inquit, quia *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [2], sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor, Nicænum scilicet in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur;

Post scriptum Dei verbum proximum auctoritatis gradum obtinent concilia.

a Duplex præterea ratio adfuit qua inducti Patres ita disserent. Et prior quidem ex eo loquendi usu repetenda est, quo *genus universum* appellatione *speciei nobilissimæ* propria designari consuevit. Cum genus universum sit *Verbum Dei*, cumque Scripturæ κατ' ἐξοχὴν dicantur (*Rom.* III. 3) τὰ λογία τοῦ Θεοῦ, *eloquia Dei*; factum idcirco est, ut Scripturæ nomine ipsum Dei verbum, qua latissime patet, exprimeretur. Succedit posterior ratio ex eorum profecta charactere, quos Patres impetebant, et contra quos orthodoxam veritatem tuebantur. Hi sæpissime erant Gnostici, Ariani, et Arianorum pessimi Anomœi, qui Scripturis rationem, et philosophiam auctoritati sufficiebant. Quid igitur Patres? Pro credito sibi munere contendebant, de supersubtantiali deitate, deque fidei salutiferæ mysteriis statuendum esse non ex philosophia atque ex ratione, quæ præterquam quod imperfectæ admodum sint, finibus naturalis ordinis coercentur, sed ex Scripturis supernaque revelatione, quibus solis medium sufficiens idemque universale comprehenditur. Juverit contulisse quæ scribunt Tertullianus (*de Præscript.* cap. VII) et Gregorius Nazianzenus oratione XXVII, quæ est prima ex theologicis. E. R.

b Duobus a Petavio recensitis præsidiis auctoritate atque splendore potissimis, quorum ope veteris atque apostolicæ Ecclesiæ doctrina ac fides deprehendantur, altero prope gradu et ea, qua par est ratione addenda sunt reliqua christiana monimenta, cujusmodi merito habentur martyrum facta, libri liturgici, hymnarii, lectionarii, annales ecclesiastici.

1 Trid. sess. 44. — 2 *Rom.* X, 10.

Chalcedonense vero, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit. Et cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. » Sic in alia epistola : « Et sic quatuor synodos sanctæ universalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti evangelii recipimus [1]. » Augustinus vero, « plenaria concilia, inquit, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas [2]. » Et alibi de Cypriani in rebaptizandis hæreticis errore loquens ait : « Plenarii concilii sententia quid in hac re sequendum esset totius Ecclesiæ consensionem confirmasse [3]. » Item alio in loco dicit « hæreticos circumlatrantes Ecclesiam partim conciliorum gravitate damnatos esse [4]. »

Sic et Tertullianus ætate sua per Græcias cogi illa esse solita testatur, et in his universalem Ecclesiam repræsentari : « Aguntur, inquit, per Græcias illa certis in locis concilia ex universis ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur [5].» Cyrillus quoque in epistola ad monachos Ægyptios contra Nestorium de Nicænis Patribus loquens ait [a] : « Spiritum sanctum ipsis veritatem inspirasse. Non enim erant ipsi, qui loquebantur, sed Spiritus Dei et Patris, qui loquebatur in ipsis [6]. » Non hic necesse habeo cæterorum Patrum referre sententias, quibus synodorum commendatur auctoritas tam ad hæreses damnandas, quam ad fidei condendam statuendamque formulam. Nam et innumerabiles sunt, et proprium, ut sæpe dixi, locum spectant.

Tertium gradum obtinent Patres.

II. Tertio loco recensendi sunt Patres ipsi et Ecclesiæ magistri singulatim ac per se loquentes, maxime cum in unum idemque vel omnes vel plerique concordant. Ab iis igitur quos doctrinæ luce cœlestis accensos in Ecclesiæ suæ firmamento collocavit Deus, et orbem christianum depulsis erroris et inscitiæ tenebris illuminare jussit, repetenda jure videtur theologiæ decretorum fides ac probatio, sed nonnisi tertio post duo superiora gradu. Ac duplex est genus argumentorum, quibus ad probandum theologus innititur. Unum est necessarium et quantum in hac doctrina licet ἀποδεικτικὸν, quod certam habet et ad assensum cogentem concludendi firmitatem. Alterum nonnisi probabile est. Horum prius ex illis quæ supra posui, principiis ducitur, Scriptura et interprete Scripturæ catholica Ecclesia, atque ab eadem Ecclesia receptis conciliis. Posterius variis ex locis arcessitur. E quibus est illa, de qua nunc disserimus, auctoritas Patrum et Ecclesiæ magistrorum extra synodales conventus de divinis rebus singulatim disputantium. Qui quo plures et excellentiores in eamdem conspirant sententiam, eo majus ad eam robur ac pondus adjungunt. Quidquid autem est ejusmodi de quo omnes inter se congruunt, id vel catholici decreti firmitatem obtinet, vel eo certe quam proxime pertingit, quod illorum tanta consensio argumentum continet priscæ, et ex alto repetitæ traditionis, quam unam ex fidei regulis catholica pietas agnoscit. Hæc illa dogmatis ac doctrinæ velut canities est, quam apud Platonem Ægyptius ille sacerdos in divinarum rerum cognitione prædicat, et a græcis abjudicat. « Juvenes, inquit, estis omnes quod ad animas spectat. Nam nullam in his habetis ex antiqua auditione veterem opinionem, neque doctrinam, quæ temporis diuturnitate canitiem contraxerit [b]. »

Demonstrativum.

Auctoritas SS. Patrum a conciliis commendata.

III. Sed hæc quo magis intelligi persuaderique possint, paululum expolienda sunt responsis hac de re veterum ipsorum allatis aliquot, et testimoniis. Inter quæ primo sane loco memoranda sunt synodorum generalium partim decreta partim exempla. Decretorum quidem

[a] Cyril. Ἐνηχοῦντος αὐτοῖς τἀληθὲς τοῦ Ἁγίου Πνεύματος· οὐ γὰρ ἦσαν οἱ λαλοῦντες αὐτοὶ, κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος φωνὴν, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, καὶ Πατρὸς τὸ λαλοῦν ἐν αὐτοῖς.

[b] Plato in *Tim.* sub init. Νέοι ἐστὲ εἶπεῖν τὰς ψυχὰς, πάντες· οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν.

et quotquot supersunt sive epigraphica, sive depicta, sive sculpta. Immo ne ipsa quidem gentilium, Judæorum et hæreticorum præteriri opera debent, cum plus semel ex iis quoque non minimum lucis redundet. E. R.

1 Ind. 11. ep. 10. — 2 Aug. ep. 118. — 3 Lib. *de Bapt. contonat.* c. XVIII. — 4 Lib. *de Util. cred.* cap. XVII. — 5 Lib. *de Jejun.* c. 13. — 6 *Matth.* x. 20.

instar sunt, quæ ex quinta synodo et septima alibi retuli, cum de Spiritus sancti processione sermonem feci [1]. Nam anathema dicunt iis, qui dicta sanctorum Patrum, et sententias repudiant. Quibus consentaneum illud est, quod Tridentina synodus « ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat [2]. » Sic Trullanum concilium, cujusquemodi tandem est, utiliter, ac laudabiliter sanxit, « ut qui Ecclesiæ præsident, clerum, et populum de iis instituant, quæ ad pietatem attinent, adeo ut e divina Scriptura veri notiones, ac judicia colligant, neque prætergrediantur traditos jam terminos, aut divinorum Patrum traditionem. Verum si quis de Scriptura sermo commoveatur, ne eam aliter interpretentur, quam ut Ecclesiæ illa lumina, et magistri suis in libris exposuerint [a]. »

Conciliorumque exemplis firmata.

Jam quod ad earumdem synodorum exempla pertinet, in promptu quisque habet illarum acta, in quibus tum ad Scripturæ dirigendam interpretationem, tum ad disceptandas ex iis controversias, et statuenda fidei dogmata, multum testimonio veterum Patrum antistites utuntur, atque ex eorum se pendere placitis, et ipsos auctores sequi profitentur. Ut in Ephesina, Chalcedonensi, quinta, sexta, septima œcumenicis est factum : quod ipsum et provinciarum, ac nationum synodi pleræque testatæ sunt. Idem etiam singulorum contra hæreses, aut de catholica fide disputantium Patrum institutum fuit, ut ex eorum scriptis cognoscimus. In quibus aliorum, qui ante se floruerant, doctorum dicta et sententias non raro proferunt, et catholicæ causam fidei, et Ecclesiæ, illorum advocatione muniunt. Ex quibus pauca nunc in medium afferam, quæ ad ornandum hunc locum conferre possunt.

Per ipso detraditior constat.

IV. Memorabilis est ante omnes, et ad institutum nostrum apprime facta Cyrilli sententia, quæ est in defensione anathematismi octavi adversus orientales. Ibi ex Apostolo primum hortatur, « ut se quisque probet, num sit in fide [3], *ac si velit*, emendare se facile posse, si sanctorum Patrum monimenta scrutetur, qui, ob rectam dogmatum et exactam rationem, laudem ab omnibus approbationemque meruerunt : tunc solerter suam fidem explorabit. Omnibus enim, quibus integra mens est, propositus est hic scopus, ut illorum opiniones sequantur ; quoniam et ipsi apostolica, et evangelica traditione cum mentem implessent suam, ac fidei doctrinam recte ac citra labem, et errorem admodum tractassent [b], luminaria in mundo fuerunt, verbum vitæ continentes [3]. » Hic locus vel eo maxime animadvertendus est, quod ex eo discimus quem usum afferant, ad catholica stabilienda dogmata, testimonia Patrum : nimirum ut ex illis traditionis perpetuitas constet, quod unum inter theologica principia numerari supra demonstravimus. Sic Mansuetus episcopus Mediolanensis in synodica epistola ad Constantinum Pogonatum, quæ sextæ synodo præfixa est, ad res fidei constituendas, *apostolicas traditiones, et venerabilium Patrum instituta* conjunctim tenere præcipit ac tam Græcos, quam Latinos complures recenset « orthodoxos Patres, qui per diversa loca zelo Dei ferventes dogmata salutaria nobis reliquerunt. Quibus nominatis, quidquid hi docuerunt, inquit, sapuerunt, prædicaverunt vel defensores exstiterunt, nos

a Trul. syn., can. 19. Ὅτι δεῖ τοὺς τῆς τῶν Ἐκκλησιῶν προεστῶτας ἐν πάσῃ μὲν ἡμέρᾳ, ἐξαιρέτως δὲ ταῖς κυριακαῖς, πάντα τὸν κλῆρον, καὶ τὸν λαὸν ἐκδιδάσκειν τοὺς τῶν Εὐσεβείας λόγους, ἐκ τῆς θείας γραφῆς ἀναλεγομένους τὰ τῆς ἀληθείας νοήματά τε, καὶ κρίματα, καὶ μὴ παρεκβαίνοντας τοὺς ἤδη παραδοθέντας ὅρους, ἢ τὴν ἐκ τῶν θεοφόρων Πατέρων παράδοσιν· ἀλλὰ καὶ εἰ γραφικὸς ἀνακινηθείη λόγος, μὴ ἄλλως τοῦτον ἑρμηνευέτωσαν, ἢ ὡς ἂν οἱ τῆς Ἐκκλησίας φωστῆρες, καὶ διδάσκαλοι διὰ τῶν οἰκείων συγγραμμάτων παρέθεντο.

b Cyr. *ad Anath*. 8. Ἑαυτόν γε μὴν ἐπανορθώσεται, καὶ μάλα ῥᾳδίως, τοὺς τῶν ἁγίων Πατέρων πολυπραγμονήσας πόνους· οἳ καὶ ἐπ' ὀρθότητί τε, καὶ ἀκριβείᾳ δογμάτων διαβόητον ἔχουσι παρὰ πάντων τὴν εὐφημίαν, τότε τὴν οἰκείαν εὐτέχνως δοκιμάσει πίστιν· σκοπὸς γὰρ ἅπασι τοῖς ἀρτίοις τὴν φρένα, ταῖς ἐκείνων ἕπεσθαι δόξαις ὅτι καὶ αὐτοὶ τῆς τε ἀποστολικῆς, καὶ εὐαγγελικῆς παραδόσεως τὸν οἰκεῖον ἐμπλήσαντες νοῦν, καὶ τὸν ἐπὶ τῇ πίστει λόγον ὀρθῶς τε, καὶ ἀμωμήτως ἐκ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, εὖ μάλα κατωρθωκότες, φωστῆρες ἦσαν ἐν κόσμῳ λόγον ζωῆς ἐπέχοντες. for. τὸν ἐπὶ τῇ πίστει λόγον.

1 Lib. VII. cap. VIII. 1. — 2 Sess. 4, — 3 II *Cor*. XIII, 5. — 4 *Philip*. II, 15, 16.

eorum acta, vel statuta omni devotione suscipimus. »

Rursus Cyrillus idem Alexandrinus in epistola prima *ad Successum*, de incarnationis dogmate ac fide, « doctos esse nos ait a divina Scriptura, et sanctis Patribus [a]. » Et in fine epistolæ : « Sequentes, inquit, ubique orthodoxa sanctorum Patrum decreta contra Nestorii dogmata librum conscripsimus [b]. » Et in dialogo primo *de Trinitate*, ad sinceram, et catholicam fidem obtinendam, « satis esse dicit sanctorum Patrum monimenta, in quibus si quis prudenter versari, et vigilanter ea tractare velit, divina statim luce mentem suam implebit. Non enim ipsi loquebantur in illis [c], etc.»

Quocirca recte Martinus papa primus in Lateranensi synodo dictum illud Victoris Carthaginensis approbat, quo hortabatur, « nihil permittere dici noviter a quopiam, quod sanctorum Patrum traditio minime definivit [1]. » Et in decreto synodi ejusdem, anathematismus XVII, ita se habet : « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem omnia quæ tradita sunt, et prædicata sanctæ catholicæ, et apostolicæ Dei Ecclesiæ, perindeque a sanctis Patribus, et venerandis universalibus quinque conciliis, usque ad unum apicem, verbo et mente, condemnatus sit [2]. » Leontius his Byzantinus accedat in primo libro contra Nestorium, et Eutychem* : « Post Apostolos, ait, et prophetas, doctores posuit in Ecclesia Deus, secundum providentiam Spiritus sancti incomprehensam, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi. Quare qui Patres illos non recipit, qui in Ecclesia clari et celebres sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit [3]. »

V. Hic ille est igitur loci illius fructus, qui in veterum testimoniis consistit, ut ex iis antiqua Ecclesiæ traditio probetur. Quemadmodum Augustinus ostendit, dum adversus pelagianos originale peccatum ex antiquorum Patrum auctoritate probat. Nam adductis in medium testimoniis quorumdam, ut Cypriani, et Hieronymi, mox ita scribit : « Hæc non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis, qui dominica tractarent eloquia magis certissimum proferretur ad alia refutanda, quam id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur [4]. »

Egregie sane in his verbis exponit Augustinus, quem in finem ad comprobanda fidei decreta testes citentur antiqui Patres. Non enim fit hoc propterea tantum, ut illorum auctoritas, et dignitas probabilius efficiat quod dicitur : quatenus, ut recte Guillelmus Parisiensis in libro *de Virtutibus* scripsit, sicut Ptolemæo licuit ea tanquam certa sumere, quæ ab Hipparcho notata fuerant in siderum scientia, et ab illo ipso Ptolemæo quæ erant observata, posteriores pro ratis, ac minime dubiis usurparunt : « Sic licere nobis debet ea supponere, quæ nobis tantorum tam veneranda in scriptis suis reliquit antiquitas [5]. » Sed non ideo solum, quod per se digni illi sunt, quibus fides adhibeatur, eorum testimonio nitimur; sed multo magis, quod in illorum testificatione traditionis apostolicæ memoria continetur, ad ætatem usque nostram perpetua scriptorum successione perducta. Sane quantum illorum sententiæ, ac velut responsa de fidei rebus, ponderis habeant, unius ab communione catholica vox alieni hominis ostendit. Is est Beza, qui in opusculo quodam *de Unitate divinæ essentiæ* dicit ea quibus suam,

a Cyril. tom. V, part. II. Ἀλλ' ἐδιδάχθημεν παρὰ τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῶν ἁγίων Πατέρων, etc.

b Ibid. Ἀκολουθοῦντες δὲ πανταχῆ ταῖς τῶν ἁγίων Πατέρων ὀρθοδοξίαις, κατὰ τῶν Νεστορίου δογμάτων συγγεγράφαμεν βιβλίον.

c Cyril. dial. 1. *de Trinit.* tom. 5. Ἅλις γὰρ ἅλις αἱ τῶν ἁγίων πατέρων εἰς τοῦτο συγγραφαὶ, αἷς εἴπερ τις ἕλοιτο νουνεχῶς ὁμιλεῖν, καὶ ἐγρηγορότως προσφέρεσθαι, φωτὸς ἂν τοῦ θείου τον οἰκεῖον εὐθὺς ἀναμεσθώσειε νοῦν· ἦσαν γὰρ οὐκ αὐτοὶ λαλοῦντες ἐν αὐτοῖς.

* Hæc quæ Petavii ætate nonnisi latine extabant, interprete Francisco Turriano, græce deidit cardinalis Mai (*Spicileg. Rom.* t. X.), et sic habent (Lib. I, n. 35, p. 34) : Μετὰ γὰρ τοὺς Ἀποστόλους καὶ τοὺς προφήτας, ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοὺς διδασκάλους, κατὰ τὴν ἀνεξιχνίαστον τοῦ Πνεύματος οἰκονομίαν, τέθεικεν ὁ Θεός, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, οὐκοῦν ὁ τοὺς Πατέρας μὴ δεχόμενος τοὺς διαφανεῖς τε καὶ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ περιβοήτους, προφανῶς τῇ διαταγῇ τοῦ Θεοῦ ἀνθέστηκεν. J. B. F.

1 Later. sub Mart. secret. 2. p. 686. d. tom. IV. conc. — 2 Secret. 5. p. 734.— 3 Tom. IV. bibl. pp. col. 971. — 4 Aug. l. III. *de Peccat. mer.* cap. VII. — 5 Cap. XI.

hoc est Calvini, causam labefactat, et catholicam mirum in modum confirmat[1]. Cum enim Augustini verbis verum Ecclesiæ dogma comprobasset, « Quis sano, inquit, homini persuaserit aliter docuisse Augustinum de Trinitate, quam Africanas Ecclesias; et istas rursus aliter, quam catholicus consensus ferret, sensisse? » Præclare hoc quidem, ac verissime : sed quo semel constituto, tota istorum jacet hæresis, quæ adversus Romanæ professionis antiquam, testatamque fidem sola se scripti verbi futili cavillatione defendit.

Qua cautione adhibenda Patrum testimonia.

VI. Hoc igitur excepto usu testium hujusmodi, non certa penitus, neque dubitationis expers omnis, aut ad catholicæ fidei statuendum dogma, idonea erit illorum assertio. Quod prudenter Augustinus non uno in loco commendat. Velut in epistola CXI. « Neque enim, inquit, quorumlibet disputationes, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. » Et alibi, postquam Libris sacris canonicam, et ab falsi suspicione tutam veritatem asseruit, mox de cæteris scribit sic : « In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi canonicæ sacratissimarum Litterarum auctoritati coæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit : et ideo cuncta ejusmodi nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur sive omnino ita esse, sive fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit non reprehenditur[2]. » Tum in epistola XIX, *ad Hieronymum*, post idem expositum de scriptoribus canonicis judicium suum, « Alios autem ita lego, inquit, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. » Atque hujus generis sententiæ sunt, de suis aliorumque scriptis similes multæ, modestissimi ac sanctissimi doctoris, ex quibus aliquot refert Gratianus in decreto, distinctione X[3]. Ex quibus evidens est antiquorum patrum responsa, extra synodales, eodemque probatos ab Ecclesia consessus, aut citra traditionis apostolicæ, quam adstruunt, fidem, non habere certam indubitatamque probandi firmitatem, sed probabilem duntaxat, et iis terminis definitam, quos Augustinus, aliique Patres præscribunt.

Nonnullæ regulæ proponuntur.

VII. Quamobrem cautionibus quibusdam præmuniendus est hoc loco theologus, ut sciat quid in illorum auctoritate tractanda, ex eaque conficiendis argumentationibus sequi debeat. Harum prima, uti par est, ad officii legem ac virtutis, hoc est ad imbuendum voluntatis affectum attinet : ut erga illos pium hunc et placidum, cum reverentia quadam et honore servemus : nec contemptim eos, atque inciviliter habeamus, si qua in re titubasse visi sunt nobis, aut ab illis utcumque dissentimus. Meminisse hoc enim oportet, quod pulchre scriptum est a Facundo Hermianensi, errores patrum « luminarium esse defectus, quæ licet nonnunquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt[4]. » Cujus rei singulare nobis exemplum præbet Augustinus, cum adversus Cypriani de hæreticis denuo baptizandis errorem contra donatistas disputat. Nunquam enim nisi honorifice de eo loquitur, nec sine præfatione veniæ, non tam eum, quam opinionem ipsam, in quam incautus ac nesciens impegerat, refellit, et arguit. Hujus specimen in uno loco demonstrare satis fuerit. In libro sexto *de Baptismo contra Donatistas*, capite secundo : « Quapropter, inquit, reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persolvens pacifico episcopo, et glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter sensisse de schismaticis, vel hæreticis baptizandis, quam postea veritas prodidit[5], etc. » Igitur si quo in errore deprehensos magnos

1. Opusc. Bezæ. — 2 Lib. X. *Cont. Faust.* c. V.— 3 Ut in ep. 7. et lib. *de Dono persever.* c. XXII.— 4 Lib. VI. — 5 Tom. VII d. 66. d. 9.

illos viros a nobis dimittimus, nonnisi cum honore faciamus, vel Platonis imitatione, qui ab illa, quam describebat, republica, cum poetas propemodum omnes, tum præ omnibus Homerum ablegans, hunc ipsum citra ignominiam, atque etiam honorifice quasi extra civitatem deduci jussit, « vittis prius albis redimitum et effuso in ejus caput unguento pretiosissimo[a]. » Quod non sine exprobratione refert Ponticus Heraclides.

VIII. Altera est cautio, ut ne temere illos, ac nisi magno cum judicio notemus erroris. Sed si qua in eorum libris leguntur ambigue dicta, quæ ex aliis eorum sententiis explicari, excusarique possunt, teneamus hoc potius, quam illis falsæ aliquid opinionis adscribamus. Hanc regulam prudenter, copioseque præscribit Facundus Hermianensis in libris *de Tribus capitulis*, cujus operis argumentum ex illo fere loco dependet. Primum ita in nono libro scribit : « Quemadmodum calumniantium hæreticorum est ex dubiis, et obscuris quæ certa, et manifesta sunt male interpretari ; ita solitum est prudentiæ, ac pietatis catholicæ, ex indubitatis, atque evidentibus, et firmare ambigua, et latentia declarare. Ideoque melius facimus, si virorum doctissimorum in pace Ecclesiæ mortem obeuntium scripta melius interpretemur[1]. » Et paulo post de Nestorianis agens : « Nam si illi clarissimos, inquit, Ecclesiæ doctores suæ parti volentes applicare, sententias eorum Nestoriano dogmati manifeste contrarias ex aliis minus apertis obscure conantur, et in suam detorquere sententiam ; multo magis nos ea, quæ dubia videntur in eorum dictis, melius interpretamur ex his quæ certa sunt. » Et in undecimo libro docet : « non tam secundum verborum sonos, quam secundum mentis intentionem judicanda esse dicta majorum. » Et postea « quid ergo, inquit, si aliquis Theodori, vel cujusquam in Ecclesiæ pace defuncti nobis error apparet, approbandus, atque sequendus est? absit. Sed quærendum est prius, et cum instructioribus conferendum, ne quod culpabile nobis apparet, ab auctore suo alia intentione prolatum sit : nec ex eo, quod nobis videtur, non interrogatus judicandus est ille qui dixit, maxime si alia dixisse inveniatur contraria illi errori, in quem creditur incidisse. »

Est et ejusdem Facundi laudanda de antiquis Patribus ista sententia : « Sicut illorum doctrina, qui extra Ecclesiam constituti, multa vera et necessaria conscripserunt, non potest pro iisdem rectis, et necessariis catholica judicari ; ita domesticorum Ecclesiæ doctrina, vel si in aliquibus ostendantur errasse, non pro eis condemnanda est velut hæretica[2]. » Cujus discriminis rationem postea ex intentione repetit. « Quia dictorum offensionem dicentium excusat intentio, secundum quam de verbis melius judicatur[3]. »

IX. Tertium illud in tractandis veterum sententiis adhibendum est, ut non tantum eosdem secum, sed diversos inter se comparemus, atque ut aliorum, pluriumque consensum paucis anteponamus, qui paululum ab vero communique decreto aberrasse videbuntur. Quem locum egregie perpolitum habes apud Vincentium Lirinensem in libello contra hæreses. Ubi præcepta dat ejusmodi, quæ non minus liquidæ, ac sinceræ theologiæ, quam orthodoxæ fidei indagatorem strenuum adjuvant. Nam tria sequenda esse dicit : « universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores, ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pæne omnium sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. » Ac paucis interjectis, admonet, ut cum aliqua de fidei veritate quæstio incidit, operam det quisque « ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus, et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ communione, et fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt : et quidquid non unus, et duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse co-

a Heracl. Pont. in lib. *de Alleg. hom.* Ἐῤῥίφθω δὲ καὶ Πλάτων ὁ κόλαξ, Ὁμήρου συκοφάντης, ἔνδοξον ἀπὸ τῆς ἰδίας πολιτείας τὸν φυγάδα προπέμπων, λευκοῖς ἐρίοις ἀνεστεμμένον, καὶ πολυτελεῖ μύρῳ τὴν κεφαλὴν διάβροχον.

1 Cap. V. — 2 Fac. lib. XI, cap. III, p. 477. — 3 Ibid. c. III, p. 49.

gnoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum. » Atque hoc deinceps exemplis utiliter ostendit.

X. Duo ad extremum in usu Patrum observare convenit*. Alterum, quod Theodoretus in tertio dialogo adversus hæreses notavit [a] : sæpe modum illos excessisse in disputandis, ac declarandis divinis dogmatibus « cum adversus Ecclesiæ hostes pugnam consererent. Quod ipsum agricolis quoque stirpium cultoribus usuvenit, qui cum incurvam aliquam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt, sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, ut ex vehementiori in contrariam inclinatione ad rectum perducatur. » Quod Hieronymo interdum accidisse scimus, nec non Augustino, et ex Græcis Chrysostomo, ex quibus, uti cæteros taceam, capi exempla multa possunt illius instituti.

a THEODORET. tom. IV. Ἡ σφόδρα γὰρ πρὸς τοὺς ἀντιπάλους διαμάχη τῆς ἀμετρίας αἰτία· ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ τοῖς φυτηκόμοις φίλον ποιεῖν· ὅταν γὰρ ἴδωσι κεκλιμένον φυτὸν, οὐ μόνον πρὸς τὸν ὀρθὸν ἀνιστῶσι κανόνα, ἀλλὰ καὶ πέρα τοῦ εὐθέος εἰς τὸ ἕτερον ἀντικλίνουσι μέρος· ἵνα τῇ ἐπὶ πλέον εἰς τοὐναντίον ἐπικλίσει, τὴν εὐθεῖαν πραγματεύσηται στάσιν.

* Mirum est auctorem nostrum, alioquin erga sanctos Patres tanta reverentia præditum, tam facile concedere Patres errori propulsando intentos, in oppositum esse delapsos. Si enim hoc universaliter esset verum, magnum inde illorum auctoritati judicium accederet. Nec ad rem pertinet allata, oratorio more, Theodoreti comparatio. Quod enim in agricolatione perquam utile est, in divinis dogmatibus edisserendis pessimum, atque tum ipsis expositoribus, tum auditoribus, seu lectoribus periculosum et exitiale. Nonne ex hoc agendi modo, in causa Arii ab aliquibus usurpato, exordium sumpsit nefanda Eutychetis hæresis? Quidquid sit de mente auctoris, qui alibi locutiones Patrum minus accuratas, gravi non minus quam dulci modo, ad catholicum sensum adducit; certum est apud omnes orthodoxos.

Consensum omnium, vel fere omnium sanctorum Patrum, in materiis fidei vel morum, summam obtinere auctoritatem. « In unius Ecclesiæ catholicæ communione, ait Vincentius Lirinensis, magistri probabiles extiterunt, ut quidquid non unus vel duo tantum, sed omnes pariter, uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi (Christianus catholicus) intelligat absque dubitatione credendum.) » *Comm.* c. III. Similiter concilium Tridentinum maximam haberi voluit, in exponendis sanctis Scripturis sententiæ Patrum rationem, vetuitque « ne quis, prudentiæ suæ innixus, contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » *Sess.* IV. De his apud catholicos nullum haberi dubium potest.

His positis, observandum est : 1° Distinguenda esse ipsa fidei dogmata, quæ Patres asserunt, et quorum sunt testes, a ratiocinationibus quibus ea propugnant. Patres sunt traditionis testes, non artis dialecticæ magistri. Argumenta quæ proferunt ad logicæ regulas sunt revocanda, nec plus valoris habere possunt, quam per logicæ regulas licet.

2° Patres, quam plurimum, non scholastico more scripsisse sed modo oratorio, in quo sunt multa figurata et hyperbolica, quæ juxta mentem auctorum et subjectam materiam sunt dextre intelligenda, nec ultra scopum ab iis intentum, nimis urgenda.

3° Distinguendos esse Patres qui ante, ab iis qui post exortas hæreses scripsere. Priores, ait Bossuetius post sanctum Augustinum, nondum agitata quæstione, dextre se intelligi confidentes, securius loquebantur (*Defens. Trad. et sanctorum Patrum*, lib. VIII. c. I). Fierique potest, addit sanctus Hieronymus, « ut innocenter quædam et minus caute scripserint, et quæ non possent perversorum hominum perfidiam declinare.» (*Apol.* 2 *contra Ruff.*) : In his non tam præcisio verborum quam vera sententia expectanda: persæpe enim. si absque præjudicato sensu legantur, inveniuntur in eadem sententia concordes, licet in verbis aliquatenus discrepent.

4° In materiis quæ fidem aut regulas morum non attinent, qualia sunt quæ de philosophia, physica, geologia, etc., tractant; juxta ideas suo tempore receptas loqui sanctos Patres, sicut et sacram Scripturam, nec ab eis plus aliquid quam a profanis auctoribus est expectandum.

5° Loca difficilia et obscura, vel quæ erroris alicujus labem præ se ferre videntur, benigne esse interpretanda, et ad sanum sensum, quoad fieri poterit, reducenda. Ex aliis ocis textibusque collatis, quisnam sit illorum verus sensus indagandum, sæpissime, cum de Græcis Patribus agitur, ad Græcos fontes recurrendum, ut eorum mens perspicua fiat, quæ in traductionibus transverse, vel insufficienter nonnunquam exhibetur. Si dubium adhuc supersit, præsumptio stat pro illis, utpote, viris sanctitate et scientia præcellentibus et qui in Ecclesia magno in honore semper sunt habiti.

6° Si vero, quod raro eveniet, nonnisi violentia verbis ac phrasibus illata, atque contorto collo, ad sanum sensum reduci possint, satius nobis videtur simpliciter fateri eos in errorem esse delapsos. Quis enim inter catholicos unquam ausus est affirmare unumquemque Patrem individue sumptum esse infallibilem? Qui pro instituto habent Patres ab omni errore vindicare, atque, ut hoc obtineant, vim verbis phrasibusque inferunt, nonne ansam hæreticis præbent, eadem methodo, ea quæ contra se e Scripturis vel e traditione efferuntur, eludendi? Sane Augustinus ipse, Ecclesiæ lumen, ingeniumque præstantissimum, plura in suis scriptis minus accurata candide reprehendit et castigat, idque agendo bene de Ecclesia catholica meritus est, nec inde aliquid detrimenti sumpsit ejus auctoritas. Quidni, quod ipse de seipso, præ animi candore fassus est, nos de aliis Patribus absque præjudicio nostri erga illos obsequii, fateamur. J. B. F.

Alterum, non omnibus in libris ac locis omnia tractare, ac tradere veteres, sed in unum aliquid intentos, alia prætermittere, aut levius atque obscurius exponere. Præsertim de quibus nulla adhuc exorta quæstio sit, aut adversantium hæresum veluti tempestas ac procella, contra quam acriore studio, vigilantiaque niti oporteat. Tum enim incuriosos illos, ac minus accuratos securitas ipsa reddit, quæ stulte ac maligne ad præjudicium trahatur deprehensi, damnatique postmodum erroris. Id in plerisque catholicæ religionis mysteriis evenisse norunt, qui vel mediocrem usum habent in his litteris, ut in Trinitati negotio, nec non gratiæ, ac peccati originalis. Ac passim Augustinus contra novos tum hæreticos Pelagianos, hujusmodi tam sui, quamaliorum excusatione utitur : ut nos suis locis meminimus [1]. Tum vero, si Deus dederit, plenius aliquando de hoc argumento disputabimus. Nam propriam et diligentiorem, ut pro merito pertractetur, operam requirit, quam hoc loco præcerpere non est consilii, ac propositi nostri. Nunc enim idem, quod pretiosarum mercium institores, facimus, qui non ipsas pro foribus, sed earum indiculos ac nomina duntaxat in tabulis exponunt. Ita nos theologiæ locos ac principia designare, aut leviter informare modo satis habebimus.

CAPUT III.

De philosophia et dialectica, quatenus assumuntur ad usum theologiæ. Proponuntur veterum sententiæ quædam, quæ hujus commercio illis interdicere videntur. Ex Platonis philosophia prodiisse multas hæreses et cur ad has producendas, Platonica quam Aristotelea sit aptior. Categoriarum *nomine totum organum logicæ Aristotelis comprehensum ab Socrate historico: ejusque causa conjicitur. Ariani et Eunomiani ab eodem libro subornati ad hæresim. Metaphysica Aristotelis Parisiis damnata.*

I. Præter superiores illos proprios theologiæ locos, ex quibus partim necessariæ, partim probabiles argumentationes eruuntur, quarum vis christianæ fidei, et præstantioris, quam pro naturæ conditione, notitiæ fundamento nititur, sunt alii tanquam adventitii, quos hominibus innata ratio, vel usu quæsita suppeditat. Cujusmodi principia sunt illa, quæ dicuntur nota natura : tum quæ media ex philosophia comparantur adjumenta scientiæ. Nam et physica, et pars illa, quæ de moribus agit, et quæ metaphysica dicitur, non parum in theologiam conferunt, et quadam cum ea necessitate junguntur. Imprimis vero disserendi ars, et solertia, quæ dialectica vocatur, ad divinarum rerum scientiam frequenter adhibetur, ac per universam implicata, et conserta, pæne idem, unumque cum ea componit disciplinæ corpus. Quæ societas cœpit ab eo tempore longe arctior esse, quo ad scholas devocata theologia, ad eam est lapsa disserendi subtilitatem, quam hoc tempore obtinent ii, qui scholastici nominantur, hoc est ingeniosi quidam divinarum rerum disputatores, et acuti. De quo genere theologicæ tractationis dicam aliquid hoc loco, et veterum inter se dicta contendam, quorum alii philosophiam omnem, præsertim vero dialecticam, a theologia segregandam putant, velut insidiosam, et fallacem, minimeque cum negotio fidei, cujus hæc est alumna doctrina, cohærentem : alii e contrario utilem esse clamitant, immo vero necessariam. Quos tamen difficile non est in concordiam adducere, si cujus gratia, et quo quisque sensu loquatur, animadvertere velimus.

II. Ac primum universe illi omnes appellandi sunt, qui contra antiquiores hæreticos, horum æquales tempore disputarunt. Qui hoc sæpe sunt questi, corruptam ab iis esse christianæ simplicitatem, integritatemque fidei, qui philosophorum in scholis eruditi, eorum laqueos et argutias in illam intulissent. Eadem enim et in theologiam, quæ ex fide oritur, labes et querela redundat. De Platonis philosophia major et antiquior est expostulatio christianorum Patrum, quod superiores fere omnes hæreses a Platonicis inventæ, excultæque sunt, aut ex eorum consutæ fabulis indidem originem repetunt. Etenim similitudine nescio qua

Ex Platonis philosophia hæreses veteres prodierunt fere omnes.

[1] Vide interim t. I, lib. IX, cap. IV et seq. et tom. II, lib. I, cap. III.

fallebat ista secta, quia quædam habet similia nostrorum, ac propterea ut in metallis, ac lapillis, aut aromatibus et seplasiariorum unguentis, ea et usurpantur, et sunt, ad adulterandum aptissima, quæ veris, ac nativis propiora sunt; ita conditores hæresum, et mangones, ad corrumpendam fidei sinceritatem, Platonica potissimum inventa miscuerunt. De quibus nihil addam ad ea, quæ initio primi libri *de Trinitate* dixi. Et vero res per se loquitur, ac priscarum omnium hæresum, quæ primis sæculis tribus exortæ sunt, historia ipsa testatur, Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, ac cæteros, non aliunde, quam ex commentis Platonis subornatos esse ad illa fabricanda monstra *, et dedecora christiani nominis, quæ cum apud oppugnatores eorum sanctos illos Patres legimus, ingenti horrore percellimur.

Posteriores ex Aristotelica.

III. Insequens ætas tulit alios hæreticos, qui Aristotelicæ philosophiæ, et artificiosis istis molitionibus magis dediti, eosdem labyrinthos, ac tricas argumentationum subtilium importarunt in divinam sapientiam. Quo in genere princeps fuisse perhibetur Arius nefariæ sectæ conditor, qui quantus ad impietatem, et Ecclesiæ perniciem extitit, tantum cum sophistica illa disputandi calliditas, et malitia procudisse fertur. Fuit enim, ut historiæ narrant, « dialectica loquacitate, et astutia præditus[a]. » Et, ut Sozomenus expressius loquitur, « acerrimus dialecticus cum esset, atque istiusmodi disciplinis imbutus, in absurdos sermones delapsus est[b]. » Talis et Aetius, ac discipulus hujus qui fuit, Eunomius, in iisdem describuntur historiis. De Aetio prodit Epiphanius : « Eum jam ætate grandiorem, cum exterarum rudis esset artium, tandem Alexandriæ Aristotelico cuidam philosopho, et sophistæ operam dedisse, a quo illorum scilicet dialecticam edoctus, totus in id, ac per otium incubuit, ut divini Verbi rationem omnem quibusdam figuris explicaret[c]. » Idem de eo refert Gregorius Nyssenus in primo *contra Eunomium*, ubi Aetium scribit « in disputandi palæstra diligenter exercitatum, cum methodum syllogismorum, velut ex Aristotelicæ doctrinæ imagine quadam, ac resonantia comparasset, celebre nomen invenisse[d]. » Meminit et Socrates Aetii ejusdem dialecticæ studio impense dediti [1], ut et Eunomii, qui scriba illius, ac discipulus fuit, quem arte dialectica præpotentem Ruffinus nominat [2] : idque testantur Basilius et uterque Gregorius Nyssenus, ac Nazianzenus in iis scriptis, quibus hujus impiam confutarunt hæresim. Illorum certe duorum, a quibus Anomœorum fœda colluvies manavit, disputationes et argumenta descripserunt ii, quos appellavi, Basilius, et Gregorii duo, nec non Cyrillus in *Thesauris*, plenius autem, accuratiusque cæteris Epiphanius Aetii capita, quæ vocantur syllogistica [3]. Quæ qui legat, nihil esse sentiat, præter contorta, et aculeata sophismata, nullum ad usum alium, quam ad circumveniendum, irretiendumque facta. Adeo perplexæ, intricatæque magis, quam acutæ sunt omnes ibi ratiunculæ contra catholicam fidem ab ineptis sophistis excogitatæ, ut Aristotelis qualescumque discipulos, hoc est, rudes, et inchoatos, ac versutiæ illius, et artis tirones potius agnoscas, quam christianos, nedum theologos.

IV. Etenim non totam, nec interiorem peripateticorum philosophiam combibisse ambos illos referunt, sed prima duntaxat elementa

a Socrat. lib. I, c. v. Ἀνὴρ οὐκ ἄμοιρος τῆς διαλεκτικῆς λέσχης.

b Sozom. lib. I, c. xv. Διαλεκτικώτατος δὲ γενόμενος· ἐλέγετο γὰρ μηδὲ τῶν τοιούτων ἀμοιρεῖν μαθημάτων· εἰς ἀτόπους ἐξεκυλίσθη λόγους.

c Epiphan. *Hær.* 76, § 2. Οὗτος ὁ Ἀέτιος κατὰ τὸν κοσμικὸν λόγον ἀπαίδευτος ἦν, ἕως τῆς τελείας αὐτοῦ ἡλικίας, ὡς ὁ λόγος· ἐπενόησε δὲ ὑποβὰς, καὶ σχολάσας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἀριστοτελικῷ φιλοσόφῳ, καὶ σοφιστῇ, καὶ τὰ τῆς διαλεκτικῆς δῆτεν ἐκείνων μαθών, οὐδὲν ἕτερον πλὴν σχηματοποιεῖν τὴν περὶ τοῦ Θεοῦ λόγου ἀπόδοσιν σχολαίτερον ἐπεχείρει.

d Greg. Nyssen. in 1. *cont. Eunom.* edit. Grets. Ἐμμελετήσας τοίνυν τῇ τοιαύτῃ διατριβῇ, καί τινα συλλογισμῶν ἔφοδον ἐξ Ἀριστοτελικῶν ἀπηχημάτων παρατηρήσας, ὀνομαστὸς ἦν.

* Non unam extitisse Platonicam philosophiam qua Gnosticorum factiones subornatæ vehementius fuerint, laboriosæ accuratæque virorum eruditorum disquisitiones plus quam veritati simillimum effecisse videntur. E. R.

1 Lib. II, c. xxxv. — 2 Lib. I. *Hist.* c xxv. — 3 *Hær.* 76, 8, 10.

libasse dialecticæ, ac nihil admodum supra *Categorias* Aristotelis, ut tum illa tempora ferebant. Quanquam *Categoriarum* vocabulo totum ipsum, ut vocant, Aristoteleum organum logicæ comprehendisse videtur qui istud memoriæ prodidit Socrates, cujus verba hic exhibenda sunt cum Epiphanii scholastici interpretatione, quæ est in *Tripartita* 1 : « Hoc enim faciebat, inquit, sequens *Categorias* Aristotelis, disputans, et quædam commenta concinnans, quæ non intelligebat, neque ab eruditis intentionem Aristotelis cognoverat. Ille namque propter sophistas tunc deridentes philosophiam, hoc opus juvenibus exercitationis causa scribens, dialecticam sophistis per hujusmodi contentiones opposuit [a]. » Hinc puto constare Socratem *Categorias* appellare non peculiarem illum librum, qui categorias decem continet, sed totam ipsam logicam, præsertim vero libros de elenchis sophisticis duos, qui proprie ad retundendas sophistarum fallacias conscripti sunt.

Unde male apud antiquos patres tum Platonica, tum Aristotelica philosophia audiit.

Horum igitur et similium nebulonum importunitate factum est, Aristotelicis inventis ad exitium et pestem abutentium, ut apud primos illos defensores fidei male deinceps audiret non tantum disserendi ars, quæ arma illa ministrabat, sed philosophia insuper universa. Quam ideo complures, velut hostem judicatam christianæ religionis, proscribendam censuerunt, penitusque damnandam. Melius, et consultius alii non omnem ei penitus intercluserunt aditum theologiæ, sed modum aliquem, et limitem præfixerunt, quo ne ultra progredi fas esset, seseque cum divinarum rerum tractatione miscere. In quo dictum illud Apostoli minime illis excidit : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum; secundum elementa mundi, et non secundum Christum* 2. Audiamus utriusque partis præcipuos aliquot, et quinam concilientur invicem, rationem aliquam ineamus.

Citantur Patrum sententiæ dialectica interdicentium.

V. Primum Basilius adversus Eunomium pugnans de *Ingeniti* appellatione, cum hanc iste secundum privationem dici negaret, quod privatio posterior sit habitu, sic in eum invehitur : « Hæc illum, inquit Basilius, ex mundi sapientia garrire, a qua in præceps abreptus, hanc sermonis novitatem ingressus est, non est difficile monstrare. Aristotelis enim sunt, ut qui legerunt testari possent, sermones illi de habitu et privatione, in libro ejus qui inscribitur *Categoriarum*, ubi posteriores esse privationes habitibus docet. Nobis vero sufficeret, postquam ostendissemus non ipsum ex disciplina Spiritus sancti, sed ex sapientia principum hujus sæculi talia dixisse, istud e Psalmo contra eum proloqui : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine* 3 : cumque animadvertissemus non ex divinis verisque doctrinis Domini nostri Jesu Christi deprompta illa esse quæ diceret, Christi ipsius hanc commemorare vocem : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur* 4 : atque hoc modo verborum nobis multitudinem abscindere, cum hinc manifestum faceremus, nihil nobis cum illis esse commune [b]. *Quæ enim conventio est Christo ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli* 5 ? » Hic Basilius vere, ac proprie, ex *Categoriarum* libro Eunomium illa sumpsisse, quæ de privatione scripsit, affirmat. Quo ex loco suspicor Socratem illam de *Categoriis* Aristotelis haud satis cohærentem narrationem instituisse, atque hoc universe de tota Eunomii doctrina intelligendum putasse,

a Socrat. lib. II, c. xxxv. Τοῦτο δὲ ἐποίει ταῖς κατηγορίαις Ἀριστοτέλους πιστεύων· βιβλίον δὲ οὕτως ἐστὶν ἐπιγεγραμμένον αὐτῷ· ἐξ αὐτῶν τε διαλεγόμενος, καὶ ἑαυτῷ σόφισμα ποιῶν, οὐκ ᾔσθετο, οὐδὲ παρὰ τῶν ἐπιστημόνων ἔμαθε τὸν Ἀριστοτέλους σκοπόν· ἐκεῖνος γὰρ διὰ τοὺς σοφιστὰς τὴν φιλοσοφίαν τότε χλευάζοντας, γυμνασίαν ταύτην συγγράψας τοῖς νέοις, τὴν διαλεκτικὴν σοφισταῖς διὰ τῶν σοφισμάτων ἀντέθηκε.

b Basil. I, *cont. Eunom.* Ταῦτα δὲ ὅτι ἐκ τῆς τοῦ κόσμου σοφίας περιλαλεῖ, ὑφ' ἧς ἐκτραχηλισθεὶς, ταῖς τοιαύταις τῶν λόγων ἐπέθετο καινοτομίαις, οὐ χαλεπὸν ἐπιδεῖξαι. Ἀριστοτέλους γὰρ εἰσιν, ὡς οἱ ἀνεγνωκότες εἴποιεν ἂν, ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις αὐτοῦ κατηγορίαις οἵ περὶ ἕξεως, καὶ στερήσεως λόγοι, δευτέρας εἶναι λέγοντος τῶν ἕξεων τὰς στερήσεις· ἡμῖν δὲ ἐξήρκει δείξασιν αὐτὸν οὐκ ἐκ τῆς διδασκαλίας τοῦ Πνεύματος, ἀλλ' ἐκ τῆς σοφίας τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου λαλοῦντα· τὸ τοῦ Ψαλμοῦ πρὸς αὐτὸν ἐπιφθέγξασθαι· ὅτι διηγήσαντό μοι παράνομοι ἀδολεσχίας, ἀλλ' οὐχ ὡς ὁ νόμος σου Κύριε· καὶ μαθόντας ὅτι οὐκ ἐκ τῶν θείων, καὶ ἀληθινῶν διδαγμάτων τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐστι τὰ λεγόμενα, τῆς αὐτοῦ φωνῆς ὑπομνησθῆναι, ὅτι ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τοὺς πολλούς τῶν λόγων ἑαυτοῖς συντεμεῖν, ἐντεῦθεν καταφανὲς ποιήσαντας, ὅτι οὐδεμία ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς κοινωνία· τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου.

1 *Hist. trip.* lib. V, c. iii. — 2 Col. 2, 8. — 3 *Psal.* cxviii, 85. — 4 *Joan.* 8, 44. — 5 II *Cor.* vi, 15.

quod Basilius de una illius objectione dixerat. Cæterum iisdem in verbis videtur Basilius in totum abdicasse, ac rejecisse ab fidei theologiæque consortio universam Aristotelis philosophiam, tanquam Christo invisam et inimicam, atque ab hoste illius diabolo profectam. Quam nonnullorum opinionem refellit Clemens Alexandrinus in primo *Stromateon*, ut alibi meminimus [1]. Sed ab hujusmodi suspicione Basilium paulo post purgabimus.

VI. Rursus idem Basilius artificiosam illam disputandi solertiam in divinam invasisse sapientiam queritur alio in loco, cum homines ait « technologice magis quam theologice de divinis rebus disserere [a],» hoc est ad eas res explicandas argumentandi calliditate niti potius, quam solida, et theologo digna ratione. Quod etiam longe antea cavendum esse monuerat Gregorius Thaumaturgus in libro *de Incarnatione et fide*: « Ne evangelicam Scripturam, iniquit, curiose inquiramus, aridis, et enucleatis dictionibus inhærentes, ac ne quæstiones inextricabiles, verborumque contentiones seminemus, ac planum et facilem, eumdemque rectissimum fidei sermonem asperum, scabrumque reddamus [b]. » Quod ad scholasticas lites, et disputationes libenter illi traxerint, qui se offendi tanta illarum subtilitate profitentur, quibus quidem subinde satisfiet. Sequitur Gregorius Nazianzenus, qui « in Ecclesiam irrepsisse dolet captiones sophisticas, ac pravum artificium Aristoteleæ artis, et hujus generis alia, velut Ægyptiacas quasdam plagas [c]. » Quæ illius querimonia crebrior, ac vehementior est in iis orationibus, quas contra Eunomianos scripsit, quorum arguta loquacitate « eo rem adductam ait, ut propemodum exigua quædam articula videatur esse magnum fidei nostro mysterium [d]. » Et in sequenti oratione deplorat « illam disputandi de Deo rationem, quæ invaluerat ætate sua, quæ simplici et ingenua tractatione rejecta, tortuosum et involutum genus invexit, adeo ut cognoscatur arbor e fructibus, hoc est ater ille ac tenebrosus spiritus hujusmodi dogmatum afflator ex ista disputationis caligine [e]. » Quinetiam in *carmine iambico de Vita sua* eleganter laqueos illos ac strophas dialecticas describit, irridetque versibus istis :

Γλῶσσαί τε λάβροι, καὶ πολύστροφοι πλοκαὶ,
Ἐξ ὧν τὸ γ᾿ ἁπλοῦν οἴχεται τῆς πίστεως·
Ἱστοὶ τ᾿ ἀράχνης, σαθρὰ δεσμωτήρια
Τὰ κοῦφα συνδέοντες, ἰσχυροῖς γέλως,
Ῥαγεῖεν, ἢ λυθεῖεν ἐν στεῤῥοῖς λόγοις,
Οἵ τ᾿ ἐμπεσόντες ἐκφύγοιεν τοὺς βρόχους.

« Linguæque audaces, et multiplices textus
Per quos simplicitas perit fidei,
Telæque araneæ, imbecillus carcer :
Quæ levia illigant, robustis risus, [nibus,
Rumpantur, aut solvantur validis sermo-
Et qui inciderunt, effugiant laqueos [2]. »

Gregorius item Nyssenus frequentissime sophisticam illam astutiam Eunomio exprobrat, et a se negligi damnarique asserit. Ut initio libri secundi : « Ingenue, ac sine rubore fatemur, inquit, nos neque orationem aliquam rhetorico elaboratam artificio ad certamen comparasse, neque dialecticæ subtilitatis argutiam ad auxilium contra adversarios prætendere, quæ et veritatem in mendacii suspicionem apud imperitos traducit [f]. » Nec dissimili

a Basil. a Damasc. citatus in *Eglog*. tit. 76, ex epist. 18. Τεχνολογοῦσι λοιπὸν, οὐχὶ θεολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι.

b Greg. Thaum. apud Damasc. ibid. ex lib. Περὶ σαρκώσεως, καὶ πίστεως Μὴ περιεργαζώμεθα τὸν εὐαγγελικὸν λόγον λέξεσι περιξήροις, καὶ ἀπεράντους ζητήσεις, καὶ λογομαχίας σπείροντες, καὶ τὸν λεῖον, καὶ εὐθύτατον τῆς πίστεως λόγον τραχύνοντες.

c Naz. orat. 26. Καὶ οὐκ οἶδε λόγων στροφὰς, ῥήσεις τε σοφῶν, καὶ αἰνίγματα, etc., ἢ τῶν Ἀριστοτέλους τεχνῶν τὴν κακοτεχνίαν, ἢ τῆς Πλάτωνος εὐγλωττίας τὰ γοητεύματα, οἱ κακῶς εἰς τὴν Ἐκκλησίαν ἡμῶν εἰσέφρησαν ὥσπερ αἰγυπτιακαί τινες μάστιγες.

d Idem. orat. 33. Καὶ κινδυνεύει τεχνύδριον εἶναι τὸ μέγα ἡμῶν μυστήριον.

e Idem, orat. 34. Κατὰ τὸν νῦν κεκρατηκότα τύπον τῶν λόγων· ὃς τὸ γενναῖον, καὶ ἁπλοῦν ἀτιμάσας, τὸ σκολιὸν, καὶ γριφοειδὲς ἐπεισήγαγεν· ὡς ἐκ τῶν καρπῶν τὸ δένδρον γινώσκεσθαι, λέγω δὲ τὸ ἐνεργοῦν τὰ τοιαῦτα δόγματα σκότος, ἐκ τοῦ ζόφου τῶν λεγομένων.

f Nyss. lib. II. *contr. Eunom.* tom. II. Ὁμολογοῦμεν γὰρ ἀνεπαισχύντως ἡμεῖς μήτε τινὰ λόγον διὰ ῥητορικῆς τεθηγμένον, ἐπὶ τοὺς ἀγῶνας παρεσκευάσθαι, μήτε δεινότητα διαλεκτικῆς ἀγχινοίας εἰς συμμαχίαν κατὰ τῶν ἀντιτεταγμένων προβάλλεσθαι, ἢ καὶ τὴν ἀλήθειαν πολλάκις εἰς ὑπόνοιαν ψεύδους ἐπὶ τῶν ἀπείρων ἀντιμεθίστησιν.

1 Vide lib. III, *de Opif.* c. I, in fine tom. III. — 2 Idem, carm. de *Vita sua*.

mente Cyrillus Alexandrinus eosdem deridet hæreticos « qui nihil aliud quam Aristotelem ructant, et istis potius disciplinis, quam Scripturarum scientia sese venditant [a]. » Et alio in loco ait illos « misellis quibusdam ratiuncularum inventis persuaderi, quæ ex mundana apientia colligunt [b].

VII. Tertullianus in libro *de Præscriptionibus* late hunc locum exequitur. « Inferunt, inquit, Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi, et destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit [1]. » Tum citato illo Apostoli *ad Colossenses* capite secundo de cavenda philosophia : « Fuerat Athenis, ait, et istam sapientiam humanam, affectatricem, et interpolatricem veritatis de congressibus noverat [2]. » Ac demum : « Quid ergo Athenis, inquit, et Hierosolymis ? quid academiæ, et Ecclesiæ ? quid hæreticis et christianis ? nostra institutio de porticu Salomonis, qui et ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum [3]. Viderint qui Stoicum, et Platonicum et dialecticum christianismum protulerunt. » Illud quoque [4] Faustini veteris scriptoris adversus Arianos contortum, et efficax : « Ubi nunc sunt impia illa vestra sophismata, quæ Aristotelis episcopi vestri magisterio didicistis [4] ?» Hilarius item in libro duodecimo : «O portuerat, inquit, homines religiosam divinarum rerum scientiam præferentes, ubi evangelicæ, atque apostolicæ prædicationis veritas præcellebat, callidæ philosophiæ tortuosas quæstiones abjicere, et sectari potius fidem, quæ in Deo est, quia sensum infirmum facile fidei suæ præsidio sophisma syllogisticæ interrogationis erueret, cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibique secundum interrogationem rerum obsecundantem, ad ultimum jam sensus sui interrogatione spoliaret, ut quod professione amisisset, id jam conscientia non teneret. » Ambrosius quoque libro primo *de Fide*, capite tertio, de Arianis loquens : « Omnem, ait, vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ philosophorum sententia definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis [5]. » Et ad *Psalmum* CXVIII : « Elaborandum est, ait, ut in hoc sæculo stulti simus. Nihil nobis cum philosophia, ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat a vero, ne quis assertionem nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam, quæ apud Deum est, elegerunt disputationis tendiculas, et aucupia verborum secundum dialecticæ disciplinam. » Eodem spectat quod Augustinus, et [6] *Commentarius in Psalmos*, qui Hieronymo tribuitur*, ciniphes, qui tertia plaga Ægyptios vexarunt, designare asserunt « philosophiæ artis astutiam (verba sunt Augustini) vel hæreticorum calliditatem, quæ minutis, et subtilibus verborum stimulis animas terebrat, et tanta calliditate circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat unde decipitur [7]. »

VIII. Subscribit omnibus illis, et dialecticam perinde mandat hæreticis, et ab catholica vero pietate segregat Prudentius elegantissimis hisce versibus, præfatione ad *Apotheosim* :

Fidem minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior :
Solvunt, ligantque quæstionum vincula
Per syllogismos plectiles.
Væ captiosis sycophantarum strophis :
Væ versipelli astutiæ.

a Cyril. lib. XI, *Thes.* Δειχνύτωσαν ἡμῖν οἱ τὴν Ἀριστοτέλους ἐρευγόμενοι τέχνην, καὶ τοῖς ἐκεῖθεν μαθήμασιν, οὐ τοῖς ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς ἑαυτοὺς ἀποσεμνύνοντες.

b Idem dial. 1. *de Trin.* Ἐξ ἀθλίων τινῶν ἀναπεπεισμένοι σκεμμάτων, ἃ παρὰ τῆς ἐν κόσμῳ σοφίας συλλέγουσι.

* Licet in omnes se partes verterit Marianus Victorius, ut hunc in *Psalmos Commentarium* Hieronymo assereret et licet concedendum sit in ejusmodi commentario non pauca ex Hieronymo decerpta reperiri, omnia tamen persuadent ejusdem auctorem haberi Hieronymum non posse. E. R.

1 Cap. vii. — 2 *Act.* xvii. — 3 *Sap.* i, 1 — 4 Lib. *cont. Arian.* t. IV. *Biblioth. Patrum.* — 5 Amb. *in Psal.* cviii. — 6 Serm. 87. *de Tempore.* — 7 *in Psal.* civ.

Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus,
Ut concidant sophistica.

Mansuetus quoque Mediolanensis episcopus una cum provinciæ suæ episcopis, in epistola ad Constantinum Pogonatum, dialecticæ artis cavendas esse præstigias docet, neque cum christiana professione miscendas. « Nam si sunt, inquit, qui audacia dialecticæ artis inflati, cothurnata cervice, buccis tumescentibus, sinuosis circumitionibus, et flexuosis ambagibus, phaleris verborum, pompisque sermonum, sua ferali calliditate, simplicem fidei rationem convellere, et delegatas a Patribus regulas conculcare, vel temerare voluerint, eorum inflationibus tranquillitas vestra non acquiescat[1]. » Eamdem in fide tuenda simplicitatem commendat Honorius papa in epistola ad Sergium, in eadem synodo[2]. Et uberrime Anselmus capite secundo libri *de Incarnatione Verbi*. Ad hanc ipsam acutæ illius et litigiosæ philosophiæ augendam invidiam facit concilii cujusdam Parisiensis auctoritas, quod Philippo Augusto rege Francorum habitum est anno 1204 : ut scribit Rigordus. « In diebus, inquit, illis legebantur Parisiis libelli ab Aristotele, ut dicebantur, compositi, qui docebant metaphysicam, delati novo a Constantinopoli, et a Græco in Latinum translati; qui quoniam non solum prædictæ hæresi sententiis subtilibus occasionem præbebant, immo et aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt omnes comburi, et sub pœna excommunicationis cautum est in eodem concilio, ne quis eos de cætero scribere, legere præsumeret, vel quocumque modo habere[3]. » Hæreticus porro, de quo hic loquitur, fuit Almaricus, « qui cum in arte logica peritus esset, et scholas de arte illa, et de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram Paginam excolendam; semper tamen suum per se modum docendi et discendi habuit, et opinionem privatam, et judicium quasi sectum, et ab aliis separatum. » Unde et in varios errores, atque hæreses incurrit, ob quas tum post obitum damnatus, et excommunicatus est, atque ossa illius effossa projectaque sunt, tum ejus sectæ complures igne cremati.

Metaphysica Aristotelis Parisiis damnata.

IX. His et hujuscemodi aliis antiquorum sententiis onerari potest, soletque philosophiæ causa, dum propriis egressa finibus, et altius quam pro conditione captuque suo pervolans, divinis sese rebus immiscet. Atque hæc pervagata est postremis hisce sæculis bene multorum querimonia, qui metaphysicis istis ac dialecticis contentionibus, et subtilium quæstionum disputationumque laqueis et ambagibus totam asserunt fœdatam, et adulteratam esse theologiam, atque in sophisticam transisse versutiam, pristina gravitate ac majestate funditus amissa. De qua re longa extat et stomachi plena contra Latinos expostulatio Nicephori Gregoræ historici Græculi in fine libri decimi, cujus locum expendam paulo post.

Aliquorum in theologiam scholasticam calumniæ.

Ac nemo fere est hac ætate qui paululum se humanitatis artibus et eruditæ antiquitatis notitia perfudit, quin scholasticæ, ut vocant, theologiæ irasci se dicat ejus gratia, quod horrida et inculta sit, ac plus æquo jurgiorum amans ac litium. Quod ex eo illi tempore contigit, quo aditum ad sese philosophiæ dedit, maxime dialecticæ, vel ad earum etiam ultro spineta correpsit. Quo in genere criminationis præ cæteris odiosi sunt, quos sectarum vel dogmatum novitas delectavit, quorum nemo est, qui non acerbum et implacabile subtili isti scientiæ bellum indixerit. Declamavit in eam, ut alios omittam, beatus Rhenanus in *Scholiis ad Tertullianum*[4], tum Erasmus longe impotentius, et copiosius in *Annotationibus ad Epistolas Pauli*[5] et alibi sæpe : ac novissime, qui illius odio, rerum novarum causas in hac doctrina sacra quæsivit, non ei prius, in quam hostili erat animo, quam ipse sibi, hoc est, naturæ ac libertati, quam ab se abjudicavit, inimicus et infestus. Equidem causæ aliquid non esse negaverim, quod politos et litteratos interdum moveat ut argutis et enucleatis divinarum rerum disputatoribus istis succenseant ac vehementer illis assentior, intra modum rationemque contineri acutorum et curiosorum hominum industriam oportere. De quo nonnihil postea dicam. Sed morosos illos ac delicatos, quibus philosophicæ ac dialecticæ subtilitatis genus omne displicet, satis inique et importune facere arbitror, qui quatenus culpandæ sint artes illæ et ab communione christianæ

1 Initio sextæ syn. tom. V. p. 15. — 2 Act. 12. syn. sextæ p. 205. — 3 In lib. *de Gest. phil.* p. 208. — 4 In *Admon. de dogmat. Tertul.* — 5 In *Annot. ad cap. I. ep. ad Timoth.*

sapientiæ majorum judicio rejectas, vel propter tarditatem non intelligunt, vel nequiter et calumniose dissimulant. Qui nunc docendi erunt, aut retundendi; ut stulte molesti esse desinant, eorum, ad quos provocant, exemplo theologorum veterum, et auctoritate convicti.

CAPUT IV.

Philosophiam, et dialecticam utilem esse theologiæ. Quid sit philosophia. Theologum ab Clemente Alexandrino vocari γνωστικόν. *Huic vero prodesse philosophiam et liberales artes : nec tantum ad ornatum illam valere, sed etiam necessariam esse. Dialecticam imprimis ad retundendos hæreticos, et alios fidei hostes conferre, tum ad gignendam divinarum rerum scientiam requiri. Quo sensu Patres disciplinas illas longius arceant. Fidem præire, non sequi debere. De* ἐριστικῇ *et sophistica dialectica et quatenus adhibenda sit.*

Duo propter quæ hodierna theologia apud aliquos male audit.

I. Duo sunt propter quæ hodierna theologia male apud plerosque hactenus audivit et in sermones eorum ac reprehensiones incurrit. Unum est, antecedenti expositum capite, quod captionibus aculeatis et sophisticis referta sit, ex quo Aristoteleam philosophiam, præsertim vero dialecticam, in usum et consortium ascivit, quam merito Timon ille μισάνθρωπος, *in Sillis* « tristem ac molestam ineptiam» vocaverit[a]. Alterum est, impura sermonis et lutulenta barbaries, quæ si esset necessaria, ut vitari nullo modo posset, tamen esset dolenda. Nunc inertia factum, aut etiam studio et voluntate queruntur illorum, ut in theologiam invaserit, eamque sui juris ac potestatis fecerit, adeo ut theologorum more loqui, idem esse vulgo sentiant, quod putide ac rustice et inconcinne dicere. De utroque constitui pauca deinceps expromere ac de priori hoc et sequentibus duobus capitibus, ubi demonstrare hoc aggredior, quam theologiæ opem afferat philosophia tum universa, tum ejus illa pars, quæ in disserendi subtilitate versatur. Ac mihi trifariam patere illius opportunitas videtur, vel ad ornandam, vel ad tuendam, vel ad formandam divinarum rerum scientiam. Quæ antequam sigillatim explico, philosophiæ natura constituenda nobis est ac definitio. Quæ jam ita percrebuit a Platone perfecta, ut esse dicatur «divinarum et humanarum rerum scientia[b]. » Qua in definitione forsitan illud offendet, quod etiam divinarum illi rerum cognitio tribuitur, quæ est propria theologiæ. Sed interest quo divinæ res modo tractentur. Nam et Deus natura duce atque ex effectis intelligitur, ut in primo *Epistolæ ad Romanos* capite testatur Apostolus. Sed alia est ejusdem notitia, quæ ex fide ac revelatione comparatur. Ea peculiaris est theologiæ nostræ. Cum qua si altera societur, quam ex naturalium rerum inquisitione philosophia suppedidat, magna fit et ad ornatum et ad usum ac commoditatem prioris illius accessio.

(Margin: *Hominum osor.* — Triplex philosophiæ utilitas. — Quid sit philosophia.)

II. De ornatu perspicuum est, quantum humana ista sapientia conferat. Nam theologus is demum absolutus est, qui comprehensam habet animo doctrinarum omnium facultatem, quarum pars maxima philosophiæ ambitu ac voce continetur. Declarat hoc et frequenti et uberrima oratione Clemens Alexandrinus, dum in plerisque *Stromateon* libris perfectum numeris omnibus exemplar informat christiani sapientis, hoc est theologi, quem γνωστικὸν appellare solet. Ac primum philosophiam veram, quæ idem apud illum est cum theologia, definit, « Appetitionem ejus quod vere est et disciplinarum, quæ ad illud pertinent[c]. » Et alio in libro, sapientiam dicit esse « scientiam divinorum humanorumque bonorum[d]. » Quam quidem sapientiam proprie γνῶσιν nominat, a qua γνωστικὸς quem esse dixi theologum. Sic enim γνῶσιν describit, ut plane cum theologia congruat. « Cognitio, inquit, est demonstratio firma et stabilis eorum, quæ per fidem accepimus, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, et ad hoc deducit, quod im-

(Margin: 1° Philosophia confert ad ornatum. — *Gnosticum.* — *Gnosim, gnosticus, gnosis.*)

a Timon apud Laërt. *in Arist.* Οὐδ' ἄρ' Ἀριστοτέλους εἰκαιοσύνην ἀλεγεινήν.

b Alcino, cap. I. et Amm. *in Porphyr.* Φιλοσοφία δέ ἐστιν ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων.

c Clem. alex. lib. II, *Stromat.* Φιλοσοφίας οὔσης ὀρέξεως τοῦ ὄντως ὄντος, καὶ τῶν εἰς τοῦτο συντεινόντων μαθημάτων.

d Idem, *Strom.* 6. Ἥ τε σοφία δύναμις οὖσα· οὐκ ἄλλο τι ἐστιν, ἢ ἐπιστήμη τῶν θείων καὶ ἀνθρωπείων ἀγαθῶν.

mutabile est, et cum scientia comprehendi potest [a]. »

Gnosis. Est igitur γνῶσις idem omnino ac disciplina hæc nostra, quam theologiam dicimus et *Gnosticus.* γνωστικὸς ille Clementis est theologus. Quare *Gnostico.* omnia illa, quæ idem auctor in γνωστικῷ suo requirit ornamenta, in theologum competunt. Cujusmodi est inter alia doctrinarum omnium complexio, non solum magnarum, sed etiam mediocrium. Quemadmodum in sexto libro operis ejusdem docet. Ubi sapientem illum suum, et *Gnosticum.* γνωστικὸν vetat « supervacaneum tractare aliquid in victu, vestitu, studiis [b]. » Et tamen ita se gerere illum debere *Gnosim.* dicit, ut cum « primario circa γνῶσιν, hoc est, divinarum rerum scientiam, occupetur, ex consequenti tamen, ac velut accessionis loco *Gnosim.* in iis versetur, quæ ad γνῶσιν exercendo præparare possunt; tum ex unaquaque disciplina quod ad veritatem conducibile sit, accipiat [c]. »

III. Idem et in primo libro « philosophiam ait, ante Domini adventum, Græcis ad justitiam fuisse necessariam, nunc autem ad religiosam pietatem utilem esse, eo quod prævia quædam eruditio sit iis, qui fidei per demonstrationem fructum colligunt [d]. » Tum paucis interjectis : « Liberales artes asserit ad philosophiam conferre, tanquam ipsarum dominam. Ita etiam philosophiam ipsam ad sapientiam comparandam conducere [e]. » Hanc deinde sapientiam ita cum philosophia contendit. « Etenim philosophia velut artificium est quoddam, et facultas; sapientia vero scientia divinarum humanarumque rerum causarumque, quibus eæ continentur. »

Gnosticum. Ex iis evidens tum γνωστικὸν illum et sapientem, in quo describendo et commendando prolixus est adeo Clemens ille, vel potius quem informandum instruendumque sibi opere in illo proposuit, nullum esse alium quam theologum nostrum; tum minime ab eo removendam esse philosophiam, sed ei potius decori et ornamento fore atque haud mediocrem ex ea redundare fructum. Verum hujusmodi cautionem in admittenda philosophia plerisque illis in locis adhibet, ut ne divinis præstantioribusque neglectis, totum se humanis creatisque rebus addicat, et in earum contemplatione defigat animum. Quod in sexto libro insigniter facit, ubi quid ex quaque doctrina capere debeat, theologo præscribit. Sed non sunt omittenda verba ejusdem libri, quæ quomodo uti illum disciplinis oporteat pulchre et ad mentem nostram explicant : « Gnosticus, ait, in primis ac præcipuis semper animum occupatum habet. Quod si quando illi otium est, et remittendi a primariis studiis animi tempus, Græcam attingit philosophiam, tanquam bellarium aliquod post cœnam arrodens, ita quidem ut meliora non negligat, sed illa quatenus satis est assumat [f]. »

IV. Est itaque theologiæ non aspernandum philosophiæ contubernium, adeoque nec dialecticæ. Quod ipsum iis ex officiis probatur, quæ sapienti christiano, id est theologo, Clemens assignat. « Tria sibi nostras philosophus, inquit, ista vendicat, primum contemplationem, secundo mandatorum executionem, tertio virorum bonorum effectionem. Quæ tria concurrentia gnosticum complent. Si quid autem deest ex illis, γνῶσις, id est, sapientia illius claudicat [g]. » Quæ tria officia gnostici distinctius in libro septimo declarat. Tria *Theologiæ non aspernandum philosophiæ contubernium.*

a Idem *Strom.* 7. Ἡ γνῶσις δὲ, ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον, καὶ μετ' ἐπιστήμης (καὶ) καταληπτὸν παραπέμπουσα.

b Clem. VI. *Strom.* Μηδὲν περιττὸν πραγματευόμενος, etc.

c Ibid. Προηγουμένη γὰρ αὐτῷ ἡ γνῶσις κατ' ἐπακολούθημα τοίνυν καὶ τοῖς εἰς γνῶσιν γυμνάζουσιν αὐτὸν προσανάκειται, παρ' ἑκάστου μαθήματος τὸ πρόσφορον τῇ ἀληθείᾳ λαμβάνων.

d Clem. lib. I. *Strom.* Ἦν μὴν οὖν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία· νυνὶ δὲ, χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται, προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις.

e Ibid. Ἀλλ' ὡς τὰ ἐγκύκλια μαθήματα συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίαν τὴν δέσποιναν αὐτῶν· οὕτω καὶ φιλοσοφία αὐτὴ πρὸς σοφίας κτῆσιν συνεργεῖ. Ἔστι γὰρ ἡ μὲν φιλοσοφία, ἐπιτήδευσις· ἡ σοφία δέ, ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων.

f Id. lib. VI. Ὁ γνωστικὸς δέ ἡμὶν ἐν τοῖς κυριωτάτοις ἀεί ποτε διατρίβει· εἰ δέ που σχολὴ καὶ ἀνέσεως καιρὸς ἀπὸ τῶν προηγουμένων, ἀντὶ τῆς ἄλλης ῥᾳθυμίας, καὶ τῆς ἑλληνικῆς ἐφάπτεται φιλοσοφίας, οἷον τρωγάλιόν τι ἐπὶ τῷ δείπνῳ παραψώμενος· οὐ τῶν κρειττόνων ἀμελήσας, προσλαβὼν δὲ, ἐφ' ὅσον πρέπει.

g Id. lib. II. *Strom.* Τριῶν τοίνυν τούτων ἀντέχεται ὁ ἡμεδαπὸς φιλόσοφος· πρῶτον μὲν τῆς θεωρίας· δεύτερον δὲ τῆς τῶν ἐντολῶν ἐπιτελέσεως· τρίτον, ἀνδρῶν ἀγαθῶν κατασκευῆς· ἃ δὴ συνελθόντα τὸν γνωστικὸν ἐπιτελεῖ ὃ, τι δ' ἂν ἐνδέῃ τούτων, χωλεύει τὰ τῆς γνώσεως.

mihi videntur, inquit, effecta esse gnosticæ facultatis : rerum habere notitiam : secundum, præstare quidquid recta ratio dictat : tertium, communicare aliis posse, ut dignum est Deo, quæ apud veritatem occulta sunt [a]. » Cum hæc gnostici, id est, perfecti sapientis, ac theologi propria et οὐσιώδη sint officia, ut Clemens asserit, manifestum est asciscendam illi esse philosophiam ac dialecticam. Nam neque creatas et humanas contemplari res earumque scientiam vel percipere ipse, vel perceptam derivare potest in cæteros, nisi earum velut silvam et copiam mutuam accipiat a philosophia; nec in iisdem discendis docendisve sine errore versari; si non certas illi regulas et vias dialectica suppeditet. Harum igitur opera et concursu divina nostra sapientia nititur. Ac solet ad hunc accommodari sermonem allegoria quædam ex duplici Abrahami petita conjugio. Nam præcipuam et justo conjunctam matrimonio Saram habuit, ex qua legitimum suscepit hæredem. In quo similitudo inest veræ divinæque sapientiæ, cui plus cæteris theologus noster indulget. Interdum tamen ut ancillæ Abraham, sic ille philosophiæ consuescit, nec isti solum, sed aliis præterea, quibus non ad seriam occupationem, sed ad ornatum, et oblectamentum, vel etiam ad necessitatem utitur.

[…]sentialia.

Res allegoria illustratur.

V. Hanc figuratam significationem late disserit in *Stromateon* sexto libro Clemens Alexandrinus [1]. Tum de ea quoque Didymus agit in *Commentariis ad Ecclesiasten*, cujus verba ex Damasceni *Eclogis*, quia nondum edita sunt, exscribam *. « Licet, inquit, aliquando paulisper, utilitatis gratia, alienam disciplinam attingentem iterum statim ad propriam reverti. Exempli gratia, grammatica conjux est aliena. Ad hanc perbrevi spatio bonum est accedere, ut solerter ac celeriter legere discamus. Sic etiam ad rhetoricam, propter vim orationis et seriem et nexum. Nec minus adeunda philosophia est, ut facilis suppetat demonstrationum facultas in iis, quæ contraria videntur. Postea vero sic tanquam ab Ægyptia illa Agare, quæ ancilla est liberæ Saræ, dominantis videlicet, quæ est ipsissima sapientia, redeamus iterum ad eam, quacum a prima ætate copulati sumus, sapientiam, quæ quidem divinitus est concessa, ut prolem etiam ex illa suscipiamus, non jam cujusmodi nobis ancilla peperit, sensibiles disciplinas, sed qualem gignere par est ingenuam perfectamque sapientiam, nimirum prudentiam [b]. » Vide et Petrum Damiani in [2] opusculo *de Dei omnipotentia* [2]. At Philo Judæus rem eamdem altera similitudine declarat, ædis alicujus amplæ ac prætorii magnifici [3]. Cujus partes sunt aliæ præcipuæ ac necessariæ, ex quibus componitur, aliæ ad ornatum et elegantiam faciunt ac splendorem, ut tectorium, picturæ, emblemata, marmoreæ crustæ et id genus alia. Huic posteriori generi respondere ait in sapientiæ structura, qua perficitur animus, liberales artes ac extraneas doctrinas.

VI. Verum si hæc paulo attentius intuemur, non decorem tantummodo et ornatum affert theologiæ, disciplinarum istarum, præsertim philosophiæ ac dialecticæ conjunctio, sed usum etiam ac præsidium singulare penitusque necessarium. Quamobrem minus nos Philonis illa comparatio delectat. Ac si ædificii alicujus exemplo uti placet, utamur eo modo potius, quem eleganter in tertio *de Oratore* Tullius expressit. Ubi artem in eo dicit imitatam esse naturam, quod ut in statu mundi totius ac naturæ, vel humano in corpore, partes eædem tum ad speciem ac pulchritudinem valent, tum ad integritatem ac necessitatem, sic artis opera ab iisdem, quibus constant necessario partibus, elegantiam ac venustatem accipiunt. « Quid tam, inquit, in navigio necessa-

Utilitas et necessitas philosophiæ et præsertim dialecticæ.

Exemplis illustratur.

a Id. lib. VII. *Strom.* Ἤι καί μοι καταφαίνεται τρία εἶναι τῆς γνωστικῆς δυνάμεως ἀποτελέσματα· τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα· δεύτερον, τὸ ἐπιτελεῖν ὅ, τι ἂν ὁ λόγος ὑπαγορεύῃ· καὶ τρίτον, τὸ παραδιδόναι δύνασθαι θεοπρεπῶς τὰ παρὰ τῇ ἀληθείᾳ ἐπικεκρυμμένα.

b Didym. apud Damasc. lit. Σ. tit. 23. Ἔνεστί ποτε πρὸς ὀλίγον θίγοντα, διὰ τὸ χρήσιμον, ἀλλοτρίας διδασκαλίας, πάλιν τῆς ἰδίας εὐθέως ἔχεσθαι· οἷον γραμματικὴ ἀλλοτρία γυνὴ τυγχάνει· ταύτῃ καλὸν πρὸς ὀλίγον ἐγγίσαι διὰ τὸ τεχνικὸν, καί ὀξὺ τῆς ἀναγνώσεως· ὁμοίως ῥητορικῇ, διὰ τὸ ἰσχυρὸν τοῦ λόγου· ἀλλὰ καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ, διὰ τὸ εὐαπόδεικτον τῶν φαινομένων ἐναντίων. Μετὰ δὲ τοῦτο ὡς ἀπὸ τῆς Αἰγυπτίας Ἄγαρ τεχνώσαντες, παιδίσκης οὔσης τῆς ἐλευθέρας Σάῤῥας τῆς ἀρχούσης καὶ αὐτοσοφίας οὔσης, πάλιν ἐπὶ τὴν ἐκ νεότητος τραπῶμεν σοφίαν, ἥ τις καὶ θεοσδοτός ἐστιν· ὅπως καὶ ἐξ αὐτῆς τεκνώσωμεν· οὐκέτι ὡς ἀπὸ δούλης αἰσθητὰ μαθήματα, ἀλλ' ὡς ἐξ ἐλευθέρας, καὶ τελείας σοφίας, φρόνησιν.

* Quæ in lucem nondum Græce prodierant cum Petav. scriberet, ea deinceps Lequien edid., et non sine aliqua varietate habentur in *Sacr. Paral.* lit. Σ. tit. XI. op. Joan Damasc. t. II. p. 687, E. R.

1 Lib. *Strom.* p. 208. — 2 Opusc. 36. c. 5. — 3 Philo, lib. *de Cherub.* p. 125.

rium, quam latera, quam carina, quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali, quam reliqua? quæ tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur. Columnæ et templa et porticus sustinent, tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolii fastigium illud, et cæterarum ædium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam cum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque parte tecti aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est, ut etiamsi in cœlo capitolium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur. » Similem ex humanæ sapientiæ ac disputandi artis commercio fructum theologia percipit, ut ab istis non solum cultior elegantiorque, sed etiam instructior existat, et cum ad integritatem sui, tum ad tutelam ac salutem permagnas opportunitates hauriat.

Dialectica multum valet ad retundendos hæreticos.

VII. Ut in dialectica potissimum insistam, a qua propter sophisticæ propinquitatem, magna in scholasticam theologiam pars invidiæ proficiscitur, celebre istud est in antiquorum litteris meritum artis illius, et officium erga disciplinam sapientiæ, quod subtilibus suis inventis tutam eam ab adversariorum vexatione, ac securam efficit. Quod tam ethnici sapientes philosophiæ suæ, quam summo in gradu collocabant, acceptum ferunt, quam christiani theologiæ. Tritum illud est Platonis in septimo *de Republica*, « dialecticam sepimenti instar esse disciplinis cæteris [a] : » Quem imitatus Cicero « conspectum et cognitionem naturæ, id est, philosophiam, quasi sepimento aliquo, vallari dicit disserendi ratione, veri et falsi judicio, scientia et arte quadam intelligendi quid quamque rem sequatur et quid sit cuique contrarium. » Et Themistius in oratione secunda, Aristoteleam philosophiam Platonicæ vocat « sepem et propugnaculum. Nam cum accessu facilis, et sophistarum impressionibus exposita sit, Aristotele muniendam et obvallandam esse illam ait, quo undecumque ab dogmatibus insidiæ propulsentur : cum plerique præ inertia non satis muniti ac parati in certamen veniant. Quo fit, ut interdum præclara quæpiam robustaque sententia, ab imbecilla vilique subversa et labefactata seipsam propugnare nequeat [b]. » Sic Philo Judæus in libro *de Agricultura* dialecticæ usum illum prædicat « ut ingenium acuat, ne hebetius sit ad singulas quæstionum petitiones; sed divisionibus ac distinctionibus utatur, ut rei cujusque proprietatem ab communibus qualitatibus discernat [c]. » Mox ait philosophiam agri instar esse, cujus logica velut maceria sit ac septum, quo ingruentium impetus arcetur.

VIII. Clemens item Alexandrinus in primo *Stromateon* præcipit, ut « sapientiam velut septo quodam, sic philosophia et recto vivendi instituto muniamus, quo sophistis inaccessam servemus [d]. » Et in eodem libro : « Est, inquit, per se ipsa perfecta, et nullius indigens doctrina Salvatoris, utpote facultas et sapientia Dei. Porro Græca philosophia ad eam accedens non potentiorem facit veritatem, sed sophisticam adversus eam impressionem imbecillem reddens, propulsansque dolosas contra veritatem insidias, congruens vineæ sepimentum et vallum dicitur [e]. » Et in sexto libro : « Sepimentum est dialectica, ut ne ab sophistis veritas proculcetur [f]. »

Basilius quoque ad caput primum Isaiæ : « Facultas, inquit, dialecticæ muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi et quorumlibet incursioni patere [g]. » Atque, ut

a Plato. Ἆρ' οὖν δοκεῖ σοι ἔφην ἐγὼ, ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι.

b Them. orat. 2. Ἅμα δὲ θριγκὸν, καὶ φυλακτήριον· εὐβάτου γὰρ οὔσης ἔτι, καὶ ἐπιδρόμου τοῖς σοφισταῖς, τειχίσαι τε Ἀριστοτέλει, καὶ περιφράξασθαι, καὶ πανταχόθεν ἀποκλεῖσαι τὰς ἐπιβουλὰς τῶν δογμάτων· τοὺς δὲ πολλοὺς ὑπὸ ὄκνου καὶ ῥαθυμίας, ἀφράκτους τε ἐθέλειν καὶ αναλείφους διαγονίζεσθαι· ὅθεν πολλάκις γενναία δόξα καὶ ἰσχυρὰ ὑπὸ ἀσθενοῦς καὶ φαύλης ὑποσκελιζομένη τε καὶ σφαλλομένη μὴ δύναται ἐπαμύνειν.

c Philo. *de Agric.* Παραθήγει δὲ τὸν νοῦν, οὐκ ἐῶντα ἀμβλείᾳ χρῆσθαι τῇ πρὸς ἕκαστα τῶν ἀπορουμένων προσβολῇ, τομαῖς δὲ ἀεὶ καὶ διαστολαῖς χρῆσθαι, ὡς τὴν ἑκάστου πράγματος ἰδιότητα τῶν κοινῶν διαζευγνύναι ποιοτήτων. Vide. Tract. *Quod deterior potiori insidietur.*

d Clem. Alex. lib. I. *Strom.* Ἐπεὶ καὶ σὺ τῷ θριγκῷ ὑπεροχυρώσας αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας καὶ πολυτελείας (cor. πολιτείας) ὀρθῆς, ἀνεπίβατον τοῖς σοφισταῖς τηρήσαις.

e Ibid. Αὐτοτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὸν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα, καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ. προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ ἑλληνικὴ, οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπεχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλὰς, φραγμὸς οἰκεῖος εἴρηται, καὶ θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος.

f Idem, in lib. VI. Οἷον γὰρ θριγκὸς γὰρ ἐστι διαλεκτική, ὡς μὴ καταπατεῖσθαι πρὸς τῶν σοφιστῶν τὴν ἀλήθειαν.

g Basil. in cap. II. Isa. Ἡ γὰρ τῆς διαλεκτικῆς δύναμις τεῖχός ἐστι τοῖς δόγμασιν, οὐκ ἐῶσα αὐτὰ εὐδιάσπαστα εἶναι καὶ εὐάλωτα τοῖς βουλομένοις.

recte scriptum est ab Hilario, « fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit, quæ quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur; habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem obtinendi securitatem, eritque ut infirmis sint post fugam castra, non etiam ut arma habentibus adsit interrita fortitudo. Contundendæ sunt ergo insolentes adversum Deum disputationes, et destruenda rationum fallacium munimenta, et elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed spiritualibus, nec terrena doctrina, sed cœlesti sapientia, ut quanta rerum divinarum, humanarumque discretio est, tantum ultra terrena studia ratio cœlestis excedat[1].» Nimirum etsi ad repellendos ac refutandos hæreticos, divinis Scripturis ac dogmatibus hoc est, propriis disciplinæ suæ principiis nitatur theologus, ac præcipuum in iis robur ac momentum pugnæ positum habeat; non tamen illis ipsis uti, nec ea tractare scienter arma poterit, si sit dialecticæ rudis, a qua dividendi, definiendi, ratiocinandi modum ac viam accipit, nec non artes illorum et fallacias; tum quemadmodum diluendæ dissolvendæque sint, illa præeunte ac monstrante cognoscit. « Ob quod, ait idem Hilarius, Apostolus sani sermonis in episcopo voluit esse doctrinam, fidei conscientiam et exhortationum scientiam adversum impias et mendaces et vesanas contradictiones obnitentem. Multi enim sunt qui simulantes fidem non sunt subditi fidei, sibique fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, et nolunt sapere quæ vera sunt[2]. »

IX. Quocirca contra hujusmodi hostes fidei, eorumque callidas et insidiosas præstigias, armatum ac munitum oportet esse theologum *ut ultra non simus parvuli fluctuantes et circumlati omni vento doctrinæ, in fallacia hominum et astutia, ad circumventionem erroris* [3]. Quem ad locum Hieronymus hanc nescio cujus interpretationem refert, Paulum ipsum apostolum « vidisse, sæpe ex utraque parte sic dici, et tam verisimilia in rebus contrariis asseri, ut ambigere facerent audientem. Idcirco ut homo, inquit, et adhuc in fragili corpusculo constitutus, circumferebatur quidem omni vento doctrinæ, sed non elidebatur in saxa, nec navis ejus gurgitibus implebatur. Non tamen intrepidus et securus, nec quietus et placidus prospiciebat ventos hinc inde perflantes, et sollicita aure captabat vincebatque contraria, sed non erat illi secura victoria. Quia igitur adversariorum verba atque rationes, quibus veritatem evertere nitebantur, videbat non facile posse superari, et omni calliditate plenas, dialecticæ quoque, id est, diaboli arte contextas, sperabat Dei auxilium[4].» Cum igitur tanto Apostolo sollicitudinem injecerint adversariorum incursus, qui disputandi artificio freti christianæ fidei bellum inferebant, ut non eos facile posse superari crederet, cur non ex eodem armamentario, unde illi ad Ecclesiæ perniciem sumpserunt, salutaria nos ad eam propugnandam arma capiamus?

Basilium certe Gregorius Nazianzenus prædicat, quod artes omnes atque doctrinas apprime calleret, præsertim philosophiam ejusque partem illam « quæ in logicis demonstrationibus, aut oppositionibus et concertationibus versatur, quam dialecticam nominant, in qua adeo excelluit, ut iis qui cum eo disputabant, facilius esset e labyrinthis sese extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet[a]. » Ac tam ipse, quam cæteri Patres non verbis tantum et sententiis suis, sed factis etiam et exemplis probarunt, non esse pœnitendam theologo dialecticæ operam, sed plerumque utilem ac laudabilem, ut hæreticorum callida et aculeata sophismata eodem artificio retundantur.

X. Quid enim aliud Basilius et Gregorius Nyssenus in libris contra Eunomium faciunt, nisi ex dialecticis locis ac regulis perplexa et captiosa omnia illius argumenta dissolvunt? Quid Cyrillus Alexandrinus in *Thesauris* et *Dialogis*, nec non in *Commentariis ad Joannem* ac passim aliis in libris instituit, præterquam ut hæreticas fallacias et subtiles argutias eodem disserendi acumine configat? Idem et plerique alii

a Naz. orat. 20. Ὅση τε περὶ τὰς λογικὰς ἀποδείξεις καὶ ἀντιθέσεις ἔχει, καὶ τὰ παλαίσματα, ἣν δὴ διαλεκτικὴν ὀνομάζουσιν. ὡς ῥᾷον εἶναι τοὺς λαβυρίνθους διεξελθεῖν, ἢ τὰς ἐκείνου τῶν λόγων ἄρκυς διαφυγεῖν, εἰ τούτου δεήσειεν.

1 Lib. XII. — 2 Init. lib. VIII. — 3 *Ephes.* IV, 14. — 4 Tom. 3, col. 995.

Græci Latinique studuerunt. Hinc Arnobius in conflictu cum Serapione objicienti hæretico, » *in dialecticum sophisma prorumpis*, « occurrit sic : « Dialecticum sophisma duas facies recipit, et ut verum probetur quod adstruitur, et non verum ex aliqua parte arguatur [1]. » Et antea dicenti eidem hæretico : « Cesset ars dialectica, » respondet : « Ars dialectica in rebus obscuris ingreditur, ut videatur esse verum quod verum est [2]. » Quippe, ut ait Cassianus, « rationi non obest sermo rationis et semper veritas ventilata plus rutilat, meliusque est errantes disputationis curatione corrigi quam censuræ severitate damnari [3]. » Scitum et illud est Martini papæ, « theologiam thus purum et eximium et optimi odoris esse : myrrham conservatricem bonorum et contrariorum expultricem doctrinam. » Nimirum uti myrrha mordaci et adstringente vi putredinem a corporibus pellit, sic dialectica asperitate quadam et acrimonia contentiosæ subtilitatis ingeniorum medetur erroribus. Quo illud forsitan accommodare liceat, quod in *Proverbiis* ex Græcorum interpretatione legitur [a] : sapientiam quæ *non redarguitur errori esse obnoxiam*. Quo dicto ad simile institutum usus est Cyrillus Alexandrinus [5].

Verum ne quis philosophiæ ac dialecticæ usum in theologia solo hoc litigandi aut propugnandi officio metiatur, accedat et ille tertius, quem supra posui, fructus efficiendæ ac formandæ tam in nobis, quam in aliis divinæ scientiæ. Etenim theologia etsi fidei tanquam principio ac fundamento innititur, differt tamen ab illa, eique ratiocinando, et unum ex alio colligendo, non mediocrem notionum adjungit copiam, quarum silvam et materiam philosophia suppeditat, dialectica formam addit et colligationem, tum vero firmitatem. Hujus enim est quid ex quoque consequens sit et consentaneum videre, separare disjuncta, copulata jungere, dividere, definire, ratiocinari, viam et ordinem tum discendi, tum docendi præscribere. Quæ omnia certa et necessaria sunt instrumenta doctrinæ, quibus destituti in varios incidunt errores, nec eum quem sibi proposuerunt, laboris et industriæ cursum atque exitum tenent.

Philosophia theologiæ notionum silvam, dialectica ordinem et firmitatem præbet.

XI. De hac necessitate philosophiæ disserendique artis ad tractandas sacras et litteras et disciplinas, memorabilis est Clementis Alexandrini locus et adamussim sermoni nostro congruens, in primo *Stromateon*. Ibi enim cum dixisset *gnosticum*, quem perfectum esse theologum supra demonstravimus, omnibus oportere esse disciplinis excultum, mox illarum duarum emolumenta pertexit : « Quinam vero necesse non est, inquit, de intelligibilibus philosophando disputare, si quis divinam potentiam assequi velit? Quomodo item non utile sit distinguere voces ambiguas, et quæ æquivoce dicuntur in ambobus testamentis? Nam ex ambiguitate Dominus diabolum, cum ab eo tentaretur, sapienter elusit. Nec video qui fieri potuerit, ut philosophiæ inventor ac dialecticæ, quod aliqui rentur, inductus sit ambiguitatis modo illo deceptus [b]. » Hoc de ambiguitate dictum a Clemente arbitror ad ancipitem vocabuli *panis* significationem referri. Sed pergit idem, et huic occurrit, quod in ore frequenter habent ii, qui doctrinarum illarum commercio christianis theologis interdicunt. Sic enim dictitant, prophetas et apostolos istarum rudes artium fuisse, nec in commentandis sacris Libris eas adhibuisse. « Verum, occurrit Clemens, prophetici ac docentis spiritus sensus, qui obscure loquitur, propterea quod non omnium est intelligens auditus, artificiosas ad perspicuitatem disciplinas exigit [c]. » Deinde ex ipso logicæ vocabulo idem colligit, quod a λόγῳ deductum est, sive *rationem*, sive *sermonem* significat. Quod si quid sine λόγῳ, id est *ratione* fit, hoc fit ἀλόγως, id est, ut sic loquar, *irrationaliter* [d]. Proinde ἡ λογικὴ, id est, *rationalis* facultas, ab rerum divinarum contemplatione abesse non potest.

a Proverb. X, 17. Σοφία ἀνεξέλεγκτος πλανᾶται.

b Clem. Alex. lib. I. *Strom.* Πῶς δὲ οὐκ ἀναγκαῖον περὶ νοητῶν φιλοσοφοῦντα διαλαβεῖν τὸν ἐπιποθοῦντα τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως ἐπήβολον γενέσθαι ; πῶς δὲ οὐχὶ καὶ διαιρεῖσθαι χρήσιμον τάς τε ἀμφιβόλους φωνὰς τάς τε ὁμωνύμως ἐκφερομένας κατὰ τὰς διαθήκας ; παρ' ἀμφιβολίαν γὰρ ὁ Κύριος τὸν διάβολον κατὰ τὸν τοῦ πειρασμοῦ σοφίζεται χρόνον· καὶ οὐκέτι ἔγωγε ἐνταῦθα συνορῶ, ὅπως ποτὲ ὁ τῆς φιλοσοφίας καὶ τῆς διαλεκτικῆς εὑρετὴς, ὥς τινὲς ὑπολαμβάνουσι, παράγεται τῷ κατ' ἀμφιβολίαν ἀπατώμενος τρόπῳ.

c Clem. ibid. Ἀλλ' ὁ νοῦς γε τοῦ προφητικοῦ καὶ τοῦ διδασκαλικοῦ πνεύματος ἐπικεκρυμμένως λαλούμενος, διὰ τὸ μὴ πάντων εἶναι τὴν συνεῖσαν ἀκοὴν, τὰς ἐντέχνους ἀπαιτεῖ πρὸς σαφήνειαν διδασκαλίας.

d Ibid. Εἰ γὰρ μὴ λόγῳ πράττοιμεν, ἀλόγως ποιοῖμεν ἄν.

1 In calce *Iren.* 523. — 2 Ibid. p. 521. — 3 Lib. I. *de Incarn.* c. vi. — 4 Epist. 5 *ad Const. imper.* tom. IV. *Conc.* — 5 Dial. lib. I. *de Trinit.* tom. V. part. 1.

Nec ab eo discordat Augustini judicium qui quantum ad sacram scientiam dialectica prosit in secundo libro *de Doctrina christiana* sic aperit : « Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium [1]. » Et in libro tertio *contra Academicos*, capite XIII, quænam ab illa facultate discantur exponit. Vide eumdem Augustinum, capite XL libri ejusdem secundi *de Doctrina christiana*, ubi philosophiæ usum commendat christiano theologo, sicut dialecticæ libro primo *contra Cresconium*, capite XIII et sequentibus; et Lanfrancum libro *de Eucharistiæ sacramento* contra Berengarium.

Lis inter theologiam et philosophiam componitur.

XII. Ex his facillimum erit litem illam disceptare, quam dialecticæ philosophiæque intentari supra docuimus ac veteres inter se conciliare, quorum aliqui procul amandandas illas esse sentiunt a fidei et christianæ pietatis consortio, alii e contrario utiles et asciscendas esse prædicant. Utrique enim suo modo ac sensu vera sapiunt. Quippe multum interest quatenus et quo ordine ac modo ad fidei negotium theologiæque, philosophia et disputandi ars assumitur. Et duplex omnino nobis occurrit ratio, qua vitiose id fit, qua remota, nihil erit cur a communione disciplinæ sacræ, tanquam profanæ ac noxiæ, ambæ illæ repellantur. Primus illarum usus est malus ac pestilens, cum ad fidem sic admoventur, ut ei præcant, ipsa vero subsequatur. Quod tunc agitur*, cum sola credendi ratio in humana sapientia, et dialectica constituitur, adeo ut nulli assentiri dogmati libeat, quod sola auctoritate constat, nisi humana ratiocinatione capi probarique potuerit. Quod ejus, quem carnalem et animalem vocat sapientem Apostolus, proprium est. « Humana mens, ait Hilarius, hoc solum sapit quod intelligit, et mundus hoc tantum quod potest credit, secundum elementorum naturas id tantum possibile existimans, quod aut videret, aut ageret [2]. » Hæc est humana sapientia, cui contraria stultitia est, quæ secundum Christum dicitur, quam ita declarat Chrysostomus : « Quid est, inquit, stultitia secundum Christum? Quando proprias ratiocinationes rabide furentes compescimus. Quando intelligentiam nostram vacuam ac desertam ab externa omni doctrina facimus [a]. »

Fides præire, ratio sequi debet.

XIII. Quamobrem præcedere omnino fides debet, sequi deinde ratio ac disputatio. Quod ex Clementis Alexandrini locis efficitur, quæ paulo ante descripsimus. In quibus asserit fidem instar esse fundamenti, super quod ἡγνῶσις, id est, *scientia et cognitio*, id est, theologia struitur. Itaque « janua nostra fides est [3], » inquit Ambrosius. Æquum est autem, ut scribit Cassianus, « ut de agnitione illius ipsi credamus, cujus scilicet totum est, quod de eo novimus, quia agnosci utique Deus ab homine non potuit, nisi agnitionem sui ipse tribuisset. Et ideo justum est, ut totum credamus de eo quod scimus, cujus est omne quod scimus, quia si ei non credimus, a quo scimus, fit ut omnino nihil sciamus. dum ei non credimus per quem scimus [4]. » Cum ergo de credendo agitur, locum habet illud ejusdem Cassiani : « Sed rationem dicti quæris? Non reddo. Interim Deus hoc dixit. Deus hoc locutus est mihi, verbum illius summa ratio est. Removeo argumenta, removeo disputationem. Sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere, non licet deliberare. Quid mihi quærere quomodo verum sit quod Deus dixit, cum dubitare non debeam, quin verum sit quod Deus dixit [5]? » Zeno item Veronensis : « Negat quodammodo Deum, inquit, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur [6]. » Denique tenendum illud est

a CHRYS. hom. 2. *de Incom*. Τί δέ ἐστι μωρία κατὰ Χριστόν; ὅταν τοὺς οἰκείους λογισμοὺς λυττῶντας ἀκαίρως καταστέλλωμεν· ὅταν ἔρημον, καὶ κενὴν τὴν ἡμετέραν διάνοιαν τῆς ἔξωθεν ποιῶμεν παιδεύσεως.

* Hac Petavii formula gravissimus ille designatur error, qui cum magnas semper ediderit strages, hac nostra ætate atrocius grassatur, et præpostere a ratione deflexus, *rationalismus* dicitur. Enimvero in hominum vita, privata æque ac publica, constare sibi nequit, auctoritate rejecta, quisque cernit eas inter leges, quibus vivimus, temperamur ac regimur, numerandam esse *legem fidei*, quæ tota auctoritati innititur, quæque præcipit ut divinæ revelationi, si quæ facta forte fuerit, assensio adhibeatur. E. R.

1 Cap. XXXI. — 2 Lib. VIII. p. 149. — 3 In *Psal.* CXVI. *Octon.* 12, col. 978. — 4 Lib. IV. *de Incarn.* c. 2. — 5 Lib. IV. *Incarn.* c. VI. — 6 Serm. *de Fide.*

Augustini ut « De credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus. In illis auctoritas tenenda est, in his veritas exquirenda [1]. » Hic credenda merito ab intelligendis separat. Sunt autem intelligenda, theologiæ propria, notiones videlicet, ac dogmata, quæ ex fidei deducta principiis et iis innixa, ratione colligimus.

Gnosis, id est, cognitio.

In quo γνῶσις inest illa Clementis Alexandrini, ad quam commentando ac disserendo mens humana perducitur.

XIV. Convenit in hunc nostrum sermonem Prudentius in secundo libro *contra Symmachum*, ubi ad Dei capessendam notitiam, primas partes obtinere fidem adstruit elegantissimis versibus istis, ejusque causam reddit :

« Nam cum divinis agimus de rebus, et illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit, [rit,
Quique chao anterior fuerit, mundumque crea-
Conjectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenii, tantoque angusta labori,
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi;
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vimque fatigatæ mentis sub pectore parvo [ris?
Turbari, invalidisque hebetem succumbere cu-
Sed facilis fidei via provocat omnipotentem
Credere, etc. »

Adstipulatur et Cyrillus Alexandrinus in libro quarto *Commentariorum in Joannem*, ubi verba hæc Joannis enarrat : *Et nos credimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* [2]. Ubi rectum hunc esse ordinem adnotat, uti prior sit fides qua credimus, quam cognitio. « Nam post fidem cognitio sequitur, non illam antecedit, quemamodum scriptum est : *Si non credideritis, non intelligetis* [3]. Postquam enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex nec curiosa fides, super hac deinceps ac paulatim cognitio struitur, quæ nos ad mensuram ætatis quæ in Christo est attollit et ad virum perfectum ac spiritalem [a]. »

Sic Augustinus in epistola CCXXII : « Ut ergo in quibusdam rebus, inquit, ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides præcedat rationem qua cor mundatur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem; hoc utique rationis est. Et ideo rationabiliter dictum est per Prophetam : *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ubi procul dubio discrevit hæc duo deditque consilium quo prius credamus, ut id quod credimus intelligere valeamus. Proinde ut fides præcedat rationem, rationabiliter visum est [4]. » De hoc eodem argumento late Basilius disputat homilia *in Psalmum* CXV.

Hanc disciplinæ cœlestis ac divinarum rerum percipiendarum hominibus viam christiana præscribit religio, uti credendarum rerum rationem non ab intelligentiæ luce repetant, nec argumentis ac probabilibus inventis humanæ sapientiæ vel argumentorum subtilitate aut demonstrandi necessitate moveantur ad assensum, sed auctoritate sola testificantis Dei, quæ quidem idoneis ad sui significationem notis ac documentis illuxerit. Postquam vero propositis rebus assensi sunt ac fide suscepta christiani jam esse cœperunt; tum ex frequenti creditarum rerum meditatione ac tractatione existit illa cognitio, quæ et illis robur ac firmitatem addit fidei, et ad eam tuendam, illustrandam, persuadendam, docendam lumen ingeniis et adjumenta suppeditat *.

XV. Huic contrarium philosophorum mundique sapientum institutum fuit. His certum

Veteres philosophi unicam

a Cyr. IV. *in Joan.* cap. IV. Μετὰ γὰρ τὴν πίστιν ἡ γνῶσις, καὶ οὐ πρὸ τῆς πίστεως, κατὰ τὸ γεγραμμένον· ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδ' οὐ μὴ συνῆτε. Προκατατεθείσης γὰρ ἐν ἡμῖν, κρηπῖδός τινος δίκην, τῆς ἀπεριεργάστου πίστεως, ἐποικοδομεῖται λοιπὸν ἡ γνῶσις κατὰ βραχὺ, καὶ εἰς μέτρον ἡλικίας ἡμᾶς ἀναφέρουσα τῆς ἐν Χριστῷ, καὶ εἰς ἄνδρα τέλειον καὶ πνευματικόν.

* Quæ porro quantaque hæc sint adjumenta, colligi non obscure potest ex enucleatis plurium e schola theologorum operibus, inter quæ numerari loco principe debent. Aquinatis libri contra gentiles, de quibus Steuchus Eugubinus (Decad. I. lib. II, pag. 106.) scribit: « Cum in libris *contra gentes* inscriptis fidei, decreta adversus ethnicos vallavisset, Aristotelis quoque philosophiam, tanquam acutissimum telum a furiosis hostibus jamdiu occupatum atque in nos conversum, ex ethnicorum hæreticorumque manibus extorsit, eodemque philosophiæ telo christianos ad religionis artem tuendam, truculentosque hostes confodiendos armavit. » E. R.

1 Lib. IX, *de Trin.* c. — 2 *Joan.* VI, 70. — 3 *Isa.* VII. — 4 Tom. I, p. 31.

edendi regulam, rationem assumebant.

erat, nulli rei temere fidem adhibendam esse, nisi quam humana ratio ac prudentia consequi posset, quæque vi argumentorum ac probationum, viam sibi ad assensionem faceret. « In homine carnali, inquit Augustinus, tota regula intelligendi est consuetudo cernendi. Quod solent videre, credunt; quod non solent, non credunt [1]. » Et Hilarius : « Humana mens hoc solum sapit quod intelligit, et mundus hoc tantum quod potest credit [2]. » Quam indolem humanæ sapientiæ Plato apud Clementem Alexandrinum ita describit : « Plato, inquit, veritatis amans, velut divino quodam afflatu percitus ita loquitur : Ego sum, inquit, hujusmodi, ut nulli alii assentiar, nisi rationi quæ mihi consideranti optima visa fuerit [a]. » Hinc christianos irridebant ethnici et eorum disciplinam professionemque carpebant, tanquam clausis, quod aiunt, oculis quodlibet sequerentur, sola credulitate freti. Unde et πιστοὺς hoc est, *fideles*, per ludibrium appellabant, ut apud Origenem in opere contra Celsum, Clementem Alexandrinum, Cyrillum in libris contra Julianum legere memini, nec non apud Ruffinum in libro *de Symbolo*. His de causis antiqui Patres qui christianam simplicitatem ex sola Dei auctoritate causas habentem fidei vindicabant ab illorum calumniis, eatenus philosophiam ac disputandi artem rejecerunt, ut non dux haberetur et magistra credendi; sed ancillula et pedissequa, non quæ meliori afflatas luce mentes regeret ac quo vellet duceret, sed obsequeretur potius ac præsto esset ad tutelam ac ministerium. « Hæc humanæ artis peritia, ait Petrus Damiani, si quando tractandis sacris Eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibimet arroganter arripere, sed velut ancilla dominæ quodam famulatus obsequio subservire, ne si præcedit oberret, et dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen et rectum veritatis tramitem perdat [3]. »

XVI. Altera est causa quæ veteres philosophiæ ac potissimum dialecticæ iniquiores reddidit, quod ad eam partem illius respectum habebant quæ ἐριστικὴ, hoc est, *litigiosa et contentiosa* dicitur, qua sophistæ tam gentiles quam hæretici identidem utebantur ad christianam et catholicam evertendam fidem, ac circumveniendos rudes aut minus quam isti erant versutos et callidos. Quod in Aetianis, et Eunomianis et contra eorum fraudes vigilantibus christianis doctoribus supra monstravimus. Sed enim aliud est σοφία, aliud σοφιστεία, ut præclare Philo Judæus ait in libro *de Cherubim* : « Hæc in solis plausibilius elaborat ad falsam adstruendam opinionem, quæ animæ perniciem affert. Sapientia vero per veritatis meditationem, cum intelligentia emolumentum rationis rectæ scientia comparat [b]. » Clemens etiam Alexandrinus veram et solidam philosophiam ab sophistica versipelle et importune arguta separat. « Qui in philosophia appetunt ea quæ minime necessaria sunt, inquit, sed superflua et in solis ad contentionem factis sophisticis argutiis insistunt, ab necessariis aberrant ac præcipuis, qui umbras doctrinarum reipsa persequuntur [c]. » Hujusmodi sophismatum nugas et præstigias Apostolum ab divina sapientia segregasse, idem affirmat in primo ejusdem operis *Stromateon*, cum in priore *ad Timotheum* scribit : *Si quis aliter docet, non acquiescit sanis sermonibus*, etc., *languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones* [4], etc., Quod autem *ad Colossenses* scribens, cavere eos admonet [5], ne per philosophiam seducantur, non de quocumque philosophiæ genere, sed de sola Epicureorum secta loqui ipsum, Clemens idem asserit [6].

Sophia.. Sophistia (ars sophisticia.)

XVII. Nihil ergo theologum impedire potest, quominus sinceræ ac germanæ philosophiæ et dialecticæ præsidiis munitiorem et ornatiorem habeat divinam scientiam. Sed nec ἐριστικὴν illam, et σοφιστικὴν funditus aspernabitur, non ut ea sic utatur, quomodo hæretici ac reliqui hostes Ecclesiæ ad oppugnandam veritatem, sed ad propugnandam

Conclusio ex dictis.

Contentiosam... Sophisticam.

a Clem. lib. I, *Strom.* Ταύτῃ τοι ὁ φιλαλήθης Πλάτων, οἷον θεοφορούμενος. Ὡς ἐγὼ τοιοῦτος, φησὶν, ὁποῖος οὐδενὶ ἄλλῳ, ἢ τῷ λόγῳ πείθεσθαι, ὃς ἄν μοι σκοπουμένῳ βέλτιστος φαίνοιτο.

b Philo. Σοφία σοφιστείας ἀλλότριον· ἡ μὲν γὰρ τὰ πιθανὰ ἐπὶ κατασκευῇ ψεύδους δόξης, ᾗ τις λυμαίνεται ψυχὴν, ἐκπεπόνηκε· σοφία δὲ διὰ μελέτης τῶν ἀληθῶν, τὸ μετὰ ὄφελος διανοίας ἐπιστήμῃ ὀρθοῦ λόγου πεπόρισται.

c Clem. lib. VI, *Strom.* Οἱ δὲ τῶν οὐκ ἀναγκαίων, καὶ περιττῶν τῆς φιλοσοφίας ὀρεχθέντες, καὶ μόνοις τοῖς ἐριστικοῖς προσανέχοντες σοφίσμασι, τῶν ἀναγκαίων, καὶ κυριωτάτων ἀπελείφθησαν, οἱ τὰς σκιὰς ἀτεχνῶς τῶν λόγων διώκοντες.

1 Serm. 147. *de Temp.* cap. I. — 2 Lib. VIII. in fine. — 3 Op. 36. c. v. — 4 I *Tim.* VI. 3. — 5 *Coloss.* II. 3 — 6 Lib. I *Strom.* p. 216.

potius et ad illorum perplexos nodos ac laqueos ejusdem, unde implicati sunt, artis ope solvendos. « Omnis artifex, ait egregie Joannes Damascenus, aliquibus instrumentis opus habet ad operum suorum effectionem. Porro decet reginam ancillarum quarumdam uti ministerio. Accipiamus igitur doctrinas istas tanquam veritatis famulas, et impietatem quæ tyrannico dominatu sibi eas usurpaverat, procul amandemus, neque bono male utamur, nec ad circumveniendos simpliciores convertamus artem illam disputandi. Ac tametsi neutiquam variis istis sophisticis inventis veritas opus habeat; nihilominus ad evertendos malos illos pugnatores, et ad falso nomine appellatam istam refellendam scientiam illis utemur [a] . »

CAPUT V.

Explicatur uberius quæstio illa, an ad theologiam adjungenda sit subtiliter disputans philosophia. Nicephori Gregoræ pro negante parte dissertatio, et Emmanuelis Calecæ altera pro affirmante, quæ et priori verior. Refelluntur itaque argumenta Gregoræ. Qua ratione Patres contentiosam illam philosophiam cavendam duxerint. Erasmi insulsa super hoc expostulatio diluitur. Perperam ab eo rideri scholasticas plerasque controversias, quæ et ab antiquis disputatæ sunt.

I. Si certa nobis ac bene provisa ratio constitit eorum, quæ de usu philosophiæ dialecticæque theologicis in rebus hactenus diximus, longius aberrant ii, qui et aliter sentiunt et in scholasticam theologiam pro eo quod illas adhibet, implacabili odio feruntur. Etenim cum nec propriis ex principiis theologica decreta sine ratione ac judicio colligi queant, et ad hoc agendum quædam cum fide notitiæ concurrant naturali luce doctrinaque compertæ, perspicuum est quam necessaria ad divinam nostram scientiam facultatis utriusque communio. Siquidem nec sine dialectica vitare lapsum in ratiocinando facile est, quam ad inferendam conclusionem, fidei comitem debere esse monstravimus. Atque ut hujus velut judicii et controversiæ disceptatio sit illustrior, duos ex adverso contendentes invicem de hac re Græcos proferam, non recentissimos, Emmanuelem Calecam et Nicephorum Gregoram. Quorum ille paululum ætate hunc antecessit, ac circa annum Christi millesimum ducentesimum octogesimum floruit, ut suo loco meminimus[1]. Nicephorus, Andronico Juniore imperante, qui avum Michaelem in ordinem redegit anno Christi 1328. Horum posterior ex Græca factione, Latinis iniquus historiam scripsit, in qua de altercatione duarum gentium super processione Spiritus sancti multa prodidit. Alter vero Latinorum causæ favens opus elucubravit de hac et reliquis illorum controversiis, imprimis eruditum, quo multum usi sumus in explicanda processione Spiritus sancti. Ac de eo quod agitur modo, videlicet de subtili ac scholastico more disputante theologia, probanda sit necne, suo uterque judicio disseruit, Nicephorus quidem improbans eam et Latinis plus æquo illi tribuentibus probri objiciens loco, Calecas vero patrocinium ejus assumens ac necessariam esse demonstrans. Quorum rationes compendio proponam, sunt enim paulo fusius expositæ, orsus ab Nicephoro.

Ad Theologiam adjungenda subtiliter disputans philosophia

II. Hic in libro decimo *Historiæ* suæ, orationem describit quam in conventu præsulum habuit, ut eos absterreret a certamine cum Latinis ineundo de processione Spiritus sancti, ad quod duo illos episcopi provocaverant ex Occidente missi de conciliandis invicem ecclesiis. In hac declamatione primum in Latinorum superbiam invehitur, qui sibi primatum arrogarent ex Petri successione. Deinde subtiles et acutas in rebus fidei theologicisque disputationes funditus damnat, cum earum magistra dialectica. Cujus inanem et supervacuam illic operam esse probat hoc argumento, quod cum ratiocinandi genera sint duo, alte-

Gregoræ pro parte negante dissertatio.

[a] DAMASC. *Dialog.* cap. I. Πᾶς γὰρ τεχνίτης δεῖται καὶ τινῶν ὀργάνων πρὸς τὴν τῶν ἀποτελουμένων κατασκευήν. πρέπει δὲ τῇ βασιλίδι ἅβραις τισὶν ὑπηρετεῖσθαι· λάβωμεν τοίνυν τοὺς δούλους τῆς ἀληθείας λόγους, καὶ τὴν κακῶς αὐτῶν τυραννήσασαν ἀσέβειαν ἀπωσώμεθα, καὶ μὴ τῷ καλῷ κακῶς χρησώμεθα, μὴ πρὸς ἐξαπάτην τῶν ἁπλουστέρων τὴν τέχνην τῶν λόγων μεταχειρισώμεθα· ἀλλ' εἰ καὶ μὴ δεῖται ποικίλων σοφισμάτων ἡ ἀλήθεια, πρός γε τὴν τῶν κακομάχων, καὶ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ἀνατροπὴν τούτοις ἀποχρησώμεθα.

[1] Tom. II, lib. VII, cap. 1.

rum necessarium quod *demonstratio* dicitur, alterum probabile quod dialecticæ proprium habetur, neutrum in divinis rebus explicandis utile esse possit. Non prius : « Nam si efficientem scientiæ demonstrationem consequens est propositiones exigere certas et confessas, quæ demonstrari nequeant et sint conclusione notiores, eæ vero vel inductione, vel sensibus, vel experientia manifestæ reddantur; nullus istic argumentationi locus est, quæ ex demonstrandi scientia conficitur, eo quod ad contemplandum difficiles sunt divinarum rerum rationes, neque comprehendi possunt [a]. » Deus enim, ut ex Platone Gregorius Nazianzenus memorat, tum difficulter intelligi, tum ne explicari quidem sermone potest.

Porro neque posterius syllogismi genus, quod dialecticum dicitur, in hoc negotio quidquam efficit, quoniam ex opinabilibus ac verisimilibus tantummodo procedit, quæ ad veritatis investigationem imbecillia sunt et sophistis quam theologis aptiora.

Quod autem objici potest, etiam antiquos illos Patres syllogismis et argumentatione usos esse divinis in rebus exponendis, hoc Nicephorus ita dissolvit : « Non ad Dei naturam, vel proprietatem explicandam, neque ad hoc docendum, quid esset generatio Filii vel Spiritus sancti processio, illos argumenta comparasse, sed eo potius ut indecore in theologiam prosilientes compescerent [b]. » Plura ibidem alia congerit, et « Italos postremo ridere se ac reprehendre asserit, quod adeo temere ac superbe in theologiam insiliant [c]. »

III. Græco huic disputationibus ac dialecticis et philosophicis subtilitatibus irato opponamus jam alterum pro iis veriora et solidiora promentem, Emmanuelem Caleccam. Hic contra tetricos ac Nicephori similes quosdam, ex eadem Græcia, quibus erant ista fastidio et qui Apostolicum illud usurpabant, *in illa sapientia verbi evacuari crucem Christi* [1], contra illos, inquam, robustiori agens oratione, primum excipit sic · « Qui syllogismos et argumentationes penitus excludit a theologia, primum id quod humanæ naturæ proprium est et hominum inter se colloquium et communionem tollet e medio, tum beatum Paulum redarguet reprehendentem eos, qui ex aspectabilibus rebus de Deo ratiocinari minime potuerunt et ex creaturis agnoscere Creatorem [2]. Vitio id etiam vertet theologis, sive de iis quæ ad hypostases attinent, sive de divinis processionibus disputantibus. Quin ipsius Salvatoris sententiam labefactabit, qua scrutari Scripturas jubet [3]. Perspicuum est enim, eum qui Scripturas perscrutatur, non nisi argumentando legere [d]. » His adjungit, Christum etiam Dominum syllogismis non raro usum esse, velut cum sic infert : ***Porro si in digito Dei ejicio dœmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*** [4]. Et ***Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus*** [5]? Item cum ait: ***Non est Deus mortuorum, sed viventium*** [6], et alia hujuscemodi, quæ passim et in omnibus Christi sermonibus occurrunt. « Ad hæc sibi ipsi quoque contrarius ille fuerit, ait idem Caleccas, nam quæ contra argumentationem dicit, ea nisi argumentando loquitur [e]. » Cui rationi similem quamdam adducit Clemens Alexandrinus in sexto *Stromateon*, ubi asserit « philosophandum esse vel si minime philosophandum est. Non enim improbari ac damnari

Item Caleccæ pro parte affirmante.

a NICEPH. GREG. lib. X. Εἰ γὰρ τὴν ἐπιστημονικὴν ἀπόδειξιν ὁμολογουμένων τε, καὶ ἀναποδείκτων δεῖσθαι προτάσεων, καὶ γνωριμωτέρων τοῦ συμπεράσματος ἕπεται, αὗται δὲ ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ αἰσθήσει, ἢ ἐμπειρίᾳ φανεραὶ γίγνονται, οὐκ ἔστιν ἄρα συλλογίζεσθαι κατ' ἐπιστήμην γὴν ἀποδεικτικὴν ἐνταυθοῖ· δυσθεωρήτους γὰρ τοὺς περὶ τῶν θείων εἶναι λόγους, καὶ μάλα ἀκαταλήπτους.

b Ibid. Οὐ γὰρ ἵνα δείξωσιν οὔθ' ὅ, τί ἐστι τὴν φύσιν ὁ Θεὸς, οὔθ' ὅ, τί ἐστιν υἱοῦ γέννησις, οὔθ' ὅ, τί ἐστιν Πνεύματος ἁγίου ἐκπόρευσις· ἀλλ' ἵνα μᾶλλον ἄλλως ἐπίσχωσι τοὺς ἀτάκτως τῇ θεολογίᾳ ἐπιπηδῶντας.

c Ibid. Ἐγὼ τοίνυν ὥσπερ τοὺς Ἰταλοὺς διασύρω, καὶ μέμφομαι ἰταμῶς οὑτωσὶ, καὶ μετὰ πολλῆς τῆς ὀφρύος τῇ θεολογίᾳ ἐπιπηδῶντας, etc.

d CALEC. Καὶ τοι γε εἰ μὲν ὁ ταῦτα λέγων ἁπλῶς ἐκβάλλει τὸ συλλογίζεσθαι, πρῶτον μὲν τὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἴδιον, καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους τῶν ἀνθρώπων ὁμιλίαν ἀναιρήσει, καὶ κοινωνίαν, καὶ μέμψεται μὲν τὸν μακάριον Παῦλον ἐπιτιμῶντα τοῖς διὰ τῶν ὁρωμένων οὐ δυνηθεῖσι περὶ τοῦ Θεοῦ συλλογίσασθαι, καὶ ἀπὸ τῶν κτισμάτων ἐπιγνῶναι τὸν ποιητήν· μέμψεται δὲ καὶ τοὺς θεολόγους εἴτε περὶ τῶν ὑποστατικῶν, εἴτε περὶ τῶν θείων προόδων διαλεγομένους· ἀναιρήσει δὲ καὶ τὴν τοῦ σωτῆρος ἀπόφασιν ἐρευνᾷν τὰς γραφὰς ἐπιτάττουσαν· οὐ γὰρ ἄδηλον ὅτι συλλογιζόμενος ὁ τὰς γραφὰς ἐρευνῶν ἀναγνώσεται.

e CALEC. Ἔπειτα προσαναιρήσει καὶ ἑαυτόν· ἃ γὰρ κατὰ τοῦ συλλογίζεσθαί φησι, συλλογιζόμενος λέγειν.

1 I *Cor.* I, 17. — 2 *Rom.* I, 20. et *Sap.* XIII, 13, 1. — 3 *Joan.* V, 37. — 4 *Luc.* XI, 20. — 5 *Luc.* XI, 18. — 6 *Matth.* XXII.

aliquid potest nisi prius cognitum sit [a]. » Quare philosophandum erit vel eo ipso, ut judicemus non esse philosophandum. Sic illi quibus argumentari in theologia displicet, ne hoc quidem sine argumentatione persuadere possunt.

Propterea pergit Calecas : « Si processionem Spiritus sancti a Patre Filioque nefas est argumentatione conficere, ne ejusdem quidem processionem Spiritus solo ex Patre licebit colligere, quod tamen Græci ipsi sedulo et acute ac subtiliter quantum possunt, instituunt facere. » Quod ipsum et contra hæreticos osoresque cæteros scholasticæ theologiæ valet, qui quibus in opinionibus ab aliis dissident, eas quam queunt argutissime, solertissimeque defendunt, nec ulli parcunt subtilitatis generi, quo et suam defendant et contrariam labefactent.

IV. His pulchre istud ac prudenter subjicit : « Non universe argumentari esse malum, sed tantummodo ad id quod propositum est, non congruis uti principiis, ac putare fidem naturalibus demonstrari principiis. Quod si quis ad id quod in quæstione est, eorum aliqua, quæ de Deo identidem existunt, communia principia fidei et ratas ac definitas Patrum sententias accommodet, quibus constitutis ac nullo eorum, quæ posita sunt, everso consentanea istis aliqua concludit, quemadmodum antiquis Patribus de consubstantiali, deque aliis multis fidei quæstionibus disputantibus usuvenit, nihilo secius fatendum erit conclusionem illam esse Scripturæ sententiam, quæ quidem ex illis pendet principiis ac causis iis congruit, ab quibus oritur, tum eadem conclusio theologica dicetur ac revelatione cognita, quemadmodum geometricæ conclusiones vocantur, quæ ex geometriæ principiis ducuntur. Quod nisi ita sit, permulta, quæ fide certa sunt, nec expresse in Scripturis comprehensa tollemus [b]. »

Atque hoc duobus fieri modis affirmat *. Vel enim ex duabus propositionibus, quæ sunt in Scriptura, quippiam colligitur, quod longe præstantissimum sit, idque in processione sancti Spiritus ab utroque suppetere ait. Ut cum argumentamur sic : Filius ideo quia accipere et audire a Patre legitur, ab eo procedit. Atqui Spiritus sanctus in iisdem Scripturis a Filio accipere dicitur et audire. Igitur procedit a Filio. « Verumtanem si quis syllogismum omnem, cujus propositiones ambæ non sunt in sacris Litteris expressæ, falsum putat colligere, is opinione, inquit idem, falsus est, ac doctores omnes Ecclesiæ calumniose arguit, qui sæpe istiusmodi argumentis ad stabiliendam

a Clem. Alex. lib. VI, *Strom.* Καὶ γὰρ οὖν εὖ πῶς ἔχειν μοι φαίνεται ὁ λόγος ἐκεῖνος, εἰ φιλοσοφητέον· αὐτὸ γάρ τι αὐτῷ ἀκολουθεῖ, ἀλλ' εἰ καὶ μὴ φιλοσοφητέον· οὐ γάρ τις καταγνῴη τινὸς μὴ τοῦτο πρότερον ἐγνωκώς· φιλοσοφητέον ἄρα.

b Calec. Οὐ τοίνυν καθόλου τὸ ἀποδεικνύναι κακὸν· ἀλλὰ τὸ μὴ πρὸς τὸ προκείμενον οἰκείαις ταῖς ἀρχαῖς χρῆσθαι, καὶ τὸ οἴεσθαι τὴν πίστιν φυσικαῖς ἀρχαῖς ἀποδείκνυσθαι ὡς ὅγε χρώμενος μὲν περὶ τὸ ζητούμενον ἑκάστοτε τῶν περὶ Θεοῦ προβλημάτων ταῖς κοιναῖς τῆς πίστεως ἀρχαῖς καὶ ταῖς ὁμολογουμέναις ἀποφάσεσι τῶν ἁγίων, ὧν ὑποκειμένων, οὐδενὸς τῶν κειμένων ἀναιρουμένου, σύμφωνα συμπεραίνει· ὡς τοῖς παλαιοῖς πατράσι περὶ τοῦ ὁμουσίου διαλεχθεῖσιν ἐγένετο, καὶ πολλῶν ζητηθέντων περὶ τὴν πίστιν ἑτέρων· οὐδὲν ἧττον κἀκεῖνο τὸ συμπέρασμα τῆς γραφῆς ἀπόφασιν, τῶν ἐκεῖθεν ἀρχῶν ἠρτημένον, καὶ ταῖς αἰτίαις οἰκεῖον, ἀφ' ὧν προῆκται, διομολογητέον, καὶ θεολογικὸν κἀκεῖνο κλητέον, καὶ τῶν ἐκ τῆς Ἀποκαλύψεως εἶναι· ὥσπερ γεωμετρικὰ, τὰ ταῖς ἀρχαῖς τῆς γεωμετρίας ἑπόμενα συμπεράσματα· εἰ δὲ μὴ, πόλλα τῶν ὁμολογουμένων τῇ πίστει, ἃ διαῤῥήδην οὐ γέγραπται, ἀναιρήσει.

* Quæ, præeunte Caleca, Petavius observat, nihil impedit quominus paulo secius ita efferantur. Duobus itaque iisdem distinctis modis veritas aliqua, certumque doctrinæ caput contineri Scripturis potest, ἀμέσως *immediate*, ἐμμέσως *mediate*, neque citra deductionem. Uterque porro modus *bifariam* patet, cum ea quæ Scripturis *immediate* contenta dicimus, in duplici differentia versentur, atque iis adeo vel ῥητῶς *totidemque verbis* exprimantur, vel δυνάμει tantum ac *virtute* in iis inclusa et cum iis complicata, explicatione indigeant, accurataque illorum analysi, quibus coalescunt. Cæterum sive priore, sive altero modo Scripturis contineantur, ad verbum Dei spectant, verbum Dei efficiunt, et ad fidei objectum materiemque referri debent. Quæ autem nonnisi ἐμμέσως, *mediate* Scripturis comprehensa prohibentur, *synthesim* postulant, cujus præsidio eruta, in medium lucemque proferantur. At vero existere synthesis nequit, nisi cum propositione e Scripturis accepta altera ex humano fonte, licet certo, copuletur. Ea igitur *mediate* Scripturis contenta censentur, quæ *e mixto*, ut aiunt, *syllogismo* legitima deductione dimanant, quæque *ad theologicas* propterea *conclusiones* revocantur. De quibus cum plures plura scripserint, satis fuerit nominatim consuluisse Adrianum et Petrum de Walenburch (*Method. August.* part. II, c. IV et seqq.), nec non Andream Birnbeck (*Defens. methodi Augustin.* c. VI et seqq.), qui eorumdem vindicias contra Balthasarem Bœbelium suscepit. E. R.

divinis in rebus veritatem usi sunt [a].» Exemplo sit illud, « Quod secundum substantiam ab aliquo gignitur, ejusdem est cum generante substantiæ. Atqui Filius a Patre generatur. Igitur Filius ejusdem est cum Patre substantiæ. Nam prior, et major quæ dicitur, non ex sacris Litteris assumitur, sed ex naturali scientia. Et tamen quod ex ea, cum altera quæ fidei et Scripturæ est, infertur, fide certum habetur. Quod nisi argumentari liceret sic, frustra nos hortaretur Deus in Scripturis, ut ex iis rebus quas novimus et quas docente natura tenemus, ad Dei assurgamus notitiam. » Hæc fere Calecas, in quibus celebris et alio loco disputanda quæstio continetur, an theologiæ conclusiones quæ ex altera fide cognita propositione, altera naturali via et luce comprehensa colliguntur, fidei necessitatem et certitudinem habeant; illud in præsentia satis est, theologicam, hoc est divina scientia dignam hanc argumentandi esse formam, nec temere aspernandam aut a theologia procul arcendam, ut imperiti quidam vulgo mussitant.

Philosophiæ quinam usus reprehendendus.

V. Nam quod Nicephorus opponit, antiquos Patres interdum totum illud philosophiæ artificium respuere, cur id faciant tum supra demonstravimus capite quarto, tum hujus causam indicat Calecas. Nimirum qui sic dialectica vel philosophia nititur, ut a fidei principiis abducat disputationnem, vel certe contra fidem doctrinarum illarum inventis abutitur, pessime iste contendit et in justam veterum reprehensionem incidit. Horum prius gentiles faciebant philosophi, qui adversus christianam religionem sola naturalis immo carnalis sapientiæ arma vertebant. Posterius hæreticis iis est familiare, qui cum Scripturæ verbis suo more depravatis, aut perperam intellectis, humanæ rationis et ingenii commenta miscent, ut traditam a majoribus fidem e simpliciorum animis extorqueant. Ad quod illud Ambrosii spectat : « Fides non sit in hominum sapientia, et hæresis non erit[1].» Nam ita Scripturæ qualescumque sententias obtendunt, ut adjuncta humana ratione potiores huic quam illi partes deferant. « Omne enim quod ratione perscrutari non possunt, credere contemnunt, et per inquisitionem in nimiam errorem labuntur[2], » ait Gregorius Magnus. Citra hanc consilii in disputando pravitatem, non modo fas est in divinis rebus exercere dialecticam, sed etiam necessarium. Ac bene Calecas animadvertit eum, qui subtilia hæc studia condemnat, et a theologia procul abesse jubet, veteres omnes accusare doctores ac theologos, qui in enucleandis catholicæ fidei decretis, omnia dialecticorum acumina, totumque disserendi artificium commovent. Quos si diligentius legisset Gregoras, non tam inepte imperiteque de re hac tota judicasset. Sed ad eum refellendum pauca illa de Calecæ libro sumpta sufficiunt.

Castigantur Erasmi et aliorum in scholasticam methodum calumniæ.

VI. Verum alii sunt qui se in theologia quæstionum offendi genere ipso dictitant, non solum inanium, sed etiam propemodum impiarum. Auget hanc scholarum invidiam longa querimonia Desiderius Erasmus, ac plerasque recenset quæstiones, quæ nec ullo operæ pretio illic agitari solent et absoni ac nefarii aliquid præ se ferunt[3]. Sed in hac criminatione duplici de causa ipse est absurdus. Primum quod qua ratione elevat subtilium hoc genus disputationum, ea futilis est. Nam idcirco improbat, quia satius sit bene innocenterque vivere, quam acute talia tractare : Deum pie, religioseque colere, quam de ejus natura personis, ac proprietatibus anxie quærere. Quis hoc negat? Atqui ut ille præferendus sit doctrinæ studiis morum vitæque cultus, non tamen damnanda, vitioque vertenda ista sunt, sed suum quoque tempus ac locum laudabiliter occupant. Nec si aurum, non dicam argento, sed ferro ac ligno præstantius est, ideo nulla in re viliorem exercere materiam oportet. Ac si sana esset argumentatio hæc, liceret idem de omni artium ac doctrinarum genere concludere. Etenim cui non istarum vel perfectissimæ minima laus virtutis antecellit? Vides ad quæ monstra ratiocinatio ista dimanet, si quod intendit, in uno illi genere concessum fuerit.

Alterum Erasmi flagitium est in delectu quæstionum, quas tanquam impias et supervacaneas notat e scholasticarum numero; nam pleræque sunt earum non indignæ theologica commentatione, utpote quas antiqui Patres multum, accurateque tractarunt. Hujusmodi

a Cal. Ἀλλὰ μὴν εἰ καὶ πάντα συλλογισμὸν οἴεται τὸν μὴ καὶ ἀμφοτέρας ἐκ τῆς γραφῆς ἔχοντα τὰς προτάσεις ψευδῆ συμπεραίνειν, αὐτός τε ψευδῶς οἴεται, καὶ τοὺς διδασκάλους τῆς Ἐκκλησίας τοῖς τοιούτοις πολλάκις ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἐπὶ Θεοῦ χρησαμένους συκοφαντεῖ.

1 Lib. *de Symbol.* c. x. — 2 Greg. lib. XVI, *Moral.* c. xxvii. — 3 Ad cap. i epist. ad I *Timoth.*

sunt istæ : « An Deus possit actu infinitum secundum omnem dimensionem producere? An potuerit hunc mundum etiam ab æterno meliorem facere quam fecit? An possit producere hominem qui peccare non possit? An possit aliquo prædicamento contineri? An postestatem creandi possit communicare creaturæ? An Deus assumpserit individuum humanum, an speciem? An numerus personarum in divinis pertineat ad substantiam, an relationem? An per relationes et distinguantur et constituantur? An Deus generet Deum? An Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio, ab uno principio proficiscatur? an a duobus? » et aliæ similes. Quæ sane non solum impiæ non sunt aut supervacuæ, sed etiam utiles, immo interdum necessariæ sive ad plenam theologici dogmatis scientiam, sive ad depellendas hæreticas cavillationes, quæ novarum plerumque quæstionum et inauditarum antea necessariam faciunt tractationem. « Didicimus enim, ut recte scribit Augustinus, singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret[1]. » Et alibi : « Multa quippe, inquit, ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius prædicantur, et ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio[2]. » Item alio in loco : « Sacramenta enim quæ illic latent, inquit, nemo discuteret, simpliciore contentus fide, et ideo nemo inveniret, quia nemo discuteret, nisi pulsantibus calumniatoribus[3]. » Bene etiam illud Gregorius Magnus, vir alioquin in hoc genere temperatissimus : « Cum graviora, inquit, prodiere hostium certamina, tunc sunt profecto subtiliora sensuum spicula requisita, tunc argumentorum obstacula, tunc perplexior indago verborum. »

VII. Quis nescit illarum quæstionum plurimas quas Erasmus ad ludibrium selegit, ignotas fuisse hactenus ecclesiæ ac tum natas scilicet, cum adversus ea dogmata, quorum propriæ sunt, singulæ prodierunt hæreses, quæ non aliter repelli, quam novarum quæstionum enodatione potuerunt? « Inhonestum quippe est, ut ait Petrus Damiani, ut ecclesiasticus vir his, qui foris sunt, calumniantibus, per ignorantiam conticescat, et christianus de Christo reddere rationem nesciens inimicis insultantibus, victus et confusus abscedat[4]. »

Certe si supervacaneæ, impiæ, illaudabiles ac dignæ quæ scholasticis exprobrentur, quæstiones hujusmodi sunt, vituperanda maxima pars erit veterum Ecclesiæ Doctorum qui adversus hæreses illas, unde ortas esse dixi quæstiones istas, coram ac stylo certarunt, ut Athanasius, Basilius, Epiphanius, ambo Gregorii, Nazianzenus et Nyssenus, Cyrillus, Theodoretus, Maximus martyr, Nemesius, Hilarius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Fulgentius, cæteri denique omnes Nicæna posteriores synodo Patres, quorum aliqui levius, alii plenius, omnes certe aliqua ex parte controversias illas explicarunt. Quod ex opere hoc nostro constabit, in quo nullam de aliqua quæstione litteram admodum fecimus, nisi quam apud illos invenimus, non minus recte ac catholice sapiendi, quam vivendi artifices ac magistros. Ac si quis sigillatim omnes illas quæstiones recenseat quas ab Erasmo irrisas excerpsimus et multas cæterarum quas omisimus, eas ab illis, quos nominavi, Patribus pertractatas reperiet, multo etiam quam in scholis subtiliu ac diffusius. An vero contra Sabellianos et Arianos et hujusmodi Trinitatis hostes catholica propugnari doctrina potuit, sine limata et exquisita quarumdam rerum notitia, velut quid natura sit, quid hypostasis, persona, essentia, relatio ac reliqua similia? Quis Apollinarem, Nestorium, Eutychem ac multiplicem sectæ istius hydram perdomare posset, nisi iisdem in disputationibus probe luculenterque versatus? Ecce postea Græci homines in Aristotelis palæstra multum exercitati, de Personarum processione litigare cœperunt, ut Spiritum sanctum solo ex Patre ortum esse dicerent. Nonne de principii unitate, quod eorum præcipuum est firmamentum, quæri a nobis ac disputari debuit, si illis repugnare vellemus?

VIII. Idem de aliis quæstionibus est judicium, quas illudit Erasmus. Qui in nonnullis, concipiendis κακοήθειαν suam et *sannione dignam indolem* ostendit. Ut cum ita proponit « An hæc propositio : Deus est scarabæus, aut cucurbita, tam possibilis sit quam hæc, Deus est homo. » Putide certe et illiberaliter, cum sic honestius

1 Lib. II, *de Dono persever.* c. XX. — 2 Lib. XVI, *de Civit. Dei* c. II. — 3 Serm. 63 *de Diversis.* — 4 Opusc. 2 *contra Judæos* init.

conformari potuerit : an Deus tam rationis expertem naturam hypostasi suæ potuerit adjungere, quam rationabilem reipsa copulavit. Et ut semel dicam, nulla fere est divinis de rebus universe ac generatim probabilis quæstio, quæ si minutatim ac per species omnes distributa sit, non in turpe aliquid et indecorum postremo recidat.

In eadem causa sunt ac similiter castigandi, quibus scholasticus tractandæ theologiæ modus ob id displicet quod Aristotelem ac peripateticam doctrinam nimis in illo familiariter adhiberi videant. Sic Calvinus, Bucerus ac novi omnes dogmatistæ, qui abnormem et illepidam fabulam de arbitrii libertate recoquere cœperunt. Hi enim scholasticis omnibus theologis id solum culpæ dant (quæ sane nulla est), quod a philosophia quædam doctrinæ principia sumunt ac postulata per se cognita, et ab omnibus concessa, contra quæ confligere ipsi non dubitant, ac res novas non in philosophia tantum ac theologia, sed etiam in christiana fide moliuntur. De quibus in tomo tertio dicemus, nunc genus ipsum tantummodo defendimus immiscendæ cum divinarum rerum expositione philosophiæ, quod per se reprehendendum non est, si intra mensuram id fiat. Nam si nimium immoderateque sese philosophia inferat, nec laudare possumus et omnino coercendam arbitramur, ut suis finibus continere se discat, de qua moderatione veterum Patrum quædam referenda et expendenda sunt placita.

CAPUT VI.

De cautione in disputando de rebus divinis adhibenda. Patrum testimonia subtilius inquiri vetantium. Tum aliorum certo modo permittentium. Quæstionum theologicarum genera duo, quarum aliæ ad fidem spectant, aliæ minime et quomodo utræque tractandæ. Vitandam ubique tum temeritatem, tum nimis enucleatam et anxiam inquisitionem. Scholasticæ theologiæ contra ejus iniquos reprehensores patrocinium. Hæreticos contra dialecticam nunquam non argumentando peccare.

I. Sæpe illud ab antiquis Patribus commendari videmus ac divinarum rerum studiosis præcipi, ut ne in inquirendo modum excedant, ne pro lucro ac fructu certam sibi perniciem consciscant. Quam in rem solis similitudine plurimum eos delectat uti, quæ est imago quædam in rebus aspectabilibus perfecta Dei; quod ex Platone Gregorius Nazianzenus in XXXIV oratione refert [a]. Ex quo sic Hilarius argumentatur in libro decimo : « Si contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis luminis solertius acies curiosæ contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre ne videas; quid nobis in Dei rebus, et in Sole justitiæ expectandum est? Nonne incumbet volentibus supersapere stultitia? Nonne ipsum illud acre intelligentiæ lumen stupor hebetis desipientiæ occupabit? Non enim natura inferior causam naturæ potioris intelliget, nec subjacet humanæ conceptioni ratio cœlestis, etc. Ut igitur sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur, ne si plus velimus expetere, minus quoque quam possumus consequamur; ita et ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi; in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit, ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta [1].» Quam Hilarii sententiam Basilius exprimit in homilia quadam adversus calumniatores sanctæ Trinitatis. « Scire debemus, inquit, quæ loqui oportet et quæ tacere. Non omnia lingua proferenda sunt, ne mens, oculi instar, totum solem intueri volens, lumen etiam illud quod jam habuit, amittat. [b]» Hesychius vere in [2] *Leviticum :* « ut qui calefit, inquit, non propius ad ignem accedit, ita qui de Deo disputat [2]. » Maximus item martyr « contemplationem, nisi refrenetur, in præceps agi [c] » dicit.

Modus in disputando de rebus divinis adhibendus.

Ad hæc Chrysostomus [d] : « Cum ubique re-

a Naz. Τοῦτο ἐν αἰσθητοῖς ἥλιος, ὅπερ ἐν νοητοῖς Θεὸς, ἔφη τις τῶν ἀλλοτρίων.

b Basil. Hom. 29. Εἰδέναι γὰρ ὀφείλομεν ἃ χρὴ λαλεῖν, καὶ ἃ χρὴ σιωπᾶν· οὐ πάντα ῥητὰ τῇ γλώττῃ· ἵνα μὴ ὁ νοῦς καθάπερ ὀφθαλμὸς, ὅλον τὸν ἥλιον θέλων ὁρᾶν, ἀπολέσῃ καὶ ὃ ἔσχε φῶς.

c Max. cent. 4. *de Charit.* cap. V. et cit. ab Euth. par. 1. *Pan.* tit. VI. Θεωρία γὰρ ἀχαλίνωτος τάχα ἂν καὶ κατὰ κρημνὸν ὤσειε.

d Chrys. Hom. 2, *in epist. ad Hebr.* Πανταχοῦ.

1 Pag. 751. — 2 Lib. II vi, 6.

ligiose circumspecta mente opus esse ait, tum maxime cum de Deo loquimur vel audimus. » Cui illud Salviani convenit : « Cum grandi metu ac disciplina etiam pro religione dicere debemus [1]. » Etenim « de iis etiam quæ vera sunt loqui periculum est et non parvum, » ait Sixtus in *Sententiis*. Et Cyrillus Alexandrinus in *Prosphonetico ad imperatorem Theodosium* [a], indignum putat ea quæ intelligentiam superant, immoderata diligentia labefactare ac nimiis inquisitionibus subjicere. Tum alibi « Cesset inquit, deinceps curiositas. Quippe ultra intelligentiam ac sermonem divinitas consistit [b]. » Atque, ut ait Nilus in *Asceticis* * : « Nonnunquam de divina natura disputare instituunt, ubi et veritas investigari non potest, et periculosa est conjectura [c]. » Quod apta similitudine Diadochus Photicensis illustrat. « Profundum, inquit, fidei si scrutemur, turbulentum quidem est, tranquillum vero si simplici animo contemplemur. Non enim patitur profundum fidei, quod est aqua oblivionis, ut curiosis cogitationibus illud contemplemur. Simplicitate ergo intelligentiæ in aquis ejus navigamus, ut sic ad portum voluntatis Dei perveniamus [2]. »

Patrum testimonia de rebus fidei disputare modo permittentium.

II. Ne quem vero tot Patrum sententiæ ab divinis rebus perscrutandis penitus absterreant, tanquam sola contenti esse fide, nec ultra progredi debeamus (hoc enim esset theologiam omnem e medio tollere, quæ utique aliquid est præter fidem, velut ædificium simplici ab fundamento distat) : ne quis itaque quæstionibus ac disputationibus theologicis interdictum existimet; præsto sunt alii Patres qui planius ac distinctius modum ei rei faciendæ præscribunt, non universe totum hoc negotium specie saltem tenus improbant. Imprimis Gregorius Nazianzenus in oratione XXVI cum illum laudasset, « qui de Deo moderate loquitur, ita ut quædam effari noverit quædam premere ac retinere, quorumdam etiam inscitiam fateri [d], » ita demum occurrentem sibi adversarium inducit. « Quid igitur? Num de Deo prorsus tacebimus, idque nos jubes facere? » Cui sic respondet, ut regulam ac rationem, qua id sit agendum, præfiniat utilem instituto nostro. « Non te, inquit, tacere jubeo, vir sapientissime, sed a pertinaci contentione abstinere, nec veritatem occultare, sed non præter legem docere [f]. » Hinc divinarum rerum laudato studio : « Interim tamen, ait, excessum fugio et inexplebilem cupiditatem coerceo, malimque, si mihi utrumque fugere ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignavus esse quam nimis curiosus. Tu vero similiter facis ac si me immodico cibo prohibentem te uti, eo accusares nomine, quasi tibi cibo omni penitus interdicerem, vel tanquam cæcitatem laudarem, cum te hortarer caste ac pudice intueri [g]. » Demum « meditare tu quidem inquit, divinas res, sed intra terminos consistens. » Non igitur rerum divinarum accuratam prohibet inquisitionem, nec a subtilibus, enucleatisque disputationibus abstinere vult eos, qui in istis studiis occupantur; sed eos solum qui curiose id faciunt ac verecundæ moderatæque sapientiæ fines excedunt. Cujusmodi erant, contra quos agebat, molesti illi et contentiosi sophistæ, qui artificium suum et acumen si quod in ipsis erat, ingenii, non ad illustrandam ac tuendam veritatis causam, sed ad evertendam conferebant, nec in inquirendo disputandoque legem illam ac modum serva-

μὲν εὐλαβοῦς διανοίας δεῖ, μάλιστα δὲ ὅταν περὶ Θεοῦ λέγωμέν τι, ἢ ἀκούωμεν.

a Cyr. Οὐ ταῖς ὑπὲρ μέτρον ἀκριβείαις καταλύειν ἄξιον, οὔτε μὴν ταῖς εἰς ἄκρον ἐρεύναις ὑποφέρειν τὰ ὑπὲρ νοῦν.

b Idem. dial. 5. *de Trinit.* Καὶ ἠρεμείτο λοιπὸν τὸ περίεργον ἔτι· νοῦ δὲ ἐπέκεινα, καὶ λὸγου παντὸς τὸ Θεῖον.

c Nilus apud Damasc. *in Eclogis* in par. 1, cap. XLVIII. Ἔστιν ὅτε καὶ θεολογεῖν ἐπιχειροῦσιν ὅπου καὶ ἡ ἀλήθεια ἀνέφικτος, καὶ ὁ στοχασμὸς ἐπικίνδυνος.

d Naz. Ἀλλ' ὅστις μετρίος περὶ Θεοῦ φθέγγεται, καὶ τὰ μὲν εἰπεῖν οἶδε, τὰ δὲ κατέχειν, τῶν δὲ ὁμολογεῖν τὴν ἄγνοιαν, etc.

e Ib. Τὶ οὖν; σιωπησόμεθα περὶ Θεοῦ, καὶ τοῦτο κελεύεις.

f Ibid. Οὐ σιωπᾷν διακελεύομαι, ὦ σοφώτατε· ἀλλὰ μὴ φιλονείκως ἵστασθαι· οὐ κρύπτειν τὴν ἀλήθειαν, ἀλλὰ μὴ διδάσκειν παρὰ τὸν νόμον.

g Ibid. Φεύγω δ' ὅμως τὸ ἄμετρον καὶ σχολάζω (cor. κολάζω) τὴν ἀπληστίαν, καὶ ἀργὸς εἶναι μᾶλλον τοῦ δέοντος, ἢ περίεργος δέχομαι, ἂν μὴ ἀμφότερα διαφεύγειν ἐξῇ καὶ μετρίου τυγχάνειν, καὶ δειλότερος μᾶλλον τοῦ δέοντος, ἢ θρασύτερος· σὺ δὲ ποιεῖς παραπλήσιον ὥσπερ ἂν εἰ κωλύοντά με τροφῆς ἀμετρίαν, καὶ καθόλου τροφὴν κωλύειν κατῃτιῶ. ἢ καὶ τυφλότητα ἐπαινεῖν σωφρόνως ὁρᾷν, εἰσηγούμενον, etc. μελέτα μὲν ἐν τοῖς θείοις, ἀλλ' εἴσω τῶν ὅρων μένων.

* In edit. Lequieni habetur litt. A. tit. III, pag. 304. E. R.

1 Lib. I. *de Gubern. Dei.* — 2 Didad. *lib. de Perf. spir.* cap. XXII. tom. V. *Biblioth. Patrum* col. 293.

bant, quem in pronuntiandis fidei dogmatibus ac Scripturis interpretandis catholica prudentia præfixit, ut ex Ecclesiæ, conciliorum ac sanctorum Patrum auctoritate, non ex privato quisque judicio pendeat. Hi sunt enim termini, leges hæ, modus ille, quem prætergredi vetat Gregorius. Quem qui intra sese continet, licet huic quam volet ac poterit acute subtiliterque disputare de Deo. Immo si Ephræmium Antiochensem audimus, totum in eo explicabit ingenium, ut ne minimam quidem partem illius quod consequi potest, omittat.

Duo quæstionum theologicarum genera.

III. Hic enim duo theologicarum quæstionum, hoc est, ad Scripturas spectantium genera distinguit, quarum aliæ sunt minime necessariæ, in quibus si aberres a vero, nihil hoc salutis intersit; aliæ majoris momenti sunt ac periculi, in quibus titubare sine certa pernicie non potes. Prioris esse generis ait, ut cum quæritur utrum Enoch et Elias cum corporibus translati sint et adhuc vivant, ac num idem Joanni Evangelistæ contigerit, uti plures opinati sunt. Posterioris autem ea sunt, quæ ad fidem illam referuntur qua christiani et catholici sumus. In illis ergo disceptandis minori contentione est opus, nec tam accurati esse debemus; in aliis nulla nimis enucleata potest opera videri. « Inquisitio, ait, illa quæ de rebus fidei suscipitur, si aberret a veritate, ingens animæ naufragium affert. Quare vel minimam, quæ quidem eo pertineat, excutere syllabam oportet. At vero disputatio illa quæ de quæstionibus habetur ad fidem minime spectantibus, recte quidem res habeat, si optatum finem veritatis assequantur; sin autem ab eo excidant, id quidem non bene successerit, non tamen in exitium animæ vergit[a]. » Vides ut illa quæ ad fidem spectant, cujusmodi sunt quæ de Deo, ejusque natura, proprietatibus, processionibus et ut universe cum Dionysio complectar, τὰ περὶ τῆς ἡνωμένης, καὶ διῃρημένης θεολογίας [b], hoc est quæ ad unitatem, et distinctionem quæ inest in deitate, attinent, exacte ac scrupulose perquirenda censeat eruditissimus et sanctissimus antistes, nec minus cætera fidei dogmata, in quibus indagandis et illustrandis theologorum laborat industria. Sed nec alias interim quæstiones damnat aut indignas eorum studio judicat, quæ otiosæ ac supervacaneæ videri maxime queant. Minori duntaxat ut conatu et contentione tractentur admonet, quod ipsum est, ut comiter ac sine pervicacia transigantur, et ut ne adversus eos quorum a nostra opinio dissidet, vehementius acriusque certemus. Quæ moderatio laudanda est et amplectenda nobis. Est enim plena humanitatis ac prudentiæ. At illa prior Erasmi ac similium sententia, atrox est et barbara, quæ omnem e doctorum vigiliis ac scholis excidit doctrinæ ubertatem et elegantiam.

Quæ ad unitem et distinctam theologiam attinent.

IV. Sic Augustinus duplex itidem genus quæstionis agnoscit, atque ut minime necessarium illud et prope otiosum non eripit, sic in ambobus tamen enodandis dissimilem vim et intentionem requirit. « Longe aliter, inquit, se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quam sunt illæ, in quibus salva fide, qua christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit et sententia definitiva suspenditur, aut aliter quam est, humana et infirma suspicione conjicitur. Veluti cum quæritur qualis vel ubi sit paradisus, ubi constituit Deus hominem quem formavit ex pulvere, cum tamen esse illum paradisum fides christiana non dubitet. Vel cum quæritur, ubi sit nunc Elias, vel Enoch, an ibi an alicubi alibi, quos tamen non dubitamus in quibus nati sunt corporibus vivere [1], etc. » Hujusmodi quæstiones aliquot proponit exempli gratia, tum ita concludit : « Quis enim non sentiat, in his atque hujusmodi variis et innumerabilibus quæstionibus sive ad obscurissima opera Dei,

[a] Ephræm. Antioch. apud Phot. cod. 228. Ἡ μὲν γὰρ περὶ πίστεως ἔρευνα τῆς ἀληθείας παρατραπεῖσα, ναυάγιον μέγα τῇ ψυχῇ προξενεῖ· διὸ δὴ καὶ βραχείας τῆς εἰς αὐτὴν τελούσης, ἀντέχεσθαι δεῖ συλλαβῆς· ἡ δὲ ζήτησις τῶν παρὰ τὴν εὐσέβειαν προβλημάτων, καλὸν μὲν, εἰ πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας καταλήγει τέλος· εἰ δέ γε ταύτης ἀστοχήσει, οὐ καλὸν μὲν, οὐ μὴν ὄλεθρον ψυχῆς οὐ φέρει.

[b] Similem habet sententiam Gregorius Nazianzenus. Orat. xxiii, sub finem. Φιλοσόφειν μοι, περὶ κόσμου ἢ κόσμων, περὶ ὕλης, περὶ ψυχῆς, περὶ λογικῶν φύσεων, βελτιόνων τε καὶ χειρόνων, περὶ ἀναστάσεως, κρίσεως, ἀνταποδόσεως, Χριστοῦ παθημάτων· ἐν τούτοις γὰρ καὶ τὸ ἐπιτυγχάνειν οὐκ ἄχρηστον καὶ τὸ διαμαρτάνειν ἀκίνδυνον. *Philosophare mihi de mundo, vel mundis, de materia, de anima, de naturis rationalibus, cum melioribus, tum deterioribus, de judicio, de præmiis, de perpessionibus Christi ; nam in his scopum adsequi non inutile est, nec periculosum aberrare.*

1 Aug. lib. *de Peccato origin.* cap. xxiii.

sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, et multa ignorari salva christiana fide, et alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine? »

Auctor *Expositionis fidei,* cui Justini martyris * nomen præfigitur, luculentissime de hac re disserit, ac dictis nostris fidem adstruit. Nam cum de Incarnationis mysterio ageret, primum hæreticos summovet, qui humanæ ratiocinationi totum permittebant, christianæ fidei ac pietatis obliti, quæ supra captum ingenii nostri, supraque humanæ scientiæ modum ac rationis assurgit. Nempe quod illi doctrinæ subtilitate contra fidem abutebantur, recte hac illos exceptione compescuit. Postea disjectis hostibus ac procul repulsis, ad pios et catholicos divinarum rerum inquisitores convertit orationem, ac non solum de iis quærere ac disputare non prohibet, sed hortatur etiam ut quam acerrime id faciant, dum hoc intra catholicæ regulæ præscriptum, ac non infirmandæ, sed stabiliendæ fidei causa suscipiant. « Vos autem, inquit, Ecclesiæ filii, qui quæstionem pie movetis, et eorum de quibus dubitatis, non tentandi gratia, sed discendi, quoad licet interrogationes explicantes, ita mihi mentes vestras instruite. Est quidem divinæ doctrinæ multiplex forma, sed in compendium redacta, bifariam tribuitur, in mandatorum disciplinam et observationem, atque in divinam cognitionem et adorationem. Igitur pietatis amatores mandatorum quidem observationem ac disciplinam nulla in re ignorare studebunt, ac præ his divinam adorationem. Quod autem ad divinarum rerum notitiam spectat, hanc illi quidem, quantum poterunt, indagare volent; cum autem præ imbecillitate minus assequentur, venerentur ut comprehensione majorem, ut non evacuetur fides nostra [a]. »

V Hoc sapientis viri præclarum monitum opponatur Erasmi et similium obtrectationi ac puerili et inscitæ querelæ, qui eo minime contenti, quod recta ratio præfinit, pluris morum et vitæ, quam ingenii perpolitionem et judicio et usu faciendam esse; in illud abruptum exeunt, ut solo digniori ac potiori relicto, alterum abolendum exterminandumque censeant. Quæ cavillatio cæcæ ac stolidæ mentis tam infinite patet ad stupiditatem, ut vel illos ipsos pudeat, si apud se quo res demum evasura sit, agnoscere potuerint.

Interim modus ille commendetur theologo nostro, ut quod in cæteris valet, multo magis in divinarum rerum commentatione teneat: *Ne quid nimis*. Ac meminerit illius documenti, quod magnus Gregorius his verbis tradidit: « Habent hoc hæretici proprium, ut de inani scientiæ suæ arrogantia inflentur et recte credentium simplicitatem sæpe derideant, etc. At contra sancta Ecclesia in omne quod veraciter sapit, sensum suum humiliter deprimit, ne in requisitione occultorum tumeat et perscrutari aliqua quæ ultra vires sunt illius, præsumat. Utilius etenim studet nescire quæ perscrutari non valet, quam audacter definire quæ nescit [1]. » Quo et illud Senecæ philosophi spectat: « Egregie Aristoteles ait nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de diis agitur. Si intramus templa compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur; quanto hoc magis facere debemus, cum de deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur [2]? »

In rerum divinarum commentatione tenendum: *ne quid nimis*.

a Just. Ὑμεῖς δὲ, οἱ τῆς Ἐκκλησίας υἱεῖς, οἱ τὴν ζήτησιν εὐσεβῶς ποιούμενοι, καὶ τῶν ἐπαπορουμένων τὰς πεύσεις, οὐ πειράζοντες, ἀλλ' εἰ δυνατὸν μανθάνειν, προσάγοντες, ὧδέ μοι τὸν νοῦν εὐτρεπίσατε· πολυσχιδὲς μὲν τῆς θείας διδασκαλίας τὸ σχῆμα, συναιρεῖται δὲ, ὡς ἐν κεφαλαίῳ, εἴς τε μάθησιν ἐντολῶν, καὶ φυλακὴν, εἴς τε τὴν θείαν γνῶσιν, καὶ προσκύνησιν· οἱ τοίνυν τῆς εὐσεβείας ἐρασταὶ, τὴν μὲν τῶν ἐντολῶν φυλακὴν, καὶ μάθησιν κατ' οὐδὲν ἀγνοεῖν πειράσονται, καὶ πρὸ τούτων γε τὴν θείαν προσκύνησιν· τήν γε μὴν τῶν θείων γνῶσιν βουλήσονται μὲν ἰχνεύειν εἰς δύναμιν, ἀτονοῦντες δὲ, προσκυνείτωσαν ὡς ἀνέφικτον, ἵνα μὴ κενοῦται τὰ τῆς πίστεως ἡμῖν. Vide Cyril. dial. *de Incarn.*

* Ejusmodi libellus in editionibus Maurina vetustioribus inscribitur: Ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, ἤτοι περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος, in Maurina vero hunc refert titulum: Ἔκθεσις τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας. De germano ejusdem auctore post alios omnes uberius disseruit Theodorus Otto (*Comment. de Justini martyris scriptis et doctrina,* part. I, sect. 3, cap. IX), qui rem tamen in medio reliquit. Nobis satis erit monuisse libellum non displicuisse Leontio Byzantino, ut ex ejusdem constat fragmentis apud Henricum Canisium (*Antiq. lect.* t. IV, pag. 23) et Angelum Mai (*Script. vet.* t. VI, pag. 21-22-24-25-27-29-60-130). E. R.

1 Greg. lib. XIV. *Moral.* c. XII. — 2 Senec. lib. VIII., *Natur. quæst,* c. XXX.

VI. Hujus in abstrusis illis et plerumque minus ad fidem necessariis inquirendis rebus, solertiæ pariter et cautionis exempla passim Augustinus in seipso præbuit. Velut in libris *de Genesi*, *de Civitate Dei*, *Confessionum*, in *Epistolis* ac pæne omnibus operibus. Quæ, si sana et bene provisa esset Erasmi ratio illa et reprehensio theologorum, inducenda prorsus essent, ut et majoris partis veterum scripta. Sed nugacem istum, et eadem implicatos amentia reliquos valere jubeamus, et Augustinum magis imitemur, cujus in uno facto specimen illius documenti dabimus. Hic in libro XII *de Civitate Dei* capite XV, difficilem quæstionem et impeditam magis quam necessariam expromit, an Deus ab æterno dominus fuerit. De qua in utramque partem argute ac subtiliter disputat. Non dubium est, quin hæc inquisitio minoris pretii utilitatisque sit, quam pleræque sunt earum quas in theologia deridet ac pæne impias judicavit Erasmus. Et illam ipsam tamen adeo non neglexit Augustinus, ut operose de hac et anxie disseruerit. Ac victus tandem difficultate, et animi suspensus, cum nihil liquido definiat, præceptum tamen edidit, quid similibus in controversiis quæ ad ingenii exercitationem agitantur, sequi theologum deceat. « Redeo igitur, inquit, ad id quod Creator noster scire nos voluit. Illa vero quæ vel sapientioribus in hac vita scire permisit, vel omnino perfectis in alia vita scienda permisit, ultra vires meas esse profiteor. Sed ideo putavi sine affirmatione tractanda, ut qui hæc legunt, videant a quibus quæstionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur, potiusque intelligant, quam sit Apostolo obtemperandum præcipienti salubriter, ubi ait : *Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei*[1]. Qua sententia commonemur, ut ne ultra captum ingenii nostri, viresque nitamur in perplexis ac reconditis quæstionibus, maxime autem novis et inusitatis. Non ut eas aggredi et utcumque disputare nefas sit theologo, sed ut certo de illis decidere ac temere tanquam oracula pronuntiare vereatur.

Leg., scienda servavit.

VII. Quinetiam si sapiat et laboris ac temporis facere compendium velit, mihi istud animadvertat, ut in communibus etiam et scholarum usu detritis controversiis ne sit in inquirendo nimius, altiusve quam necesse sit mentis defigat aciem, ut propositæ quæstionis oras omnes et sinus ac recessus peragrare cupiat, ne quid sit, cujus illi ratio non constet. Habet enim infinita illa curiositas tum ingratam ac fastidii plenam operam, tum jacturam rei omnium pretiosissimæ, temporis quod utilius in rebus aliis hac impensa dignioribus occupari potuit, tum male apud homines audit eo nomine plerumque theologia et in eorum sermones ac reprehensiones non prorsus negligendas incidit. Quæ sic statuo, non tam ut præcepta dem theologis, quam ut quid secutus ipse sim et quemadmodum me contra querimonias istas hoc in opere munierim, lectoribus meis ostendam. Non enim vereor, ne labes istas quæstionum et inanitates merito nobis aliquis exprobrare possit. Nam nullam commovimus omnino, aut in ea certe commorati sumus, quam non illi ante nos tractaverint, quos duces nobis auctoresque proposuimus. Ita nihil nisi necessarium instituto nostro, et quod non sine culpa prætermissum foret, attigimus, ut si minus hac in re satisfacimus morosis quibusdam et iniquis alieni laboris æstimatoribus, qui omitti a nobis aliqua tanquam superflua debuisse pugnent, non ad nos illorum criminatio pertineat, sed ad eos

Nimia curiositas in quæstionibus theologicis cavenda.

Quorum æmulari exoptem negligentiam
Potius quam istorum obscuram diligentiam.

Equidem dum eos intueor et contemplor, qui in scholasticam theologiam acerbiore odio feruntur, quod ab philosophia et dialectica aliquid opis acquirat, multum a verbis abhorrere ipsorum facta sentio. Quas enim artes indignas judicant commercio theologiæ, eas ipsi tum maxime in auxilium evocant, dum pro decretis suis quæ mera esse Dei responsa volunt, certamen suscipiunt, uti malæ ac deploratæ causæ subsidium inde aliquod comparent. Nam quæ falsa et propter novitatem suspecta est opinio, ea magno artificio et calliditate opus habet, ut lucem hominum et conspectum sustinere possit. Et ut in *Phœnissis* ait Euripides,

Ὁ δὲ ἄδικος,
Νοσῶν ἐν αὑτῷ φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

[1] *Rom.* XII, 3.

« Sermo omnis injustus,
Cum in seipso æger sit solertibus medica-
[mentis indiget[1]. »

Hæretici contra dialecticam nunquam non argumentando peccant.

VIII. Quocirca qui ab communi et ecclesiastica doctrina quomodocumque dissentiunt, cujusmodi homines scholasticam subtilitatem atrocius insectari solent, errorem suum, tanquam meretricium vultum, fuco ac cerussa, ita illi sophismatum captionibus et præstigiis obducunt. Etenim quoniam catholica fides non ex principiis naturæ nec humana ratiocinatione colligitur, sed utramque superans, sola in Dei auctoritate sistit; idcirco quod ei contrarium est mendacium, cœlo interclusum hæret in terris et contra naturæ conditorem, naturæ se opibus præsidiisque defendit. Hoc in antiquis omnibus hæreticis, Valentino, Marcione, Manichæo, Sabellio, Paulo Samosateno, Ario, Aetio, Eunomio et cæteris, suo quique tempore catholici doctores animadverterunt, hoc in novissimis et hodiernis adhuc præ oculis habemus. Quorum quidquid est in quo Romanæ adversantur Ecclesiæ, idipsum ex eodem humanæ rationis et sapientiæ fonte manavit. Tametsi non hic vera cogitanda ratio est veraque sapientia, tanquam sincera penes illos philosophia vel dialectica cum tanta erroris pravitate consisteret. Sed ementita et adulterata est utraque et ista præsertim, sophisticis fraudibus et calumniis instructa. Dicam id quod sæpe multumque perspexi, credo et alii deprehenderunt, qui hæreticis disputando vel eorum legendo scripta operam aliquando dederint, nullum eos, nisi vitiosum ac male cohærens argumentum facere contra catholicam fidem. Atqui non pauci sunt inter illos dialecticæ minime rudes, sed qui plurimum in illa otii ac laboris contriverint, ut ejus etiam disciplinæ præcepta aliis traderent. At iidem isti cum in aliis rebus rectam teneant ex regulis argumenti conclusionem, ubi ventum est ad fidei controversias, repente velut artis obliti suæ, jam nulli dialectici sunt, ac meros παραλογισμοὺς et perversas ratiocinationes proferunt. Itaque vel si causæ deessent cæteræ, propter quas philosophiæ, dialecticæque pœnitere non debeat scholasticos theologos, hæc vel una poterat probabilis videri, quod hæreticorum arguta et malitiosa loquacitas per illas convicta et oppressa conticescat.

Paralogismos.

[1] Euripid.

CAPUT VII.

De cultu ornatuque theologiæ ex politis artibus adjungendo. Veterum diversæ de ea re sententiæ. Plurimos videri omnem ab illa decorem et ornamentum abjudicare, maxime ab sacris Litteris. Etiam gentilium judicia consentire. Plotini in loquendo infantia. Opponuntur aliorum Patrum testimonia, elegantiam in theologia commendantium. Conciliantur illi omnes invicem. Stulta Castalionis in vertendis Bibliis affectatio Latinitatis exquisitæ. Barbaris locutionibus quatenus uti liceat, etiam probantibus elegantissimis scriptoribus. Linguarum varietas theologo apprime utilis.

I. Restat alterum caput criminationis in vulgatam theologiam, quod majorem quidem partem offendit eruditorum ac politorum hominum, quod barbare incompteque sensus suos explicet, quodque non modo nitoris aliquid et elegantiæ, sed ne humanum quidem ac tolerabilem morem locutionis admittat. De qua illorum accusatione pauca dixisse satis fuerit. Non enim longiorem operam querela ista desiderat, quam ut institui, ex antiquiorum patrum sententiis facile componam.

Plerique veterum orationis ornatum in theologicis rebus enarrandis abjudicare videntur.

Horum quidem plerique cum de genere agunt orationis, quod divinis rebus enarrandis accommodatum sit, partim ornatum sermonis ac munditiam adimere, partim non tam ornatum, quam ejus studium arguere ac neglectum suadere videntur. Quod tum præsertim faciunt, cum ad sacras Litteras respectant, proque iis contra vituperationes gentilium propugnant. Nam et isti Scripturas christianas, similiter atque illi theologiam, ludibrio habebant, quod stylo essent editæ rustico et insulso, non cujusmodi erant suorum, ut Platonis aut Aristotelis ac similium libri, magnis de rebus ac divinis copiose eleganterque scripti. Quos contra disputantes nostri, tum abhorrentes istos esse dicunt lepores dictionis ac veneres ab gravis et severi argumenti tractatione, tum causas quamplurimas afferunt, propter quas libros illos pedestri potius ac vulgari sermone scribi oportuit, quam polito ac litterato.

Ita Celsum contra sacras Litteras stolide garrientem, iisque Græcorum anteponentem scri-

pia, refellit Origenes in sexto libro, ac de industria minus exquisite loqui canonicos scriptores ait, ut ad omnium captum fructus illorum pertineat [a]. Nam qui eloquentiam in scribendo consectati sunt, nonnisi doctorum rationem habuisse, rudes plebeiosque contempsisse. Et alibi : « Sub tenui, et contempta locutione latentem esse ait arcanorum splendorem dogmatum, adeo ut quasi thesaurum habeamus in vasis fictilibus [1], ut luceat sublimitas virtutis Dei, nec a nobis hominibus esse credatur [b]. » Quod etiam uberius disserit in ejusdem *Philocaliæ* capite IV ex tomo IV *in Joannem*.

Theodoretus item in libro IX *contra Græcos*, non absimili comparatione idipsum explicat et simplicitatem Scripturarum confert margaritarum ostreis, vel auri venis, quæ cum abjecta et vilia specie ipsa sint, ingentes thesauros recondunt. Cui succinit Petrus Chrysologus, sicut in terra, inquit latet aurum, ita divinus sensus verbis celatur [2]. » Vide Gregorium Nyssenum *Epistola ad Ablabium, De eo quod non sint tres dii*, et Isidorum Pelusiotam libro VI, epistola XCI et Cyrillum libro VII *contra Julianum*, aliosque complures.

II. Ad istarum itaque litterarum regulam et exemplum veteres aliqui pedissequam earum et interpretem theologiam revocant, eamque simplici dictione vestiendam rati, cultum et splendorem omnem illi detrahunt. Hoc de se ac theologicis commentationibus suis profitetur gravis auctor Clemens Alexandrinus in primo *Stromateon* : « Mihi, inquit, merito, quantum arbitror, propositum est vivere secundum rationem et intelligere quæ significantur, eloquentiam vero nunquam affectantem, contentum eo duntaxat esse, ut quod intelligo declaretur. Quonam vero istud nomine planum fiat, quod ostendere volo, nihil mea refert [c]. » Plura addit ad idem argumentum atque hoc imprimis : « Locutionem vestis esse instar in corpore, res autem esse velut carnes et ossa. Non igitur oportere majori curæ esse vestem, quam corporis salutem. Nam non vili ac frugali victui tantummodo, sed etiam sermoni simplici et incurioso studere debet is, qui verum vitæ institutum suscepit, quandoquidem et delicias, ut dolosas et luxuriosas rejicimus, ut unguentum et purpuram olim Lacedæmonii, dolosas vestes et dolosas unctiones recte illas existimantes et nominantes. Etenim neque probandus est ille ciborum apparatus, in quo plura sunt condimenta quam quæ ad alendum facta sunt, neque sermonis usus ejusmodi scitus est, qui oblectandis potius quam juvandis auditoribus servit [d]. » Idem etiam initio secundi libri : « Sæpe, inquit, diximus neque nos Græci sermonis elegantiam affectasse nec ei colendæ operam adhibere. Hoc enim sufficit ad vulgus hominum a veritate deterrendum. Vera autem philosophiæ professio, non ad linguam eorum qui auscultant, sed ad mentem potius juvandam refertur. Ita porro statuo eum oportere qui veritatis curam gerit, non affectate ac velut insidiose, nimisque diligenter locutionem suam contexere, sed hoc unum studere, ut quodcumque vult appellet quomodo potest. Qui enim pendent a dictionibus et in iis occupantur, eos ipsæ res effugiunt [e]. » Vide Zachariam Mitylenæum in libro *de Mundi opificio*.

III. Leontius Byzantinus libro primo *contra Nestorium et Eutychem*, hæreticorum id esse proprium docet, ut fœda et indecora dogmata sua verborum ornatu ac decore vestiant; e

a ORIGEN. lib. VI. *cont. Cels.* init. Ὅτι χαρακτῆρος ἐν τῷ λέγειν φροντιστέον αὐτῷ κοινωφελοῦς, καὶ δυναμένου πᾶσαν ἐπαγαγέσθαι ἀκοήν.

b Id. cap. I, *Philocal.* Τῇ κεκρυμμένῃ λαμπρότητι τῶν δογμάτων ἐν εὐτελεῖ, καὶ εὐκαταφρονήτῳ λέξει ἀποκειμένῃ· ἔχομεν γὰρ θησαυρὸν ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν· ἵνα λάμψῃ ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ νομισθῇ εἶναι ἐξ ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων.

c CLEM. lib. I. *Stromat.* Ἐμοὶ δὲ εἰκότως, οἶμαι, πρόκειται, βιοῦν μὲν, κατὰ τὸν λόγον, καὶ νοεῖν τὰ σημαινόμενα· εὐγλωττίαν δὲ μήποτε ζηλοῦντα, ἀρκεῖσθαι μόνῳ τῷ αἰνίξασθαι τὸ νοούμενον ὁποίῳ δὲ ὀνόματι, δηλοῦται τοῦτο, ὅπερ παραστῆσαι βούλομαι, οὐθέν μοι μέλει.

d CLEM. ibid. Ἡ μὲν γὰρ λέξις οἷον ἐσθὴς ἐπὶ σώματος· τὰ δὲ πράγματα σάρκες εἰσὶ καὶ νεῦρα· οὐ χρὴ τοίνυν τῆς ἐσθῆτος πρὸ τῆς τοῦ σώματος σωτηρίας κήδεσθαι· εὐτελῆ γὰρ οὐ μόνον δίαιταν, ἀλλὰ καὶ λόγον ἀσκητέον ἀπεριττόν τε, καὶ ἀπερίεργον τῷ τὸν ἀληθῆ βίον ἐπανῃρημένῳ. εἴ γε τὴν τρυφὴν, ὡς δολέραν τε, καὶ ἄσωτον παραιτοίμεθα· καθάπερ τὸ μύρον, καὶ τὴν πορφύραν οἱ παλαιοὶ Λακεδαιμόνιοι, δολερὰ μὲν τὰ ἵματα, δολερὰ δὲ τὰ χρήματα ὑπολαβόντες ὀρθῶς, καὶ ὀνομάσαντες· ἐπεὶ μήτε ἐκείνη καλὴ σκευασία τροφῆς ἡ πλείω τῶν τρεφόντων ἔχουσα τὰ ἡδύσματα· μήτε λόγου χρῆσις ἀστεία, ἢ τέρπειν μᾶλλον, ἢ ὠφελεῖν τοὺς ἀκούοντας δυναμένη.

e CLEM. lib. II. *Stromat.* Ἔφαμεν δὲ πολλάκις ἤδε

1 II *Cor.* V, 7. — 2 *Serm.* 139.

contrario vero catholicam Ecclesiam nuda et simplici veritate esse contentam. « Sic honestis nominibus, inquit, et verbis decoris, tanquam fictis coloribus *, fœditatem contrariæ quidem impietatis, sed tamen æqualis, honestare nituntur [1]. Quasi studium nobis sit elegantia nominum utendi, et non potius faciem veritatis vere auream aspiciendi; qua nihil est amabilius, quamvis nihil elegans et splendidum accedat. » Audi et Cyprianum in epistola secunda *ad Donatum*. « In judiciis, ait, in concione pro rostris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur. Cum de Domino vox est, vocis pura sinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, sed rebus. »

Pulchre ac diserte locum hunc ornavit Lactantius in libro quinto *Divinarum institutionum*. Ubi « hanc imprimis causam esse dicit, cur apud sapientes et doctos et principes hujus sæculi Scriptura sancta fide careat, quod prophetæ communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis qui nihil audire, vel legere nisi expolitum ac disertum volunt, nec quidquam inhærere animis eorum potest, nisi quod blandiori sono permulcet. Illa vero, quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria exsistimantur. Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est; nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, sed ornatu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent. Sed ne illis quidem, qui ea interpretantur, quia sunt et ipsi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam ut plane sint eloquentes, perraro contingit, etc. »

IV. Quæ Lactantii oratio tam divinas Litteras, quam nostrorum theologorum scripta sublevat, et invidiam amolitur plebeiæ, nec satis disertæ locutionis : quod hoc capite suscepimus. Et quidem cum utrobique proposita sit veritas, ac vel bene vivendi, vel recte ac catholice credendi præceptorum expositio, non valde videtur referre, quomodo ista, dum et vera sint et salutaria, dicantur. Quippe « nec eo debet videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec eo falsum, quia incomposite sonant signa labiorum. Rursus nec ideo verum, quia impolite enuntiatur, nec ideo falsum, quia splendidus sermo est. Sed perinde est sapientia et stultitia, sicut sunt cibi utiles et inutiles : verbis autem ornatis et inornatis, sicut vasis urbanis et rusticanis, utrosque cibos posse ministrari [2], » ut vere scribit Augustinus. Immo fieri potest ut dum concinne, ac bonis verbis res divinas eloqui studemus, eas obscuremus magis. Ideo Faustus Regiensis « id se primitus observare ait, ne res per se obscuras studio compositi sermonis involvat [3]. » Et Ennodius « dictorum, inquit, aliquotiens amœna fugientes, materiam solidam suo ore celebremus, ne sentiat virilitas operis enervati damna sermonis [4]. » Cui germanum istud est Petri Damiani : « Vivacitatem sententiarum sermo ex industria cultus evacuat, et dictorum vim splendor elaboratus enervat [5]. » Nam « mundi sapientes, ut scribit Gregorius Magnus, cum virtute rerum careant, aliud se esse quam sunt, verborum compositionibus, quasi supraductis coloribus mentiuntur. At contra doctrina sapientiæ et prædicatione pulchra est et pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam prætendit exterius et aliud reservat interius, neque in dictis suis pulchra videri appetit nitore sermonis, sed integritate veritatis [6]. » Brevius Augustinus eamdem sententiam ita complexus est : « Mundanis scriptoribus tota cura de verbis est, nostris de rebus [7]. » Cujus et illud eximium, atque ad rem apprime faciens quod Agobardus in libro *contra Felicem* commemorat : « Bonorum ingeniorum insignem esse indolem, in verbis verum amare non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest ? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus

μήτε μεμελετηκέναι, μήτε μὴν ἐπιτηδεύειν ἐλληνίζειν· ἱκανὸν γὰρ δή τοῦτο ἀποδημαγωγεῖν τῆς ἀληθείας τοὺς πολλούς· τὸ δὲ τῷ ὄντι φιλοσόφημα, οὐκ εἰς τὴν γλῶσσαν, ἀλλ 'εἰς τὴν γνώμην ὀνήσει τοὺς ἐπαΐοντας· δεὶ δὲ, οἶμαι, τὸν ἀληθείας κηδόμενον, οὐκ ἐξ ἐπιβουλῆς, καὶ φροντίδος τὴν φράσιν συνθεῖναι· πειρᾶσθαι δὲ ὀνομάζειν μόνον, ὡς δύναται ὃ βούλεται τοὺς γὰρ τῶν λέξεων ἐχομένους, καὶ περὶ ταύτας ἀσχολουμένους διαδιδράσκει τὰ πράγματα.

* Græca Leontii verba (Apud Mai *Spicileg. rom.* t. X, lib. I, *cont. Nestor. et Eutych.* n. 7, pag. 7.) sunt hujusmodi. Εὐπρέπεσιν ὀνόμασι καὶ εὐφήμοις ῥήμασιν, ὥσπερ χρώμασιν ἐπιπλάστοις, τὸ τῆς ἐναντίας, μὲν ἴσης δὲ ἀσεβείας δυσειδὲς ἀποσεμύνειν ἐπιχειροῦντες· ὡσανεὶ τούτου ἐσπουδασμένου ἡμῖν κάλλος ἀσκεῖν ὀνομάτων, ἀλλ' οὐ τὸ τῆς ἀληθείας χρυσοῦν ὄντως πρόσωπον ἐποπτεύειν, ἧς οὐδὲν ἐρασμιώτερον ; κἂν τὸ τῆς λέξεως εὐπρεπὲς καὶ φαιδρόν μὴ προσῇ. E. R.

1 Leont. tom. IV. *Biblioth. Patrum.* — 2 Aug. lib. V. *Confess.* c. VI. — 3 Epist. 16. — 4 Ennod. *in Parænesi Didascal.* — 5 Opusc. 6. c. 38. — 6 Lib. XVIII. *Moral.* c. XXVII. — 7 Aug. lib. *cont. Adim.* c. XI.

nisi patere quod clausum est [1]? » Itaque quo res abstrusior est, et in ea periculosius erratur, tanto magis danda est opera theologo, ut universe id observet, « quod in disserendo præcipue sanctæ Trinitatis arcano, » Toletana Synodus XI religiose præcipit, uti « plus evidentia, quam eloquentia eos efficiat superatos. »

em sen- nt etiam entiles.

V. Nec tale nostrorum tantum, id est, christianorum, judicium de tractandis sine cultu orationis rebus gravissimis fuit. Etiam gentiles ipsi, quibus in verborum phaleris ac pompa totus pæne census constitit, quique verbis non factis erant philosophi, et vestitu sapientiam non veritate præferebant, ut cum Cypriano dicam, iidem illi tamen suam in qua principatum tenebant, eloquentiam alienam ab negotio isto putaverunt [2] : certe si desit, minime desiderandam. Itaque quod multi Epicuro minus delectabantur, ideo « quod illa Platonis, Aristotelis, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit, » negat causam esse Cicero cur id facerent, et « oratio, inquit, me istius philosophi non offendit. Nam et complectitur verbis quod vult, et dicit plane, quod intelligam. Et tamen a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem [3]. »

Longius Plato provectus, etiam repudiandam rerum inquisitori censet elegantiæ copiam, ut ne sponte quidem offerentem sese recipiat. Cujus loca duo apud Clementem Alexandrinum ita referuntur. « Ac si istud observes (ait Pythagoreus ille *in Politico Platonis* ut ne circa nomina studium adhibeas, prudentiæ locupletior in senectute videberis. Atque etiam in Theæteto ita reperies : Facilitas in nominum, verborumque delectu, quæ minus exacte singula perpendit, sæpius quidem non est sordida, sed ejus potius contrarium est illiberale, interdum autem est etiam necessaria[a].» Etenim, ut ait [3] Seneca, « non est philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum. Non in verbis, sed in rebus est [4]. » Quod eo dixit, tanquam oratoribus quorum in sermonis ornatu vis omnis ac supellex posita est, relinquendum sit istud. Atqui ne oratori quidem nimium verba curanda docuit summus artis ejus magister, cujus memorablis ista sententia est : « Jacere sensus in oratione, cujus verba laudantur. Sit igitur cura elocutionis quammaxima, dum sciamus tamen nihil verborum causa esse faciendum ; cum verba ipsa rerum gratia sint reperta, quorum ea sunt maxime probabilia, quæ sensum animi nostri optime promunt, atque in animis judicum quod nos volumus efficiunt [5]. » Hic si in oratore laudandus est verborum ac sermonis propemodum neglectus, apparet quam immerito theologo succenseant, si parum eleganter et ornate loquatur, dum quod vult sic explicat, ut capi possit.

De Plotino certe principe Platonicorum scripsit in ejus vita Porphyrius, cum in dicendo fuisse negligentem, et « in quibusdem vocabulis lapsum, ut vitiosis tam loquendo, quam scribendo interdum uteretur[b]. » Quod, ut nemo diceret, satis ex illius libris intelligitur, in quibus genus dicendi consectatur incultum et horridum, ac verborum et sententiarum obscuritate perplexum.

Quo æquiores debebant esse christianis gentiles illi philosophi qui, ut supra memini, non tam in illis sermonis vitia reprehendebant, quam cultus ac decoris inopiam, cum in tanto ipsorum philosopho labes utraque regnaverit. Ab hoc insuper exemplo minus molesti esse discent scholasticis rigidi illi munditiarum exactores, quos vel vocula una conturbat paulo minus Latina vel non satis nitida et perpolita locutio.

VI. Verum ut ex hac disputatione tandem evolare incipiam, volo cum superioribus illis Patribus facundiæ, ac liberalis in theologo doctrinæ contemptoribus alios contendere, qui cum sermonis pulchritudine conditam, tum humanitatis doctrinas olentem orationem christiani sapientis probant. Quod primum Cyrillus palam et diserte facit libro sexto *in Joannem :* « Non enim, ait, elegantiam in dogmaticis sententiis repudiat, vel tanquam adulterinam rejicit ecclesiastica nostra doctrina [c]. » Et in *Paschali*

Opponuntur testimonia aliorum elegantiam in theologia commendantium.

a CLEM lib. I, *Stromat.* Κἂν φυλάξῃς, φησὶν ὁ Πυθαγόρειος, ἐν Θῷ Πλάτωνος πολιτικῷ, τὸ σπουδάζειν μὴ ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι· πλουσιώτερος εἰς γῆρας ἀναφανήσῃ τῆς φρονήσεως· καὶ ἐν γε τῷ Θεαιθήτῳ εὕροις ἂν πάλιν· τὸ δὲ εὐχερὲς τῶν ὀνομάτων τε, καὶ ῥημάτων, καὶ μὴ δι' ἀκριβείας ἐξεταζόμενον, τὰ μὲν πολλὰ οὐκ ἀγεννὲς, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ τούτου ἐναντίον ἀνελεύθερον· ἔστιν ὅτε ἀναγκαῖον.

b PORPH. *in Vita Plot* Ἐν δέ τισι λέξεσιν ἁμαρτάνων· οὐ γὰρ ἂν εἶπεν ἀναμιμνήσκεται, ἀλλ' ἀναμνημίσκεται, καὶ ἄλλά τινα παράσημα ὀνόματα, ἅ καὶ ἐν τῷ γράφειν ἐτήρει.

c CYRIL. Οὐ γὰρ ἐξωθεῖται τὸ χαρίεν ἐν θεωρήμασιν

1 Aug. *de Doct. christ.* c. XI. — 2 Lib. *de Patient.* — 3 In lib. I, de *Definit.* sub init. — 4 Epist. 26. — 5 *Quid in fine proœm.* lib. VIII.

homilia quinta historiam Abraami allegorice declarans; quod in *Genesi* scriptum est, Agar fugitivæ dixisse Angelum : *Revertere ad dominam tuam*, *et humiliare sub manu illius* [1], ad gentilium doctrinam et dicendi facultatem refert « Etenim falso illa nuncupata mundi sapientia, quæ olim liberale irridebat matrimonium, nunc ingenuitati servit filiorum Dei, per elegantissimam verborum structuram divinis famulata dogmatibus [a]. »

Luculentam ac pulcherrimam explicavit hac de re disputationem Hieronymus in *epistola ad Magnum* oratorem Romanum, quæ instar omnium sit. Nam cum ab illo quæsisset Magnus « cur in opusculis suis sæcularium litterarum interdum poneret exempla, et candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus pollueret, » ita respondet Hieronymus, exemplo id se facere Mosis et prophetarum « in quibus quædam assumpta sunt de gentilium libris. » Tum « Salomonem in exordio *Proverbiorum* commonere, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas et obscurum sermonem, dicta sapientum et ænigmata, quæ proprie dialecticorum et philosophorum sunt. » Deinde Paulum commemorat, qui non semel poetarum abusus est versibus, ut Epimenidis, Menandri, et Arati Quo in postremo, dicam obiter, paululum lapsus est Hieronymus, qui hemistichium illud Arati, τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν, clausulam esse dixit versus heroici, cum sit initium. Pergit vero : « Didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium, et Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Legerat in *Deuteronomio* Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos et ungues corporis amputandos, et sic eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum si et ego sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem, et membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio; et si quid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum vel præcido, vel rado et mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino sabaoth [3]?» Exinde christianos scriptores bene multos enumerat ac doctores Ecclesiæ, qui omnes et eloquentissime dicunt, et « in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis, suos referciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum. » Ac demum occurrit ei, quod pro illis responderi posset et vero respondetur interdum. « Nec statim, inqnit, prava opinione fallaris, contra gentes hoc esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum, quia omnes pæne omnium libri, exceptis iis qui cum Epicuro litteras non didicerunt, eruditionis doctrinæque plenissimi sunt. » Postremo suspicari se ait, non ab ipso Magno, utpote homine docto, sed per eum ab alio proponi quæstionem istam nempe ab Ruffino, quem Calpurnium Lanarium, figurato vocabulo, nominat, quod qui sit eruditus, ignorare nequeat id, « quod semper a doctis viris usurpatum est. »

Ipsius enim genus sumus.

VII. Non est alienum ab Hieronymi sensu Gregorii Nazianzeni judicium, qui in laudatione Basilii Magni, inter cætera ejus ornamenta numerat* insignem eruditionem tam externarum, quam sacrarum Litterarum [b]. Porro « illud, inquit, inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror, eruditionem inter

οὐδὲ ὡς κίβδηλον παραιτεῖται λόγος ὁ παρ' ἡμῖν, τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐκκλησιαστικός.

a Id. tom. V, part. II. Ἡ γὰρ ψευδώνυμος τοῦ κόσμου σοφία ἡ πάλαι τῶν ἐλευθέρων καταγελῶσα γάμων, δουλεύει νῦν τῇ εὐγενείᾳ τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ, διὰ τῆς τῶν λέξεων ἀρτιωτάτης συνθήκης τοῖς θείοις ὑπηρετοῦσα θεωρήμασι.

b Naz. orat. 20. Οἶμαι δὲ πᾶσιν ἀνωμολογῆσθαι τὸν νοῦν ἐχόντων, παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν εἶναι τὸ πρῶτον, οὐ ταύτην μόνην τὴν εὐγενεστέραν, καὶ ἡμετέραν, ἣ πᾶν τὸ ἐν λόγοις κομψὸν, καὶ φιλότιμον ἀτιμάζουσα, μόνης ἔχεται τῆς σωτηρίας, καὶ τοῦ κάλλους τῶν νοουμένων· ἀλλὰ καὶ τὴν ἔξωθεν, ἣν οἱ πολλοὶ χριστιανῶν διαπτύουσιν, ὡς ἐπίβουλον, καὶ σφαλερὰν, καὶ Θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν, κακῶς εἰδότες.

* Quæ laudum encomia propter eximiam eruditionem, nitoremque sermonis Gregorius Basilio detulit, eadem vel simillima nostris scriptoribus Eusebius antea detulerat, et post Eusebium detulere quotquot cum Hieronymo et Photio judicium sententiamque suam de ecclesiasticis operibus edidisse novimus. Quoniam vero Basilii mentio injecta est, animo lectores reputent auream ejusdem orationem (quæ est XXII), quæ inscribitur Πρὸς τοὺς νέους ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων, ad adolescentes, quomodo possint ex gentilium libris fructum capere, et qua emolumenta omnigenæ eruditionis eloquentiæque non erudite minus quam eleganter celebrantur. E. R.

1 *Gen.* XIV, 9. — 2 Epist. 937, 84. col. — 3 Forte legendum ; *mixtus purissimo corporis vernaculos* (Optima auctoris conjectura, et editoribus Benedictinis probata.) J. B. F.

omnia humana bona principatum tenere, non illam solum generosiorem ac nostram, quæ contempto omni sermonis lepore et ornatu, saluti uni atque earum rerum quæ animo percipiuntur pulchritudini arctissime inhæret; sed externam etiam, quam plerique christiani pravo quodam judicio, ut insidiosam et periculosam ac procul a Deo avertentem respuunt. » Tum ostendit « minime damnandas, aut negligendas esse litteras istas, et stultos atque imperitos habendos, qui hoc existimant, qui omnes esse sui similes cupiant, ut privatum eorum dedecus sub communi delitescat, nec quisquam eorum inscitiam prodat, et redarguat [a]. »

Scripsit etiam de eodem argumento præclarum librum Synesius, qui *Dio* inscribitur, ac mira varietate et copia sententiarum et argumentorum probat, homini theologo nec ornatum elocutionis nec humanioris reliquæ doctrinæ deesse debere, ut sit undecumque perfectus *.

Augustinus quoque, etsi non esse fastidiendas putat divinis de rebus etiam jejunas ornamentorum sententias, uti supra meminimus, addit hoc tamen ad illa verba quæ retuli : « Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt[1]. » Cui simile istud est Lactantii : « Circumlinatur modo poculum cœlesti melle sapientiæ ut possint ab imprudentibus amara remedia sine offensione potari, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suavitatis occultat. » Clemens vero Alexandrinus in sexto *Stromateon* longa disputatione probat christianum sapientem, quem ab eo γνωστικὸν nominari jam diximus, humaniorum disciplinarum scientem esse debere, et elegantiæ ac nitoris amantem *. « Complures ait inter cætera, qui christiano censentur nomine, quemadmodum Ulyssis socii, rustice doctrinam tractant, non sirenas, sed numeros ac modos prætereuntes, atque inscitia aures suas obturantes [b]. » Addit etiam quemadmodum utendum sit illis artibus, et multa scitu non indigna confert, quæ et philosophiæ et eloquentiæ et politarum artium reliquarum studium accendant in theologo. Vide et Origenem homilia *in Exodum* secunda, ubi cum obstetricibus Ægyptiis disciplinas illas externas comparat, quibus mens ad divina intelligenda paratur.

[Gnosticum.]

Componitur controversia.

VIII. Mihi itaque componenda sic res videtur, cum de sermonis genere agitur quo sit utendum in divina scientia ut utrimque sita in extremis caveantur vitia duo. Nam neque dicendi ornamenta et insignia persequi debet theologus, ut in orationem suam rhetorum myrothecia et arculas effundat, quibus compta et decorata procedat, velut ad pompam et speciem; neque putide tamen et absurde loqui, ut cum dicere incipiet, honor sit auribus præfandus. Non sit illi curæ plus quam necesse est, uti semper apta numeris dictio et modulata decurrat, sed nec salebras amet ac sordes et offensiones aurium. Est etiam in eligendis simplicibus vocabulis cavenda nimis enucleata diligentia, quo vitio laborant inepti quidam, qui nullum sibi nisi probum et Latinum nomen usurpare permittunt, non solum in theologicis lucubrationibus suis, sed etiam cum sacras Litteras vertunt Latine. Sic impurus ille Castalio, qui in interpretandis Bibliis nova et inaudita Ecclesiæ nomina pro communibus posuit et olim notis ac receptis. Ut cum pro firmamento *liquidum* usurpat, pro Domino *Jovam* pro idolis *deastros* vel *penates*, pro angelo *genium*, pro synagogis *collegia*, pro racha, quod est apud Matthæum convicii genus, *balationem*. Et alia pleraque inepta et sputatilicia.

Stulta Castalionis in vertendis Bibliis Latinitatis affectatio.

Barbaris locutionibus quatenus uti theologo liceat.

Nobis vero non illa solum quæ accepta sunt in usum ab antiquis Patribus, defugienda non sunt, quod iis invenieri meliora non possunt,

a Naz. orat. xx. Οὐκοῦν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν, ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισιν· ἀλλὰ σκαιοὺς, καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς ἔχοντας· οἳ βούλοιντ' ἂν ἅπαντας εἶναι καθ' ἑαυτοὺς, ἵν' ἐν τῷ κοινῷ τὸ κατ' αὐτοὺς κρύπτηται, καὶ τοὺς τῆς ἀπαιδευσίας ἐλέγχους διαδιδράσκωσι.

b Clem. 6. *Strom.* Ἀλλ' ὡς ἔοικεν, οἱ πλεῖστοι τῶν τὸ ὄνομα ἐπιγραφομένων, καθάπερ οἱ τοῦ Ὀδυσσέως ἑταῖροι, ἀγροίκως μετίασι τὸν λόγον, οὐ τὰς Σειρῆνας, ἀλλὰ τὸν ῥυθμὸν, καὶ τὸ μέλος παρερχόμενοι, ἀμαθίᾳ βύσαντες τὰ ὦτα.

* Monstri instar nobis visum semper est, reperiri aliquos potuisse, qui ab hoc Synesii judicio discederent. Nisi enim funditus nos lateat aut quam ampliter se profundat theologica disciplina, aut quæ sit vera species, germanaque forma perfectionis; concedamus oportet, cum duntaxat numeris omnibus absolutum theologum censeri posse, qui excellenti quadam doctrinæ copia dicendique ubertate cohonestetur. E. R.

1 Lib. IV *de Doct. christ.* c. xi. — 2 Lib. V, c. i.

sed nec scholarum trita consuetudine et quasi propria facta. Dicet ergo theologus non solum *essentiam*, *existentiam*, *relationem*, *subsistentiam* et hujusmodi alia priscis usitata doctoribus, sed etiam *ens*, *entitatem*, *formalem rationem*, *proprietatem personalem*, *quidditatem*, et si qua sunt similia, ita tamen ut non citra necessitatem id agat, cum nullum in promptu est elegantius, aut peræque significans et expressum. Nec de barbarismis aut solœcismis nimium erit anxius, si nec aliter commode potest, et est quod dicit, usu jam inveteratum. Augustinus aliquoties hujus generis nonnulla vel excusavit vel probavit. Ut ad Psalmum XXXVI de iis verbis agens : *Tota die miseretur et feneratur*[1], pro quo canimus vulgo, *commodat :* « Planius, inquit, hoc dicitur, si dicamus *fenerat*. Quid ad nos quid grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos diserti eritis. » Et alibi ad ista Joannis : *Qui non ex sanguinibus* [2] *:* « Sanguina [3] non est Latinum, inquit, sed quia Græce positum est pluraliter, maluit ille qui interpretabatur, sic ponere et quasi minus Latine loqui secundum grammaticos, et tamen explicare veritatem secundum auditum infirmorum. Si enim diceret sanguinem singulari numero, non explicaret quod volebat. Ex sanguinibus enim homines nascuntur maris et feminæ. Dicamus ergo, non timeamus ferulas grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam et certiorem perveniamus. Reprehendit qui intelligit, ingratus quia intellexit [4]. »

IX. Ergo barbaris aut inusitatis ac novis licebit uti, si id necesse erit. Quod in novis plerumque Cicero fecit. Apud quem Varro sic loquitur, cum *qualitatis* nomen dixisset : « Dabitis enim profecto, inquit, ut in rebus inusitatis, quod Græci ipsi faciunt, a quibus hæc jamdiu tractantur, utamur verbis interdum inauditis [5]. » Tum ei respondet Atticus : « Nos vero, inquit, quinetiam Græcis licebit utare, cum voles, si te Latina forte deficient. » Ad quæ Varro : « Bene sane facis, sed enitar ut Latine loquar, nisi in hujusmodi verbis, ut philosophiam aut *rhetoricem* aut *physicen* aut *dialecticen* appellem, quibus ut aliis multis, consuetudo jam utitur pro Latinis. Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητας Græci vocant, quod ipsum apud Græcos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum quoque verba nulla sunt publica, suis utuntur. Et id quoque commune omnium fere artium. Aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda, etc. » De solœcismis, qui in Scriptura sæpius occurrunt, purgat Origenes in *Philocalia*, capite IV [6], et alii permulti Patres. Videndus et Euthymius in *Panopliæ* parte prima, titulo tertio sub finem, ubi Patres observat, quemadmodum et Scripturam sacram, plerisque vocibus indifferenter uti, quod Cyrilli, Dionysii, et Gregorii Nazianzeni testimoniis approbat. De novandis interdum vocibus ad usum et commoditatem artium, memoranda sunt et ista Lucretii in primo libro :

Nec me animus fallit Graiorum obscura reperta
Difficile inlustrare Latinis versibus esse :
Multa novis verbis præsertim cum sit agendum,
Propter egestatem linguæ, et rerum novitatem,

Sane non Latini solum in peregrinis et ascitis e Græcia rebus nominandis id sibi juris sumpserunt; sed Græci ipsi quoque, quod Varro docuit, et Aristoteles fecit in multis, ut cum ἐντελέχειαν finxit, et ἐκείνινον barbare omnino [7], pro eo quod est ex illo factum. Sic *Lentulitas*, *Appietas*, *Syllaturire*, et alia tum a Cicerone, tum ab aliis excogitata nomina. *Entelechiam.*

X. Ad extremum commonendi sunt theologi, etsi probe ac commode loqui potius, quam ornate ac venuste propriæ sint illorum partes; plurimum tamen referre, ut linguarum quammaximam poterunt, scientiam assequantur, earum dico linguarum, quarum in canonicis Libris auctoritas valet, vel duarum saltem quibus usi sunt tam illarum interpretes quam catholicæ fidei doctores et magistri, Latinæ videlicet, ac Græcæ. Etenim plurimis in locis necessaria est earum intelligentia, cum et ex vocibus perperam acceptis oriantur hæreses, et iisdem melius expositis convincantur exortæ. Tum citra hæresum confutandarum negotium, incidunt aliæ opportunitates quæ illarum operam postulant. Ut quando vel in Scripturis, vel apud antiquos Patres ambigua vox occurrit. Quod notatum est ab Augustino, qui trium, quas dixi, linguarum et in his Hebrææ notitiam magnopere commendat [8]. In theologicis vero enodandis quæstionibus quam

Linguaru[m] varietas theolog[o] apprim[e] utilis.

1 *Psal.* XXXVI. 26. — 2 *Joan.* I. 13. — 3 Al. *sanguines.* — 4 Tract. II. p. 9. — 5 Cic. lib. I. *Acad.* — 6 Ex tom. IV *in Joan.* — 7 Arist., lib. IX. *Metaph.* cap. VII. — 8 Lib. II. *de Doct. christ.* cap. XI et XII.

sit ea necessaria copia, norunt eruditi qui hoc ex libris veterum, et ecclesiastica historia didicerunt. Atque id in opere hoc nostro theologico qui volent legere cognoscent. In quo vocum plurimarum e quibus magnarum controversiarum momenta pendebant, vim ac notionem aperuimus, ut ex quarto *de Trinitate* et sequentibus maxime constabit. Ibidem porro et cætera de quibus lectorem meum theologum his in prolegomenis admonui, reipsa comperta illi erunt de usu principiorum in theologia, deque philosophiæ ac dialecticæ advocando præsidio, dum moderate id fiat et salva majestate divinæ scientiæ : quemadmodum item reliquis etiam ex artibus, quæ humanitatis propriæ sunt vel adjumenta vel ornamenta quærantur. Ac demum de scribendi genere ac stylo. Quem ad eam comparavit formam, ut neque barbarus ac non Latinus esset, et oratorio tamen illo fuco ac pigmentis careret.

CAPUT VIII.

De theologiæ genere disputatum, an sit scientia. Quod primo dubium esse monstratur, quia fide nititur. Deinde esse scientiam ostenditur, etsi non cujusmodi nota esse potuit Aristoteli. Non solum esse scientiam, sed etiam sapientiam. Illustratur Aristotelis locus in sexto Ethicorum, ubi de habitibus agit qui circa verum occupantur, quem locum interpretes non sunt assecuti. Quid sapientia sit et quomodo differat a scientia.

I. Propriam rei cujusque vim et naturam definitio complectitur. Hæc autem duabus absolvitur partibus, genere et proprietate, e quibus illud commune est pluribus; peculiaris hæc autem unius est qua ab cæteris differt, quæ sub eodem genere continentur. Quamobrem theologia quid sit cognoscere ac definire volenti, tum genus quod sit illius, tum quo distet ab reliquis constare prius debet. Differentiam res subjecta, quod vocant *objectum* et hujus tractandi modus ostendit. Idque quale sit in disciplina nostra, facile ex antecedentibus colligitur. De priori non ita convenit, et est de eo non mediocris inter scholarum magistros contentio. Quam si hoc loco disceptare ex illorum rationibus et institutis velim, alienam rem ab eo quod proposui mihi in opere, faciam quod non puto necesse. Quocirca usque eo duntaxat quæstionem istam persequar, quoad Patrum veterum mihi scripta suppeditabunt quod in eam conferre possim.

Initium disputandi ab Clemente sumam Alexandrino, qui in secundo *Stromateon* « quatuor dicit esse genera cognitionis in quibus inest verum, sensum, intelligentiam, scientiam, opinionem. Ex quibus natura prima est intelligentia, tametsi, si nostri ratio ducatur, eam sensus antecedat. Ex sensu porro et intelligentia scientiæ constare naturam, ac communem esse intelligentiæ cum sensibus evidentiam. Sensum vero gradum esse ad scientiam. Fidem præterea per ea quæ percipiuntur sensu progressam, relinquere opinionem, et ad ea niti quæ mendacio carent atque in veritate permanere[a]. » Hic fidem inter quatuor illa genera non recensuit, quam tamen indicavit ab sensu oriri : forte quia *fides ex auditu* [1]. Non enim aliunde, quam ex alterius narratione constat. Itaque fidem ita definit Basilius ut sit « eorum, quæ audita sunt, assentiens approbatio sine ulla hæsitatione, cum summa animi persuasione de eorum veritate quæ Dei gratia prædicata sunt[b]. » Tum etiam, si de humana loquimur, ad opinionem revocatur*. Sed hanc divina fides excedit.

a Clem. aelx. *Strom.* Τεσσάρων δὲ ὄντων ἐν οἷς τὸ ἀληθὲς, αἰσθήσεως, νοῦ, ἐπιστήμης, ὑπολήψεως· φύσει μὲν πρῶτος ὁ νοῦς. ἡμῖν δὲ, καὶ πρὸς ἡμᾶς, ἡ αἴσθησις· ἐκ δὲ αἰσθήσεως, καὶ τοῦ νοῦ, ἡ τῆς ἐπιστήμης συνίσταται οὐσία· κοινὸν δὲ νοῦ τε, καὶ αἰσθήσεως, τὸ ἐναργὲς, ἀλλ' ἡ μὲν αἴσθησις ἐπιβάθρα τῆς ἐπιστήμης· ἡ πίστις δὲ διὰ τῶν αἰσθητῶν ὁδεύσασα ἀπολείπει τὴν ὑπόληψιν· πρὸς δὲ τὰ ἀψευδῆ σπεύδει, καὶ εἰς τὴν ἀλήθειαν καταμένει.

b Basil. Tract. *de Vera fide*, tom. II. Πίστις μὲν οὖν ἐστι συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας, τῶν κηρυχθέντων Θεοῦ χάριτι.

* Cavendum sedulo est, ne ὑπολήψεως *opinionis* vocabulo ea subjiciatur notio, quæ jam vulgatior est, quaque illud efferimus quod animo tanquam anceps et incertum objicitur. Ejusmodi siquidem notio et a rerum naturis abhorret, et ab ipso Clemente non obscure rejicitur. Abhorret a rerum naturis, cum vel ipsa hominum auctoritas, eique respondens humana fides cum certitudine plus semel consertæ sint, nullamque ferant prudentem dubitationem.

1 *Rom*. x, 17

Theologia, licet fide nitatur, est scientia.

II. Jam si de theologia quæritur, ad quod ex illis quatuor genus pertineat, non diu hæsitandum erit. Nam ad scientiam referri videtur. Quod autem statim occurrere et opponi contra potest, scientiam demonstratione gigni, quod theologia non habet, quæ auctoritate ac fide sola nititur; id subinde Clemens refellit. « Nam et principia, inquit, demonstrari nequeunt, quippe quæ nec per artem, nec per prudentiam cognosci possunt. Siquidem prudentia circa contingentia versatur, quæ aliter habere possunt; ars autem effectrix solum est, non contemplatrix [a]. » Quæ verba Clementis vulgo depravata leguntur, et sic emendanda sunt uti nos restituimus. Nihil igitur obstare theologiæ debet, quominus habeatur scientia, quod a fide ceu capite ac radice, illius ratiocinatio proficiscitur. Etenim cæterarum quoque doctrinarum principiis fide assentimur *, non demonstratione, ut in eodem libro Clemens adstruit. Qui » fidem scientiæ ait æstimatricem esse ac judicem, nec dubitat quin principatus sit illi tribuendus [b]. » Tum paulo ante : « Meditationem fidei in scientiam evadere ait fundamento innixam firmo ac solido [c]. » Quam scientiam universe a philosophis definiri sic dicit : « Scientia est habitus constans, qui ratione moveri ac labefactari non potest [d]. »

Est apud Basilium gravis et copiosus de fide sermo ejusque necessitate ad artem quamlibet ac scientiam capessendam, iisdem quibus Clementis illa disputatio vestigiis insistens, cum ita disserit : « Necessarium esse, cujusque disciplinæ principia citra disquisitionem ullam a discente concedi [e]. » Ac nisi geometriæ vel arithmeticæ principia vera esse sine probatione fatebere, neutram progredi ultra posse. Quod generatim in omnibus disciplinis usuvenit, quæ quidem via et ratione procedunt ad finem aliquem. Multo id vero magis in theologia spectatur sive γνώσει illa Clementis, quæ ex fide tota dependet, ut idem demonstrat [1].

III. Hoc ergo res ordine agitur ut fides antecedat, quemadmodum scientiam præcedit cognitio principiorum, quæ scientia minime comprehenduntur. « Bonum est enim, ut ait Ambrosius, ut rationem præveniat fides, ne tanquam ab homine, ita Domino Deo rationem videamur exigere. Etenim quam indignum ut humanis testimoniis de alio credamus, Dei oraculis de se non credamus [2]? » Atque, ut Augustinus scribit : « Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt verum esse, quod nondum videt et quibus certissime videt, nondum se videre quod credit. » Quæ firmitas vincit omnium aliarum doctrinarum non certam modo persuasionem, sed etiam evidentiam.

Hoc velut principio constituto, deinceps ratione quod consequens est, theologia conclu-

a Clem. ibid. Εἰ δὲ τις λέγοι τὴν ἐπιστήμην ἀποδεικτικὴν εἶναι μετὰ λόγου, ἀκουσάτω, ὅτι καὶ αἱ ἀρχαὶ ἀναπόδεικτοι· οὔτε γὰρ τέχνῃ, οὔτε μὴν φρονήσει γνωσταί· ἡ μὲν γαρ περὶ τὰ ἐνδεχόμενά ἐστιν ἄλλως ἔχειν· ἡ δὲ, ποιητικὴ μόνον, οὐχὶ δὲ καὶ θεωρητική. In vulgatis male legitur μονονουχί.

b Clem. ibid. Κυριώτερον οὖν τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις, καὶ ἔστιν αὐτῆς κριτήριον.

c Id. lib. II. *Strom.* Αὐτίκα ἡ μελέτη τῆς πίστεως ἐπιστήμη γίνεται τεμελίῳ βεβαίῳ ἐπερηρεισμένη.

d Ibid. Τὴν γ' οὖν ἐπιστήμην ὁρίζονται φιλοσόφων παῖδες ἕξιν ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου.

e Basil. *in Psal.* cxv. Ἀνάγκη γὰρ ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχὰς τοῖς μανθάνουσιν.

Et ab ipso rejicitur Clemente, quo auctore τὸ ἀληθὲς *verum*, atque adeo fixum certumque, non minus ex sensibus, intellectu, scientiaque oritur, quam fructus sit ὑπολήψεως. Igitur aliis licet verbis, idipsum tamen docet Clemens quod omnium ore tritum est, quatuor esse naturalis veri fontes : ***sensus***, quibus verum corporeum apprehenditur; ***intellectum***, quo interna veritas ex idearum habitu efflorescens cernitur, ***scientiam***, quæ deductione ad verum contendit, et ὑπόληψιν quæ auctoritati incumbit. E. R.

* Arduum non est intelligere, quo supernaturalis theologiæ scientia, aliæque naturales disciplinæ sive secum ipsis consentiant, sive ab invicem distent. Eo igitur scientiæ, omnes secum ipsis consentiunt, quod illarum principia demonstratione non teneantur. Si enim vel hæc forent demonstranda, quemadmodum nullus esset demonstrandi exitus, ita nulla suppeteret origo e qua profecta demonstratio texeretur. Quapropter eo scientiæ omnes secum ipsis consentiunt, quod illarum principiis habitu assentimur, qui est scientia prior et potior, quique a veteribus πίστις, ***fides*** dici solet. At vero eo supernaturalis theologiæ scientia a naturalibus secedit disciplinis, quod I. istæ suis adquiescunt principiis habitu intellectus, illa habitu fidei : quod II. in illis mens præmovetur interna principiorum evidentia, in hac externa testificationis credibilitate : et quod III. in illis locum sibi vindicat insitus veri amor, in hac vicissim regnant pius credulitatis affectus, inditaque cœlitus inspiratio, qua Pater trahit. Principiis autem uti par est constitutis, amplissimus scientiis aperitur aditus, e quo veluti egressæ, pro sua singulæ materia, pro suo ingenio, proque suis instrumentis latissime spatientur. E. R.

1 Videlib. II. *Strom.* — 2 Lib. *de Abraham* c., III.

dit ac colligit, quod involutum est aperit, obscura patefacit, laborantibus propter oppugnantium vim et calliditatem subvenit. Denique non ideo fidei intelligentia, ut ait Epiphanius, adstruitur, ut primaria ipsa doctrina mutetur, quæ fundamenti loco ponitur, « sed ut quæ ænigmatum quibusdam involucris obtecta sunt, expoliat atque explicet, et ad commune fidei institutum accommodet[a]. » Quemadmodum autem ratio fidei et fides rationi suffragatur, docet inter alios Hugo Victorinus et nos alias ostendemus [1].

Quamobrem scientiæ numeros implet theologia, dum certis positis principiis, quod ex iis sequitur ratiocinando infert. Principia vero sunt quæ ab Deo prodita significataque sunt, de quibus nulla sano ac prudenti, et quæ ac quomodo asseverantur intelligenti, dubitatio suboritur.

Ac Maximus quidem Dionysii interpres, cum Dionysius *theologicam scientiam* nominasset, hoc in scholiis illustrans [2], scientiam ita definit ut sit. « Recta opinio ratione alligata, vel ratio vera in mente immobilis, vel accurata rei cognotio et demonstratio, cujus scientia dicitur, veritatis rationem et opinionem rectam præ se ferens, nec asseverationem ex similis comparatione requirens[b]. » Quas omnes scientiæ descriptiones in theologiam competere manifestum est.

IV. Unum illud obstrepere videtur, ac ne vere Theologia sit scientia prohibere, quod Aristoteles scientiam ejusmodi esse vult, quæ demonstratione gignitur [3]; demonstratio porro talis est, ut ex veris et notioribus procedat, sive ex principiis naturali luce perspectis. Verum huic ab scholasticis, præsertim sancto Thoma ejusque discipulis occurritur qui « principia, illi ipsi cujus principia sunt, scientiæ per se esse nota negat oportere, sed sufficere hoc ut a superiore aliqua clare ac perspicue noscantur. Sicut opticæ principia geometriæ, musicæ item principia arithmeticæ comperta sunt. Ad hunc modum principia, quibus innititur theologia, in Dei ipsius ac beatorum scientia liquido ac perspicue esse cognita [4]. » Ita sanctus Thomas. Cui nihilominus ab aliis obsistitur. Sed ut scholasticas istas lites alienas a proposito nostro, nec valde necessarias omittam, brevius componi res tota poterit sic. Quamvis ex eo genere scientiarum theologia non sit habenda, quarum usum ac notitiam habuit Aristoteles, qui quid divina fides esset ac revelatio, et quam ad assensum certa et immota nescivit; tamen alterius rationis ac formæ quam quæ illi comperta fuit, esse scientiam quæ et firmitatem habeat, ut dixi, majorem cæteris omnibus et ejus, quod ex principiis deducitur, positis et concessis iis, parem prorsus cum illis evidentiam.

Theologia scientia est non cujusmodi esse nota potuit Aristoteli.

Quid sapientia et scientia inter se differant exponitur.

V. Sed *scientiæ* vocabulum laxius interdum accipi solet, non modo ut inferiorem omnem notitiam proprie ita dicta scientia comprehendat, sed excellentiorem quoque, et in genere cognitionis antecellentem cæteris quæ *sapientia* nominatur. Quod nomen *theologiæ* merito convenire, tum ex Patribus efficitur, tum ex Aristotele [2]. Augustinus imprimis non uno in loco sapientiam discernit a scientia [5], Apostolum secutus, qui *sermonem scientiæ* distinguit a *sermone sapientiæ*, ubi quid intersit non explicat [6]. Sed ex libro Job discrimen utriusque colligi putat Augustinus, ubi scriptum est sic : *Ecce pietas est sapientia*, *abstinere autem a malis*, *est scientia*[c]. Ita legit Augustinus ex Græcorum interpretatione. Nam Latinus noster ex Hebræo ita vertit, *Ecce timor Domini*, *ipsa est sapientia, et recedere a malo intelligentia.* Θεοσέβειαν Septuaginta posuerunt pro *timore Domini*. Et quidem יראת אדני sæpe in Scripturis *religionem cultumque Dei* significat sive *pietatem*, ut Augustinus adnotat. Ex quo item argumentatur « ad contemplationem sapientiam, ad actionem scientiam pertinere. » Et in libro XIV *de Trinitate* statim initio « rerum divinarum scientiam, proprie sapientiam nuncupari asserit : humanarum au-

a Epiph. hær. 31. Τὸ δὲ πλεῖον, ἢ ἔλαττον κατὰ σύνεσιν εἰδέναι τινὰς, οὐκ ἐν τῷ τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν ἀλλάσσειν γίνεται, etc., ἀλλὰ ἐν τῷ ὅσα ἐν παραβολαῖς εἴρηται προσεπεργάζεσθαι, καὶ οἰκειοῦν τῇ τῆς πίστεως ὑποθέσει.

b Maxim. in cap. 2. Dion. *de Divin. nom.* Ἐπιστήμη δέ ἐστι, δόξα ὀρθὴ λογισμῷ δεθεῖσα, ἢ λόγος ἀληθὴς ἐπὶ διάνοιαν ἀμετάπτωτος· καὶ ἡ ἀκριβὴς εἴδησις τοῦ πράγματος, καὶ ἀπόφανσις, οὗ καὶ λέγεται ἐπιστήμη, ἀληθείας λόγον, καὶ δόξαν ὀρθὴν προβαλλομένη, μὴ δεομένη τῆς ἐκ παραθέσεως τοῦ ὁμοίου βεβαιώσεως.

c Job. xxviii. 28. Ἰδοὺ ἡ θεοσέβεια ἐστι σοφία· τὸ δὲ ἀπέχεσθαι ἀπὸ κακῶν ἐστιν ἐπιστήμη.

1 Lib. 1. part. iii. *de Sacram. fid.* c. xxx. — 2 cap. ii. *de Div. nom.* — 3 Arist. lib. I. *de Demonst.* c. 2 — 4 In part. qu. 1. art. 2. — 5 Aug. lib. XII. *de Trinit.* cap. xiv, et lib. XIV. c. 1. — 6 I *Cor.* xii, 8.

tem, proprie *scientiæ* nomen obtinere. » Nimirum, ut in duodecimo libro disertius exponit [1], *scientiam* sive *sermonem scientiæ* circa ea versari putat quæ agenda vel fugienda sunt, qua ratione cum prudentia confunditur. Sapientiam vero circa æterna, quæ perpetuo sunt *sine ulla mutabilitate temporum*. Æterna porro, non ea tantum intellige quæ mere divina sunt, sed etiam creata, quatenus ad sempiternum auctorem ac principium referuntur, non ut in se spectantur. Itaque sapientiam latius porrigunt alii, cum eam definiunt, ut est apud Clementem Alexandrinum, « Scientiam divinorum humanorumque bonorum [a].» Et Basilius, « Scientiam divinarum humanarumque rerum [2]. Ac vera quidem est illa scientiæ ac sapientiæ differentia, sed non satis ex illo Jobi loco deducitur. Nam neque Dei cultus sive pietas proprie sapientia est illa, de qua hic agimus quæ in contemplatione primario, per seque consistit; cum pietas et Dei timor in agendo potius occupetur, neque *scientia* ibidem legitur in matrice lingua, sed *intelligentia* quæ haud dubie distat a scientia. Apud

Scientia Gnosis.

Paulum vero non ἐπιστήμη est, sed γνῶσις, quam simplicem cognitionem nec adeo præstantem Chrysostomus, Græcique cæteri interpretes intelligunt, cujusmodi in vulgo inest christianorum; sapientiam autem, qualis in apostolis fuit, eximiam videlicet supremamque notitiam.

Illustratur locus Aristotelis in Sexto Ethicorum.

VI. Aristoteles vero in *Sexto Ethicorum*, postquam habitus esse quinque docuit quibus verum affirmando vel negando ducitur, artem, scientiam, prudentiam, sapientiam, intellectum, singulos deinceps explicat ac scientiam itidem esse dicit, ut in analyticis exposuit. Intellectum, qui est νοῦς, principiorum esse notitiam [b]. At vero sapientiam esse intellectum cum scientia conjunctum. Oportet, inquit, sapientem non ea scire tantum quæ ex principiis ducuntur, sed etiam circa principia ipsa verum dicere. Quare sapientia erit intellectus simul cum scientia, ac velut caput habens scientia rerum præstantissimarum [c]. » Quæ sic ab Eustratio et Andronico declarantur. Scientia non proprie circa principia versatur, sed circa conclusiones duntaxat quæ inferuntur ex principiis, non ab illa utique probatis, sed aliunde sumptis et pro veris habitis. Est autem peculiaris habitus quo principia cognoscuntur, isque νοῦς dicitur, id est, *intellectus*. At sapientia non ea solum, quæ ex principiis ratiocinando colliguntur, sed etiam principia ipsa cognoscit. Itaque intellectus et scientiæ partes implet. Sed postrema loci illius Aristotelei verba subobscura sunt, nec satis ab Græcis illius interpretibus accurate percepta. Ac recte quidem illi viderunt, *caput habere* dici hanc scientiam quæ *sapientia* vocatur, quod principia contineat, hoc est non ea solum quæ ex principiis colliguntur, sed ipsa quoque principia cognoscat quæ capitis instar habent. At illud non satis exacte, quod *scientiam præstantissimorum* putant idem esse ac præstantissimam. Andronici verba non abs re fuerit adscribere : « Quoniam igitur, inquit, universale quippiam est sapientia, oportet sapientem, qui ab illa nomen accipit, non certa quædam ex iis quæ cognosci queunt scire, alia nescire. Atque idcirco non tantum illa quæ demonstratione colligi possunt, sciet sapiens, sed etiam principia ex quibus fiunt demonstrationes et illorum, quoad licet, rationem reddet. Quamobrem sapientia erit intellectus simul et scientia, et hoc modo erit illa scientia quæ est omnium præstantissima, capitis instar principia continens. Etenim in ejus ratione declaranda tum ea quæ demonstratione probari possunt assumuntur, tum principia ipsa. Hoc autem in aliis scientiis non perinde usuvenit. Quippe in earum definitione non adhibetur notitia principiorum, sed eorum duntaxat quæ demonstrando concluduntur [d]. »

a Clem. lib. vi. *Strom.* Ἡ τε σοφία, δύναμις οὖσα, οὐκ ἄλλό τί ἐστιν, ἢ ἐπιστήμη τῶν θείων, καὶ τῶν ἀνθρωπείων ἀγαθῶν.

b Arist. lib. VI *Ethic.* c. vi. Λείπεται νοῦν εἶναι ἀρχῶν.

c Ibid. cap. vii. Δεῖ ἄρα τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι· ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν. ὥστ' εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη, καὶ ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων.

d Andron. l. VI *Ethic.* c. vi. Ἐπεὶ τοίνυν καθόλου τί ἐστιν ἡ σοφία, δεῖ τὸν κατ' αὐτὴν σοφὸν, μὴ τὸ μὲν τῶν γνωστῶν εἰδέναι, τὸ δὲ ἀγνοεῖν, καὶ διὰ τοῦτο μὴ μόνον τὰ ἀποδεικτὰ ὁ σοφὸς εἴσεται· ἀλλὰ καὶ τὰς ἀρχὰς, ὅθεν αἱ ἀποδείξεις, καὶ τὸν ἐγχωροῦντα περὶ αὐτῶν δώσει λόγον· ὥστε εἴη ἂν ἡ σοφία νοῦς, καὶ ἐπιστήμη· καὶ οὕτως ἔσται ἡ ἐπιστήμη, ἡ τιμιωτάτη, καθάπερ κεφαλὴν ἔχουσα τὰς ἀρχάς· ἐν γὰρ τῷ αὐτῆς λόγῳ καὶ τὰ ἀποδεικτὰ, καὶ αἱ ἀρχαὶ λαμβάνονται· ἐπὶ γὰρ τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν οὐχ' οὕτως ἔχει· οὐ γὰρ ἐν τῷ ὁρίσμῳ αὐτῶν ἡ γνῶσις τῶν ἀρχῶν παραλαμβάνεται· ἀλλὰ τῶν ἀποδεικτῶν μόνον.

1 Cap. xiv. — 2 Arist. lib. VI. *Ethic.* c. iii.

XII. Eustratius quoque perperam *scientiam* vocari *præstantissimorum* arbitratur [a], quod sit principiorum cognitio quæ sunt præstantissima, utpote eorum causæ quæ ab illis argumentatione ducuntur. Itaque cum principia cognoscat sapientia, quæ sunt capita doctrinarum omnium, et eorum quæ insunt illis excellentissima, consequens est eamdem illam scientiis omnibus antecellere, ac locum tenere capitis; ipsas vero ἀκεφάλους, id est, *sine capite* esse, si ab illa separentur. Denique sapientiam addit caput habere cum scientia, id est, tam principiorum quæ sunt capita, quam rerum inde collectarum notitiam quæ est scientiæ propria possidere, adeoque ex intellectu et scientia conflari. Sed quærit deinceps, cur Aristoteles quinque illas species distinguat habituum qui in veri cognitione versantur. Si enim sapientia intellectum et scientiam una complectitur, supervacaneum videtur, ambas istas tum seorsim, tum conjunctim in sapientia partes facere distinctas generis unius. Ut si quis animal in species distribuens, tres istas annumeraret, terrestre, aquatile et quod terrestre simul est et aquatile. Quæ dubitatio arguit inscitiam veri sensus qui est hujusmodi. Sapientia partim ex intellectu, partim ex scientia constat. Sed quatenus scientia est, non ejusdem ac reliquæ conditionis est, sed longe potior, utpote præstantissimarum in rerum cognitione defixa. Nam reliquæ disciplinæ subjectas sibi res ita contemplantur, ut non eas a materia prorsus avocent, sed huic affixas sive sensibili, ut physica, sive intelligibili, hoc est quantitati, ut mathematicæ [1]. At vero sapientia longe præstabiliores et a materia semotas penitus rationes illis ipsis in rebus considerat, quæ cum materia cæteroqui conjunctæ sunt. Etenim hujusmodi in illis affectiones ac proprietates intuetur quæ sunt communes ipsis cum Deo ac spiritibus cæteris, velut entis rationem et essentiæ, existentiæ, subsistentiæ et similium. Tum vero Deum ipsum et angelos aliaque spectat nullum omnino cum materia commercium habentia. Hæc sunt illa τιμιώτατα, id est, *præstantissima*, quorum scientiam dicit Aristoteles esse sapientiam. Quem sensum verborum illius postea subjicit Eustratius : « Ac videndum, inquit, an præstantissima nominet ea quæ divina sunt et generatione superiora, circa quæ præcipue prima philosophia versatur, quæ et principia sunt omnium quæ gignuntur, tanquam quæ vere sunt et mente sola percipi possunt [b]. » Multo vero maxime abludunt a mente philosophi, qui κεφαλὴ in nominandi casu in loco illo *Ethicorum* legunt, ut Lambinus.

Caput.

Theologia non modo scientia est, sed et sapientia.

VIII. Ex illis efficitur theologiam nostram, hoc est, veram atque christianam, non modo *scientiæ*, sed etiam *sapientiæ* vocabulo esse dignissimam. Versatur enim tum circa causas et principia rerum omnium, eaque summa et præstantissima, tum circa illa quæ iisdem ex principiis oriuntur, et perfectissime noscuntur. Altissima quippe et ab omni fæce corporum ac materiæ remotissima causa Deus est, qui primario, ac per se divinæ scientiæ subjicitur, cætera nonnisi illius gratia, et ut σχέσει quadam cum eo et *habitudine* junguntur, ut supra diximus.

Est apud eumdem Aristotelem in primo *Metaphysicorum* præclara disputatio de summa illa divinaque sapientia, mirifice in theologiam nostram congruens. Ex multis autem quæ ibi posuit, id maxime ad nos pertinet : « Sapientiam omnium opinione versari circa primas causas et principia [c]. » Et capite sequenti : « Oportere ait illam esse contemplatricem primorum principiorum atque causarum. » Post illius excellentiam prædicans [d] « nullam ait ea præstantiorem esse doctrinam [e]. Quæ enim divinissima est, eadem est et præstantissima.

a Eustrat. Διὰ τοῦτο καὶ κεφαλῆς λόγον ἐν ταῖς ἐπιστήμαις ἐπέχει, ὅτε ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων ἐστί· τιμιώταται δὲ αἱ ἀρχαί. εἰ γὰρ αἴτιαι αὗται τῶν παρὰ ταῖς ἐπιστήμαις συμπερασμάτων, πῶς οὐκ ἂν εἶεν τὰ ἐν ταῖς ἐπιστήμαις τιμιώτερα ; κεφαλαὶ τοίνυν αἱ ἀρχαὶ τῶν ἐν ταῖς ἐπιστήμαις θεωρουμένων.

b Eustrat. Ib. Μή ποτε δὲ τιμιώτατα τὰ θεῖα λέγει, καὶ ὑπὲρ γένεσιν περὶ ἃ προηγουμένως ἡ πρώτη φιλοσοφία καταγίνεται· ἃ καὶ ἀρχαὶ πάντων τῶν γενητῶν, ὡς ὄντως ὄντα, καὶ νῷ μόνῳ ληπτά.

c Arist. in *Metaph.* cap. I. in fine. Τὴν ὀνομαζομένην σοφίαν περὶ τὰ πρῶτα αἴτια, καὶ τὰς ἀρχὰς ὑπολαμβάνουσι πάντες.

d Ibid. Δεῖ γὰρ ταύτην τῶν πρώτων ἀρχῶν, καὶ αἰτιῶν εἶναι θεωρητικήν.

e Ibid. Οὔτε τῆς τοιαύτης ἄλλην χρὴ νομίζειν τιμιωτέραν. ἡ γὰρ θειοτάτη, καὶ τιμιωτάτη· τοιαύτη δὲ διχῶς ἂν εἴη μόνη· ἥν τε γὰρ μάλιστ' ἂν ὁ Θεὸς ἔχοι, θεία τῶν ἐπιστημῶν ἐστι· κἂν εἴ τις τῶν θείων εἴη· μόνη δὲ αὕτη τούτων ἀμφοτέρων τετύχηκεν· ὅ, τε γὰρ Θεὸς δοκεῖ τὸ αἴτιον· πᾶσιν εἶναι, καὶ ἀρχή τις· καὶ τὴν τοιαύτην ἢ μόνος, ἢ μάλιστ' ἂν ἔχοι ὁ Θεός.

1 Vide Arist. lib. II, *Physic.* c. II, et lib. VI *Metaph.* c. I.

Hujusmodi autem duobus duntaxat modis esse potest. Etenim tam illa, quam in se maxime Deus obtineret, divina est inter scientias, tam ea quæ circa divina versatur. At illa sola duobus istis prædita est. Nam et Deus causa omnibus esse et quoddam principium videtur, et illam vel solus vel potissimum habiturus videtur Deus. » Hæc sunt τιμιώτατα illa, in quibus contemplandis elaborat ista sapientia.

Præstantissima.

De qua itidem egregie Lactantius disserit in libro quarto *Institutionum*. Sed ita sapientiam accipit tanquam ad mores excolendos vitamque formandam referri debeat : « Et ideo non est, inquit, illa religio vera judicanda quæ in deorum cultu posita est, quia nullis justitiæ, virtutisque præceptis erudit efficitque meliores. Itaque philosophia, quia veram religionem, idest, summam pietatem non habet, non est vera sapientia[1]. » Ac paulo post quid sapientiam appellet, et in quo ab religione discrepet, exponit sic : « Ubi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrumque verum esse necesse est, quia et in colendo sapere debemus, id est, scire quid nobis et quomodo sit colendum, et in sapiendo colere, id est, re et actu quod scierimus implere. »

Nimirum theologiæ est verum Dei rerumque divinarum sensum ac notitiam fidei ex principiis confectam tradere ac præscribere, qua ad religionis officia cultumque præstandum mortale genus dirigitur. Hinc cum « artium aliæ sint theoreticæ, quæ vigorem mentis exercent, aliæ actuosæ[2] » ut ait Ambrosius, theologia genus utrumque complectitur, excellentia quadam dignitatis et amplitudinis. Siquidem non modo Deum intuetur cæterasque res, in quibus utique solam sine efficientia contemplationem adhibet, sed virtutes etiam ac vitia, et amborum proprias actiones. Verum maxima ex parte contemplatrix judicatur, quod illius functio in Dei potissimum cognitione per seque posita est, reliqua vero tractat eatenus quod a Deo significata mortalibus ac revelata sunt. De quo legi potest sanctus Thomas[3], et qui ad eum commentarios ac disputationes elucubrarunt. Nobis enim vel paucissima libasse de controversiis istis fortassis etiam nimium est.

CAPUT IX

De laude ac commendatione theologiæ. Hanc non solum ad intellectum et scientiam pertinere, sed etiam ad voluntatis affectum. Itaque verum et absolutum theologum, sanctum esse oportere. Cujusmodi gnosticum informat Clemens Alexandrinus, aut hierarcham Dionysius. Episcopos primarios esse theologos. Fide præditum imprimis theologum debere esse, tam cæteris virtutibus, ac purum ab omni prava animi affectione. Nonnulla de hujus operis instituto, quod triplicem theologiæ formam complectitur, deque ejus divisione ac partibus.

I. Admonere nos hoc loco præfandi consuetudo quædam videtur, ut aliquid de commendatione disciplinæ nostræ ac laude dicamus. Cujus quidem ex antecedenti tota oratione nec difficilis et admodum copiosa seges existit, si quem minime necessaria in re moram facere delectat. Sed ut levissime defungar, hoc ex uno licet argumentari, quam jure τιμιωτάτη, ut Aristoteles loquitur, hoc est *summæ æstimationis* habenda sit, et antecellens omnibus ista sapientia, quod circa id occupatur quo nihil ne cogitari quidem majus potest. Nam quo præstantior res est cognitioni et scientiæ alicui subjecta, eo est ipsa scientia clarior et illustrior, tametsi perparum illius ista consequi possit. De quo vere hoc et sapienter extat ab Aristotele scriptum primo libro[4] *de Partibus animalium*, cum sint substantiarum genera duo, alterum earum quæ ortu, occasuque carent, quas vocat τιμίας et θείας hoc est *nobiles* et *divinas*, alterum quod ortus et occasus est particeps; ita fieri ut priorum perparvam habeamus notitiam, majorem vero posteriorum : « Verum ob illarum cognitionis excellentiam, suavius iis affici nos, quam cum ea quæ sunt apud nos et domestica tenemus, quemadmodum deliciarum amorumque nostrorum vel exiguam particulam videre gratius est, quam aliorum multas et magnas diligentius intueri[a]. » Quanto id ergo de christiana usurpari sapientia, hoc est, theologia,

[a] Arist. lib. I. *de Part.* c. v. Τῶν μὲν γὰρ εἰ καὶ κατὰ μικρὸν ἐφαπτόμεθα, ὅμως διὰ τὴν τιμιότητα τοῦ γνωρίζειν ἥδιον, ἢ τὰ παρ' ἡμῖν ἅπαντα· ὥσπερ τῶν ἐρωμένων μικρὸν μόριον κατιδεῖν ἥδιόν ἐστιν, ἢ πολλὰ ἕτερα, καὶ μεγάλα δι' ἀκριβείας ἰδεῖν.

1 Lact. lib. IV *Instit.* c. II. — 2 Lib. I. *Hexa.* c. v. — 3 In I. part. qu. I. art. 4. — 5 Cap. v.

verius est, postquam Christi beneficio plenior nobis et liquidior scientia divinitatis affulsit, qua cum cætera quoque clarius patefacta sunt quæ in summo gradu rerum cognoscendarum ponebat Aristoteles, et supremæ, qualem nosse poterat, sapientiæ subjici putabat? Quin idem in *Ethicorum* decimo summam felicitatis humanæ in perfecta hominis actione collocat, quam vult esse contemplationem rerum haud dubie scitu dignissimarum, hoc est, divinarum, quæ est disciplinæ propria nostræ. Verba illius, quoniam ad commendationem theologiæ multum faciunt, prætermittere non possum : « Cum igitur, inquit, divinum quoddam sit mens si ad hominem respicias, etiam vita quæ ex mente traducitur, si humanæ vitæ comparetur, divina est ipsa. Neque vero par est quod quidam admonent, eum humana sapere, qui homo sit vel mortalia qui sit mortalis; sed quoad licet, immortalem se facere, omniaque efficere, ut ex præstantissimo omnium quæ in ipso sunt vitam degat. Quamvis enim mole id sit exiguum, vi tamen et pretio longe cæteris omnibus antecellit [a]. » Et in sequenti capite : « Hanc esse Dei actionem felicissimam asserit, quæ in contemplatione consistit; humanarum porro actionum eam esse beatissimam, quæ ad illam propius accedit [b]. »

II. Sic Gregorius Nazianzenus « nihil apud Deum ita amplum et magnificum esse dicit, ut doctrinam perpurgatam et animam veritatis dogmatibus instructam atque perfectam [c]. » Hujusmodi autem sunt theologica dogmata « de quibus crebro loquentes et audientes habitum quemdam tenaciter inhærentem divinorum decretorum acquirimus [d], » ut ait Basilius. Ex quo inexhausta quædam sincerissimæ ac liquidissimæ voluptatis copia in nobis oritur, cujus sensu ac gustatu mirifice captus Hieronymus exclamat sic : « Quid hac voluptate jucundius? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam et in abdita ejus intrare, et sensum creatoris inspicere, et sermones Domini Dei tui, qui ab hujus mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali[1]? » Quibus verbis duo theologiæ officia complexus est, quorum unum in contemplandis percipiendisque divinis arcanis, alterum in explanandis ac propugnandis cernitur.

Sed egregie hanc scientiam exornat ac prædicat Diadochus Photices episcopus in libro *de Perfectione spiritali*, quam *donum* vel *charisma theologiæ* insuper vocat. « Omnia dona Dei, inquit, sunt valde bona et omnium bonorum causa, sed nullum ita nostrum cor inflammat et illud ad amandum bonitatem ejus excitat, ut donum theologiæ. Cum enim sit fetus matutinus gratiæ Dei, prima etiam dona largitur animæ. Primum enim facit, ut libenter ac jucunde omnes vitæ hujus amicitias contemnamus, ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias verbi Dei majores, quam dici potest, habeamus. Deinde mentem nostram igne naturam mutante collustrat, unde consortem ministrantium spirituum eam facit. Hanc igitur virtutem, fratres charissimi, idonee ad hoc præparati concupiscamus, quæ pulcherrima est, quæ omnia contemplatur, quæ omni sollicitudine vacuum facit, quæ fulgore arcani luminis plena est, et mentem verbis Dei alit, et quæ Deo verbo (ne multa dicam) animam rationis participem per sanctos prophetas ad inseparabilem cum eo cunjunctionem despondit, ut apud homines (o rem admiratione dignam! hæc divina pronuba voces quibus similes Deo efficeremur et theologici sermones diserte canerentur, aptaret [2]. »

III. Hunc ex divina sapientia fructum capi dumtaxat ab iis perspicuum est, qui veram ac solidam in sese theologiam exprimunt, cujus ut ex antecedentibus cognitum est, duplex est usus et functio. Nam et Deum resque divinas citra ullam efficientiam contemplatur, qua parte θεωρητικὴ dicitur, et ad mores guber-

Duplex theologiæ fructus.

Theoretica.

a Idem lib. X *Ethic.* c. VII. Εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος, θεῖον πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον· χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας, ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα, οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητόν· ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται, ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ· εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρόν ἐστι, δυνάμει, καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων.

b ARIST. in cap. IX. Ὥστε ἡ τοῦ Θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη· καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δὴ ἡ ταύτῃ συγγενεστάτη, εὐδαιμονικωτάτη.

c NAZ. orat. XXXII. D. Οὐδὲν γὰρ οὕτω Θεῷ μεγαλοπρεπές, ὡς λόγος κεκαθαρμένος, καὶ ψυχὴ τελεία τοῖς τῆς ἀληθείας δόγμασιν.

d BASIL. epist. 141. tom. II. Ἐν γὰρ τῷ λέγειν τι περὶ τῶν θείων δογμάτων, καὶ ἀκούειν πυκνότερον, ἕξιν δυσαπόβλητον θεωρημάτων λαμβάνομεν.

1 Epist. 155. — 2 Diad. cap. LXVII, tom. V, *Biblioth. Patrum.*

nandos ac dirigenda virtutum officia descendit, quatenus actuosa est, ut cum de virtutibus agit tam theologicis et divinitus infusis, quam moralibus ac reliquis ejusmodi : quorum cognitio non propter se tantum expetitur, sed ad usum exercitationemque vitæ natura sua refertur, ut in ea parte philosophiæ cernimus quæ *ethice* dicitur, quæ non sciendi tantummodo, sed agendi ex sese causa comparatur. Quo spectant illa quæ ex Augustino et Lactantio supra commemorata sunt, qui sapientiam aut ejus certe partem, θεοσέβειαν, hoc est, *Dei cultum* esse docent, quod ad moderandam religionem ex theologia præcepta et instituta capiuntur. Quibus accedit etiam Cicero, qui initio libri primi *de Natura Deorum* quæstionem hanc et disputationem de Deorum natura duplici illa dote commendat, cum hanc ait « et ad agnitionem animi pulcherrimam esse, et ad moderandam religionem necessariam. » Hinc illud evenit quod in eodem libro proditum est a Lactantio, ut in vera religione « iidem sint doctores sapientiæ qui et Dei sacerdotes, quia ibi sapientia cum religione conjungitur, ubi Deus colitur unus, ubi vita et actus omnis ad unum caput et ad unam summam refertur[1]. » Non ut apud ethnicos fiebat, in quibus « philosophia et religio deorum disjuncta erant longeque discreta, siquidem alii sunt professores, ait, sapientiæ, per quos utique ad Deos non aditur, alii religionis antistites, per quos sapere non discitur; ex quo apparet nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. »

Cujus dicti argumentum exemplumque capi potest ex iis quæ in libro *de Ecclesiastica hierarchia* tradit Dionysius, cum hierarcham describit[2]. Hunc enim non exquisita solum scientia rerum divinarum præditum esse vult, ut docere et illuminare cæteros possit, verum etiam vita et actione perfectum ac Deo quam simillimum. Est autem hujusmodi verus absolutusque theologus, quo vocabulo Petrum, Joannem et alios apostolos alicubi designat idem Dionysius, nec

Vere gnosticorum.

non Clemens Alexandrinus τῷ ὄντι γνωστικῶν, quod idem est ac theologorum, in *Sexto Stromateon*[3]. Merito id quidem. Est enim theologia genus illud scientiæ quod ἀρχιτεκτονικὸν

Architectonicum.

solet appellare philosophus, cujus scilicet imperandi ac præscribendi aliis sunt partes. Qua ratione penes eos proprie residere debet, qui ut Ecclesiæ, ita dogmatum ecclesiasticorum antistites sunt ac principes, quorumque est adeo de christiana et catholica fide in solemnibus ac jure congregatis cœtibus sententiam dicere, ac credendi normam cæteris statuere. Hi sunt episcopi et hierarchæ.

Theologum oportet esse sanctum.

IV. Sed eo revoco me quod institueram dicere, germanum eoque dignum nomine theologum, non scientem duntaxat et doctorem oportere esse divinarum rerum, sed divinorum etiam operum actorem, hoc est probum ac sanctum et fide charitateque præstantem. Etenim si rhetoricæ magister ille oratorem quem instituit, perfectum posse esse negat, nisi sit vir bonus « ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigit[4]; » quanto id minus concedendum est christiano veroque theologo, ut hoc ipsum quod voce profitetur, re esse, sine animi virtute et honestatis studio possit. Ac vel rationis similitudo ipsa, qua de oratore suo probat Quintilianus, idem de theologo nostro persuadet dicere. « Cum vir ille vere civilis, inquit rhetorum magister, et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profecto quam orator. » Atqui quod civilibus in negotiis munus oratoris esse perfecti putat, id in divinis et ecclesiasticis administrandis totum est theologi. Hujus enim est responsa de illis edere, jura et leges interpretari aut etiam condere, si ad scientiam legitima quoque potestas accesserit, ut in hierarchis sive episcopis accidit, quos præcipua quadam ratione theologos esse monstravimus. Itaque non doctos solum et divinis studiis eruditos esse illos oportet, sed *divinos* etiam ipsos, hoc est θεοειδεῖς, ut Græci Patres loquuntur. Quod enim vere Atticus Platonicus dixit : « Magnæ et divinæ et eximiæ res parem vim et facultatem ad sui agnitionem requirunt[a] » non tantum ingenii, sed multo etiam magis piæ religiosæque voluntatis.

Declarat hoc in *Gnostico* suo informando Clemens Alexandrinus, in quo absoluti theologi *speciem* et ἰδέαν expressam antea diximus[5]. In eo

[a] Atticus apud Euseb. lib. XV *de Præparat.* c. X Τὰ μεγάλα, καὶ θεῖα, καὶ περιττὰ τῶν πραγμάτων παραπλησίου τινὸς δυνάμεως εἰς ἐπίγνωσιν δεῖται.

1 Lact. lib. IV. c. XXII — 2 Vide tom. nostrum, lib. II *de Angelis*, c. II. — 3 Clem. lib. VI *Stromat.* — 4 Quintilian., lib. I, c. I. — 5 Ut in II *Stromat.*

Theologo necessaria fides.

itaque tum omnium doctrinarum excellentem facultatem inesse vult, tum virtutum perinde omnium parem copiam et præstantiam. Sed fidei cumprimis, de qua memorabile istud in secundo libro *Stromateon* edidit : « Cum sint cognitionis perfectæ, hoc est theologiæ velut elementa virtutes omnes, quarum permultas antea nominavit, tum præ cæteris elementi instar esse fidem, quæ tam necessaria est gnostico quam ei qui in hoc mundo deget, ad vitam necessaria respiratio est. Quare uti sine quatuor elementis vivi non potest, ita nec sine fide cognitio sequi [a]. » Cui et consentit Augustinus in libro *Contra adversarium legis et prophetarum*, capite septimo, ubi sic scribit : « Tanto enim quisque facilius aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit. » Quod si theologo tam necessaria est fides, ut sine ea constare nequeat, apparet profecto neminem qui illa careat, tali esse vocabulo censendum. Itaque omnes hæretici et a catholica alieni fide ac professione, procul ab communione istius nominis excludendi sunt, nec nisi ὁμωνύμως et abusione quadam vocis ita nuncupantur.

Necnon [illegible] virtutum chorus.

V. Præter fidem vero, cæterarum quoque virtutum choro stipatum esse theologum debere, incredibilis est antiquorum consensio, e quibus pauci isti sunt ad manum. Primum Augustinus in primo *de Trinitate* de hujus mysterii cognitione agens, hoc ait « esse illud summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. » Et rationem mox hujus affert : « Quia humanæ mentis acies invalida in tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. » Chrysostomus item : « Cum ubique religiosa mente opus sit, tum vero potissimum esse dicit, cum de Deo aliquid loquimur aut audimus [b]. » Eleganter quoque Cyrillus Alexandrinus, cum verba illa de Psalmo ad id accommodasset : *Vocate, et videte, quoniam ego sum Deus* [2]. ita pergit : « Oculus enim corporis pulvere ac fumo cæterisque rebus vacuus, quæ turbidum illum efficiunt, subtilem nec impeditam vim ad ea quæ sibi objiciuntur, adjicit. Sin autem affectione aliqua sit oblæsus, minus in illis, quam par est, defiget aciem, nec abhorret, ut ab exacta rei perceptione nonnunquam deerret. Ita mens humana, si quieta sit et tranquilla et vanis ac nefariis cogitationum imaginibus vitandis assuefacta, acute clareque cernit, et certam sine errore notitiam rerum accipit. Quod si affectu quopiam crassescat, non jam divinam pulchritudinem perspicere poterit, sed quodammodo terrenis rebus incubabit, perinde ut aviculæ, pennis madefactis quominus in altum evolent, impediuntur [c]. » Sunt enim quædam animæ pennæ, quibus ad rerum maxime divinarum contemplationem in sublime pervehuntur, de quibus Plato in *Phædro*, ex eoque Synesius in *Dione*, et alii Platonici passim

Diadochus paulo a me antea laudatus in capite LXXII libri ejusdem *de Perfectione spirituali* : « Theologus, inquit, id est rerum divinarum contemplator, eloquiis Dei delinitus et inflammatus animo, applicat se in illa laxitate ac latitudine opportuna contemplationum ad moderandas aliquantum passiones. *Eloquia enim Domini*, ait, *eloquia casta*, *argentum igne examinatum*, *purgatum terræ* [3]. Est ad eam rem dictum quoddam Rabbinorum imprimis memorabile, quod in præfatione ad *Josue* refert rabbi David Kimchius : « Omnis, inquit in quo timor peccati antecedit sapientiam ipsius, ejus stabilis est sapientia. Omnis autem,

a Clem. lib. II *Stromat.* Στοιχείων γ' οὖν τῆς γνώσεως τῶν προειρημένων ἀρετῶν, στοιχειωδεστέραν εἶναι συμβέβηκε τὴν πίστιν, οὕτως ἀναγκαίαν τῷ γνωστικῷ ὑπάρχουσαν, ὡς τῷ κατὰ τὸν κόσμον τόνδε βιοῦντι πρὸς τὸ ζῆν τὸ ἀναπνεῖν· ὡς δὲ ἄνευ τῶν τεσσάρων στοιχείων οὐκ ἔστι ζῆν, οὐδ' ἄνευ πίστεως γνῶσιν ἐπακολουθῆσαι.

b Chrys. hom. 2. in epist. *ad Hebr.* init. Πανταχοῦ μὲν εὐλαβοῦς διανοίας δεῖ, μάλιστα δὲ ὅταν περὶ Θεοῦ λέγωμέν τι, καὶ ἀκούωμεν.

c Cyril. dial. 1. *Trinit.* Ὄψις μὲν γὰρ ἡ σωματικὴ κόνεώς τε, καὶ καπνοῦ, καὶ ἑτέρου παντὸς τοῦ καταθολοῦν ἰσχύοντος ἐλευθέρα, λεπτὴν, καὶ ἀπαρεμπόδιστον ἐνίησι τὴν ἐνέργειαν τοῖς ὑποπίπτειν εἰωθόσιν αὐτῇ· εἰ δὲ δὴ πού τι κατασίνοιτο τῶν παθῶν, μεῖον μὲν ἢ χρὴ τοῖς δρωμένοις προσβαλεῖ, ἀφαμαρτήσει δὲ, ὅτι καὶ αὐτῆς τῆς ἀκριβείας ἔσθ' ὅτε, τὸ ἀπεικὸς οὐδέν· νοῦς γε μὴν ὁ ἀνθρώπινος, εἰ μὲν ἡμεραῖος τις εἴη, καὶ καθεστηκὼς, καὶ φαντασίας ἑώλου, καὶ βδελυρᾶς ἀποφοιτᾷν εἰθισμένος, ὀξύ τε, καὶ διειδὲς ἐμβλέπεται, καὶ ἀπλανῆ τῶν ὄντων εἰσδέχεται γνῶσιν· εἴ γε μὴν ὑπὸ τοῦ καταπαχύνοιτο τῶν παθῶν, οὔτ' ἂν αὐτό ποτε τὸ θεῖον διόψεται κάλλος, ἐνιζήσει δὲ ὥσπερ τοῖς γεωδεστέροις· καθάπερ τὰ τῶν στρουθίων διάβροχα, τὴν εἰς τὸ ἄνω πτῆσιν τῷ δεδέσθαι παρῃρημένα.

d Kim. in præf. *Josue.* כל שיראת חטאו קודמת לחכמתו חכמתו מתקימת וכל שחכמתו קודמת ליראת חטאו אין חכמתו מתקימת.

1 Cap. II. — 2 *Psal.* XLV, 11. — 3 *Psal.* XI, 7.

in quo sapientia ipsius antecedit timorem peccati, non est illius firma sapientia. »

VI. Graviter et copiose locum hunc Gregorius Nazianzenus ornavit in oratione XXXIII adversus Eunomianos, quos optare se dicit, uti promptuli sunt ad loquendum de rebus divinis et ad disputandum arguluti, sic ad recte agendum perinde animo ac voluntate ferri. Tum de theologo latius disserens, qualem hunc esse oporteat aperit, atque inter alia « non omnium esse de Deo disputare dicit, sed eorum duntaxat qui explorati sint ac contemplando longe processerunt, ac prius etiam tam corpus, quam animum repurgarunt : aut, ut parcissime loquar, purgare jam instituunt. Impuro enim rem puram attingere, fortasse ne tutum est quidem, quemadmodum nec ægris oculis solis radios intueri [a]. » Sic in carmine primo *Arcanorum* de divinis verba facturus, facessere jubet impuros aut purgari minime instituentes, versibus istis :

ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆλε
Φεύγετε ὅς τις ἀλιτρὸς· ἐμὸς λόγος ἢ καθαροῖσι
Ἠὲ καθαιρομένοισιν ὅδ᾽ ἔρχεται· οἱ δὲ βέβηλοι,
Ὡς θῆρες, Χριστοῖο κατ᾽ οὔρεος ἀκροτόμοιο
Λαμπομένου, Μωσῆϊ νόμον τ᾽ ἐν πλαξὶ γράφοντος,
Αὐτίκα ῥηγνυμένοισιν ὑπὸ σκοπέλοισι δαμεῖεν.

sed procul [puris
Fugite, si quis est improbus, meus sermo vel
Vel iis qui purgantur, iste venit. Porro profani
Tanquam feræ, Christo in monte prærupto
Splendente, ac Mosi legem in tabulis scribente,
Statim erumpentibus saxis obruantur.

« Errat itaque, ut bene scripsit Augustinus, quisque veritatem se putat cognoscere, cum adhuc nequiter vivat[1]. » Etenim si eruditi inter ethnicos homines tantum inani suæ sapientiæ tribuerunt, ut cum ea consistere non posse putaverint animi labes ac vitia, sed pelli adventu illius et extingui, quis non idem christianæ, sed veræ germanæ ac suo respondenti nomini, hoc est, theologiæ concesserit, ut amatores et cultores sui sanctos et divinos aut inveniat aut faciat? « Venerabilium doctrinæ sacrorum antistes philosophia [2], ait profanus quidam scriptor, inhonesto atque inutili affectu dispulso, totos in solido virtutis munimento confirmat, potentiores metu ac dolore faciens. » Et alius : « Est inquit, animorum, ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturæ. Erigimur, altiores fieri videmur, humana despicimus cogitantesque supera atque cœlestia, hæc nostra, ut exigua et minima contemnimus [3]. »

VII. Vulgatum est Ptolemæi astronomorum principis tetrastichon de laude scientiæ suæ, qua se sic affici profitetur, ut cum ad cœlestia contemplanda mentem converterit, humanæ conditionis oblitus, ad deorum se consortium attolli quodammodo sentiat. Quod epigramma nos ex tempore ita reddidimus :

Οἶδ᾽ ὅτι θνητὸς ἐγὼ, καὶ ἐφήμερος· ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων
Μαστεύω πυκινὰς ἀμφιδρόμους ἕλικας,
Οὐκέτ᾽ ἐπιψαύω γαίης ποσίν· ἀλλὰ παρ᾽ αὐτῷ
Ζηνὶ διοτρεφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης [4].

Mortalem scio me ac vitæ brevis. Ast ubi flexus
Astrorum atque orbes mente agito varios,
Non jam contingo pedibus sola. Sed Jovis almi
Consors, ambrosiæ pabula sacra fruor.

Si tantum in glande saporis et suavitatis invenit iste, uti quasi unus ex Ulyssis sociis, loto decerpta, non magis patriis, soli quam suimetipsius oblivionem caperet, nonne jucundius palato nostro cœlestes epulæ ac deliciæ sapient, si quis sanum illum ac probe detersum ad eas gustandas attulerit? « Danda ergo sunt omnia, ut ait Rupertus, ut hæc sola margarita comparari queat, omnesque carnalium sordes affectuum ab oculis cordis abstergendæ sunt eis, qui in schola Christi venerabilibus student litteris, ut hanc aliquatenus valeant aquilam prosequi (de summo theologo Joanne loquitur) quam cordis munditia juvit, ut claritatem solis æterni plus cæteris divinæ visionis animalibus irreverberata possint acie mentis intueri [5]. » Commode item Philippus abbas bonæ spei in epistola secunda « Divinarum lectori Scripturarum tria valde necessaria æstimat, sine quibus earumdem Scripturarum non acquiritur perfecta scientia, videlicet studium, ingenium, humili-

a Naz. orat. XXXIII. Οὐ πάντων μὲν, ὅτι τῶν ἐξητασμένων, καὶ διαβεβηκότων ἐν θεωρίᾳ, καὶ πρὸ τούτων καὶ ψυχὴν. καὶ σῶμα κεκαθαρμένων, ἢ καθαιρομένων τὸ μετριώτατον· μὴ καθαρῷ γὰρ ἅπτεσθαι καθαροῦ, τυχὸν οὐδὲ ἀσφαλὲς, ὥσπερ οὐδὲ ὄψει σαθρᾷ ἡλιακῆς ἀκτῖνος.

1. Lib. *de Agone Christi*, c. XIII. — 2 Valer. Max. lib. III, c. III. — 3 Cic. IV. *Acad.* — 4 Ptolem. — 5 Pr. in *Evang. Joan.*

tatem. Studium est diligens assiduitas legendi. Ingenium vero naturalis agilitas capiendi. Humilitas autem est animi depressio, sive cum datur sive cum non datur gratia intelligendi. » Postremum hoc de tribus divinarum rerum inquisitori summe necessarium est, quod et virtutes omnes animi una moderatio vel continet vel elicit, et affluentem a Deo gratiam opemque promeretur. Quin illa ipsa rerum earumdem tractatione crescit in dies et existit, quod et Cicero tam de illa quam de reliquis testatur his verbis : « Sed etiam modestiam quamdam cognitio rerum cœlestium affert iis, qui videant quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo, et magnitudinem animi deorum opera et facta cernentibus. Justitiam etiam, cum cognitum habeas quod sit summi rectoris et domini numen, quod consilium, quæ voluntas, cujus ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur[1], etc. »

VIII. Ad extremum juvat illud usurpare Theodoreti, et quod tum de illa, quam explicare aggredior, divina scientia, tum de meipso sentio, illius verbis exponere ac profiteri : « Divinarum, inquit, Litterarum explanatio opus quidem habet anima purgata et ab omni labe soluta et vacua, tum mentem requirit agilem ac velut pennis præditam, quæ divina pervidere possit et in penetralia spiritus ingredi. Est etiam lingua illi necessaria quæ mentis administra et ejus contemplationis pro merito sit interpres. Mihi vero et animus ingenti peccatorum colluvie circumfusus est, et commissorum mihi negotiorum curis obruta mens, ideoque demissa et in humanum abjecta, quæ sacras Litteras accurate contemplari nequit. Tum super hæc lingua ipsa mente imbecillior et tardior [a]. »

Quæ cum de me verius, quam vir ille summus de se faciebat, agnoscere ingenueque fateri debeam; nimirum majora mihi divinitus impetranda præsidia sunt, neque vero desperanda, quantumlibet indignus sim cui illa tribuantur. «Quid enim aliud, quam te speramus, o Deus! aut sperare debemus, ut Ruperti verbis utar, dum loquendo et scribendo nomen tuum prædicamus et glorificamus. Et nos igitur in hac spe justitiæ glorificemus te, o nomen Domini! et hoc nobis sit currere ad turrim fortissimam et exaltari, quod fidelem contendimus ædificare sermonem super fundamentum fidei. » Tum nos consolatur illud, quod alio in loco Rupertus idem subjicit : « Cognitio nominis ejus magno præmio digna est ut videlicet cognitor ejus ab ipso protegatur. » Ecquis autem magis est Dei ejusque verbi ac sapientiæ cognitor, quam theologus? Hunc enim proprie γνωστικὸν ab antiquis ideo nominatum esse superius ostendimus, et est peculiaris quædam vocabuli istius notio quam solus sibi ille defendit. Cognitorem enim Latini veteres dixere id, quod jurisconsultorum in libris usitatum est defensorem juris ac causæ hominis cujuspiam. Cujusmodi divino numini ac fidei christianæ usum officiumque theologus præstat, dum adversus errores et hæreses inimicorum Dei, ac dignitatem ejus et nomen impugnantium, causæ illius patrocinatur, nec violari jura ipsius et adversariorum calumniis labefactari patitur. Quod nos quidem opere in nostro pro virili parte suscepimus. *Gnosticum.*

IX. Non enim scita decretaque fidei ac theologiæ declarare et illustrare satis habuimus, ac domesticas, ut ita dicam, controversias agitare, quales catholici habent inter se, salva utrimque pietatis regula; sed ad singula dogmata proprias et repugnantes iis hæreses adjecimus, contraque ipsas acerrime pro christiana veritate conflixímus. Ita triplicis instituti partes, quas totidem theologorum sectæ inter se partitæ sunt, unus hic noster comprehendit labor. Primum enim scholasticarum quæstionum complures enodavi, quarum mihi veterum in scriptis mentio ac vestigium aliquod occurrit. In quo bene de scholasticis quos vocant, meruisse videor, studui certe : quibus fontes ipsos ac velut auctores et fundos indicavi disputationum multarum, ex quibus invidiam facere solent partim ipsorum, partim catholicæ professionis inimici. Qui tum demum molesti esse ac pro novis et sophisticis inventis exprobrare ista desinent, cum scient qui et quales viri haud indigna

Hujus operis institutum tres theologiæ partes complectens.

a THEODORET. præf. *in Cant.* tom. I. Ἡ τῶν θείων λογίων ἐξήγησις δεῖται μὲν ψυχῆς κεκαθαρμένης, καὶ ῥύπου παντὸς ἀπηλλαγμένης· δεῖται δὲ διανοίας ἐπτερωμένης, καὶ καθορᾷν τὰ θεῖα δυναμένης, καὶ κατατολμώσης τῶν ἀδύτων τοῦ πνεύματος· χρῄζει δὲ καὶ γλώσσης ὑπουργούσης τῇ διανοίᾳ, καὶ τὴν ἐκείνης θεωρίαν ἀξίως ἑρμηνευούσης. Ἐμοὶ δὲ καὶ ψυχὴ πολὺν ἁμαρτημάτων φορυτὸν περικειμένη, καὶ φροντίσιν ὧν ἐγκεχείρισμαι πραγμάτων βεβαπτισμένη διάνοια, καὶ διὰ ταῦτα ταπεινὴ, καὶ χαμαίζηλος, καὶ κατοπτεύειν ἀκριβῶς τὰ θεῖα μὴ δυναμένη λόγια· καὶ πρὸς τούτοις γλῶσσα τῆς διανοίας νωθεστέρα, καὶ βραδυτέρα.

1 Cic. 4. *de Fine.*

putaverint, in quibus accurate disputandis operam adhiberent.

Alterum genus est theologiæ quod positivum vulgo nuncupant, quod majori parti blanditur hominum eorum qui politis delectantur artibus, et abhorrere ab omni barbarie præ se ferunt. Hi nostro in opere id habebunt quod ipsis in eo quod amant, satisfaciat. Nam nihil generis istius prætermissum illic animadvertent sive ad sacrarum Litterarum interpretationem e suis haustam fontibus, hoc est linguis inter se collatis tribus, sive ad ecclesiasticorum temporum historiam, sive ad conciliorum auctoritatem, sive ad Græcorum Latinorumque Patrum germanam accuratamque sententiam. Tertium illud denique est theologiæ genus quod litigiosa inter nos et hæreticos capita complectitur, quod paulo ante memoravi, et a me comprehensum esse docui.

X. Triplici dote hac ornatum opus eo majore voluntate suscepi, quod nec ullum Deo munus acceptius, neque catholicæ Ecclesiæ fructuosius, neque vel pro amore in utrumque meo jucundius, vel pro tenuitate splendidius adornare mihi videor posse. Scitum enim illud est Eusebii in secundo libro *de Fide adversus Sabellium*, ubi operam istam quæ in illustranda litteris fidei doctrina ponitur, cæteris omnibus christianarum virtutum officiis non dubitavit anteponere, teste ad id usus Apostolo, qui « præcipit honorari duplici honore debere presbyteros, eos maxime qui laborant in verbo et doctrina. Qui enim pudicitiam colit bonus est sibi, et qui jejunat, etiamsi bonum faciat opus, tamen sibi, et qui miseretur, et sibi misericordiam parat et ei cui præbet. Qui autem religionem secundum veritatem docet, et sibi vitam æternam adquirit et omnibus qui docentur. Non est præceptum apostolis ut pauperes pascerent, sed ut et ipsi pascerentur. Religionis ergo prædicatio major est a misericordia quæ fit ad homines. Oportet enim primum nosse eum, propter quem fiunt ea quæ fiunt et ita facere misericordiam. Unusquisque enim qui operatur, sibi adquirit opus; prædicatio autem veritatis hæc est, propter quam et Filius venit in corpore. Non dixit Dominus : Beati oculi eorum qui jejunant, sed *videntium*, inquit, *ea quæ videtis*. Sed non ego nunc bonos actus accuso, sed sicut stella stellæ præfert gloria, ita et actus actibus differunt honore. Summum enim et præcipuum et primum fundamentum et radix omnium operum quæ fiunt, fides est vera. Dicit enim Dominus : Ego propter hoc veni, et propter hoc natus sum, ut tester veritati. Ipse Dominus reddens causam sui adventus in mundo, dicit : Quia ideo natus sum, et ideo veni in mundo ut tester veritati. » Hæc Eusebius gravi et luculento præconio, nec minus interim vero ad hoc quod instituimus persequendum alacriores nos faciens : dum illud pluris æstimat, quam aut jejunium quo corpus coercetur, aut misericordiam quæ egentibus adhibetur; æternæ denique vitæ certissimam illi propositam esse mercedem non dicit solum, sed ratione insuper qua nulla firmior, et invicta Litterarum sacrarum auctoritate defendit. Ac si Juvencus olim poeta christianus tantum in opere suo confisus est, quo evangelicam historiam versibus descripsit sane non optimis, ut in ultimo mundi pereuntis occasu tutum illo uno fore se crederet inter ruinas elementorum et incendia, tum propitium sibi summum judicem merito illius habiturum :

Nec metus, inquit, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus, hoc etenim forsan me subtrahet igni
Tunc, cum flammivoma descendet nube coruscans
Judex, altithroni genitoris gloria Christus :

non minorem quod ad argumenti operisque pretium attinet, fructum nobis polliceri ejus quod præ manibus habemus, merito possumus.

XI. Superest ut operis ejusdem partes quænam et quot deinceps futuræ sint, deque earum serie pauca complectar. Quanquam de hoc jam dixisse videor in primo capite, ubi rerum divinarum scientiam generatim per capita distribuimus ad eorum accommodata numerum, quæ in Deo statim nobis contemplantibus occurrunt. Sed ut pressius nunc et apertius de istis agam, scire velim lectores nostros neque me magistri sententiarum, neque sancti Thomæ, nec illius, qui hos præcessit et ad *methodicam*, ut ita dixerim, theologiam præivit utrique, Joannis Damasceni ordinem ex toto decrevisse persequi, sed eum potius, cujus causas et semina illo in capite primo prolegomenon istorum jecimus. Quo in loco dictum est primam hanc esse theologiæ partem, quæ de Deo disputat, et iis quæ propria sunt ejus et οὐσιώδη. Secundam, operum illorum quæ Essentia.
a Deo proficiscuntur, ut naturæ auctor est : quæ tum spiritalia sunt, tum corporea. Tertiam opus continere gratiæ longe præstantissimum, qua se Deus ita homini communicat,

ut utriusque sit una persona. Quartam instrumenta complecti sive efficientia gratiæ, hoc est sacramenta novæ legis, sive dirigentia, cujusmodi est lex. Ad quintam forma illa pertinet, qua sancti et divini fiunt homines et angeli, tum quibus ad illam isti præparantur. Sexta comprehendit illud quod formæ isti contrarium est, nempe peccatum.

Ita decem omnino theologici tractatus existunt.

I. De Deo ejusque proprietatibus.
II. De Trinitate.
III. De Angelis.
IV De mundi opificio.
V. De Incarnatione.
VI. De Sacramentis.
VII. De legibus.
VIII. De gratia.
IX. De fide, spe, charitate ac virtutibus.
X. De peccato.

Ex quibus tribus jam tomis explicati sunt quatuor, reliqui sex non perinde tomis complectendi totidem, sed pluribus, paucioribusve pro argumenti copia supersunt.

Sed jam tempus est ut præfari desinam et ad operis ipsius inspectionem lectores meos cum bona pace dimittam, si præter hæc, quæ dixi hactenus, unum eos admonuero, ut si quid in tanta mole librorum reprehensione dignum notaverint, utrosque nos, et qui scripsi me, et seipsos qui legunt, homines esse recordentur, atque illud cujusquemodi est, pro indicto a me jam haberi sciant, præsertim si quid invito utique et aliud agenti mihi ab christianæ norma fidei, hoc est a catholicæ et Romanæ Ecclesiæ placitis alienum excidit.

DIONYSII PETAVII

AURELIANENSIS

E SOCIETATE JESU

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER PRIMUS

IN QUO DE DEI ESSENTIA EJUSQUE PROPRIETATIBUS GENERATIM AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

Deum esse variis argumentis ostenditur, ac primum communibus et popularibus. Sed ante cur id probare oporteat exponitur. Prima ratio ex mundi ejusque partium contemplatione ducitur, de quo Athanasii pulchra disputatio proponitur, tum Patrum aliorum, necnon gentilium philosophorum testimonia. Communes et naturales notiones esse certissimas mundum ab intelligente causa procreatum et ordinatum videri.

I. Quod et communis ratio intelligentiaque dictat, et in primo *de Monarchia* libro recte a Philone Judæo proditum est, hoc ego libri hujus atque operis initio præfatus, summam eorum quæ deinceps explicanda sunt, brevi ita complectar. « Cum sit, ait ille, parentis omnium ac moderatoris conjectura comprehensioque difficilis, neque tamen propterea segnius in illius inquisitionem incumbere oporteat, tum duo quædam in iis quæstionibus quæ de Deo instituuntur, dubitationem afferunt eorum animis qui sincere philosophantur, alterum an sit Deus, propter eos qui esse ullum negantes, impietatis genus suscipiunt longe omnium maximum; alterum quid sit in substantia sua[a].» Ita duo nobis hoc loco debent esse proposita, ut et Deum esse demonstremus aliquem atque eumdem unicum, et natura ejus ac proprietates quæ sint utcumque declaremus : « Quorum prius non magnus, ut idem ait, labor est videre, posterius non solum difficile est, sed fortassis etiam impossibile. Tamen utrumque considerandum est[b]. » Ac de secundo quidem pluribus postea. De priore autem in-

a Philo. lib. I. *de Monar.* Δυστόπαστος μὲν οὖν, καὶ δυσκατάληπτος ὁ πατὴρ, καὶ ἡγεμὼν τῶν συμπάντων ἐστίν· ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτο ἀποκνητέον τὴν ζήτησιν αὐτοῦ· δύο δὲ ἐν ταῖς περὶ Θεοῦ ζητήσεσι τὰ ἀνωτάτω ταῦτα ἐπαπορεῖ ἡ διάνοια τοῦ φιλοσοφοῦντος ἀνόθως· ἓν μὲν, εἰ ἔστι τὸ θεῖον, ἕνεκα τῶν ἐπιτηδευσάντων ἀθεότητα κακιῶν τὴν μεγίστην. ἕτερον δὲ τὸ, τί ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν.

b Ibid. Τὸ μὲν οὖν πρότερον οὐ πολὺς πόνος ἰδεῖν· τὸ δὲ δεύτερον, οὐ χαλεπὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἴσως ἀδύνατον· ἐπισκεπτέον δὲ ἑκάτερα.

gressis dicere, ille primum menti nostræ scrupulus injicitur.

An Dei existentiam probare conveniat.

Etenim Deum esse aliquem probare, meliusne sit quam de eo ne disputare quidem merito dubitari potest. Nam et iis quæ prima omnium et per se nota sunt, sine argumentatione assentimur ulla, cujusmodi sunt prima principia cæteraque quorum communis in natura est informata notio, quam Græci πρόληψιν appellant. Quæ neque negantur ab ullo sano homine ac sobrio, et ut negare quisquam audeat, nulla persuadendis iis potest adhiberi probatio. « Principia enim, ut ex Aristotele Hugo Etherianus refert, in unoquoque genere ea dicuntur, quæ quoniam sunt, non convenit demonstrare[1]. » Quod in primo *Topicorum* expressius his verbis docet philosophus de principiis agens : « Sunt autem vera, inquit, et prima, quæ non ab aliis, sed a seipsis fidem habent. Neque enim in scientiarum principiis quærenda quamobrem sint ratio est, sed unumquodque principium ipsum per se esse fide dignum oportet [a]. » Atqui tale illud videtur, esse Deum : « Quod qui dubitat, ait Cicero, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit, » quippe ut paulo ante dixerat, « quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis quo hæc regantur[2] ? »

ræsump-onem.

II. Quamobrem si est adeo perspicuum exploratumque esse Deum, minime in eo elaborandum videtur, ut esse probetur. Vere enim Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon* scripsit : « Quæ aperta et in propatulo posita sunt, de his nullam esse quæstionem, velut cum dies est, utrum dies sit[b]. » Addit deinde « quæstionum alias sensu opus habere, ut si quærat aliquis, an sit ignis calidus, aut nix alba : alias admonitione et increpatione, ut ait Aristoteles, velut est ista percontatio, an parentes honorare oportet : quasdam etiam pœnam mereri, cujusmodi est illa, demonstrari sibi petere esse providentiam[c]. » Atque idem merito « disputationem illam, quæ de Deo suscipitur, tractatu esse difficillimam ait. Nam cum omnis rei principium investigare difficile est, tum vero primum et antiquissimum omnium principium omnino ad demonstrandum difficillimum est, quod et cæteris omnibus causa est ut producantur et producta consistant[d]. » Quare vel hac de causa, ne adeo difficilem nobis provinciam imponamus, ut illud ipsum ratione demonstrare conemur, omittendum id fuisse potius jure potest existimari.

Accedit quod, ut Aristoteles de natura loquens, « ridiculum putat eam esse demonstrare velle. Manifestum est enim eorum quæ sunt ejusmodi esse multa, quæ natura administrantur. Porro quæ manifesta sunt per obscura demonstrare, illius est qui quid per sese aut non per sese perspicuum sit dijudicare non potest[e].» Quod si vel adeo evidens non putatur ut probari non debeat, esse Deum, vel attingi quoquo modo disputationem hanc oporteat, certe alterius hoc munus esse demonstrare quam theologi judicabit aliquis, propterea quod rei circa quam versatur, existentiam nulla scientia probare potest; quin eam ut concessam accipit, qua sublata non modo tueri scientiæ nomen, sed ne ipsa quidem omnino in rerum natura potest consistere.

III. Verum hæc iisque similia tum nos commoverent, si probationum id genus ageretur quod ex antecedentibus et prioribus ducitur, ac demonstrationem et scientiam parit. Ejusmodi enim locum in Deo non habent, quo-

a Aristot. I *Topic.* cap. I. Ἔστι δὲ, ἀληθῆ μὲν καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν. Οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι τὸ διὰ τί· ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστήν.

b Clem. lib. V *Stromat.* Ἴσμεν δὲ ὡς ἄρα οὔτε τὰ φανερὰ ζητεῖται· οἷον εἰ ἡμέρα ἐστὶν, ἡμέρας οὔσης.

c Ibid. Πάλιν τῶν ζητημάτων ἃ μὲν αἰσθήσεως δεῖται, οἷον, ἐὰν ζητῇ τις εἰ τὸ πῦρ θερμὸν, ἢ ἡ χιὼν λευκή· τινὰ δὲ νουθεσίας, καὶ ἐπιπλήξεως, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης· ὡς τὸ ἐρώτημα ἐκεῖνο, εἰ χρὴ γονεῖς τιμᾶν· ἔστιν δὲ ἃ καὶ κολάσεως ἄξια· ὁποῖόν ἐστι τὸ αἰτεῖν ἀποδείξεις εἰ πρόνοιά ἐστι.

d Ibid. Ναὶ μὴν ὁ δυσμεταχειριστότατος περὶ Θεοῦ λόγος οὗτός ἐστιν· ἐπεὶ γὰρ ἀρχὴ παντὸς πράγματος δυσεύρετος, πάντως που ἡ πρώτη καὶ πρεσβυτάτη ἀρχὴ δύσδεικτος· ἥ τις καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν αἰτία τοῦ γενέσθαι, καὶ γενομένους εἶναι.

e Arist. II *Physic.* cap. I, text. 6. Ὡς δ' ἐστὶν ἡ φύσις, πειρᾶσθαι δεικνῦναι γελοῖον· φανερὸν γὰρ ὅτι τοιαῦτα τῶν ὄντων ἐστὶ πολλά· τὸ δὲ δεικνῦναι τὰ φανερὰ διὰ τῶν ἀφανῶν, οὐ δυναμένου κρίνειν ἐστὶ τὸ δι' αὐτὸ, καὶ μὴ δι' αὐτὸ γνώριμον.

1 Lib. I. c. IV. — 2 Lib. II. *de Nat. deorum.*

niam ut recte scribit Athanasius « divinitas non demonstratione rationum traditur, sed fide et pia cogitatione cum religione[a]. » Nihilominus ex effectis et iis quæ posteriora sunt, atque etiam iis ex incommodis et absurdis quæ in contradicentium parte altera cernuntur, argumenta licet colligere quibus Deus esse monstretur. Nam et quod ex Aristotele propositum est, naturam esse monstrare velle ridiculum videri, eodem modo est intelligendum. Etenim quod ibidem ille prodidit, non deerunt qui hoc ipsum quod adeo perspicuum est, negent esse naturam, idque ratione demonstrari sibi postulent, uti si cæcus ab origine sua colores esse probari velit. Ut igitur cæco isti probabilibus aliquot signis et argumentis *a posteriori*, ut aiunt, petitis, colores esse suadebimus, sic de Deo licet idem dubitanti aut neganti facere. Quem quidem existere quod esse per se notum et perspicuum dicitur, ut neque persuaderi necesse sit et evidentius fieri ratione ulla nequeat, vellem ita ut ex se est mortalibus esset omnibus evidens, et eos ad assensionem sui abundantia quadam perspicuitatis cogeret. At longe aliter res habet. Nam et complures ex antiquitatis repetuntur memoria qui divinitatem funditus negarunt*. E quibus istos recenset Sextus Empiricus[1], Diagoram Melium, Prodicum Ceum, Euhemerum, Critiam, Theodorum cognomento Atheum, Protagoram Abderitam, Epicurum. Nonnullos ex his in primo *de Natura deorum* Cicero. Qui et illud sub Cottæ persona, quod Velleius Epicurus attulit, inficiari non dubitat : « Omnium gentium generumque hominibus ita videri esse deos. » Tum ita perorat : « Equidem arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. » Utinam vel nostris temporibus nulli sint, de quibus « videatur prædixisse Propheta: *Dixit stultus in corde suo: Non est Deus*[2]! ait Augustinus. Sed sunt eruntque perpetuo, nec eo minus formidandi, quod non palam ac præ se, ut illi veteres, istud ferunt, sed eo cavendi magis, quod tecti occultique sunt ac majori impunitate grassantur.

Deum esse demonstrare convenit.

IV. Merito igitur a sanctis Patribus ac theologis, qui hominem communibus tantum naturæ notionibus instructum ad christianam fidem inducere studerent, argumenta quæsita sunt, quibus et Deum esse quempiam adstruerent, et eumdem unum esse non plures. Quæ nos capita duo paucis operis hujus initio pertractabimus, rationibusque iis utemur, quæ ab iisdem illis quos sequimur vetustis auctoribus allatæ sunt, ad quas e profanis, si usus ferat, alias adjungemus. Atque illæ quidem omnes non idcirco contemnendæ erunt, quia singulæ non necessario et ἀποδεικτικῶς evincunt, neque ex anterioribus, primisque sunt petitæ, sed eo magni faciendæ, quia collectæ in unum et coacervatæ necessariam propemodum fidem faciunt apud eos, qui et sui compotes sunt, et rationis habent aliquid ac judicii. Etenim probationes illæ, quibus prudens assensio nititur, quas *morales* ideo vocant, quod ad gubernandos mores adhibentur, plerumque non minus certam in suo genere fidem faciunt, quam in rebus naturalibus aut mathematicis demonstrationes quamlibet exactæ. Ex quibus nulla tam perspicuæ veritatis oritur conclusio, quam non humani ingenii solertia plausibili aliqua ratione pervertere ac dedocere possit. Itaque non defuerunt philosophi, qui trita sensibus ac pervagata naturæ principia vel simpliciter negarent, vel disputando labefactarent. Nivem ecce non candidam, sed nigram esse dixerunt aliqui. Alii motum in rebus esse nullum, quietem funditus alii sustulerunt. Alii haud paulo etiam intolerabiliora et ab communi remotiora sensu præ se tulerunt, iique non vulgares in philosophiæ studio, sed ejus disciplinæ omnium opinione principes. Quo

Demonstrative.

a Athan. *ad Serap.* Ἡ γὰρ θεότης οὐκ ἐν ἀποδείξει λόγων, ὥσπερ εἴρηται, παραδίδοται, ἀλλ' ἐν πίστει, καὶ εὐσεβεῖ λογισμῷ μετ' εὐλαβείας.

* Quid de hac historica affirmatione universim, aut quid de singulis quod Petavius laudat, existimandum speciatim sit, erudite quærit, eaque solertia Cudworthus (*Syst. intellect.* capp. II-V.) expendit ut merito in votis quidquam habeas. Neque tamen ab re fuerit compendio recolere, penes Græcos Latinosque obtinuisse, ut *atheorum* nomine comprehenderentur tum qui viderentur omnem e medio Divinitatem tollere, tum qui populares theogonias, vulgaresque de diis opiniones inficiarentur. Quo factum est ut teterrimo atheorum stigmate ipsi quoque christiani inurerentur. Testimonia quæ huc faciunt, magno numero collecta dabunt Hulderich (*Gentilis obtrectator*, pp. 176 et seqq.); Lange (*Exposit. argumentorum, quibus Patres apolog. religionem christ. a culpa atheismi ei objecta defenderunt*) et Flugge in op. *Vers. einer Gesch. c. th. Wiss.* I, p. 24 B. R.

[1] Lib. VIII, *cont. Mathem.* p. 317.— [2] Lib. III. *cont. Petil.* c. XXI.

nos æquiores oportet esse priscis illis theologis ac fidei magistris, qui sic et Deum esse, et unum eumdem ratiocinando probarunt, ut non omnibus persuaserint. Sed jam horum argumenta referamus, quæ quidem in duplici sunt genere. Unum est populare et a sensibus petitum, vulgi aptum judiciis, alterum paulo magis reconditum est et elegans. Utrumque non ab nostris tantummodo, hoc est christianis tractatum, sed etiam exteris ac gentilibus scriptoribus; quod ex communi ambobus fonte, hoc est naturæ et rationis humanæ luce ducuntur.

Communibus et popularibus argumentis Deum esse ostenditur 1° ex mundi partiumque ejus contemplatione.

V. Primo in genere maxime usitatum illud est argumentum quod ex universitatis aspectu, et ex ejus partium descriptione, ac rata et constanti illius administratione sumitur. « Habet enim, ut recte Tertullianus ait, Deus testimonia totum hoc quod sumus, et in quo sumus [1]. » Atque ut initio a me ille laudatus Philo Judæus in primo *de Monarchia* scribit : « Cognoscendorum opificum indicia sunt semper opera ipsa. Quis enim statim atque statuas picturasve conspexit, non statim de statuario vel pictore cogitavit? Ecquis vestes, naves aut ædes intuens, non subinde textorem, et navium fabrum, et architectum intelligit? Ac si quis in civitatem veniat legibus optime constitutam, quid aliud suspicabitur, nisi regi ab optimis magistratibus illam ipsam civitatem. Quamobrem qui in hanc revera magnam introierit civitatem, mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit montanam campestremque regionem animantibus refertam ac stirpibus et fluviis ingenuis ac torrentibus, pabula item et reciprocationes marium, aeris temperiem, annuarum tempestatum conversiones, deinde solem et lunam diei noctisque moderatores, ac cæterorum errantium fixorumque siderum et cœli totius in orbem agitationes et choreas, nonne verisimiliter aut potius necessario de patre et conditore nec non rectore cogitabit [a]? »

Hinc ut ex Platone in *Phædone* scribit Asclepius Aristotelis interpres in primum *Metaphysicorum :* « Ex videndi sensu philosophiam homines acceperunt. Cum enim in cœlum oculos sustulissent et ordinem qui illic est, et inexplicabilem pulchritudinem contemplati essent, ad conditoris intelligentiam pervenerunt [b]. » Siquidem mundus ipse, ait Augustinus, « ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus et factum se esse et nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat [2]. » Quod genus argumenti præclare inter nostros, eleganterque tractavit Athanasius in libro *contra Gentiles*, cujus orationis, quia est paulo diffusior, hic summa capita libabimus.

Pluchra Athanasii disputatio.

Deum ait [3], qui natura bonus est, et hominum amans, cum per se sub aspectum comprehensionemque non caderet, noluisse tamen cognitionis expers suæ genus humanum relinquere, sed ex operibus se suis permisisse cognosci. Nam ex operibus sæpe artifex, etiam absens, neque visus agnoscitur, cujusmodi aliquid de Phidia insigni statuario proditum est, quem aiunt ex operum suorum dimensione ac proportione partium et elegantia, apud omnes ibi ubi non erat innotuisse. Sic igitur ex mundi ordine et gubernatione, ejus opifex Deus et conditor intelligitur, etsi corporis oculis usurpari nequeat. Quod ipsum tradidisse Paulum apostolum cum ad Romanos [4] scribentem tum in *Actis* apud Lycaonas verba facientem [5]. « Ecquis vero est, inquit, qui cœlestem orbem intuens, ac solis lunæque cursus et reliquorum situs conversionesque siderum, quæ tametsi inter se differunt, eumdem tamen ordinem sine ulla varietate retinent, non statim intelli-

a Philo, p. 629. Ἀεὶ γνωρίσματα τῶν δημιουργῶν πέφυκέ πως εἶναι τὰ δημιουργηθέντα. τίς γὰρ ἀνδριάντας, ἢ γραφὰς θεασάμενος οὐκ εὐθὺς ἐνόησεν ἀνδριαντοποιὸν, ἢ ζωγράφον ; τίς δὲ ἐσθῆτας, ἢ ναῦς, ἢ οἰκίας ἰδών, οὐκ ἔννοιαν ἔλαβεν ὑφάντου, καὶ ναυπηγοῦ, καὶ οἰκοδόμου ; παρελθὼν δέ τις εἰς πόλιν εὔνομον, ἐν ᾗ τὰ τῆς πολιτείας σφόδρα καλῶς κεκόσμηται, τί ἕτερον ὑπολήψεται, ἢ ὅτι κρατεῖται ἥδε ἡ πόλις ὑπ' ἀρχόντων ἀγαθῶν ; τὸν οὖν ἀφικόμενον ἀληθῶς εἰς τὴν μεγαλόπολιν τὸν κόσμον, καὶ θεασάμενος γῆν ὀρεινὴν, καὶ πεδιάδα πλήθουσαν ζώων καὶ φυτῶν, καὶ ποταμῶν αὐθιγενῶν, καὶ χειμάῤῥων, τροφὰς, καὶ πελαγῶν ἀναχύσεις, εὐκρασίαν ἀέρος, τῶν ἐτησίων ὡρῶν τροπάς· εἶτα ἥλιον, καὶ σελήνην τοὺς ἡμέρας, καὶ νυκτὸς ἡγεμόνας, καὶ τὰς τῶν ἄλλων πλανήτων τε, καὶ ἀπλανῶν, καὶ τοῦ σύμπαντος οὐρανοῦ περιπολήσεις, καὶ χορείας, ουκ εἰκότως, μᾶλλον δὲ ἀναγκαίως ἔννοιαν λήψεσθαι δεῖ τοῦ πατρὸς, καὶ ποιητοῦ, καὶ προσέτι ἡγεμόνος ;

b Asclep. Ἐπειδὴ, ὥς φησὶν ἐν τῷ Φαίδωνι, διὰ ταύτης τῆς αἰσθήσεως τὸ τῆς φιλοσοφίας ἐπορισάμεθα γένος· ἀτενίσαντες γὰρ εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ θεωροῦντες τὴν τάξιν, καὶ τὸ ἄῤῥητον κάλλος, ἐρχόμεθα εἰς ἔννοιαν τοῦ δημιουργήσαντος.

1 Lib. I. *cont. Marc.* c. x. — 2 Lib. II. *de Civit.*, c. iv. — 3 Ath. p. 29. — 4 Cap. I. — 5 Cap. xiv.

git, non a seipsis illa regi, sed esse alterum, qui hæc moderetur et contineat auctorem eorum et opificem? Quis orientem per diem solem aspiciens, et splendentem nocte lunam eamdemque paribus semper interjectis spatiis incrementa ac decrementa capientem, tum stellarum alias discurrentes miraque varietate cursus suos peragentes, alias citra evagationem constanti agitatione conversas non aliquem essesentiat, qui iis præsit, a quo sunt condita[a]? »

VI. Addit inferiorem contemplationem mundi partium Athanasius, velut elementorum contrarias inter se qualitates et efficientias, annuarumque tempestatum quæ admirabili, et nunquam interrupta vicissitudine decedunt invicem. Tum perennem terræ fecunditatem quæ, ut Ciceronis verbis utar, « locata cernitur in media mundi sede, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus[1]. » Ad hæc dissimilium contrariarumque rerum, ex quibus inferior hic potissimum mundus texitur, concentum et harmoniam cujus tanta vis est, ut etsi contrariis ac perpetuo secum pugnantibus qualitatibus naturisque constent ac se invicem infestent, perseverent tamen in omnem temporum longinquitatem, nec altera consumat alteram et extinguat. « Atqui fieri non posset, ait idem Athanasius, ut ista omnia invicem confligentia et contraria in unum sese agerent, nisi præstantior aliquis esset et summus moderator ac dominus qui ea sociaret, cui et elementa ipsa, velut hero famuli, ad nutum obtemperarent ac cederent[b]. » Quod nisi esset, pergit idem subinde

Ornatus. dicere : « Non jam κόσμος, id est mundus, sed ἀκοσμία, *confusio;* non ordo, sed perturbatio; non compositio et coagmentatio, sed incondita moles; non modus ac mensura, sed immoderatio cerneretur[c]. » Cum igitur tanta sit rerum non modo diversarum, sed etiam inimicissimarum, consentiens et continuata temperatio « Necesse est cogitari aliquem animoque percipi dominum, qui in unum ista coegerit ac devinxerit, atque ad societatem et concordiam adduxerit. Qui tametsi non videtur oculis, ex ordine tamen et dissidentium invicem rerum ac sibi multum adversantium colligatione cognoscitur. Nam ut civitatem amplam ac magnificam si quis videat ex immensa hominum multitudine collectam, quorum non unus habitus sit ac conditio, sed alii pusilli sint aut magni, alii divites aut egentes, senes item ac juvenes, mares et feminæ, eosdemque omnes animadvertat recte atque ordine vivere inter se summa pace et concordia, ut neque divites contra pauperes insurgant, neque magni contra pusillos, neque adversus senes adolescentes, sed juris inter se æqualitatem constanter teneant, hæc, inquam, si viderimus, statim cogitabimus adesse ibi principem aliquem qui hanc tranquillitatem publicæ pacis administret, etsi nondum oculis eum nostris adspexerimus; propterea quod et ordinis perturbatio nullum esse, qui præsit, indicio est, et ordo ipse gubernatorem ostendit. Sic dum in corpore membrorum inter se concordiam videmus, in quo neque oculus cum aure pugnat, neque manus a pede dissidet, sed unumquodque citra dissensionem, munere suo et officio fungitur; ex eo prorsus intelligimus, animam in illo inesse corpore, quæ hæc omnia moderetur, quamvis oculis ea non sit exposita. Sic ex universitatis ordine ac concentu, principem et administratorem intelligi necesse est Deum.[d] » Hæc et plura iis Athanasius, quibus

a ATHAN. p. 30. Τίς γὰρ ὁρῶν τὸν ουρανοῦ κύκλον καὶ τὸν δρόμον ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τὰς θέσεις, καὶ τας περιπολήσεις, ἐναντέας μὲν, κα διαφόρους γινομένας, ἐν δὲ τῇ διαφορᾷ ὁμοίαν τὴν τάξιν παρὰ πάντων ὁμοῦ σωζομένην, οὐκ ἐνθυμεῖται, ὅτι οὐκ αὐτὰ ἑαυτὰ, ἀλλ' ἕτερός ἐστιν ὁ διασκοσμῶν αὐτὰ ποιητής; τίς δὲ ὁρῶν ἥλιον ἀνατέλλοντα καθ' ἡμέραν, σελήνην δὲ φαίνουσαν κατὰ νύκτα, καὶ φθίνουσαν, καὶ πληρουμένην ἀπαραλλάκτως κατὰ τὸν τῶν ἡμέρων ἴσον πάντως ἀριθμόν· καὶ τῶν ἄστρων τὰ μὲν διατρέχοντα, καὶ ποικίλως ἐναλλάττοντα τοὺς δρόμους, τὰ δὲ ἀπλανῶς κινούμενα, οὐκ ἂν ἔννοιαν λάβοι ὅτι πάντως ἐστὶν ὁ κυβερνῶν αυτὰ δημιουργός;

b ATHANAS. *cont Gent.* p. 31. Οὐκ ἂν οὖν μαχόμενα, καὶ ἐναντία ὄντα τῇ φύσει ἑαυτὰ συνήγαγον, εἰ μὴ κρείττων ἦν καὶ κύριος ὁ συνδήσας αὐτά· ᾧ καὶ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα ὥσπερ δοῦλα δεσπότου ὑπακούοντα εἴκει, καὶ πείθεται.

c Ibid. Λοιπὸν ἦν ἰδεῖν οὐκέτι κόσμον, ἀλλ' ἀκοσμίαν. οὐκέτι τάξιν, ἀλλ' ἀταξίαν· οὐκέτι σύστασιν, ἀλλ' ἀσύστατον ὅλον· οὐκέτι μέτρα, ἀλλ' ἀμετρίαν.

d Ibid. p. 32. Ἀνάγκη λογίζεσθαι, καὶ λαμβάνειν ἔννοιαν τῶν παῦτα συναγαγόντος, καὶ συσφίγξαντος, καὶ συμφωνίαν ἐργαζομένου πρὸς αὐτὰ δεσπότου· κἂν γὰρ μὴ τοῖς ὀφθαλμοῖς ὁρᾶται, ἀλλ' ἀπὸ τῆς τάξεως, καὶ συμφωνίας τῶν ἐναντίων, ἐννοεῖν ἐστι τὸν τούτων ἄρχοντα, καὶ κοσμήτορα, καὶ βασιλέα. ὥσπερ γὰρ πόλιν ἐκ πολλῶν, καὶ διαφόρων ἀνθρώπων συνεστῶσαν μικρῶν, καὶ μεγάλων, καὶ πλουσίων, καὶ πενήτων, καὶ πάλιν γερόντων, καὶ νεωτέρων, καὶ ἀῤῥένων, καὶ θηλειῶν εἰ θεωρήσαιμεν ευτάκτως οἰκουμένην· καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ διαφόρους μὲν ὄντας, ὁμονοοῦντας δὲ πρὸς ἑαυτοὺς, καὶ μήτε τοὺς πλουσίους κατὰ

1 Lib. II. *de Natur. deor.*

apud Ciceronem similia leguntur in secundo *de Natura deorum.*

Item aliorum Patrum.

VII. Brevius Gregorius Nazianzenus oratione quarta et tricesima sic illa omnia complexus est : « Etenim quod Deus sit, inquit, ac princeps quædam causa quæ res omnes procrearit atque conservet, cum oculi ipsi, tum lex naturalis docet, illi dum in res aspectabiles intendunt, easque et pulchre fixas et stabiles esse, et progredi atque immote, ut ita dicam, moveri volvique perspiciunt. Hæc autem dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum conjectura quadam colligit et assequitur. Quonam enim modo universa rerum hæc moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset atque conservaret ? Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime videns elaboratam ejusque concinnitatem et ordinatam dispositionem aut etiam citharæ cantum ipsius audiens, nihil aliud quam ipsum citharæ fabricatorem ac citharœdum cogitabit, et ad ipsum recurret animo, etiamsi de facie minime cognoscat ; sic etiam nobis eorum quæ condita sunt artifex eaque movens et conservans causa manifesta est, tametsi mente non comprehendatur. Ac nimis profecto hebes et stolidus est qui non hucusque sponte progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigia sequitur[a]. »

Justinus quoque, sive quis alius auctor *Quæstionum* Græcorum interroganti* : « Unde notum sit esse Deum aliquem, respondet, ex rerum quæ extant constitutione et perseveranti diuturnitate id intelligi. Non enim extarent ea quæ extant, nisi ante hæc Deus extitisset, qui partes creaturæ omnes utiliter ex usu et commodo universæ creaturæ ordinavit[b]. »

Quæ paulo fusius explicat Joannes Damascenus in primo *de Fide orthodoxa* [1], ubi eadem perstringit quæ ab Athanasio et Gregorio prodita sunt de contrariis mundi partibus miro inter se artificio commistis et temperatis et ad perpetuitatem conservatis in tanto earum conflictu ac vicissitudine, quæ nec a se ipsa fieri, neque casu ac fortuito congregari, nec sine præsidente moderanteque superiore aliqua vi perseverare poterant. Ejusdemmodi et apud Augustinum leguntur, maxime in decimo *Confessionum* [2] et in octavo *de Civitate Dei* [3], necnon in XI capite quarto. Gregorius item Nyssenus eum qui divinitatem neget, ex iis convincendum instituendumque docet « Quæ artificiose ac sapienter administrantur in mundo, ut inde vim esse aliquam agnoscat in illis apparentem omniumque supremam[c]. » Eleganter Augustinus [4] homines eos qui quæ sensibus non attractant, ea nolunt credere, præsertim Deum qui non oculis, sed ex operibus videtur, irridet sic : « Non video, inquit.

τῶν πενήτων, μήτε τοὺς μεγάλους κατὰ τῶν μίκρων, μήτε τοὺς νέους κατὰ τῶν γερόντων γινομένους· ἀλλὰ πάντας κατὰ τὴν ἰσομοιρίαν εἰρηνεύοντας· εἰ ταῦτα βλέποιμεν πάντως ἐννοοῦμεν, ὅτι ἄρχοντος παρουσία τὴν ὁμονοίαν πρυτανεύει, κἂν μὴ ὁρῶμεν αὐτόν· ἡ μὲν γὰρ ἀταξία ἀναρχίας ἐστι γνωρίσμα· ἡ δὲ τάξις τὸν ἡγεμονεύοντα δείκνυσι· καὶ γὰρ τὴν ἐν τῷ σώματι τῶν μελῶν συμφωνίαν ὁρῶντες, ὅτι οὐ μάχεται ὁ ὀφθαλμὸς τῇ ἀκοῇ, ουδὲ ἡ χεὶρ τῷ ποδὶ στασιάζει· ἀλλ' ἕκαστον τὴν ἰδίαν ἀποτελεῖ χρείαν ἀστασιάστως, ἐννοοῦμεν ἐκ τούτου πάντως εἶναι ψυχὴν ἐν τῷ σώματι, τὴν τούτων ἡγεμονεύουσαν κἂν μὴ βλέπωμεν αὐτήν· οὕτως ἐν τῇ τοῦ παντὸς τάξει, καὶ ἁρμονίᾳ τὸν τοῦ παντὸς νοεῖν ἡγεμόνα ἀναγκηθέον.

a NAZ. orat. XXXIV. Τοῦ μὲν γὰρ εἶναι Θέον, καὶ τὴν πάντων ποιητικὴν, καὶ τὴν συνεκτικὴν αἰτίαν, καὶ ὄψις διδάσκαλος, καὶ ὁ φυσικὸς νόμος· ἡ μὲν τοῖς ὁρωμένοις προσβάλλουσα, καὶ πεπηγόσι καλῶς, καὶ ὁδεύουσι, καὶ ἀκινήτως, ἵν' οὕτως εἴπω, κινουμένοις, καὶ φερομένοις. ὁ δὲ διὰ τῶν ὁρωμένων καὶ τεταγμένων τὸν ἀρχηγὸν τούτων συλλογιζόμενος· πῶς γὰρ ἂν καὶ ὑπέστη τόδε τὸ πᾶν, ἢ συνέστη, μὴ Θεοῦ τὰ πάντα καὶ ουσιώσαντος, καὶ συνέχοντος ; ουδὲ γὰρ κιθάραν τις ὁρῶν κάλλιστα ἠσκημένην, καὶ τὴν ταύτης εὐαρμοστίαν, καὶ εὐταξίαν, ἢ τῆς κιθαρῳδίας αὐτῆς ἀκούων, ἄλλο τι ἢ τὸν τῆς κιθάρας δημιουργὸν, καὶ τὸν κιθαρῳδὸν ἐννοήσει, καὶ πρὸς αυτὸν ἀναδραμεῖται τῇ διανοίᾳ, κἂν ἀγνοῶν τύχῃ ταῖς ὄψεσιν· οὕτω καὶ ἡμῖν τὸ ποιητικὸν δῆλον, καὶ τὸ κινοῦν, καὶ τηροῦν τὰ πεποιημένα, κἂν μὴ διανοίᾳ περιλαμβάνεται· καὶ λίαν ἀγνώμων ὁ μὴ μέχρι τούτων προϊὼν ἑκουσίως, καὶ ταῖς φυσικαῖς ἑπόμενος ἀποδείξεσιν.

b JUSTIN. *Quæst.* 3. Πόθεν δῆλον εἰ ὅλως ἐστὶ Θεός ; Ἀπόκρισις. Ἐκ τῆς τῶν ὄντων συστάσεώς τε, καὶ διαμονῆς· οὐ γὰρ ἂν ἦν τὰ ὄντα, μὴ τοῦ Θεοῦ προϋπάρχοντος αὐτῶν· καὶ πάντα τὰ μέρη τῆς κτίσεως χρειωδῶς πρὸς λυσιτέλσιαν τῆς ὅλης κτίσεως ὑποστησαμένου.

c GREG. Nyss. in præfat. orat. cat. Εἰ μὲν οὖν μὴ εἶναι λέγει, ἐκ τῶν τεχνικῶς, καὶ σοφῶς κατὰ τὸν κόσμον οἰκονομουμένων προσαχθήσεται πρὸς τὸ διὰ τούτων εἶναί τινα δύναμιν, τὴν ἐν τούτοις διαδεικνυμένην, τοῦ παντὸς ὑπερκειμένην ὁμολογήσας.

* Viris eruditis exploratissimum est, Justino tribui nullatenus posse sive Ἐρωτήσεις χριστιανικάς πρὸς τοὺς Ἕλληνας, sive Ἐρωτήσεις ἑλληνικὰς πρὸς τοὺς χριστιανούς. E. R.

1 Cap. III. — 2. Cap. VI. — 3 Cap. VI. — 4 In *Psal.* LXXIII, pag. 332. B. II.

Quid crediturus sum? Anima enim tua videtur? Ut opinor stulte, corpus tuum videtur, animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Miratur quia dixi : Si corpus tantum videtur, quare non sepeliris? Et respondet, sapit enim adhuc : Quia vivo. Unde scio quia vivis, cujus animam non video? Unde scio? Respondebis, Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte, ex operibus corporis agnosco viventem, ex operibus creaturæ non potes agnoscere creatorem? » Ex iisdem naturæ operumque Dei vestigiis Deum cognosci canit Prosper initio libri de providentia.

VIII. Vide et Titum Bostrensem sub finem libri secundi *contra Manichæos*, et Tertullianum qui in primo *contra Marcionem* ignotum hujus hæretici nescio quem Deum, et universitatis creatori contrarium nullum esse probat ex eo quod nihil omnino externi operis ediderit, non illum aspectabilem procreaverit mundum, cujus tantus est decor, tam ordinata et apte contexta series, ut ei apud Græcos ornamenti et cultus nomen inditum fuerit. Id enim est κόσμος. Quem qui moliri tam exquisito artificio et coagmentare potuit, is profecto Deus sit, quo nullus melior aut sapientior sit habendus. Etenim tantam operis illius esse majestatem et præstantiam « Ut ejus substantias ipsi illi sapientiæ professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, deos pronuntiaverint[1], ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aerem, ut Anaximander universa cœlestia, ut Strato cœlum et terram, ut Zeno aerem et ætherem, ut Plato sidera, quæ genus deorum igneum appellat cum de mundo. Considerans scilicet et magnitudinem et vim et potestatem et honorem et decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis reficiendisque conspirant, ut plerique physicorum formidaverunt initium ac finem mundo dare, ne substantiæ ejus, tantæ scilicet, minus Dei haberentur. » Post per partes contemplans singulas, et jam illa quæ minima putantur et vilissima, plurimum admirabilitatis habere prædicat, ac conditorem sibi Deum, hoc est infinitam sapientiam ac potentiam defendere, ut « apis ædificia, formicæ stabula, aranei retia, bombycis stamina.» Postremo vel ipsum sibi hominem confitendæ Divinitatis argumentum esse posse, cujus adeo est corporis, ut de animo nihil dicam, excellens et artificiosa structura, ut et ea Galeno homini ethnico, ac de Deo minus commode sentienti celebrem illam et plane admirabilem sententiam expresserit, qua ex humani corporis dispositu ac situ et proportione partium, et earum elegantia atque opportunitatibus singularum, non alium quam Deum auctorem esse professus est, immensa et inexplicabili virtute solertia sapientia et potestate præditum[2]. De hoc argumento disserit Basilius ea qua solet facundia in homilia ad illud, *Attende tibi ipsi*, ubi corporis humani structuram eleganter describit, ex eaque Deum jubet agnosci, tametsi nullis discernatur sensibus : « Exacta, inquit, et diligens tui ipsius contemplatio idoneam tibi manuductionem præbebit ad Dei cognitionem. Nam si attenderis tibi ipsi, nihil opus habebis ex universitatis structura opificem indagare, sed in teipso, velut exiguo quodam mundo, magnam conditoris tui sapientiam intueberis. Corporis expertem intellige Deum ex anima ipsa quæ tibi inest corporis expers. Eumdem minime loco circumscriptum agnosce, quandoquidem ne tua mens quidem primario ac per se in loco moratur, sed propter conjunctionem cum corpore, in loco est. Invisibilem crede esse Deum, cum tuam animam considerabis. Nam et ipsa corporis oculis capi non potest[a]. »

IX. Iisdem creatarum rerum vestigiis et alii quoque gentiles philosophi ad Dei notitiam pervenerunt, ut in *epistola ad Romanos* Apostolus demonstrat, et nos pauca quædam nonnullorum exempla referemus. Platonem certe notum est, ex mundi conspectu et rerum constanti ac rata vicissitudine, præsertimque ex perpetuo cœlestium orbium motu Deum agnovisse, quem isto ipso argumento probat esse in decimo *de Legibus*, nec obscure idem et in — Gentilium philosophorum testimonia.

a Basil. tom. I, p. 352. Ὅλως δέ σοι ἡ ἀκριβὴς σεαυτοῦ κατανόησις αὐτάρκη παρέξει χειραγωγίαν, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν τοῦ Θεοῦ· ἐὰν γὰρ προσέχῃς σεαυτῷ, οὐδὲν δεήσῃ ἐκ τῆς τῶν ὅλων κατασκευῆς τὸν δημιουργὸν ἐξιχνεύειν· ἀλλ' ἐν σεαυτῷ, οἱονεὶ μικρῷ τινι κόσμῳ, τὴν μεγάλην κατόψει τοῦ κτίσαντός σε σοφίαν· ἀσώματον νόει τὸν Θεὸν ἐκ τῆς ἐνυπαρχούσης σοι ψυχῆς ἀσωμάτου, μὴ περιγραφόμενον ἐν τόπῳ· ἐπειδὴ οὐδὲ ὁ σὸς νοῦς προηγουμένην ἔχει τὴν ἐν τόπῳ διατριβήν· ἀλλὰ διὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα συναφείας ἐν τόπῳ γίνεται· ἀόρατον εἶναι τὸν Θεὸν πίστευε, τὴν σεαυτοῦ ψυχὴν ἐννοήσας· ἐπειδὴ καὶ αὐτὴ σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς ἄληπτός ἐστιν.

1 Tert. l. *cont. Marc.* c. XIII. — 2 Gal. III. *de Usu part.*

Timæo significat atque ubique, quod Proclus in primo et secundo *Commentariorum in Timæum* observat « causam omnium quæ in mundo sunt, ad supremum refert opificem[a]. » Ac de Platone memorabile est quod idem Proclus scripsit in secundo, cum ex illius sententia docet ad unam summamque causam omnia revocari, eo quod nihil fortunæ tribuat et casui, ut Epicurus omnino et ex parte Aristoteles instituunt. « Hoc enim, inquit, axioma (nempe ad unam causam omnia referri) ab Epicureis quidem plane cum ludibrio rejicitur, ut qui cœlum universum et divinissima quæque apparentium ex fortuito casu ortum capere dicunt. Aristotelici vero nomine tenus honorem illi deferunt. Nam asserunt quidem ab aliqua causa prorsus quod fit exsistere, verum idipsum quod sine causa est ad causam adscribunt, quando casum etiam inter causas numerant. Hoc ipsum enim est quod casus dicitur, causam non habens. At solus Plato Pythagoreos secutus, omne quod fit, ab aliqua causa dicit fieri, fatum ac Deum rebus quæ fiunt præficiens. Licet enim multa sint et dissipata quæ fiunt, atque ideo multis ex causis oriantur quarum aliæ aliam habent effectionem, est tamen una causa quæ agentes causas colligit et in unum cogit, ut ne quid frustra vel adventitium intrusumque sit in universo. Neque enim pravum quoddam genus gubernationis in ea quæ sunt invehendum. Sed unus sit dominator et unum omnium principium, una providentia et una series, rerumque connexio[b]. » Hæc Proclus, qui de Aristotele quod dicit deque casu ac fortuna ab illo in causarum seriem redactis perperam, non omnino probat. Potest enim Aristoteles facile defendi. Sed non est præsentis instituti. Hunc quidem constat simili methodo ac via qua Plato aliique usi sunt, ex rerum aspectabilium usu præcipueque cœlestium ex motu corporum ad unius moventis et moderantis ista Dei notitiam esse provectum, ut ex octavo *Physicorum* liquet.

Dio quoque Prusæus, cognomento Chrysostomus in oratione duodecima, fieri negat posse ut homines intellectu summæ Divinitatis careant « qui divinis magnisque luminibus undique collustrentur cœli atque siderum, solis item ac lunæ, haberentque usum noctis et diei, variarum et dissimilium formarum[c], etc.» Ubi et recte illos ait a Deo procul non abesse, sed ejus veluti medio collocatos, ab eo divelli non posse. Quod ex Arato poeta apud Athenienses Paulus expressit[1].

Epictetus item apud Arrianum eleganter ostendit, ut ex operibus arte elaboratis artificem agnoscimus, sic ex naturalibus Dei operibus ipsum a nobis intelligi auctorem omnium et conditorem.

Simplicius in *Commentariis ad Enchiridion* Epicteti similiter ex particularium bonorum multitudine ac varietate ad unum aliquod et singulare principium, velut fontem cæterorum et originem ascendit, de quo paulo post rursus agam.

X. Sextus Empiricus in octavo commentariorum *adversus Mathematicos*, eadem illa via ad divinitatis notitiam humanum pervenisse genus ex Aristotele refert : « Cum enim, ait, contemplati essent solem quidem interdiu circumeuntem, noctu vero ordinatum aliorum siderum motum, arbitrati sunt esse Deum aliquem motus illius et ordinis principium[d].» Ac deinde sic disputantes alios inducit : « Ut si quis in alto montis Idæ vertice sedens, Græco-

a Proclus 1. *in Tim.* Ὡς γὰρ ὁ Τίμαιος πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ τὴν αἰτίαν ἐπὶ τὸν πρώτιστον ἀνάγει δημιουργόν.

b Proclus 2. *in Tim.* Τοῦτο δὲ τὸ ἀξίωμα, τοῖς μὲν Ἐπικουρείοις καὶ πάντη προπηλάκισται, τὸν ὅλον οὐρανὸν, καὶ τὰ θειότατα τῶν φανερῶν ἀπὸ ταὐτόμοτου ποιοῦσι· τοῖς δὲ Ἀριστοτελικοῖς ὀνόματι μόνον αἰδοῦς ἠξίωται· λέγουσι μὲν γὰρ ὑπ' αἰτίου τινὸς γίγνεσθαι πάντως τὸ γιγνόμενον, ἀλλὰ τὸ αἴτιον τὸ ἀναίτιον λανθάνουσι ποιοῦντες, ὁπόταν καὶ τὸ αὐτόματον τοῖς αἰτίοις ἐγκαταλέγουσιν· αὐτὸ γὰρ τοῦτό ἐστι τὸ αὐτόματον τὸ ἀναίτιον· μόνος δὲ ὁ Πλάτων τοῖς Πυθαγορείοις ἑπόμενος πᾶν τὸ γιγνόμενον, ὑπ' αἰτίας γίγνεσθαί φησιν ὀρθῶς, εἱμαρμένην ἐπιστήσας τοῖς γιγνομένοις καὶ Θεὸν· κἂν γὰρ πολλὰ, καὶ διεσπαρμένα τὰ γιγνόμενα ᾖ, καὶ διὰ τοῦτο ἐκ πολλῶν αἰτίων γίγνηται, ἄλλων ἄλλως ποιούντων. ἀλλ' ἔστι μὲν ἕν αἴτιον, τῶν ποιούντων συναγωγὸν, καὶ συνακτικόν· ἵνα μηδὲν μάτην, μηδὲ ἐπεισοδιῶδες ᾖ τῷ παντί· οὐ γὰρ δεῖ τὰ ὄντα πολιτεύεσθαι κακῶς· ἀλλ' εἷς κοίρανος ἔστω, καὶ ἓν πάντων αἴτιον, καὶ μία πρόνοια, καὶ εἷς εἱρμός.

c Dio orat. Ἅτε γὰρ οὐ μακρὰν, οὐδ' ἔξω τοῦ θείου διῳκισμένοι, ἀλλὰ ἐν αὐτῷ μέσῳ πεφυκότες ἐκείνῳ, καὶ προσεχόμενοι πάντα τρόπον, οὐκ ἐδύναντο μέχρι πλειόνος ἀξύνετοι μένειν, ἄλλως τε ξύνεσιν καὶ λόγον εἰληφότες περὶ αὐτὴν, ἅτε δὴ περιλαμπόμενοι πάντοθεν θείοις, καὶ μεγάλοις φάσμασιν οὐρανοῦ τε, καὶ ἄστρων· ἔτι δὲ ἡλίου καὶ σελήνης, νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἐντυγχάνοντες ποικίλοις, καὶ ἀνομοίοις εἴδεσιν, ὄψεις τε ἀμηχάνους ὁρῶντες.

d Sextus Emp. Θεασάμενοι γὰρ μεθ' ἡμέραν μὲν ἥλιον

1 *Act.* XVII, 28-29.

rum videat exercitum decore, pulchroque cum ordine in campum procedere, equites primum cum equis et curribus, tum pedites pone sequentes, prorsus isti veniet in mentem esse aliquem qui hunc ordinem instruat ac milites sibi subjectos eum servare jubeat, cujusmodi Nestor est aut alius quispiam heroum, qui noverat ordinare equos et homines clypeatos. Atque ut rei nauticæ peritus simul atque navem secundo vento impulsam ac velis omnibus instructam viderit, agnoscit esse aliquem qui illam regat et ad eum portum quem sibi proposuerit perducat; sic qui primi cœlum intuiti sunt, ac solem contemplati sunt ab ortu in occasum usque cursum suum velut in stadio conficientem, stellarum vero quasdam velut ordine procedentes choreas, pulcherrimæ hujus ordinationis artificem inquisierunt, cum eam minime fortuito evenire conjicerent, sed a præstantiore quadam incorruptaque natura, quæ quidem Deus est[a]. » Hæc Sextus Empiricus, quo in libro triplici præsertim argumentorum genere probari dicit esse numen aliquod divinum. Primum ex communi hominum persuasione deducit, quoniam peræque sensum divinitatis habent politi omnes et barbari, tametsi non eamdem de eo cui insit illa conjecturam faciant. « Animæ enim a primordio conscientia Dei dos est, ut ait Tertullianus, eadem nec alia et in Ægyptiis et in Syris et in Ponticis. » Cujus quidem opinionis naturæ hominum insitæ tum vetustas, tum perpetuitas et constantia veritatis fidem facit. Neque enim falsa quædam suspicio tam esse communis omnium potuit, nullo in eam fœdere ac pacto, sed solo naturæ instinctu conspirantium, neque porro tandiu propagari ac sese tueri poterat, quin tandem aliquando convicta conticesceret. Secundum ex mundi ipsius ordine dispositioneque partium et administratione petitur, de quo jam dixi. Tertium caput absurda et incommoda continet quæ tum sequantur, si sublata sit divinitas. Quæ singula latius ubi disputavit, Pyrrhonio deinde more contraria his argumenta proponit, quibus Deos esse nullos affirmat, quæ adversus solos gentiles faciunt, qui et plures illos arbitrantur et ejusmodi, quales a poetis informantur, corporei ac nostri similes.

XI. Jam quod ille primo loco posuit, communem hunc et innatum esse sensum hominibus, uti divinum quoddam esse numen intelligant, passim id ac vulgo usurpari solet tam ab nostris, quam ab gentilibus philosophis, et inter alios pulchre illud edisserit Maximus Tyrius Platonicus philosophus in prima dissertatione, ubi mortales omnes ait tum politos tum barbaros, etsi in plerisque dissideant quæ ad mores et instituta pertinent, atque etiam in deorum formis et appellationibus, eorumque cultu, tamen « unam eos habere per universum terrarum orbem consensu omnium constitutam legem ac rationem, unum esse Deum regem omnium ac parentem[b]. » Cujus autem per universum genus hominum, perque omnes populos naturali instinctu recepta et vulgata professio est, id verissimum esse ac certissimum ex Hesiodo confirmat Æschines :

Fama, inquit Hesiodus, nunquam funditus [perit, quam populi
Multi celebraverint. Dea quidem etiam est [ipsa[c].

Etenim « quod natura universaliter et natu-

περιπολοῦντα, νύκτωρ δὲ, τὴν εὔτακτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα Θεὸν τόν τῆς τοιαύτης κινήσεως, καὶ εὐταξίας αἴτιον.

a Id. Ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐπὶ τῆς τρωϊκῆς καθεζόμενος Ἴδης, ἑώρα τὴν τῶν Ἑλλήνων στρατείαν μετὰ πολλοῦ κόσμου, καὶ τάξεως τοῖς πεδίοις προσιοῦσαν· ἱππῆας μὲν πρῶτον σὺν ἵππευσιν, καὶ ὄχεσφιν, πεζοὺς δ' ἐξόπιθεν· πάντως ἂν ὁ τοιοῦτος εἰς ἔννοιαν ἦλθε τοῦ ὅτι ἔστι τις ὁ διατάσσων, καὶ τὴν τοιαύτην τάξιν ἐγκελευόμενος τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἐγκοσμουμένοις στρατιώταις· οἷον Νέστωρ, ἢ ἄλλος τις τῶν ἡρώων, ὃς ᾔδει κοσμῆσαι ἵππους τε, καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας· καὶ ὃν τρόπον ὁ ἔμπειρος νεὼς, ἅμα τῷ θεάσασθαι πόῤῥωθεν ναῦν οὐρίῳ διωκομένην πνεύματι, καὶ πᾶσι τοῖς ἱστοῖς εὐτρεπιζομένην, συνίησιν ὅτι ἔστι τις ὁ κατευθύνων ταύτην, καὶ εἰς τοὺς προκειμένους λιμένας καταντῶν· οὕτως οἱ πρῶτον εἰς οὐρανὸν ἀναβλέψαντες, καὶ θεασάμενοι ἥλιον μὲν τοὺς ἀπὸ ἀνατολῆς μέχρι δύσεως δρόμους σταδιεύοντα, ἀστέρων δὲ εὐτάκτους τινὰς χορείας, ἐπεζήτουν τὸν δημιουργὸν τῆς περικαλλοῦς ταύτης διακοσμήσεως, οὐκ ἐκ ταυτομάτου στοχαζόμενοι συμβαίνειν αὐτὴν, ἀλλὰ ὑπό τινος κρείττονος, καὶ ἀφθάρτου φύσεως· ἥ τις ἦν Θεός.

b Maxim. Tyr. Ἐν τοσούτῳ δὴ πολέμῳ, καὶ στάσει, καὶ διαφωνίᾳ ἕνα ἴδοις ἂν ἐν πάσῃ γῇ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς, καὶ πατήρ.

c Æschin. *contra Timar.* ex Hesiodo.

Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίξωσι· θεός νυ τοι ἐστὶ καὶ αὐτή.

1 Lib. I. *contra Marc.* c. x.

Communes et naturale notiones sunt certissimæ.

raliter confitetur, necesse est verum esse. Naturam enim naturaliter, et universaliter mentiri impossibile est, » ait Guillelmus Parisiensis [1]. Quamobrem duce hac antiquos philosophos intellexisse scribit Aristoteles, nullam ex iis causis quas nonnulli asserebant, et quæ ad solam materiam revocantur, velut ignem, aquam aut aerem « idoneam esse cui rerum ortum tribuerent. Ideo causarum istarum aliam inquisisse causam citimam. Cur enim bene ac recte hæc habeant ex iis quæ sunt illa nascantur, neque terram neque aliud ejusmodi vel esse causam verisimile est, vel ab illis existimatam fuisse. Sed neque fortunæ ac casui tantam rem permittere extra reprehensionem est [a]. » Quocirca « illos qui nullum omnino Deum esse dixerunt, non modo philosophos, sed ne homines quidem fuisse dixerim, ait Lactantius, qui mutis simillimi ex solo corpore constiterunt, nihil cernentes animo, sed ad sensum corporis cuncta referentes, qui nihil putabant esse, nisi quod oculis contuebantur. » Illi enim communibus humani generis notionibus caruerunt. Quas « notiones eas esse dicit Sallustius philosophus, de quibus interrogati mortales omnes, eadem et communi voce respondent. Velut est, Deum omnem bonum esse, pati nihil posse, neque mutari [b]. »

Mundus ab intelligente causa procreatus.

XII. Ad superiora hæc argumenta et illud addendum est, quo magni auctores usi sunt, ut esse Deum probarent, hoc est intelligentem aliquam causam et ratione ac sapientia præditam, quæ tanti artificii ac tam admirabilis solertiæ opus elaboraret, quod utique non temere et inconsiderate neque casu factum sit, sed consulto atque cogitato. Ut enim universe ex effectis causa cognoscitur, sic ex iisdem eleganter ac concinne factis, rationem aliquam et prudentiam ei faciundo præfuisse conjicimus. Cum autem sic est artificiose apteque, et in magna partium varietate ac subtilitate consentiens sibi opus editum, ut major cogitari industria nequeat, tum summe consilio et ratione perfectum intelligitur, quod ipsum appellamus Deum. Atqui tam præclara est universitatis hujus tum totius, tum eorum quibus constat descriptio, ut elegantia, venustate, apta et cohærente invicem omnium proportione partium nihil fingi possit ornatius. Itaque summus vir Aristoteles in secundo *Physicorum* toto octavo capite probat naturam ex earum esse causarum genere, quæ agunt finis alicujus gratia. Qui nisi vel ab eo quod agit proxime, vel ab superiore aliqua moderante causa ac regente provisus destinatusque sit, non potest ad eum constanter res effecta dirigi. Natura, inquit Lactantius, « qua dicitur orta esse omnia, si consilium non habet, efficere nihil potest. Si autem efficiendi aut generandi potens est, habet ergo consilium, et propterea Deus sit necesse est. Nec alio nomine appellari potest ea vis, in qua inest et providentia excogitandi et solertia potestasque faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nil aliud esse naturam, quam Deum. Ergo, inquit, Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus, nec illam didicit ex ullo? Immo laudabimus, quamvis enim naturalis illa sibi [2] illam dedit, quoniam Deus ipsa natura est. Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans, versuram solvis. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem plane fieri mutato nomine confiteris [3]. »

Ita Philo Judæus in primo *de Monarchia :* « Nullum, inquit, artificiosorum operum sponte provenit. Mundus autem arte summa factus est, ut ab aliquo præstantis scientiæ opifice ac perfectissimo sit conditus. »

XIII. Sed rursus Lactantius audiendus est, qui idem pulcherrime prosecutus est in libro *de Ira Dei*, capite x : « Natura, inquit, quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil

a Arist. I *Metaph.* c. 1. Μετὰ δὲ τούτους, καὶ τὰς τοιαύτας ἀρχὰς ὡς οὐχ ἱκανῶν οὐσῶν γεννῆσαι τὴν τῶν ὄντων φύσιν, πάλιν ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, ὥσπερ εἴπομεν, ἀναγκαζόμενοι, τὴν ἐχομένην ἐζήτησαν ἀρχήν· τοῦ γὰρ εὖ, καὶ καλῶς τὰ μὲν ἔχειν, τὰ δὲ γίνεσται τῶν ὄντων, οὔτε γῆν, οὔτε ἄλλο τῶν τοιούτων οὐδὲν οὔτ' εἰκὸς αἴτιον εἶναι, οὔτ' ἐκείνους εἰκὸς οἰηθῆναι· οὐδ' αὖ τῷ αὐτομάτῳ, καὶ τύχῃ τοσοῦτον ἐπιτρέψαι πρᾶγμα καλῶς ἔχει.

b Sallust. lib. *de Diis.* Κοιναὶ δὲ εἰσιν ἔννοιαι ὅσας πάντες ἄνθρωποι ἐρωτηθέντες ὁμολογήσουσιν, οἷον ὅτι πᾶς Θεὸς ἀγαθὸς ὅτι ἀπαθὴς, ὅτι ἀμετάβλητος.

c Philo, 1. *de Monar.* Οὐδὲν γὰρ τῶν τεχνικῶν ἔργων ἀπαυτοματίζεται τεχνικώτατος δὲ ὁ κόσμος, ὡς ὑπό τινος τὴν ἐπιστήμην ἀγαθοῦ καὶ τελειοτάτου πάντως δεδημιουργῆσθαι.

1 Lib. *de Virtut.* — 2 Corr. *illi sit.* — 3 ib., l. c. VIII.

molietur. Ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus nec efficacia. Si autem consilio suo utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum et continendum, cur natura potius, quam Deus nominetur? » Quod et illud accedere debet, quod ut Boetius in tertio *de Consolatione*, prosa XII, disputat: « Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa conjungeret, conjuncta vero naturarum ipsa diversitas invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset qui has mutationum varietates, manens ipse, disponeret. Hoc quidquid est quo condita manent atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino. » Cui auctor libri de *Cognitione veræ vitæ* accinit in septimo capite *. « Mundum, inquit, non per se subsistere constat, dum eum ratio cœpisse doceat; partibus enim constat. Omne autem, quod partibus conjungitur vel in partes resolvitur, ab aliquo utique conjunctionem vel resolutionem patitur. Mundus ergo per se non subsistit, et ideo sequitur, quod creatura sit. » Sic et Plato in *Philebo*, ex eoque Proclus libro secundo in *Timæum* qui illud ex eo refert. « Mixtum omne ex aliqua subsistere causa mixtionis. Nam ne temere ac fortuito misceri dicantur ea quæ miscentur, unam esse causam oportet, quæ formam præbeat, a qua divisa colligantur et in unum socientur [a]. »

Adde rationem nullam idoneam suppetere, cur rerum naturæ certis limitibus finitæ sint, cur non majores minoresve institutæ sunt, quam natura sua esse videmus, cur his potius, quam aliis partibus ac facultatibus constant, cur hunc in modum ordinatæ sunt. Quorum si quis causam ac principium naturam esse respondeat, quoniam non sine summa prudentia et incredibili arte ac concilio fieri tam perfecta potuerunt, tantumdem erit naturæ illorum omnium efficientiam tribuere ac Deo, quod nos quærimus et illi, si sani sunt ac sobrii, nobiscum vel inviti fatebuntur.

CAPUT II.

Deum esse paulo subtilioribus argumentis ostenditur ex rerum creatione et existentia, tum ex mutabilitate, et inæqualitate perfectionis, atque ex ideis rerum, tum ex rerum generatione, velut hominum, quæ ex æterno esse non potuit.

I. Ab hac populari disputatione avocemus paululum animos nostros et in iisdem vestigiis insistentes, subtilius et eruditius eadem illa tractemus, quod ex duobus argumentandi generibus posterius supra fecimus. Deum igitur esse aliquem rerum omnium effectorem, Joannes Damascenus in primo libro colligit sic: « Omnia quæcumque sunt, vel creata sunt vel increata. Quod si creata sunt, omnino sunt mutabilia. Quorum enim esse a mutatione cœpit, hæc mutationi plane subjecta erunt sive corrumpantur, sive voluntate mutentur. Sin increata sunt, ex consequentiæ ratione, prorsus immutabilia sunt. Nam quorum esse contrarium est, iis certo modo esse contraria ratione convenit, quæ sunt proprietates. Qui igitur non assentietur, omnia quæ sunt, non modo quæ sub sensus nostros cadunt, verum etiam et angelos variari atque mutari ac multis modis moveri atque convenit [b]? etc. » Item: « Itaque cum sint mutabilia, plane erunt creata. Si creata

Deum esse probatur ex rerum existentia.

a Proclus *in Tim.* Τὸ ἐν Φιλήϐῳ ῥηθὲν, ὅτι πᾶν τὸ μικτὸν ἔκ τινὸς ὑφέστηκεν αἰτίου τῆς μίξεως· εἰ γὰρ μὴ ὡς ἔτυχεν μέλλοι μίγνυσθαι τὰ μιγνύμενα, δεῖ μίαν αἰτίαν εἶναι συναγωγὸς τῶν διῃρημένων, καὶ ἑνοποιὸν τὸ εἶδος τὸ μικτὸν παρεχομένην. Vide eumdem, p. 91.

b Damasc. Πάντα τὰ ὄντα, ἢ κτιστά ἐστι, ἢ ἄκτιστα· εἰ μὲν οὖν κτιστὰ, πάντως καὶ τρεπτά· ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἀπὸ τροπῆς ἤρξατο, ταῦτα τῇ τροπῇ ὑποκείσεται πάντως, ἢ φθειρόμενα, ἢ κατὰ προαίρεσιν ἀλλοιούμενα· εἰ δὲ ἄκτιστα, κατὰ τὸν τῆς ἀκολουθίας λόγον, πάντως καὶ ἄτρεπτα· ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἐναντίον, τούτων καὶ ὁ τοῦ πῶς εἶναι λόγος ἐναντίος, ἤγουν αἱ ἰδιότητες· τίς οὖν οὐ σωθήσεται πάντα τὰ ὄντα, ὅσα ὑπὸ τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν· ἀλλὰ μὴν καὶ ἀγγέλους τρέπεσθαι, καὶ ἀλλοιοῦσθαι, καὶ πολυτρόπως κινεῖσθαι, καὶ μεταϐάλλεσθαι; etc.

* Libellus *de Cognitione veræ vitæ* ipsis quoque Græcis cognitus et ab iisdem Græce redditus, faciem refert scholasticam, ac verbis sententiisque ita spirat Anselmum, ut ad illius *Monologium* expressus videatur. Censuerunt porro Maurini editores (In app. ad. tom. VI opp. Augustini pag. 647) non alteri eum librum æquius quam Honorio Augustodunensi vindicari. E. R.

sunt, prorsus ab aliquo condita sunt. Oporstet autem conditorem increatum esse. Nam si etiam ille creatus est, omnino ab aliquo creatus est, donec ad increatum aliquid procedendo perveniatur. Increatus ergo conditor plane est et immutabilis. Hoc vero quid aliud potest esse, quam Deus[a]? »

Item hominis existentia.

Damascenum præceptorem, ut quidam opinentur, suum Theodorus excipiet cognomine Abucara, cujus hoc argumentum est in tertio dialogo : « Hominum, inquit, certus est numerus. Fingamus illos esse centum. Non possunt omnes illi esse geniti, quippe ab invicem propagati sunt. Itaque genealogiam retro percurrens nostra mens plane unum in aliquem incidit ingenitum. Non enim fieri potest, ut cum ad primum pervenerimus, dicamus ipsum ab alio esse genitum, quandoquidem etiam ille ab altero esset genitus, donec in primo quopiam ingenito mentem nostram defixerimus. Igitur necesse est istum vel ex terra editum esse, velut stirpes, vel esse æternum, vel ab opifice aliquo factum. Atqui si ex terra pullulasset, adhuc usque in hodiernum diem alios terra procrearet, sicut fit in genere arborum et herbarum. At quia hoc fieri non videmus, manifestum est neque primum germinasse. Sed nec æternus erat. Si enim principio caruisset essetque æternus, nunquam mortuus fuisset neque interiisset. Quod enim principium non habet, neque finem habet. Relinquitur igitur, ut factus fuerit : quod autem factum est, auctorem habet. Est igitur creator et auctor hominum Deus[b]. »

II. Tractat hoc idem argumentum planius sanctus Edmundus Cantuariensis episcopus in *Speculo ecclesiæ* verbis istis : « Quilibet homo bene potest videre in se quod ipse est, quod habet esse, et quod non semper fuit, et ex hoc bene scit quod initium aliquando habuit. Tunc sequitur quod aliud tempus erat in quo ipse non fuit. Sed quando non fuit, tunc nullo modo seipsum facere potuit. Hoc enim vides homo in omni creatura. Nam qualibet die vides aliquas creaturas transire et aliquas venire, et quia omnes res sunt et a seipsis non sunt. Ideo oportet necessario quod una res sit quæ dat omnibus esse, hoc est a qua omnia sunt. Et ex hoc convincitur necessario quod ille, per quem omnia sunt, est sine principio, quia si haberet principium, oportet quod haberet ex alio. Tunc non esset primus auctor et principium omnium. Et ideo oportet necessario quod ipse, per quem omnia facta sunt, sit ante omnia, et nihil ante ipsum, et si nihil sit ante ipsum, non venit ex alio, tunc semper fuit et sine principio. Nam, ut prius, omne quod habet initium ex alio habet illud. (Nihil enim quod non est, sibi ipsi potest dare esse.) Et ideo oportet omnibus modis, quod una res sit, quæ nunquam principium habuit[1]. »

Auctor etiam libri *de Cognitione veræ vitæ*, qui inter Augustini opera extat, non absimili ratione colligit esse Deum. Nam omne quod subsistit aut per se subsistit, aut per aliud. Mundus autem qui sine dubio subsistit, per se non subsistit. « Partibus enim constat. Omne autem quod partibus conjungitur, vel in partes resolvitur, ab aliquo utique conjunctionem, vel resolutionem patitur. Mundus ergo non per se subsistit, et ideo sequitur quod creatura sit. Creatura autem ad aliquid, scilicet ad creatorem refertur. Solus ergo creator per seipsum et in seipso existit. Omnis autem creatura per ipsum subsistit. Si enim ab alio esse habet, tunc Deo majus est, a

a Mox. Τρεπτὰ τοίνυν ὄντα, πάντως καὶ κτιστά· κτιστὰ δὲ ὄντα, πάντως ὑπό τινος ἐδημιουργήθησαν· δεῖ δὲ τὸν δημιουργὸν ἄκτιστον εἶναι· εἰ γὰρ κἀκεῖνος ἐκτίσθη, πάντως ὑπό τινος ἔκτισται ἕως ἂν ἔλθωμεν εἴς τι ἄκτιστον· ἄκτιστος οὖν ὁ δημιουργὸς πάντως, καὶ ἄτρεπτός ἐστι· τοῦτο δὲ τί ἂν ἄλλο εἴη, ἢ Θεός;

b Theod. Ὑποθώμεθα συντομίας, καὶ σαφηνείας ἕνεκεν, εἶναι τοὺς πάντας ἀνθρώπους ἑκατόν· ἀδύνατον δὲ τούτους ἅπαντας γεννητοὺς ὑπάρχειν· ἐξ ἀλλήλων μὲν γὰρ γενεαλογοῦνται· ἀλλὰ ἀναποδίζων ὁ νοῦς τὴν γενεαλογίαν ἐπὶ τὰ ἄνω, εἰς ἕνα καταντᾷ πάντως ἀγέννητον· οὐ γὰρ ἐνδέχεται ἐπὶ τὸν πρῶτον ἐλθόντας, εἰπεῖν αὐτὸν ἐξ ἄλλου γεγενῆσθαι· ἐπεὶ κἀκεῖνος ἐξ ἑτέρου γεγενημένος ἂν εἴη, μέχρις ἂν ἐπὶ τὸν πρῶτον ἀγέννητον τὸν νοῦν ἐπερείσωμεν. Ἀνάγκη τοίνυν τοῦτον ἢ ἐκ τῆς γῆς φῦναι, καθάπερ τὰ βλαστήματα· ἢ ἀΐδιον εἶναι. ἢ ὑπό τινος δημιουργοῦ πεποιῆσθαι· ἀλλ' εἰ μὲν ἐκ τῆς γῆς ἐπεβλαστήκει, καὶ εἰς ἔτι ἂν ἄχρι τοῦ παρόντος, ἑτέρους ἐβλάστανεν· ὥσπερ καὶ τὰ τῶν δένδρων καὶ βοτανῶν εἴδη· ἐπειδὴ δὲ οὐχ ὁρῶμεν τοῦτο γινόμενον, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὸν πρῶτον ἐβλάστησεν οὐδὲ μὴν ἀΐδιος ἦν· εἰ γὰρ ἄναρχος, καὶ ἀΐδιος ὑπῆρχεν, οὐκ ἂν ἐτεθνήκει, οὐδ' ἂν ἀπώλετο· τὸ γὰρ ἄναρχον, καὶ ἀτελεύτητον· λείπεται τοίνυν αὐτὸν πεποιῆσθαι, τὸ δὲ πεποιημένον ἔχει ποιητήν· ἄρα τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ κτίστης τε καὶ ποιητής.

1 Cap. XXVII.

quo hoc habet, quod Deo inconveniens est. Et cum nihil præter creatorem et creaturam existat, si Deus per seipsum non habet esse, necessario consequitur, ut per creaturam existat, quod inconvenientissimum est. »

Addit et aliud argumentum, quod sic habet: Mundus ex diversis rebus et dissimilibus constat quæ omnes bonæ sunt, quia sunt utiles. « Omne autem bonum aut per se bonum est, aut per aliud. Sed diversa bona participatione unius boni bona esse necesse est. Diversitas quippe recipit magis et minus. Restat igitur his maximum et summum bonum de quo omnibus inferioribus profluat bonum, et hoc bonum Deus est, de quo, quasi de fonte, cuncta bona profluunt et in eumdem cuncta refluunt. »

Idem probatur ex mutabilitate et inæqualitate perfectionis quæ in creatis cernitur.

III. At Augustinus in octavo *de Civitate Dei* 1 ex rerum mutabilitate et inæqualitate perfectionis quæ in creatis cernitur, unum et summum aliquid esse idemque mutationis expers intellexisse philosophos veteres asserit. « Consideraverunt enim quidquid est vel corpus esse, vel vitam, meliusque aliquid vitam esse, quam corpus, speciemque corporis esse sensibilem, intelligibilem vitæ. Proinde intelligibilem speciem sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus quæ visu tactuque corporis sentiri queunt, intelligibilia, quæ conspectu mentis intelligi possint. » Inest igitur in animis hominum species quædam intelligibilis rerum etiam corporatarum, ut pulchritudinis, figuræ, motus, cantilenæ, secundum quam de his judicant. At hæc eadem species « nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili judicaret : melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam imperitior, melius exercitatior quam minus exercitatus, et idem ipse unus cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem recipit majus et minus sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabile esse convincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, et si omni specie carere possent, omnino nulla essent; viderunt esse aliquid, ubi prima esset incommutabilis species, et ideo nec comparabilis, atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset et ex quo facta cuncta essent. »

Quocirca tum ex rerum qualitatibus, tum ex earum naturis et existentia ipsa summum esse aliquid colligitur, quod perfectionem absolutionemque continet eorum omnium quibus affecta formataque ista cernimus, quæ nec a se per seque habent id quod esse dicuntur, sed illius communione summi, neque perfectum sic possident, nihil ut aut desit aut addi vel cogitando possit, cujusmodi esse debet quod summe perfectum est ac velut exemplar cæterorum et regula, quod hic a nobis inquiritur. Ac cum id omne quod vel sensu percipimus, vel mente comprehendimus, infra illud quod indagamus, summum, partim mutationi subjectum sit, partim aliud alio minus, magisve sit perfectum, pro eo ac qualitatis illius a qua denominatio petitur, plus minusve sit particeps; recurrendum est ad supremum aliquid et simplex, quod ipsum, quodcumque est ac dicitur, ab nullo participet, ab eo vero participent cætera, idemque non ex adjuncto aliquo et velut adventitio tale ut sit, habeat, sed ipsum per sese, immo istud ipsum sit quod habere dicitur, nec nisi habens ac præditum a nobis potest intelligi.

Nec non ex ideis rerum.

IV. Hæc est illa *species incommutabilis* quam vocat Augustinus, cujus sensu aliquo intelligentiaque perfusus Socrates apud Platonem, ἰδέας appellavit rerum omnium intelligibiles formas ac species, quæ ab rebus singulis abstractæ, et ortus atque interitus expertes per se ipsæ consisterent 2. Quas etiam solas revera esse dixit, utpote perpetuas et stabiles et nullius communicatione tales, sed fontes et origines cæterorum exemplaresque causas. Etenim Alcinous in libro *de Doctrina Platonis* non aliter idea quid sit exponit : « Est autem et idea, quod ad Deum attinet, notio Dei; quod ad nos vero, primum intelligibile; quod ad materiam, modus; quod ad mundum hunc, qui sub sensus cadit, exemplar; ad seipsam vero , essentia. Quidquid enim adhibito fit intellectu ad aliquid referri necesse est. Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut a me meiipsius imago, ejus exemplar antea poni oportet [a]. » Quæ ratio Deum esse aliquem ostendit.

a Alcin. Ἔστι δὲ καὶ ἡ ἰδέα, ὡς μὲν πρὸς Θεὸν νόησις αὐτοῦ· ὡς δὲ πρὸς ἡμᾶς, νοητὸν πρῶτον· ὡς δὲ πρὸς ὕλην μέτρον· ὡς δὲ πρὸς θνητὸν κόσμον, παράδειγμα· ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ἐξεταζομένη, οὐσία. Καθόλου γὰρ πᾶν τὸ γιγνόμενον κατ' ἐπίνοιαν, πρός τι ὀφείλει γίνεσθαι, ὥσπερ εἰ ἀπό τινός τι γένοιτο, ὡς ἀπ' ἐμοῦ ἡ ἐμὴ εἰκών, δεῖ τὸ παράδειγμα προυποκεῖσθαι.

1 Cap. VI. — 2 In *Tim.* et lib. X. *de Rep.* et alibi passim, ut in *Parme.*

Etenim mundi structura ac descriptio est ejusmodi, ut nonnisi ab intelligente ac ratione scientiaque prædito artifice potuerit effici, quod illius ordo ac temperatio partium, et concentus, cæteraque demonstrant quæ tam sacri, quam profani scriptores prædicant, ut paulo ante vidimus. Igitur formam aliquam et ideam sive exemplar antecedere oportuit, ad quod opus illud suum designaret ejus architectus. Proinde mundo est antiquius aliquid. Id autem est Deus. Sed quæ apud Alcinoum sunt reliqua subjungamus. Eodem enim pertinent. Postquam ergo definivit ideam, ut sit « exemplar æternum eorum quæ sunt secundum naturam [b] » esse ideas probat iis argumentis quæ ad id valent, ut et Deum esse persuadeant. « Sive, inquit, intellectus est Deus sive intelligens quiddam, intelligibilia sua habet, et ea quidem æterna et immutabilia. Quod si hoc ita se habet, ideæ sunt. Etenim si materia ipsa mensura caret, ab aliquo præstantiore et experte materiæ mensuram necesse est capiat. Verum autem est antecedens, verum igitur consequens. Et si hoc ita est, ideæ sunt, ut quæ mensuræ quædam sunt expertes materiæ. Accedit quod si mundus non fortuito talis est, non solum ex aliquo, verum etiam ab aliquo factus est : neque id solum, sed etiam ad aliquid est factus. Id vero ad quod factus est, quid aliud præter ideam esse potuit [c]? »

V. Hæc Alcinous. In quibus argumenta duo continentur, alterum a materia petitum e qua mundus componitur, alterum ex ipsius mundi structura. Ac primum quidem illustrari sic potest. Cum enim unumquodque corpus, præsertim animatum, intra certum modum materiæ contineatur (neque enim in infinitum porrigi potest), totum hoc universum quod omnia illa intra se complectitur, definitam habet magnitudinem. Hujus autem mensura et circumscriptio ab intelligente aliquo artifice proficisci debuit, qui neque majorem neque minorem quam est, sed ea qua constat mole definitam esse voluerit. Non enim per sese mundus magnitudinem suam determinare potuit, nec est ulla tanta materiæ vastitas, quin amplior aliqua fingi cogitando queat. Itaque moderatore et opifice aliquo est opus, eodemque et intelligente et sapiente, qui res omnes totamque adeo hanc universitatem certis numeris ac ponderibus mensurisque complexus, suos cuique fines attribuerit.

Alterum argumentum mundi ipsius ordo ac dispositio et mirabilis inter se dissimilium partium concordia suppeditat. Neque enim tanta rerum concinnitas, nisi ratione et sapientia elaborata constare potuit. Quisquis autem ratione intelligentiaque ad agendum utitur, formam ac speciem futuri operis in animo impressam habet, ad quam ejus effectionem dirigit. Ex hoc duplici capite Deus esse monstratur aliquis, auctor universitatis hujus et artifex, idemque et intelligens et summe sapiens, in quo rerum omnium et formarum quibus creatæ res afficiuntur, ideæ insunt et exempla quæ et infinite perfecta sunt, et eodem modo semper habent, tum illæ ipsæ qualitates ac formæ quibus creaturæ perfunduntur, ab iisque denominantur, ex illis, ceu fontibus, profluunt *, ac pro eo ac magis ad ipsa vel minus accedunt, eo magis minusve cum perfectæ ipsæ sunt, tum ea in quibus hærent, perficiunt. Itaque mutationi subjecta utraque sunt, tam illas dico afficientes formas, quam quæ ab ipsis informantur. Nam et illæ crescunt aut etiam minuuntur, extinguuntur item ac pereunt et ista quæ illis subjecta sunt ac substantiæ di-

a Alcin. Ὁρίζονται δὲ τὴν ἰδέαν παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν αἰώνιον.

c Id. Ὅτι δέ εἰσιν αἱ ἰδέαι, καὶ οὕτω παραμυθοῦνται· εἴτε γὰρ νοῦς ὁ Θεὸς ὑπάρχει, εἴτε νοερόν· ἔστιν αὐτῷ νοήματα, καὶ ταῦτα αἰώνιά τε, καὶ ἄτρεπτα· εἰ δὲ τοῦτο, εἰσὶν αἱ ἰδέαι, καὶ γὰρ εἰ ἄμετρος ὑπάρχει ἡ ὕλη κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον, παρ' ἑτέρου τινὸς κρείττονος, καὶ ἀΰλου τῶν μέτρων ὀφείλει τυγχάνειν, τὸ δὲ ἡγούμενον· τὸ ἄρα λῆγον· εἰ δὲ τοῦτο, εἰσὶν αἱ ἰδέαι μέτρα τινὰ ἄϋλα ὑπάρχουσαι· ἔτι γε μὴν εἰ ὁ κόσμος μὴ ἐκ ταὐτομάτου τοιοῦτός ἐστιν, οὐ μόνον ἔκ τινός ἐστι γεγονὼς, ἀλλὰ καὶ ὑπό τινός· καὶ οὐ μόνον τοῦτο· ἀλλὰ καὶ πρός τι, τὸ δὲ πρὸς ὃ γέγονε, τί ἂν ἄλλο γέγονεν ἢ ἰδέα ;

* Sua non carebit utilitate, quo fieri brevissime potest, alia recoluisse argumenta quibus ad persuadendam Dei existentiam usos Patres accepimus. Huc itaque I. facit comperta mentis animæque mutabilitas, quæ (Apud August. *Confess.* lib. VII, cap. x, et *de Doctr. christ.* et lib. I, capp. viii, ix.) ad incommutabilem sapientiam, vitam, veritatemque connititur. Huc II. facit conspicua gradibusque distincta rerum pulchritudo, qua (Apud August. lib. LXXXIII *Quæst.*, q. xlv. et *Enarrat. in Psal.* xli Gregorium, *Moral.* lib. V, cap. xxv., lib. XXVI, cap. viii. et Anselmum, *Monolog.* capp. i-v.) ad invisibilem plenamque attollimur. Huc III. faciunt scientiarum omnium

cuntur, earum accessu recessuque mutantur, Ut cum homo idem ex bono fit melior, vel minus aliquanto bonus, vel postremo malus omnino.

VI. Hinc apparet esse aliquam bonitatis præstantiorem antiquioremque speciem, quæ nullam vicissitudinem capiat, et id cætera, pro cujusque captu ac modulo, sese diffundat. Eam vero et infinitam oportet esse. Nullis enim terminis aut finibus circumscribi potest, neque a se, cum seipsam nulla res antecedat, neque ab alia, cum prior sit ac superior omnibus. Tum vero quidquid illud est, in quo inesse cogitatur, ab eo non distinguitur, nec id tanquam superfusa qualitas informat. Alioqui vel cogitatione separari ab eo divellique poterit, neque perfecta sic erit, ut non perfectiorem animo fingere liceat. Ita jam infinita non erit. Est enim forma quævis per se ac nullius adminiculo subsistens longe præstantior, quam si ab altero sustentetur. Proinde bonitas illa quæ exemplar est, ideaque communicatæ et in multos partitæ bonitatis ac rebus omnibus anterior, quia earum origini præfuit, immo causa et principium est earumdem, per se consistit, neque adhæret alteri. Quod de bonitate dixi, volo idem et de justitia et de sapientia et de cæteris intelligi, quæ tanquam qualitates rebus adjunctæ esse videntur, adeoque de illis etiam quæ substantiales sunt, ut ipsum *esse*, sive ut Dionysius loquitur, ὀντότης, latine *essentia*. Quanquam hæc οὐσία solet appellari, illa autem in scholis *entitas*, necnon et *substantia*. Harum enim omnium, quia communicabiles sunt, formæ sunt et ideæ, sempiternæ et immutabiles, infinitæque, quarum participatione inferiora constant, Id quale sit declarat apte sanctus Augustinus in una bonitate. « Desiderabitis, inquit, quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, unde omne bonum, cui non addatur quid sit ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, et bonus ager, et bona domus, et bonum animal, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima. Adjunxisti, quotiens dixisti, bonum est. Bonum simplex ipsum bonum, quo cuncta sunt bona, ipsum bonum, ex quo cuncta sunt bona[1].» Et alio in loco : « Est itaque bonum solum simplex et ob hoc solum incommutabile quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia [2]. »

VII. Eadem illa via progrediens Anselmus Deum existere sic probat in *Monologio* [3] : « Quæcumque dicuntur aliquid, ita ut ad invicem magis, aut minus, aut æqualiter dicantur, per aliud dicuntur, quod non aliud, et aliud, sed idem intelligitur in diversis, sive in illis æqualiter, sive inæqualiter consideretur. Nam quæcumque ista dicuntur ad invicem, sive pariter, sive magis, vel minus, non possunt intelligi justa, nisi per justitiam, quæ non est aliud et aliud in diversis. Ergo cum certum sit, quod omnia bona, si ad invicem conferantur aut æqualiter aut inæqualiter sint bona, necesse est omnia sint per aliquid bona, quod intelligitur idem in diversis bonis. » Nam bonum aliud est utile, aliud honestum. Sed « necesse est omne quoque utile, vel honestum, si vere bona sunt, per ipsum esse bona, per quod necesse est cuncta esse bona, quidquid illud sit. Quis autem dubitet, illud ipsum per quod cuncta sunt bona, esse magnum bonum? Illud igitur est bonum per seipsum : quoniam omne bonum est per ipsum. Ergo consequitur, ut omnia alia bona sint per aliud, quam quod ipsa sunt, et ipsum solum per seipsum. At nullum bonum, quod per aliud est, est æquale, aut majus eo bono quod per se est bonum. Illud itaque est summe bonum quod est per se bonum. Id enim summum bonum est quod per se eminet aliis, ita ut nec par habeat, nec præstantius. Sed quod est summe bonum, est etiam summe magnum. Est igitur unum aliquid summe magnum et summe bonum. Id est summum omnium quæ sunt. » Quod de bonitate dictum est, idem et de magnitudine dicendum [1], et de ipsomet *esse* [2]. Quippe omne quod est, per unum aliquid est. Non enim per nihil est. Tum in hunc modum concludit : « Cum naturarum aliæ aliis sint meliores, nihilominus persuadet

(apud August. *de Lib. arbitr.* lib. II, capp. x, xii, xiii.) principia, quæ regulæ sunt, veritatesque certissimæ, immutabiles, æternæ, secundum quas de rebus omnibus judicamus, cum de illis non judicemus. Exinde enim splendide eruitur esse illas nostris mentibus longe potiores, nec a Deo posse sejungi. Atque huc IV. nominatim faciunt ea principia, quibus (apud Augustin. *de Vera relig.* capp. xxx, xxxi, xxxix. et *de Doct. christ.* lib. II, cap. xxxii, xxxvii, xxxviii., Cassiodorium et de Arithmetica, Claudianum Mamertum *de Statu animæ,* lib. II, capp. v, vi, ix. et Anselmum *in Monolog.* capp. lxiv, lxv, lxvi. et in dialog. *de Verit.* cap. vi.) disciplinarum præstantissimæ, mathesis, logica, ethica, ipsaque æsthetica diriguntur. E. R.

1 Tom. VIII. enar. secunda *in Psal.* xxvi. — 2 Lib. II. *de Civitat. Dei,* cap. x. — 3 Cap. 1 et seq.

ratio aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim hujus graduum distinctio sic est infinita, ut nullus sit ibi gradus superior, quo superior alius non inveniatur, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo fine claudatur. Hoc autem nemo non putat absurdum, nisi qui nimis est absurdus. Est igitur ex necessitate aliqua natura, quæ sic est alicui, vel aliquibus superior, ut nulla sit, cui ordinetur inferior [3]. » Deinde naturam ejusmodi unam esse non plures ostendit, de quo paulo post.

VIII. Richardus Victorinus idipsum pari subtilitate, eruditioneque demonstrat ad hunc fere modum. « Omne quod est, vel ab æterno est vel ex tempore, cœpit esse. Itemque vel a semetipso est vel ab alio. Ex quo triplex oritur modus quo est aliquid. Aut enim est ab æterno et a seipso, aut e contrario neque ab æterno neque a seipso, aut ab æterno sed non a seipso. Nam quod tertio huic oppositum est a seipso esse, non autem ab æterno, nihil est omnino, Quippe « nihil a semetipso esse potest, quod non sit ab æterno. Quidquid enim ex tempore esse cœpit, fuit quando nihil fuit. Sed quamdiu nihil fuit, omnino nihil habuit, et omnino nihil potuit. Nec sibi ergo, nec alteri dedit, ut esset vel aliquid posset. Alioqui dedit quod non habuit, et fecit quod non potuit [4]. » Jam vero ex illis tribus generibus, quod secundum est, ut nec ab æterno sit, nec a semetipso, quotidie oculis videmus. Nam innumerabilia nascuntur et intereunt. Primum autem quod ex æterno est a semetipso, id est, a nullo alio, certa ratione conficitur. « Nam si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino, unde ea existere potuissent quæ suum esse a semetipsis non habent, nec habere valent. Convincitur itaque aliquid esse a semetipso, et eo ipso (uti jam dictum est) et ab æterno. Alioqui fuit, quando nihil fuit. Et tunc quidem futurorum nihil futurum fuit, quia qui sibi vel aliis initium exsistendi daret vel potuisset dare, tunc omnino non fuit [5]. » Porro illud quod ex æterno est et a semetipso, esse Deum sic deinde concludit : « In tanta multitudine rerum existentium et tam multiplici differentia graduum, esse oportet aliquid summum. Summum vero omnium dicimus, quo nihil est majus, nihil melius. Absque dubio autem melior est natura rationalis, quam natura irrationalis. Oportet itaque ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa. Non potest autem hoc ipsum quod est a suo inferiori accipere [6]. » Quare a seipsa, non ab alia, habet ut sit. « Illud autem certissimum est, quod in tota rerum universitate nihil esse potest, nisi possibilitatem essendi vel de seipso habuerit vel aliunde acceperit. Quod enim esse non potest, omnino non est, ut igitur aliquid exsistat, oportet ut ab essendi potentia posse esse accipiat [7]. » Proinde summum illud, quod a nullo habet ut sit, sed a semetipso est, ab eoque sunt omnia, summum est esse, hoc est, summa essentia; adeoque omnis essentia, omnis potentia, omnis sapientia, quoniam ab illo, ceu fonte, manant illa omnia. « Summe sapientem itaque esse oportuit, unde omnis sapientia originem trahit. Sed ubi substantia rationalis non est, sapientia omnino inesse non potest. Soli enim rationali substantiæ potest sapientia inesse. Est itaque rationalis substantia et omnium summa, cui inest summa sapientia. Est, inquam, omnium summa, a qua est omnis essentia. »

IX. Hæc sunt argumenta præcipua quibus Deum esse commonstrant veteres theologi, ex quibus summa ista confici potest, quam in promptu omnes habere debent. Imprimis enim constituendum illud est, quid sit hoc quod quærimus, et quod mente revolvimus cum Deum nominamus. Paucis hoc explicat Augustinus. « Nam cum ille, inquit, unus cogitatur deorum Deus ab his etiam qui alios et suspicantur et vocant et colunt deos sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere. » Tum paulo post : « Nec quisquam, ait, inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse quod cæteris rebus omnibus ante ponunt [8]. » Quod et gentiles quoque homines eruditi ac philosophi testati sunt. E quibus Cicero in primo *de Natura deorum*, talem esse Deum certa animi notione præsentire nos asserit, primum ut sit animans (hoc est non inanimum, ac sensus et cognitionis expers), deinde ut in omni natura nihil sit eo præstantius [8].) Sextus item Empi-

1 Cap. II. — 2 Cap. III. — 3 Cap. IV. — 4 Lib. I. *de Trinit.* cap. VI et seq. — 5 Cap. VIII. — 6 Cap. XI. — 7 Cap. XII. — 8 Lib. I. *de Doctr. christ.* cap. VII.

ricus in octavo *contra Mathematicos* Deum esse dicit hoc, « quod est perfectum et optimum et homine præstantius, atque omnibus absolutum virtutibus nulliusque mali capax[a]. » Idemque « naturam optimam omnium » esse definit. Item : « Communem hanc et anticipatam de Deo notionem omnes habere ait, ut sit beatum quoddam animans et incorruptum, perfecta felicitate præditum ac nullius mali capax[b]. » Plutarchus in primo * *de Placitis philosophorum* [1] : « Beatum, inquit, interitusque expers animal, omnibusque bonis perfecte cumulatum nec ullius capax mali, totum in sua beatitate atque perpetuitate occupatum[c]. »

X. Ex iis igitur aliisque, quæ naturalis hominum ratio Dei vocabulo subjicit, Deum esse sentimus rerum omnium molitorem ac præsidem. Etenim plerasque res videmus nasci, interire, atque corrumpi. Aut igitur nascuntur omnia similiter et pereunt, aut ad aliquid pervenitur, in quo sistit cogitatio nostra, quod neque natum est, neque sit interiturum. Horum prius illud si quis verum putet, semper aliquid erit a quo alterum orietur, neque primum erit ullum, sed in infinitum progressa mens nullibi consistet. Hoc autem fieri non potest. Itaque primum fingi debet quippiam quod per se et ex se sit, non ab alio, adeoque ex omni æternitate fuerit. Ab hoc igitur, ceu fonte, profluit omne id quod est. Habent, inquam, ab illo ut existant, quæcumque demum existunt, nec non tali modo ut existant, hoc est ut inanima sint, aut anima sensuque prædita, ut intelligant, ut sapiant, ut bona, ut beata sint, quæcumque ista sunt. Neque enim aliunde quam ab illo primo manare, ac communicari illa possunt. Atque ut ex eo quod multa sunt et existunt, colligimus unum esse primum existens, quam et οὐσίαν vocamus, *Usiam.* fontem et originem omnis essentiæ; sic ex eo quod multa sapiunt, intelligunt, bona sunt, eo ducimur, ut esse quamdam agnoscamus primigeniam ac per se subsistentem et increatam summamque sapientiam, intelligentiam, bonitatem. Quippe non minus in his, quam in οὐσίᾳ et existentia, in infinitum *Usia.* vitanda progressio est. Porro summa illa et æterna increataque bonitas et sapientia infinite ac sine modo ullo mensuraque perfecta sit oportet. Nam si certum modum perfectionis, ac limitem habeat, eum ab aliquo definiri circumscribique necesse est. Atqui superiorem nullum habet, a quo velut principio pendeat, ab inferiore autem quod superius est, definiri non potest. Prorsus igitur infinitum est. Hoc autem est Deus. Quare Deus est aliquis naturæ auctor ac rerum omnium conditor, summus, æternus, infinitus, et ejusmodi denique, qualem communis hominum sensus informat, ac philosophi veteres naturali sola præditi intelligentia cognorunt.

Idem ex absurdis demonstratur.

XI. Ut autem pressius collecta disputatio plus ad convincendum virium habeat, age mundum aliquis, auctore ac fabricatore extra se nullo, per se dicat extitisse; eum necesse erit ab omni æternitate fuisse, ut ex Richardo Victorino paulo ante conclusimus. Non enim si nihil aliquando rerum omnium fuit, res ulla per se ac nullo procreante fieri potuit. Fingamus igitur ab æterno mundum hunc fuisse, quod Aristoteli visum est nec ab aliquo esse factum. Fuerunt igitur ab æterno propagationes et generationes animantium ac stirpium rerumque cæterarum, itidem ut sunt hodie. Nam

a Sex. Empir. Τὸ δὲ τέλειον, καὶ ἄριστον, καὶ κρεῖττον μὲν ἂν ὑπάρχῃ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πάσαις ταῖς ἀρεταῖς συμπεπληρωμένον, καὶ παντὸς κακοῦ ἀνεπίδεκτον, τοῦτο δὲ οὐ διοίσει Θεοῦ.

b Id. Κοινὴν γὰρ πάλιν πρόληψιν ἔχουσι πάντες ἄνθρωποι περὶ Θεοῦ, καθ' ἣν μακάριόν τί ἐστι ζῶον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ τέλειον ἐν εὐδαιμονίᾳ, καὶ παντὸς κακοῦ ἀνεπίδεκτον.

c Plutar. Τὸ γὰρ μακάριον, καὶ ἄφθαρτον ξῶον, συμπεπληρωμένον τε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ κακοῦ παντὸς ἄδεκτον, ὅλον ὂν περὶ τὴν συνοχὴν τῆς ἰδίας εὐδαιμονίας, καὶ ἀφθαρσίας.

* De opere quinque libris contento inscriptoque Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, vel plenius ac multo ad materiam accommodatius, Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις φυσίκων δογμάτων, quod tribui Plutarcho consuevit, ita statuit Wittenbachius (*In proleg.*) : « Spurium opus. Ratio et oratio prorsus abhorrent a Plutarchi ingenio : in materia si quid sit, de quo non statuo, Plutarchei, hoc e perditis quibusdam germanis libris compilatum sit. » Consentiunt Beckius (*In præfat.*) et Georgius Hutten (*In annott.*) atque in hanc opinionem eruditi passim concedunt. E. R.

1 Cap. VII.

sine his universitas ista consistere non potest. Tum quod modo fieri cernimus, id fuisse ac fore perpetuum convenit, si naturæ necessitate fit, ut est ex illa opinione consequens, quæ primum intelligensque principium rebus eripit, cujusmodi est Deus. Atque nihil nunc nisi generatione, id est, mutua ex se invicem propagatione oritur. Idem ergo et ex æternitate factum est omni. Sumatur jam species aliqua rerum, velut hominum. Hi si ab æterno nunquam non extiterunt, etiam generationes fuere perpetuæ, id est ortus, occasusque, nascentibus aliis, aliis vicissim morientibus. Porro gignendi naturalis est ista conditio, ut non statim atque editum est animal in lucem, generet aliud, sed paulatim confirmet se, ac vires acquirat. « Videmus enim, ait Cyrillus Alexandrinus, in his quæ a Deo facta sunt, quæcumque gignendi vim partito habent : ejusmodi enim lex corporum : tum solum cum ad certam ætatis mensuram pervenerint, efficacem obtinere gignendi facultatem, uti homo, bestia, planta. Hæc enim cum pusilla sunt, gignere nequeunt, adulta vero et corroborata id faciunt [a].» Quocirca qui ab æterno extiterunt homines, simili lege procrearunt, non repente atque orti sunt, sed interjecto aliquo tempore, quo et vires ad gignendum collegerunt, et in matrum uteris suscepta proles coaluit maturaque est ad enixum reddita. At hoc ita constituto, perit jam illud quod initio sumptum erat : neque successio esse potest æterna gignendi. Etenim nulla est æterna aut infinita successio continuatioque temporis, quæ nec esse nec animo concipi aliter potest, quam ut anterior ea sit altera, quæ cum fuit, nondum illa esse potuit. Atqui nativitatum ista perpetuitas tempore semper est aliquo posterior, quo nondum ob imbecillitatem ætatis extitit. Quare si in infinita serie gignentium fingi nemo potest, qui ex æterno genuerit, consequens est nullam omnino generationem ab æterno esse potuisse. Proinde initium fuit aliquod in tempore gignendi. Quod si fuit, etiam mundus ab initio aliquo factus sit oportet.

XII. Pervulgatum etiam est hac in quæstione, Platonis et Aristotelis argumentum [1], quod ex motu petitur in hunc modum. Quidquid movetur, ab alio movetur. Non potest autem in iis quæ ab alio moventur, infinita fieri progressio. Itaque desinendum erit in uno aliquo quod immobile sit et æternum. Hoc sanctus Thomas adhibet [2], et rabbi Moses Maiemonides latius explicat in secunda parte libri *More nebochim*, cap. I. Verum id philosophorum disputationibus ac scholis magis congruit, quam instituto a nobis operi, quod ex antiquorum Patrum decretis ac sententiis efflorescit, qui argumentationis genere illo uti non solent. Præsertim cum ad illud perpoliendum et in luce vique sua ponendum nonnulla requirantur, quæ et ex naturæ philosophiæque principiis arcessenda sunt. Argumentum a motu petitum.

CAPUT III

Demonstratur unum esse Deum, ac primum ex naturali instinctu, consensuque hominum etiam gentilium : tum ex mundi gubernatione ac procreatione. Adversus Marcionitas et Manichæos ostenditur duo non esse contraria principia rerum.

I. Postquam esse Deum aliquem universe absoluteque probavimus, nunc unum tantummodo non plures esse, planum hoc in capite faciemus. Quanquam priore illo constituto, posterius hoc est consequens, quoniam ut recte Tertullianus scribit « Deus si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit [3]. » Athanasius quoque « Deos esse multos, perinde esse, ait, ac nullos dicere, itidemque principum multitudinem [b], id est πολυαρχίαν ἀναρχίαν esse. » Verum ut de eo certius constet, propriis hoc argumentis asseverabimus, eademque fere via qua esse Deum Polyarchiam anarchiam.

a CRYS. 5. thes. Ὁρῶμεν ἐν τοῖς πεποιημένοις παρὰ Θεοῦ, ὅτι περ ὅσα τοῦ γεννᾷν τὴν δύναμιν ἔχει μεμερισμένως· οὗτος γὰρ σωμάτων νόμος· καὶ ὅταν εἰς μέτρον ἡλικίας ἔλθῃ φανερὸν, τότε καὶ ἐνεργὸν ἴσχει τὸ τίκτειν· οἷον ἄνθρωπος, ζῶον ἄλογον καὶ φυτόν· ταῦτα γὰρ μικρὰ ὄντα, τίκτειν οὐ δύναται· τελειούμενα δὲ καὶ τοῦτο ποιεῖ.

b ATHAN. *contra Gen.* Ὥσπερ γὰρ ἐλέγομεν τὴν πολυθεότητα ἀθεότητα εἶναι· οὕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι.

1 In VIII, *Phys.* — 2 In I. par. quæs. II. art. III. et in comp. *Theol.* c. IV. — 3 Lib. I. *contra Marc.* cap. III.

ostendimus, ad divinæ naturæ singularitatem pervenire conabimur, primum trita et populari, tum ea quæ politis et eruditis ingeniis est aptior: quod utrumque, more nostro, ex antiquorum Patrum scriptis hauriemus. Qui quidem adversus hostium genera duo demonstrandum illud sibi sumpserunt.

Veteres hæretici plures Deos venditabant.

Nam et gentiles, idolorumque cultores refellendi erant, et hæretici plerique qui sub nomine christiano Deos multiplices venditabant. Atque horum quidem nonnulli turpius id etiam quam illi statuerunt, quod deorum istorum alterum, malum esse penitus finxerunt ac bonitatis omnis expertem, ut Marcio Ponticus et Manes, a quo Manichæorum perdita secta profluxit. Ac si diligenter hæreseon antiquarum historias perlustrare volueris, et eorum qui de his commentati sunt, velut Epiphanii, Theodoreti aliorumque scripta legere, scies nullam fere illarum extitisse quæ non plures deos constitueret, in iisque præcipuum aliquem et summum conditorem cæterorum ac moderatorem. Ex quo illud intelligitur, quod initio primi libri *de Trinitate* scripsi, e Platonicis fontibus tum hoc, tum reliqua propemodum priscarum hæresum dogmata manasse. His antiquioribus hæreseon architectis annumerandi sunt etiam Ariani, qui Filium Dei verbo Deum esse profitebantur, sed minorem Patre, reipsa vero negabant, ut qui creatum illum facerent, aut minorem, ut dixi, ac natura et substantia diversum, adeoque nullum. Contra quos fuit etiam sanctissimis illis Ecclesiæ doctoribus pro divinæ naturæ singularitate certandum.

Dei unitas demonstratur ex consensu omnium, etiam gentilium.

II. Igitur unum esse Deum imprimis vulgaribus argumentis efficitur, quæ ad duo capita revocare licet, alterum ex communi doctorum, indoctorumque judicio petitur, alterum ex ipsis sensibus ac mundi administratione. Veteres cum adversus deorum cultores christianam causam agunt, insignium poetarum ac philosophorum necnon sibyllarum testimonia quamplurima referunt, quæ unicum Deum esse, deos autem illos quos vulgus ascivit, mentitos et inanes esse prædicant. Ejusmodi Justinus haud pauca memoravit [1], tum Athenagoras [2], Clemens Alexandrinus [3], Lactantius [4], Cyrillus [5], Eusebius [6] et alii passim. E quibus hic nonnulla proferam. Orpheus inter alia quæ de Deo vero cecinit, sic habet:

Unicus est per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse extat: nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes [a].

Mox:

Magnum adeo præter regem non alter habetur [b].

Idem præterea:

In cunctis Deus unus [c].

Hunc porro, cum antea CCCLXV deos invexisset, unum postea sub mortem agnovisse testis est Theophilus in tertio *ad Autolycum*. Celebres sunt eadem de re Sophoclis et isti senarii, qui ab Justino, Athenagora, Clemente, Cyrillo, Eusebio citantur [7], ac prorsus admiratione digni [d]:

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Qui cœlum et amplum condidit terræ globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique nostrum mente sed capti, Deum
Simulacra nobis, ceu mali solatium,
Cum saxea atque acerna consecravimus,
Sive aureas, eburneasque imagines:
Sacris et istos colimus, his festos dies
Agimus, pios hoc esse nos remur modo.

a Orpheus.

Εἷς ἔστ' αὐτογενής· ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται· οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράα θνητῶν· αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

b Mox.

Οὐδέ τις ἔσθ' ἕτερος χωρὶς μεγάλου βασιλῆος.

c Id.

Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι.

d Sophocles.

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν· εἷς ἐστιν Θεός.
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἶδμα, κἀνέμων βίας·
Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαν πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὰς,
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων τε, καὶ ξύλων·
Ἢ χρυσοτεύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους.
Θυσίας τε τούτοις, καὶ καλὰς πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

1 In *Cohort. ad Græc.* et lib. *de Monar.* — 2 In *orat. pro Christ.* — 3 In *Protr.* et VII. *Strom.* — 4 Lib. I, c. III, IV, V. — 5 Lib. I. *contra Jul.* — 6 Lib. XIII. *de Præp.* — 7 In *Chron. Gr.*

Hesiodus item apud Clementem Alexandrinum:

Ipse etenim rex cunctorum dominusque gubernat.
Numina, non Deus huic alter contendere possit[a].

Aratus quoque operis initio unicum ac summum Deum agnoscit:

Quem placare ideo primum extremumque laborant.
O mirande pater! salve, valde utilis orbi[b].

III. Refertur et istud a Clemente 1 Pythagoræ dictum: « Deus quidem est unus. Is autem non est, ut quidam existimant, extra mundum, sed in ipso totus, in toto circulo, præses omnis generationis, universorum temperatio, semper existens, et opifex suarum virium, et operum omnium, in cœlo illuminator, omnium pater mens, et animatio totius circuli, omnium motus [c]. »

Plato vero in *Timæo* Deum unum ac supremum aperte prædicat, a quo cæteri procreati sunt quibus vitam et perennitatem impertit 2. Idemque aliis in locis tum ipse profitetur, tum ejus sectæ præcipui quique philosophi, ut in capite I libri primi *de Trinitate* docuimus. Ac Cyrillus qui hæc fere omnia commemoravit in primo *contra Julianum*, Porphyrium laudat qui in quarto libro *Historiæ philosophicæ*, Platonem ait « de uno Deo et sensisse et locutum esse, nullum vero nomen ei convenire, neque humanam mentem eum capere, et appellationibus, quæ a posteriori dicuntur, eum improprie declarari [d]. » Quod ipsum non modo de Platone, sed etiam de Aristotele testatur Athenagoras. Ac Platonis de primo principio et unico rerum omnium, luculentum Procli testimonium ex secundo *Commentariorum in Timæum*, supra capite primo commemoravimus.

De reliquis pene omnibus philosophis Minucius Felix, qui et Virgilium hujus dogmatis adstipulatorem citat his verbis: « Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius: Principio, ait, cœlum et terras et cætera mundi membra spiritus intus alit et infusa mens agitat? Inde hominum pecudumque genus et quidquid aliud animalium. Idem alio loco, mentem istam et spiritum Deum nominat, hæc enim vera sunt. Deum namque ire per omnes terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum. Unde homines et pecudes, unde imber, et ignes 3. » Vide et Lactantium in primo libro capite quinto et in libro *de Ira Dei* capite XI. Sibyllarum porro testimonia, quoniam de illarum auctoritate minus inter doctos convenit, missa hoc loco faciam, quæ apud illos quos commemoravi legere quisque poterit. Quamobrem verissimum illud est de gentilibus philosophis ab Orosio dictum, eos « dum intento mentis studio quærunt scrutanturque omnia, unum Deum auctorem omnium reperisse, ad quem unum omnia referuntur. Unde etiam nunc pagani, quos jam declarata veritas de contumacia magis quam de ignorantia convincit, cum a nobis discutiuntur, non se plures deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari fatentur. Restat igitur de intelligentia veri Dei per multas intelligendi suspiciones confusa dissensio, quia de uno Deo omnium pene una opinio est 4. » Et Augustinus in vicesimo *contra Faustum* capite X, « paganos, ait, multos suos deos ex una substantia asserere. » Quod etiam [e] Maximus Tyrius in prima dissertatione docuit, affirmans communem hunc sensum habere mortales omnes: « Unum esse Deum omnium regem ac parentem, ac deos multos Dei filios cum Deo imperantes. »

a Hesiodus.

Αὐτὸς γὰρ πάντων βασιλεὺς, καὶ κοίρανός ἐστιν
Ἀθανάτων τε ὁ δ' οὔτις ἐρήρεισται Θεὸς ἄλλος.

Forte ita legendum.

Ἀθανάτων· Θεῷ οὔτις ἐρήρισται.

ut putat Silburgius.

b Aratus.

Τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε, καὶ ὕστατον ἱλάσκονται·
Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ.

c Pythag. Ὁ μὲν Θεὸς εἷς· χ' οὗτος δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τὰς διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν αὐτᾷ ὅλος, ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ, ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος, κρᾶσις τῶν ὅλων, ἀεὶ ὤν· καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυνάμιων, καὶ ἔργων ἁπάντων, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ νοῦς, καὶ ψύχωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ πάντων κίνασις.

d Cyr. Πορφύριος δέ φησιν ἐν βιβλίῳ τετάρτῳ φιλοσόφου ἱστορίας, δοξάσαι τε τὸν Πλάτωνα, καὶ μὴν καὶ φράσαι πάλιν περὶ ἑνὸς Θεοῦ, ὄνομα δὲ αὐτῷ μηδὲν ἐφαρμόττην μηδὲ γνῶσιν ἀνθρωπίνην αὐτὴν καταλαβεῖν, τὰς δὲ λεγομένας προσηγορίας ἀπὸ τῶν ὑστέρων καταχρηστικῶς αὐτοῦ κατηγορεῖν.

e Maxim. Tyr. orat. 1. Ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς, καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοὶ, Θεοῦ παῖδες συνάρχοντες Θεῷ.

1 In *Protr.* p. 35. edit. Heins.—2 Vide Euseb. l. XI. de *De præparat.* p. 314.— 3 *Æneid.* VI, 723 et seqq.—4 L. VI. *Hist.* c. 1.

IV. Sed supra omnia est intestinum illud ac tacitum testimonium, quod suus cuique dicit animus etiam vanis deorum superstitionibus ac publicis erroribus occupatus, de quo librum Tertullianus edidit, quem *de Testimonio animæ adversus gentes* inscripsit. In eo, demonstrat homines eo instinctu naturæ ferri, ut unicum Deum agnoscant ac communi sermone sponte fateantur. Passim enim ita loqui gentiles ait : « Quod Deus dederit ; et, Si Deus voluerit. » Item : « Deus bonus est, Deus benefacit, benedicat te Deus. » Tum : « Deus videt omnia et Deo commendo, et Deus reddet, et Deus inter nos judicabit. » Vide eumdum in *Apologetico*, capite XVII, ubi eadem ponit. Et, « O testimonium, inquit, animæ naturaliter christianæ ! » Sic Minucius in *Octavio* : « Audio vulgus, inquit, cum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam Deum dicunt, et Deus magnus est, et Deus verus est, et si Deus dederit. Vulgi iste naturalis sermo est, an christiani confitentis oratio ? » Idem et Arnobius gentilibus objicit in secundo libro, et Lactantius qui hunc locum elegantissime descripsit in secundo libro. « Nam et cum jurant, inquit, et cum optant, et cum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant. Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit, quod quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes honorem dare divinæ indulgentiæ deberent. At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando incubuerit, ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat oratur. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat. Si quis aliqua vi affligatur, hunc protinus implorat. Si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, et per ejus divinum atque unicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi cum in malis sunt[1]. » Hæc Lactantius, qui et superiora illa de Dei singularitate ex poetarum philosophorumque testimoniis in toto fere primo luculenter exponit.

Probatur 2º ex intimo animæ testimonio.

Huc faciunt et Prudentii versus illi ex *Apotheosi :*

Ecquis in Idolio recubans, inter sacra mille,
Ridiculosque deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum, et super omnia solum ?
Quamvis Saturnis, Junonibus, et Cythereis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras,
Attamen in cœlum quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.

Plotinus item egregie testimonium illud animæ singularem Deum profitentis agnoscit. « Unum quiddam, ait, idemque numero esse simul ubique totum communis indicat mentis humanæ notio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquoque nostrum esse Deum, adeo ut unus in omnibus idemque sit Deus, etc. Atque hoc est omnium firmissimum principium, quod animæ nostræ velut eloquuntur, quod ex singulis in unam summam redigitur[a]. »

V. Alterum genus argumentationis quo unicum esse Deum efficitur, indidem petitur unde et esse Deum aliquem superioribus capitibus ostendimus, ex mundi procuratione ac rerum administratione. « Certum quippe est, ut recte docet Abælardus, omnia tanto majore concordia regi, quanto paucioribus cura regiminis eorum commissa est[2]. Nihil autem melius aut majori concordia regi, quam mundum constat universum, quod in primo *de Inventione* proditum a Cicerone refert. Uni igitur regimini subjectum est. Nihil quippe, ut dictum est, majori concordia quam mundus regitur, nec etiam res ea quælibet, cui unus tantum præsidet rector. Nullo itaque modo pluribus rectoribus mundus subjacet, sed uni tantum. Tanto quippe major in omnibus custoditur concordia, quanto major tenetur identitas, et tanto amplius a concordia receditur, quanto ab unitate magis. Ut ergo summa sit concordia

3º Ex mundi gubernatione.

a PLOTIN. *Ennead.* 6, lib. V, cap. 1. Τὸ ἕν, καὶ ταὐτὸν ἀριθμῷ πανταχοῦ ἅμα ὅλον εἶναι, κοινὴ ἔννοιά φησιν εἶναι, ὅταν πάντες κινούμενοι αὐτοφυῶς λέγωσι τὸν ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν Θεὸν, ὡς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν, etc. Καὶ ἔστι πάντων βεβαιοτάτη ἀρχὴ, ἣν ὥσπερ αἱ ψυχαὶ ἡμῶν φθέγγονται, ἡ ἐκ τῶν καθ' ἕκαστα συγκεφαλαιωθεῖσα.

1 Lib. III *Introd. theol.* pag. 1006. — 2 Lib. I, cap. III.

summa teneatur identitas ac præcipua conservetur unitas. Nil autem cum aliquo ita ut secum idem vel (esse) potest; nec alii ita concordare ut sibi, cum a seipso nihil dissimile sit.» Eadem ratio et ab uno ac singulari artifice persuadet mundum esse factum, quia, ut idem disserit, « facta sunt omnia primitus, ut optime postea regerentur; et quæ fiebant ut regerentur, ad regendum utique, dum fierent, præparabantur. Ut ergo optime regerentur facta, optime dum fierent, ad regendum erant præparanda.» Quare non minus ad procreandum, quam ad gubernandum summa et qua nulla major esse possit, opus fuit concordia : « Ad quam etiam conditionis concordiam, sicut et regiminis unitas ipsa atque identitas maxima conditoris proficit. » Ad hunc corroborandum illustrandumque locum pertinet Athenagoræ disputatio, qui in *Legatione pro christianis* ita rem conficit : « Si duo, vel plures, inquit, ab initio erant dii, vel conjuncti illi pariter in una eademque natura, vel separati fuere singuli. At conjuncti simul esse non poterant. Non enim si dii, similes, sed quia innati alii sunt, alii nati, non sunt similes. Nam quæ producta sunt, similia sunt exemplarium. Quæ autem minime producta, dissimilia sunt, cum nec ab aliquo, neque ad aliquem facta sint[a]. »

VI. Deos igitur minime plures esse potuisse probat, quia aut ab uno aliquo propagati sunt cæteri et ad unius effigiem procreati, aut ab se invicem distracti penitus et alieni. Horum prius gentiles fere, nec non philosophi tenuerunt, imprimisque Plato. Sed ex eo convincitur, quod qui ita sentiunt, unum esse Deum confitentur, nempe summum, a quo facta omnia. « Jam ergo cæteri dii non erunt, ait Lactantius, sed satellites ac ministri, quos ille unus maximus et potens omnium officiis his præfecit, ut ipsi ejus imperio ac nutibus serviant. Non enim pares esse summo illi poterunt qui ab illo procreati sunt, eique subjecti adeoque dii non erunt. Nam si Deus est nomen summæ potestatis, incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subjectus. Ergo dii non sunt, quos parere uni maximo Deo necessitas cogit[1], » ait idem Lactantius. Neque vero dici potest illos eadem specie ac natura contineri, ac numero tantummodo diversos esse, ut sunt homines multi, aut invicem et supremo illi, a quo facti sunt, æquales esse. Quippe uti personæ, sic naturæ in illis diversæ sint oportet, numero saltem, quemadmodum in pluribus illis hominibus accidit. At non possunt solo esse numero distinctæ. Quæ enim natura per se increata est et a nullo produci potest, non est eadem specie cum ea, quæ ex se nisi producatur, esse non potest. Ita summus ille cæterorum creator, cum a nullo originem capere possit, essentia differt ab cæteris, qui nisi ab eo essent creati non existerent. Nam quod ab uno summoque principio duas oriri personas christiana fides habet, longe alia ratio est, quoniam neque naturæ plures sunt, ut in individuis sub eadem specie fit, neque fieri aut procreari dicuntur illæ duæ, sed gigni ac procedere. Ita necesse est ejusdem omnes esse substantiæ, immo unam et eamdem simplicissimamque rem atque naturam. Hoc si gentiles de diis suis crederent, christiani plane fuissent, si hoc insuper adjicerent, ut non plures duabus ab una propagatis personis esse dicerent, quæ suo loco demonstranda erunt. At nos contra illos disputamus modo qui Deos plures et naturis et personis inter se distinctos statuunt, quorum si aliqui ab uno primo summoque profecti sunt, qui sit ἀγέννητος, isti autem γεννητοί, recte concludit Athenagoras in unum idemque convenire non posse, hoc est eadem essentia naturaque censeri. *Ingenitus, genitus.*

VII. Jam si plures ita sunt ut a se invicem orti non sint, dissimiles erunt et specie diversi, quoniam ad unum exemplar non erunt facti, ut idem Athenagoras erudite disserit. Hoc vero fieri non posse, exquisitiori paulo post ratione monstrabimus. Nunc quod instituimus, ex mundi gubernatione idipsum adstruemus. Quæ oratio adversus Marcionitas et Manichæos potissimum valet, qui deos inter se pugnantes et contrarios invehunt. Sed de multitudine prius, mox de pugna viderimus. Lactantius in primo *Institutionum*[2] non multos esse mundi gubernatores deos, sic fere col-

a Athen. Εἰ δύο ἐξ ἀρχῆς, ἢ πλείους ἦσαν θεοὶ, ἤτοι ἐν ἑνὶ, καὶ ταὐτῷ ἦσαν, ἢ ἰδίᾳ ἕκαστος αὐτῶν· ἐν μὲν οὖν ἑνὶ, καὶ ταὐτῷ εἶναι οὐκ ἐδύναντο· οὐ γὰρ εἰ θεοὶ, ὅμοιοι· ἀλλ' ὅτι ἀγένητοί τε, καὶ γενητοὶ οὐχ ὅμοιοι· τὰ μὲν γὰρ γενητὰ, ὅμοια τοῖς παραδείγμασι· τὰ δὲ ἀγένητα, ἀνόμοια, οὐδὲ ἀπό τινος οὔτε πρός τινα γενόμενα.

1 Lib. I. cap. III. — 2 Cap. III.

Adversus Marcionitas et Manichæos unum esse Deum ostenditur.

ligit : « Quid enim multis opus est, inquit, ad mundi regimen sustinendum? nisi forte arbitremur, si plures sint, minus habere singulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt ii qui esse multos volunt, quia necesse est imbecilles esse, si quidem singuli sine auxilio reliquorum tantæ molis gubernaculum sustinere non possunt. Deus autem qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, unus sit necesse est. Potestas enim, vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidum existimandum est cui nihil decedere, id perfectum cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimum esse regem qui totius orbis habeat imperium? neque immerito, cum illius sint quæ ubique sunt omnia, cum ad eum solum omnes undique copiæ congerantur. At si plures partiantur orbem, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo dii, si plures sunt minus valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. »

Etenim vel plures illi dii, si pari omnes erunt potestate et ad gubernandum virtute præditi, sic ut singuli tantumdem in se virium habeant, quantum universi, vel potestates inter se et officia partientur, ut ex iis quilibet sufficere omnibus nequeat. Prius si dixeris, supervacanea est multitudo, cum unus idem quod multi præstare possit. Atqui bonum non erit quod superfluum sit, ut Abælardus scribit. « Superfluus autem alius vel creator esset, vel rector si unus ad omnia æque sufficiat, ut plures. Sufficit autem, cum sit summum ac perfectum atque ad omnia sufficiens, ut dictum est bonum. » At hoc in causis omnibus creatis cernimus quæ divinam ac sempiternam imitantur, nihil omnino redundans ac superfluum esse, neque pares et ejusdem ordinis et efficientiæ multas causas adhiberi, ubi satis una esse possit. Nam neque multi soles in mundo impartiendæ luci facti sunt, neque plures in unoquoque corpore animæ. Quare frustra tot illi gubernandis rebus dii sunt appositi. Sin vires suas et curationes habent singuli, ac certis finibus circumscribuntur, primum dii esse qui possunt, quorum definita vis ac potentia est? Deinde « nisi singularum partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit summa ipsa constare, ait Lactantius, unoquoque nihil curante amplius quam quod ad eum proprie pertineat. Sicut ne res quidem militaris, nisi unum habeat ducem atque rectorem. Quod si in uno exercitu tot fuerint imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ, primum nec instrui poterit acies, unoquoque periculum recusante, nec regi facile aut temperari, quod suis propriis consiliis utantur omnes, quorum diversitate plus noceant quam prosint. Sic in hoc naturæ imperio, nisi unus fuerit ad quem totius summæ cura referatur, universa solventur et corruent. Dicere autem multorum arbitrio regi mundum tale est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes, quoniam multa et varia sunt ministeria membrorum, ut singulos corporis sensus singulæ mentes regere credantur : item multi affectus quibus commoveri solemus vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad lætitiam, vel ad metum vel ad miserationem, ut in his omnibus totidem mentes putentur operari. Quod si quis profecto dicat, ne ipsam quidem, quæ una est, habere videatur. Quod si in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens humana possidet, et universis simul intenta est, cur aliquis existimet mundum non posse ab uno regi, a pluribus posse? » Hæc Lactantius, quæ et in libro *de Ira Dei* breviter contorteque sic colligit[1] : « Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit, nec poterunt singuli habere totum quod est commune cum pluribus : unicuique tantum deerit, quantum cæteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges. Sed nec in cœlo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore, adeo in unitate natura universa consentit. »

VIII. Iisdem exemplis et imperiorum similitudine terrenorum, *quibus exempla utique de cœlo,* idipsum Minucius approbat ac Cyprianus in libro de *Idolorum vanitate*. Et Athanasius, qui in libro *contra Gentiles* neque plures esse posse, neque invicem contrarios ita demonstrat. « Quin, ordo ipse dispositionis et rerum omnium consentiens harmonia, non plures, sed unum rectorem ipsius ac ducem esse Dei Verbum ostendit. Non enim si plures essent rerum creatarum principes, servaretur ejusmodi universitatis ordo,

[1] Cap. xi.

sed omnia confusa rursus ac perturbata forent, cum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et cum altero depugnaret[a].» Quamobrem ex ipsa mundi concordia ac pugnantium inter se elementorum, cæterorumque corporum constanti ac perpetua temperatione, unum esse moderatorem copiosa oratione declarat. Tum ex eo quod unus tantummodo mundus est, unum esse summum illius artificem operis his verbis explicat : « Nam certum est illud indicium, unum esse istius universitatis auctorem, quod non mutiplex, sed unus mundus existit. Oportet enim si plures essent principes, plures quoque et diversos esse mundos. Si quidem par non est, ut plures unum mundum ædificent, aut unum a multis ædificari, propter absurda, quæ se inde ostenderent. Primum quidem, quod si a multis fabricatus esset hic mundus, imbecilles fuisse ejus fabros arbitrandum foret, eo quod multorum opera ad unum opus requisita esset. Et ex eo quoque argumentum colligeretur minime vulgare imperfectæ uniuscujusque ad faciendum scientiæ. Nam si unus idoneus fuisset, non plures aliorum defectum, quasi succenturiati, adimplevissent. In Deo autem dicere aliquid esse minus integrum aut perfectum, non solum impium, sed plusquam nefarium est. Quippe neque artificem inter homines absolutum dixeris, sed imbecillem, si non solus, sed cum multis unum opus expediat. Porro si cum unus quisque totum efficere posset, universi tamen elaborarunt, ut in operis communionem venirent, ridiculum istud fuerit, si gloriolæ causa quilibet operam navaverit, ne in suspicionem imbecillitatis veniret. Est autem absurdissimum ullam in diis affectationem gloriolæ constituere. Deinde si unusquisque per se idoneus esset ad universi fabricationem, quid opus erat conspiratione multorum, cum ad totum præstandum unus sufficeret[b]?» Addit et de multorum inter se conflictu. « Sed et illud, inquit, sciendum est, si a multis fabricatus esset hic mundus, diversas sibique dissimiles motiones habiturum fuisse. Nam ad unumquemque eorum, a quibus factus esset, respiciens, diversas quoque motiones obiret. In ipsa autem diversitate, ut jam dictum est, rursus existeret confusio totiusque perturbatio. Quandoquidem ne navis quidem a multis gubernata recte cursum tenuerit, nisi unus illius clavum gubernator teneat ; neque cithara, si a multis pulsetur, concentum edet, nisi unus illam artifex plectro feriat[c]. » Postremo ideo unum ait a Deo mundum esse productum, ne in deorum multitudinis opinionem homines adducerentur, « sed ut ex uno, singularique mundi opere, unicum illius molitorem Deum esse colligerent[d].»

IX. Quamobrem cum omnis nostra cognitio ex iis quæ sensibus percipere possumus expressa sit, quoniam unum duntaxat mundum esse perspicimus, non debemus plures illius effectores cogitare deos, nisi temere vati-

a ATHAN. Καὶ ἡ τάξις δὲ αὐτὴ τῆς διακοσμήσεως, καὶ ἡ τῶν πάντων μεθ' ὁμονοίας ἁρμονία, οὐ πολλοὺς, ἀλλ' ἕνα τὸν αὐτῆς ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα δείκνυσι λόγον. οὐκ ἂν γὰρ, εἴπερ ἦσαν πολλοὶ τῆς κτίσεως ἄρχοντες, ἐσώζετο τοιαύτη τάξις τῶν πάντων· ἀλλ' ἦν πάλιν ἄτακτα πάντα διὰ τοὺς πολλούς, ἕλκοντος ἑκάστου πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν πάντα, καὶ μαχομένου πρὸς τὸν ἕτερον.

b ATHAN. Γνώρισμα γὰρ ἀσφαλὲς τοῦ ἕνα τῶν ποιητὴν εἶναι τοῦ παντός ἐστι τοῦτο, τὸ μὴ πολλοὺς, ἀλλ' ἕνα εἶναι τὸν κόσμον. ἔδει γὰρ, εἴπερ ἦσαν πολλοὶ θεοὶ πολλοὺς εἶναι, καὶ διαφόρους τοὺς κόσμους· οὔτε γὰρ ἔπρεπε τοὺς πολλοὺς ἕνα κόσμον κατασκευάζειν, οὔτε τὸν ἕνα ὑπὸ πολλῶν ποιεῖσθαι, διὰ τὰ ἐκ τούτων δεικνύμενα ἄτοπα· πρῶτον μὲν, ὅτι εἰ ὑπὸ πολλῶν ὁ εἷς ἐγεγόνει κόσμος, ἀσθένεια τῶν ποιησάντων ἦν ὅτι ἐκ πολλῶν ἓν ἔργον ἀπετελέσθη· καὶ ἐκ τούτου γνώρισμα οὐ τὸ τυχὸν ἦν τῆς ἀτελοῦς ἑκάστου πρὸς τὸ ποιεῖν ἐπιστήμης· εἰ γὰρ ἤρκει εἷς, οὐκ ἂν οἱ πολλοὶ τὴν ἀλλήλων ἀνεπλήρουν ἔλλειψιν· ἐν Θεῷ δὲ λέγειν εἶναί τι ἐλλιπὲς, οὐ μόνον ἀσεβὲς, ἀλλὰ καὶ πέρα τῶν ἀθεμίτων ἐστί· καὶ γὰρ καὶ τεχνίτην ἐν ἀνθρώποις οὐκ ἄν τις εἴποι τέλειον, ἀλλὰ ἀσθενῆ εἰ μὴ μόνος, ἀλλὰ μετὰ πολλῶν ἓν ἀποτελοίη ἔργον· εἰ δὲ ἕκαστος μὲν ἐδύνατο τὸ ὅλον ἀποτελέσαι, οἱ πάντες δὲ εἰργάσαντο. διὰ τὴν τοῦ γιγνομένου κοινωνίαν· γελοῖον μὲν ἂν εἴη τὸ τοιοῦτον, εἰ διὰ δόξαν ἕκαστος εἰργάσατο, ἵνα μὴ ὡς ἀδύνατος ὑπονοηθῇ· κενοδοξίαν δὲ πάλιν ἐν θεοῖς λέγειν, τῶν ἀτοπωτάτων ἐστίν· ἔπειτα εἰ ἕκαστος ἱκανὸς ἦν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου δημιουργίαν, τίς ἡ χρεία τῶν πολλῶν, ἑνὸς αὐτάρκους γινομένου πρός τὸ πᾶν;

c ATHAN. Καὶ τοῦτο δὲ ἰστέον, ὅτι εἰ ὑπὸ πολλῶν ὁ κόσμος ἐγεγόνει, διαφόρους εἶχε καὶ τὰς κινήσεις, καὶ ἀνομοίους ἑαυτῷ· πρὸς ἕκαστον γὰρ τῶν ποιησάντων ἀποβλέπων, διαφόρους εἶχε τὰς κινήσεις· ἐν δὲ τῇ διαφορᾷ, καθάπερ εἴρηται πρότερον, πάλιν ἦν ἀκοσμία, καὶ τοῦ παντὸς ἀταξία· ἐπειδὴ οὐδὲ ναῦς ὑπὸ πολλῶν κυβερνωμένη κατ' ὀρθὸν πλευσεῖται, εἰ μὴ εἷς ταύτης τοὺς οἴακας κρατοίη κυβερνήτης· οὐδὲ λύρα ὑπὸ πολλῶν κρουομένη σύμφωνον ἀποτελέσει τὸν ἦχον, εἰ μὴ εἷς ὁ ταύτην πλήσσων εἴη τεχνίτης.

d IB. Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ δημιουργὸς ἕνα τὸν σύμπαντα κόσμον πεποίηκεν, ἵνα μὴ τῇ τῶν πολλῶν συστάσει, πολλοὶ καὶ οἱ δημιουργοὶ νομίζοιντο· ἀλλ' ἑνὸς ὄντος τοῦ ποιήματος εἷς καὶ ὁ τούτου ποιητὴς πιστεύηται.

cinari ariolarique velimus. Ut propterea vere hoc dictum ab Augustino fuerit : « Unum Dominum communis natura testatur, quia unus est mundus[1]. » Vide Euthymium in *Panopliæ* parte I, titulo IX, ubi Gregorii Nysseni locum citat illius Athanasii germanum, qui ex mundi gubernatione et constanti ordine unum adstruit esse conditorem et moderatorem, ex libro qui περὶ Θεογνωσίας, *de Dei notitia* inscribitur.

Adversus Marcionitas ostenditur et Manichæos non esse duo principia rerum.

Idem vero Athanasius sub initium libri illius, in quo adversus gentiles disputat, hæreticos illos acerius refellit, qui præter bonum auctoremque boni Deum, malum alterum statuebant, conditorem aspectabilium rerum, quales erant Marcionis ac Manichæi discipuli[2]. Quos non solum ex Scripturis convincit, quæ unicum Deum diserte prædicant, velut *Deuteronomii* sexto : *Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Tum *Matthæi* undecimo : *Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ*[3], sed humanæ etiam rationis argumentis. Quod si præter Deum illum unicum, quem christiani omnes verentur, alius quispiam foret, mali artifex e priori contrarius, pari cum eo potestate, hoc est infinita esse deberet, si quidem Dei nomen conditionemque tueri vellet. Quod si æqua sit amborum vis et potestas, quam in boni Dei opera ille malus exercet, id impium et execrandum sequetur : « Nam in iis, quæ pari sunt potestate prædita, nihil est quod excellat et præstantius sit. Quippe si nolente altero existit alterum, æqualis est amborum tum vis, tum imbecillitas : vis quidem æqualis, quatenus in eo quod existunt ambo, voluntatem suam vincunt mutuo : imbecillitas vero par erit utriusque, quod invitis ipsis ac præter eorum voluntatem res accidunt. Siquidem et bonus renitente est malo, et malus nolente bono[a]. » Præterea : « Si quæcumque sensibus percipimus, opera sunt mali, quodnam boni opus erit? Nihil enim apparet præter id, quod ab opifice creatum est. Quod autem boni indicium erit, cum nulla extent ejus opera, ex quibus cognosci queat? Nam ex operibus artifex dignoscitur. Quinam porro duo omnino esse possunt invicem contraria? aut quid est, quo illa separantur, ut disjuncta consistant? Fieri enim non potest, ut simul existant, eo quod sese mutuo extinguendi vim habent. Sed neque alterum esse in altero potest, quod insociabilis ac dissimilis natura sit illorum. Itaque tertium erit quiddam, quod illa dirimit, ipsumque Deus. Sed hoc cujus tandem erit naturæ? utrum illius quæ inest in bono, an qua malus præditus est? Incerta plane res erit. Atqui utriusque simul esse nequit[b]. »

X. Hæc Athanasius, quæ pluribus explicantur ab iis qui contra Marcionem, Manichæumque scripserunt, ut Tertullianus, Augustinus, Epiphanius, aliique Græci pariter et Latini Patres. Imprimis autem acute adversus Manichæos de hoc genere disputant Titus Bostrensis[4] et Didymus[5]. Ac supra etiam Athenagoram vidimus eodem fere, quo Athanasius utitur, argumento plures deos oppugnantem, quod nec simul consistere possint, præsertim inter se dissidentes et contrarii, neque tamen alius sit mundus, in quo eorum alter existat ac vim suam et functionem obtineat. Nam si in possessionem alterius involare cupiat, aut ab eo repelletur, aut eum vincet, quorum neutrum salvo divinitatis jure ac nomine defendi potest.

Ac profecto cum Dei appellationi subjecta

a Athan. Εἰ μὴ ἄρα ὡς ἐν ἰσοστασίῳ καὶ τῶν τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ τὸν φαῦλον δύνασθαι γενέσθαι κύριον εἴποιεν· ἀλλ' ἐὰν τοῦτο λέγωσιν, ὅρα εἰς ὅσην ἀσέβειαν ἐκπίπτουσιν· ἐν γὰρ τοῖς τὰ ἴσα δυναμένοις, τὸ ὑπερέχον, καὶ κρεῖττον οὐκ ἂν εὑρεθείη· καὶ γὰρ εἰ μὴ θέλοντος τοῦ ἑτέρου, τὸ ἕτερόν ἐστιν, ἴση ἀμφοτέρων ἡ ἀσθένειά ἐστιν· ἴση μὲν ὅτι νικῶσιν ἀλλήλων τὴν βούλησιν ἐν τῷ εἶναι· ἀσθένεια δὲ ἀμφοτέρων ἐστὶν, ὅτι μὴ βουλομένοις αὐτοῖς παρὰ γνώμην ἀποβαίνει τὰ πράγματα· ἔστι γὰρ καὶ ὁ ἀγαθὸς παρὰ γνώμην τοῦ φαύλου· ἔστι (δὲ) καὶ ὁ φαῦλος παρὰ βούλησιν τοῦ ἀγαθοῦ.

b Id. Εἰ τὰ φαινόμενα ἔργα τοῦ φαύλου ἐστί· τί τὸ ἔργον τοῦ ἀγαθοῦ; φαίνεται γὰρ οὐδὲν, πλὴν μόνης τῆς τοῦ δημιουργοῦ κτίσεως. τί δὲ καὶ τοῦ εἶναι τὸ ἀγαθὸν γνώρισμα, οὐκ ὄντων αὐτοῦ ἔργων, δι' ὧν ἂν γνωσθείη; ἐκ γὰρ τῶν ἔργων ὁ δημιουργὸς γινώσκεται· πῶς δὲ ὅλως καὶ δύο ἂν εἴη ἐναντία ἀλλήλων; ἢ τί τὸ διαιροῦν ἐστι ταῦτα, ἵνα χωρὶς ἀλλήλων γένωνται; εἶναι γὰρ αὐτὰ ἅμα ἀδύνατον, διὰ τὸ ἀναιρετικὰ ἀλλήλων εἶναι· ἀλλ' οὐδὲ ἕτερον ἐν ἑτέρῳ δυνηθείη ἂν εἶναι, διὰ τὸ ἄμικτον, καὶ ἀνόμοιον αὐτῶν τῆς φύσεως· οὐκοῦν ἐκ τρίτου τὸ διαιροῦν φανήσεται καὶ αὐτὸ Θεός· ἀλλὰ ποίας ἂν εἴη καὶ τὸ τρίτον φύσεως; πότερον τῆς τοῦ καλοῦ, ἢ τοῦ φαύλου, ἄδηλον φανήσεται· τῆς γὰρ ἀμφοτέρων εἶναι αὐτὸ ἀδύνατον.

1 Serm. I, *de Innoc.* — 2 Vers. 4. — 3 Vers. 115. — 4 Tom. IV, *Biblioth. Patrum*. — 5 Ibid. Vide et Damasc. lib. IV, cap. XXI, et Orig. lib. *de Recta fide*.

notio sit ejusmodi, ut infinitum aliquid et infinita vi præditum ad agendum pariter ac resistendum significet, hoc est prorsus insuperabile et quidquid voluerit summa potestate ac facilitate perficiens, non possunt duo esse, vel plures inter se repugnantes ac contrarii, quales sunt bonus ille ac malus, quos hæretica pravitas ascivit. Si enim tales essent duo, necessario id quod vellent efficerent simul et non efficerent. Facerent enim, quia quicumque Deus est, is est omnipotens, et nemo ejus voluntati potest resistere. Cum autem sese invicem oppugnarent, nec alterum altero esset inferius, neque ei cedere vellet aut posset (quoniam nec bono malum obsequi, nec malo bonum cedere sponte sua potest, multo vero minus invitum, si infinitum est ac si Deus est) neuter ageret quidquam, sed alter alterum præpediret. Præsertim vero malus ille quantum posset (posset autem quidquid vellet, si Deus foret) omnem boni efficientiam conaretur extinguere. Quod adeo licet in dæmonibus, eorumque diabolo principe cernere, qui si parem ad nocendum voluntati potestatem haberet, nullum omnino bonitatis vestigium relinqueret. Sed hæc adversus multiplices deos et contrarios et ab antiquis disputata sunt, ut dixi plenius, et hoc tempore supervacanea sunt, ut latius ea disserere minime sit necesse. Postremo Aristotelem vide, qui in libro XII *Metaphysicæ*, unum esse principium rerum omnium disserit ac libri clausulam hanc addit, quæ ex mundi gubernatione idipsum colligit : « Res omnes quæ sunt, inquit, nolunt male gubernari [a]. »

Non est bonum principum multitudo, unus [esto princeps.

CAPUT IV

Exquisitioribus argumentis res eadem probatur, non uno plures posse deos esse.

Deum num esse probatur ex ipsius natura quæ nonnisi in uno potest consistere.

I. Præter eas rationes quæ ex mundi gubernatione, externisque Dei operibus assumuntur, aliæ sunt ex Dei natura et divinitatis conditione ipsa petitæ, quarum summa propemodum ista conficitur. Quicumque divinitatis alicujus sensum et cogitationem habent, ii Deum illud esse censent quod summum sit et perfectissimum, vel « quo nihil melius sit atque sublimius [1], ait Augustinus. Omnes enim, inquit deinde, pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. » Quod autem ejusmodi est, unum ac singulare est, neque duo vel plura summa esse possunt ac perfectissima. Deus igitur est unus. Ita Tertullianus argumentationem suam informat in primo libro *contra Marcionem* : « Deus, inquit, si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest, id definio, quod et omnium conscientia agnoscet, Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine, etc. Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum, quia si fuerit, adæquabitur, et si adæquabitur, non erit jam summum magnum eversa conditione, et ut ita dixerim lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum [2]. » Ac subinde : « Certe quemcumque alium Deum induxeris, non alia poteris eum forma tueri Deum, quam ut et illi proprium divinitatis adscripseris, sicut æternum, ita et summum magnum. Duo ergo summa magna quomodo consistent, cum hoc sit summum magnum, par non habere? Par autem non habere, uni competat, in duobus esse nullo modo possit? »

Brevius auctor libri *de Trinitate*, qui Novatiano inscribitur [3] : « Ideo et unus pronuntiatus est, dum parem non habet. Deus enim quidquid esse potest, quod Deus est, summum sit necesse est. Summum autem quidquid est, ita demum summum esse oportet, dum extra comparem est. Et ideo solum et unum sit ne-

a Arist. in calce lib. XII *Metaph.* Τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

1 Aug. lib. I, *de Doct. christ.*, cap. VII. — 2 Cap. III. — 3 Cap. IV.

cesse est, cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Quoniam nec duo infinita esse possunt, ut rerum dictat ipsa natura. » Nec abhorret ab eo Sallustius gentilis philosophus, qui in libro *de Diis et mundo* « primam causam ait unam esse oportere. Quippe multitudini omni præire monadem, ac virtute et bonitate omnia superare. Ob id necesse est illam ab omnibus participari [a]. »

...ia plures ...ulla re ...ifferrent ...nvicem.

II. Rursus si plures essent summi ac perfectissimi adeoque Dei vocabulo digni, aliquid esse oporteret, quo invicem differrent. At nullum est ejusmodi. Nam, ut recte scriptum est a Boetio : « Deus a Deo nullo differt, nec vel accidentibus, vel substantialibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas. Quare nec numerus. Igitur unitas tantum [1]. » Sane quidquid illud est, quo dii inter se isti discreparent, id aut substantiale esse debet, quomodo species a specie sub eodem genere distat, aut accidens, velut quantitas aliqua, vel qualitas et id genus alia, quo discrimine individua sub eadem specie differre invicem dicuntur. At horum nihil in divinitatem cadere potest. Nam idipsum quod in uno erit, deeritque alteri, divinum ac perfectissimum esse necesse est, ut qui hoc careat, summa re ac perfectissima careat, ac propterea summum esse desinat. Atque ut subtilissime Boetius colligit in tertio *de Consolatione* [2], si duo sunt dii, totidemque summa bona, unum alterum non erit. Quare mancum ac defectum erit, quia deerit illi summum bonum, quod est alter Deus a quo discrepat. « Quæ discrepant bona (verba sunt Boetii) non esse alterum, quod sit alterum liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa. » Vide etiam Anselmum libro *de Incarnatione*, capite IV, ubi summum bonum nonnisi unum esse posse similiter ostendit. Et ut cætera taceam, certe duo illi pluresve, quorum singuli quippiam habent quod non inest cæteris, melius ac perfectius quiddam sunt simul universi quam separatim singuli. Majus enim bonum ac perfectius est, quod pluribus bonis perfectisque completum et confertum est, quam horum unumquodque, quod suo contentum, caret alieno. Ita disputat Abælardus in tertio *Introductionis theologicæ*, ubi ex eo quod Deus summum bonum constituitur ac præcellens cæteris, unum esse concludit. Nam « si plures sunt, inquit, dii, quomodo dominum quemcumque summum bonum dicemus, cum aliud sit majus ipso, ipsa scilicet bonorum multitudo, quam quislibet unus ex ea multitudine. » Quod antea [3] Irenæo quoque in mentem venerat : « Deerit enim, inquit, unicuique eorum partem minimam habenti ad comparationem omnium reliquorum, et solvetur omnipotentis appellatio [4]. » Et [5] Lactantius : « Virtutis, inquit, perfecta natura non potest esse nisi in eo in quo totum est, non in eo, in quo pars exigua de toto est. Deus vero, si perfectus est (nam perfectus est), ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est, quia tantum singulis deerit, quantum in cæteris fuerit. Ita quanto plures, tanto minores erunt [6]. » Quod Prudentius his versibus cecinit :

Aut unus Deus est, rerum cui summa potestas,
Aut quia jam duo sunt minuuntur dispare [summo :
Porro nihil summum, nisi plenis viribus unum.
Distantes quoniam proprium dum quisque re- [vulso
Vindicat imperio, nec summa, nec omnia pos- [sunt.

III. Non possunt igitur plures esse dii quin dii esse singuli desinant, quia plures esse sine aliqua naturæ differentia nequeunt. Ac si quis plures deos ita fingat, tanquam individua quædam eidem subjecta formæ ac numero distincta, ita ut nemo plus aliquid aut minus habeat cæteris, uti si idem Socrates divina vi multiplicetur atque in variis locis constituatur, nihil hoc erit. Siquidem diversæ numero naturæ in eadem congruentes specie esse non possunt, nisi ab communi aliquo principio, aut a se invicem propagatæ fuerint. Itaque plures isti dii, si ab uno ortum habent,

Nec pares esse possent sub una specie.

[a] SALLUST. Τὴν πρώτην αἰτίαν μίαν τε εἶναι προσήκει· παντὸς γὰρ πλήθους ἡγεῖται μονὰς, δυνάμει τε, καὶ ἀγαθότητι πάντα νικᾷ· καὶ διὰ τοῦτο πάντα μετέχειν ἐκείνης ἀνάγκη.

1 Lib. *de Trinit.* — 2 Prosa X. — 3 Cap. II. — 4 Lib. II, cap. I. — 5 Lib. I, cap. III. — 6 Prud. in *Hamartig.*

is erit summus, adeoque solus Deus. Nam si nullam ex æquo originem habent omnes, prorsus erunt disparati ac natura dissimili constabunt. « Duo quippe ingeniti, ut ait Fulgentius, non possunt unam habere naturam, ubi nec unus in uno vere in se generationem invenit, nec unus ex uno vere in se substantiam nativitatis agnoscit[1], » et cum infiniti, immensique singuli sint, nihil alter alteri ubi consistat, reliquum faciet, quod Athenagoras gentilibus opponebat. Quod si quis multos istos deos tales esse velit, ut unusquisque tantumdem dignitatis ac perfectionis obtineat, quantum alius quilibet, aut omnes in unum conglobati, primum id fieri non potest, si plures sint saltem numero naturæ, et quod consequens est, bonitates, sapientiæ, potestates. Etenim duæ, pluresve bonitates ac cætera hujusmodi, uni ac singulari præstant, ut naturalis ipsa ratio persuadet. Deinde supervacanei erunt reliqui, si unus instar esse omnium potest, ut Edmundus Cantuariensis in *Speculo ecclesiæ* disserit. « Si duo, inquit, dii essent, ex hoc sequeretur necessario, quod ambo dii essent superflui et diminuti simul et semel. Nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret, alter enim (*cor.* aliter) non esset Deus. Per eamdem rationem esset secundus superfluus, cum primus esset solus sufficiens[2]. » Atque hoc Petrus etiam Abælardus in tertio *Introductionis theologicæ* posuit, ut supra meminimus.

Tertullianum his adjungamus, qui in primo *adversus Marcionem* non absimili argumento sic utitur : « Jam nunc duo summa magna, duo paria cui operæ pretio, cui emolumento deputarentur? quid interfuit numeri, cum duo paria non differant uno ? Una enim res est, quæ eadem in duobus est. Etiam si plura essent paria, tantumdem omnia unum fuissent, nullo inter se differendo, qua paria. Porro si neutrum ex duobus altero distat, jam ut ambo summa magna, qua Dei ambo, neutrum plus altero præstat, nullam rationem numeri sui ostendunt, præstantiam non habentes. Numerus autem divinitatis summa ratione constare deberet[3]. » Ad hæc si duo pares ac similes omni ex parte esse possunt, cur non multo plures ? cur non infiniti ? ut Tertullianus et Abælardus ibidem instant. « Infinitos itaque prædicari oportet deos, ut infinitam ejus gloriam magnificemus, præsertim cum nulla sit ratio qua ad certum numerum aliquem ea reduci queat. Quam juxta prædictam rationem tanto magis amplificabimus, quanto amplius numerum ejus extenderimus. Atque ita plura esse summa bona, quam inferiora conveniret, immo omnino infinita esse. » Hæc Abælardus. Quo spectat illud Maximi interpretis Dionysii : « Si principia plura sint, fore infinita numero [a]. »

IV. Gregorius Nyssenus in prologo *Catechetici libri*, Deum unum esse, similiter ut priores illi, ex ea summa perfectione colligit, quam Deo communis sensus hominum tribuit. Etenim qui Deum cogitare possunt, eum esse sentiunt, qui sit bonis omnibus absolutus, cui nihil accedere possit, neque decedere, in quo perfecta sapientia sit et potestas et bonitas, et si quid aliud est, quod divinam naturam decet. Quæ si in eo perfectissima ponantur omnia, ut ne fingi quidem perfectiora possint, ac nihilominus plura ejusdemmodi perfecta quispiam esse contendat, « necesse est, ait Gregorius [b] in iis, quæ nulla varietate distinguuntur, sed in iisdem versari considerantibus videntur, vel proprium aliquid monstrare, vel si ex propriis et peculiaribus cogitationi nostræ nihil occurrat, in quibus nulla res inest quæ discernat, in his nullum discrimen suspicari. Nam si neque in eo quod plus, aut

Unitas ex summ ejus per- tione colligit.

a Maxim. ad. G. iv *de Divin. Nom.* Εἰ γὰρ εἶεν ἀρχαὶ διάφοροι πάντως ἀπειροπλήθεις φανήσονται.

b Greg. Nyss. Εἰ γὰρ τὸ τέλειον ἐν παντὶ δοίη περὶ τὸ ὑποκείμενον ὁμολογεῖσθαι· πολλὰ δὲ εἶναι τὰ τέλεια διὰ τῶν αὐτῶν χαρακτηριζόμενα λέγοι· ἀνάγκη πᾶσα ἐπὶ τῶν μηδεμιᾷ παραλλαγῇ διακρινομένων· ἀλλ' ἐν τοῖς αὐτοῖς θεωρουμένων, ἢ ἐπιδεῖξαι τὸ ἴδιον, ἢ εἰ μηδὲν ἰδιαζόντων καταλάβοι ἡ ἔννοια, ἐφ' ὧν τὸ διακρίνον οὐκ ἔστι, μὴ ὑπονοεῖν τὴν διάκρισιν· εἰ γὰρ μήτε παρὰ τὸ πλέον, καὶ ἔλαττον τὴν διαφορὰν ἐξευρίσκοι· διότι τὴν ἐλάττωσιν ὁ τῆς τελειότητος οὐ παραδέχεται λόγος· μήτε τὴν παρὰ τὸ χεῖρον, καὶ προτιμότερον· οὐ γὰρ ἂν ἔτι θεότητός τις σχοίη ὑπόληψιν, οὗ ἡ τοῦ χείρονος οὐκ ἄπεστι προσηγορία· μήτε κατὰ τὸ ἀρχαῖον, καὶ πρόσφατον· τὸ γὰρ μὴ ἀεὶ ὂν, ἔξω τῆς περὶ τὸ θεῖόν ἐστιν ὑπολήψεως· ἀλλ' εἷς, καὶ ὁ αὐτὸς τῆς θεότητος λόγος, οὐδεμιᾶς ἰδιότητος ἐν οὐδενὶ κατὰ τὸ εὔλογον εὑρισκομένης· ἀνάγκη πᾶσα πρὸς μιᾶς θεότητος ὁμολογίαν συνθλιβῆναι τὴν πεπλανημένην περὶ τοῦ πλήθους τῶν θεῶν φαντασίαν. Εἰ γὰρ τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ δίκαιον, τό τε σοφὸν, καὶ τὸ δυνατὸν ὡσαύτως λέγοιτο, ἥ τε ἀφθαρσία, καὶ ἀϊδιότης, καὶ πᾶσα εὐσεβὴς διάνοια κατὰ τὸν αὐτὸν ὁμολογοῖτο τρόπον, πάσης κατὰ πάντα λόγον διαφορᾶς ὑφαιρουμένης, συνυφαιρεῖται κατ' ἀνάγκην τὸ τῶν θεῶν πλῆθος ἀπὸ τοῦ δόγματος, τῆς διὰ πάντων ταυτότητος εἰς τὸ ἓν τὴν πίστιν περιαγούσης.

1 Lib *Resp. advers. Arian.* resp. V. — 2 Tom. V. *Biblioth. Patrum*, cap. 28. — 3 Cap. v.

minus dicitur, differentiam inveniat, quoniam diminutionem nullam capit ratio perfecti, neque in eo quod deterius dicitur ac perfectius. Neque enim divinitatem amplius de eo suspicari poterit aliquis, a quo deterioris remota non est appellatio. Neque in eo quod est antiquum ac recens. Nam quod non semper est, divinum existimari non potest. Sed si una est et eadem ratio divinitatis, cum nulla reperiatur in ullo proprietas, ut est consentaneum, necesse est omnino, ut aberrans et falsa de multitudine deorum phantasia compellatur ad confitendam unam divinitatem. Nam si bonum et justum et sapiens et potens uno modo dicatur, incorruptum item et æternum, ac pia omnis cogitatio eodem modo affirmetur, omni penitus sublata differentia, deorum quoque multitudo ex dogmate necessario tollitur, cum quæ est per omnia, ut ita dicam, identitas, ad id quod unum est fidem redigat. » Hæc Nyssenus, cujus postrema illa potissimum observanda sunt, in quibus unicam esse divinitatem probat, quod boni et justi et potentis, sive bonitatis, justitiæ ac potentiæ, nonnisi unica et singularis forma sit, sive idea, quæ est ipse Deus vel divinitas, ut postea demonstrabitur. Etenim bonitas summa nihil aliud est quam summa bonitas, summa item justitia et potentia nihil distinctum admittit aut includit, quo a seipsa dissideat. Ita ne numero quidem differre potest a summa bonitate vel potentia summa bonitas et potentia. Hoc argumento utitur Fulgentius cum ita scribit : « Vera enim religio in unius constat veri Dei servitio. Ipsa namque veritas unus est Deus, et sicut excepta una veritate, non est alia veritas, sic absque uno vero Deo non est alius verus Deus. Ipsa enim una veritas est naturaliter uno vera divinitas. Et ita non possent duo veri dii veraciter dici, sicut una ipsa veritas naturaliter non potest dividi[1]. » Quocirca simplicitas ipsa Dei, de qua paulo post, ad illius affirmandam singularitatem facit.

[illegible] Anselmi argumentatio.

V. Nunc Anselmus audiendus est, qui idem illud argumentum majori subtilitate tractavit. Postquam enim Deum esse probavit ea ratione, quam primo capite proposui, deinceps esse unum ita concludit : quoniam « quidquid est, per unum aliquid videtur esse. Omne namque quod est aut per aliquid est aut per nihil : sed nihil est per nihil. Non enim est vel cogitari potest, ut sit aliquid non per aliquid. Quidquid igitur est nonnisi per aliquid est. Quod cum ita sit, aut est unum aut sunt plura, per quæ sunt cuncta quæ sunt. Sed si sunt plura, tunc ipsa referuntur ad unum aliquid per quod sunt. Aut eadem plura singula sunt per se, aut ipsa per se invicem sunt. At si plura ipsa sunt per unum, jam non sunt omnia per plura, sed potius per illud unum per quod plura sunt. Si vero ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se quam habent ut per se sint. Non est autem dubium quod per ipsum unum sint, per quod habent ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta sunt, quam per plura quæ sine eo uno esse non possunt. Ut vero plura per se invicem sint, nulla patitur ratio, quoniam irrationalis cogitatio est, ut aliqua res sit per illud, cui dat esse[2]. » Quod enim de relativis objici potest, ea non sic sunt per se invicem. « Nam cum dominus et servus referantur ad invicem, et ipsi homines qui referuntur omnino non sunt per invicem, et ipsæ relationes quibus referuntur, omnino non sunt per invicem, quia eædem sunt per subjecta. » Itaque per unum necesse est esse omnia quod per seipsum esse debet, nec in infinitum ratio ista progressionem habeat, idemque « summe bonum est et summe magnum et summum omnium quæ sunt. »

Unitas Dei colligitur ex inæquali perfectione inferiorum.

At sequenti capite idem Anselmus aliud argumentum ducit ex inæquali rerum perfectione ac dignitate. Etenim res omnes non eodem perfectionis gradu contineri cernimus, sed alias aliis antecellere. « Qui enim dubitat, quod in natura sua ligno melior sit equus, et equo præstantior homo, is profecto non est dicendus homo. Cum igitur naturarum aliæ aliis negari non possint meliores, nihilominus persuadet ratio aliquam in eis sic supereminere, ut non habeat se superiorem. Si enim hæc graduum distinctio sic est infinita, ut nullus sit ibi gradus superior quo superior alius non inveniatur, ad hoc ratio deducitur, ut ipsarum multitudo naturarum nullo fine claudatur[3]. »

VI. Quamobrem ad unam aliquam naturam ratio pervenit, qua nulla superior sit, cuique subjectæ sint cæteræ. Hæc autem nonnisi unica potest esse. « Nam si plures sunt et æquales sunt, cum æquales esse non possint per diversa quædam, sed per idem aliquid, illud unum per quod æqualiter tam magnæ sunt, aut est idipsum quod ipsæ sunt, id est ipsa

1 Lib. *ad Don.* cap. v. — 2 *Monol.* cap. III. — 3 *Monol.* cap. IV.

earum essentia, aut aliud quam quod ipsæ sunt. Sed si nihil est aliud, quam ipsarum essentia, sicut earum essentiæ non sunt plures, sed una, ita et naturæ non sunt plures, sed una. Idem namque naturam hic intelligo quod essentiam. Si vero id per quod plures ipsæ naturæ tam magnæ sunt, aliud est quam quod ipsæ sunt, pro certo minores sunt, quam id per quod magnæ sunt. Quidquid enim per aliud est magnum, minus est quam id, per quod est magnum, quare non sunt sic magnæ, ut illis nihil sit majus aliud. » Hæc Anselmus, cujus vis argumentationis ex Dei simplicitate, de qua postea, corroborari potest. Est enim Deus, hoc est summe bonus et potens, summa ipsa bonitas et potentia a qua denominatur. At summa bonitas et potentia, summum item esse, nonnisi unum et singulare esse potest, quia, ut supra demonstravi, nulla invenitur differentia, qua summum, exempli causa, esse a summo esse differat.

Singularitas ad Dei essentiam pertinet.

Præterea cum esse, sive exsistere sit ipsamet essentia Dei ac natura (si quidem τὸ ὄν, *id quod est*, maxime proprium divinitatis est, ut alio loco dixi), existentia vero singularis sit, ad essentiam Dei singularitas pertinebit. Non igitur plures esse dii poterunt, quia ad omnium essentiam singularitas spectaret, quod tamen fieri non potest, si eadem ratio et natura communis est multis. Nam singulare est id quod non multis convenit. Proinde singulares essent et non essent dii isti. Non essent igitur dii, immo nihil essent et non essent omnino. Deus igitur, ut [1] Ruffinus ait, « non numero, sed universitate unus est, hoc est non ut unus homo dicitur, quia plures esse possunt, sed ut dicitur unus sol, quia plures esse nequeunt [2]. » Immo vero, quia etsi plures naturæ vi esse soles nequeunt, plures tamen cogitari et ab omnipotente Deo procreari possunt, multo magis unus Deus est, quam sol unus. Nam sic unus est Deus, ut plures ne cogitando quidem nisi imperite absurdeque fingi queant. Quemadmodum si quis unitatem ipsam multiplicitatem esse cogitet, aut quod est, non esse, et similia pleraque, quæ ex aientibus et negantibus implicata semetipsa collidant.

VII. Richardus Victorinus iisdem pene ex capitibus, simplicitate videlicet Dei et singularitate substantiæ, plures esse Deos non posse demonstrat. Si quidem « ex eo quod nihil habet nisi a se, constat quia divinitas ipsa non est aliquid aliud, quam ipse, ne convincatur habere aliunde quam a seipso, quod habet ex divinitate [3]. » Nam cum Deus quidquid habet, a divinitate sua habeat, si non ipsa sua divinitas esset, non a se, sed ab alio id quod est haberet, adeoque minus perfectus esset quam si a seipso id haberet. « Porro divinitas ipsa (pergit Richardus) aut erit incommunicabilis, aut aliquibus communis. Si est incommunicabilis, non est Deus nisi unus. Si autem aliquibus communis fuerit, communis itaque erit et substantia illa quæ non est aliud quam divinitas ipsa. Sed substantia una non potest esse communis pluribus substantiis, alioqui una eademque essent plures et plures una : quod quam falsum sit ratio latere non sinit. Si vero dicitur esse communis pluribus personis, erit eis itaque communis et substantia illa quæ non est aliud quam divinitas ipsa. Juxta hoc itaque erunt in divinitate una plures personæ, sed nonnisi una substantia.

Deus unus qui divinit incommunicab

Idem et alibi unum esse Deum adstruit ex ejus immensitate. « Quippe immensum dicitur quod nulla mensura comprehenditur et quod nulli mensuræ æquale vel comparabile invenitur. Si ergo plures dicimus immensos, erit quilibet eorum cuilibet alteri incomprehensibilis, erit quilibet eorum cuilibet alteri incommensurabilis. Nullius itaque mensura ab altera cujuslibet alterius comprehenditur, et consequenter unaquæque quamlibet alteram supergreditur. Erit ergo unaquæque quavis altera minor. » Quod si nullus est quolibet altero major vel minor « sicut unusquisque est comprehensibilis et commensurabilis sibi, sic erit comprehensibilis et commensurabilis cuilibet alteri. » Non erit igitur immensus.

Tum postea ex singularitate sic illud ostendit. Etenim « omnis substantia habet esse ex substantialitate sua. » Substantialitas vero alia generalis, ut est genus, alia specialis, ut species, alia individualis. « Individualis autem est illa, quæ uni soli individuo inest, et pluribus substantiis omnino communis esse non potest, ut, Danielitas. Danielitas itaque intelligatur illa substantialitas, vel si magis placet, illa substantia, ex qua Daniel esse habet, illa substantia, quæ ipse est et quam participare non potest aliqua alia humanitas. Incommunicabilis itaque est Danielitas, quia non potest esse alterius substantiæ. Quanto magis si Danielis substantia esset idem ipsum per omnia, quod substantialitas sua. Divinitas

[1] In lib. *de Symb.* — [2] Lib. I, *de Trinit.* cap. XVII. — [3] Lib. II, cap. VI.

autem ipsa est idem ipsum per omnia quod divina substantia, idem, inquam, quod singularis substantia, quæ sola est et a semetipsa, et a qua sola sunt cætera omnia. Tam igitur non potest ipsa divinitas communicabilis esse, quam non possunt divinæ substantiæ esse una, et una diversæ. » Denique ex omnibus, quæ Deo tribuuntur, velut quod sit a se, quod sit increatus, æternus, immensus, quæ omnia nonnisi unus potest esse, unum esse Deum colligit Richardus [1].

Summa argumentorum [illegible]

VIII. Disputat eadem de re pressius ac subtilius sanctus Thomas in primo *contra Gentes*[2], et Marsilius Ficinus in secundo de *Immortalitate animorum*[3], ac pluribus argumentis unum esse Deum approbant, quæ eadem fere sunt cum iis, quæ hoc et antecedenti capite proposuimus, quorum quidem hæc potest summa subduci.

Deos plures uno esse non posse persuadet imprimis notio ipsa communis Dei vocabulo subjecta, qua Deus id intelligitur esse, quod summe bonum, summe potens, ac summe sapiens est, immo summa bonitas, potentia, sapientia et quidquid perfectum excellensque cogitari a nobis potest. Quod autem ejusmodi est, nonnisi unum est. Nam quod per superabundantiam dicitur, ait[4] sanctus Thomas, in uno tanto invenitur. Si quidem dici per superabundantiam, ut Ferrariensis explicat, est omnia excedere, quod uni tantum convenire potest. Nam si plura talia ponantur, unum non excellet aliud, atque ita summum non erit « neque dicetur summum per superabundantiam ad omnia. » Cui ex Ficino illud addendum est : « In quolibet rerum genere illud quod est generis illius summum, unum esse duntaxat. Si enim sunt duæ summæ luces, utraque in eo quod summa lux est convenit, atque est unum. Quod si etiam duo quædam sunt, per aliam naturam potius quam per lucem differunt. Itaque summum in quovis genere et unum est solummodo et unius duntaxat illius naturæ, puta summa lux et una est, non duæ luces, et sola lux est, non lux simul et aliud quiddam. Deus summum est rerum omnium. Unus ergo est Deus et simplex, nempe una summa unitas, una summa veritas atque bonitas Deus unus. » Rursus ex eo quod summa veritas et summa bonitas est Deus, unum esse colligit. « Summa enim veritas una est. Nam si duæ summæ veritates esse dicantur, aut una earum habet quidquid habet altera, aut non. Si primum datur, una est non duæ; si secundum, neutra est summa. Deest enim isti illud veritatis, quod in illa est, et illi quod est in ista. » Sic et de bonitate pergit idem. « Summa bonitas quidquid boni reperiri usquam potest complectitur. Ergo si duas bonitates induxeris summas, quidquid boni in una est, est et in altera, alioqui neutra esset summa, et secundum boni ipsius naturam unum sunt, non duo, neque est aliquid aliud illis admixtum præter bonitatis naturam, quia alioqui summæ non essent, sed inquinatæ. Unum igitur sunt omnia. »

Deinde nomen ipsum Dei rem aliquam significat perfectissimam et qua nihil perfectius intelligi queat, cui neque desit aliquid neque possit accedere. At si plures sunt dii, plura ad eum modum perfecta sint oportet. Hoc vero esse non potest. Nam si invicem differunt perfecta illa, unum non erit alterum. Carebit itaque perfectione summa et infinita quodlibet illorum, adeoque perfectissimum non erit. Tum omnes illi collecti in unum et conglobati dii melius aliquid erunt et perfectius quam singuli. Quare unus quivis eorum neque summus erit, neque perfectissimus, neque porro Deus.

IX. Tertio loco Marsilius Ficinus ita concludit. Si sint duo rerum principia diique duo, vel æquales erunt invicem, vel unus alteri antecellet. Si hoc posterius sumitur, horum alter solus erit Deus, qui eminet excellitque alterum. Sin æquales constituantur, aut omnino, seque totis differunt, aut omnino conveniunt, aut partim differunt, partim conveniunt. Horum prius concedi non potest, quia hoc saltem congruunt « quod utraque sunt, agunt et rerum principia æque dicuntur. Ac si nullo pacto congruerent, nulla esset in machina mundi concordia. Si omnino conveniunt, non duo sunt jam, sed ut cupimus unum. » Restat ergo tertium, ut partim conveniant, partim discrepent. At si ita se habent, quoniam non eodem convenire et dissidere possunt, « una quædam inest natura communis utrisque, per quam conveniunt, duæ præterea in duobus illis naturæ propriæ, ultra communem, per quas discrepant. Ergo neutrum illorum erit simplex, sed utrumque ex communi natura et proprietate compositum. » Tum aliud iis præstantius esse debet, quod illas partes inter se consociarit. Itidemque redeunt illa quæ supe-

1 Cap. XIV. — 2 Cap. XLII, et I. par. qu. II, art. 3. — 3 Cap. II. — 4 Lib. I, *Cont. cent.* c. IV.

rius exposita sunt, ut neque dii sint, quibus infinitum aliquid deest ac perfectissimum, quo scilicet ab alterutro alter discrepat. Nam neque communis illa natura divina per sese est quæ proprias illas singulorum perfectiones non continet, neque propriæ istæ, quibus invicem distant, quæ ab communi differunt. Deus autem non est qui divinis et infinitis, summeque perfectis ex rebus non constituitur.

Præterea, ut S. Thomas disserit, cum Deus sit id, quod necesse est esse, si duo sint ejusmodi, in eo convenient, quod ambos esse necesse sit. Quare si invicem differunt, illud ipsum quo differunt non erit *necessitas essendi*, ita enim loquitur, sed aliquid illi additum. Hoc autem vel requiritur ad complendam *necessitatem* illam *essendi*, vel non requiritur. Si non requiritur, accidens erit, quia quidquid accedit rei quod ad ejus essentiam non pertinet, accidens est. Igitur aut ab communi amborum essentia *necessitate* illa *essendi* profluet, et sic ambobus inerit, eoque non discrepabunt invicem; aut aliunde orietur, atque ita singuli ex alia causa pendebunt, quod in Deum minime cadere potest. Sin illud, in quo distinguuntur, ad *essendi necessitatem* requiritur, vel in ipsa ejus ratione continetur, ut animatum in animalis definitione, vel illi adjungitur, uti differentia generi ad constituendam speciem. Si prius verum est, ubicumque *necessitas* erit *essendi*, ibi erit illud, quo distingui duo illi dicuntur. Non igitur eo different amplius. Sin posterius placet, cum differentia generi admota, ejus rationem naturamque non compleat, sed tantum eam actu esse faciat, ut rationale animalis naturam non complet, sed ei tribuit ut actu sit, quia nullum esse potest animal, nisi ratione præditum sit, aut ejus expers; differentiæ illæ, quibus duo discrepant dii, *necessitatem essendi* complere non possunt, sed efficient, ut sit ἐνεργείᾳ, id est *actu*. At hoc perabsurdum est. Quod enim necesse est esse, ejus ratio est ut sit, adeoque ἐνεργείᾳ et *actu* sit. Tum id quod necesse est esse, non potest aliunde quam a seipso habere ut si tactu. Nam eatenus aliquid est, quatenus actu est. Quod enim potest esse, nondum est. Itaque nihil erit in quo ambo illi dii a se mutuo dissidebunt. Hæc fere sanctus Thomas.

X. Denique ex eo quod mundus unus est, unum illius esse conditorem ac rectorem efficitur. «Unum Deum, inquit Ambrosius, communis natura testatur, qua unus est mundus[1]. » Nam si quis mundos esse plures affirmet, nonnisi temere id faciat, neque certis ullis argumentis atque indiciis hoc sibi persuadeat. Quare cum ex effectis, operibusque causæ ab hominibus cognoscantur, neque plures deprehendamus esse mundos, stulta divinatio est, deos esse plures contendere. Quod si quis uni illi quem cernimus mundo duos, exempli gratia, conditores ac moderatores adscribat deos, sic ex antiquorum disputatione convincendus erit. Etenim vel eorum quilibet solus ac per se procreando gubernandoque mundo sufficit, vel amborum consortio opus est. Primum si dixeris, supervacanea erit alterutrius opera. Sin posterius amplectare, non erunt dii, qui soli aliquid efficere non possunt, sed mutuo indigent auxilio. Ac superiorem aliquem invenire necesse erit, qui naturas et agendi facultates suis cuique terminis descriptas assignaverit, qui et solus Deus habebitur, cæteris in ordinem redactis. Vide Marsilium Ficinum, qui hanc rationem copiosius explicat, ac Manichæos, Marcionitas, aliosque nominatim refellit, qui duos inter se contrarios deos asserebant, quorum alter summe bonus, alter summe malus esset, quos sic oppugnat. Si enim uti summa bonitas, sic ex adverso summa est malitia, et uterque Deus est, hic ille, qui summe malus erit, « neque aget quidquam, neque cognoscet, neque vivet, neque erit omnino. Siquidem esse, vivere, cognoscere, bona expetendaque sunt. » Postremo quod Consentius in epistola *ad Augustinum* scripsit : Quoniam « Deus ubique est, locus non est vacuus, ubi alius esse possit[2]. » Quare duo non possunt simul esse tam inter se contrarii, nihil ut fingi queat magis. « Deus ergo unus est, et alius præter illum non est. » Vide Tertullianum libro I, *contra Marcionem*, cap. VII; Basilium homilia secunda in *Hexaemeron* Methodium apud Photium[3]; Didymum libro *contra Manichæos*[4]; Titum Bostrensem[5]; Joannem Damassenum[6]; Zachariam Mitylenæum libro *de Opificio mundi;* Lactantium libro *de Ira Dei*, capite XI; Augustinum in libris, quos contra Manichæos bene multos elucubravit. Denique Gregorii Nazianzeni elegantibus senariis hoc caput concludam.

Idcirco unius imperium splendidum celebremus,
Neque deorum concione delectemur multiplici principatu constante.

1 L. I *de Fide*, c. I.—2 Epist. 221.—3 Cod. 136.—4 T. IV. *Biblioth. Patrum*.—5 Ibid.—6 L. IV. c. qq. et dial. *cont. Manich.* p. 512.

Perinde est apud me multos habere princi-
[pes et nullum,
Qui inter se confligent. Lis porro est divisio,
[quæ ad dissolutionem
Properat. Ideo procul mihi sit a divinitate
[multiplex principatus [1].

Τῷ δὲ μονοκρατίην ἐριλαμπέα κυδαίνωμεν.
Μηδὲ θεῶν ἀγορῇ τερπώμεθα τῇ πολυάρχῳ.
Ἶσον γὰρ πολύαρχον ἐμοὶ, καὶ πάμπαν ἄναρχον.
Μαρνάμενον, δῆρις δὲ διάστασις, ἡ δ' ἐπὶ λύσιν
Σπεύδει. τῷ θεότητος ἑκὰς πολύαρχον ἔμοι γε.

CAPUT V

De multiplici ratione cognoscendi Dei ab antiquis theologis tradita, præsertim symbolica et demonstrativa, tum affirmante ac negante. Hanc illi anteferri tam a nostris quam a gentilibus philosophis, multis testimoniis ostenditur, et posterior imprimis illustratur.

Deus quid sit investigari non potest.

I. Deum et esse aliquem et eumdem natura unum ac singularem esse, satis probatur arbitror superioribus capitibus. Hoc vero solum est, quod de illo comprehendi liquido a nobis potest, unum esse Deum. Quid enim sit et cujusmodi natura illius, sive essentia, propriaque conditio sit, investigari omnino, explicarique non potest. Quod illud Fulgentii spectare videtur ex libro quem contra objecta Arianorum scripsit : « Non est ignorabilis Deus, cum sit inenarrabilis, sed a fidelibus cognoscitur, ut ametur, quamvis nec humanis linguis, nec angelicis enarretur. » Et Novatianus in septimo capite *de Trinitate :* « Id enim quod est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. » Atque hoc idem copiose Gregorius Nazianzenus exposuit in quarta et tricesima oratione, rem esse notam omnibus evidentemque asserens Deum esse, tametsi quid sit, neque capere animo, neque explicare oratione possimus. Ac nimis profecto hebetem et stolidum vocat qui non eo usque progressus est, ut ex iis omnibus quæ in hoc mundo contuetur et eorum ordine ac temperatione, summum esse aliquem conditorem ac moderatorem intelligat : idem vero cujusmodi sit, priore illo cognito, nondum esse compertum. Verumtamen quoniam eo natura ducimur, ut quarum rerum vim et effectum cernimus, eas ipsas clare ac distincte percipere et quales sint nosse cupiamus, multo id in omnium principe causa et optamus et conamur ardentius. Itaque ex iis quæ usu quotidiano et sensibus intelligentiaque capimus, qualem possumus adumbramus Dei notitiam, cujus informandæ quatuor modos Edmundus Cantuariensis effert in *Speculo ecclesiæ*, quorum duo sunt interiores, totidem exteriores. Prioris generis sunt revelatio atque ratio. Revelatio tum fit, cum vel arcanis instinctibus, vel miraculis doceantur homines. Ratione vero cognoscitur, cum argumentis ad id utimur, qualia in antecedentibus capitibus adduximus. Exteriores modi duo sunt, scriptura et creatura.

Quatuor modi cognoscendi Deum

II. Igitur omnes illi modi quatuor consentaneam humano captui imbecillitatique Dei cognitionem pariunt, hoc est, crassis et corporeis imaginibus implicatam, sine quibus comprehendi a nobis divina nequeunt. « Ut enim nemo, quantumlibet festinans, umbram suam prætergredi potest, ut ait Nazianzenus, tantumdem enim antecedit, quantum eam assequeris, neque oculus cum rebus aspectabilibus conjungi, sine interjecta luce et aere, neque extra aquas natatilia volvi; ita fieri non potest, ut qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum rerum adminiculo cum iis rebus versentur quæ animo et ratione intelliguntur. Semper enim nostrum aliquid intervenit, quantumvis nostra mens ab iis rebus abstracta quæ sub aspectum cadunt et in seipsam collecta, cum rebus cognatis et oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur [a]. »

Cui consentaneum illud est Cyrilli : « Nostro, inquit, proprio modo intelligimus et lo-

[a] Naz. orat. xxxiv. Ὥσπερ ἀδύνατον ὑπερβῆναι τὴν ἑαυτοῦ σκιὰν, καὶ τῷ λίαν ἐπειγομένῳ (φθάνει γὰρ ἀεὶ τοσοῦτον, ὅσον καταλαμβάνεται) ἢ τοῖς ὁρατοῖς πλησιάσαι τὴν ὄψιν δίχα τοῦ ἐν μέσῳ φωτὸς, καὶ ἀέρος· ἢ τῶν ὑδάτων ἔξω τὴν νηκτὴν φύσιν διολισθαίνειν· οὕτως ἀμήχανον τοῖς ἐν σώματι, δίχα τῶν σωματικῶν πάντη γενέσθαι μετὰ τῶν νοουμένων· ἀεὶ γάρ τί παρεμπεσεῖται τῶν ἡμετέρων, κἂν ὅτι μαλίστα χωρίσας ἑαυτὸν τῶν ὁρωμένων ὁ νοῦς, καὶ καθ' ἑαυτὸν γενόμενος προσβάλλειν ἐπιχειρῇ τοῖς συγγενέσι καὶ ἀοράτοις.

[1] Naz., Carm. 3, *Arcan.*

quimur ex iis quæ in nobis sunt, quasi per exempla, majora, hoc est divina intelligentes, sicut qui in minima charta cœlestem circulum describunt [a]. » Sed apposite imprimis Gregorius Nyssenus : « Quemadmodum surdis, ait, signis et manuum gestibus quid agere debeant indicamus, non quod propria ipsi voce careamus, sed quia minime audientibus inutilis futura est ea quæ fit verbis enarratio; sic cum humana natura quodammodo surda sit, neque quidquam paulo sublimius percipiat, Dei gratiam dicimus multipliciter ac variis modis in prophetis loquentem, pro captu nostro et pro eo quod familiare nobis est, sanctorum prophetarum linguas conformantem, per hæc nos ad sublimium cognitionem velut manu deducere, non ut secundum propriam magnificentiam institutionem faciat. Quomodo enim in exiguo magnum caperetur? Sed quia ad parvitatem nostram se divina vis abjicit [b]. » Quemadmodum sol, ut ait postea, interjecto aere temperatum lumen suum et radios caloremque diffundit ad sensus nostros, ne vehementiore illorum obtundantur appulsu.

Licet hoc in tertio illo instituendi hominis modo, quem Edmundus posuit, hoc est in scriptura * cernere. Hæc enim maxime omnium « secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem naturamque se temperat, ut Zeno Veronensis loquitur [1], communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinæ suæ et institutionis aptatis. Nobis enim, non sibi eloquitur atque ideo nostris utitur in loquendo, quod ex Hilario ** videtur expressum, qui Deum ait non sibi, sed nobis locutum et in tantum ad intelligentiam nostram eloquii sui temperasse sermonem, quantum comprehendere ad sentiendum naturæ nostræ posset infirmitas [2]. Etenim per se semper sibi divina sufficiunt, ut ait Chrysologus, sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis, quia cœlestis providentia non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit attendit [3]. » Eleganterque Tertullianus in secundo *contra Marcionem*, capite XXVII : « Deum ait non potuisse humanos congressus inire, nisi humanos et sensus et affectus suscepisset, per quos vim majestatis suæ intolerabilem utique humanæ mediocritati humilitate temperaret. » Quod brevi et contorta sententia ita rabbi Moses Maiemonides expressit. « Loquitur, ait, lex lingua filiorum hominis [c]. »

III. In illa itaque Scriptura dupliciter se Spiritus sanctus in divinis rebus explicandis ad captum nostrum imbecillitatemque demittit. Nam et verbis utitur loquendique generibus quæ humanum aliquid et concretum, corporisque proprium significant, ut cum vigilare aut quiescere ac dormire, aut irasci aut ambulare dicitur Deus ac cætera talia, « quæ ex nostris rebus in Deum transferimus, » ut ait Nazianzenus [4], et particulatim ac minutatim secat quæ illius propria sunt, cum sit simplex Deus ac partium omnium et compositionis expers. Sed nos aliter cogitare ista non possumus, nisi « divisas per partes species et

a Cyril. XXXI, *Thesaur.* Διὸ δὴ τοῖς ἰδίοις ἔθεσιν ἐπ' αὐτοῦ κεχρήμεθα, τὰ καθ' ἑαυτοὺς μειζόνων ὑπόδειγμα ποιούμενοι, ὥσπερ οἱ ἐν μικρῷ πίνακι τὸν οὐράνιον καταγράφοντες κύκλον.

b Gregor. Nyss. lib. XII. *cont. Eunom.* Ὥσπερ τοῖς κωφοῖς διασχηματιζόμενοι, καὶ χειρονομοῦντες τὸ πρακτέον ὑποσημαίνομεν οὐχὶ τῷ μὴ ἔχειν ἰδίαν αὐτοὶ φωνὴν, ὅταν τοῦτο ποιῶμεν· ἀλλὰ τῷ παντάπασιν ἄχρηστον εἶναι τοῖς οὐκ ἀκούουσι τὴν διά τῶν ῥημάτων ὑφήγησιν· οὕτω καὶ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως κωφευούσης τρόπον τινὰ, καὶ οὐδὲν τῶν ὑψηλῶν ἐπαϊούσης τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν φαμὲν πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως ἐν τοῖς Προφηταῖς λαλοῦσαν, κατὰ τὸ ἡμῖν εὐσύνοπτόν τε, καὶ σύνηθες τὰς τῶν ἁγίων Προφητῶν διασχηματίζουσαν γλώττας, διὰ τούτων ἡμᾶς εἰς τὴν τῶν ὑψηλῶν χειραγωγεῖν κατανόησιν, οὐ κατὰ τὴν ἰδίαν μεγαλοφυΐαν ποιουμένην τὴν διδασκαλίαν· πῶς γὰρ ἐν τῷ μικρῷ χωρηθείη τὸ μέγα; ἀλλὰ τῇ βραχύτητι τῆς ἡμετέρας συγκατιοῦσαν δυνάμεως.

c Rambam 1. *More Neb.* c. LIII. דברה תורה בלשון בני אדם.

* His Patrum sententiis psychologica aperitur origo universi illius metaphorici loquendi generis, quod in Veteris Testamenti libris maxime regnat, quodque ἀνθρωποπάθειαν dicere consuevimus. Quæ quidem appellatio selecta idcirco fuit, quod quæ creatis naturis et imprimis homini « proprie insunt, ea propter quemdam similitudinis habitum » ad Deum, resque divinas traducuntur. Quod cum fit, ea obtinet συγκατάβασις *condescensio*, quam Hebræi eleganter vocant דרך בנו אדם *viam filiorum hominis* et qua Deus ad nos semet demittens, humanis verbis divina mysteria patefacit. Obtemperandum porro est Theodorito (Dial. II.) præcipienti, quæ ἀνθρωποπαθῶς καὶ οἰκονομικῶς efferuntur, ea θεοπρεπῶς intelligantur. E. R.

** Insignem prodit sagacitatem Petavius id antea videns et acute monens, quod deinceps Ballerinii fratres in prolegomenis ad Zenonis sermones (Diss. I, cap. II, § 6.) observarunt, non fuisse ab ejusdem consuetudine alienum tum Lactantium, tum Pictaviensem Hilarium imitari. E. R.

1 Serm. *de Psal.* CXXVI. — 2 Lib. VIII. — 3 Sermon. 39. — 4 Orat. XXXVII.

imagines ex corporearum rerum simulacris colligimus [a], » ut idem Nazianzenus loquitur. Quas Scripturæ sententiarum affectiones duas non solum Nazianzenus ibidem declarat, sed distinctius etiam Dionysius in epistola nona quæ est *ad Titum*, ubi sacra illa symbola et figuratas locutiones « divina quædam figmenta nominat quæ arcanis et occultis dissimulandis obtendi ait, ac tum multiplicia et partita singularium et individuarum rerum, tum formas atque effigies habentia, forma et figura carentium involucra esse dicit [b]. »

Sed ut altius repetita oratione declaremus ea quæ de Deo ex Scripturis nosse possumus, et consequenti disputationi præstruamus aditum, intelligendum illud est quod in eadem epistola Dionysius et in commentariis suis Maximus explicant, et ex utroque Joannes Cyparissiotus in prima decade copiose disserit, theologiam, hoc est disputationem quæ de Divinitate ipsa instituitur, duplicem esse, unam symbolicam et mysticam sive arcanam, alteram demonstrativam. Prior est quæ sub figuratis quibusdam descriptionibus ac similitudinibus quæ symbola vocantur, abstrusarum rerum significationes continet, ut cum uterus et cor, et manus, et oculus affinguntur Deo. Posterior quæ de Deo revera non figurate affirmat aliquid aut negat, ut cum eum bonum ac sapientem dicimus aut infinitum, invisibilem.

Theologia duplex, symbolica et demonstrativa.

IV. De utraque sic scribit Dionysius : « Cæterum hoc animadvertendum est duplicem esse traditionem theologorum, unam arcanam et mysticam, alteram vero apertam et manifestiorem, atque alteram quidem symbolicam et initiativam, alteram philosophicam et demonstrantem. Estque arcanum et tacitum cum expresso implicatum et conjunctum. Porro unum ex iis (nempe demonstrativum) fidem facit et adstringit veritatem eorum quæ dicuntur, alterum vero agit et in Deo firmat, mysticis quibusdam signis quæ non docentur [c]. » Quæ Dionysii verba erudite Maximus exponit. Igitur theologiæ partem illam quæ sub involucris rerum corporearum et in sensus cadentium arcana divinaque contegit, συμβολικὴν et ἀπόρρητον et μυστικὴν et τελεστικὴν appellat Dionysius, hoc est *symbolicam*, *arcanam*, *mysticam* et *initiatoriam*. In qua τὸ ῥητὸν, hoc est *expressum* et *dictum*, cum ἀῤῥήτῳ, *non expresso*, sed *arcano* ac *tacito* connectitur. Nam in omni tropica et figurata locutione quiddam est quod exprimitur et in propatulo habetur ut cum paschalis agnus mactatur, alterum vero est quod adumbratur, neque clare diserteque profertur, velut Christus et agnus ille mysticus, qui pro nobis immolatus est. Genus autem theologiæ alterum apertius est, et involucris illis ac figuris caret, et quia ratione ac probatione utitur ideo *philosophicum* ac *demonstrativum* vocatur. Ut cum ex rerum creatarum contemplatione vel admirabilium divinæ providentiæ operum ad divinitatis intelligentiam assurgimus, ad eamque ratiocinando perducimur. Itaque disciplina et institutione istic opus est, in qua et qui docet in rationibus investigandis ac via et ordine tradendis elaborat, et qui discit non sine studio et opera quæ traduntur percipit. Persuadere enim argumentatione illi oportet, et ad assensionem impellere. At in altero genere simplex est mysticorum signorum ac figurarum contuitus, qualis inest in contemplatione quæ patiendo potius et recipiendo quam agendo perficitur. Hæc fere Maximus, quem et Cyparissiotus citat, et ei Dionysium Alexandrinum adjungit. Sed quæ hujus verba refert, ea Maximi sunt.

Rursus symbolicam theologiam bifariam divídit Cyparissiotus [1], ut alia sit quæ figuris formisque corporeis constat, pualis illa scala fuit quam per somnum Jacob aspexit, aut ignis ille ardens in rubo, aut alia pleraque prophetis ostensa, Isaiæ, Danieli, Ezechieli. Alia quæ in verbi translatione consistit, in qua scilicet aliud dicitur, aliud intelligitur, ut

a Naz. ibid. Μερικήν τινα φαντασίαν ἐκ τῶν εἰκασμάτων συλλεγομένους.

b Dionys. Καὶ ὅσα ἀλλὰ τῆς πάντα τολμώσης θεοπλαστίας ἱερὰ συνθήματα φαινομένα τῶν κρυφίων προβεβλημένα, καὶ πεπληθυσμένα, καὶ μεριστὰ τῶν ἑνιαίων, καὶ ἀμερίστων· καὶ τυπωτικὰ, καὶ πολύμορφα τῶν ἀμορφώτων, καὶ ἀτυπώτων.

c Dionys. ibid. Ἄλλως τε καὶ τοῦτο ἐννοῆσαι χρὴ, τὸ διττὴν εἶναι τὴν τῶν θεολόγων παράδωσιν, τὴν μὲν ἀπόῤῥητον, καὶ μυστικήν· τὴν δὲ ἐμφανῆ, καὶ γνωριμωτέραν· καὶ τὴν μὲν συμβολικὴν, καὶ τελεστικήν· τὴν δὲ φιλόσοφον, καὶ ἀποδεικτικήν· καὶ συμπέπλεκται τῷ ῥητῷ τὸ ἄῤῥητον· καὶ τὸ μὲν πείθει, καὶ καταδεῖται τῶν λεγομένων τὴν ἀλήθειαν· τὸ δὲ δρᾷ, καὶ ἐνιδρύει τῷ Θεῷ ταῖς ἀδιδάκτοις μυσταγωγίαις.

1 In præf. et lib. I, c. II

cum ebrietas et crapula et somnus et vigilia et arma Deo tribuuntur.

At demonstrativa theologia duplex itidem ab illo constituitur. Nam alia est affirmans, ut cum dicimus Deum bonum, sapientem, sanctum, beatum. Alia est negans, cum eumdem vocamus invisibilem, incomprehensibilem, supersubstantialem et cætera.

Symbolicæ theologiæ utilitas commendatur.

V. Ex iis duobus theologiæ generibus, prius quod prima et secunda decade Cyparissiotus exposuit, multum commendat Alexandrinus in quinto *Stromatum* : « Utilissimum, inquit, est symbolicæ genus interpretationis ad multa, ac tum ad rectam conducens theologiam, tum ad pietatem, tum ad demonstrandam prudentiam, necnon ad breviloquentiam exercendam et ostendendam sapientiam. Est enim sapientiæ dextre uti symbolica locutione, ait Didymus Grammaticus, et quod ea significatur exponere [a]. » Quod ibidem fusius explicat. Et initio sexti libri, « antiquissimum esse dicit symbolicum genus, eoque usos esse non solum prophetas nostros, sed etiam veterum Græcorum complures, nec paucos cæterorum per nationes barbarorum [b]. » Dionysius item capite secundo libri *de Ecclesiastica hierarchia* de iis agens, duplicem symbolorum speciem constituit, unam eorum quæ dignis et eximiis e rebus capiuntur, ut sunt lumen, sol et ejusdemmodi alia splendida et illustria, alteram quæ ex rebus absonis et abhorrentibus petitur, quæ τὰ ἀπεμφαίνοντα vocat, vel τὰς ἀπεμφαινούσας εἰκονογραφίας. Velut quando sub avium aut bestiarum specie cœlestes illi adumbrantur spiritus. Atque hanc posteriorem antecellere priori asserit, et ad mentes nostras altius erigendas aptiorem videri. Quod in illis periculum sit, ne rerum quæ comparantur dignitas et elegantia rudes et plebeios in falsam inducat opinionem. Cum autem turpiculæ res sunt et ignobiles, nemo sibi ejusmodi esse divina illa et cœlestia persuaserit. Quibus consentanea quædam apud Sallustium philosophum leges in libro *de Diis et mundo*, ubi deorum res ait consultius fabularum involucris obtegi quam nudas et apertas simplicioribus objici. Nam « ad veritatem de diis universos edocere velle, stultis quidem quod talia discere nequeunt, contemptum, studiosis vero negligentiam affert. At vero fabulis veritatem obscurare, tam hos contemnere non sinit, quam illos cogit philosophari [c]. » Tum illa turpia et abjecta veris obtendi merito dicit « ut ex illa quæ dicuntur intelligat, quod autem verum est, id arcanum esse ac latens existimet [d]. » Sed gentilium ludicram et inanem hanc esse tergiversationem pulchre Augustinus ostendit in prioribus libris *de Civitate Dei*. Quod in nostris rebus prudenter ac sine periculo, immo utiliter fieri, præter Dionysium docet etiam Gregorius papa in XX *Moralium*, capite XXIII : « Sanctus, inquit, Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia summa etiam verba divina, his verbis nonnunquam de Deo utitur quæ apud homines habentur in vitio, ut ex his quæ indigna videntur hominibus et tamen dicuntur de Deo, admoneantur scire homines quod nec illa jam Deo digna sint, quæ dum digna habentur apud homines digna putantur Deo. » Idcirco ejusmodi symbolica et abhorrentia vocabula similitudinum multiplicantur in sacris Libris, ut cum de eodem multa et contraria dicuntur quæ simul et in uno eodemque cohærere nequeunt, intelligas non ex veri proprietate, sed ex similitudine quadam usurpari de Deo. « Quæ sunt alæ, ait Augustinus tractatu *ad Psalmum* XC, hoc est, scutum, quia nec alæ sunt nec scutum. Si aliquid horum proprie esse, numquid alæ scutum esse possent, vel scutum alæ? Sed quia figurate per similitudines dici omnia ista possunt, ideo et alæ scutum esse potuerunt. Si vero lapis esset Christus, leo non esset ; si leo esset, agnus non esset. Ideo et leo et agnus et lapis et vitulus et si quid hujusmodi, quia

Dissimilia vel dissimiles delineationes.

a CLEM. 5. *Strom.* Χρησιμώτατον ἄρα τὸ τῆς συμβολικῆς ἑρμηνείας εἶδος εἰς πολλὰ, καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν συνεργοῦν, καὶ πρὸς εὐσέβειαν, καὶ πρὸς ἐπίδειξιν συνέσεως, καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν, καὶ σοφίας ἔνδειξιν· σοφοῦ γὰρ τὸ χρῆσθαι τῇ συμβολικῇ φράσει δεξιῶς, φησὶν ὁ Γραμματικὸς Δίδυμος, καὶ τὸ γνωρίσαι τὸ διὰ ταύτης δηλούμενον.

b Id. init. 6. *Stromat.* Τὸ συμβολικὸν εἶδος ἀρχαῖον εἶναι· κεχρῆσθαι δὲ αὐτῷ οὐ μόνον τοὺς Προφήτας τοὺς παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἑλλήνων τῶν παλαιῶν τοὺς πλείονας, καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατὰ τὰ ἔθνη βαρβάρων οὐκ ὀλίγους.

c SALLUST. C. IV. Πρὸς δὲ τούτοις, τὸ μὲν πάντας τὴν περὶ θεῶν ἀλήθειαν διδάσκειν ἐθέλειν τοῖς μὲν ἀνοήτοις, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι μανθάνειν, καταφρόνησιν, τοῖς δὲ σπουδαίοις ῥαθυμίαν ἐμποιεῖ· τὸ δὲ διὰ μύθων τἀληθὲς ἐπικρύπτειν, τοὺς μὲν καταφρονεῖν οὐκ ἐᾷ, τοὺς δὲ φιλοσοφεῖν ἀναγκάζει, etc.

d MOX : Ἵνα διὰ τῆς φαινομένης ἀτοπίας, εὐθὺς ἡ ψυχὴ τοὺς μὲν λόγους ἡγήσηται προκαλύμματα, τὸ δὲ ἀληθὲς ἀπόῤῥητον εἶναι νομίσῃ.

nec lapis, nec leo, nec agnus, nec vitulus, sed salvator omnium Jesus Christus. Istæ enim similitudines sunt non proprietates. »

Attributa Dei alia affirmativa, alia negativa.

VI. Verum hac symbolica* prætermissa theologia, de altera quæ plana est et aperta, tota nobis suscepta disputatio est. Nam ad eam pertinent ea quæ vulgo theologi nominant *attributa*, quæ et ipsi perinde in *affirmativa* et *negativa* dividunt, de quibus primum universe dicemus hoc in capite, post autem sigillatim de plerisque ac præcipuis agemus.

Affirmationes de Deo et negationes, posteriores præstantiores.

Imprimis illa in aientes et negantes proprietates partitio apud veteres theologos usitatissima est, quam ex eo natam indicat Cyrillus Alexandrinus « quod dupliciter ea quæ substantive divinæ naturæ conveniunt ornamenta significare consuevimus. Vel enim ex iis quæ est ipse, vel ex iis quæ non est, semper a nobis cognoscitur [a]. » Hanc vero bipartitam divisionem illustravit præ cæteris accurateque disseruit Dionysius. Qui in libro *de Mystica theologia* capite primo utramque sic complexus est : « Oportet in ipsa omnes omnium rerum affirmationes asseverare ac ponere, tanquam omnium causa, et easdem magis proprie negare, tanquam quæ supra omnia sit, nec existimandum est contrarias esse negationes affirmationibus, quin potius multo prius esse ipsam primam causam supra privationes, cum sit supra omnem et ablationem et positionem [b]. » Sic idem alibi, Scripturas ait duabus illis modis Divinitatem prædicare, ut interdum *rationem* et *mentem* ac *substantiam* nominent, lucem item ac vitam, et si qua alia sunt paulo speciosiora et digniora nomina « alias vero dissimilibus appellationibus afficiant, dum inaspectabilem et infinitam et incomprehensibilem illam vocant, ac reliquis utuntur, quæ non quid ipsa sit, sed quid minime sit significant [c]. » Hinc Nazianzenus[1] paucis sed eleganter :

Tu finis cunctorum, unus, simul omnia nullus.
Non unus non cuncta.

Καὶ πάντων τέλος ἐσσὶ, καὶ εἷς, καὶ πάντα, καὶ οὐδείς.
Οὐχ ἓν ἐὼν, οὐ πάντα.

Cum autem duobus illis modis ad Dei cognitionem theologia nitatur, posterior qui inficiatione constat, alteri anteponitur a Dionysio, aliisque Patribus. Quare ab eodem Dionysio κυριώτερος *magis proprius* dicitur, quam qui affirmationibus constat. Cujus in capite illo secundo *de Cælesti hierarchia* rationem sic explicat : « Hoc enim, opinor, magis proprie ipsi convenit, quoniam ut sacerdotalis traditio docuit hoc quidem vere usurpamus, nulli eorum quæ sunt illam esse similem. Ignoramus autem supersubstantialem ipsius et mente ac sermone incomprehensam illius infinitatem. Jam si negationes in divinis veræ sunt, affirmationes vero arcanorum occultationi non congruunt, consentanea magis est in iis quæ non sunt aspectabilia, enarratio illa quæ per dissimiles fictiones procedit [d]. »

a Cyr. dial. 1. Κατὰ διττὸν, οἶμαι, τρόπον τὰ οὐσιωδῶς προσόντα τῇ θείᾳ φύσει πλεονεκτήματα δηλοῦν εἰθίσμεθα· ἢ ἀφ' ὧν ἔστιν, ἢ ἀφ' ὧν οὐκ ἐστίν, ἀεὶ πρὸς ἡμῶν ἐπιγινώσκεται.

b Dionys. Δέον ἐπ' αὐτῇ πάσας τὰς τῶν ὄντων τιθέναι, καὶ καταφάσκειν θέσεις, ὡς πάντων αἰτίᾳ, καὶ πάσας αὐτὰς κυριώτερον ἀποφάσκειν, ὡς ὑπὲρ πάντα ὑπερούσῃ· καὶ μὴ οἴεσθαι τὰς ἀποφάσεις ἀντικειμένας εἶναι ταῖς καταφάσεσιν· ἀλλὰ πολὺ πρότερον αὐτὴν ὑπὲρ τὰς στερήσεις εἶναι τὴν ὑπὲρ πᾶσαν καὶ ἀφαίρεσιν, καὶ θέσιν.

c Id. c. II. *de Cæl. hierar.* Ποτὲ μὲν ὡς λόγον καὶ νοῦν, καὶ οὐσίαν ὑμνοῦσι, τὴν θεοπρεπῆ λογιότητα, καὶ σοφίαν αὐτῆς δηλοῦσαι καὶ ὄντως οὖσαν ὕπαρξιν, καὶ τῆς τῶν ὄντων ὑπάρξεως αἰτίαν ἀληθινήν· καὶ ὡς φῶς αὐτὴν ἀναπλάττουσιν, καὶ ζωὴν ἀποκαλοῦσιν, etc. ποτὲ δὲ ταῖς ἀνομοίοις ἐκφαντορίαις ὑπὸ τῶν αὐτῶν λογίων ὑπερκοσμίως ὑμνεῖται, ἀόρατον αὐτὴν, καὶ ἄπειρον, καὶ ἀχώρητον ἀποκαλούντων καὶ τὰ ἐξ ὧν οὐ τί ἐστίν, ἀλλὰ τί οὐκ ἔστι σημαίνεται.

d Dionys. c. 1, *de Myst. theol.* Τοῦτο γὰρ, ὡς οἶμαι, καὶ κυριώτερόν ἐστίν ἐπ' αὐτῆς· ἐπείπερ, ὡς ἡ κρυφία, καὶ ἡ ἱερατικὴ παράδοσις ὑφηγήσατο, τὸ μὲν οὐκ εἶναι κατά τι τῶν ὄντων αὐτὴν, ἀληθεύομεν· ἀγνοοῦμεν δὲ τὴν ὑπερούσιον αὐτῆς, καὶ ἀνόητον, καὶ ἄῤῥητον ἀορι-

* Ad hanc symbolicam theologiam suo merito revocantur picturæ, sculpturæ, et genus omne signorum, quod latissime fusum, in Romanis cryptis splendidius elucet, quodque veterum magistrorum sapientia idcirco frequentavit, ut sanctissima fidei mysteria credentium oculis ea qua decebat religione subjiceret. Neque ab hoc genere separanda est spiritalis et allegorica interpretatio, cujus præclarum monimentum existimari debet *Clavis*, quam *Melitonis* nomine insignem edidit J. B. Pitra (*Spicileg. Solesmens.* t. *II.*), eruditisque commentariis locupletavit. E. R.

1 *Act.* XVII, 27

VII. Etenim Deum cujusmodi in se est liquido cognoscere non possumus, ac nonnisi creatis ex rebus utcumque conjecturam illius capimus, vel ut Paulus loquitur, attrectamus eum, cum ne angeli quidem et corporis expertes substantiæ sine formis et figuris corporeis intelligi a nobis queant, ut Dionysius in primo capite *de Cœlesti hierarchia* eleganter iis verbis asserit : « Impossibile est humanæ menti ad illam materia carentem hierarchiarum cœlestium imitationem et contemplationem assurgere, nisi materiæ propriis notionibus utatur quæ eam velet manu deducant[a]. »

Quanquam quid aut Deum, aut angelos commemoro? Nam ne cæterarum quidem ulla rerum est, quam nude ac sincere mentis acie contemplari possimus. « Omnis enim veritas, omnisque ratio, ut ait Gregorius Nazianzenus[1], conjecturam et contemplationem habet perdifficilem, ac nos veluti parvo quodam instrumento res magnas efficere molimur, humanæ videlicet sapientiæ adjumento rerum cognitionem aucupantes, atque in eas res quæ intelligentia capiuntur, animum intendentes vel cum sensibus vel non sine sensibus, quibus undique jactamur et oberramus, neque nuda mente cum nudis rebus versari et ad veritatem propius accedere rebusque perceptis et comprehensis mentem informare possumus[b]. » Itaque fustra « se torquet, ait Elias Cretensis[2], ut de rebus hisce corporeis eluctata cum nudis illis rebus incorporeis et naturis versetur. Nam semper aliquid sensibilium corporearumque rerum se interjicit. » Sic igitur cum per corporum ac rerum creatarum interjectum Deum cognoscimus aut de eo aliquid explicamus, impurum aliquid admiscemus ac minus sincerum, proindeque alienum ab ipso ac peregrinum. Homines enim carnalibus sensibus dediti, ait Fulgentius[3],» etiam ipsum Deum non possunt nisi carnaliter cogitare. Tales autem dum in luto carnis animas volvunt, creatis phantasmatibus suis et gravati pondere vanitatis, quanto magis in illarum rerum cogitatione versantur, quæ corporeis oculis corpoream ingerunt molem, tanto minus possunt ad intelligendam conscendere deitatem. » Hinc eleganter Clemens Alexandrinus libro V *Stromatum* duplicium mysteriorum Cereris, quæ Athenis erant, similitudine rem totam explicat. Nam prima erant minora, quæ, καθαρτικὰ, dicebantur, *Cathartica.* in quibus certæ purgationes et expiationes adhibebantur, quibus ad secunda et majora capessenda sese comparabant, in quibus ἐποπτεύειν, id est, *inspicere ac coram intueri*, dicebantur. Ac duo ista Clemens ad duplicem transfert Dei cognitionem. « Modum, inquit, illum expiandi confessione capiemus, contemplandi autem et inspiciendi resolutione, progredientes ad primam notionem per resolutionem, ita ut ex iis quæ sunt illi subjecta, ducamus initium, ac corpori quidem naturales detrahamus qualitates, auferamus item dimensionem profunditatis, tum latitudinis ac postea longitudinis. Residuum enim tunc erit punctum, monas, ut ita dicam, situm habens. De qua si detrahamus illum ipsum situm, monas intelligitur. Quamobrem si abstrahamus omnia quæ corporibus insunt, necnon iis quæ dicuntur incorporea, et nos in Christi magnitudinem projiciamus[c], etc. »

VIII. Quin ex Dei operibus neque Dei naturam et essentiam investigare, sed ut plurimum effectricem illius vim et sapientiam

στίαν. Εἰ τοίνυν αἱ μὲν ἀποφάσεις, ἐπὶ τῶν θείων, ἀληθεῖς, αἱ δὲ καταφάσεις ἀνάρμοστοι τῇ κρυφιότητι τῶν ἀποῤῥήτων, οἰκειοτέρα μᾶλλόν ἐστιν ἐπὶ τῶν ἀοράτων ἡ διὰ τῶν ἀνομοίων ἀναπλάσεων ἐκφαντορία.

a Dion. Ἐπεὶ μηδὲ δυνατόν ἐστι τῷ καθ' ἡμᾶς νοΐ, πρὸς τὴν ἄϋλον ἐκείνην ἀναταθῆναι τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν μίμησίν τε, καὶ θεωρίαν, εἰ μὴ τῇ κατ' αὐτὸν ὑλαίᾳ χειραγωγίᾳ χρήσαιτο. Vide Maximum apud Joan. Cypariss. decade 2, c. 4.

b Greg. Naz. Πᾶσα μὲν οὖν ἀλήθεια, καὶ πᾶς λόγος δυστέκμαρτός τε, καὶ δυσθεώρητος, καὶ οἷον ὀργάνῳ μικρῷ μεγάλα δημιουργοῦμεν τῇ ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ τὴν τῶν ὄντων γνῶσιν θηρεύοντες, καὶ τοῖς νοητοῖς προσβάλλοντες μετὰ τῶν αἰσθήσεων, ἢ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεων, ὑφ' ὧν περιφερόμεθα, καὶ πλανώμεθα, καὶ οὐκ ἔχομεν γυμνῷ τῷ νοΐ γυμνοῖς τοῖς πράγμασιν ἐντυγχάνοντες μᾶλλόν τι προσιέναι τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τὸν νοῦν τυποῦσθαι ταῖς καταλήψεσιν.

c Clem. 5. *Strom.* Λάβοιμεν δ' ἂν τὸν μὲν καθαρτικὸν τρόπον ὁμολογίᾳ· τὸν δὲ ἐποπτικὸν ἀναλύσει, ἐπὶ τὴν πρώτην νόησιν προχωροῦντες δι' ἀναλύσεως, ἐκ τῶν ὑποκειμένων αὐτῷ τὴν ἀρχὴν ποιούμενοι, ἀφελόντες μὲν τοῦ σώματος τὰς φυσικὰς ποιότητας, περιελόντες δὲ τὴν εἰς τὸ βάθος διάστασιν· εἶτα τὴν εἰς τὸ πλάτος· καὶ ἐπὶ τούτοις τὴν εἰς τὸ μῆκος, τὸ γὰρ ὑπολειφθέν ἐστι σημεῖον μονὰς, ὡς εἰπεῖν θέσιν ἔχουσα, ἧς ἐὰν περιέλωμεν τὴν θέσιν νοεῖται μονάς· εἰ τοίνυν ἀφελόντες πάντα, ὅσα πρόσεστι τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς λεγομένοις ἀσωμάτοις, ἀποῤῥίψωμεν ἑαυτοὺς εἰς τὸ μέγεθος Χριστοῦ, etc.

1 Orat. xxxiv, 13. — 2 In *Schol. ad Nazianz.* orat. xxxiv, num. 43. — 3 Lib. *Contra Serm. Faust.* c. v.

utcumque colligere possumus, neque hanc ipsam penitus, sed ex parte aliqua duntaxat, ut adversus impium Eunomium Basilius exponit. Nam cum ille dixisset et ex operum contemplatione ad artificis intelligendam substantiam perveniri, reprehendit hoc Basilius « quod virtutem et sapientiam et artem, non ipsam substantiam ostendunt opera, ac ne ipsam quidem artificis potentiam necessario totam exhibent, cum evenire possit ut artifex non omnes vires suas in effectiones explicet, sed de laborum contentione in moliendis artis operibus nonnihil remittat. Quod etsi totam vim ad opus commoveat, tamen ne sic quidem substantia ipsa quid sit comprehenditur, sed virtutem duntaxat et robur illius ex operibus metimur [a]. »

Quam Basilii rationem brevius Dionysius attigit, in libro *de Divinis nominibus* : « Non enim, inquit ille, accurata similitudo est inter effecta causasque. Sed habent quidem effecta causarum quantas capere possunt imagines ; causæ autem ipsæ effectis exemptæ sunt, supraque ea consurgunt pro sui principii ratione [b]. » Hinc etiam Gregorius Nazianzenus in illo citato paulo ante carmine, qui hymnus ad Deum inscribitur, cur Deus neque explicari sermone, neque comprehendi cognitione possit, rationem hanc ipsam affert quod omnium causa sit :

Quinam te mens contemplabitur ? Tu enim
[nulla ab mente comprehendi potes.

Cum sis solus inexplicabilis, quandoquidem
[produxisti omnia, quæ sermone dicuntur.

Cum sis solus ignotus, quandoquidem produ-
[xisti omnia quæ intelliguntur.

Πῶς νόος ἀθρήσει σε ; σὺ γὰρ νόῳ οὐδενὶ ληπτὸς.
Μοῦνος ἐὼν ἄφραστος· ἐπεὶ τέκες ὅσσα λαλεῖται.
Μοῦνος ἐὼν ἄγνοστος· ἐπεὶ τέκες ὅσσα νοεῖται.

His de causis notitia illa Dei, et notitiæ interpres oratio quæ affirmando de eo aliquid enuntiat, minus apta judicatur, minusque perfecta : quæ autem ablatione et inficiatione constat, plus habere dignitatis ac magis congruere, utpote « quæ animam ab cognatis et congenitis sibi rebus abducit, et per divinas omnes intellectiones transit, supra quas attollitur id quod omne nomen, omnemque sermonem et cognitionem transcendit [c], » ait Dionysius.

IX. Qui et alio in loco verba illa negantia, non privationem ejus quod negant, significare ait, sed abundantiam et excessum. « In ipso solo, inquit, et substantiæ expers, substantiæ est excessus, et vita carens, excellens quædam vita, et mentis expers, præstans quædam sapientia, atque ita cætera quæ in bono illo antecellentem formationem exprimunt eorum quæ speciem et ideam non habent [d]. » Ad quæ verba Maximus observat « privationes in Deo efficaces esse positiones affirmantium. Quæ etsi ejus quod non est notionem habere videntur, in Deo tamen, qui substantiam omnem et essentiam superat ac nihil est eorum quæ sunt, excellentiam significant [e]. »

Quod argumentum expositum est a Damasceno [1] qui « convenientius esse dicit, ita de Deo prædicare aliquid, ut ei omnia detrahantur. Quippe nihil est eorum quæ sunt, non ut nihil sit, sed ut sit supra omnia quæ sunt,

a Basil. 2. *contra Eun.* Δυνάμεως γὰρ, καὶ σοφίας, καὶ τέχνης, οὐχὶ δὲ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἐνδεικτικά ἐστι τὰ ποιήματα· καὶ οὐδὲ αὐτὴν πᾶσαν τοῦ δημιουργοῦ τὴν δύναμιν ἀναγκαίως παρίστησιν· ἐνδεχομένου ποτὲ τὸν τεχνίτην μὴ πᾶσαν ἑαυτοῦ τὴν ἰσχὺν ἐναποθέσθαι ταῖς ἐνεργείαις, ἀλλ' ὑφειμένοις πολλάκις ἐπὶ τῶν ἔργων τῆς τέχνης τοῖς πόνοις χρήσασθαι· εἰ δὲ καὶ ὅλην τὴν δύναμιν ἐπὶ τὸ ἔργον ἀνακινήσειεν, καὶ οὕτως ἂν ὑπάρχοι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ διὰ τῶν ἔργων ἀναμετρεῖσθαι, οὐχὶ δὲ τὴν οὐσίαν ἥ τις ποτέ ἐστι, καταλαμβάνεσθαι.

b Dionys. c. ii. *de Divinis nom.* Οὐδὲ γάρ ἐστιν ἀκριβὴς ἐμφέρεια τοῖς αἰτιατοῖς, καὶ τοῖς αἰτίοις· ἀλλ' ἔχει μὲν τὰ αἰτιατὰ τὰς τῶν αἰτίων ἐνδεχομένας εἰκόνας· αὐτὰ δὲ τὰ αἴτια τῶν αἰτιατῶν ἐξῄρηται, καὶ ὑπερίδρυται κατὰ τὸν τῆς οἰκείας ἀρχῆς λόγον.

c Dion. c. xiii. *de Divinis nom.* Διὸ καὶ αὐτοὶ τὴν διὰ τῶν ἀποφάσεων ἄνοδον προτετιμήκαμεν, ὡς ἐξιστῶσαν τὴν ψυχὴν τῶν ἑαυτῇ συμφύλων, καὶ διὰ πασῶν τῶν θείων νοήσεων ὁδεύουσαν, ὧν ἐξῄρηται τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, καὶ πάντα λόγον, καὶ γνῶσιν.

d Id. c. iv. Ἐν αὐτῷ μόνῳ καὶ τὸ ἀνούσιον, οὐσίας ὑπερβολή· καὶ τὸ ἄζωον ὑπερέχουσα ζωή· καὶ τὸ ἄνουν ὑπερέχουσα σοφία· καὶ ὅσα ἐν τἀγαθῷ τῆς τῶν ἀνειδέων ἐστὶν ὑπεροχικῆς εἰδοποιΐας.

e Maximus. Ὅρα πῶς αἱ στερήσεις ἐπὶ Θεοῦ ὑπερβολαί εἰσι θέσεων δραστήριοι, καὶ ὡς ἀνείδεος, ἀνούσιος, ἄζωος, ἄνους· ταῦτα γὰρ ἔννοιαν ἔχοντα τοῦ μὴ ὄντος, ὅμως ἐν τῷ Θεῷ τῷ ὑπερουσίως ὄντι κατὰ τὴν ἀφαίρεσιν ἁπάντων· οὐδὲν γάρ ἐστι τῶν ὄντων· ὑπεροχικῶς νοοῦνται.

1 Lib., l. c. iv.

immo vero supra ipsum esse [a]. Ex quibus cum Joanne Cyparissioto concludi potest : « Magis proprium esse philosophari de Deo per negationes, quam per affirmationes, quatenus theologia affirmans vim habet comparandi et figurandi ac conjectandi, et hoc tantum probat, scilicet ex iis quæ ab ipso facta sunt : theologia vero negans demonstrat Deum esse supra omnia, ac veritatem maxime assequitur qui dicit non esse Deum quidquam eorum quæ sunt, sed esse supra substantiam et supra omnia [1]. »

Marius Victorinus in libro quarto *adversus Arium* ad hunc locum copiose disserit, atque inter alia, Dei esse dicit « incomprehensibile et esse et vivere et intelligere, nec solum ut incomprehensibile ejus sit esse, vivere et intelligere, (sed) ut nec esse quidem ista videantur, quod ille supra omnia sit. Quare et ἀνύπαρκτος et ἀνούσιος et ἄνους et ἄζωος, *sine existentia*, *sine substantia*, *sine intelligentia*, *sine vita* dicitur, non quidem per στέρησιν, id est non per *privationem*, sed per supralationem. Omnia enim quæ voces nominant, post ipsum

Ens... præens.

sunt. Unde nec ὄν, sed magis προόν. »

Affirmationes et negationes conjungendæ.

Etsi autem negantes illæ de Deo enuntiationes aientibus anteponantur, non tamen omittendæ sunt hæ, sed ambæ inter se temperandæ conjungendæque sunt. Nam neque pugnant invicem, et mutuo se fulciunt atque adjuvant, ut in libro *de Mystica theologia* Dionysius ostendit, cujus verba antea retulimus. Theodorus Abucara in opusculo tertio aientes quoque proprietates non minus quam negantes Deo tribuendas asserit, « ita ut quæ in nobis sunt præstantissima, sine admixtione ulla passionum et accidentium in illum transferamus [b].

X. Ac minime quidem ambo illa inter sese pugnantia et contraria esse, pulchre Joannes Cyparissiotus probat [2], « quia quod affirmatio affirmavit, hoc ipsum negatio non negavit, quinimmo sicut affirmatio non ponit quid

Minime inter se pugnant.

sit Deus, sic neque negatio tollit quid sit Deus, quod enim non ponit, quomodo tollat ? Denique æque non assequitur substantiam Dei tum affirmatio, tum negatio. Hoc solum differunt quod proprius accedit ad veritatem qui dicit : Deus non est hoc quod nos existimamus. » Ex quo illud etiam alterum sequitur, affirmantes illas notiones enuntiationesque ab negantibus juvari ac perfici, quatenus quod in illis inest crassum et concretum atque ex creatis, unde translatæ sunt, rebus oblitum, posteriores abstergunt ac removent, unde liquidior ac purior Dei notitia comparatur, quod eleganter sane Dionysius exponit, cum « veram Dei cognitionem esse ait, non videre ac cognoscere. Hoc enim est reipsa videre ac cognoscere ac supersubstantialem supersubstantiali modo celebrare, eorum quæ sunt omnium remotione. Quemadmodum ii qui nativum simulacrum faciunt,

Pulchra id similitudine declaratur.

omnia detrahentes quæ sincerum ejus, quod occultum est, aspectum impediunt, atque ipsam per se latentem pulchritudinem sola detractione palam ostendentes [c]. » Quam similitudinem Maximus interpretatione sua sane admirabilem et cum primis illustrem facit. Nam αὐτοφυὲς ἄγαλμα dupliciter ait vocari, primum illud quod ex solido lapide vel trunco fit,

Nativum simulacrum.

nulla addita materiæ parte, idque αὐτόμορφον

Nativa forma.

ab Euripide nominari in *Andromeda*. Tum enim scalpro ac ferramento decisis tantummodo partibus et excavata materia, statua formatur. Deinde cum in lapide, præsertim in gemma, effigies aliqua a natura est impressa. Cujusmodi fuit achates illa Pyrrhi « in qua novem Musæ et Apollo citharam tenens spectarentur, non arte sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut musis quoque singulis sua redderentur insignia » ut scribit Plinius [3]. Tum enim illæsa materia ac solo eo, quod adventitium et concretum erat, abraso, nativa retegitur effigies et in conspectum profertur. Quæ similitudo præclare in eam quam negationes informant Dei cognitionem convenit. Huc illud attinet quod a Plotino universe de naturæ cognitione scriptum est [4], ablatione ejus quod

a Damasc. Οἰκειότερον δὲ μᾶλλον ἐκ τῆς πάντων ἀφαιρέσεως ποιεῖσθαι τὸν λόγον· οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶν, οὐχ ὡς μὴ ὢν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ ὑπὲρ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι ὤν.

b Theod. Abuc. Τὸ θεῖον κεκτῆσθαι τὰ παρ' ἡμῖν τιμιώτατα, ἄνευ τῆς ἐπακολουθούσης αὐτοῖς τῶν παθημάτων, καὶ συμπτωμάτων συμβάσεως.

c Dionys. c. II. *de Myst. theol.* Καὶ δι' ἀβλεψίας, καὶ ἀγνωσίας ἰδεῖν, καὶ γνῶναι τὸ ὑπὲρ θέαν, καὶ γνῶσιν αὐτὸ τὸ μὴ ἰδεῖν, μηδὲ γνῶναι· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ὄντως ἰδεῖν, καὶ γνῶναι, καὶ τὸν ὑπερούσιον ὑπερουσίως ὑμνῆσαι διὰ τῆς πάντων τῶν ὄντων ἀφαιρέσεως· ὥσπερ οἱ αὐτοφυὲς ἄγαλμα ποιοῦντες, ἐξαιροῦντες πάντα τὰ ἐπιπροσθοῦντα τῇ καθαρᾷ τοῦ κρυφίου θέᾳ κωλύματα, καὶ αὐτὸ ἐφ' ἑαυτοῦ τῇ ἀφαιρέσει μόνῃ τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀναφαίνοντες κάλλος.

1 Dec. II. c. XIV. — 2 Ibid. — 3 Lib. XXXVII, c. I. — 4 *Enn.* lib. VII. c. IX.

additum est, unamquamque perfectius intelligi. « Oportet, inquit, naturam uniuscujusque considerare, ad ipsum ejus purum respicientes. Nam quod adjunctum est, cognitionem ejus cui est additum semper impedire solet. Considera igitur auferendo [a]. »

XI. Vide eumdem Plotinum in capite XIII libri tertii Enneadis V, et libro V, cap. VI, ubi id quod est unum vel unitas ipsa, summumque principium, cum omnia comprehendat, non esse certi aliquid ait ac definiti. Quare « cum nihil sit istorum quæ continet, hoc solum dicetur de eo, esse ipsum supra omnia. Hæc autem sunt entia, atque ens ipsum: illud igitur ente superius. Quod enim ente superius est, non dicit hoc aliquid, sed affert solum istud ipsum, non esse hoc. Id autem faciens nusquam comprehendit ipsum. Ridiculum est enim quærere immensam illam complecti naturam [b].

Eleganter vero Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon*. Ut in mysteriis Cereris primum lustrationes et expiationes adhiberi solebant ac certæ præparationes, quibus perfuncti, epoptæ, id est inspectores fiebant, sic ad Dei notitiam aspirantibus « purgationis instar esse dicit professionem fidei, » qua de Deo aliquod profitemur, « inspectionem vero resolutione fieri [c]. » Quam explicat sic, ut dum corpori naturales qualitates detrahimus, dimensionem in altitudinem, tum latitudinem et longitudinem. Ita enim superest unitas. Quare « si ad hunc modum auferentes omnia, quæ insunt corporibus et iis quæ incorporea dicuntur, nos ipsos in Christi magnitudinem projecerimus et deinde in ejus immensitatem sanctitate progressi fuerimus, ad omnipotentis intelligentiam utcumque perveniemus, non id quod est, sed quod non est cognoscentes [d]. »

Igitur tametsi « nihil de Deo congrue dici a nobis queat, quod illius proprietatem assequatur, neque si privationibus utamur, ut sunt immortalis et similia, neque affirmando, ut est vita [e], etc.» ut ait Maximus; tamen, quod scribit Augustinus, « facilius dicimus quid non sit, quam quid sit [1]. Ac recte omnino Proclus in commentariis ad libros Platonis *de Republica*: « Lubricum ac periculi, plenum genus ait esse docendi, quod per analogiam et proportionem instituitur. Verendum enim istud est, ne dum res ipsas persequimur, aliorsum eas transferamus quam ad comparationem est necesse, atque ita in demonstrando sophistice cavillemur. Velut si dicente Platone solem proportione respondere bono, quatenus principium ille lucis est, ut hoc veritatis, solem ita quis accipiat, non tantum ut est causa lucis, sed ut movetur, et idem in bono requirat [f]. »

Utilitas et necessitas philosophiæ et præsertim dialecticæ.

XII. Ammonius quoque in commentario in Aristotelis *Categorias* quærit cur Aristoteles præstantissimam omnium categoriam substantiam non affirmante definitione, sed negante potius explicaverit, cum affirmationes negationibus præstare videantur. Definit enim sic: « Substantia est quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto inest aliquo [g]. » Cui respondet Ammonius falsum esse definitiones quæ negantibus vocibus explicantur, affirmantibus esse deteriores. « Immo vero, inquit, e contrario dicimus, definitiones quæ nega-

Exemplis illustratur.

a Plot. Δεῖ δὲ τὴν φύσιν ἑκάστου σκοπεῖσθαι εἰς τὸ καθαρὸν αὐτοῦ ἀφορῶντα· ἐπείπερ τὸ προστεθὲν, ἐμποδὼν ἀεὶ πρὸς γνῶσιν τοῦ ᾧ προσετέθη γίγνεται· Σκόπει δὴ ἀφελών.

b Ibid. Οὐδὲν δὲ τούτων ὂν, μόνον ἂν λέγοιτο ἐπέκεινα πάντων· ταῦτα δὲ τὰ ὄντα, καὶ τὸ ὄν· ἐπέκεινα ἄρα ὄντος· τὸ γὰρ ἐπέκεινα ὄντος, οὐ τόδε λέγει· ἀλλὰ φέρει μόνον τὸ, οὐ τοῦτο· τοῦτο δὲ ποιοῦν, οὐδαμοῦ αὐτὸ περιλαμβάνει· γελοῖον γὰρ ζητεῖν ἐκείνην τὴν ἄπλετον φύσιν περιλαμβάνειν.

c Clem. 5. *Strom.* Λάβοιμεν δ' ἂν τὸν μὲν καθαρτικὸν τρόπον, ὁμολογίᾳ· τὸν δὲ ἐποπτικὸν, ἀναλύσει, ἐπὶ τὴν πρώτην νόησιν προχωροῦντες δι' ἀναλύσεως.

d Ibid. Εἰ τοίνυν ἀφελόντες πάντα ὅσα πρόσεστι τοῖς σώμασιν, καὶ τοῖς λεγομένοις ἀσωμάτοις, ἀποῤῥίψωμεν ἑαυτοὺς εἰς τὸ μέγεθος τοῦ Χριστοῦ, κἀκεῖθεν εἰς τὸ ἀχανὲς ἁγιότητι προΐοιμεν, τῇ νοήσει τοῦ παντοκράτορος ἀμηγέθη προσάγομεν, οὐχ ὅ ἐστιν, ὃ δὲ μή ἐστι γνωρίσαντες.

e Maxim. ad c. II. Dion. *de Divin. nom.* Οὐδὲν γὰρ ἐπὶ θεοῦ οἰκείως παρ' ἡμῶν λέγεται, τῆς ἰδιότητος ἐκείνης ἐφικνούμενον, οὔτε κατὰ στέρησιν, ὡς ἀθάνατος, καὶ τὰ ὅμοια· οὔτε κατὰ θέσιν, ὡς ζωὴ τυχόν, etc.

f Procl. Ὡς ἄρα ἐπισφαλής ἐστι τρόπος διδασκαλίας ὁ διὰ τῆς ἀναλογίας· δέος γὰρ μὴ κατ' ἄλλο τι τὰ πράγματα μεταθέοντες, καὶ οὐ καθ' ὅσον ἡ ἀναλογία παρείληπται, σοφισόμεθα τὴν ἀπόδειξιν· οἷον καὶ ἐν τούτοις, εἰ λέγοντος αὐτοῦ τῷ ἀγαθῷ τὸν ἥλιον ἀναλογεῖν, ᾗ φωτός ἐστιν αἴτιος, ὥς ἐκεῖνο τῆς ἀληθείας, λαμβάνοι τις τὸν ἥλιον οὐκέτι μόνον αἴτιον φωτὸς, ἀλλ' ᾗ κινούμενόν ἐστι, καὶ ζητοῖ καὶ ἐπὶ τοῦ ἀγαθοῦ τὸ ὅμοιον.

g Arist. c. *de Subst.* Οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως, καὶ μάλιστα λεγομένη ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστι.

1 In *Psalm.* LXXXIV.

tione constant, rem subjectam magis ornare. Ita enim cum Deum significare volumus, non de eo affirmamus aliquid, sed ad negationes venimus, ut divinus asserit Plato. Nam cum Timæum interrogasset Socrates: Quid est Deus? respondet ille: Quid non sit scio, quid sit autem nescio[a]. » Et Alcinous, capite x, duplicem illam Dei intelligendi viam explicat, unam κατ' ἀφαίρεσιν, quæ *ablatione* ac *negatione* constat « quemadmodum ad puncti notitiam pervenimus detractione ab sensibili facta, superficiem cogitantes, deinde lineam, ac demum punctum[b] » alteram κατ' ἀναλογίαν, cujus exemplum sumit ex comparatione solis cum mente, lucis cum veritate, cujus e Proclo supra meminimus.

Secundum analogiam.

Sed Herennius philosophus Platonicus imprimis hoc loco commemorandus est, cujus est pulcherrima quæstionis hujus disceptatio in libro *de Metaphysica* nondum, opinor, edito. In quo sic inquisitioni illi satisfacit. Nam « in formis quidem et forma constantibus rebus anteponendam esse negationi dicit affirmationem. Hoc enim inesse formis oportet, sui ipsarum habitionem et privationis fugam. Et ut uno verbo dicam, iis quæ sunt, esse magis proprium est quam non esse, et affirmatio quam negatio. Siquidem ens exemplum est affirmationis, non ens negationis[c]. » Postea non ens dupliciter ait usurpari. Nam est aliud quod nullo modo est, quia est nihil, et huic neque negatio, neque affirmatio convenit. Aliud est quod idcirco non ens dicitur, quia est supra ens omne, supraque formam, ut est idea. Et huic magis negationem convenire quam affirmationem putat: « Quod enim primum est, ait, supra formam eminet, neque quidquam illi convenit affingere ex iis quæ in secundis cernimus, neque transferre in illud quæ nostrum propria sunt. Quamobrem affirmationibus, cum de illo agimus, uti æquum non est, sed potius negationibus secundorum. Quippe affirmationes certi aliquid avent cognoscere, nempe aliud in alio insidens. Primum autem ignotum est iis notitiis quæ sunt rebus affines, nec potest accipi quidquam velut insit ipsi, sed potius tanquam non insit[d]. »

Subjicit deinde præclarum illud: « Affirmationes præterea definitum aliquid et circumscriptum significant, ad negationes vim habent infinitam. Nam illa vox, non homo, magis infinita est quam hæc, homo. Quocirca causam unius non definitam, neque circumscriptam consentaneum magis est negationibus exprimere; quoniam affirmationes entia particulatim secant, negationes vero ab iis quæ terminis inclusa sunt, ad id quod nullis finibus coercetur, extendendi vim habent[e]. » Plura ibidem de hoc argumento disserit Herennius. Sed ista sufficiunt.

Præter hos, Moses filius Maiemonis in libro primo qui inscribitur *More Nebochim*, id est *doctor perplexorum*, capite LVIII, fuse iisdem de negativis attributis agit, quæ sola esse vera putat, utpote « in quibus nihil est imperfecti[f]. » At subinde affirmativa falso a nobis Deo tribui contendit. In quo valde fallitur, ut postea constabit. Sed operæ pretium erit caput illud LVIII legere, ad quod lectorem transmittimus,

a AMMON. in *Categ.* Λέγομεν ὅτι τοὐναντίον, οἱ μὲν οὖν δι' ἀποφάσεως ὁρισμοὶ μᾶλλον σεμνύνουσι τὸ ὑποκείμενον· οὕτω γοῦν καὶ τὸ θεῖον σημᾶναι βουλόμενοι, οὐ καταφάσκομέν τι περὶ αὐτοῦ. ὡς φησὶν ὁ θεῖος Πλάτων· ἀλλὰ εἰς ἀποφάσεις ἐρχόμεθα· ἐρωτῶντος γὰρ Σωκράτους, τί ἐστι θεός; λέγει ἐκεῖνος, ὅτι, τί μὲν οὐκ ἔστιν οἶδα· τί δέ ἐστιν οὐκ οἶδα.

b ALCIN. c. X. Ἔσται δὴ πρώτη μὲν αὐτοῦ νόησις ἡ κατὰ ἀφαίρεσιν τούτων· ὅπως καὶ σημεῖον ἐνοήσαμεν κατὰ ἀφαίρεσιν ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ, ἐπιφάνειαν νοήσαντες, εἶτα γραμμὴν, καὶ τελευταῖον τὸ σημεῖον.

c HEREN. Ἀλλὰ τοῖς μὲν εἴδεσι, καὶ τοῖς εἰδοπεποιημένοις προτιμοτέρα τῆς ἀποφάσεως ἡ κατάφασις αὐτὸ γὰρ τοῦτο δεῖ τοῖς εἴδεσιν ὑπάρχειν, τὴν ἑαυτῶν ἕξιν, καὶ τὴν τῆς στερήσεως φυγήν· καὶ ὅλως τοῖς οὖσι καὶ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι, καὶ ἡ κατάφασις οἰκειοτέρα τῆς ἀποφάσεως ἐστίν. Τὸ μὲν γὰρ ὂν τῆς καταφάσεώς ἐστι παράδειγμα· τὸ δὲ μὴ ὂν τῆς ἀποφάσεως.

d Ibid. Τὸ δὲ πρῶτον ὑπὲρ εἶδός ἐστιν, καὶ οὐδὲν αὐτῷ σροσήκει τῶν ἐν τοῖς δευτέροις προσάγειν, οὐδὲ τὰ ἡμῖν οἰκεῖα μεταφέρειν ἐπ' αὐτό· οὐκ ἄρα καταφάσεσιν ἐπ' αὐτοῦ χρησόμεθα δέοντως· ἀλλὰ μᾶλλον ταῖς τῶν δευτέρων ἀποφάσεσι· καὶ γὰρ αἱ μὲν καταφάσεις γινώσκειν τε σπεύδουσιν ἄλλο ἄλλῳ ὑπάρχον· τὸ δὲ πρῶτον καὶ ἄγνωστον, ἐπὶ ταῖς συμφύλοις πρὸς τὰ ὄντα γνώσεσι (corr. ἄγνωστόν ἐστι ταῖς συμ·) καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ τι λαβεῖν ὡς ὑπάρχον, ἀλλὰ μᾶλλον ὡς μὴ ὑπάρχον.

e Id. HEREN. Καί τοι πρὸς τούτοις αἱ μὲν καταφάσεις ὡρισμένον τι δηλοῦσιν· αἱ δὲ ἀποφάσεις ἀόριστον ἔχουσι δύναμιν· τὸ γὰρ οὐκ ἄνθρωπος ἀπειρότερόν ἐστι τοῦ ἄνθρωπος· τὴν οὖν ἀπερίληπτον καὶ ἀπεριόριστον τοῦ ἑνὸς αἰτίαν οἰκειότερόν ἐστι ἐνδείκνυσθαι διὰ τῶν ἀποφάσεων· ἀποτεμμαχίζουσαι γὰρ αἱ καταφάσεις τὰ ὄντα· ἀναπλωτικαὶ δέ εἰσιν αἱ ἀποφάσεις ἀπὸ τῶν περιγεγραμμένων ἐπὶ τὸ ἀπερίγραφον.

f Rabbi MOSES. תארי השם ית"ע פשלילות הוא התאר האמתי אשר לא ישיבהו דבר מן ההקל ואין בו הסרון·

quoniam prolixa est illic, sed non pœnitenda disputatio. Vide et Nicolaum Cusanum in primo *de Docta ignorantia*, capite XXVI, et postremo Augustinum in tractatu XXIII *in Joannem*. « Nunc si non potestis, inquit, comprehendere quid sit Deus, vel hoc comprehendite quid non sit Deus. Multum profeceritis, si non aliud quam est de Deo senseritis. Nondum potes pervenire ad quid sit, perveni ad quid non sit. Non est Deus corpus, non terra, non cœlum, non luna, non sol, non stellæ, non corporalia ista, » etc. Vide eumdem in tractatu in *Psalmum* LXXXV.

CAPUT VI

De essentia vel τῷ τί ἦν εἶναι Dei et ejus attributis universe. Videri in eo sitam essentiam, quod sit id quod est. Idque gentilium philosophorum et Patrum sententiis adstruitur. Solum Deum proprie esse et ens nominari ex iisdem fontibus ostenditur.

Attributa quæ Dei essentiam sequantur, quibus vocentur nominibus.

I. Ut in rebus a Deo conditis aliud est natura rei vel substantia, aliud quod ex ea sequitur et ad eam adhærescit, quales sunt proprietates et affectiones, quibus res ipsæ quodammodo formantur; sic in Deo tametsi simplicissimus sit, aliud esse cogitamus quod est ipse, hoc est substantiam ejus aut essentiam, aliud quod hanc modificat et quasi jam constitutam et existentem afficit. Quod posterius variis nominibus a theologis appellari solet. Gregorius quidem Nyssenus ἀξιώματα et ἀξίας hoc est *dignitates* plus semel nominat in primo libro *contra Eunomium* cum sic scribit: « Nam ut nostra ratio est, naturalis est Deo dignitas, ipsa divinitas, sapientia, potentia, ut sit bonus, judex, justus, fortis, patiens, verus, creator, dominator, invisibilis, finis expers, et si quid aliud hujus generis a divina Scriptura commemoratum est [a]. » Ac subinde ἀξίας etiam vocat. Idem quoque in eodem libro ἐπιτηδεύματα vocat, quæ vox *propria studia* cujusque sive *proprietates* significat, et instituta vitæ *mores* et *consuetudines*. Tum alibi νοήματα [1] et ἐννοίας, id est, *notiones* vel ἐπινοίας, ut et Basilius in primo *contra Eunomium*. Item alibi « qualitates et proprietatum differentias [2] quas circa substantiam ratione cogitationis intelligimus [b]. » Tum idem Nyssenus [3] opiniones, id est, opinione constitutas notiones [c], quas in Dei vita consideramus [4]. » Richardus Victorinus proprietates, et ante hunc Tertullianus in primo *contra Marcionem*, capite XXII, *naturales proprietates*. Huc etiam vocabula omnia pertinent quibus Græci theologi eas quæ a Latinis dicuntur *notiones* exprimunt, de quibus dicetur postea. Hæc enim non solum *relativis*, sed etiam *absolutis* proprietatibus accommodare licet.

II. Quanquam usu jam receptum est scholarum, ut *notiones* eæ duntaxat appellentur proprietates quæ sunt σχετικαὶ, id est, *relativæ*, vel ad personarum distinctionem pertinent, absolutæ vero proprio nomine attributa dicantur. Ac Nyssenus quidem Gregorius paulo ista latius sumpsit, ac tanquam duo quædam distinxit in Deo, alterum quod est οὐσία ipsa et substantia, velut τὸ ὑποκείμενον, alterum ea complectitur quæ sunt tanquam formæ et affectiones substantiæ, quas vocat « qualitatum sive proprietatum differentias, et circa substantiam cogitatione describi » ait. Ita relationes etiam et quidquid est præter essentiam eo genere censetur. Tum etiam *divinitatem* ipsam inter ἀξιώματα numerat in loco illo, quem primum ex eo descripsimus. Atqui divinitas est οὐσία ipsa. Nisi forte divinitatem Gregorius intelligit majestatem excellentiamque divinam, ut sit eminens quædam atque antecellens dignitas. At theologi recentes ab infinita amplitudine arctiorem in gyrum proprietates illas revocant quæ *attributa* nominant, a quibus relationes excludunt, nec in eorum definitione consentiunt. Plerique tamen sic explicant ut sint « perfectiones quædam quæ naturali ratione investigari possunt, et formæ instar habent quæ Dei substantiæ adjacet. » Hoc modo rela-

Proprietates

Essentia.

a Greg. Nyss. Ὡς μὲν γὰρ ὁ ἡμέτερος λόγος, συμφυές ἐστιν ἀξίωμα τῷ Θεῷ αὐτὴ ἡ θεότης, ἡ σοφία, ἡ δύναμις, τὸ, ἀγαθὸν εἶναι, κριτὴν, δίκαιον, ἰσχυρὸν, μακρόθυμον, ἀληθινὸν, κτίστην, ἐξουσιαστὴν, ἀόρατον, ἀτελεύτητον, καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν εἰς δοξολογίαν παρὰ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς εἰρημένων ἐστί.

b Nyss. Μὴ γὰρ δὴ προφερέτω τὰς τῶν ποιοτήτων, ἢ τὰς τῶν ἰδιωμάτων διαφορὰς, ὅσαι περὶ τὴν οὐσίαν τῷ λόγῳ τῆς ἐπινοίας καταλαμβάνονται.

c Id. Τὰς ἐπιθεωρουμένας ὑπολήψεις τῇ θείᾳ ζωῇ·

1 Lib. XII. — 2 Nys. in I. *Cont. Eun.* — 3 Lib. XII. *Contra Eunom.* — 4 Lib. *de Trin.* c. I.

Distinguuntur a relationibus.

tiones, ac proprietates personales attributa non erunt, quia naturali ratione inveniri nequeunt. Nos tamen hoc in capite, in quo proprietatum ab essentia discrimen quæritur, latius itidem ut a Basilio et Gregorio Nysseno, aliisque factum est eas usurpabimus, et id omne comprehendemus quod essentiæ quodammodo supervenit, quod ad tria capita redigitur. Nam proprietatum sive notionum aliæ sunt relativæ tam personales quam communes, illæ quidem ut paternitas, ut filietas : istæ vero ut creatoris σχέσις, aliæ sunt absolutæ negantes, aliæ denique aientes absolutæ. Eas omnes divinæ naturæ ac substantiæ velut accedere et eam afficere more nostro cogitamus, invicemque discernimus ex quo ἐπινοίας nomen inventum est. « Etsi enim non decet nominare in Deo qualitatem, esse tamen prius quodammodo est cogitatione quam talem esse [1] » ut Titus Bostrensis ait. Qui quidem recte prius *esse* cogitari dicit in Deo quam *talem esse*. Nam hoc ipsum *esse* vel τὸ ὄν, Dei est essentia sive *substantia* et οὐσία, quod paulo plenius exponendum videtur.

Relatio.

Notionis.

Dei essentia quomodo possumus inquirenda.

III. Quoniam igitur de Deo, cujusmodi in se est nihil a nobis dici ac ne cogitari quidem potest : « Uno enim modo et hoc ipsum quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet quid sit Deus mente capimus, si cogitaverimus id illum esse, quod quale et quantum sit, non possit intelligi, ne in ipsam quidem cogitationem possit venire, » ait Novatianus [2], idcirco pro intelligentiæ nostræ modulo quæ de illo sunt dicenda temperabimus, ac velut essentiam et substantiam in eo cogitantes, cætera velut formas et proprietates adjungemus tanquam perfectiones absolutionesque nudæ alioquin et simplicis substantiæ. Cum igitur prima illa et insi‘a sit hominum mentibus notitia Dei, uti vivens quædam substantia sit et sentiens atque intelligens ac rationis sapientiæque capax, immo vero quod impius scriptor haud absurde docuit [3], uti « totus sit sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui, » idem quod in considerandis hominibus, vel quo propius ad illum accedunt angelis usuvenit, in Deo quoque faciemus, ac spiritalem quamdam substantiam esse cogitabimus, cujus τὸ τί ἦν εἶναι*, hoc est *esse* sive *essentiam* inquiremus quomodo possumus. Sic autem opinor assequemur quod volumus, si quod in Deo præcipuum est, et ex quo cætera quæ in illo consideramus tanquam ex fonte profluunt, quodque primariam ejus notionem et ex notione ductam appellationem continet, id ejus essentiam nominemus. Id enim rei cujuscumque est essentia, quod in ea primum est a quo reliqua deinceps quæ sunt illius propria derivantur. Hoc vero quale sit in Deo non longe quærendum est. Nam communis hoc sensus habet non ex fidei disciplina profectus, sed naturæ luce hominibus insitus, id esse maxime naturale Deo, vel ut Græce dicam οὐσιῶδες, ut sit *id quod est*, quod jam alibi definivimus. Ita enim et gentiles philosophi et Judæorum ac deinde Christianorum sapientes uno ore pronuntiant, tum quod argumenta omnia superat, Deus ipse quid esset interrogatus, id imprimis se esse respondit, atque hoc ex uno præcipuum sibi ac reliquis præstantius nomen ascivit. De gentilibus minus hic dici attinet. Nam neque hoc agimus ut eorum placita persequamur, et sunt ea jam ab aliis studiose collecta. Nonnulla tamen quæ ex illis veteres theologi referunt, obiter adscribemus.

Substantiale

In eo consistit ut sit quod est.

IV. Imprimis [a] autem commemorandus est

a Plato. Ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε, τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον· καὶ τί τὸ γενόμενον μὲν ἀεὶ, ὂν δὲ οὐδέποτε· τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν, ἀε κατὰ ταὐτὰ ὄν· τὸ δὲ αὖ δόξῃ μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστὸν, γινόμενον, καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὄν.

* Utitur plus semel (*Metaphysic.* lib. I, cap. III. et lib. VII. cap. XVII.) formula, τό τι ἦν εἶναι, Aristoteles, illaque utitur ut eam efferat ex causis, quam *exemplum* atque ἰδέαν dicere solemus. Quare descripturus (*Physic.* lib. II, cap. III.) exemplarem Platonis formam speciemque ait : τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα, τοῦτο δ' ἐστίν ὁ λόγος ὁ τοῦ τι ἦν εἶναι. Unde (*Metaphys.* lib. VII, cap. XII.) λόγος ἔσχατος et ὅρισμος illi perinde sunt ac τό τι ἦν εἶναι. Nec mirum, quando τό τι ἦν εἶναι presse totidemque verbis Latine redditum idem valeat ac *id quod erat ut esset*, adeoque id designet quod rei effectionem prævertit, internoque habitu ad illam refertur. Hoc autem est rei ἀρχήτυπον, *exemplum*, æternaque creatricis mentis ἰδέα, ad quam effectæ res, tanquam ad suam normam, exiguntur. Restat igitur ut τό τι ἦν εἶναι denotet *rei formam*, ἰδέαν, *essentiam*, illamque ab omnibus quæ *accidere* eidem possunt secretam. E. R.

1 Lib. I. *contra Manich.* t. IV *Bibliot. Patrum.* — 2 Lib. *de Trinit.* c. 2. — 3 Plin. lib. VII., c. VII.

Idque probatur ex consensu gentilium.

Eusebius, qui in XI *de Præparatione evangelica* philosophorum[1] veterum de Deo ejusque sempiterna et immutabili natura placita refert præsertim Platonis[2], qui hoc Dei proprium esse dicit ut sit, cætera non esse : « Primum inquit, meo judicio distinguenda ista sunt quid est quod semper sit, nec ullum habet ortum, et quod semper gignatur nec unquam sit, quorum alterum intelligentia et ratione comprehenditur, quod unum semper atque idem est, alterum opinione cum sensu rationis experte, et est opinabile quod gignitur et interit, nec unquam est revera [a]. » Quæ verba Numenius apud eumdem declarans ait, id quod est, nimirum τὸ ὄν, esse ἀγέννητον, id est *ortus expers*, et eodem habere modo semper, quod autem factum sit id revera non esse. Quocirca Deo naturam in eo sitam esse docet, *ut sit*, nomen vero quod naturæ consentaneum est esse οὐσίαν et τὸ ὄν, ex quo reliquæ deinde proprietates oriuntur : Atque hæc, inquit, muniendæ viæ gratia mihi dicta sunto. Jam vero simulatione omni posita nosse me incorporei nomen ingenue profitebor, cum id nunc quidem pronuntiari jucundius futurum videatur quam sileri. Et quidem illud ipsum de quo jampridem quæritur, ei nomen esse contendo. Nec rideat hic quisquam dum audit proprium incorporei nomen essentiam, atque id quod est a me constitui. Nominis quippe hujus eam esse causam intelligat, quod neque ortum habuerit neque interiturum sit, immo nec aliud prorsus ullum seu motus, seu mutationis ejusque vel melioris, vel deterioris genus aliquando subiturum, sed omnino simplex et immutabile sit, adeoque in eadem semper naturæ suæ ratione persistat quod ab illa nec suapte sponte, nec aliena vi ac necessitate discedat [b]. »

Usiam et ens.

Sic Plutarchus in libro de *Ei* apud Delphos inscripto multa de eodem argumento pulcherrime scribit, interque alia vocabulum εἶ, quod significat *tu es*, apprime Deo ac soli convenire : « Quam ei quasi veram ac propriam, adeoque solam eique soli congruentem salutationem reddimus. Nos enim vere nullo modo sumus, sed omnis omnino natura mortalis in quodam interitus ortusque medio constituta, umbram sui dumtaxat aliquam exilemque ac lubricam opinionem ostendit. Hinc recte dicebat Heraclitus, ait idem, nos in eumdem fluvium bis ingredi non posse. Ita mortalem substantiam eodem in statu hærentem nemo bis attingat, sed repentino mutationis impetu dissipatur illico rursumque colligitur vel potius ne rursum quidem aut postea, sed existit simul ac desinit, accedit simul simulque discedit. Tum postea : Ecquid igitur illud est quod vere est? Id unum utique quod sempiternum est quod ortu simul interituque caret, cui nullum tempus mutationem affert [c]. » Ex quibus aliisque quamplurimis illud efficit, solum Deum esse revera qui neque initium habuerit existendi neque finem sit habiturus, ac nulli prorsus mutationi subjectus sit, neque varietati temporis. Hunc Plutarchi locum Cyrillus in octavo *contra Julianum* laudat. Quibus consentanea passim apud Plotinum leges. Numenius quoque Pythagoricus [3] in libro *de Bono* cum quæsisset quid tandem esset τὸ ὄν, *id quod est*, respondet nihil eorum esse quæ sentiuntur et corporea sunt aut gigni extinguique possunt. Si quidem id vere est quod stat et manet, quod autem non manet

a NUMEN. Τοσαῦτα μὲν οὖν μοι πρὸ ὁδοῦ· αὐτὸς δ' οὐκέτι σχηματισθήσομαι, οὐδ' ἀγνοεῖν φήσω τὸ ὄνομα τοῦ ἀσωμάτου· καὶ γὰρ κινδυνεύει νῦν ἤδη ἥδιον εἶναι εἰπεῖν μᾶλλον, ἢ μὴ εἰπεῖν· καὶ δῆτα λέγω τὸ ὄνομα αὐτῷ εἶναι τοῦτο τὸ πάλαι ζητούμενον· ἀλλὰ μὴ γελασάτω τις, ἐὰν φῶ, τοῦ ἀσωμάτου εἶναι ὄνομα, οὐσίαν, καὶ ὄν· ἡ δὲ αἰτία τοῦ ὄντος ὀνόματός ἐστι τὸ μὴ γεγονέναι, μηδὲ φθαρήσεσθαι, μηδὲ ἄλλην μήτε κίνησιν μηδεμίαν ἐκδέχεσθαι, μηδὲ μεταβολὴν κρείττω, ἢ φαύλην· εἶναι δὲ ἁπλοῦν, καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἐν ἰδέᾳ τῇ αὐτῇ καὶ μήτε ἐθελούσιον ἐξίστασθαι τῆς ταὐτότητος, μήθ' ὑφ' ἑτέρου προσαναγκάζεσθαι.

b PLUT. Ἡμεῖς δὲ πάλιν ἀμειβόμενοι τὸν Θεόν. Εἶ φαμεν, ὡς ἀληθῆ, καὶ ἀψευδῆ, καὶ μόνην μόνῳ προσήκουσαν τὴν τοῦ εἶ προσαγόρευσιν ἀποδιδόντες· ἡμῖν γὰρ ὄντως τοῦ εἶναι μέτεστιν οὐδέν· ἀλλὰ θνητὴ πᾶσα φύσις ἐν μέσῳ φθορᾶς, καὶ γενέσεως γενομένη, φάσμα παρέχει, καὶ δόκησιν ἀμυδρὰν, καὶ ἀβέβαιον αὑτῆς. Ibid. Ποταμῷ γὰρ οὐκ ἔστιν ἐμβῆναι δὶς τῷ αὐτῷ, καθ' Ἡράκλειτον οὐδὲ θνητῆς οὐσίας δὶς ἅψασθαι κατὰ ἕξιν; ἀλλ' ὀξύτητι, καὶ τάχει μεταβολῆς σκίδνησι καὶ πάλιν συνάγει· μᾶλλον δὲ οὐδὲ πάλιν, οὐδ' ὕστερον, ἀλλ' ἅμα συνίσταται, καὶ ἀπολείπει, καὶ πρόσεισι, καὶ ἄπεισιν. Ib. Τί οὖν ὄντως ὄν ἐστι; τὸ ἀΐδιον, καὶ ἀγέννητον, καὶ ἄφθαρτον, ᾧ χρόνος οὐδεὶς μεταβολὴν ἐπάγει. Ib. Καὶ μόνον ἐστὶ τὸ κατ' αὐτὸ ὄντως ὄν, οὐδὲ γεγονὸς, οὐδὲ ἐσόμενον, οὐδὲ ἀρξάμενον, οὐδὲ παυσόμενον.

1 Cap. IX et seq. — 2 Plato in *Tim.* paulo post. init.; Cic. lib. *de Univer.* — 3 Apud Eus. lib. XV. *Præpar. evang.*

id non est [a]. Eodem refert et Eugubinus [1] antiquiorum illorum placita qui Deum esse ipsum Ens et unum arbitrati sunt. Quæ illos ex divinis Libris, præsertim Mosis furtim sublegisse christianorum Patrum plerique testantur, tum præ cæteris Theodoretus in sermone secundo *contra Gentiles*. Ac Numenius ipse de Platone his verbis ostendit; « Quid enim est Plato nisi Moyses atticissans [b]? »

V. Quamobrem faciendum hoc nobis est quod ibidem Theodoretus eleganter hortatur. « Quemadmodum, inquit, qui aurosam terram et argenteam effodiunt cum exigua quædam ramenta nacti fuerint, eorum vestigia consectantes venas scrutantur, neque prius ab effodiendo desistunt quam auri copiam invenerint ex qua ramenta illa propagata sunt. Ita nos oportet Anaxagoræ et Pythagoræ et Platonis atque etiam Numenii et Plutarchi et Plotini, cæterorumque sermonibus auditis, fontem ipsum indagare ex quo pauca quædam divinorum laticum haurientes isti, libros suos exornarunt, atque illorum inopia relicta eam cum abysso sapientiæ commutare [c]. » Ex divinis itaque Litteris proprietatis illius auctoritas repetenda maxime est, ubi eam Deus ipse testimonio suo sancivit. Si quidem a Moyse quem familiariter adhibebat, interrogatus quis esset et quod nomen haberet, in hunc modum respondit: *Ego sum qui sum*. Et *Sic dices filiis Israel; Qui est misit me ad vos* [2]. Hebraico porro scriptum est: *Ero qui ero, ero misit me ad vos* [d]. Quod vocabulum futuri temporis a substantivo חוה deducitur, de quo ita rabbi Moses Maeimonides [3] : « Atque hoc nomen derivatum est a verbo *haiah* quod existentiam significat. Nam *haiah* significat existere. Neque interest sive dicas *haiah*, sive *nimza* in Hebraica lingua. Totum vero hujus mysterium positum est in eo quod petivit eamdem dictionem quæ existentiam significat per modum attributionis vel prædicationis. Nam pronomen relativum *qui* continet in se mentionem attributi alicujus inhærentis sibi, quippe quod nomen sit imperfectum et adjunctum sibi nomen aliud requirit. Et positum est nomen primum, quod subjecti vicem sustinet *ehieh, ero*, et nomen secundum quod attributum ejus est, itidem vocatur *ehieh ero*, et vox plane in substantia eadem cum priore. Quasi ostendere vellet, subjectum ipsum idem in substantia esse cum attributo. Ut hæc totius rei declaratio sit Deum existere sed non per existentiam. Quare explicatio et expositio illius est, existens qui est existens. Quasi diceret, qui necessario existit [e]. » Hæc rabbi Moses sane erudite ac luculente. Græci quoque ut peculiarem quamdam in verbo substantivo vim inesse monstrarent, idque in proprietatem divini transisse nominis, singularem illius usum adhibuerunt. Nam participium ὁ ὢν sine ulla casuum varietate apud illos ponitur. Ut in *Apocalypsi* [4]. *Gratia vobis ab eo qui est et qui erat et qui venturus est* [f], ubi contra grammaticæ regulas articulus, ut et adjuncta participia in gignendi casu leguntur. Sic etiam Plotinus [5] τοῦ dixit pro ἑνός. « In numeris quidem, ait, manente uno secundum ipsum fit numerus alio faciente [g]. »

Cæterum Philo Judæus ex illo *Exodi* loco

Idem astruitur ex Scripturis.

Nomen Dei primarium ab eo deducitur quod est.

Nomen Dei tetragrammaton exponitur.

a Numen. Τὸ δὲ ἄτακτον οὐχ ἕστηκεν· ὅτι δὲ μὴ ἕστηκε, οὐκ ἂν εἴη ὄν.

b Id. Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων;

c Theod. Καθάπερ οἱ τὴν χρυσῖτιν, καὶ ἀργυρῖτιν μεταλλεύοντες γῆν, ὅταν μικρὰ ψήγματα εὕρωσιν, ἐκείνοις ἑπόμενοι πάσας ἐρευνῶσι τὰς φλέβας, καὶ οὐ πρότερον παύονται διορύττοντες, ἕως ἂν εὕρωσι τοῦ χρυσοῦ τὸ πλῆθος, ἐξ οὗ διεσπάρη τὰ ψήγματα· οὕτως ἡμᾶς δεῖ τῶν Ἀναξαγόρου, καὶ Πυθαγόρου, καὶ Πλάτωνος, καὶ μέντοι καὶ Νουμηνίου, καὶ Πλουτάρχου, καὶ Πλωτίνου, καὶ τῶν ἄλλων ἐπακούσαντας λόγων, ἐπιζητῆσαι τὴν πηγὴν, ἐξ ἧς ὀλίγα ἄττα τῶν θείων ναμάτων ἀνιμησάμενοι οὗτοι τοὺς οἰκείους διεκόσμησαν λόγους· καὶ τὴν τούτων πενίαν καταλιπόντας ἀντιλαβεῖν τῆς σοφίας τὴν ἄβυσσον.

d Septuag. Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· et, ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς. Hebraice, אהיה אהיה et אהיה אשר אהיה שלחני אליכם.

e Rabbi Moses. זוה השם נגזר מן היה וחוא המציאות כי היה מורה על ענין ההויה ואין הפרש בין אמורך היה או נמצא בלשן העברי והסוד בלו הוא בשנותו המלה נעצמה המורה על המציאות בעניי התאר כי מלת אשר סובל זכרון התאר הנדבק בו שהוא שם הסר צריך אל חבור והושם השם הראשון והוא המתואר אהיה והשם השבי אשר תארג בו אחיה וחוא הוא כעצמו וכאלו הוא הראה שהמתואר הוא התאר בעצמו והיה זה באור ענין שהוא נמצא לא במציאות ובא כאור הענין ההוא ופירושו כן הנמצא אשד הנמצא בלומר המחויב המציאת.

f Apocal. Ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος.

g Plot. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀριθμοῖς, μένοντος τοῦ ἑν, ποιοῦντος δὲ ἄλλου, ὁ ἀριθμὸς γίνεται.

1 Lib. III. *de Peren. phil.* c. VII. — 2 *Exod.* III. 4. — 3 Lib. I. *More Neb.* c. LXIII. — 4 Cap. I, 4. — 5 *Enn.* 5, lib. V. c. V.

sensit Dei maxime esse proprium existere, reliqua non revera, sed opinione solum id habere. Ut in tractatu *de Deterioris invasione in id quod melius est*, « ex virtutibus, inquit, ea quæ Dei est, reipsa est secundum esse consistens, quoniam et Deus solus in esse stat. Ideo necessario de seipso dicet : *Ego sum qui sum*, tanquam ea quæ post se sunt, revera non sint, sed opinione tenus subsistere videantur [a]. » Et alio in libro [1] summi Dei proprium nomen in Scripturis esse dicit ὁ ὢν, *existens*, quia solus existit. Et quia nihil de eo comprehendimus aliud nisi ipsum existere, ut alibi [b] scribit [2]. Neque vero solum illud quadriliterum et ineffabile nomen quod Dei proprium maxime judicatur ab Hebræis, et ejus naturam, quantum assequi fas est exprimit, eam vim et originem habet, sed etiam alterum quod illi proximum est, duabus constans litteris יה*, *Iah*. Sic enim interpretatur illud Justinus [c], vel potius auctor

c Philo. Τῶν γὰρ ἀρετῶν, ἡ μὲν θεοῦ πρὸς ἀλήθειαν ἐστι, κατὰ τὸ εἶναι συνεστῶσα· ἐπεὶ καὶ ὁ θεὸς μόνος ἐν τῷ εἶναι ἡφέστηκεν· οὗ χάριν ἀναγκαίως ἐρεῖ περὶ αὐτοῦ. Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὡς τῶν μετ' αὐτὸν οὐκ ὄντων κατὰ τὸ εἶναι, δόξῃ δὲ μόνον ὑφεστάναι νομιζομένων.

d Id. in lib. *de Immutabil. Dei*. Ὁ δ' ἄρα οὐδὲ τῷ νῷ καταληπτὸς, ὅτι μὴ κατὰ τὸ εἶναι μόνον· ὕπαρξις γάρ ἐστιν, ὃ καταλαμβάνομεν αὐτοῦ· τὸ δὲ χωρὶς ὑπάρξεως οὐδέν.

e Justin. quæst. 50. *ad Orthod.* Ἑρμηνεία ἐστὶ τοῦ μὲν ἀλληλούια τὸ, ὑμνήσατε μετὰ μέλους τὸ ὄν.

* Potestas nominis יָה perspicue innotescet, dummodo reputetur esse illud correptum ex יהוה e quo per apocopen prodit יָהו, abjectoque ו ac tono retracto exsistit יָה. Hinc illud (*Ps*. LXVIII, 5.). ביה שמו *Jah nomen ejus* : atque hinc repetita crebro (*Pss*. CIV, 25; CV. 1-48; CXI. 1; CXI.) vox הללו־יה, quam Theodotion interpretatur, αἰνεῖτε τὸ ὄν, quamque in suis *Doxologiis* Syri imitati canunt. Sed operæ pretium fuerit paulo accuratius significationem investigare subjiciendam nomini יהוה quod κατ' ἐξοχὴν τετραγράμματον et ὄντος ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον ἄφραστον ἄλεκτον καὶ ἄφθεγκτον appellare (Videsis Joh. Drusii *Tetragrammaton* capp. IV-VII.) solent. Itaque animadverti I debet, plerisque omnibus (Cf. Hadriani Relandi decadem *Exercitt. philologic. de Vera pronuntiat. nominis Jehova, et* Gesenii *thesaur*. ad v. יהוה) eam hujusce nominis lectionem probari, cujus Epiphanius et Theodoritus meminerunt, ille quidem ubi (*Hæres*. XX.) inter cæteras Dei appellationes recenset IABE, quam innixus Scripturæ (*Exod*. III, 14.) verbis mox enarrat, ὃς ἦν καὶ ἔστι καὶ ἀεὶ ὢν : alter vero ubi (*Quæstt. in Exod*. VI. interrogat. XV) interrogationi. *Quidnam hoc est; Et nomen meum Dominus non indicavi illis?* respondet : « Ostendit quanto honore, quantaque benevolentia sit eum prosecutus. Quod enim patriarchas celaverat nomen, hoc ipsi aperuit. Dixit enim illi, *Ego sum qui sum*. Hoc autem apud Hebræos dicitur *inenarrabile* : prohibitum enim est eis hoc lingua pronuntiare. Scribitur autem quatuor litteris, et ob id appellant illud τετράγραμμον (verius τετραγράμματον cum enim γραμμὴ sit linea, τετράγραμμον non tam est quatuor litteras, quam quatuor lineas habens) quadriliterum. Inscriptum etiam fuit illud laminæ aureæ, quæ vittæ capitis alligata pendebat ad frontem Pontificis. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἀϊα אהיה al. Ἰά vel Ἰαώ). Samaritani porro vocant illud Jabe, Judæi vero Αιὰ. » Qua lectione præhabita, nomen quadriliterum sic erit punctis animandum, ut sit יַהְוֶה. Animadverti II debet eos omnes non minimum falli, qui cum Gesnero (*de Laude Dei per septem vocales*, in comment. Gotting. ad an. MDCCLI. T. I) et Wegscheidero (*Institut theolog*. § 52.) ad nonnulla veterum testimonia provocantes contendunt, nomen יהוה esse origine Ægyptium, et a Moise ex Ægyptiis derivatum. Huic enim præposteræ opinioni, quam accurate Didymus Taurinensis (*de Pronuntiat. div. nominis quatuor litterarum*, Parmæ MCCXCIX., et *rudiment. Copticæ litteraturæ*, p. 44.) confutavit, sicuti nullatenus favent Diodorus Siculus (Lib. I. cap. XCIV.) et auctor libri Περὶ ἑρμηνείας (§ 81.), ita ne hilum quidem suffragatur inscriptio in saitico Isidis templo apud Plutarchum (*de Iside* § 9). ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω ἀπεκάλυψεν. Sane omissis licet criticis dubitationibus, quæ ad inscriptionis genuinitatem referuntur, pronum est videre, illam neque materiali, ut aiunt, phraseos ratione, neque formali ejusdem potestate cum nomine יהוה consentire. Animadverti III debet simili in errore versari, qui nescio quo pacto ex Porphyrii verbis penes Eusebium (*Præparat. evang*. lib I. cap. VI.) et Theodoritum (*de Curand. Græcor. affectt*. serm. III.) eruunt, natales nominis יהוה esse Phœnicios. Verba namque Porphyrii ex opere adversus christianos sic habent : Ἱστορεῖ δὲ περὶ Ἰουδαίων ὅτι ἀληθέστατα δὴ τοῖς ὀνόμασιν αὐτῶν συμφωνότατα Σαγχουνιάθων ὁ βηρύτιος, εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως θεοῦ Ἰευώ. Atqui nihil ex hisce præterea assequimur, quam eximium Dei apud Judæos nomen fuisse Ἰευὼ, id est יהוה, Latine efferendum *Jevo*, littera *v*, sicuti in Δαυὶδ, supplente locum ו, et puncto *camets* per ω expresse, ut in אדם, ὠδώμ. Animadverti IV debet neque illis adjungi fidem posse, sive qui gemina putant nomina יהוה et *Jovis*, sive qui ex hoc Clarii Apollinis oraculo apud Macrobium (*Saturn*. I, 18.) :

Ὄργια μὲν δεδαῶτας ἐχρῆν νηπεύθεα κεύθειν,
Εἰ δ' ἀπάτῃ παύρῃ σύνεσις, καὶ νοῦς ἀλαπαδνὸς,
Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω,
Χείματι μὲν τ' ἀΐδην, διὰ δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

colligunt, nomen Ἰάω, יהוה, vel huic simillimum, communi vulgatoque Græcorum usu fuisse receptum. Et priori-

1 *De Abrahamo* et lib. *de Somniis*. et lib. *de Vita Mosis*. — 2 *De Immut. Dei*. p. et *de Præmiis et suppliciis*, p. 628.

Quæstionum ad orthodoxos dum vocem *alleluia*, sic explicat ut sit, *laudate carmine id quod est*.

Ex sententiis Patrum.

VI. Judæis et gentilibus philosophis consonant christiani theologi, qui ex iisdem divini verbi aut etiam naturæ fontibus, Dei proprietatem illam et appellationem hauserunt, cui soli *essentiam* et *existentiam*, hoc est τὸ εἶναι, vel οὐσίαν et ὕπαρξιν, vindicaverunt, cætera esse negantes et existere, puta etsi non sint nihil, tamen propter mutabilitatem et inconstantiam minime esse censentur. Hilarius initio libri primi de illis Domini verbis agens : *Ego sum qui sum* [1], « non enim aliud, inquit, proprium magis Deo quam esse intelligitur, quia idipsum quod est neque desinentis est aliquando neque cœpti, sed id quod cum incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia divinum omne neque abolitioni neque exordio obnoxium est. Et cum in nullo a se Dei desit æternitas, digne hoc solum quod esset, ad pro-

bus sane adjungere fidem idcirco non possumus, quod licet soni similitudine nomina יהוה et Jovis cohærere videantur, potestate nihilominus significandi omnino dissentiunt. Auctore namque Varrone (*de Ling. lat.* lib. V. cap. xx.), origo *Jovis* est ex *Diovis*, ex radice nimirum *div*, *dju*, quæ sanscritice valet *lucere*, *splendere*, et significatione substantiva, *cœlum*, unde Latina formula, *sub dio*. Quemadmodum vera manifesta est cognatio inter *div*, *deva*, *deus*, Æolice δεύς, ζεύς, sic perspicuus est nexus quo vinciuntur *Jupiter*, *Dju-piter*, *cœli pater*. Quæ significatio ab illa penitus abhorret, quam præfert nomen יהוה, IABE. Sed neque alterius opinionis asseclis adjungere fidem possumus, cum illam qualibet veri specie destitutam Ludovicus Cappellus (*Diss. de nomine* יהוה) ostenderit, idemque non inani conjectura confirmaverit Iablonski (*Panth. Ægypt.* I. 250. seqq.) suspicatus, Apollinis oraculum homini gnostico et Judaicis addicto placitis tribui oportere. Quapropter vindicata Hebraica origine nominis יהוה, animadverti V debet illius tum radicem, tum significationem esse omnino compertissimam. Compertissima est radix, eaque non alia a prisco הוה, cui recentius היה suffectum est : et compertissima est significatio cum יהוה, vel etiam (quanquam ad grammaticas rationes minus accommodate) יהוה, sit *qui est*, *existens*, ὁ ὤν. Quam significationem plenius uberiusque ter complexus est Joannes (*Apocal.* I. 4-8; XVI, 5.) scribens modo ὑπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, modo ὁ ἦν, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, et modo ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος. Cum quibus forte non absurdum prorsus fuerit contulisse versiculum, quo Græci, Pausania teste, Jovem celebrabant :

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστὶ, Ζεὺς ἔσσεται ὦ μεγάλε Ζεῦ.

Reliquum jam est VI., ut Biblicum hujus nominis usum quam brevissime expoliamus. Principio itaque audire minime debent qui discrimen utriusque nominis אלהים et יהוה præposter exaggerantes, non modo in Pentateuchi sylloge fragmenta *elohistica* ab *iehovisticis* separent, verum etiam unum eumdemque illorum auctorem haberi posse inficiantur. Hanc enim opinionem iis rationum momentis Sack (*de Usu nominum Dei* אלהים et יהוה) et Welte (*Im Nachmosaisch. Pentat. et* pagg. 82. seqq.) confutarunt, ut omnem illi colorem, omnemque veritatis speciem funditus detraxerint. Sed hoc rejecto discrimine, concedi vicissim debet, aliam esse notionem, aliam ideam, et alium habitum, quo supremum numen utraque appellatione אלהים et יהוה considerandum proponitur. Sicuti enim appellatio אלהים eo pertinet ut repræsentetur Deus (*Gen.* VI, 1-8; IV. 26-27; XXVIII 21-22.) ab universitate rerum distinctus, supra eamdem longissime evectus, ejusdem Creator, ac physici ordinis summus Moderator et Dominus; ita appellatio τοῦ יהוה ad Deum refertur, qui cum se (*Gen.* XV, 7; XXVIII, 13.) promissionibus patefecerit, illas constantissime exsecutus est, moralem ordinem restituit, restitutumque singulari pietate promovit, et ad suum culmen fastigiumque produxit. Cui quidem significationi plura sunt quæ non obscure suffragantur. Imprimis enim suffragatur vulgata penes Hebræos sententia, nomini אלהים inesse מדת הדין *proprietatem judicii*, qua supremus Dominus fulget, sed nomini יהוה inesse מדת הרחמים *proprietatem misericordiæ* quæ benignum promissorem, moralisque ordinis restitutorem maxime decet. Suffragatur deinde forma ipsa nominis יהוה quæ valet *erit* vel *qui erit*, sibi nimirum constans, sibi similis, semper idem, atque in suis consiliis et pollicitationibus præstandis (*Malach.* III, 6; *Osee*, XII, 6; *Apoc.* I, 4-8.) immutabilis. Tum suffragantur solemnia verba (*Exod.* III, 14.) : אהיה אשר אהיה כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם. His enim non minus continetur etymologica potestas τοῦ יהוה luculenterque ostenditur יהוה idem esse ac אהיה, per excellentiam ὁ ὤν, quam perspicue declaretur Deum idcirco יהוה nuncupari, quod non sit ipse sibi defuturus, sed sibi semper similis atque in suscepto consilio immutabilis ea sit opere certissime executurus, quæ prius respondit. Atque ista demum suffragantur, quibus Deus Moysem (*Exod.* VI, 2-3..) allocutus est :

וידבר אלהים אל־משה ויאמר אליו אני יהוה :
וארא אל־אברהם אל־יצחק ואל־יעקב
באל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם :

Videlicet innotui quidem Abrhamo, Isaaco et Jacobo באל שדי in nomine Dei omnipotentis, omniumque Domini, illisque complura virtutis meæ argumenta præbui; sed eisdem non innotui in nomine meo יהוה, quod ea nondum opera præstitissem, quorum pollicitatione ac spe (Cf. vv. 4-5-6.) illos mihi obstrinxeram, penitusque devoveram. Est igitur nomen יהוה cum significatione consertum immutabilis fidelitatis, qua Deus, *qui est* ὁ ὤν, promissiones suas explet, moralemque ordinem ab ipsis (*Gen.* III, 15.) misericorditer reparatum ad præstitutam metam, exitumque perducit. E. R.

[1] *Exod.* III, 14.

testationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit. » Et Hieronymus in tertium caput *epistolæ ad Ephesios* « loquitur in *Exodo* Dominus, ait : *Ego sum qui sum*, et *hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos*. Numquid solus Deus erat et cætera non erant? Utique angeli, cœlum, terra, vel maria et ipse Moses cui Dominus loquebatur et Israel et Ægyptii ad quos et contra quos princeps et adversarius mittebatur erant. Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa, quia cætera ut sint, Dei sumpsere beneficio, Deus vero qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit. » Rursus Clemens Alexandrinus in primo *Pædagogi*, cap. VIII, nomen illud ὁ ὤν idcirco Dei maxime esse proprium putat « quoniam illum exprimit qui revera solus est, qui erat et est et erit, quibus significandis temporibus unum nomen impositum est, *Qui est* [a]. » De quo fuse disserit Augustinus tractatu XXXVIII in *Joannem*. Ejusdem etiam brevis tractatus extat de illo *Exodi* loco *Ego sum qui sum*, in tomo operum sexto. Ubi inter cætera causam hanc reddidit : « Ecce, nomen est incommutabilitatis. Omnia enim quæ mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet nisi qui non mutatur. » Item alio in loco : « Quod enim vere est, ait, incommutabiliter manet, quoniam quod mutatur, fuit aliquando quod jam non est, et erit quod nondum est [1]. » Et alio in loco : « Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet. Non omnino non est, sed non summe est [2]. » Immo vero quodammodo non esse ac falsitatem esse quidquid est conditum si cum Deo conferatur, asserit auctor libri *de Cognitione veræ vitæ* [3]. « Hic solus, inquit, vere est, et ideo veritas est. Omne enim quod est, verum est. Quod vero non est, falsum est. Sed Deus vere est, igitur veritas est. Creatura autem ei collata quasi non est, et idcirco quasi falsitas ad veritatem est. Omne enim quod ex nihilo esse cœpit, in nihilum redigi poterit. Sed omnis creatura ex nihilo a Deo producta ad aliquid esse est producta. Igitur si ei comparatur, nihil esse probatur. » Ideo et esse et vocari proprie *est* eumdem dicit immutabilem Deum ita scribens Augustinus : « Jam illud attendite quid vocatur *est*. Nostis quid vocatur *est*. Quod vocatur et non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est, semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur [4]. » Vide eumdem libro secundo *de Moribus Manichæorum* sub initium.

VII. Gregorius Nazianzenus oratione sexta et tricesima idipsum egregie confirmat his verbis : « Quantum ergo nobis assequi concessum est, ens et Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt, ex iisque etiam entis vox ad eam indicandam aptior est, non hoc solum nomine quod ipse cum Mosi in monte oraculum ederet, quæreretque ille quo nomine vocaretur, ita seipsum appellavit edicens videlicet ei ut ad populum his verbis uteretur, *qui est, misit me*. Sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus, etc. At nos naturam ejusmodi exquirimus quæ ipsum esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copulatum. Ens vero proprium sane est Dei ac totum nec priore aliqua re nec posteriore (nec enim erat aut erit) definitum ac circumcisum [b]. » Sic Damascenus « videri ait, omnium quæ de Deo dicuntur nominum maxime proprium ens, quemadmodum Mosi respondens in monte, dixit : *Dic filiis Israel : Qui est misit me*. Totum enim in seipso comprehendens habet esse, velut quoddam essentiæ pelagus infinitum et interminatum [c]. »

Sed nemo id præstantius ac divinius quam

a Clem. Alexand. Τὸν ὄντως μόνον ὄντα, ὃς ἦν καὶ ἐστί, καὶ ἔσται, δείκνυσι Θεόν· καθ' ὧν τριῶν χρόνων ἓν ὄνομα κεῖται, ὁ ὤν.

b Greg. Naz. Ὅσον δ' οὖν ἐκ τῶν ἡμῖν ἐφικτῶν, ὁ μὲν ὤν, καὶ ὁ Θεὸς, μᾶλλόν πως τῆς οὐσίας ὀνόματα· καὶ τούτων μᾶλλον ὁ ὤν· οὐ μόνον ὅτι τῷ Μοϋσεῖ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους, καὶ τὴν κλῆσιν ἀπαιτούμενος ἥτίς ποτε εἴη, τοῦτο προσεῖπεν ἑαυτὸν, ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με τῷ λαῷ κελεύσας εἰπεῖν· ἀλλ' ὅτι καὶ κυριωτέραν ταύτην εὑρίσκομεν, etc. Ἡμεῖς δὲ φύσιν ἐπιζητοῦμεν, ᾗ τὸ εἶναι καθ' ἑαυτὸ, καὶ οὐκ ἄλλῳ συνδεδεμένον· τὸ δὲ ὂν ἴδιον ὄντως Θεοῦ, καὶ ὅλον, μήτε τῷ πρὸ αὐτοῦ, μήτε τῷ μετ' αὐτόν· οὐ γὰρ ἦν, ἢ ἔσται· περατούμενον, ἢ περικοπτόμενον.

c Damasc. lib. IV, c. XII. Δοκεῖ μὲν οὖν κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ Θεοῦ λεγομένων ὀνομάτων εἶναι ὁ ὤν· καθὼς αὐτὸς χρηματίζων, τῷ Μωϋσεῖ ἐπὶ τοῦ ὄρους φησίν· εἶπον τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με. ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον, καὶ ἀόριστον

1 Lib. *de Fide et Symb.* c. IV. — 2 Tract. in *Psal.* CXXI. — 3 Inter oper. Aug. c. VII. — 4 Tract. IV. in c. III. *Epist.* 1 *Joan.*

Dionysius in libro *de Divinis nominibus* explicavit [a]. Cujus in quinto capite docetur id primum et antiquissimum et maxime proprium habere Deum ut sit, quem ideo vocat « vere ens et omnibus quæ sunt essentiam tribuens. » Tum « entitatem temporum et entium sæculum [b]. » Ac paulo post. « Deus enim non quodammodo est ens, sed simpliciter ac non determinate totum in se esse complectens atque occupans. Ideo et rex sæculorum dicitur, quoniam in ipso et circum ipsum totum esse et est et subsistit. Ac neque erat, neque erit, neque factum est, neque fit, neque fiet. Immo vero neque est. Sed ipse est esse iis quæ sunt, nec solum entia, sed etiam ipsum esse entium ex eo est ente, quod sæcula omnia præcedit [c]. » Ut autem id quod in Deo primum et quasi cæterorum quæ illi tribuuntur fundamentum more intelligendi nostro discernimus est ipsum esse, sic et primum omnium derivari ab illo et impertiri conditis ab ipso rebus, Dionysius eodem in loco tradidit. « Et ante alias omnes ipsius participationes, ait, ipsum esse producitur, estque ipsum per se esse antiquius quam ipsissimam esse vitam et ipsissimam esse sapientiam et ipsissimam esse similitudinem divinam ac cætera quæ sic entia participant, ut ante omnia ista ipsum esse participent. Immo vero illa per se omnia quæ entia participant, ipsum per se esse participant, neque ullum est ens cujus non sit essentia et duratio ipsum esse. Quamobrem jure principalius omnibus aliis, tanquam ens, Deus ex dono cæteris omnibus suis donis antiquiore prædicatur. Hoc enim ipso quod est ante omnia et supra omnia est, omnibus antecellens, atque ipsum esse superans, totum ipsum per se esse prius condidit et ipsomet esse id omne quod quoquomodo est, produxit. Itaque principia rerum omnia esse participantia et sunt, et primum sunt, deinde principia sunt [d]. » Quod latius deinde prosequens, primas illas summi entis summique boni participationes, quarum communicatione cætera talia et quodammodo affecta dicuntur, ut est αὐτοζωὴ, αὐτοένωσις, αὐτοτάξις, *ipsissima vita, ipsissima unio, ipsissimus ordo*, quorum participatione res omnes vivunt, uniuntur ordinatæque sunt, quæque velut formæ sunt, aut ideæ singularium, eas inquam formas, prius esse et τοῦ εἶναι participes esse dicit, quam hujus aut illius modificationis [e]. Ante enim vita habet ut sit quam ut vita sit. *Essendi*

« Quamobrem primum hoc munus, primaque communicatio est quam summa et ipsissima ex se bonitas profundit in res creatas, esse ipsum [f]. »

VIII. Dionysii hanc doctrinam ac sententiam illustrat affirmatque Maximus illius interpres. Qui τὸ εἶναι præcipuam et præstantissimam divinitatis esse notam asserit, a qua sibi nomen ascivit. « Itaque ante cætera quæ de illo dicuntur, cujusmodi est vita, substantia et alia similia, merito nomen inde illi tribuitur [g], etc.

a Dion. Ὄντως ὂν, καὶ τῶν ὄντων ἁπάντων οὐσιοποιόν.

b Id. Καὶ χρόνων ὀντότης, καὶ αἰὼν τῶν ὄντων.

c Id. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς οὔ πως ἐστὶν ὢν, ἀλλ' ἁπλῶς, καὶ ἀπεριορίστως, ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφὼς, καὶ προειληφώς· διὸ καὶ βασιλεὺς λέγεται τῶν αἰώνων, ὡς ἐν αὐτῷ καὶ περὶ αὐτὸν παντὸς τοῦ εἶναι καὶ ὄντος, καὶ ὑφεστηκότος· καὶ οὔτε ἦν, οὔτε ἔσται· οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται· μᾶλλον δὲ οὔτε ἐστίν· ἀλλ' αὐτός ἐστι τὸ εἶναι τοῖς οὖσι, καὶ οὐ τὰ ὄντα μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τῶν ὄντων, ἐκ τοῦ προαιωνίων ὄντος.

d Id. Καὶ πρὸ τῶν ἄλλων αὐτοῦ μετοχῶν τὸ εἶναι προβέβληται, καὶ ἐστίν αὐτὺ καθ' αὑτὸ τὸ εἶναι πρεσβύτερον τοῦ αὐτοζωὴν εἶναι, καὶ αὐτοσοφίαν εἶναι, καὶ αὐτοομοιότητα θείαν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα, ὅσων τὰ ὄντα μετέχοντα, πρὸ πάντων αὐτῶν τοῦ εἶναι μετέχει· μᾶλλον δὲ καὶ αὐτὰ καθ' αὑτὰ πάντα, ὧν τὰ ὄντα μετέχει, τοῦ αὐτὸ καθ' αὑτὸ εἶναι μετέχει, καὶ οὐδέν ἐστιν ὂν, οὗ μή ἐστιν οὐσία, καὶ αἰὼν, τὸ αὐτὸ εἶναι· πάντων οὖν εἰκότως τῶν ἄλλων ἀρχηγικώτερον, ὡς ὢν, ὁ Θεὸς ἐκ τῆς πρεσβυτέρας τῶν ἄλλων αὐτοῦ δωρεῶν ὑμνεῖται· καὶ γὰρ τὸ (τῷ), προεῖναι, καὶ ὑπερεῖναι προέχων, καὶ ὑπερέχων τὸ εἶναι, πᾶν αὐτό φημι καθ' αὑτὸ τὸ εἶναι προϋπεστήσατο, καὶ τῷ εἶναι αὐτῷ πᾶν τὸ ὁπωσοῦν ὂν ὑπεστήσατο· καὶ γοῦν αἱ ἀρχαὶ τῶν ὄντων πᾶσαι τοῦ εἶναι μετέχουσαι, καὶ εἰσὶ, καὶ πρῶτόν εἰσιν, ἔπετα ἀρχαί εἰσι.

e Ib. Τὰς αὐτομετοχὰς εὑρήσεις, τοῦ εἶναι πρῶτον αὐτὰς μετεχούσας, καὶ τῷ εἶναι πρῶτον μενούσας, ἔπειτα τοῦδε, ἢ τοῦδε, ἀρχὰς οὔσας, καὶ τῷ μετέχειν τοῦ εἶναι καὶ οὔσας, καὶ μετεχομένας· εἰ δὲ ταῦτα τῇ μετοχῇ τοῦ εἶναί ἐστι, πολλῷ γε μᾶλλον τὰ αὐτῶν μετέχοντα.

f Ib. Πρώτην μὲν οὖν τοῦ αὐτοεῖναι δωρεὰν ἡ αὐτοϋπεραγαθότης προβαλλομένη, τῇ πρεσβυτέρᾳ πρώτη τῶν μετοχῶν ὑμνεῖται, καὶ ἐστὶν ἐξ αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι.

g Maximus. Ἑαυτῷ ταύτην τὴν προσηγορίαν ἔθετο ὁ Θεὸς, εἰπὼν, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· διό πρὸ τῶν ἄλλων, ὅσα περὶ αὐτοῦ λέγεται, οἷον ζωῆς, καὶ οὐσίας, καὶ τῶν τοιούτων, εἰκότως ἀναγορεύεται, etc.

1 Lib. I. *de Cons.* c. VI.

in hoc enim primo statim incubitu mens intendit ac primum cogitat ipsum esse, deinde sic quodammodo esse ista considerat. Quamobrem simpliciter esse, non quodammodo esse demonstravit cum dixit, per seipsum esse [a]. » Sicut cum αὐτοζωὴν *ipsissimam vitam* et hujus generis alia nominavit, omnino et universe vitam esse ac simpliciter ipsum vivere, non autem hanc, vel illam esse vitam ostendit. Nam quod ad creatas res attinet, eas proprie ac vere *entia* non esse uterque definit, quia mutabiles sunt, nec sunt constanter hoc ipsum quod esse dicuntur. Itaque quo ad supremum illud esse et mutationis expers propius accedunt, eo verius esse dicuntur ut sunt mentes a corpore separatæ quas Dionysius appellat « sanctissimas antiquissimasque virtutes quæ vere sunt, ac velut in supersubstantialis trinitatis limine collocatæ [b]. » « Quæ autem sensibus exposita sunt, proprie non sunt entia, ait Maximus, quia mutabilia sunt et nascuntur, atque intereunt [c]. » Cum enim esse sit existere et extra nihilum esse, angeli quidem et immortales spiritus, tametsi secundum accidentia mutentur, non tamen ab ipso esse unquam excidunt. Ideo vere esse dicuntur, quatenus

Esse. τὸ εἶναι non existentiam modo, sed etiam stabilitatem significat. Quæ autem sub sensus cadunt et corruptibilia sunt, quoniam oriuntur et occidunt, hoc est, e nihilo in nihilum abeunt, vere esse negantur. Accedit continua corporum ac rerum sensibilium mutatio quidamque veluti decursus, quo fit ut eadem perpetuo non sint, uti fluvius « quem nullus eumdem unquam invenit, » ut ex Heraclito memorantem antea Plutarchum audivimus. Quam-

Essentiale. obrem Dei proprium et οὐσιῶδες est esse simpliciter, et nullo addito eique consentaneum nomen est ὁ ὤν, *qui est*. De quo Bernardus [1] audiendus est, qui ei quod a nobis positum est, luculentissime fidem facit. Sic enim de Deo percontatur ac sibi ipse respondet : « Quis est! non sane occurrit melius quam qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente, *Qui est misit me ad vos*. Merito quidem. Nil competentius æternitati quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur quod est. Nempe hoc est ei esse quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potius non esse quam esse ? Quid item Deus ? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse qui suum ipsius est et omnium esse. »

IX. Hinc unum ex decem Dei nominibus memorat Hieronymus[2] אשר אהוה *Eser Eheie*, *qui ero*, vel *qui sum*, ὁ ὤν. Pro quo Isidorus[3], solum posuit *Ejeje*, *qui est Deus*. Tum hoc addit Hieronymus : « Deus enim solus quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. Hoc enim nomen ad sanctum Moysem per angelum est delatum. Quærenti enim quod esset nomen ejus qui eum pergere præcipiebat ad populum ex Ægypto liberandum, respondit : *Ego sum qui sum, et dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos*, tanquam in ejus comparatione qui vere est quia incommutabilis est, ea quæ commutabilia facta sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur, *fuit*, non est, et quod dicitur, *erit*, nondum est. Deus autem esse tantum novit, fuisse et futurum esse non novit. Solus enim Pater cum Filio et Spiritu sancto veraciter est, cui comparatum esse nostrum, non esse est. » At Ambrosius in commentariis ad Psalmum tertium et quadragesimum, non nomen Dei in illo *Exodi* loco, sed rem nominis expressam putat. « Denique cognoscens, inquit, mentem ejus Deus non respondit nomen, sed negotium, hoc est, rem expressit non appellationem dicens: *Ego sum qui sum*, quia nihil tam proprium Dei quam semper esse. » Et quidem si quis totum illud caput diligentius

a Τούτῳ γὰρ ἀθρόῳ κατὰ πρώτην προσβολὴν ἐπιβάλλει ὁ νοῦς τῷ εἶναι· εἶθ' οὕτω τὸ ὁπωσοῦν εἶναι αὐτὰ θεωρεῖ· τὸ οὖν ἁπλῶς εἶναι, οὐ τὸ πῶς εἶναι ἐδήλωσεν, εἰπὼν καθ' αὑτὸ τὸ εἶναι.

b Dion. Καὶ γοῦν αἱ πανάγιαι, καὶ πρεσβύταται δυνάμεις ὄντως οὖσαι, καὶ οἷον ἐν προθύροις τῆς ὑπερουσίου τριάδος ἱδρυμέναι, πρὸς αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ καὶ τὸ εἶναι, καὶ τὸ θεοειδῶς εἶναι ἔχουσι.

c Maxim. Ποῦ γὰρ ὄντα ἐν αἰσθητοῖς; τὰ γὰρ αἰσθητὰ οὐκ εἰσὶν ὄντα, ἅτε τρεπτὰ ὄντα, πα γινόμενα, καὶ ἀπολλύμενα.

1 Epist. 136. — 2 Lib. VII. *Orig.* cap. 1 — 3 Lib. I. *de Consol.*, VI.

legat, dubitabit an satis solida sit ista nominis proprii ratio ex hoc loco deducta. Non enim dicit illud sibi esse nomen, uti mox cum se Deum Abrahami, Isaaci, Jacobique nominasset, adjecit : *Hoc nomen mihi est in æternum.* Sed utcumque impositio ista proprii nominis habet, de re ipsa quod satis est ex illo constat, nihil tam esse Dei proprium, ut ait Ambrosius, adeoque οὐσιῶδες, quam semper esse. Eodem modo et *Hypognostici* auctor [1], esse et essentiam soli Deo convenire ait, quia nunquam esse cœpit, tametsi pro modulo suo creaturis quoque tribuantur. « Quidquid enim Deum fecisse dicimus, habet essentiam, id est, species est. Essentia enim dicitur ab eo quod est, quæ tantum de solo Deo dici debet, secundum illud quod scriptum est in *Exodo* Moysi : *Dices eis*, id est, populo : *Qui est, misit me ad vos.* Tamen et de cæteris creaturis dici potest quod habeant essentiam, sed non sicut de Deo qui initium non habet quod est, sed ex quo accipientes initium quod sunt, esse cœperunt. » Quod iste scriptor ex Augustino mutuatus est, qui Deum proprie dici vult essentiam, potius quam substantiam. « Est tamen Deus, inquit, sine dubitatione substantia, vel si melius hoc appellatur, essentia quam Græci οὐσίαν vocant [2]. Sicut enim ab eo quod est sapere, dicta sapientia, et ab eo quod est scire, dicta est scientia, ita ab eo quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est quam ille qui dixit famulo suo Moysi : *Ego sum qui sum, et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* » Ac paulo post: « Quod enim mutatur non servat ipsum esse, et quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest, quod fuerat non esse, ac per hoc illud solum quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quod verissime dicatur esse. » Quod et in septimo ejusdem operis, capite quinto repetit, Deum asserens abusive quidem dici substantiam « vere autem ac proprie dici essentiam, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam, quia incommutabilis est. Est enim vere solus, quia incommutabilis est uti *Jobi* capite tertio et vicesimo scriptum est, *Ipse enim solus est.* » Quem ad locum Gregorius papa quærit cur cum omnia creaverit Deus ut essent, solus esse dicatur, ac sic respondet : « Sed aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt [3]. »

Essentiale.

Quoniam igitur solus vere est, soli ipsi vocabulum essentiæ convenit, hoc est, οὐσίας « *Usia* est, ait Epiphanius, non periusia, id est facultatis instar suppetens. Sed illud ipsum quod est, ut ait Moyses : *Qui est misit me. Dic filiis Israel.* Qui est igitur, est ens. Ens autem ipsa est essentia quæ est [a]. » De quo et Cyrillus in primo *Dialogorum* sub initium habet, τὸ ὄν, et οὐσίαν de solo Deo proprie usurpari contendens, de creatis autem rebus abusione nominis.

Ens et essentiam

X. Atqui complures e contrario non modo nostrorum, hoc est christianorum theologorum, sed etiam gentilium, illa ipsa nomina esse, essentiam sive οὐσίαν, multoque magis substantiam, vere proprieque negant in Deum competere. Plotinus certe, ut ex omni gentilium numero solum hunc proferam, passim nomina ista, ὄν, οὐσίαν, ζωὴν, νοῦν, *ens*, *essentiam*, *vitam*, *mentem*, et similia removet ab eo qui summus est [b]. His enim omnibus antecellere illum oportet, ut ad eum convertantur ista quæ ipsius imitatione esse dicuntur. Tum quoniam illa omnia condidit ac procreavit, necesse est nec esse ipsum aliquid eorum, et multo iis ipsis esse præstantius. « Unumquodque, ait ille, unius est particeps unumque participat, utpote quod non sit ipsum unum. Quidnam igitur illud est, cujus hoc est particeps? Quod quidem efficit ut hoc sit, simulque sit cuncta. At enim si facit ut unumquodque sit, et unius præsentia multitudo ipsius est sibi sufficiens, ipsum videlicet est origo essentiæ omnis et sufficientiæ, illud ipsum, inquam, quod non est essentia, sed ultra hanc ultraque sufficientiam [c]. »

Deus essentia præstantio et eo omn quod de eo dicitur

Tum alibi ex eo « quod omnia est et ante

a Epiph. *Hær.* 69. n. 70. Οὐσία οὖν ἐστι, οὐχ περιουσία· ἀλλὰ αὐτὸ τοῦτο ὄν· ὡς φησὶ Μωϋσῆς· ὁ ὢν ἀπέσταλκέ με, εἰπὼν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ· ὁ ὢν οὖν ἐστι τὸ ὄν· τὸ δὲ ὂν ἡ οὐσία τυγχάνει.

b Plotin. lib. III. *Enn.* 5. cap. xvi. Δεῖ τοίνυν ἐκεῖνο ζωῆς εἶναι κρεῖττον, καὶ νοῦ· οὕτω γὰρ ἐπιστρέψει πρὸς ἐκεῖνο καὶ τὴν ζωὴν τὴν ἐν αὐτῷ μίμημά τι τοῦ ἐν ἐκείνῳ ὄντος, καθ' ὃ τοῦτο ζῇ, καὶ τὸν νοῦν τὸν ἐν τούτῳ μίμημά τι τοῦ ἐν ἐκείνῳ ὄντος, ὅ, τι δὴ ποτέ ἐστι τοῦτο.

c Plotin ib. c. xvii. Ἕκαστον τοῦ ἑνὸς μετείληφε, καὶ μετέχει ἑνός, οὐκ αὐτὸ ἕν· τί οὖν τὸ οὗ μετέχει, ὃ

1 Lib. I. cap. iv. — 2 Lib. V. *de Trinit.* c. ii. — 3 Lib. XVI, *Moral.* cap. xvi; vide et lib. XVIII, cap. xvii.

omnia quod unum est, non æqualis cum omnibus conditionis, oportet, inquit, supra essentiam esse ac mente superius [a]. »

Idem etiam alio in loco rationem erudite reddit, cur neque ὄν, neque οὐσία, id est *ens* et *essentia* sit. « Quippe, ait, essentia hoc aliquid est. Id autem determinatum est. Illud vero non licet tanquam hoc aliquid cogitare, alioqui jam non esset principium, sed illud dumtaxat quod hoc aliquid appellabas [b]. »

Tum paulo post : « Jam vero quod est ente superius, non dicit hoc aliquid, neque enim ponit aliquid, neque nomen ipsius dicit, sed hoc solum affert, non esse hoc. » Ac paulo post : « Sed ut intelligibilem naturam nosse cupiens tunc demum cognoscet quod est super sensibile, quando nullam prorsus imaginem sensibilis tenebit. Ita qui id contemplari volet quod est supra intelligibile, quidquid intelligibile est omittens, idipsum contemplabitur, ex eoque discet ipsum existere, quale vero sit illud omittet. Hoc ipsum vero quale, significat non quale. Nam neque quale inest ei, in quo non est hoc aliquid. At nos nostris quasi cujusdam parturientis conatibus ignoramus quid potissimum eloqui deceat, et de eo quod dici non potest, dicimus idque nominamus, significare aliquid nobis ipsis quoad possumus cupientes. Fortasse vero et hoc nomen quod dicitur, unum per respectum quemdam ad multa, negationem elevationemque ab illis significat. Quamobrem Pythagorici quoque Apollinem secretiori quadam significatione inter se nominabant, ipsa scilicet negatione multorum [c]. » Hæc Plotinus, qui ex eo quod a multis, id est, ab omnibus secretum et eximium quiddam est illud unum ac summum, merito concludit nihil eorum esse, cum sit omnia, hoc est excellenter omnia contineat, adeoque non sit Τόδε τί, vel, ut Aristoteles *Hoc aliquid.*
loqui solet, τό τὶ ἦν εἶναι, quod ipsum defini- *Quidditas.*
tum aliquid et certo circumscriptum genere significat etidem est atque οὐσιᾴ, sive *essentia*, ut sanctus Thomas in libro *de Ente et essentia* demonstrat [1]. Non est igitur essentia neque τὸ ὄν, quia de illo neque *hoc aliquid* neque *quale quid* usurpari potest.

Idem et quia Deus τοῦ εἶναι , *essendi* prin- *Ens.*
cipium est, essentia vult esse præstantius : « Proinde commutandam nobis in oppositum opinionem esse de Deo. Alioqui destitutus a Deo relinqueris [d]. » Addit elegantem ejus rei similitudinem : « Perinde, ait, ac si qui per totam vitam forte dormierint, ideoque sola quæ videntur in somnis credenda, tanquam certa prorsus existiment. Si quis autem eos excitet utpote qui his quæ per apertos oculos sentiuntur, fidem non adhibeant, subito rursus obdormiant [e]. »

Denique ex eo quod *ipsum bonum* est, nihil in se omnino habere demonstrat, neque bonum, neque non bonum, neque essentiam, neque mentem, neque pulchrum, quorum omnium additione detrahitur hoc ipsum quod dicitur bonum. Igitur adimens omnia Deo, qui ipsum recte contemplari vult « ac de eo nihil affirmans, neque quidquam mentiens, quasi sit aliquid apud ipsum, istud ipsum,

ποιεῖ αὐτὸ καὶ εἶναι, καὶ ὁμοῦ τὰ πάντα; ἀλλ' εἰ ποιεῖ ἕκαστον εἶναι, καὶ τῇ ἑνὸς παρουσίᾳ αὔταρκες τὸ πλῆθος αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς δηλονότι ποιητικὸν οὐσίας, καὶ αὐταρκείας, ἐκεῖνο αὐτὸ οὐκ ὂν οὐσία, ἀλλ' ἐπέκεινα ταύτης, καὶ ἐπέκεινα αὐταρκείας.

a Plotin. lib. IV. *Enn.* 4. cap. II. Ἐπέκεινα ἄρα οὐσίας· καὶ εἰ τὰ πάντα, πρὸ δὲ πάντων τὸ ἓν, οὐ τὸ ἴσον ἔχον τοῖς πᾶσι, καὶ ταύτῃ δεῖ ἐπέκεινα εἶναι τῆς οὐσίας τοῦτο δὲ καὶ νοῦ· ἐπέκεινα ἄρα τί νοῦ.

b Plot. ib. Τόδε γάρ τι δεῖ τὴν οὐσίαν εἶναι· τοῦτο δὲ, ὡρισμένον· τὸ δὲ, οὐκ ἐστὶ λαβεῖν ὡς τόδε· ἤδη γὰρ οὐκ ἀρχή· ἀλλ' ἐκεῖνο μόνον, ὃ τόδε εἴρηκας εἶναι.

c Ib. Τὸ γὰρ ἐπέκεινα ὄντος, οὐ τόδε λέγει· οὐ γὰρ τίθησιν, οὐδὲ ὄνομα αὐτοῦ λέγει· ἀλλὰ φέρει μόνον τὸ, οὐ τοῦτο, etc. Ἀλλ' ὥσπερ τὴν νοητὴν φύσιν βουλόμενος ἰδεῖν, οὐδεμίαν φαντασίαν αἰσθητοῦ ἔχων, θεάσεται ὅ ἐστιν ἐπέκεινα τοῦ αἰσθητοῦ· οὕτω καὶ ὁ θεάσασθαι θέλων τὸ ἐπέκεινα τοῦ νοητοῦ, τὸ νόητον πᾶν ἀφεὶς, θεάσεται, ὅτι μέν ἐστι διὰ τούτου μαθὼν, οἷον δέ ἐστι τοῦτο ἀφείς· τὸ δὲ οἷον σημαίνειν τὸ οὐχ οἷον· οὐ γὰρ ἔνι οὐδὲ τὸ οἷον, ὅτῳ μηδὲ τό τι. Ἀλλὰ ἡμεῖς ταῖς ἡμετέραις ὠδῖσιν ἀποροῦμεν ὅ, τι χρὴ λέγειν· καὶ λέγομεν περὶ οὐ ῥητοῦ, καὶ ὀνομάζομεν, σημαίνειν ἑαυτοῖς θέλοντες ὡς δυνάμεθα· τάχα δὲ καὶ τὸ ἓν ὄνομα τοῦτο, ἄρσιν ἔχει πρὸς τὰ πολλά· ὅθεν καὶ Ἀπόλλωνα οἱ Πυθαγορικοὶ συμβολικῶς πρὸς ἀλλήλους ἐσήμαινον ἀποφάσει τῶν πολλῶν.

d Plotin. *Enn.* 5. lib. V. c. XI. Τὸ δὲ πρῶτον ἀρχὴ τοῦ εἶναι, καὶ κυριώτερον αὖ τῆς οὐσίας· ὥστε ἀντιστρεπτέον τὴν δόξαν· εἰ δὲ μὴ, καταλελείψῃ ἔρημος Θεοῦ.

e Id. Οἷον εἴ τινες διὰ βίου κοιμώμενοι, ταῦτα μὲν πιστὰ καὶ ἐναργῆ νομίζοιεν τὰ ἐν τοῖς ὀνείρασι· εἰ δέ τις αὐτοὺς ἐξεγείροιεν, ἀπιστήσαντες τοῖς διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἀνεῳνότων ὀφθεῖσι, πάλιν καταδαρθάνοιεν.

1 Oper. sancti Thomæ.

est, omittit, nihil eorum quæ non insunt, falso de ipso testificans. Quemadmodum ii faciunt qui cum laudare sine laudandi scientia aliquos instituunt, eorum quos prædicant gloriam minuunt attribuentes ipsis ea quæ eorum dignitate minora sunt, cum vera de subjectis personis eloqui nesciant. Quamobrem et nos nihil eorum affingamus quæ posteriora, minoraque sunt, sed illud observemus Deum per omnia hæc eminentem, horum esse causam neque tamen hæc esse [a]. » Hæc et his plura

Essentiam. Plotinus qui Deum idcirco οὐσίαν dici non patitur quod hanc ipsam et quidquid aliud dici, cogitarive potest infinitis superet partibus et excellat, atque ita sit omnia, ut nihil certi definitique sit, ex quo imponi possit appellatio.

XI. Quod a nostris multo præstantius explicatur, velut a Dionysio, cujus sacri cujusdam afflatus plena ista sunt ex primo capite libri *de Divinis nominibus*. « Supra essentias, inquit, eminet superessentialis infinitas, et supra mentes mente omni superior unitas, et nulli intelligentiæ intelligibile est unum illud quod omnem intelligentiam excedit, et orationi omni prorsus ineffabile est bonum quod orationem superat, unitas omnem unitatem uniens et superessentialis essentia, et mens mentis expers et sermo ineffabilis sermonis, et mentis nominisque vacuitas, secundum nihil eorum quæ sunt, existens cum sit causa omnibus ut sint, ipsum vero non sit, tanquam ultra omnem essentiam positum, et quemadmodum ipsa de se proprie et scienter pronuntiare potest [b]. » Ac postea, « Laudant ipsum (angeli) maxime proprie remotione omnium quæ sunt, hoc vere atque excellenter edocti divino lumine, et ex ea, quam cum ipso habent beatissima conjunctione, ipsum causam quidem esse omnium quæ sunt, nihil autem eorum, utpote superessentialiter exemptum. Superessentialitatem itaque divini principatus, quidquid tandem sit superbonitatis superexistentia, neque tanquam sermonem aut vim, neque velut mentem aut vitam aut essentiam celebrare fas est ulli eorum qui sunt veritatis omnem veritatem superantis amatores, sed tanquam ex omni habitu, motu, vita, phantasia, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intellectione, essentia, statione, stabilitate, unione, termino, infinitate, omnibus denique quæcumque entia sunt excellenti quadam ratione secretam [c]. »

Ad hæc in quinto capite libri ejusdem *de Divinis nominibus :* « Sed et ipsum esse, inquit, ex eo qui ante est. Et ipsius est esse, non autem est ipsius esse, et in ipso est esse, non autem est in ipso esse. Et illum habet esse ipsum, non autem ipse habet ipsum esse. Atque is est esse ipsius ævum et principium et mensura, ante essentiam existens, et entis atque ævi omniumque efficiens essentiæ principium et medium et finis. Idcirco Scripturæ sacræ eum qui vere est ante omnia, per omnem entium notionem multipliciter efferunt, adeo ut et *erat* de ipso et *est* et *erit*, et *factum est* et *fiet* proprie celebrando prædicetur. Nam illa omnia apud eos qui ut Deo convenit ista intelligunt, significant ipsum secundum omnem notionem superessentialiter esse et causam eorum quæ omni modo sunt. Non enim ita hoc est, ut non sit hoc, neque partim est, partim non est. Sed est omnia, tanquam causa omnium, et in se omnia principia, omnes conclusiones entium omnium continens, et ante obtinens. Ac supra omnia est, tanquam ante omnia superessentialiter superexistens. Hinc

a Id. ib. cap. ult. Πάντα ἄρα ἀφελὼν, καὶ οὐδὲν περὶ αὐτοῦ εἰπὼν, οὐδ' ἔτι ψευσάμενος ὡς ἐστὶ παρ' αὐτῷ, εἴασε τὸ ἐστὶν, οὐδὲ καταμαρτυρήσας τῶν οὐ παρόντων· οἷον, οἱ μὴ ἐπιστήμῃ τοὺς ἐπαίνους ποιούμενοι, οἵ ἐλαττοῦσι τὴν τῶν ἐπαινουμένων δόξαν, προστιθέντες αὐτοῖς ἃ τῆς ἀξίας ἐστιν ἐλάττω, ἀποροῦντες ἀληθεῖς εἰπεῖν περὶ τῶν ὑποκειμένων προσώπων τοὺς λόγους· καὶ οὖν καὶ ἡμεῖς μηδὲν τῶν ὑστέρων, καὶ ἐλαττόνων προστιθῶμεν· ἀλλ' ὡς ὑπὲρ ταῦτα ἰὼν ἐκεῖνος, τούτων αἴτιος, ᾖ, ἀλλὰ μὴ αὐτὸς ταῦτα.

b Dion. Ὑπέρκειται τῶν οὐσιῶν ἡ ὑπερούσιος ἀοριστία· καὶ τῶν νοῶν ἡ ὑπὲρ νοῦν ἑνότης, καὶ πάσαις διανοίαις ἀδιανόητόν ἐστι τὸ ὑπὲρ διάνοιαν ἕν· ἄῤῥητόν τε λόγῳ παντι τὸ ὑπὲρ λόγον ἀγαθόν· ἑνὰς ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος, καὶ ὑπερούσιος οὐσία, καὶ νοῦς ἀνόητος, καὶ λόγος ἄῤῥητος, ἀλογία, καὶ ἀνοησία, καὶ ἀνωνυμία, κατὰ μηδὲν τῶν ὄνθων οὖσα· καὶ αἴτιον μὲν τοῦ εἶναι πᾶσιν, αὐτὸ δὲ μὴ ὂν, ὡς πάσης οὐσίας ἐπέκεινα, καὶ ὡς ἂν αὐτὴ περὶ ἑαυτῆς κυρίως, καὶ ἐπιστητῶς ἀποφαίνοιτο.

c Ibid. Ὑμνοῦσιν αὐτὸν κυριώτατα διὰ τῆς πάντων τῶν ὄντων ἀφαιρέσεως, τοῦτο ἀληθῶς, καὶ ὑπερφυῶς ἐλλαμφθέντες ἐκ τῆς πρὸς αὐτὸ μακαριωτάτης ἑνώσεως, ὅτι πάντων μέν ἐστι τῶν ὄντων αἴτιον, αὐτὸ δὲ οὐδὲν, ὡς πάντων ὑπερουσίως ἐξῃρημένον· τὴν μὲν οὖν ὑπερουσιότητα τὴν θεαρχικὴν, ὅ τι ποτέ ἐστιν ἡ τῆς ὑπεραγαθότητος ὑπερύπαρξις, οὔτε ὡς λόγον, ἢ δύναμιν, οὔτε ὡς νοῦν, ἢ ζωὴν, ἢ οὐσίαν ὑμνῆσαι θεμιτὸν οὐδενὶ τῶν ὅσοι τῆς ὑπὲρ πᾶσαν ἀλήθειαν ἀληθείας εἰσὶν ἐρασταί· ἀλλ' ὡς πάσης ἕξεως, κινήσεως, ζωῆς, φαντασίας, δόξης, ὀνόματος, λόγου, διανοίας, νοήσεως, οὐσίας, στάσεως, ἱδρύσεως, ἑνώσεως, πέρατος, ἀπειρίας, ἁπάντων, ὅσα ὄντα ἐστὶν, ὑπεροχικῶς ἀφῃρημένην.

etiam omnia de ipso simul et prædicantur, te nihil est ex omnibus, omnes figuras habens omnesque formas, informis pulchritudinis expers, principia media finesque entium sine affectione ulla et excellenter in seipso ante possidens, omnibus denique esse ipsum secundum unam et superunitam causam pure illibateque sua illustratione communicans [a]. »

XII. Huic Dionysii sententiæ Maximus interpres adstipulatur, Deum negans οὐσίαν esse. Velut ad primum caput libri *de Divinis nominibus* : « Si *usia*, inquit, ab eo quod est esse deducitur, porro esse derivationis cujusdam notionem exprimit, non proprie de Deo *usia* dicitur. Deus enim usiam omnem superat, cum nihil sit eorum quæ sunt, sed supra ea quæ sunt, et ex quo sunt ea quæ esse dicuntur [b]. » Et ad quintum caput : « Proprie, inquit *usia* de Deo non dicitur. Est enim superessentialis, quod et passim ibidem repetitur. »

Essentiam.

Sed eximius ejusdem Maximi locus est in præfatione libri *de Ecclesiastica mystagogia*, quem præterire nefas duxerim. Nam omnia quæ de hoc argumento dici possunt, accurate complectitur. « Deus, inquit, dux sit omnium quæ dicuntur et intelliguntur, qui solus intelligentia est intelligentium et intellectorum, sed et dictio dicentium et dictorum, et vita viventium et vivificatorum, atque omnia et est et fit omnibus, propter illa ipsa quæ sunt fiuntque. Suapte vero causa nihil ullo modo neque est, neque fit eorum quæ aliquid sunt, aut fiunt eorum quæ sunt et fiunt, ut qui cum nullo eorum quæ sunt, omnino natura sua copulatur, et ideo non esse potius, quoniam esse omne superat, tanquam de se convenienter magis usurpatum adsciscit. Oportet enim si quidem revera Dei et creaturarum discrimen cognosci a nobis necesse sit, affirmationem de eo quod supra esse est omne, ipsam esse remotionem eorum quæ sunt, et affirmationem eorum quæ sunt, ejus ablationem esse quod esse omni superius est, et ambas circa eumdem appellationes pie considerari, ac per se nullam proprie valere, esse, inquam, et non esse. Nam ambo quidem proprie dicuntur. Siquidem altera de Deo secundum causæ rationem affirmat, altera propter exsuperantiam causæ ipsius esse, detrahit. Rursus vero neutra proprie dicitur, quoniam nulla de subjecto quid sit secundum essentiam ipsam et naturam affirmando declarat. Cui enim nihil omnino naturaliter secundum causæ rationem adjunctum est, sive ens, sive non ens, huic nihil eorum quæ sunt et dicuntur, aut quæ non sunt neque dicuntur, jure est propinquum. Quippe simplicem et ignorabilem, atque inaccessam omnibus et prorsus inexplicabilem habet existentiam, quæ affirmationem ac negationem excedit omnem [d]. »

a Dion. Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι ἐκ τοῦ προόντος· καὶ αὐτοῦ ἐστι τὸ εἶναι, καὶ οὐκ αὐτὸς τοῦ εἶναι· καὶ ἐν αὐτῷ ἐστι τὸ εἶναι, καὶ οὐκ αὐτὸς ἐν τῷ εἶναι· καὶ αὐτὸν ἔχει τὸ εἶναι, καὶ οὐκ αὐτὸς ἔχει τὸ εἶναι· καὶ αὐτός ἐστι τοῦ εἶναι καὶ αἰὼν, καὶ ἀρχὴ, καὶ μέτρον, πρὸ οὐσίας ὢν, καὶ ὄντος, καὶ αἰῶνος, καὶ πάντων οὐσιοποιὸς ἀρχὴ, καὶ μεσότης, καὶ τελευτή· καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τῶν λογίων ὁ ὄντως προὼν, κατὰ πᾶσαν τῶν ὄντων ἐπίνοιαν πολλαπλασιάζεσθαι· καὶ τὸ ἦν ἐπ' αὐτοῦ, καὶ τό ἐστι, καὶ τὸ ἔσται, καὶ τὸ ἐγένετο, καὶ γίνεται, καὶ γενήσεσθαι κυρίως ὑμνεῖται· ταῦτα γὰρ πάντα τοῖς θεοπρεπῶς νοοῦσι τὸ κατὰ πᾶσαν αὐτὸν ἐπινοίαν ὑπερουσίως εἶναι σημαίνει, καὶ τῶν πανταχῶς ὄντων αἴτιον· καὶ γὰρ οὐ τόδε μέν ἐστι, τόδε δὲ οὐκ ἔστιν· οὐδὲ πῆ μέν ἐστί, πῆ δὲ οὐκ ἔστιν· ἀλλὰ πάντα ἐστὶν ὡς πάντων αἴτιος, καὶ ἐν αὐτῷ πάσας ἀρχὰς, πάντα συμπεράσματα πάντων τῶν ὄντων συνέχων, καὶ προέχων· καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ἐστὶ, ὡς πρὸ πάντων ὑπερουσίως ὑπερών· διὸ καὶ πάντα αὐτοῦ καὶ ἅμα κατηγορεῖται· καὶ οὐδέν ἐστι τῶν πάντων πάνσχημος, πανείδεος, ἄμορφος, ἀκαλλὴς, ἀρχὰς, καὶ μέσα, καὶ τέλη τῶν ὄντων ἀσχέτως, καὶ ἐξῃρημένως ἐν ἑαυτῷ προειληφὼς, καὶ πᾶσι τὸ εἶναι κατὰ μίαν, καὶ ὑπερηνωμένην αἰτίαν ἀχράντως ἐπιλάμπων.

b Maxim. Εἰ οὐσίᾳ λέγεται παρὰ τὸ εἶναι· τὸ δὲ εἶναι παραγωγῆς τίνος ἔννοιαν ὑπογράφει, οὐκ ἂν λέγοιτο κυρίως οὐσίᾳ ἐπὶ Θεοῦ· πάσης γὰρ οὐσίας ὑπέρκειται ὁ Θεὸς, οὐδέν τι τῶν ὄντων ὢν, ἀλλ' ὑπὲρ τὰ ὄντα, καὶ ἐξ οὗ τὰ ὄντα.

c Id. initio cap. V. Κυρίως γὰρ οὐσίᾳ ἐπὶ Θεοῦ οὐκ ἂν λέγοιτο· ἔστι γὰρ ὑπερούσιος.

d Maxim. Ἡγείσθω δὲ Θεὸς τῶν λεγομένων τε, καὶ νοουμένων, ὁ μόνος νοῦς τῶν νοούντων, καὶ νοουμένων, καὶ λόγος τῶν λεγόντων, καὶ λεγομένων· καὶ ζωὴ τῶν ζώντων, καὶ ζωουμένων, καὶ πᾶσι πάντα καὶ ὢν, καὶ γινόμενος δι' αὐτὰ τὰ ὄντα, καὶ τὰ γινόμενα· δι' ἑαυτὸν δὲ οὐδὲν κατ' οὐδένα τρόπον οὐδαμῶς, οὔτε ὢν, οὔτε γινόμενος τῶν ἅ τι τῶν ὄντων ἐστὶ καὶ γινομένων· οἷα μηδενὶ τὸ παράπαν τῶν ὄντων φυσικῶς συντασσόμενος· καὶ διὰ τοῦτο τὸ μὴ εἶναι μᾶλλον, διὰ τὸ ὑπερεῖναι, ὡς οἰκειότερον ἐπ' αὐτοῦ λεγόμενον προσιέμενος· δεῖ γὰρ εἴ περ ὡς ἀληθῶς τὸ γνῶναι διαφορὰν Θεοῦ καὶ κτισμάτων ἐστὶν ἀναγκαῖον ἡμῖν, θέσιν εἶναι τοῦ ὑπερόντος τὴν τῶν ὄντων ἀφαίρεσιν, καὶ τὴν τῶν ὄντων θέσιν εἶναι τοῦ ὑπερόντος ἀφαίρεσιν, καὶ ἄμφω περὶ τὸν αὐτὸν εὐσεβῶς θεωρεῖσθαι, τὰς προσηγορίας, καὶ μηδεμίαν κυρίως δύνασθαι· τὸ εἶναι φημι, καὶ μὴ εἶναι· ἄμφω μὲν γὰρ κυρίως, ὡς τῆς μὲν τοῦ Θεοῦ καθ' αἰτίαν θετικῆς· τῆς δὲ καθ' ὑπεροχὴν αἰτίας τοῦ εἶναι πάσης τῶν ὄντων ἀφαιρετικῆς· καὶ μηδεμίαν (μηδεμία) κυρίως πάλιν, ὡς μηδεμιᾶς τῆς κατ' οὐσίαν αὐτὴν καὶ φύσιν τοῦ τί εἶναι τοῦ ζητουμένου θέσιν παριστώσης·

Sic Damascenus in primo libro tum quid Deus sit secundum essentiam ac naturam comprehendi non posse scribit [a], tum « nihil esse ex iis quæ sunt, non ita ut sit non ens, sed ut sit supra omnia quæ sunt, immo vero supra ipsum esse [b], » quæ illius verba jam supra descripsimus. Addit et « quæ affirmantes de Deo dicimus, ea non naturam ejus significare, sed ea quæ naturam veluti circumstant [c], » quæ scilicet more intelligendi nostro circa Deum *Ens* et *esse.* esse cogitamus. Non igitur vel τὸ ὄν, et εἶναι, quod de eodem affirmatur, ipsius naturam designat.

Eodem quoque modo sanctus Augustinus omnem de Deo affirmationem videtur excludere cum sic ait : « Totum ab animo rejicite, et quidquid occurrerit negate. Cognoscite infirmitatem cordis vestri, et quidquid occurrerit quod cogitare possitis, dicite : Non est illud. Non enim si illud esset, mihi jam occurrisset [1]. »

XIII. Possunt et alia generis ejusdem innumera proferri loca veterum Patrum, quæ divinam essentiam nulla prorsus θέσει vel καταφάσει, hoc est *affirmatione* declarari posse persuadent, adeoque nec ipsum esse aut οὐσίαν de illa prædicari. Sed nec ista cum superioribus testimoniis pugnant, quæ essentiam Dei quoquomodo exprimi, putant dum esse dicitur *id quod est*, *per seque est*, sive τὸ ὂν et οὐσία, et egregie ambo ista concordant.

Etenim pro eo atque τὸ ὂν, sive *esse* contemplantur theologi, ita Deo vel tribuunt vel detrahunt. Interdum enim τὸ ὂν, quod *ens* nostri vocant et essentiam, tanquam genus quoddam considerant, quod ambitu suo varias rerum et entium formas continet, quæ singulæ præter communem generis notionem proprias habent qualitates quibus invicem differunt, et certum in rebus ordinem naturæ ac statum obtinent. Nam nulla est earum, cujus essentia sola constet generis ratione, quemadmodum in genere animantis nullum cernitur quod solum animans neque quidquam præterea sit, velut particeps aut expers rationis, sive bos, equus, canis, vel homo. Sed omnia sub extrema aliqua et propria specie continentur. Multo ergo minus sub entis genere res est ulla quæ sola entis ratione contenta sit, cum ex omnibus maxime sit generalis et infinite pateat τοῦ ὄντος appellatio. *Entis.* Hinc igitur Deum esse ens vel essentiam negarunt aliqui, quod sub nullo genere claudi ac circumscribi se patitur, sed totam entis ejusque partium amplitudinem non exhaurit solum et in sese cohibet, sed etiam infinite ultra illam funditur. Ac communem esse τοῦ ὄντος ad ea quæ sunt notionem, sub qua *Entis.* ista partim eadem sunt, partim altera, Marius Victorinus in primo *adversus Arium* obscuris ut solet verbis ita declarat [2] : « Nihil omnimodis alterius substantiæ. Eorum enim quæ sunt, ὂν genus, et magis genus in eo quod est esse. Sed quoniam esse dupliciter, et *Ens.* ipsum τὸ ὂν dupliciter, est enim vere esse, est, et solum esse. Si igitur τὸ ὂν vere ὄν, et solum ὄν, ad omnia ὄντα, et solum ὄν ad solum ὄντα, sive συνωνύμως, sive ὁμωνύμως *Ens.* *Ens vere et* *Ens. entic ens.* dicuntur, non omnimodis altera sunt, participatione igitur cujusdam communionis omnia quæ sunt ad altera sunt. Etenim quod *Esse.* *Synonym. sive æquivoce.* τῷ ὄντι est hoc quod non ὂν est, opponitur quasi contrarium secundum privationem nulla participatione ad se invicem ; ergo nec al- *Enti.* terum. Si igitur quæ sunt, etiam differentia *Non ens.* sint et altera, quadam tamen communione eadem sunt, et secundum istum modum et eadem et altera sunt. » Hoc sensu Deus non est ὤν, neque existentiam aut essentiam habet, quia nihil habet cum creatis com- *Existens.* mune rebus, quod eam intra idem genus includat. « Fuit enim ante omnem existentiam, ante omnem existentialitatem et maxime ante omnia inferiora, ante ipsum ὄν, hoc enim unum ante ὄν. Ante omnem igitur essentitatem, *Ens.* substantiam, subsistentiam et adhuc omnia *Ens.* quæ potentiora, unum, sine existentia, sine substantia, sine intelligentia. Supra enim hæc immensum, invisibile, etc. »

XIV. Quoniam igitur Deus non ut cætera

ᾧ γὰρ μηδὲν τὸ σύνολον φυσικῶς κατ' αἰτίαν συνέζευκται ἢ ὄν, ἢ μὴ ὄν, τούτῳ οὐδὲν τῶν ὄντων, καὶ λεγομένων, οὐδὲ τῶν μὴ ὄντων, καὶ μὴ λεγομένων εἰκότως ἐστὶν ἐγγός· ἁπλῆν γὰρ, καὶ ἄγνωστον, καὶ πᾶσιν ἄβατον ἔχει τὴν ὕπαρξιν, καὶ παντελῶς ἀνερμήνευτον, καὶ πάσης καταφάσεως τε, καὶ ἀποφάσεως οὖσαν ἐπέκεινα.

a Damasc. c. IV. Ὅτι μὲν οὖν ἐστι Θεὸς, δῆλον· τί δέ ἐστι κατ' οὐσίαν, καὶ φύσιν, ἀκατάληπτον τοῦτο παντελῶς, καὶ ἄγνωστον.

b Ib. c. III. Οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶν, οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα· καὶ ὑπὲρ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι, ὤν.

c Ib. Ὅσα δὲ λέγομεν ἐπὶ Θεοῦ καταφατικῶς, οὐ τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν φύσιν δηλοῖ.

1 Enar. 2. in *Psal.* XXVI. — 2 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.*

Deus non est determinatus in uno genere entis.

quæ dicuntur esse, definitam ac determinatam rationem entis obtinet idcirco supra id quod est et essentiam omnem eminere non intra illa contineri, dicitur. « Omnium quæ sunt, ait Gregorius Nazianzenus, pulcherrimum et supremum est Deus, nisi quis tamen eum malit supra omnem essentiam ponere, aut in ipso totum esse constituere, utpote a quo alia ut sint acceperunt[a]. Hinc est πέλαγος τῆς οὐσίας, quasi immensum quoddam *essentiæ pelagus.* » Deum appellabat idem [1], ut supra memini, quod universe infiniteque ipsum esse non ejus formam aliquam ac particulam possideat. Præterea quod cætera quæ sunt, et ex nihilo sint et in nihilum abeant, ac solo Dei beneficio consistant, ideo vere ac proprie non sunt, solus autem Deus vere est, sed quia non eo modo est quo cætera quæ sunt τὸ ὂν et οὐσία non esse ab quibusdam asseritur. « Esse ipsum, ait Eulogius [2], aliud quod superprincipali Trinitati convenit, aliud quod inest nobis. Illic enim quod est, supra omne esse consurgit; hic autem ne proprie quidem est esse. Quinam enim proprie sit ens, quod ex nihilo productum est, et in nihilum suapte natura defluit[b]? »

Deus essentiæ pelagus.

Ens et essentia.

Maximus martyr in *Capitibus theologicis* non aliter de eo sentit ac scribit. « Quod, inquit, secundum essentiam proprie est bonum, est quod neque principium, neque finem, neque causam ut sit, neque motum ullum secundum ipsum esse ad causam aliquam habet. Quod autem non est ejusmodi, ne proprie quidem est ens, utpote quod principium et finem et causam ut sit, et motum ad causam habet secundum esse ipsum. Porro quod proprie non est, tametsi dicatur esse, participatione ejus qui proprie est, voluntate et est et esse dicitur[c]. » Et in commentario ad quintum caput Dionysii *de Divinis nominibus* clarius id explicat. « Ens, ait, cum de Deo dicitur, totum collectim excedit esse. Hoc enim superessentialis vox significat qua Dionysius utitur, nimirum quod est supra id omne quod ortum habet. Ens enim idem est quod essentia, quippe ab eo quod est esse, nomen essentiæ derivatum est. Deus igitur, tanquam supra esse ipsum eminens (siquidem esse significat a causa aliqua ad esse perduci) superessentialiter esse intelligitur[d]. » Brevius Bernardus nec minus accurate[3]. « Quicquid veniens, inquit, ex eo quod fuit non cessat tendere in id quod erit, transitum sane habet per *est*, sed omnino non est. Nam quomodo est quod nunquam in eodem statu permanet? Solum proinde vere est quod nec a *fuit* præciditur, nec ab *erit* expungitur, sed solum atque inexpugnabile remanet et *est*, et manet quod est. Nec fuit, illi sane tollit esse ab æterno, nec erit, esse in æternum, ac per hoc sibi vindicat verum esse, id est increabile, interminabile, invariabile. » Sic Boetius in libro *de Trinitate*, « solum Deum esse id quod est, reliqua non esse id quod sunt » ex illius simplicitate, horum compositione demonstrat, de qua postea dicendum erit.

XV. Ut autem de essentia Latini Patres, nec minus Græci de οὐσίᾳ ad Deum accommodanda varie locuti sunt ob eas quas dixi causas, sic in substantia Latini dumtaxat eamdem loquendi varietatem usurparunt. Nam ambobus istis nominibus eadem in Græco sermone vox respondet οὐσίας. Itaque substantiam nonnulli Deo tribuunt, alii abjudicant. Hujus autem denegandæ, præter eas causas quas cum essentiæ nomine communes habet substantiæ vocabulum, quasque hactenus exposui, peculiaris quædam in hoc cernitur, quod οὐσία, cujusmodi a philosophis et principe illorum Aristotele describitur, subjecta sit accidentibus, unde et *substantia* dicitur.

a Naz. orat. 12. Κάλλιστον μὲν τῶν ὄντων, καὶ ὑψηλότατον Θεός· εἰ μή τῳ φίλον καὶ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν ἄγειν αὐτὸν ἢ ὅλον ἐν αὐτῷ τιθέναι τὸ εἶναι, παρ' οὗ καὶ τοῖς ἄλλοις.

b Eulog. Καὶ δὴ καὶ τὸ εἶναι ἄλλό τί ἐστιν ἐπὶ τῆς ὑπεραρχίου τριάδος, καὶ ἄλλο τὸ ἐν ἡμῖν· ἐκεῖ μὲν γὰρ τὸ ὂν, ὑπὲρ τὸ εἶναι· ἐνταῦθα δὲ, οὐδὲ κυρίως ὂν· πῶς γὰρ ἂν εἴη κυρίως ὂν τὸ ἐκ μὴ ὄντων παρηγμένον, καὶ εἰς τὸ μὴ ὂν τῇ γε οἰκείᾳ φύσει ὑποῤῥέον;

c Maxim. Τὸ κατ' οὐσίαν κυρίως ὂν ἀγαθόν ἐστι, τὸ μήτε ἀρχὴν, μήτε τέλος, μήτε αἰτίαν τοῦ εἶναι, μήτε τὴν οἱανοῦν κατὰ τὸ εἶναι πρὸς αἰτίαν τινὰ κίνησιν ἔχον· τὸ δὲ μὴ οὕτως ἔχον, οὐδὲ κυρίως ὂν, ὡς ἀρχὴν, καὶ τέλος, καὶ αἰτίαν τοῦ εἶναι, καὶ τὴν κατὰ τὸ εἶναι πρὸς αἰτίαν τινὰ κίνησιν ἔχον· τὸ δὲ κυρίως οὐκ ὂν, κἂν εἶναι λέγηται, κατὰ μέθεξιν, βουλήσει τοῦ κυρίως ὄντος καὶ ἔστι, καὶ λέγεται.

d Id. in c. v. *de Divin. nom.* Τὸ ὂν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ λεγόμενον, ὅλου συλλήβδην τοῦ εἶναι ὑπέρεστι· τοῦτο γὰρ φησὶν ὑπερούσιον, ἀντὶ τοῦ ὑπὲρ τὸ ἐν γενέσει ὄν· τὸ γὰρ ὂν οὐσία· ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι τὸ ὄνομα παρῆκται τῆς οὐσίας· ὁ οὖν Θεὸς ὡς καὶ τοῦ εἶναι ὑπερκείμενος· τὸ γὰρ εἶναι ἐξ αἰτίας τινὸς δηλοῖ εἰς τὸ εἶναι ἀχθῆναι· ὢν ὑπερουσίως νοεῖται.

1 Orat. XXXVIII. — 2 Apud Phot. cod. 240. — 3 Serm. XXXI. in *Cant.*

Ita Marius Victorinus in primo adversus Arium : « Quid dicimus, inquit, esse substantiam, sicuti sapientes et antiqui definierunt? quod subjectum, quod est aliquid, quod est in alio non esse. Et dant differentiam existentiæ et substantiæ, existentiam quidem et existentialitatem, præexistentem subsistentiam sine accidentibus, puris et solis ipsis quæ sunt in eo quod est est solum esse quod subsistat, substantiam autem subjectum cum iis omnibus quæ sunt accidentia in ipsa separabiliter existentia. » Idem et Boetius asserit in libro *de Duabus naturis et una persona*, ubi subsistentiam a substantia separat eo discrimine, quod subsistere dicitur id quod « ipsum accidentibus ut possit esse non indiget. Substat autem id quod aliis accidentibus subjectum quoddam ut esse valeant subministrat. » Cui consonat auctor libri *de Cognitione veræ vitæ* [1], qui inter Augustini opera legitur. Cum igitur in Deo nullum sit accidens, ideo substantiam proprie illi non tribui, sed essentiam potius, docuit Augustinus [2], et post eum Anselmus [3] et alii quidam, de qua re suo loco disputabitur. Nunc illud universe de essentia et substantia præscribimus, etsi cum de creatis rebus usurpantur, illis omnibus notionibus ac proprietatibus implicatæ sint quæ imperfectum aliquid habent, indignumque Deo, nihil tamen prohibere quin utrumque vocabulum absolutum ab omni ista fæce ac sincerum Deo possit attribui, ut nec derivationem ac manationem intelligamus ullam, neque certum definitumque genus entis, quod in *essentiæ* nomine cavendum veteres quidam arbitrati sunt, neque porro mutationem ex vicissitudine accidentium, quam iidem in substantiæ voce reformidant. Sed in essentiæ quidem usu nihil sumamus præter simplicem extantiam rei, et ab eo quod est nihil sejunctionem ac recessum. In substantia vero hoc solum quod est esse per se, neque alienis adminiculis ut sit indigere. Ita non solum proprie Deo, sed excellenti quadam ratione ambo congruent, quia solus ita est ut cum nihilo commercium habeat nullum, cætera et ab nihilo ducta et in nihilum reditura si Deus sinat, tum etiam cum maxime sunt, nihil esse dicuntur. Vide Anselmum in *Monologio*, capite v, qui et in *Prosologio*, capite IV, « Nullus, inquit, intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licet hæc verba dicat in corde aut sine ulla aut cum aliqua extranea significatione; Deus enim est id quo majus cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare. »

XVI. Quamobrem quod in cæteris proprietatibus usuvenit quæ creatis ex rebus desumptæ similitudine quadam in Deum transferuntur, id in essentia substantiaque fieri convenit, uti pro eo ac divinitate dignum est, huic illa tribuantur, omni et mutationis et accidentis conditione detracta. Ita quod Augustinus asserit [4] « aliæ quæ dicuntur essentiæ vel substantiæ capiunt accidentia quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio. Deo autem aliquid ejusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia quæ Deus est, cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Sane οὐσίας Græcum nomen quod essentiam perinde ac substantiam apud Latinos exprimit (nam « omne quod est unicuique suum esse, substantia est, » ait Marius Victorinus initio libri tertii), sic interpretantur veterum aliqui, uti solus hoc sibi Deus vendicare possit. Quippe οὐσίαν appellari putant quasi οὖσαν ἀεὶ, ut Ambrosius in libro *de Incarnatione* [5]. « Denique diximus alibi, inquit, οὐσίαν ita interpretatos Latinos ut substantiam dicerent, οὐσία autem Dei cum dicitur, quid aliud significatur nisi Deum semper esse? Quod litteræ ipsæ exprimunt, quoniam vis divina οὖσα ἀεὶ, hoc est cum sit semper, οὐσία dicitur, unius litteræ mutato ordine propter sonum et compendium decoremque sermonis. » Et, alio in libro, « Quid est, ait, οὐσία et unde dicta, nisi οὐσία (puto legendum οὖσα ἀεὶ) quod semper maneat? Cui enim esse est semper, Deus est, et ideo manens semper οὐσία dicitur divina [6]. » Eodem et Phœbadius ante Ambrosium respexisse videtur sic scribens : « Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est, hoc est quod propria intra se virtute subsistit, quæ vis uni et soli Deo competit [7]. » Quod et Rusticus diaconus usurpavit [8]. Sed ea vocis interpretatio arguta magis est quam solida. Nam οὐσία simpliciter *essentia* est vel *substantia*, quod utrumque non solum Deo merito

Explicatur *usiæ* vocabulum.

1 Cap. III. Inter Op. Aug. — 2 Lib. VII, *de Trinit.* cap. v. — 3 *In Monol.* cap. LIII et XXXVI. — 4 Lib. V. *de Trinit.* cap. II. — 5 Cap. IX. — 6 *de Fide*, cap. VII. — 7 Lib. *Cont. Arium*, tom. IV. *Biblioth. Patrum*. — 8 Tom. IV, *Biblioth. Patrum*.

Quidditatem. conceditur, sed illius τὸ τί ἦν εἶναι, quatenus homini nosse ista et explicare fas est, continere creditur, præsertim essentia, quo generalius quiddam et ab materia remotius abstractiusque significat. Quod autem est ejusmodi, hoc est commune maxime ac remotum ab singularibus, id est, perfectissimum, et inter ea quæ affirmantur de Deo, longe præstantissimum.

CAPUT VII.

De notionibus quas Græci ἐπινοίας *vocant, et quomodo inter se et cum essentia comparentur. Falsa hæreticorum opinio qui illas funditus respuunt et solis vocibus metiuntur, adeoque locum in Deo iisdem esse nullum putabant.*

Quid sint notiones. I. Quæ sunt intelligentiæ nostræ cognitionique subjectæ res, interioribus animi notionibus, notiones vocibus exprimuntur[1]. Hæ vero posteriores duæ sæpe aliter habent ac res in sese ipsæ sunt, quod fit dupliciter. Nam aut illa quæ per se distincta sunt, in unum cogitando componimus, aut quæ reipsa sunt complexa et conjuncta, eadem mentis acie dividimus invicemque secernimus. Sic cum innumerabiles sint homines reipsa separati, sub una communis naturæ notione junguntur ac velut in unum coalescunt; at ex adverso cum unica sit rei cujuslibet, velut hominis, essentia neque reipsa separatis partibus constet, tamen certos in ea gradus proprietatesque discernimus, ut aliud sit quod in ea sentit ac vegetat, aliud quod ratione utitur, et in hoc rursus mens intelligendique vis a voluntate dirimatur. Eodem pertinet compositio illa divisioque naturarum quæ iis partibus complexæ sunt, quas metaphysicas vocant. Nam sunt notiones quædam quæ cum re singulæ non exæquantur, neque totam ejus essentiam exhauriunt, ac nonnullæ generales communesque sunt pluribus, ut sentiendi vis in Petro cum animantibus hominibusque communis cæteris, tum mens et ratio in qua cum solis hominibus convenit, aliæ singulares ac propriæ quæ illum ab reliquis generis ejusdem ac formæ separant, velut est Jonæ esse filium, natum Bethsaidæ, apostolum ac totius collegii principem, et si qua sunt alia quorum ex concursu singularis et ab aliis omnibus distincta Petri persona conficitur. Eas porro notiones Græci theologi appellant ἐπινοίας et νοήματα, id est, *conceptus mentis*, vel ἐπιβολὰς, *incursus in animum intelligibilis rei*, vel τὰ ἐπιθεωρούμενα τῇ οὐσίᾳ, *quæ in essentia velut distincta contemplamur*. Qua voce usus est etiam Plotinus philosophus Platonicus *Enneadis secundæ* libro IX, capite I.

II. Neque vero creatis dumtaxat in rebus contemplandis talia commenta humanæ cognitionis incidunt, sed ad Deum ipsum ac Dei naturam vel cogitatione tractandam vel oratione declarandam transferri necesse est. Cujus etsi simplicissima sit ac divisionis compositionisque expers omnis essentia, tamen infinita sunt in ea quæ re unum idemque, considerando diversa quodammodo facimus. Sic enim divinam primo substantiam et naturam tanquam subjectum proprietatum omnium opinione fingimus, tum æternitatem, omnipotentiam, bonitatem, justitiam ac reliqua ejus attributa et invicem et a substantia sejungimus. Notiones quid sint in Deo.

Quinetiam naturam ipsam personis communem tribus a personarum proprietatibus abstrahimus, ut harum quælibet ex duobus veluti juncta et constituta videatur, quorum alterum generale sit, alterum singulare ac proprium. Ac tametsi aliter in Deo res habeat, atque eam cogitando concipimus, sitque unum quiddam et simplicissimum quod multiplici notione partimur, non sunt tamen confundendi invicem ac promiscue habendi vel interiores illi conceptus animi, vel eæ voces quibus a nobis explicantur. Etenim quamvis una sit eademque res in Deo non solum divinitas et justitia vel misericordia et justitia, sed etiam divinitas et paternitas, vel cum deitate filii proprietas quæ *filiatio* dicitur, aut spiratio; nemo tamen cum paternitatem intelligit vel eo vocabulo exprimit, divinitatem animo concipit ac significat, neque subjectas unicuique vocabulo notiones permiscere catholico licet. Arianorum et Anomœanorum impia scelerataque vox illa est, qui nomina omnia quibus divina utcumque declarantur ipsam significare naturam et essentiam volebant, ut eo concesso, quidquid in personis differentiæ est, in naturam conferrent.

III. Contra quos eorumque principem sectæ et opinionis Eunonium, par eximium fratrum Basilius et Gregorius Nyssenus luculenta ora- Non debent confundi.

1 Aristot. *de Interpr.* cap. I.

tione disputant. Quorum ille, quæ vis sit intelligentiæ ac notionis qua rem eamdem in plura cogitando dividimus [1], erudite explicat, cum quidem Eunomius ea quæ κατ᾽ ἐπίνοιαν, hoc est *cognitione* et *intelligentia*, vel reipsa conjuncta secernimus, vel divisa copulamus, solo constare verborum sono dixisset cum eoque dissolvi et evanescere, neque quidquam illis in re ipsa respondere solidum ac verum. Cui Basilius occurrit, taleque commentum non ἐπίνοιαν esse dicit, sed παράνοιαν. Neque vero subtilem istam intelligentiæ vim qua particulatim veluti conciduntur ea quæ videntur uniusmodi, merum figmentum parere, cujusmodi sunt centauri vel tragelaphi, sed rerum ipsarum naturis esse consentaneum [a]. « Videmus, inquit, in usu communi quæ subitis mentis applicationibus simplicia videntur et singularia, sin autem subtilius inquirantur, varia apparent et multiplicia, ea cum mente dividantur sola intelligentia separabilia nominari [b]. » Declarat hoc naturalis exemplo corporis, quod cum prima statim cogitatione simplex esse videatur, postea tamen id ratio multiplex deprehendit et varium, atque in eo colorem, figuram, soliditatem aliaque discernit. Addit genera esse duo talium ἐπινοιῶν. Nam alias mera esse commenta et ανυποστάτους vel ἀνύπαρκτους φαντασίας, *vanas imaginationes, quibus nulla subest veritas*, alias vero solidas et certas quando « post primum qui ab sensibus imprimitur mentis conceptum, subtilior et accuratior rei intellectæ cogitatio supervenit [c], » quæ ἐπενθύμησις et ἐπίνοιά vocatur et ab aliis ἐπιλογισμός. Quemadmodum Christus ipse cum unus idemque sit, variis in Scriptura nominibus illustratur, appellaturque vitis, via, janua, pastor et cætera, prout diversæ illius functiones opportunitatesque spectantur. Sic in Deo locum, inquit, habent quæ κατ᾽ ἐπίνοιαν usurpantur, ut in Patre τὸ ἀγέννητον id est *innascibile* et τὸ ἄφθαρτον *incorruptibile* ac *sempiternum*, quæ cum idem re subjectoque sint, notione sunt diversa. Hæc Basilius.

Considerationem... dementiam.

Cogitatione.

IV. Qui in secundo libro Eunomii sophisticum acumen retundit asserentis nihil in Deo significare diversum nomina illa varia proprietatesque diversas, veluti lumen et ingenitum, ne si aliud quippiam præter essentiam significent, compositus ex illis proprietatibus existimetur Deus [2]. Respondet vero Basilius, essentiam ipsam Dei unam et individuam esse ac compositionis expertem. In ea vero « notas quasdam proprietatesque spectari quibus discernuntur invicem personæ [d]. » Item « proprietates, inquit, et notæ seu characteres quidam ac formæ quæ in substantia considerantur, dividunt quidem id quod est commune propriis notis, at communionem substantiæ non interrumpunt [e]. » Ubi proprietates illas ἐπιθεωρουμένας τῇ οὐσίᾳ vocat, quæ *in substantia et circa eam considerantur*, tanquam sola consideratione nostra distinguantur, sed distinguantur tamen. Quare usum proprietatum istarum et officium accuratius exponens ibidem ait : « Illas velut lumen quoddam animis nostris inserere, et ad eam quam capere possunt intelligentiam mentes nostras perducere. » Ac mox tribuit illis τῶν σημαινομένων τὸ διάφορον, *notionum ac significationum differentiam* [f]. « Nisi enim aliquid esset quod substantiam propria quadam nota designaret, nulla ratione perveniret ad intelligentiam nostram. Nam cum una sit deitas, fieri non potest ut Patris vel Filii propriam capiamus notionem, nisi proprietatum additione informetur et quasi articuletur cogitatio nostra [g]. » Quibus

a Eunom. apud Basil. lib. I. Τὰ γάρ τοι κατ᾽ ἐπίνοιαν λεγόμενα ἐν ὀνόμασι μόνον, καὶ προφορᾷ τὸ εἶναι ἔχοντα ταῖς φωναῖς συνδιαλύεσθαι πέφυκεν.

b Basil. ibid. Ὁρῶμεν τοίνυν ὅτι ἐν μὲν τῇ κοινῇ χρήσει τὰ ταῖς ἀθρόαις ἐπιβολαῖς τοῦ νοῦ ἁπλᾶ δοκοῦντα εἶναι καὶ μοναχὰ, ταῖς δὲ κατὰ λεπτὸν ἐξετάσεσι ποικίλα φαινόμενα, καὶ πολλὰ, ταῦτα τῷ νῷ διαιρούμενα, ἐπινοίᾳ μόνῃ διαιρετὰ λέγεται.

c Ibid. Ὥστε μετὰ τὸ πρῶτον ἡμῖν ἐκ τῆς αἰσθήσεως ἐγγινόμενον νόημα, τὴν λεπτοτέραν, καὶ ἀκριβεστέραν τοῦ νοηθέντος ἐπενθύμησιν ἐπίνοιαν ὀνομάζεσθαι.

d Ibid. Γνωριστικάς τινας ἰδιότητας ἐπιθεωρουμένας τῇ οὐσίᾳ.

e Ibid. Αἱ γάρ τοι ἰδιότητές χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ, διαιροῦσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι· τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσι.

f Ibid. Τῇ ἐνεργείᾳ δὲ τῶν γνωρισμάτων οἷόν τι φῶς ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐντιθέντα πρὸς τὴν ἐφικτὴν ταῖς διανοίαις σύνεσιν ὁδηγεῖ.

g Ibid. Εἰ γὰρ μηδὲν εἴη τὸ τὴν οὐσίαν χαρακτηρίζον, οὐδενὶ ἂν τρόπῳ πρὸς τὴν σύνεσιν ἡμῶν διϊκνοῖτο· μιᾶς γὰρ οὔσης θεότητος, ἀμήχανον ἔννοιαν ἰδιάζουσαν πατρὸς λαβεῖν, ἢ υἱοῦ, μὴ τῇ τῶν ἰδιωμάτων προσθήκῃ τῆς διανοίας διαρθρουμένης.

1 Lib. XVII et lib. II, p. 70 et 71. — 2 Apud Basil. lib. II, p. 66.

verbis ostendit proprietatum illarum esse quidem diversas notiones, sed nostra tantummodo causa et cogitatione, cum in se nihil differant. Tum quod Eunomius objiciebat, compositum fore Deum ac minime simplicem, si ex substantia proprietatibusque constet, id quidem consequens fore respondet, si unam quamlibet proprietatem, velut « ingenitum, diceremus partem esse substantiæ. Sed cum substantiam Dei dicamus esse lumen, aut vitam, aut bonum universum, quod est vitam esse, et totam lumen totumque bonum; porro vita consequens habet ingenitum, nonne compositione caret is qui secundum substantiam est simplex [a]? » Quæ omnia ad intelligentiæ nostræ modum exigenda sunt, quæ substantiam ipsam per sese simplicem cogitat, eique proprias notas et formas velut adjungit.

Nec propterea simplicitatem ei violant.

V. Gregorius vero Nyssenus libro præsertim duodecimo contra Eunomium eumdem omnes illius argutias hoc in genere declarat et evertit. Quas hoc quidem loco diligentius exponere, ad institutam notionum in Deo tractationem valde erit utile. Quod enim in una τῆς ἀγεννησίας proprietate ibi disserit, id valet in reliquis. Sic ergo apud Gregorium disputando colligebat Eunomius. Ἀγέννητον, hoc est « innascibilem a nobis appellari Deum aiebat. Porro quod divinum est, id esse simplex, omne autem simplex compositione caret. Quare si secundum naturam compositionis expers est Deus, ipsum nomen innascibile naturæ proprium erit, ut nihil aliud Dei natura sit, nisi innascibilitas [b]. » Ex quo consequens est Filium, qui utique innascibilis non est, a Dei natura et essentia prorsus alienum existere. Huic ita respondet Gregorius, non eamdem esse notionem τοῦ ἀσυνθέτου, id est *incompositi* et ἀγέννητου, *innascibilis*. Nam prius rei subjectæ simplicitatem significat, posterius eam ex nullo principio, causave profectam indicat, neque nominum istorum significationes promiscuæ sunt, invicemque mutantur. Hæc vero Gregorii ratio etsi vera est, non satis ad rem pertinet *, neque Eunomii argumentationi satisfacit.

Innascibilitatis.

Refellitur Eunomius.

Non enim ille ex eo quod ἀγέννητος esset et *innascibilis* Deus, etiam ἁπλοῦν et ἀσύνθετον, *incompositum* esse pugnabat et *simplicem*, neque ut dialectici loquuntur, *in formali sensu* id esse verum asserebat. Sed cum et innascibilis sit Deus, et idem, quamlibet diversa notione, sit simplex, eumdem concludebat non solum innascibilem et simplicem esse, sed innascibilitatem ipsam et simplicitatem. Quia quod compositione caret omni, estque simplex, nullis partibus constat. Proinde notiones illæ variæ, in re ipsa unum idemque sunt, et solum vocis ac pronuntiationis discrimen afferunt. Nam si ab ulla forma denominatur Deus, ista ipsa forma debet esse. « Placet iisdem, inquit Nyssenus, quoniam quidem simplex est Pa-

a Ibid. p. 71. Ἐκεῖνο εἰπεῖν ἔχομεν· ὅτι εἰ μὲν ὡς μέρος τῆς οὐσίας τὸ ἀγέννητον ἐλαμβάνομεν, εἶχεν ἂν αὐτοῦ χώραν ὁ λόγος σύνθετον εἶναι λέγων τὸ ἐκ διαφόρων συγκείμενον· εἰ δὲ οὐσίαν Θεοῦ τὸ φῶς τιθέμεθα, ἢ τὴν ζωὴν, ἢ τὸ ἀγαθὸν ὅλον ὅπερ ἐστὶ ζωὴν ὄντα, καὶ ὅλον φῶς, καὶ ὅλον ἀγαθὸν, παρεπόμενον δὲ ἔχει ἡ ζωὴ τὸ ἀγέννητον, πῶς οὐκ ἀσύνθετος ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν τὸ ἁπλοῦς;

b Eunom. apud Nyssen. l. 12. p. 301. Φάσιν ἀγέννητον τὸν Θεὸν ὀνομάζεσθαι· ἁπλοῦν δὲ εἶναι φύσει τὸ θεῖον· τὸ δὲ ἁπλοῦν, μηδεμίαν ἐπιδέχεσθαι σύνθεσιν· εἰ οὖν ἀσύνθετος κατὰ τὴν φύσιν ἐστὶν ὁ Θεὸς, ᾧ τὸ τοῦ ἀγεννήτου ἔπεστιν ὄνομα, αὐτῆς ἂν εἴη τῆς φύσεως ὄνομα τὸ ἀγέννητον, καὶ ἔστιν οὐδὲν ἕτερον, εἰ μὴ ἀγεννησία ἡ φύσις.

* Atqui vel toti fallimur, vel Gregorii disputatio ad rem facit, strophasque Eunomii radicitus convellit. Ecquid enim callido sophistæ ratum erat præstruere, ut posset deinceps in Trinitatem consubstantialem debacchari? Nimirum ratum illi erat fundamenti loco stabilire, quæcumque Deo efferuntur, deque ipso vocabula usurpantur, esse synonyma, eoque pertinere ut simplicissimam Dei naturam essentiamque significent. Occurrit impio errori Gregorius, nullaque interjecta mora pugnam conserens negat, perinde esse Deum ἀγέννητον eumdemque ἀσύνθετον profiteri. Cum enim illud originis habitum exprimat, hoc vicissim « ad ipsam in se naturam intestinamque veluti temperiem ὄντως spectatam » refertur. Profligata hoc pacto nominum synonymia, apertoque fonte illius discriminis, quo voces dotesque absolutæ eædemque *communes* a vocibus dotibusque relativis eisdemque propriis secernuntur, nullus jam patebat aditus Eunomii cavillationibus, universaque illius disceptatio in suo præfocata semine arescebat. Cum his autem penitissime cohærent quæ Gregorius subtexit, quæque licet Petavio non admodum arrideant, verissima tamen sunt ac plane digna quæ comprobentur. Pergit enim Gregorius inquiens nihil utique impedire quominus Dei οὐσία dicatur *innascibilis*, hoc ejusmodi quæ sit *a se*, neque aliunde mutuetur ut sit: verum ferri minime posse ut ipsa dicatur *innascibilitas*, quanquam non *simplex* modo sed etiam *simplicitas* nuncupetur. Eccur enimvero? Quod diversa prorsus sit ratio *absolutorum* et *relativorum*, neque adeo hæc ad naturam in se atque ὄντως traduci nisi absurde queant. E. R.

tris substantia, non aliud ipsum præterquam innascibilitatem putari, quandoquidem innascibilis vocatur[a]. »

Quocirca Eunomianam istam calumniam hoc modo licet refellere. Deum cum ait innascibilem esse, id ambiguum est ac distinctione opus habet. Aut enim divinitatem ipsam naturamque Dei vox significat hoc sensu, ut ejus proprietas ista sit quæ in divinitatis consortes omnes transeat : aut Dei vocabulum certam de tribus personam exprimit, cujus id sit proprium. Atque hoc posteriore modo verum illud est quod dicitur, innascibilem esse Deum, qui sit Pater, priore falsum. Non enim naturæ divinæ essentiæque proprietas est innascibilem esse, uti neque genitum esse vel spirabilem, sed uni peculiare personæ quæ tum Deus simpliciter dicitur.

VI. Sed nec illud, meo quidem judicio, satis accurate Gregorius, οὐσίαν quidem ἀγέννητον, id est *substantiam* vel *essentiam innascibilem* dici, non tamen ἀγεννησίαν *innascibilitatem*. Quemadmodum etsi simplex appelletur essentia, non tamen simplicitas dicitur[b]. Verum neque οὐσία ἀγέννητος eo, quem Eunomius volebat, et nos paulo ante demonstravimus, sensu nominari debet, ut sit Dei secundum essentiam proprium ab alio non oriri, neque itidem, ut *simplicitas*, illi congruit. Quippe Deus absolute simplex vocatur, et cui Dei nomen et essentia tribuitur, ei quoque simplicitas convenit. Ideo non solum simplex est, sed etiam simplicitas, sicut non tantum bonus et justus et verus est, sed etiam bonitas et justitia et veritas et quidquid aliud secundum essentiæ proprietatem dicitur. Quod si ἀγεννησία perinde ut ἁπλότης secundum οὐσίαν competit, non dubium est, quin eodem jure Deus et ἀγέννητος et ἀγεννησία nuncupetur.

Innascibilitas... simplicita, essentiam. innascibilis et innascibilitas.

Innascibilitatem cum essentia.

Rursus instabat Eunomius [1], ut ἀγεννησίαν idem esse cum οὐσίᾳ probaret. Etenim quæcumque verba vere dicuntur, ea rebus ex ipsis dijudicanda sunt, ut et quæ diversa sunt diversis rebus accommodentur, et iisdem rebus eadem verba. Ex quo fit ut vel significata res alia atque alia esse debeat, vel non alia esse verba. Cum igitur eidem omnino rei ac simplici, nec ullas habenti partes ἀγεννησία et *vita* et alia omnia tribuantur, necesse est ipsammet οὐσίαν et substantiam esse quæ illis verbis subjecta significatur, ne quid compositum in Deo statuatur ex οὐσίᾳ et illa ipsa proprietate, quam vocabulum istud exprimit. Adversus hæc primum Gregorius excipit, ἀγεννησίαν cum sit mera negatio, non esse οὐσίαν ipsam. De qua re libro IV disputabitur. Deinde objicit, idem prorsus quod de Patre usurpatum est ab Eunomio, ad Filium posse transferri, ut cum et Deus sit et genitus et cætera eadem illi quæ Patri conveniunt, attributa sint, non minus consentaneum sit, geniti proprietatem, sive *nascibilitatem*, ipsammet esse Dei substantiam. Atqui hæc argumentatio contra Eunomium ac sectam illam Anomœorum haud satis habet virium. Hoc enim sumit, in quo ab hæreticis istis contradicitur, parem et eamdem esse Filii substantiam vel essentiam, quæ sit Patris. Quod ii minime concederent, qui Filium creaturam esse dicebant, neque ea simplicitate quæ Dei propria est, esse præditum.

Innascibilitatem.

VII. Ad hæc quam sit absurda Eunomii illa sententia, ita declarat. Nam si nomina omnia quæ de Deo prædicantur [2] eamdem prorsus et uniusmodi notionem habent, nec ullo pacto discrepant, ut idem concipiamus animo cum audimus immortalem vel sempiternum, ac cum omnipotens appellatur, quoniam quidem non minus Pater quam immortalis dicitur, concludendum erit, uti ex æterno immortalis fuit, sic etiam Patrem fuisse. At enim occurrebat Eunomius, vocabula omnia quæ ex actione desumpta sunt, ἐπιγεννηματικῶς, id est *adventitia, et posteriori quadam ratione* affirmari de Deo, velut δημιουργός, id est *opifex* et *pater*. Hoc autem Gregorius ita dissolvit. Licet hæc duo nomina ἐξ ἐνεργείας, id est *operatione* petita posterius adveniant, tamen cum de Deo, unica nimirum re ac simplicissima prædicentur, promiscuam amborum fore significationem, adeoque usu ipso confundi licere, ut Deus Pater lapidis et Filii opifex nominetur. Quod nimis abhorrens videtur. Sed neque

a Gregor. Nyss. ibid. Βούλονται γὰρ ἐπειδὴ ἁπλῆ τοῦ Πατρός ἐστιν ἡ οὐσία, μὴ ἄλλό τι, ἢ ἀγεννησίαν αὐτὴν εἶναι νομίζεσθαι, διότι καὶ ἀγέννητος λέγεται.

b Gregor. lib. XII. Ἀλλ' ὥσπερ ἁπλῆ ἐστιν ἡ οὐσία, καὶ οὐχ ἁπλότης· οὕτως καὶ ἀγέννητός ἐστίν ἡ οὐσία, καὶ οὐκ ἀγεννησία.

1 Apud Nyss. lib. XII. — 2 Greg. Nyss. lib. XII.

multum hoc argumento moveretur Eunomius, et opificem creatoremve Filii non minus quam Patrem appellari Deum pateretur ut et lapidis. Hujus vero Patrem ea forte ratione dici non permitteret, quod id nomen imitationem quamdam rationis et intelligentiæ ac virtutis exigit, quæ in solis inest hominibus et angelis, sine essentiæ vel ταυτότητι vel ὁμοιότητι. Nam qualemcumque in homine similitudinem rationis et virtutis quæ in Deo est, agnoscebant, solam τῆς οὐσίας præcise negabant ac funditus.

identitate vel similitudine. — *Essentiæ.*

Quamobrem nihil contra Eunomianum fucum aptius relinquitur, quam ut ἐπινοίας vel ἐπιβολὰς, *conceptus notionesque* varias quamlibet simplici de re formari a nobis exprimique fateamur, adeo ut re ipsa quidem et subjecto idem omnino sint, ratione tamen et mentis cognitione differant. Quippe *paternitas* et *vita* et *omnipotentia* una eademque res est cum essentia Dei ac substantia, non tamen ipsam rem modo eodem ac notione significant. Quod theologi nostri sic explicant, unam et eamdem rem esse, sed plures *eminenter*, quæ infinitate sua innumerabiles mentis humanæ notiones et conceptus exauriat.

VIII. Sed majori contra hoc improbitate contendebat hæreticus [1]. Si enim unicuique vocabulo sua notio et ab alia distincta respondere debet, eligantur ista duo, ἄφθαρτος *incorruptibilis* et ἀγέννητος *ingenitus*. Igitur *ingeniti* vox nihil aliud significat quam non esse productum ab alio, quod est ἄναρχον, *principii expers*. Proinde ἀγέννητος eatenus tantum erit, qua est ἄναρχος, neque hac ratione erit ἄφθαρτος. Ex eo vero concludebat, si non sit ἄφθαρτος, φθαρτόν et *corruptibilem* fore. « Si igitur, aiebat, quatenus vitæ finem non habet, incorruptus et immortalis est, quatenus vero principio caret, ingenitus est; quatenus non est incorruptibilis, corruptibilis erit, et quatenus non est innascibilis, erit nascibilis [a]. Ita quatenus principii est expers, erit ingenitus simul et corruptibilis, quatenus vero finem non habet, incorruptus simul et genitus [b]. »

incorruptibilis.

Huic sophisticæ calumniæ Gregorius accurate respondet, qua ex ejus disputatione istud efficitur, in eo sitam esse fallaciam, quod hæc invicem permiscet, concipi animo vel appellari rem aliquam, et in se ac reipsa quippiam esse. Ac verum id quidem est, quatenus immortalis a nobis Deus intelligitur, eo ipso conceptu non intelligi principii expertem. At Eunomius non de intelligentia conceptuque loquitur, sed *esse* ipsum assumit. « Si secundum hoc, inquit, quod vitæ finem non habet, solum est incorruptibilis, et secundum id quo principio caret, ingenitus est, quatenus non est incorruptibilis, erit corruptibilis. » Hoc vero falsissimum est, neque a Basilio dictum quem hac argumentatione pulsabat Eunomius, Deum quatenus est ἀτελεύτητος, solum esse ἄφθαρτον, non autem ἄναρχον. Siquidem quatenus unum in se ac reipsa est, etiam alterum est. Sicut quatenus bonus est, reipsa justus est, etsi quatenus bonus intelligitur, non intelligitur justus. Quoniam diversa illa Dei attributa re unum idemque sunt, sed variis notionibus intelligentiisque subjici possunt, quarum una non est altera. Quod discrimen non in ipsa re, sed in cognitione nostra consistit. Nam subjectum ipsum totum, quantum est, ingenitum pariter et incorruptum est, etsi alia sit atque alia ἐπίνοια sive *notio* quæ diversis itidem vocabulis explicatur. Neque ut in mente nostra, sic in re cognita, divisio ac separatio proprietatum est ulla.

Finem non habens incorruptibilem principii expertem.

IX. Eodem et illud modo dissolvitur quod Eunomius apponebat [2], compositionis aliquid in Deo fore, si idem non est ἀγέννητον vel quævis alia proprietas, et οὐσία. Nam hæc, quam nostræ cognitionis imbecillitas parit, notionum varietas et compositio, non rei inest ipsi quæ in se unica est et simplex, sed in intelligentia nostra. Quod Gregorius Nyssenus animæ nostræ similitudine declarat [3], quæ cum plures in se disciplinas continet ut astronomiam, musicam, medicinam, non propterea simplex unaque esse desinit, neque composita putatur. Sed hoc exemplum minus in Deo valet, siquidem hoc omne quod in Deo est Deus est, ac divina ipsa substantia, nec est in eo accidens ullum. At in anima nostra variarum qualitatum ista conglobatio, etsi nul-

Innascibile. — *Usia.*

a Eunom. apud Nyssen. lib. XII. Εἰ κατὰ τὸ ἀτελεύτητον τῆς ζωῆς μόνον ἐστὶν ἄφθαρτος, καὶ κατὰ τὸ ἄναρχον μόνον ἀγέννητος· καθ' ὃ μή ἐστιν ἄφθαρτος, φθαρτὸς ἔσται, καὶ καθὸ μή ἐστιν ἀγέννητος, γὀννητὸς ἔσται.

b Ibid. Ἔσται ἄρα κατὰ μὲν τὸ ἄναρχον, ἀγέννητος ὁμοῦ, παὶ φθαρτός· κατὰ δὲ τὸ ἀτελεύτητον, ἄφθαρτος ὁμοῦ, καὶ γεννητός.

1 Apud Nyss. — 2 Apud Basil. lib. II. *Cont. Eunom.* et apud Nys. — 3 Lib. XII. *Cont. Eunom.* p. 408.

lam substantiæ ipsi compositionem afferat, accidentariam tamen aliquam ex substantia et adventitiis proprietatibus efficit, cujusmodi in divinitate revera esse nulla potest, quamvis in mentem nostram ac notitiam redundet.

Notiones aliter a Patribus quam a scholasticis accipiuntur.

Atque hæ sunt, quas Græci Patres appellant passim ἐπινοίας[1], vel ἐννοίας[2], vel ἐπιθεωρουμένας ἐννοίας, aut νοήματα, vel ἐπιβολὰς quibus respondere videtur Latina vox *notio* : et revera respondet, si illius nominis significationem non theologorum scholasticorum, sed Latinorum usu scriptorum metiri velimus. Nam scholastici *notiones* vocant personarum notas proprias, quibus invicem differunt. At notio a Cicerone sæpius pro *cognitione* et *conceptu mentis* sumitur. Ut in *Topicis* « notionem generis et formæ vocat conceptum » quem « genericum et specificum » dialectici solent dicere, et quidem « objectivum. » Hoc est id quod animo intelligentiaque describimus cum animalis hominisve naturam cogitatione capimus. « Genus, inquit, est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio cujus differentia ad caput generis, quasi fontem referri potest. Notionem appello quod Græci tum ἔννοιαν tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta cujusque formæ cognitio enodationis indigens. » Quod ita Boetius declarat : « Notio intellectus est quidam, et simplex mentis conceptio, quæ ad res plures pertinet a se invicem differentes. » Unde quia generalis est, *enodatione*, id est *divisione* adhuc indigere dicitur.

X. Sed ἔννοιαν et ἐπίνοιαν non solum generalem intelligentiæ conceptum, sed etiam singularem Græci nominant, usurpantque pro intelligibili cognitæ rei specie, dum quod unum et simplex esse primum videtur, id in plura mentis cognitione partimur, ac singularum velut partium notiones adumbramus, aut iis quæ tempore vel origine simul existunt, gradum et ordinem affingimus. « Intelligentia quippe humani ingenii, ait Victorinus, ut se exerat et res capiat, rebus vel simul existentibus vel simul fusis et ortus et diversos ortus, et quasi tempus attribuit[3]. » Itaque non solum personarum in divinis propria, sed etiam communiter tribus attributa voces istæ significant, ut ex Basilio et Gregorio Nysseno paulo ante docuimus. Qui ἐπινοίας contra Eunomium tuentur, et in divinis rebus locum iis vendicant, neque solo verborum sonitu ac nuda pronuntiatione definiendas asserunt.

Nec abhorret ab illa τῆς ἐπινοίας significatione usus alter vocis ejusdem, quem apud Athanasium observamus, qui ἐπίνοιαν pro *commento* et *ficta re* usurpat interdum, cui id opponitur quod est φύσει ac reipsa. Sic enim oratione I *contra Arianos* horum impietatem redarguit, qui λόγον et σοφίαν duplicem esse dicebant : nam aliud esse Verbum aliamque Sapientiam quæ in Patre inessent ipso, quibus ille omnia condidisset, aliud verbum et aliam sapientiam esse quæ Christo tribuitur, quod per eum in creaturas illa deriventur. Proinde « ille ipse Dominus, aiebant, κατ' ἐπίνοιαν, solo *cogitationis figmento* λόγος dicitur, quod est *ratio*, propter ea quæ ratione sunt prædita, et eadem cogitatione sapientia vocatur, propter ea quibus sapientia communicatur [a]. » Ubi κατ' ἐπίνοιαν opponitur ei quod proprie et naturaliter ac reipsa dicitur. Unde orat. V. ὁ κατ' ἐπίνοιαν Υἱός opponitur ei qui est ὁμοούσιος. Et paulo ante ὁ φύσει λόγος ei qui est κατ' ἐπίνοιαν, atque ab iisdem Arianis queritur κατ' ἐπίνοιαν nominari Filium eum, qui sit Verbum. Tum sub initium ejusdem orationis contra Sabellium disputans, probat Filium Verbum non esse ἀνούσιον et οὐχ ὑφεστῶτα, sed οὐσιώδη. Alioqui κατ' ἐπίνοιαν de illo quæ dicuntur omnia, fore capienda, sic ut κατ' ἐπίνοιαν idem sit Pater et Filius. In his omnibus locis ἐπίνοια est *mentis fictio* vel *solus animi conceptus* ea distinguens, quæ reipsa sunt unum et idem, hoc est quæ non vere et in se subsistunt eo modo, quem cogitatione mentis adumbramus.

Verbum et sapientian

Mentis conceptu Filius. Consubstantialis. Qui natur filius ei qui secun dum mentem conceptun

Absque substantio Subsistensi Substanti vum.

a Athan. orat. 1. Αὐτὸς δὲ οὗτος ὁ Κύριος κατ' ἐπίνοιαν λέγεται λόγος διὰ τὰ λογικὰ, καὶ κατ' ἐπίνοιαν λέγεται σοφία διὰ τὰ σοφιζόμενα.

1 Bas. ep. 43, Nyss. XII. *Cont. Eunom.* — 2 Nyss. *Catech.* Patr. c. II et XII. *Cont. Eunom.* — 3 Lib. IV. *Cont. Arium.*

CAPUT VIII.

De distinctione attributorum divinorum ab essentia, Aetii et Eunomii error nihil interesse prorsus arbitrantium. Gilberti Porretani huic opposita ex adverso hæresis exponitur.

Attributa ne ratione quidem a se invicem et ab essentia Dei differre putarunt Anomœi.

I. In attributis proprietatibusque divinis quæ more intelligendi nostro ad essentiam adjungimus, nihil contemplationi nostræ prius occurrit, quam eorum et inter se et ab natura ipsa distinctio. In quo duo sunt extrema vitiosi erroris ei, qui recte sentire velit, peræque vitanda : alterum eorum, qui nihil, ne cogitatione quidem et intelligentia nostra ; alterum qui nimium, hoc est reipsa, differre volunt cum a se invicem proprietates istas, tum ab natura et essentia. Primus in Aetio, Eunomioque notatus ac damnatus est a Patribus, qui ambo attributa omnia, quæ de Deo prædicantur, velut bonitatem, sapientiam, potentiam, ac multo magis quæ in personis relativa sunt, ut ἀγεννησίαν in Patre, nullo prorsus modo discrepare putabant ab essentia, ac ne cogitatione quidem, quam ἐπίνοιαν vel ἔννοιαν Græci nominant. Quin ipsiusmet essentiæ notionem esse bonitatis notionem aut sapientiæ aut proprietatum cæterarum, præsertim, ut dixi, relativarum quæ sunt ὑποστατικαὶ Patris, ut eo ipso Filium a veræ propriæque communione divinitatis excluderent, quod utique ἀγεννησίᾳ careret, quam ipsam volebant esse divinitatem et essentiam. Quippe simplicem esse natura divinitatem aiebant, expertemque compositionis et partium, ut quidquid inest ipsi ac de eo dicitur, ab ejus natura differre non possit, ne ex hoc et natura componi aliquid in Deo putetur. « Non aliud est, dicebat apud Nyssenum Gregorium Eunomius, vita quam essentia, ne aliqua compositio in simplici natura intelligatur, in id quod participat et participatur, notione divisa. Sed idem quod est vita, est etiam essentia, inquit ille, in ejusmodi recte philosophatus. Neque enim prudens quispiam contradicat, quin hæc ita se habeant. Verum qui tandem ad id quod proposuerat sibi, conclusit orationem ? Si principii expers significantes, inquit, vitam significamus, hanc autem ipsam vitam dicere essentiam veritatis cogit ratio, ingenitum ipsum divinam significabit essentiam [1]. » Sic igitur ab natura divina nullo pacto differre proprietates affirmabat Eunomius, ut qui unam aliquam nominaret, is essentiam significaret ipsam. Nec minus ipsas inter se permiscebat hæreticus iste, qui et vocabula quibus illæ declarantur, promiscue habenda censebat, quoniam si vere imposita sunt, et subjectis consentanea rebus, ex iis dijudicanda sunt [a]. « Nam cum veri sermones, inquit, ex subjectis, significatisque rebus dijudicandi sint, et alii aliis accommodentur, quemadmodum iidem iisdem congruunt, necessario de duobus unum oportere fieri, ut vel significata res omnino diversa sit, vel ne ipse quidem qui significat, sit sermo diversus [b]. » Proinde omnia nomina quæ Deo tribuuntur, non κατ' ἐπίνοιαν, id est, *secundum notionem* et modum intelligendi nostrum imposita esse dicebat, neque varias habere significationes, sed rem unam uno ac simplici modo in omnibus exprimi.

Innascibilitatem.

Hypostaticæ.

Innascibilitate.

II. Eamdem hæretici illius insaniam exponit ac retundit Gregorius idem in primo contra ipsum posterioris editionis libro [2], necnon Basilius in primo adversus eumdem [3], ubi sententiam ejus commemorat, qua notionum varietatem funditus evertebat, ut τὸ ἀγέννητον, exempli gratia, nihil aliud quam essentiam significare vellet. « Quæ, inquit, secundum notionem usurpantur, cum in sola nominum prolatione esse habeant, cum voci- *Ingenitum.*

a Nyss. Οὐκ ἄλλό τι, φησὶν, ἡ ζωὴ παρὰ τὴν οὐσίαν· ὡς ἂν μή τις σύνθεσις περὶ τὴν ἁπλῆν νοοῖτο φύσιν, πρὸς τὸ μετέχον, καὶ μετεχόμενον τῆς ἐννοίας μεριζομένης· ἀλλ' αὐτὸ, φησὶν, ὅπερ ἐστὶν ἡ ζωὴ, οὐσία ἐστὶ, καλῶς τὰ τοιαῦτα φιλοσοφῶν, οὐ γὰρ ἄν τις ἀντείποι τῶν νοῦν ἐχόντων μὴ ταῦτα οὕτως ἔχειν· ἀλλὰ πῶς τὸν λόγον ἐπὶ τὸν σκοπὸν συνεπέρανεν; εἰ τὸ ἄναρχον σημαίνοντες, φησὶ, τὴν ζωὴν ἐσημήναμεν, ταύτην δὲ τὴν ζωὴν οὐσίαν λέγειν ὁ τῆς ἀληθείας ἀναγκάζει λόγος αὐτῆς εἶναι τῆς θείας οὐσίας φησὶ σημαντικὸν τὸ ἀγέννητον.

b Id. Τῶν γὰρ ἀληθῶν, φησὶ, λόγων ἐκ τῶν ὑποκειμένων, καὶ δηλουμένων πραγμάτων λαμβανόντων τὴν ἐπίκρισιν, καὶ τῶν ἑτέρων ἑτέροις πράγμασι συναρμοζομένων, ὥσπερ αὖ καὶ τῶν αὐτῶν τοῖς αὐτοῖς, ἐξ ἀνάγκης δεῖν δυοῖν εἶναι θάτερον, ἢ καὶ τὸ πρᾶγμα τὸ δηλούμενον πάντως ἕτερον, ἢ μηδὲ τὸν δηλοῦντα λόγον ἕτερον.

1 Lib. XII. — 2 Lib. I. — 3 Basil. I *Contra Eunom.*

bus dissolvuntur et evanescunt[a]. » Tanquam nihil solidum variis illis subesset nominibus, quibus varias Dei proprietates intelligimus, et intellectas suis quamque vocabulis explicamus. Quod et Nyssenus Gregorius in duodecimus refert ac refellit. Quin etiam magister Eunomii, et perfidiæ architectus Aetius in capitulis suis quæ contra catholicum dogma edidit[1], idipsum adstruit, nullam prorsus diversam de Deo notionem, quamlibet diversis quæ de illo pronuntiantur vocabulis subesse. Nam inter alia sic argumentatur : « Si ingeniti vox Dei essentiam minime significat, sed incomparabile illud nomen humanæ cognitionis est, Deus ob istud ingeniti commentum iis qui repererint, gratiæ debitor est, cum tanto nomini respondentem excellentiam in essentia sua non habeat[b]. » Et in sequenti capitulo : « Si ingenitum Deo extrinsecus affingitur humana consideratione, qui affinxerunt, ei ipsi cui affingitur, antecellunt, cum præstantius quam pro ejus natura, illi nomen attribuant. » Simile quiddam et in capitulo tertio et tricesimo Aetius objicit, cujus sophistica omnis versutia eo spectat, ut in Deo nihil insit præter nudam essentiam, non modo reipsa, sed etiam cogitatione nostra, adeoque notiones omnes quibus præter essentiam proprietates aliquas in eo discernimus, ut sunt relativæ, paternitas, filiatio et cæteræ, aut absolutæ, velut bonitas, sapientia, æternitas, hæ, inquam, omnes mera sint, sine re ac sensu vocabula, nisi quatenus ipsammet essentiam præcise ac simpliciter declarant.

Alii ex adverso reipsa differre credunt.

III. Huic penitus est aliorum opposita ratio, qui cum ab essentia, tum a se invicem, reipsa differre proprietates et attributa sentiunt, hoc est non sola cogitatione et ἐπινοίᾳ, sed ex rei natura et citra mentis intelligentiam. In quo trita et pervagata est apud scholasticos Gilberti Porretani episcopi Pictaviensis opinio, de qua tamen minime inter se consentiunt. Credo quod illius auctor primum novitatis inauditæ ac periculosæ sibi conscius, ut timide ac diffidenter, sic obscure illam exposuit, deinde postulatus judicio, ac de ea sæpius interrogatus, titubanter ac varie respondit, ut ex Ottonis Frisingensis narratione liquet. Ac tres omnino sunt æquales temporis illius scriptores, ex quibus de tota illa actione et Gilberti sententia constare potest. Primus est sanctus Bernardus qui huic negotio non interfuit modo, sed etiam præfuit ac pars magna concilii, quod adversus illum celebratum est, et certaminis fuit. Secundus est Gaufredus Claravallensis monachus, qui sancto Bernardo abbati suo contra Gilbertum adfuit, et acta omnia perscripsit ad cardinalem Albanensem[2]. Tertius est Otto Frisingensis, qui eadem ætate morum integritate ac nobilitate insignis extitit. Fuit enim Friderici Primi imperatoris patruus, cujus viventis adhuc gesta (hunc enim moriens anno Christi MCLIX superstitem reliquit) libris duobus complexus est, quorum in priore Gilberti Porretani historiam accurate capitibus aliquot descripsit[3], ejusque tum dogmata, tum Bernardi cæterorumque contra illum acta retulit, tametsi in Gilbertum æquo propensior videtur, et Bernardo subiniquus, quod et ipse postmodum agnovit, et moriens cavit « ut si quid pro sententia magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quempiam posset offendere, ad piorum et doctorum arbitrium corrigeretur, ut scribit Radevicus[4], qui illius historiæ quod deerat adjecit.

Gilberti Porretani historia.

Ejusdem de Dei attributorum differentia opinio.

IV. Igitur Gilbertus, ut ab Ottone proditum est[5], Pictavorum unde oriundus erat episcopus, cum ab adolescentia usque ad ultimam senectutem multum in philosophia operæ contrivisset, « consuetus ex ingenii subtilis magnitudine ac rationum acumine multa præter communem hominum morem dicere, » atque in magno conventu clericorum suorum quædam de fide sanctæ Trinitatis inusitata protulisset, ab archidiaconis duobus, Arnaldo et Calone ad Eugenium Romanum pontificem delatus est, quorum ad partes ingens causæ momentum Bernardus accessit. Ejus potissi-

a BASIL. Τὰ γάρ τοι κατ' ἐπίνοιαν λεγόμενα, ἐν ὀνόμασι μόνον, καὶ προφορᾷ τὸ εἶναι ἔχοντα, ταῖς φωναῖς συνδιαλύεσθαι πέφυκε.

b AETIUS. Εἰ μὴ τὸ ἀγέννητον τὴν ὑπόστασιν τοῦ Θεοῦ παρίστησιν· ἀλλ' ἐπινοίας ἐστὶν ἀνθρωπίνης τὸ ἀσύγκριτον ὄνομα, χάριν τοῖς ἐπινοήσασι γινώσκει ὁ Θεός, διὰ τὴν ἀγέννητον ἐπίνοιαν τὴν ὑπεροχὴν τοῦ ὀνόματος οὐ φέρων ἐν οὐσίᾳ. Idem. Εἰ ἔξωθεν ἐπιθεωρεῖται τῷ Θεῷ τὸ ἀγέννητον, οἱ ἐπιθεωρήσαντες τοῦ ἐπιθεωρηθέντος εἰσὶν ἀμείνους, κρεῖττον ὄνομα τῆς φύσεως αὐτῷ πορισάμενοι.

1 Epiph. *Hær.* 76. — 2 Extant tom. VII, par. II. *Conc.* editionis Morelli, p. 621. — 3 Cap. XLVI et seq. — 4 Lib. II, c. XI. — 5 Lib. I, CXLIV.

mum studio incensus Eugenius Parisiis primum synodum habuit, ad quam citatus Gilbertus et a multis lacessitus, ambiguitate responsorum ac subtilitate illorum petitiones elusit. Itaque ampliata causa et ad majorem synodum rejecta, Remis postea coram eodem pontifice postulatus est, instante sancto Bernardo, cui cum plures e Romana curia illius fautores animadverteret id agere, ut ex illius judicii laqueis hominem expedirent, Gallicanos episcopos impulit ut collatis inter se capitibus fidei formulam conscriberent quatuor comprehensam capitibus, quæ totidem Gilberti erroribus opponerent. Sed ea re offensi cardinales quod injussu suo decretum id esset, ne rata illa formula haberetur, intercesserunt. Eugenius tandem placatis iis, contra Gilberti dogmata sententiam dixit ejusque librum damnavit, auctori vero ipsi pepercit, quod is in Romani pontificis et ecclesiæ potestate fore se professus est. Hæc summa est historiæ Gilberti Porretani ex Ottone et Gaufredo petita. Nunc quod maxime quærimus, de illius dogmate videamus. Scribit Otto id objectum esse inter alia Gilberto : « Quod assereret divinam essentiam non esse Deum, quod proprietates personarum non essent ipsæ personæ [1]. » Eumdem quoque in Parisiensi concilio multis hinc inde lacessentibus dixisse : « Audacter ergo confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc et hoc, » interrogatumque quare in theologia personas intantum distingueret, dixisse : « Quia omnis persona est per se una. » Postea in Remensi consessu Eugenio percontanti : « Anne illam summam essentiam, qua tres personas profiteris unum Deum [2], credas esse Deum, » diutina collatione fatigatum minus præmeditate respondisse : « Non ; » quod in acta relatum est, una cum scholio ipsius in Boetii verba libro *de Trinitate*, ubi cum Boetius scripsisset, substantia qua Deus est, adjecit iste, *non quæ Deus est*. Sed hæc postrema mendose apud Ottonem leguntur, quæ ex Bernardo sermone octogesimo in *Cantica* sic emendare oportet : « Dicente auctore (Boetio) cum dicitur : *Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam*, noster commentator intulit non quæ est, sed qua est. » Porro cum postridie dicti illius a Gilberto ratio reposceretur, non se dixit simpliciter asseverasse naturam vel essentiam non esse Deum, nisi cum nomen *Deus* personam significat. « Hoc enim interdum naturam exprimere, ut in illo scripturæ loco, *Deus noster, Deus unus est* [3], interdum per personam unam de tribus, ut in Psalmo : *Ascendit Deus in jubilatione* [4]. Quod autem inter naturam et personam non mathematica abstractione, sed theologica consideratione quoque modo divideret ratio, hinc ostendisse quod una sit tantum essentia, tres autem personæ, tum ex Patrum dictis, qui non idem esse naturam dicunt, quod personam.

V. Hactenus Gilberti dogma, ut quidem ab Ottone traditur, quem Gilberto paulo addictiorem fuisse tota illius narratio testatur. Certe longa et subtili disputatione mentem ejus et sententiam non explicavit modo, sed etiam tutatus est. At vero si Bernardum ejusque discipulum Gaufredum audiamus, multo plus in illius opinione flagitii ac periculi fuisse judicabimus. Nam ille octogesimo sermone in *Cantica*, hæreticos eos appellat qui ita sentiunt. « Recedant a nobis, inquit, charissimi, recedant novelli non dialectici sed hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, et item bonitatem qua bonus, sed et sapientiam qua sapiens, et justitiam qua justus, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed divinitas non est Deus. »

Paulo vero postea : « Unde non immerito, inquit, nuper in concilio, quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi quam cæteris episcopis perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gilberti episcopi Pictaviensis, quo super verba Boetii de Trinitate, sanissima quidem atque catholica, commentabatur hoc modo : Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus sanctus est veritas, id est verus, et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus. O obscuram, perversamque explanationem ! Quam verius saniusque per contrarium ita dixisset ! Pater est verus, id est veritas. Filius est verus, id est veritas. Spiritus sanctus est verus, id est veritas, et hi tres unus verus, id est una veritas. »

Denique Gaufredus, quem cum sancto Bernardo interfuisse dixi Remensi concilio, refert Gilbertum callide tergiversantem hac Bernardi interrogatione constrictum fuisse : « Quid necesse est circa hujusmodi verba

1 Cap – 2 Cap. XXXVI. — 3 *Deut.* VI, 4. — 4 *Psal.* XLVI, 6

diutius immorari? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate.» Adhæc Gilbertus ausus est dicere : « Forma Dei et (*lege* est) divinitas qua Deus est, et ipsa non est Deus. » Quod et Otto memoriæ prodidit. Addit Gaufredus se eidem Gilberto statim objecisse, in conventu Parisiensi negasse ipsum se tale quippiam credidisse unquam, aut docuisse. At Gilbertum, cum inficiari non posset id se negasse, confidenter dixisse : « Quidquid tunc dixerim, modo hoc dico. »

VI. His animadversis, non est obscurum quid Gilbertus de Divinitatis et proprietatum discrimine senserit. Ac sunt aliqui qui illius opinionem sic explicant [1], ut neque proprietates Dei invicem, neque ab natura vel essentia secreverit, sed utrumque, hoc est proprietates et essentiam a persona. Quippe vox *Deus*, ut ex Ottone Frisingensi supra referebamus, et Damascenus observat, interdum naturam solam, interdum eamdem cum relatione significat [2]. Priori modo fateri se aiebat Deum esse divinitatem vel bonitatem, posteriori negabat. Sed ex iis quæ hactenus de Gilberto ejusque damnatione commemorata sunt, liquido constat, non illum tantum-

Personales. modo proprietates relativas et ὑποστατικὰς a natura separasse, quod ne ipsum quidem dici fas est, sed tam relativas, quam absolutas, adeoque divinitatem ipsam a Deo sejunxisse. Neque porro sic *Deum* intellexisse, ut personam ipsam ex natura et relatione quodammodo conflatam significet, sed ut universe et infinite id sit, quod divinam naturam habet, hoc est complexum illud, sive, ut dialectici loquuntur, *concretum*, quod existit in natura divina, ita ut *suppositum* ac personam,

Personalem. sive ὑποστατικὴν proprietatem ac relationem, id est paternitatem, vel aliam quamlibet distincte non exprimat. Quod recte scholastici

Quid vox Deus exprimat. perhibent, quorum princeps sanctus Thomas Dei nomen substantive significare dicit *habentem divinitatem* [3], ac per se communem tribus naturam exprimere, et adjuncto aliquo quod proprium est, determinari ad personæ vel suppositi notionem [4]. Ut cum dico, *Deus creat*, nulla distincte persona repræsentatur, neque una de tribus aliqua, neque tres simul, sed universe divinitatem habens velut formam intelligitur, quocumque tandem existat modo. Confuse autem ac minus distincte et quasi secundo, personalis proprietas indicatur. Itaque, quod alio in loco idem sanctus Thomas observat [5], nomen istud, *Deus*, divinitatem et essentiam directe ac distincte significat, personam autem *indistincte*, ut ait, ac velut ex obliquo, aut ut alii loquuntur, *universe* [6]. Cum autem ita dico : *Deus generat*, quia notionalis actus adjungitur, sola Patris persona significatur. At cum dico : *Deus spirat*, utraque Patris et Filii. Quocirca vox *Deus*, nisi eam proprietatis aliqua nota restringat, essentiam ipsam directe significat, sive potius id quod habet divinitatem sub communi notione, quod complexum de tribus personis ex æquo prædicatur. Nam dicimus: *Pater est Deus*, *Filius est Deus*, quod dici nefas esset, si nomini huic *Deus* persona aliqua, proprietasve personalis distincte subjiceretur. Hoc ipsum et in voce *homo* usuvenit, quæ nec hominis naturam ipsam abstractam et in modum formæ simplicis, neque individuum aliquod ac singularem personam significat, sed naturam universe existentem in aliquo, præsertim cum ad eam vox adjungitur communem naturæ actionem indicans, ut est illa : *Homo ratiocinatur*, *homo loquitur*.

VII. Hac *Dei* notione constituta, quam cum sancto Thoma cæteri de schola theologi tradunt [7], facile est ex Gilberti verbis ac tota illa actione conjicere, cum ita dixit : *Divinitatem non esse Deum*, vel bonitatem, aut sapientiam et hujus generis alia, non sic Deum accepisse, ut persona esset aliqua, sed ut habentem naturam vel existentem in aliquo divinitatem universe significaret. Etenim nomen illud, *Deus*, eodem sensu Gilbertum sumpsisse, quo Boetium, ad quem commentaria scribebat, nemo diffitebitur. At Boetius ita loquitur : *Deus*, *Deus*, *Deus pertinet ad substantiam.* Non igitur personam proprie significari credidit vocabulo isto Boetius, non ejus commentator Gilbertus, qui hoc scholion apposuit : *Non quæ est, sed qua est*, quibus verbis ostendit Deum, ut substantiam et naturam significat, ab ea forma differre qua substantivum nomen constituitur, hoc est a divinitate

1 Vasq. disp. 116, in I, par c. II. — 2 Lib. III, c. IV. — 3 In. part. I, q. 39, art. 3. — 4 Art. 4, ad 3. — 5 In 1. Sent. dist. q. 1, art. 2 — 6 Vasq. disp. 56, c. II. — 7 Ut Scot. in 1. disp. 4. qu. 2. Albert in 1. qu. 45. mem. 2. art. 1. etc.

id quod habet divinitatem esse separandum. Præterea vel ipsa ejusdem Gilberti vox, quam Otto Frisingensis refert, quæ mens illius fuerit, sine ambiguitate ulla demonstrat. Interrogante enim Bernardo « anne summam illam essentiam, qua tres personas profiteretur unum Deum, crederet esse Deum, » negare non dubitavit. Atqui Deus ibi substantiæ, non personæ nomen est, cum unus Deus Trinitas esse dicitur. Neque enim Trinitatem unam esse personam catholicus quisquam pronuntiare audeat. Itaque ludicra et jocularis est excusatio, qua subinde usus est Gilbertus, Dei se nomen inquiens pro persona sumpsisse. Denique Gilberti sententiam ejus comprehensam libris, melius, opinor, intellexere Bernardus et qui cum eo professionem illam fidei quæ Eugenio est oblata, condiderunt, quam Otto Frisingensis. Constat autem ex illo symbolo, et ex Bernardi disputatione qua Gilberti dogma perstringit, ejusmodi hoc fuisse, ut Deum, qui unus tam Trinitas est, quam trium unaquæque personarum, assereret non esse divinitatem, sed ab hac tanquam forma concretum illud nomen derivari ac separari.

VIII. Nam quod dixisse Gilbertum scribit Otto, cum ita loquimur, *Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus*, ibi nomen *Deus* personæ esse nomen, non substantiæ, eoque sensu negatum ab se, divinitatem esse Deum, ne personam cum substantia confunderet, id est absurdum. Neque enim Deus illic personam significat, sed substantiam vel essentiam, non abstracto tamen modo, sed complexo, ut cum dico : Socrates est homo, quod idem est atque habens humanitatem. Sic in enuntiatione ista, *Pater est Deus*, Dei nomine substantiam habens intelligitur, necnon et substantia ipsa, sive divinitas. Quod quidem summæ illius ac simplicissimæ majestatis proprium est, ut sit idem Deus quod divinitas. Cæterum attributa neque ab se invicem, neque ab essentia reipsa putasse distingui Gilbertum, facile concesserim. Quippe Bernardus fatetur [1], ab ipso ejusque discipulis magnitudinem, bonitatem, justitiam et innumera talia asseri unam esse divinitatem, sed eam non esse Deum, verum ipsi ut Deus sit conferre. Ex quo non multiplicem quidem, sed tamen duplicem, ab illis constitui Deum Bernardus colligit ac non omnino simplicem. Sed de Gilberto ejusque sententia nimium fortasse multa. Ab hac vero vel nihil, vel parum discrepare scholasticorum aliquot opinio creditur, ut Scoti, qui citra notionem et intelligentiam nostram per se ab essentia divina differre proprietates et inter sese ipsas existimat, quemadmodum e contrario ad Aetii et Eunomii placita implicati videntur generis alterius theologi, quos Nominales vocant, qui in iisdem illis proprietatibus solum nominum discrimen agnoscunt, cum ne intelligentia quidem nostra invicem distincta sint. Sed utrosque ex æquo refugit convincitque catholica professio, antiquorum theologorum mandata scriptis et auctoritate firmata, quam in sequentibus exponemus.

1 Lib. V, de *Cons.* c. VII.

CAPUT IX.

Quomodo divinæ proprietates a se invicem et ab essentia differant. Discrimen hoc ἐπινοίας *id est rationis, sive cogitationis esse non rei nec nominis solius. Unam proprietatem non involvi in altera, ut a nobis percipiuntur.*

I. Quoniam Deum cujusmodi est in sese, neque intelligentia capere, neque sermone consequi possumus, necesse est, ut qui illum contemplari animo, aut verbis explicare velit, qualicumque potest, hoc est humana de eo vel cogitatione sit, vel oratione contentus. Quod tantum abest ut aut indignum Deo, aut summæ illi majestati sit invisum, ut pergratum eo sit ipso quod est imitatio quædam de se in Scripturis loquentis ac seipsum significantis hominibus Dei. De quo præclara est Gregorii Nysseni in duodecimo *adversus Eunomium* ac digna prorsus quæ hic legatur sententia : « Quandoquidem, ait, id quod est natura sua pusillum ac breve proprios modulos excedere non potest, et superantem omnia naturam Altissimi consequi, ideo ipsemet ad nostræ captum imbecillitatis benignam vim suam demittens, pro eo ac nos capere possumus, gratiam suam et utilitatem impertitur. Ut enim divina dispensatione sol vehementem radiorum suorum ac merum splendorem per interjectum Notionum ratio et origo.

temperans aerem, moderatum fulgorem et calorem excipientibus immittit, cum per se naturæ nostræ infirmitati sit inaccessus; sic etiam divina vis secundum ejus, quod diximus, exempli similitudinem, infinitis partibus naturam nostram superans, ut ei appropinquare participando nequeat, velut benigna quædam et amantissima parens cum minime articulatis infantum vagitibus una balbutiens, hoc humanæ naturæ tribuit, quod potest capere [a]. » Quod eadem sententiæ complexione pulchre Alcuinus expressit in secundo libro *de Trinitate* [1] : « Tam clementer, inquit, Deus humanæ consuluit infirmitati, ut quia eum, sicut est, non possumus agnoscere, nostræ locutionis more seipsum insinuare velit, quatenus ad sua per nostra traheret, et dum condescendit per pietatem nostræ infirmitati, ascendamus nos per intelligentiæ paritatem ad illum, secundum suæ donum gratiæ. »

Hinc illæ pendent quas Græci theologi vocant et frequenter adhibent, ἔννοιαι vel ἐπίνοιαι, vel si quod aliud est nomen, quod notiones animi nostri ac modos humanæ cognitionis intelligentiæque continet, cum divinas res potissimum et captum omnem supergressas conditionis nostræ, quibus possimus notis ac significationibus exprimimus, sic ut ea divisim, particulatimque considerando secemus quæ sunt una simplicissimaque res, nec ulla in sese varietate distincta. In quo divinæ mentis, intelligentiæque imaginem ab humana exprimi eleganter disputat Philo Judæus his verbis : « Sunt igitur naturæ duæ insecabiles, tum intelligentiæ quæ nobis inest, tum quæ supra nos est divinæ rationis. Cum sint autem insecabiles, infinita secant alia. Etenim divina ratio, quæ sunt in natura divisit ac distribuit omnia. Nostra vero mens quascumque intelligibiliter sumpserit res, aut corpora, in infinitas particulas dividit et secare nunquam desinit. Hoc autem propter illam similitudinem accidit, quam cum universorum molitore habet ac parente [b]. »

De quibus notionibus et ἐπινοίαις universe dicere cœpimus capite sexto. Nunc quæ huic quam instituimus tractationi necessaria sunt, ad totius proprietatem vel attributorum generis intelligentiam easdem diligentius enodabimus.

II. Sic igitur in Deo sese res habet. Quamvis sit ille simplicissimus, neque aut compositus ex partibus, aut qualitatibus vel accidentibus affectus ullis, sed unum sint omnia quæ inesse illi dicuntur cum natura et essentia, tum etiam, relativis exceptis proprietatibus, ipsa secum; tamen quia unica et simplici sua essentia quidquid usquam aut est, aut cogitari potest, perfectionis excellentiæque continet, nec potest unica contemplatio mentis ac velut intuitus tam infinitam varietatem percipere; necesse est ut animus noster post primam illam cognitionem, qua totum Deum semel universeque complexus est, eumdem sæpius cogitando repetat, ac singillatim quæ insunt in eo minutatimque discernat. Hæc iterata et per partes distincta cognitio tum ἐπίνοια, tum ἐπενθύμησις et ἐπιλογισμὸς ideo vocatur a Græcis Patribus, quasi secunda et repetita notio vel cogitatio, cujus auctor interpretationis est Basilius, qui de notionibus istis agens adversus Eunomium [2], earumque vim explicans, ex eo nasci illas asserit, quod « secundum primam rei cujuslibet notitiam et intelligentiam, quam ex sensibus ducimus, iterata rei ejusdem cognitio succedat, priore accuratior ac subtilior,

a Greg. Nyss. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἐνδέχεται τὸ τῇ φύσει βραχὺ τῶν ἰδίων μέτρον ὑπεραρθῆναι, καὶ τῆς ὑπερεχούσης φύσεως τοῦ ὑψίστου ἐφάψασθαι, τούτου χάριν αὐτὸς πρὸς τὸ ἡμέτερον ἀσθενὲς κατάγων τὴν φιλάνθρωπον δύναμιν, ὡς ἡμῖν δυνατὸν ἦν δέξασθαι, οὕτω τὴν ἑαυτοῦ χάριν, καὶ ὠφέλειαν νέμει· καθάπερ γὰρ κατὰ τὴν θείαν οἰκονομίαν ὁ ἥλιος τὸ σφοδρὸν τῶν ἀκτίνων, καὶ ἄκρατον τῷ διὰ μέσου κατακεράσας ἀέρι, σύμμετρον ἐπάγει τοῖς δεχομένοις τὴν αὐγήν τε, καὶ τὴν θερμότητα, καθ'ἑαυτὸν ὢν τῇ ἀσθενείᾳ τῆς φύσεως ἡμῶν ἀπροσπέλαστος· οὕτω καὶ ἡ θεία δύναμις καθ' ὁμοιότητα τοῦ ῥηθέντος ἡμῖν ὑποδείγματος ἀπειροπλασίως ὑπεραίρουσα τὴν φύσιν ἡμῶν, καὶ ἀπρόσιτος εἰς μετουσίαν οὖσα, οἷόν τις μήτηρ εὔσπλαγχνος τοῖς ἀσήμοις τῶν νηπίων κνυζήμασι συνδιαψελλιζομένη, τοῦτο νέμει τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, ὃ λαβεῖν δυνατῶς ἔχει.

b Philo, in lib. *Quis divinorum hæres*, p. 513, edit. græcolat. Paris. Ἄτμητοι μὲν οὖν αἱ δύο φύσεις, ἥ τε ἐν ἡμῖν τοῦ λογισμοῦ, καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς τοῦ θείου λόγου· ἄτμητοι δὲ οὖσαι μυρία ἄλλα τέμνουσιν· ὅ τε γὰρ θεῖος λόγος τὰ ἐν τῇ φύσει διεῖλε, καὶ διένειμε πάντα· ὅ τε ἡμέτερος νοῦς, ἅττ' ἂν παραλάβῃ νοητῶς πράγματά τε, καὶ σώματα εἰς ἀπειράκις ἄπειρα διαιρεῖ μέρη, καὶ τέμνων οὐδέ ποτε λήγει· τοῦτο δὲ συμβαίνει διὰ τὴν πρὸς τὸν ποιητὴν, καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐμφέρειαν.

1 Cap. vi. — 2 Lib. I. *contra Eunom.* p. 13.

quæ ob id ἐπενθύμησις et ἐπίνοια et ἐπιλογισμὸς dicitur [a]. » Ut idem triticum, etsi res una sit et suo modo simplex, varie consideratur a nobis, ut et fruges est e terra nata, et semen, et hominis alimentum. Ac multiplex illa consideratio diversas notiones parit, ex quibus diversa deinceps existunt nomina, quibus singulæ subjiciuntur.

De hoc ἐπινοίας genere intepretandus videtur mihi Dionysius in libro *de Divinis nominibus* capite quinto, cum ait « ab suprema omnium causa Deo tam intelligibiles ac spiritales productas esse substantias, quales sunt angeli et animæ hominum, quam universas mundi naturas, et quæ quomodocumque vel in aliis inesse, vel cogitatione esse dicuntur [b]. » Hæc enim postrema sunt quæ per se ac separata non existunt, neque sensibus discernuntur. Nam quæ in aliis insunt, ut accidentia quæ in sensus incidunt, ab iisdem sensibus invicem distinguuntur. Quæ autem sola mente et cognitione secernuntur, ea κατ' ἐπίνοιαν dicuntur esse, ut in eodem homine intelligentia, voluntas, et memoria, aut si quæ sunt alia, quæ mens sola dirimit ac separat, cum unum ac simplex aliquid esse primo intuitu judicentur, ut ἐπίνοια nihil aliud sit, quam mentis cognitio. Sic idem Dionysius paulo post Deum asserit « secundum omnem ἐπίνοιαν, id est *cognitionis modum*, supra substantiam esse [c]. » Ita Maximus interpres superiora illa Dionysii videtur accepisse. Nam κατ' ἐπίνοιαν esse dici putat illa « quæ sola mente percipiuntur, ut est notio, verbum, sensus, actio et id genus alia, quæ sola cognitione et repetita cogitatione discernimus [d]. »

III. Ex hoc igitur genere τῶν ἐπινοιῶν ratio illa distinctionis *oritur*, quæ *cognitionis* vel *cogitationis* a Latinis dicitur, eique est opposita quæ reipsa consistit, vocaturque *realis*, a Græcis τῷ πράγματι, qua res ab re altera per se ac non sola intelligentia disjungitur. Auctor libri *de Incarnatione Verbi* in libro secundo, ea quæ sunt ἐπινοίᾳ distincta, « intellectu multa esse » dicit, cum « re et substantia unum sint. » Apud Ciceronem *cogitationis* illa distinctio legitur in II *Officiorum*, cum de triplici genere bonorum agit. « Summa quidem, inquit, auctoritate philosophi severe sane atque honeste hæc tria genera confusa cogitatione distinguunt. » Siquidem, ut in I *contra Nestorium et Eutychem* scribit Leontius : « Rerum simplex et generalis notio facit, ut cognitionem habeamus universam et non explicatam, horum autem divisio cogitatione ad perfectam cognitionem nos adducit eorum, ex quibus constat [1]. » Sic aliud est *rebus*, aliud *cognitione discernere*, ut Maxentius loquitur [2]. Hæc distinguendi genera Damascenus explicat in primo *de Fide*, capite XI. Nam aliud esse dicit « re considerare aliquid, aliud ratione et intelligentia. Itaque in creatis omnibus, hypostaseon differentia reipsa consideratur. Nam reipsa Petrus consideratur a Paulo separatus. Communio vero et conjunctio et unum, ratione intelligentiaque spectatur. Mente enim intelligimus Petrum et Paulum ejusdem esse naturæ, et unam naturam habere communem [e]. » Itaque communis natura, sive universalis, *ratione et intelligentia*, λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ, distinguitur a singulis et individuis, estque λόγῳ θεωρητή, ut et Damascenus paulo post, et simili in re Græci dicere consueverunt, adeoque Geminus [3], qui λογῳ θεωρητοὺς circulos vocat in cœlo, qui reipsa non sunt, sed sola fictione, ut sunt omnes in sphæra, præter lacteum. Sic in primo de placitis philosophorum Plutarchus refert Anaxagoram, qui rerum principia dicebat esse τὰς ὁμοιομερείας, in omnibus inesse omnia putasse. Velut in pane et aqua, quibus aluntur homi-

Ratione considerata.

Similares partes.

a BASIL. Ὥστε μετὰ τὸ πρῶτον ἡμῖν ἐκ τῆς αἰσθήσεως ἐγγινόμενον νόημα, τὴν λεπτοτέραν, καὶ ἀκριβεστέραν τοῦ νοηθέντος ἐπενθύμησιν, ἐπίνοιαν ὀνομάζεσθαι· ὅθεν ἡ συνήθεια καλεῖ ἐπιλογισμόν.

b DION. Καὶ ἐκ τῆς πάντων αἰτίας αἱ νοηταὶ, καὶ νοεραὶ τῶν θεοειδῶν ἀγγέλων οὐσίαι, καὶ αἱ τῶν ψυχῶν, καὶ αἱ τοῦ παντὸς κόσμου φύσεις, καὶ τὰ ὁπωσοῦν ἢ ἐν ἑτέροις ὑπάρχειν, ἢ κατ' ἐπίνοιαν εἶναι λεγόμενα.

c DION. Ταῦτα γὰρ πάντα τοῖς θεοπρεπῶς νοοῦσι, τὸ κατὰ πᾶσαν αὐτὸν ἐπίνοιαν ὑπερουσίως εἶναι σημαίνει.

d MAXIM. Ταῦτα δὲ εἶναί φαμεν τὰ τῇ νοήσει καταλαμβανόμενα· οἷον νόημα, λόγον, αἴσθησιν, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἅ τινα τῇ ἐπινοίᾳ μόνῃ, οἱονεὶ τῇ ἐπενθυμήσει γνωρίζομεν.

e DAM. Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι ἕτερον ἐστό τὸ πράγματι θεωρεῖσθαι, καὶ ἄλλο, τὸ λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ· ἐπὶ μὲν οὖν πάντων τῶν κτισμάτων ἡ μὲν τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις πράγματι θεωρεῖται· πράγματι γὰρ ὁ Πέτρος τοῦ Παύλου κεχωρισμένος θεωρεῖται· ἡ δὲ κοινότης, καὶ ἡ συνάφεια, καὶ τὸ ἓν, λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται· νοοῦμεν γὰρ τῷ νῷ, ὅτι ὁ Πέτρος, καὶ ὁ Παῦλος τῆς αὐτῆς εἰσὶ φύσεως, καὶ κοινὴν μίαν ἔχουσι φύσιν.

1 Tom. II; *Biblioth. Patrum*. — 2 *Contra Aceph.*, tom. IV, *Biblioth. Patrum*. — 3 Gem. in *Isagog.*, p. 15.

nes, esse carnem, ossa et cætera, quæ in hominis corpore alimenta ista producunt. Sed in illis sola ratione distingui, et esse λόγῳ θεωρητὰ μόρια, id est *partes ratione consideratas*. Quam quidem distinctionem θεωρητικὴν διάκριον vocat Agatho papa in epistola quæ est in actione IV synodi sextæ. Basilius vero ἐπινοίᾳ θεωρητὰ dixit in primo *contra Eunomium*. Ut sit illud λόγῳ θεωρητὸν, cum de differentia sermo est, quod reipsa non discernitur, neque separatur ab alio, sed sola animi cogitatione. Quod idem Damascenus alibi vocat διελεῖν ἰσχναῖς ἐπινοίαις « *subtilibus cogitationibus discernere*. Caro igitur, inquit, ejus (Christi) secundum ipsius naturam, si quidem subtilioribus cogitationibus quod aspectabile est ab intelligibili separes, adorari non debet tanquam creata[a]. »

Ratione consideratam distinctionem.

Intelligentia considerata

Attributa sola ratione distinguuntur ab essentia.

Quocirca proprietates et attributa cum a se mutuo, tum ab essentia, sola ratione cogitationeque nostra et ἐπινοίᾳ vel νοήσει differre veteres affirmant, ita ut reipsa unum aliquid sint longe simplicissimum, ac sit Deus idem quod divinitas, quod bonitas, quod sapientia, atque etiam quod paternitas, vel filietas, tametsi duo hæc reipsa invicem differant.

Nec unum in conceptu alterius includitur.

IV. Ac differre quidem cogitatione, sic ut unum diversam quamdam considerationem habeat ab altero, nec eorum notiones inter se permisceantur et confundantur, accurate Patres illi nos docent, qui Eunomii sceleratum errorem scriptis suis refutarunt, ut Basilius, Nyssenus, Cyrillus, et si qui alii sunt. Quod imprimis observatione dignum est propter recentiores quosdam de schola theologos, qui adeo differre proprietates omnes ab essentia non putant, neque a se invicem eas quæ quidem absolutæ sunt, ut nulla sine altera considerari animo nequeat, nec unius informari notio quin alterius notio in eadem includatur. Quin eorum aliqui solam nominum differentiam in illis agnoscere creduntur, quos Nominales vulgo nuncupant. Qui utrum revera ita sentiunt, an falsa de istis ea suspicio est, non institui hoc loco quærere. Non enim scholasticas, aut cum scholasticis conflictiones suscepimus. Illud potius universe ex veterum theologorum ac Patrum decretis ostendamus, proprietates istas non sola nominum varietate censeri, sed notionum etiam ac significationum, quæ subjectæ sunt nominibus, ita ut notitia illa, quam de una earum aliqua formamus, non sit eadem quam habemus de altera, sed diversis intellectionibus, quas Græci νοήσεις et ἐννοίας vocant, singulæ respondeant.

Ita Basilius in primo *contra Eunomium* ἐπινοίας non solis vocibus differre, sed notionibus demonstrat, ut ingenitum, immortale, infinitum, quibus distinctæ rationes objiciuntur, quas quidem essentiam ipsam esse credere, pro ridiculo habet. « Qui enim ridiculum non est, si quis procreandi vim, ipsam esse dicat essentiam? aut providentiam rursus essentiam? itidemque præscientiam? ac denique efficientiam omnem, essentiam esse statuat? Quod si omnia ista ad unum significatum pertineant, necesse est, ut idem inter se valeant nomina, ut in polyonymis evenit, cum Simonem, et Petrum, et Cepham eumdem hominem dicimus[b]. » Hæc et iis plura ac similia cum dicit Basilius, cum essentiam Dei negat esse providentiam, vel potentiam, vel scientiam, non utique de reipsa, sive de Deo, ut est in sese, loqui putandus est. Quam unam rem esse simplicissimam etiam gentiles intellexere philosophi, ut postea declarabitur, nedum tantus vir ignorare potuit.

V. Quamobrem necesse est, ut illas ipsas proprietates essentiamque ipsam, uti a nobis intelliguntur, et ut cognitioni nostræ sunt objectæ, non solis vocibus distare voluerit, sed notionibus, ita quidem « ut unum in altero non involvatur, » quod illi scholastici putant. Nam « involvi unum in altero, » vel potius unius notionem implicari cum notione alterius, adeo ut una sine altera cogitari nequeat, est unum esse alterum, esse, inquam, cogitatione, considerationeque nostra : hoc enim agitur, uti dixi, non autem quid in seipsis ac reipsa ista sint. Tum adversus Eunomium illa disputantur a Basilio, qui hæc omnia unum esse cogitatione, ἐπινοίᾳ et notione contendebat. Itaque cum Basilius adversus hæreticum istum, ab-

a DAM. lib. IV. c. III. Ἡ τοίνυν σὰρξ αὐτοῦ κατὰ μὲν τὴν ἑαυτῆς φύσιν, ἂν διέλῃς ἰσχναῖς ἐπινοίαις τὸ ὁρώμενον ἐπ τοῦ νοουμένου· ἀπροσκύνητός ἐστιν, ὡς κτιστή.

b BASIL. Εἰ μὲν γὰρ οὐδὲν ὅλως κατ' ἐπίνοιαν θεωρεῖ, ἵνα μὴ δόξῃ ἀνθρωπίναις τὸν Θεόν σεμνύνειν προσηγορίαις, πάντα ὁμοίως οὐσίαν ὁμολογήσει τὰ ἐπιλεγόμενα τῷ Θεῷ· πῶς οὖν οὐ καταγέλαστον, τὸ δημιουργικὸν οὐσίαν εἶναι λέγειν ἢ τὸ προνοητικὸν πάλιν οὐσίαν; ἢ τὸ προγνωστικὸν πάλιν ὡσαύτως καὶ ἁπαξαπλῶς, πᾶσαν ἐνέργειαν οὐσίαν τίθεσθαι; καὶ εἰ πάντα ταῦτα πρὸς ἓν σημαινόμενον τείνει, ἀνάγκη πᾶσα ταὐτὸν ἀλλήλοις δύνασθαι τὰ ὀνόματα· ὡς ἐπὶ τῶν πολυωνύμων· ὅταν Σίμωνα, καὶ Πέτρον, καὶ Κηφᾶν τὸν αὐτὸν λέγομεν. Vide et librum II. Basilii ejusdem.

surdum esse pugnat omnia illa dicere esse unum et idem, et essentiam esse scientiam, aut potentiam, negat utique notionem unius includi in notione alterius, sic ut distincte alteram altera contineat. Quemadmodum notio Petri vocabulo subjecta, eadem est quam Cephæ, vel Simonis vocabulum exhibet. At stultum est, auctore Basilio, cum Dei simplicitatem audimus, exempli gratia, dicere nos ejusdem cogitare potentiam, propria cujusque nominis significatione detracta, quod tamen facimus, si unius notio ab notione alterius non distat. Est enim notio nihil aliud quam significatio, vel τὸ σημαινόμενον. Sunt autem τὰ σημαινόμενα nominum diversa, cujusmodi non sunt, si in altero involvitur alterum, non ex obliquo. Neque enim hoc solo contenti esse debent qui sic loquuntur, cum extra controversiam sit pleraque etiam illorum quæ reipsa et τῷ πράγματι distincta sunt, in aliis involvi, nec sine iis distincte percipi, uti quæ ad invicem dicuntur, aut scientia si cum re objecta comparetur. Quo etiam modo potentia, vel scientia Dei, ut ejus propria est, sine confusa saltem essentiæ notitia comprehendi animo non potest. Sed illos oportet de distincta et, ut loqui solent, formali ac directa notione agere, cum sic dicunt, « unum attributum, ut a nobis intelligitur, involvi in altero, vel non posse concipi, quin involvatur aliud, » cui quantopere Basilius reclamet, ex tota illa disputatione judicari potest. Nam et ita denique concludit : « Quinam ergo manifestæ insaniæ non sit, proprium unicuique nomini significatum negare subjici, sed quod ad vim attinet, idem valere invicem affirmare nomina omnia[a] ? » Ac nonnullis interjectis, « nullum esse nomen ait, quod totam Dei naturam comprehendat, et quantum satis est explicet. Quare multa esse ac diversa, quæ singula propriam habent significationem[b]. » Sic in libro *de Recta fide*, « nullum itidem nomen sufficere dicit omnibus Dei ornamentis explicandis « ac si quis dicat, Deus, non hoc ipsum quod est Pater, *exprimere*, ei porro quod est Pater, deesse hoc quod est creator, tum istis deesse, addique oportere bonitatem, sapientiam, virtutem ac cætera, quæ in sacra Scriptura memorantur[c]. » Insignis plane et ad id quod quærimus, disertissimus hic locus, ex quo efficitur nominis unius notionem, quem vulgo *conceptum* in scholis appellant, non sic includi in alterius notione, ut uno pronuntiato intelligatur alterum. Quod tamen ex illorum opinione consequitur non modo, qui solis differre nominibus ista sentiunt, sed etiam qui subjectas vocibus notiones invicem contineri putant. Quippe si in eo quod significat Dei nomen, involutum implicatumque est id quod Patris vox significat, aut Creatoris, ac si in illis, bonitas, sapientia, potestas includitur, sic ut directe explicateque in sese mutuo comprehendantur (hoc enim velle istos, si consentanee loquuntur, oportere docui), profecto non deest Patris significationi ac notioni, creatoris notio; neque bonitatis significationi, sapientiæ significatio. Quod tamen absurdum esse Basilius ostendit.

VI. Gregorius Nyssenus et frequenti et expressa non minus oratione idem adstruit. Velut in primo *adversus Eunomium* uniuscujusque nominis quod de Deo dicitur, « propriam ac singularem esse notionem » asserit, atque ideo « pro appellationum numero cognatas Dei dignitates considerari[d]. » In duodecimo vero libro copiosius idipsum enarrat, dum Basilii sententiam ab Eunomii calumnia defendit. Etenim Basilius contra hæreticum hunc scribens, varias diversasque de Deo notiones, hoc est ἐπινοίας et νοήματα formari dixerat, quæ neque nuda essent vocabula, neque falsa significarent. Sed idem hic evenire quod in plerisque rebus aliis, quæ cum primo aspectu unum aliquid et simplex esse videantur, postea diligentius consideratæ multiplices proprietates et notiones intuentibus offerunt. Ut in tritici grano cernitur, quod multas habet distinctasque intelligendi rationes, ut supra diximus, quæ singulæ diversis censentur appellationi-

a Basil. Πῶς οὖν οὐχὶ μανία σαφὴς, μὴ ἴδιον σημαινόμενον ἑκάστῳ τῶν ὀνομάτων ὑποβεβλῆσθαι λέγειν· ἀλλὰ παρὰ τὴν ἐνέργειαν πάντα ταὐτὸν δύνασθαι ἀλλήλοις διορίζεσθαι τὰ ὀνόματα;

b Id. Ἓν μὲν οὐδέν ἐστιν ὄνομα, ὃ πᾶσαν ἐξαρκεῖ τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν περιλαβὸν, ἱκανῶς ἐξαγγεῖλαι· πλείω δὲ, καὶ ποικίλα κατ' ἰδίαν ἕκαστον σημασίαν.

c Id. Οὐκοῦν οὔτε ἑνὸς ὀνόματος ἀρκοῦντος πάσας ὁμοῦ δηλῶσαι τὰς τοῦ Θεοῦ δόξας, οὔτε ἑκάστου ἐξ ὁλοκλήρου ἀκινδύνως παραλαμβανομένου· ἄν τε γὰρ εἴπῃ τις Θεὸς, οὐκ ἐδήλωσε τὸ, πατήρ· τῷ δὲ πατὴρ λείπει τὸ, κτίστης· τούτοις δὲ πάλιν χρεία ἀγαθότητος, σοφίας, δυνάμεως, καὶ τῶν λοιπῶν τῶν φερομένων ἐν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ.

d Greg. Nyss. Εἰ δὲ ἑκάστου τῶν λεγομένων ἰδιάζουσά τις ἔννοια, καὶ πρέπουσα τῇ περὶ Θεοῦ ὑπολήψει γνωρίζεται· δηλονότι κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ὀνομάτων, καὶ αἱ συμφυεῖς ἀξίαι τοῦ Θεοῦ θεωροῦνται.

bus[a], « quarum in animo impressæ notiones resident[b], » sic in Christo Domino variæ qualitates ac proprietates existunt totidem expressæ vocabulis, quibus diversa significata, nec eodem pertinentia subsunt. « Non enim omnia nomina ad idem inter se feruntur. Quippe alia est significatio lucis, alia vitis, viæ alia, et alia pastoris. Sed cum unus sit subjecto et una substantia, simplexque ac compositionis expers, aliter semetipsum alias appellat, cognomenta sibi accommodans notionibus inter se differentia[c]. » Quibus postremis verbis id quod quærimus aptissime descripsit, cum divinas proprietates et attributa re et subjecto unum et idem esse ac longe simplicissimum dixit, quod tamen diversas non solum appellationes, sed etiam notiones suppeditet. Hoc enim ipsum est quod persuadere volumus, notiones illas differentes esse, nec unam esse alteram, adeoque non involvi in se mutuo, nisi ex obliquo et confuse. Quod non esse satis docui ad illorum theologorum sensum, qui implicatas invicem notiones istas contra aliorum sententiam tueri se profitentur, quia sic interpretari debent, quod dicunt : invicem eas involvi proprietates, ut nullius notio separari ab altera possit, hoc est nulla intelligi, quin hoc ipso intelligatur et alia. Sic ut sapientiam, exempli causa, cogitanti, bonitatis occurrat notio, vel divinam essentiam animo tractanti, paternitatis, aut filietatis. Nam nisi hoc dicunt, nihil dicunt quod ab eorum quibus adversari se putant, opinione dissideat. Si quidem de perfecta et absoluta cognitione, ac cujusmodi in se est, divinæ substantiæ, proprietatisve si loquuntur, facile concedent omnes singularum notiones, nisi adjunctis aliarum notionibus, informari non posse. Uti neque hominis, nisi corporis et animæ notitiæ ad totius intelligentiam affluant. At hoc minime prohibet, quin hominis ratio ab ea quæ est corporis, vel animæ, non modo vocabulo et notione, sed etiam reipsa differat. Nec, opinor, theologi isti, cum involvi in se invicem divinas proprietates, hoc est earum notiones asserunt, de perfecta et per partes distincta subjectæ rei cognitione sic sentiunt. Sed de communi et cujusmodi haberi dicitur, cum aliquid per se ac proprie cognoscitur. Hoc vero modo absurdum esse credimus, ac cum veterum Patrum auctoritate, immo communi cum sensu pugnans, involvi invicem et cum essentia putare proprietates istas, sive potius proprietatum notiones. Alioqui nemo sapientiæ, exempli causa, divinæ notitiam formare poterit, quin omnium quotquot in Deo sunt proprietatum, attributorumque notiones ad eamdem illam appellant. Nam nulla fingi ratio potest, cur non omnes occurrere debeant de una quapiam cogitanti, cum omnes ex æquo invicem conjunctæ sint, involvantque se mutuo. Hoc autem si quis affirmet, communi hominum usu sensuque refellatur. Certum est itaque singulorum nominum, quibus divinæ proprietates explicantur, « varias ac multiplices esse notiones, cum unum sit substantia quod illis subjicitur ; » ut idem scribit Basilius, qui et « differentes mentis adjectiones, aut incubitus nominibus istis significari[d] » mox ait.

VII. Rursus quia Basilius scripserat : « Incorruptibilem et ingenitum Deum universorum, quæ sunt ejus proprietates duæ, dicere nos, secundum differentes notiones nominibus utentes istis[e], » ut ad anteriora sæcula respicientes quæ ille superat, ingenitum vocemus : incorruptibilem vero, cum succedentia sæcula nulloque terminata fine cogitamus ; Eunomius qui notionum discrimen omne tollebat, sic illius dictum arguere conabatur : « Si quatenus finis est expers illi vita, hoc solum habet ut sit incorruptibilis, et qua principio caret, solum est ingenitus, consequens erit, ut quatenus non est ingenitus, sit genitus[f]. » Hæc sophistica versutia ex eo ducebatur, quod

a Basil. Ἐν δὲ τῇ ἀκριβεῖ περὶ αὐτοῦ ἐξετάσει, θεωρία τε πλειόνων προσέρχεται, καὶ προσηγορίαι διάφοροι τῶν νοηθέντων σημαντικαί.

b Mox : Τῇ ψυχῇ τοῦ νενοηκότος ἐνίδρυται τὰ νοήματα.

c Ibid. Οὐ γὰρ πάντα τὰ ὀνόματα εἰς ταὐτὸν ἀλλήλοις φέρει. Ἄλλο γὰρ τὸ σημαινόμενον φωτὸς, καὶ ἄλλο ἀμπέλου, καὶ ἄλλο ὁδοῦ, καὶ ἄλλο ποιμένος· ἀλλ' ἓν ὢν κατὰ τὸ ὑποκείμενον, καὶ μία οὐσία, καὶ ἁπλῆ, καὶ ἀσύνθετος, ἄλλοτε ἄλλως ἑαυτὸν ὀνομάζει, ταῖς ἐπινοίαις διαφερούσας ἀλλήλων τὰς προσηγορίας μεθαρμοζόμενος.

d Basil. Καὶ οὕτως ἄν τις τῶν ὀνομάτων ἕκαστον ἐφοδεύων, ποικίλας εὕροι τὰς ἐπινοίας ἑνὸς τοῦ κατὰ τὴν οὐσίαν τοῖς πᾶσιν ὑποκειμένου. Ibid. κατὰ διαφόρους τῆς ψυχῆς ἐπιβολὰς τοῖς ὀνόμασι τούτοις προσαγορεύοντες.

e Basil. Ἄφθαρτον, καὶ ἀγέννητον Θεὸν τῶν ὅλων λέγομεν, κατὰ διαφόρους ἐπιβολὰς τοῖς ὀνόμασι τούτοις χρώμενοι.

f Eunom. Εἰ κατὰ τὸ ἀτελεύτητον τῆς ζωῆς, μόνον, ἐστὶν ἄφθαρτος, καὶ κατὰ τὸ ἄναρχον μόνον ἀγέννητος· καθ' ὃ μή ἐστιν ἀγέννητος, γεννητὸς ἔσται.

notiones diversas et a se invicem et ab essentia Basilius in Deo constituebat, quarum una non esset alia, sed intelligentia separatæ forent, ut qui, exempli causa, ingeniti proprietatem animo tractaret, de incorruptibilitate, vel immortalitate minime cogitaret, ex quo impostor ille concludebat : Igitur quatenus incorruptibilis est, non est ingenitus, adeoque genitus est, ac simul genitus est et ingenitus. Hanc calumniam erudite copioseque diluit Nyssenus Gregorius [1], cujus hæc disputationis est summa : improbe facere Eunomium, qui hoc quod inest cogitationibus ac notionibus nostris, ad rem ipsam cognitam ac cogitatam transferat. Etenim multa sunt quæ diversis intelligentiis percipimus, quæ reipsa sunt unum, ut antea dixi. Stulta est igitur ista collectio : Cum ingenitum Deum cogitamus, non cogitamus immortalem; igitur qua ingenitus est, non est immortalis. « Nostra, inquit Gregorius, hæc erat ratio, vitam principii expertem ingenitam secundum notionem nostram appellari non fieri, et eam quæ in minime definitum spatium extenditur, incorruptibilis appellatione significare, non incorruptibilem facere, sed quæ talis esset exprimere. Adeo ut interminatam in utramque partem divinam esse vitam, subjecti proprium sit, quæ autem in subjecto considerantur postea notiones, hoc vel illo modo dici, in sola voce positum sit, quæ significatam notionem indicat. Una est notio in divina vita, quod ex causa nulla sit. Hoc ipsum *ingeniti* vocabulum exprimit. Altera notio in eadem vita est interminatam esse ac finis expertem. Hoc *incorruptibilis* appellatio demonstrat. Itaque subjectum ipsum sine initio est ac fine, quod quidem omne nomen ac notionem omnem superat. Hoc vero quod est, neque ex causa ipsum oriri, neque unquam esse desinere, hæc nominum istorum commentatione declarantur [a]. » Hæc Gregorius, quæ de duabus divinæ naturæ proprietatibus, ingenito et incorrupto dicta, ad omnes alias pertinere paulo post ostendit, velut justitiam, veritatem, « et alias innumeras notiones, quas circa divinam vitam contemplamur, quarum unaquæque per sese, secundum propriam ac peculiarem intelligentiam significantibus nominibus enuntiatur [b]. » Hugo Victorinus quæstione CCXV in *epistolam ad Romanos;* « Divina, inquit, *usia* cum sit una et simplex, tamen propter varios effectus diversa sortitur vocabula. Dicitur enim sapientia, scientia, prævidentia, providentia, dispositio, prædestinatio. »

VIII. Atque idem in tota consequenti oratione sententiam illorum apertissime redarguit, qui « attributum unum involvi in altero » putant, neque ita cogitando separari ut alterum sine altero nequeat intelligi. Nam et Eunomium irridet, qui notiones omnes proprietatesque Dei permiscens et confundens, aiebat : « Deum, quatenus est finis expers, esse ingenitum, et qua ingenitus est, esse finis expertem, tanquam una eademque sit utrobique nominum potestas et significatio [c] : » atque hæc ipsa duo et alia omnia ipsissimam esse aiebat essentiam. Quæ Eunomii verba sic interpretatur Gregorius ; ut unum esse alterum dicat hæreticus intelligentia, notioneque nostra, et quatenus cognitioni nostræ subjiciuntur, non autem ut revera et in seipsis existunt. Neque enim damnanda ista putaret Gregorius, si de iis, ut in se consistunt, non ut a nobis considerantur, ita sentiret Eunomius. Itaque subinde opinionem ejus sic explicat : « Ut enim in ingenito considerare se dicit interitus expertem, sic in interitus experte, principio

a GREG. Τὸ γὰρ παρ' ἡμῶν οὐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ τὸ τὴν ἀνάρχως οὖσαν ζωὴν ἀγέννητον δι' ἐπινοίας ὀνομάζεσθαι, οὐχὶ γίνεσθαι· καὶ τὴν εἰς τὸ ἀόριστον προϊοῦσαν τῇ τοῦ ἀφθάρτου σημαίνειν προσηγορίᾳ, οὐ ποιεῖν ἄφθαρτον, ἀλλὰ σημαίνειν οὖσαν τοιαύτην· ὥστε τὸ μὲν ἀόριστον καθ' ἑκάτερον εἶναι τὴν θείαν ζωὴν, τοῦ ὑποκειμένου ἴδιον εἶναι· τὸ δὲ οὕτως, ἢ οὕτως τὰ ἐπιθεωρούμενα τῷ ὑποκειμένῳ νοήματα λέγεσθαι, περὶ τὴν φωνήν ἐστί μόνην τὴν ἐνδεικτικὴν τοῦ σημαινομένου νοήματος· ἓν νοήμα περὶ τὴν θείαν ζωὴν, τὸ μὴ ἐξ αἰτίας αὐτὴν εἶναι· τοῦτο ἡ τοῦ ἀγεννήτου λέξις ἐνδείκνυται· ἕτερον νόημα περὶ τὴν αὐτὴν ζωὴν τὸ ἀόριστον αὐτὴν, καὶ ἀτελεύτητον· τοῦτο ἡ τοῦ ἀφθάρτου προσηγορία παρίστησιν· ὥστε τὸ μὲν ὑποκείμενον ἄναρχον εἶναι, παὶ ἀτελεύτητον, ὅπερ ἐστίν ὑπὲρ πᾶν ὄνομά τε, καὶ νόημα· τὸ δὲ μήτε ἐξ αἰτίας αὐτὸ εἶναι· μήτε εἰς τὸ ἀνύπαρκτόν ποτε παρίστασθαι ταῦτα διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων τούτων ἐπινοίας σημαίνεται.

b EUNOM. Καὶ ἄλλα μυρία περὶ τὴν θείαν ζωήν ἐστι νοήματα· ὧν ἕκαστον ἐφ' ἑαυτοῦ κατά τινα ἰδιάζουσαν ἔννοιαν ταῖς σημαντικαῖς φωναῖς ἐξαγγέλλεται.

c EUNOM. Λέγει γὰρ τοῖς ἡμετέροις μαχόμενος, ὅτι ὁ Θεὸς καὶ κατὰ τὸ ἀτελεύτητόν ἐστιν ἀγέννητος, καὶ κατὰ τὸ ἀγέννητον ἀτελεύτητος, ὡς μιᾶς τῶν ὀνομάτων ἐν ἑκατέροις οὔση ἐμφάσεως.

1 Lib. XII. *contra Eunom.* p. 410 et seq.

carentem intelligentia se percepisse profitetur [a]. » Quid clarius ad illam, quam dixi, evertendam opinionem pronuntiari potuit ? Affirmabat Eunomius proprietatum divinarum notiones sic implicatas invicem involutasque esse, ut cum unam intelligimus, necessario intelligamus et alteram.

Hoc Gregorius Nyssenus absurdum, immo nefarium judicat ac plenissima disputatione confutat, negat, inquam, hoc quod Eunomius putabat verum esse, in unius consideratione ac notione proprietatis contineri involvique notionem alterius. Quod et alibi non minus diserte asserit [1], «genitum et ingenitum dicens magnam invicem significationis habere differentiam, aliquid enim in altero eorum nominum intelligi, quod non inest in altero. [b] » Item, nihil esse stultius, quam quod Eunomius consequens ex opinione sua facit, nullam peculiarem et distinctam ab altera notionem unicuique vocabulo quod Deo convenit, subjectam credere, sed omnia confundere, adeo ut nullum sit discrimen significationis, quo a se mutuo nomina discrepent. « Nam quis ita stupidus est, ait, ut ignoret divinam quidem naturam, quidquid tandem secundum essentiam est, esse unam et uniformem atque compositionis expertem, nec nullo modo in vana quadam compositione spectari, humanam vero animam humi jacentem et in terreno defossam corpore, quoniam non potest quod quæritur, liquido perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverse ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione quod latet indagantem [c] ? »

IX. Quod igitur unumquodque attributum non esse alterum Gregorius docuit, ut supra memini, id de cognitione illorum, vel attributis istis, qua notionibus subjecta sunt, non de iisdem, ut revera existunt et ex sese, loquitur, et non involvi unum in alio perspicue declarat. Nam et subinde proprietatum aliquot rationes ac differentias significationis explicans, admonet nequaquam ex illa divisione attributorum subjectum dividi, aut in partes secari, sed unum ac simplex in seipso manere. Hæc enim nomina varia imposuisse nos ait « non ita, ut cum notionibus istis subjectum discindamus pariter, sed ita ut illud quodcumque tandem est, unum esse credentes, iis omnibus notitiis quod intelligitur affine esse putemus. Non enim pugnant invicem nomina, ut est oppositorum natura, adeo ut si unum existat, cum eo considerari alterum nequeat, quemadmodum vita et mors in uno intelligi non possunt. Sed ejusmodi est singulorum quæ de divina natura dicuntur, vis et notio, ut etsi significato separatum sit, nullam tamen habeat contrarietatem adversus illud quod simul cum eo nominatur. Quid enim incorporeo justum adversatur, quamvis notione non conveniant invicem ista vocabula [d] ? »

Igitur attributa divina invicem separata intelliguntur a nobis, neque notionibus miscentur, tametsi unum alteri non repugnet. Quod adeo Græcis istis Patribus, Basilio et Gregorio, persuasum fuit, ut ex eorum sententia consectarium illud Eunomius inferret quod supra posui. Si ingenitum, verbi causa, diversam notionem habet ab immortali, qua

Attributa a nobis invicem separata considerantur.

a Greg. Ὡς γὰρ ἐν τῷ ἀγεννήτῳ βλέπει τὸ ἀτελεύτητον· οὕτως ὁμολογεῖ νενοηκέναι καὶ ἐν τῷ ἀτελευτήτῳ τὸ ἄναρχον.

b Greg. Τὸ δὲ γεννητὸν τῷ ἀγεννήτῳ πολλὴν κατὰ τὸ σημαινόμενον τὴν διαφορὰν ἔχει· τοῦτο γάρ ἐστιν ἐν τῷ ἑτέρῳ τῶν ὀνομάτων νοῆσαι ὃ ἐν τῷ ἄλλῳ οὐκ ἔστι.

c Id. Τίς ἀπόπληκτος οὕτως, ὡς ἀγνοεῖν, ὅτι ἡ μὲν θεία φύσις ὅ, τί ποτε κατ' οὐσίαν ἐστὶ μία ἐστὶν, ἁπλῆ τις, καὶ μονοειδὴς καὶ ἀσύνθετος, καὶ οὐδένα τρόπον ἐν ποικίλῃ τινὶ συνθέσει θεωρουμένη· ἡ δὲ ἀνθρωπίνη ψυχὴ χαμαὶ κειμένη, καὶ ἐν τῷ γηΐνῳ σώματι κατορωρυγμένη, τῷ μὴ δύνασθαι τηλαυγῶς καριδεῖν τὸ ζητούμενον, πολλαῖς ἐννοίαις τῆς ἀφράστου φύσεως πολυτρόπως, καὶ πολυμερῶς ἐπορέγεται, οὐ κατὰ μίαν τινὰ διάνοιαν τὸ κεκρυμμένον θηρεύουσα;

d Greg. Οὐ τὸ ὑποκείμενον ταῖς ἐννοίαις ταύταις συνδιασχίζοντες ἀλλ' ὅ, τί ποτε κατ' οὐσίαν ἐστὶν, ἓν εἶναι πεπιστευκότες πρὸς πάσας τὰς τοιαύτας ὑπολήψεις τὸ νοηθὲν οἰκείως ἔχειν ὑπειλήφαμεν· οὐ γὰρ μάχεται πρὸς ἄλληλα τὰ ὀνόματα κατὰ τὴν τῶν ἀντιθέτων φύσιν, ὡς εἰ τὸ ἓν ὑπάρχει, μὴ ἂν τῷ αὐτῷ συνθεωρηθῆναι τὸ ἕτερον· ὡς οὐκ ἐνδέχεται ζωὴν ἅμα, καὶ θάνατον περὶ τὸν αὐτὸν νοηθῆναι· ἀλλὰ τοιαύτη ἐστὶν ἑκάστου τῶν ἐπὶ τῆς θείας φύσεως λεγομένων ἡ ἔμφασις, ὥστε κἂν ἰδιάζῃ τῷ σημαινομένῳ, μηδεμίαν ἴσχειν πρὸς τὸ συνονομαζόμενον ἐναντίωσιν· τί γὰρ ἐναντιοῦται τῷ ἀσωμάτῳ τὸ δίκαιον, κἂν μὴ συμβαίνῃ κατὰ τὴν ἔννοιαν ἀλλήλοις τὰ ῥήματα.

(1) Greg. *contr. Eunomium*; lib. I, p. 304.

ingenitus est Deus, non erit immortalis; erit ergo mortalis, atque ita simul erit immortalis et mortalis. Cui quidem calumniæ dum sic Gregorius occurrit, ut quod notionibus inest, subdole ad res ipsas ut existunt in sese accommodari ab Eunomio dicat, non obscure docet notiones sic a se mutuo separatas esse, ut in una altera minime comprehendatur. Alioqui si involutas, ut quidam volunt, et complexas invicem notitias illas, vel ut notitiis subsunt, proprietates esse crederet, contra Eunomium excipere potuisset et vero debuisset, non sic ingenitum ab immortali sejunctum esse, ut diversis prorsus notionibus comprehendantur, sed involutas et implicatas invicem amborum esse notitias, ita ut qui de ingenito cogitet, simul et immortalem esse animo pertractet. Quo constituto, Eunomii cavillatio locum non haberet, quoniam ab ingeniti proprietate non abesset immortalitas, ut cum illo conjungi mortalitas posset. Atqui non ita respondet Gregorius, sed sic potius, ut proprietates et earum intelligentias distinctas a se mutuo ac disjunctas esse fateatur, quamvis reipsa unum aliquid sint. Quod est cogitatione vel ἐπινοίᾳ differre, vel ἰσχναῖς ἐπινοίαις aut λεπταῖς, ut Damascenus loquitur [1], hoc est *subtili consideratione ac ratione.*

X. Ita Titus Bostrensis in primo contra Manichæos [2]: « Etsi, inquit, non decet nominare in Deo qualitates, esse tamen prius est quodammodo cogitatione, quam talem esse. » Sic igitur essentia vel substantia cogitatione distincta est priorque proprietatibus, quæ qualitatum instar advenire ipsi, et eam afficere videntur, ut nostræ considerationi subsunt. Quod erudite sane contra eosdem Eunomianos Cyrillus exponit, quorum argumentationem in hunc modum concipit sibique objicit: « Ingenitum, inquiunt, nomen aut essentiam Dei ostendit, aut accidens ei aliquid significat. Accidens autem Dei substantiæ nullum inesse potest. Perfecta enim est ex seipsa. Ipsa ergo substantia Dei significatur ingeniti nomine. Et si quis alius hoc novit, noverit omnino Deum, ut ille seipsum [a]. » Huic Cyrillus sic respondet, ut concedat « nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in seipsa perfecta est. Sed tamen cogimur, inquit, nonnunquam quasi accidentia, etiamsi non omnino accidant Deo, hæc dicere, et mente accidentium modo concipere [b]. » Tum « Si igitur multa hujusmodi sunt quæ quasi accidisse Deo videntur, cur frustra contenditis nullo modo ingenitum accidere Deo dici posse, quin multa in essentia ejus quasi accidentia esse conspiciantur [c]? » Mox vero nomina illa quæ proprietates et attributa significant, non ipsam significare substantiam ait « ne ex tot substantiis compositus sit, quotquot erunt quæ naturaliter sibi adesse videntur [d]. » Ex quo ita concludit, « non omnia ergo quæ in Deo sunt et de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur ut voce modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Non enim potest humana natura majus aliquid quam ipsa sit de Deo dicere. Nostro enim proprio modo intelligimus et loquimur ex iis quæ in nobis sunt, majorum exempla sumentes, ut qui in parva tabula cœlestem describunt circulum [e]. » Manifestum est autem ex hac Cyrilli disputatione, proprietates divinas sic a nobis intelligi, ut non invicem permistæ sint earum notitiæ. Alioqui non esset consequens illas ideo substantiam minime significare, ne tot substantiæ in Deo

a Cyr. 31. *Thesaur.* Τὸ ἀγέννητος ὄνομα, φασὶν, ἤ τι παραστατικὸν τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ νοηθήσεται, ἢ σημαίνει τι τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ· ἀλλὰ μὴν οὐδὲν τῇ θείᾳ συμβέβηκεν οὐσίᾳ· τελεία γὰρ ἐξ ἑαυτῆς· τὸ ἀγέννητον ἄρα τῆς οὐσίας ἔσται δηλωτικόν· καὶ εἴ τις ἕτερος τοῦτο εἰδείη, εἴσεται πάντως Θεὸν, ὡς αὐτὸς ἑαυτόν.

b Σοφὸν μὲν τὸ λέγειν μηδὲν ἐπισυμβαίνειν τῇ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ, διὰ τὸ ἔχειν αὐτὴν ἐξ ἑαυτῆς τὸ εἶναι τελείαν· ὁρῶμεν δὲ ὅτι πολὺς ἡμᾶς ἀναγκάζει λόγος, ὡς συμβεβηκότα τὰ τοιαῦτα νοεῖν ἐπὶ Θεοῦ, καὶ εἰ μὴ πάντως συνέβη.

c Ibid. Εἰ τοίνυν νοεῖταί τινα τῶν πραγμάτων ὡς ἐπισυμβεβηκότα Θεῷ, τί μάτην περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἐπισυμβεβηκέναι λέγειν τῷ Θεῷ τὸ ἀγέννητον διατείνεσθε, ἐν τῷ τοιῷδε σχήματι φαινομένων τινῶν τῶν ὅσα περ ἐστὶ κατ' οὐσίαν αὐτῷ;

d Εἰ μὲν οὖν ἕκαστον οὐσίαν σημαίνειν, ἐκ τοσούτων ὑμῖν οὐσιῶν ὁ ἁπλοῦς συγκείσεται Θεὸς, ὅσα περ ἂν αὐτῷ φυσικῶς προσόντα φαίνηται.

e Ibid. Εἰ τοίνυν οὐχ ὅσα προσεῖναι λέγεται κατὰ φύσιν τῷ Θεῷ, ταῦτα πάντως ἔσται αὐτοῦ καὶ οὐσία, λείπεται λέγειν αὐτὰ τῇ οὐσίᾳ συμβεβηκότα μέχρι μόνης φωνῆς οὕτω νοούμενα· οὐκ ἔχει γὰρ ἡ ἀνθρώπου φύσις μεῖζόν τι τῶν καθ' ἑαυτὴν λέγειν ἐπὶ Θεοῦ· διὸ δὴ τοῖς ἰδίοις ἔθεσιν ἐπ' αὐτοῦ κεχρήμεθα τὰ καθ' ἑαυτοὺς μειζόνων ὑπόδειγμα ποιούμενοι· ὥσπερ οἱ ἐν μικρῷ πίνακι τὸν οὐράνιον καταγράφοντες κύκλον. Vide etc. p. 266.

1 Lib. IV. c. III et VIII. — Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 881. A.

esse putentur quot nomina sunt, nisi hæc ipsa nomina notionibus disparata essent invicemque sejuncta. Deinde cum pro modulo nostro, et ex iis quæ insunt nobis cogitari intelligique ista dicat; profecto separatas earum intelligentias esse demonstrat : ejusmodi sunt enim quas de nobis, et iis quæ nobis insunt, formare consuevimus.

XI. Qua in re Cyrillus consentientes habet sibi cæteros Patres, qui proprietates personales velut formas et accidentes quasdam substantiæ ac naturæ qualitates esse docent, ita ut ex ambobus, natura scilicet et proprietate, hypostasis sive persona, more intelligendi nostro, composita sit, ut libro tertio demonstravimus. Sic enim Basilius : « Proprietates personales characteres seu notas, ac formas esse ait, quæ ad substantiam consideratione nostra additæ, quod commune est, propriis notis ita dividunt ut substantiæ cognationem nequaquam dirimant [a]. »

Essentiam ab personam.

Tum Græci passim omnes ac Latini etiam haud pauci οὐσίαν ab ὑποστάσει sic differre asserunt, uti quod commune est a particulari, nimirum uti homo a Socrate. Hæc autem differentia rationis est, ac diversas notiones affert. Quod egregie Damascenus inter alios enarrat qui aliud esse dicit « secundum rem ipsam considerare aliquid, aliud ratione et intelligentia. In creatis enim omnibus hypostaseon differentiam reipsa constare. Nam reipsa Petrus separatus a Paulo consideratur. Communio vero et naturæ conjunctio et unum ratione et intelligentia spectatur. Quippe Petrum ac Paulum ejusdem esse naturæ, mente intelligimus ac naturam habere communem, eaque communis natura ratione consideranda est [b]. In Deo autem secus res habet. « Ibi enim quod commune est et unum, reipsa consideratur, ratione vero quod divisum est. Siquidem unus omnino Deus a nobis agnoscitur [c]. »

Essentiam et personam.

Ex hoc fonte Joannes Latinorum theologus in Florentino concilio, et Bessario cardinalis discrimen illud hauserunt quod inter οὐσίαν et ὑποστάσιν constituunt [1]. « Nos dicimus, ait Joannes Græcorum interrogationi respondens, substantiam et personam vel hypostasim idem esse reipsa, ac differre secundum modum nostræ intelligentiæ, adeo ut constet persona e substantia et proprietatibus. Nunc igitur quoniam cogitatione distinguuntur sive ratione, hæc substantia communicatur personis, verum proprietates nullo modo communicant [d]. »

Hoc sensu videtur Hugo Etherianus a persona discernere personæ proprietatem, cum ita scribit [2] : « Propterea non puto dandum esse quod insignitiva proprietas persona sit quam insignit et circa quam consistit, ut character circa substantiam, secundum quod persona constitutionem habet. Conjuga tamen personæ talis semper proprietas est, immutabilem cum ipsa subsistentiam sortita. » Augustinus vero utramque causam simul reddit [3], cur sapiens bonus, etc., dicatur Deus : « Sic habet, inquit, sapientiam, ut ipse sit sapientia faciatque sapientes. Sic habet vitam, ut ipse sit vita faciatque viventes. »

XII. Quibus ex Hugonis verbis recens quidam theologus conjicit [4], illum in eadem cum Gilberto fuisse sententia. Sed non satis idoneam conjecturæ suæ rationem habet. Neque enim capitalius est personalem proprietatem dicere non esse personam, quam quod Patres illi quos paulo ante attuli uno ore prædicant, bonitatem, aut sapientiam, aut etiam personales istas proprietates non esse substantiam. Ut cum Basilius stultum esse dicit, affirmare providentiam vel creandi facultatem esse ipsam οὐσίαν, aut cum unam proprietatem non esse alteram docent iidem, quod ad ἐπίνοιαν et *men-*

Essentiam

a Basil. *cont. Eunom.* lib. II. Αἱ γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ διαιροῦσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι· τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσι.

b Damasc. lib. I, c. xi. Χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι ἕτερόν ἐστί τὸ πράγματι θεωρεῖσθαι, καὶ ἄλλο, τῷ λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ· ἐπὶ μὲν οὖν πάντων τῶν κτισμάτων, ἡ μὲν τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις πράγματι θεωρεῖται· πράγματι γὰρ ὁ Πέτρος τοῦ Παύλου κεχωρισμένος θεωρεῖται· ἡ δὲ κοινότης, καὶ ἡ συνάφεια, καὶ τὸ ἓν λόγῳ, καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται· νοοῦμεν γὰρ τῷ νῷ, ὅτι ὁ Πέτρος, καὶ ὁ Παῦλος τῆς αὐτῆς εἰσί φύσεως, καὶ μίαν ἔχουσι φύσιν· αὕτη γοῦν ἡ κοινὴ φύσις λόγῳ ἐστὶ θεωρητή.

c Id. Ἐκεῖ γὰρ τὸ μὲν κοινὸν, καὶ ἓν πράγματι θεωρεῖται, etc. ἐπινοίᾳ δὲ τὸ διῃρημένον· ἕνα γὰρ Θεὸν γινώσκομεν, etc.

d Flor. concil. sess. 18, p. 113. Ἡμεῖς δὲ λέγομεν ὅτι ἡ οὐσία, καὶ τὸ πρόσωπον, ἢ ὑπόστασις, εἰσί ταὐτὸν κατὰ τὸ πρᾶγμα, καὶ διαφέρουσι κατὰ τὸν τρόπον τῆς ἡμετέρας νοήσεως· οὕτως ὥστε ὑφίστασθαι τὸ πρόσωπον ἀπὸ τῆς οὐσίας, καὶ τῶν ἰδιωμάτων· νῦν οὖν ἐπειδὴ διαστέλλονται κατ' ἐπίνοιαν, ἢ κατὰ λόγον, αὕτη ἡ οὐσία κοινοῦται τοῖς προσώποις, ἀλλὰ τὰ ἰδιώματα κατ' οὐδένα τρόπον κοινωνοῦσι.

1 In lib. *Dogm.* cap. vi. — 2 Lib. III, cap. ii. *in fine.* — 3 Trac. 48 *in Joan.* — 4 Ruis disp., 11. *de Trinitate*, sect. 1. d. 15.

tis cogitationem considerationemque revocari debet, in qua ista sunt distincta, sic ut unum non esse alterum sine reprehensione dici possit, quemadmodum Augustinus « substantiam Patris ipsum esse Patrem ait, non quo Pater est, sed quo est [1]. » Non dicit quo Pater esse cogitatur, sed quo est Pater, in quo tamen illud intelligitur : quia revera et in sese, substantia Patris idipsum est quo Pater est, sed alio modo est in consideratione nostra. Ideo ut a nobis mente percipitur, non id est substantia Patris quo Pater est, sicut proprietas personalis non est ipsa persona, quoniam hæc præter proprietatem, naturam insuper ac substantiam complectitur, et ex utroque coalescit. Itaque *ratione* ac τῇ ἐπινοίᾳ differunt.

Quocirca Gregorius Nazianzenus [2] adversus eosdem hæreticos disputans qui se divinam essentiam comprehendere eo ipso jactabant, quod ejus proprietatem aliquam intelligerent, negat id esse satis nisi subjectum ipsum circa quod versantur ista, perspectum habeas. Quippe amplitudinem Dei, ait Basilius apud Joannem Cyparissiotum « et potentiam ac sapientiam, tum bonitatem et providentiam qua nos procurat, et justitiam judicii ejus dicimur cognoscere, non autem ipsam substantiam [3]. » Hæc enim ratione distincta sunt, ac suas et proprias notiones habent.

Rursus Gregorius idem Nazianzenus attributas Deo proprietates ab essentia differre, oratione XXXV demonstrat adversus illos ipsos Anomœos. Nam ex horum rationibus id esse consequens asserit « immortalitatem, innocentiam et immutabilitatem esse Dei essentiam. Ac si ita est, plures erunt essentiæ Dei non una tantum, aut compositus ex illis erit Deus. Non enim citra compositionem hæc esse queunt, si sunt essentiæ [a]. »

XIII. Valent ad eamdem notionum approbandam illustrandamque differentiam certæ loquendi proprietates ab antiquis adhibitæ, quas subabsurdas minus fortasse periti judicabunt. Cujusmodi est illa, Patrem qua Pater est non esse Deum. Quam auctor dialogi primi contra Macedonianos usurpat. Cum enim hæreticus objiceret : « Si Deus est Spiritus sanctus, fore Patrem, vel Filium, alioqui Deum non esse [b], » sic ei respondet, sumi hoc ab illo tanquam concessum : « Patrem ideo esse Deum quia Pater est, et Filium ideo esse Deum quia Filius est [c]. » Hoc autem minime esse verum, quia si ideo Pater Deus est, quoniam est Pater, Filius non erit Deus qui non est Pater. Itaque aliam esse significationem vocabuli ὁ Θεὸς, aliam Patris illud naturam demonstrare vel intuentem omnia vel permeantem, hoc vero habitudinem ac relationem. Notionum differentiæ illustrantur.

Huic suppar est illud Cyrilli in fragmentis libri VII et VIII in *Joannem* : « Patrem, non quia Pater est, facere miracula, sed quia natura Deus est. Item Filium, non quia Filius est, sed ut Deus est ex Deo, posse et ipsum Patris opera facere [d]. » Tum Gregorius Nyssenus prorsus similiter atque auctor ille dialogi, dum tres non esse Deos probat, hoc est « non alium atque alium esse Deum, ratione hac utitur, quod Pater eatenus non est Deus, qua differentiam a Filio servat. Alioqui Filius non esset Deus. Nam si ideo quia Pater est Pater, idem Pater Deus est, cum Filius non sit Pater, non erit Deus Filius. Quod si Filius est Deus non quia Filius est, similiter et Pater non quia Pater, Deus est, sed quia talis est substantia, unus est Deus Pater et Filius [e], » Sic Basilius in primo adversus Eunomium : « Manifestum est, ait, ex dictis in Patre ac Filio nomina ipsa non significare substantiam [f], sed proprietates

a Gregor. Naz. orat. 35. Ἢ καὶ τὸ ἀθάνατον, καὶ τὸ τὸ ἄκακον καὶ τὸ ἀναλλοίωτον, οὐσία Θεοῦ· ἀλλ' εἰ τοῦτο, πολλαὶ οὐσίαι Θεοῦ, καὶ οὐ μία· ἢ σύνθετον ἐκ τούτων τὸ θεῖον· οὐ γὰρ ἀσυνθέτως ταῦτα, εἴπερ οὐσία.

b Athan. dial. I. *con. Maced.* Εἴ ἐστι Θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔστι πατὴρ, ἢ υἱός· εἰ δὲ μὴ, οὐ Θεός.

c Ibid. Ὡς τοῦ πατρὸς διὰ τοῦτο ὄντος Θεοῦ, ἐπειδὴ πατήρ ἐστι· καὶ ὡς τοῦ υἱοῦ διὰ τοῦτο ὄντος Θεοῦ, ἐπειδὴ ὁ υἱός ἐστι.

d Cyr. Ἐπεὶ δὲ ὁ πατὴρ, οὐκ ἐπειδὴ πατήρ ἐστί, ποιεῖ τὰ θαύματα· ἀλλ' ἐπειδὴ Θεός ἐστί φύσει, καὶ ὁ υἱὸς ἄρα, οὐκ ἐπειδὴ υἱὸς, ἀλλ' ὡς Θεὸς ἐκ Θεοῦ, δύναται καὶ αὐτὸς τὰ τοῦ πατρὸς ἔργα ποιεῖν.

e Greg. Nyss. lib. *de Comm. notion.* Διὰ τὸ μὴ ἕτερον καὶ ἕτερον εἶναι Θεόν· οὐ γὰρ καθὸ τὴν ἑτερότητα σώζει πατὴρ πρὸς υἱὸν, καθὰ τοῦτο Θεὸς ὁ πατήρ· οὕτω γὰρ οὐκ ἂν Θεὸς ὁ υἱός· εἰ γὰρ ἐπεὶ πατὴρ ὁ πατὴρ, διὰ τοῦτο καὶ Θεὸς ὁ πατήρ· ἐπεὶ μὴ πατὴρ ὁ υἱὸς, οὐ Θεὸς ὁ υἱός· εἰ δὲ Θεὸς ὁ υἱὸς, οὐκ ἐπεὶ υἱός· ὁμοίως καὶ ὁ πατὴρ, οὐκ ἐπεὶ πατὴρ, Θεός· ἀλλ' ἐπεὶ οὐσία τοιάδε, εἷς ἐστι πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, Θεός.

f Basil. Φανερὸν τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι καὶ ἐπὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, οὐχὶ οὐσίαν παρίστησι τὰ ὀνόματα, ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων ἐστί δηλωτικά· ὥστε μηδεμίαν εἶναι χώραν τῷ λόγῳ, ἐκ τῆς τῶν ὀνομάτων παραλλαγῆς τὴν τῶν οὐσιῶν ἐναντίωσιν παρεισάγοντι.

1 Lib. VII. *De Trinit.* cap. VI. 2 Orat. 34. — 3 Decade 3. cap. IV.

exprimere, adeo ut nullus huic sermoni relinquatur locus qui ex nominum varietate contrarias substantias inducit. » De iis autem quæ proprie attributa nominantur, ad ea quæ superius ex antiquis Patribus adducimus, unum ex Gregorio Nazianzeno adjungemus locum qui in oratione XXXVIII simplicitatem, quæ est Dei proprietas, non esse substantiam ejus affirmat [a].

CAPUT X.

De distinctione illa quæ κατ' ἐπίνοιαν, *id est* secundum cogitationem *dicitur. Eam interdum realem constitui, atque ita divinas personas et naturas in Christo duas hoc modo discerni. Alias autem solius differentiam rationis et intelligentiæ significare, quod variis antiquorum locis adstruitur. Hujus item secundæ differentiæ alias esse species majores et minores. Explicatur uberius attributorum distinctio.*

Cogitationis

1. Sed ut certius nobis ac liquidius veritatis ratio constet, de illo ipso quod Græcis theologis accepimus τῆς ἐπινοίας discrimine, quædam expromenda sunt, quorum id est præcipuum, non unum illius esse gradum ac genus, sed aliud alio esse majus, ac nonnunquam sic a veteribus differentiam illam quæ est κατ' ἐπίνοιαν adhiberi, ut eadem et in re sit, quam in scholis *realem* nominant. Quæ res profecto ne ambiguitate fallat, ante est animo providenda.

Secundum cogitationem.

Ac sunt plerique qui divinas personas, quas reipsa distinctas esse nemo catholicus ignorat, τῇ ἐπινοίᾳ differre sentiunt, hoc est *intellectu et mentis cogitatione.* Ut Cyrillus Alexandrinus : « In hujusmodi, inquit, separari quidem quodammodo cogitatione videtur gignens ab eo quod gignitur et sine ulla divisione prodit, unum tamen est natura et idem utrumque, nec ullo modo alterum est sine altero [b]. » Et alio in loco idem repetens, illustrat exemplo splendoris quem lucidum corpus emittit : « Ut igitur splendor exempli gratia in eo est quod splendorem emittit, et ex eo atque ab eo diversum quiddam cogitatione, et rursus non diversum [c], etc. » Ita Gregorius Nazianzenus oratione XIII, Trinitatis « personam unamquamque, si separatim consideretur, esse Deum asserit, mente videlicet ea quæ separari nequeunt separante [d]. »

Differentia secundum cogitationem sæpe realis significatur.

Sophronius item Hierosolymitanus patriarcha peræque pius ac doctus in erudita illa epistola quam ad Sergium scripsit, quæ est in actione XI synodi sextæ : « Atque ut Deus, inquit, idem existit unumquodque, si per se consideretur, mente quæ separari nequeunt separante [e]. »

Cogitation vel intellectu

Interdum etiam naturas quæ sunt in Christo duæ, itidem τῇ ἐπινοίᾳ vel νοήσει discriminant, quæ tamen reipsa differunt. Basilius in quarto adversus Eunomium : « In his, inquit, omnibus non duo dicimus, Deum seorsim et hominem seorsim (nam unus erat), sed cogitatione naturam cujuslibet cogitamus [f]. » Quem locum citat Euthymius) in *Panopliæ* parte prima titulo XI. Sic in epistola synodica ad Paulum Samosatenum Patres illi qui Antiochiæ convenerant : « Christum, qua Christus est, unum et idem aiunt esse substantia, quamvis pluribus notionibus cogitetur [g]. » Ubi οὐσίαν pro ὑποστάσει id est persona sumpserunt.

Essentia pro persona.

Sic Agatho papa in *Epistola ad imperatores,* quæ est in actione IV sextæ synodi, naturas easdem duas unitas, « sola intelligentia discerni [h] » ait. Eulogius item Alexandrinus patriarcha apud Photium codice CCXXX naturas illas Cyrillo refert [i] « subtilibus cogitationibus

a NAZ. Οὐ γὰρ δὴ τοῦτο φύσις αὐτῷ ἡ ἁπλότης.

b CYR. 1. *Joan.* Ἐν γὰρ τοῖς τοιούτοις χωρίζεσθαι μὲν πως ἐπινοίᾳ δοκεῖ τὸ γεννῶν τοῦ γεννωμένου, καὶ προεκκύπτοντος ἀμερίστως. Ἓν δέ ἐστι καὶ ταυτὸν τῇ φύσει τὸ συναμφότερον, καὶ δίχα τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον οὐδαμῶς.

c Id. lib. III. Ὥσπερ οὖν καὶ τὸ ἀπαύγασμα τυχὸν ἐν τῷ ἀπαυγάζοντι, καὶ ἐκ τοῦ ἀπαυγάζοντος, καὶ ἕτερόν τι κατά γε τὸν ἐν νοήσει λόγον, καὶ πάλιν οὐχ ἕτερον, etc.

d NAZIAN. orat. 13. Θεὸν ἕκαστον, ἂν θεωρῆται μόνον, τοῦ νοῦ χωρίζοντος τὰ ἀχώριστα.

e SOPHRON. Καὶ ὡς μὲν Θεὸς, τὸ αὐτὸ καθέστηκεν ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ θεωρούμενον, τοῦ νοῦ χωρίζοντος τὰ ἀχώριστα.

f BASIL. 4 *cont. Eunom.* Ἐν πᾶσι δὲ τούτοις οὐ δύο λέγομεν, θεὸν ἰδίᾳ, καὶ ἄνθρωπον ἰδίᾳ (εἷς γὰρ ἦν) ἀλλ' κατ' ἐπίνοιαν τὴν ἑκάστου φύσιν λογιζόμενοι.

g Tom. I. *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* Οὕτω καὶ καθὸ Χριστὸς, ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ ὢν τῇ οὐσίᾳ· εἰ καὶ τὰ μάλιστα πολλαῖς ἐπινοίαις ἐπινοεῖται.

h AGATHO, p. 35. t. V. *Concil.* Μόνῃ νοήσει τὰ ἡνωμένα διακρίνοντες διὰ τὴν τῆς συγχύσεως δηλαδὴ πλάνην.

i Eulog. apud Phot. cod. 229. Ἀλλ' ἐπειδὴ, ὡς ὁ μακάριος Κύριλλός φησιν, ἐν ἰσχναῖς διαιροῦντες ἐννοίαις, ἤ τοι νοῦ φαντασίαις, τῷ τρόπῳ τῆς θεωρίας, ἑκατέρας φύσεως ὁρῶμεν ἰδίᾳ, καὶ καθ' ἑαυτὰ γνωρίσματα, etc. ἢ καὶ, ὡς ὁ Θεολόγος Γρηγόριος, ἡνίκα αἱ φύσεις διΐστανται ταῖς ἐπινοίαις.

discerni, sive mentis imaginationibus, » ab Gregorio vero Nazianzeno ταῖς ἐπινοίαις, id est *considerationibus*. Cyrilli locus ex epistola secunda *ad Successum* plenius ab Ephræmio Antiocheno citatus et explicatus habetur apud Photium, ex quo ille docuit ambas illas naturas similiter distingui atque in homine corpus et animam. « Etenim duas, inquit, naturas in homine consideramus, unam animæ, alteram corporis. Verum nudis cogitationibus distinguentes ac velut subtilibus considerationibus sive mentis imaginationibus discrimen accipientes, neutiquam seorsim naturas ponimus[a]. » De hoc Cyrilli loco diligentius agendum erit in exponenda divini Verbi incarnatione. Nunc quod instituimus ex eo demonstrare volumus, differentiam illam quæ est κατ' ἐπίνοιαν, nonnunquam eamdem et τῷ πράγματι, id est *realem* esse. Sed idcirco *cogitationis* esse dici, quia res hoc modo distinctæ non sunt invicem disjunctæ, neque separatæ consistunt. Quod in Trinitate personarum, in Christo naturarum ἡ περιχώρησις facit, de qua suo loco dicetur [1].

...reumin-essio.

II. Gregorii Thaumaturgi locus ille potest explicari, et ab omni Arianæ perfidiæ suspicione eximi, quem Basilius epistola LXII refert ex fidei illius expositione et disputatione adversus Ælianum, in qua scripsit : « Patrem et Filium cogitatione quidem esse duos, hypostasi vero unum [b]. » Hanc Gregorii sententiam a Sabellii fautoribus arreptam, et enixe commendatam esse Basilius ibi queritur, et eamdem exponere conatur, atque ab illorum pravitate et erroris invidia vindicare. Quod ut dicit, *dogmatice* ista non scripserit « sed disputantis more [c]. » Deinde quod « cum gentili homini persuadere vellet, non se putavit de verbis esse oportere sollicitum, sed nonnihil interdum ex iis, quibus consueverat illi quocum agebat remittere, ne adversus ea quæ momenti erant majoris, obfirmaret animum [d]. » Potuit longe firmior et probabilior excusatio esse Dionysii, si quod ad ἐπίνοιαν attinet, id quod ille ipse docuit, Basilius attenderet, etiam naturas in Christo duas quæ reipsa differunt, dici τῇ ἐπινοίᾳ distinctas, quod de divinis quoque personis usurpant alii. Nam quod ad ὑπόστασιν spectat, recte et ex antiqua notione vocabuli istius, dixit Gregorius unam trium hypostasim esse, hoc est, essentiam. Verum Basilius qui hoc plane persuasum habebat, ὑπόστασιν nihil aliud quam *personam* significare, magis de hac ipsa voce purgandum Dionysium sibi duxit, quam de ἐπινοίᾳ, et de utraque id attulit quod modo commemoravi. Sed in neutra titubat illius fides et existimatio, immo catholicum illud est dictum, et ab imperitis linguæ suæ et antiquitatis hæreticis perperam ad usum sui erroris assumptum. Vide quæ de hypostasi, et Basilii sententia diximus in quarto *de Trinitate* [2].

Cogitationem.

Cogitatione

Hypostasim

Mentis consideratione.

Nam quod ad ἐπίνοιαν attinet, præter illos quos in medium adduxi, Methodius insuper audiendus est, cujus egregius est locus et dignus omnino qui hic legatur ex libro *de Resurrectione*, cum de animæ separatione agit a corpore. « Quoniam, inquit, in morte forma separari dicitur a carne, age quod separatur, quot modis separari dicitur videamus. Dicitur ergo separari aliquid ab altero vel actu et subsistentia, vel cogitatione, vel actu sed non subsistentia. Ut si triticum quis et hordeum admista separet ab se invicem, ea quatenus motu separantur, actus ibi esse dicitur. Ut autem separata subsistunt, subsistentia separar dicuntur. Cogitatione porro cum materiam a qualitatibus segregamus, et qualitates a materia. Actu vero, non tamen subsistentia, quando aliquid ab altero separatum non amplius existit, subsistentiam non habens essentiæ [e]. » Ibi differentia ἡ κατά τὴν ἐπίνοιαν, rei

Secundum cogitationem.

a Ephræm. apud Phot. cod. 229. Δύο μὲν γὰρ καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοοῦμεν τὰς φύσεις, μίαν μὲν τῆς ψυχῆς, ἑτέραν δὲ τὴν τοῦ σώματος· ἀλλ' ἐν ψιλαῖς διελόντες ἐννοίαις, καὶ ὡς ἐν ἰσχναῖς θεωρίαις, ἤτοι νοῦ φαντασίαις, τὴν διαφόραν δεξάμενοι, οὐκ ἀνὰ μέρος τίθεμεν τὰς φύσεις.

b Greg. Thaum. apud Basil. Ὡς ἄρα Γρηγορίου εἰπόντος ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα, καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ, ἕν.

c Basil. Τοῦτο δὲ, ὅτι οὐ δογματικῶς, εἴρηται, ἀλλ ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει.

d Ibid. Ἔπειτα μέντοι τὸν Ἕλληνα πείθων, οὐχ ἡγεῖτο χρῆναι ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τὰ ῥήματα· ἀλλ' ἐστίν ὅπη καὶ συνδιδόναι τῷ ἔθει τοῦ ἐναγομένου, ὡς ἂν μὴ ἀντιτείνοι πρὸς τὰ καίρια.

e Method. apud Phot. cod. 234. Ἐπεὶ δὲ λέγεται ἐν τῷ θανάτῳ τὸ εἶδος χωρίζεσθαι ἀπὸ τῆς σαρκὸς, φέρε τὸ χωριζόμενον ποσαχῶς λέγεται χωρίζεσθαι, ἐπισκεψώμεθα· λέγεται τοίνυν χωρίζεσθαί τι ἀπό τινος ἢ ἐνεργείᾳ, καὶ ὑποστάσει· ἢ ἐπινοίᾳ· ἢ ἐνεργείᾳ μὲν, οὐ μὴν κα ὑποστάσει, ὡς εἰ πυρούς τις, καὶ κριθὰς μεμιγμ ένα χωρί

1 Lib. IV, *de Trinit.*, cap. XVI. — 2 Cap. I, n. 6.

est a re, non tamen ut separatim ambæ subsistant.

Sic Ammonius elegantissimus philosophus in prolegomenis ad librum Porphyrii de quinque vocibus, philosophiam quæ θεωρητικὴ id est *contemplatrix* dicitur, trifariam partitur, in theologiam, mathematicam, et physiologiam, eo quod rerum quæ sunt, tria sunt genera. Nam « alia penitus a materia separantur tam subsistentia, quam cogitatione, ut divina. Alia separari nullo modo possunt a materia, neque subsistentia neque cogitatione, ut naturales et materiales formæ [a]. » Alia denique etsi reipsa separari nequeunt, cogitatione tamen separantur, ut mathematicæ figuræ. Vide Cyrillum Alexandrinum in libro octavo *Thesauri*.

Cogitatio. III. Basilius in primo libro adversus hæreticum Eunomium quid ἐπίνοια sit exponens, multa esse in rebus ait quæ prima specie contemplantibus esse simplicissima videntur, postea tamen attentius spectata, varia et multiplicia cernuntur. « Itaque cum mente dividantur, sola cogitatione divisibilia esse dicuntur. Quemadmodum corpus simplex quidem esse primus occursus renuntiat, at multiplex idem percurrens ratio demonstrat, quæ cogitatione ipsum dissolvit in ea ex quibus componitur, colorem, figuram, duritiem, et magnitudinem, ac reliqua [b]. » Hæc autem accidentia tam a subjecto quam a se mutuo non ratione utique sola et cogitatione, sed reipsa differunt. Cyrillus Alexandrinus libro tertio in *Joannem* capite V cum splendido corpore ac splendore Patrem Filiumque comparans ait : ambos « diversum aliquid esse cogitatione, ac rursus non esse diversum, eo quod Filius, ut et splendor, ille ex Patre, hic e corpore splendido esse. et in ipso esse dicitur [c]. » Quod ad περιχώρησιν referendum est, de qua alibi dicetur. Idque Sophronius recte in epistola declarat dum ait : « Quamlibet personam qua Deus est, idipsum existere per sese consideratum, dum mens quæ separari nequeunt dirimit [d]. » Circumincessionem.

Maxentius quoque « Patrem et Filium et Spiritum sanctum non reipsa, sed cognitione tantum ab invicem discerni » ait [1], quos tamen constat *reali* ut vocant discrimine cum maxime invicem differre. Rursus idem ex eo quod personæ illæ tres « non in divisione sed in unitate subsistunt, concludit, non omnia quæ secundum cognitionem numerantes discernimus, etiam rebus ipsis dividi. Quia nec cum carnis et animæ duas pronuntiamus diversasque naturas, unum hominem in duo dividimus, quem non rebus, sed cognitione discernimus. Alioquin dividant primo si possint non solum intellectu, sed etiam rebus a splendore calorem, et calorem a sole, tunc eorum poterit hæc stulta sententia stabiliri. Quod si hoc facere nequeunt, cedant veritati, et duas nobiscum in Christo profiteantur esse naturas, qui eas non rebus ipsis dividimus, sed cogitatione tantum discernimus et probamus. » Perspicuum est differentiam illam quæ κατ' ἐπίνοιαν a Græcis, ab illo vero *secundum cognitionem* vel *cogitatione* vel *intellectu* dicitur, latius sumi quam ut sola ratione vel intelligentia constet. Siquidem non modo personæ tres, ut dixi, etiam naturæ in Christo duæ, anima item et corpus in homine, non sola ratione, sed reipsa differunt : quia tamen separata non existunt vel absolute, vel ut in eo sunt in quo subsistunt, ideo non reipsa dividi,

σειεν ἀπ' ἀλλήλων· ᾗ μὲν γὰρ κατὰ κίνησιν χωρίζεται, ἐνέργεια λέγεται· ᾗ δὲ χωρισθέντα ὑφέστηκεν, ὑποστάσει λέγεται κεχωρίσθαι· ἐπινοίᾳ δὲ, ὅταν τὴν ὕλην ἀπὸ τῶν ποιοτήτων χωρίζωμεν, καὶ τὰς ποιότητας ἀπὸ τῆς ὕλης. ἐνεργείᾳ δὲ, οὐ μὴν καὶ ὑποστάσει, ὅταν χωρισθέν τι ἀπό τινος μηκέτι ὑπάρχοι, ὑπόστασιν οὐσίας οὐκ ἔχον.

a AMMON. Τὰ μὲν γὰρ τῶν πραγμάτων παντάπασίν ἐστι χωριστά τῆς ὕλης, καὶ τῇ ὑποστάσει, καὶ τῇ περὶ αὐτῶν ἐπινοίᾳ, οἷά ἐστι τὰ θεῖα· τὰ δὲ παντάπασιν ἀχώριστα τῆς ὕλης καὶ τῇ ὑποστάσει, καὶ τῇ περὶ αὐτῶν ἐπινοίᾳ· οἷά ἐστι τὰ φυσικὰ καὶ ἔνυλα εἴδη:

b BASIL. 1. *cont. Eunom.* Ὁρῶμεν τοίνυν ὅτι ἐν μὲν τῇ κοινῇ χρήσει, τὰ ταῖς ἀθρόαις ἐπιβολαῖς τοῦ νοῦ ἁπλᾶ δοκοῦντα εἶναι, καὶ μοναχὰ, ταῖς δὲ κατὰ λεπτὸν ἐξετάσεσι, ποικίλα φαινόμενα καὶ πολλά; ταῦτα τῷ νῷ διαιρούμενα, ἐπινοίᾳ μόνῃ διαιρετὰ λέγεται· οἷον τὸ σῶμα ἁπλοῦν μὲν εἶναι φησιν ἡ πρώτη ἔντευξις· ποικίλον δὲ ὁ λόγος ἐπιὼν δείκνυσι, τῇ ἐπινοίᾳ αὐτὸ εἰς τὰ ἐξ ὧν σύγκειται διαλύων, καὶ χρῶμα, καὶ σχῆμα, καὶ ἀντιτυπίαν καὶ μέγεθος, καὶ τὰ λοιπά.

c CYRIL. Ὥσπερ οὖν καὶ τὸ ἀπαύγασμα τυχὸν, ἐν τῷ ἀπαυγάζοντι, καὶ ἐκ τοῦ ἀπαυγάζοντος, καὶ ἕτερόν τι κατά γε τὸν ἐν νοήσει λόγον, καὶ πάλιν οὐχ ἕτερον ὡς πρὸς αὐτὸ θεωρούμενον, διὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ λέγεσθαι, καὶ ἐν αὐτῷ πάλιν ὑπάρχειν.

d SOPHR. act. 11. syn. sext. Καὶ ὡς μὲν Θεὸς τὸ αὐτὸ καθέστηκεν ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ, θεωρούμενον, τοῦ νοῦ χωρίζοντος τὰ ἀχώριστα.

1 Lib. *cont. Acep*. IV, *Biblioth. Patrum*, col. 461.

hoc est a semutuo divelli, sed sola cognitione putat.

s diffe- a cogi- nis non s signi- atur.

IV. Alias autem τῆς ἐπινοίας, *cogitationis* differentiam non rei, sed rationis solius constituunt. Certe Basilius in eodem illo loco ἐπινοίας, hoc est, subtilioris accuratiorisque considerationis exemplum sumit e frumento, quod cum unum aliquid ac simplex videatur, in multiplicium tamen est notionum ambitu. « Velut frumenti simplex quidem inest in omnibus notio, qua simul atque oculos incurrerit, illud agnoscimus. Adhibita vero diligentiore illius examine, plurium occurrit consideratio appellationesque variæ quibus res cogitatæ significantur. Nam idem frumentum modo fructum vocamus, modo semen ac rursus alimentum. Fructum quidem tanquam finem antecedentis agriculturæ, semen vero tanquam futuræ initium, alimentum porro tanquam aptum ad incrementum comedentis corpori præstandum. Horum quæ dicuntur unumquodque et secundum intelligentiam spectatur, et cum linguæ strepitu non transit [a]. »

entiæ et ostasis.

Hac ipsa similitudine utitur Maximus in dialogo primo *de Trinitate* qui falso Athanasio inscribitur *, Maximo vero vindicatur a Demetrio Cydone [1]. Ibi ergo discrimen οὐσίας et ὑποστάσεως clarius in hunc modum declarat. Objicienti enim hæretico compositionem in Deo futuram si aliud sit οὐσία, aliud hypostasis, respondet : « Aliud et aliud dixi, non ut rem aliam et aliam, sed quod hypostasis aliud significet et aliud essentia, quemadmodum granum frumenti dicitur et est semen et fructus, non ut res alia. Aliud enim significat semen et aliud fructus, quoniam semen quidem futuræ culturæ semen, fructus autem præteritæ culturæ fructus est [b]. » Cum igitur idem reipsa sit granum, notiones tamen habet diversas, secundum quas variis censetur appellationibus. Non enim nuda sunt vocabula idem prorsus et eodem modo significantia, uti vestis et indumentum, sed subest iis nominibus alia atque alia notio, quæ rationis vel cogitationis discrimen parit. Quam differentiam apposite ad mentem nostram declarat philosophus in secundo *Physicorum*, ubi rem eamdem ratione distingui posse dicit, velut actionem et passionem, quæ unum idemque sunt, « non tamen ut ratio sit una quæ quid res sit declarat, sicut vesti et indumento. Sed quemadmodum via quæ Thebis ducit Athenas, et Athenis Thebas [c]. » Quanquam non sic in Deo rationis fingenda differentia est, ut sit τὸ τί ἦν εἶναι diversum, nisi latius id sumatur, ut notionem intelligentiamque differentem exprimat, de qua re postea. Nunc illud satis habemus dicere, discrimen illud quod κατ' ἐπίνοιαν vocatur, non esse rei sed rationis.

Essentia.

Secundum cogitationem.

V. Damascenus item, Petrum a Paulo reipsa differe dicit [2], quod autem commune habent id λόγῳ solum et ἐπινοίᾳ constare, tanquam communem et universalem hominis naturam ratione intelligentiaque sola discrepare putet ab individuis quibus convenit. Hoc enim interesse ait inter Deum et res creatas. Quod in omnibus creaturis hypostaseon differentia reipsa consideratur. Nam reipsa Petrus consideratur separatus a Paulo. Communio vero et conjunctio et unum, ratione, intelligentiaque specta-

Ratione. Intellectu.

a Basil. Οἷον τοῦ σίτου νόημα μὲν ἁπλοῦν ἐνυπάρχει πᾶσι, καθὸ φανέντα γνωρίζομεν ἐν δὲ τῇ ἀκριβεῖ περὶ αὐτοῦ ἐξετάσει, θεωρία τε πλειόνων προσέρχεται, καὶ προσηγορίαι διάφορον τῶν νοηθέντων σημαντικαί· τὸν γὰρ αὐτὸν σῖτον νῦν μὲν καρπὸν λέγομεν, νῦν δὲ σπέρμα, καὶ πάλιν τροφήν· καρπὸν μὲν, ὡς τέλος τῆς παρελθούσης γεωργίας· σπέρμα δὲ, ὡς ἀρχὴν τῆς μελλούσης· τροφὴν δὲ, ὡς κατάλληλον εἰς προσθήκην τῷ τοῦ προσφερομένου σώματι· τούτων ἓν ἕκαστον τῶν λεγομένων καὶ κατ' ἐπίνοιαν θεωρεῖται, καὶ τῷ ψόφῳ τῆς γλώττης οὐ συναπέρχεται.

b Maxim. Ἄλλο, καὶ ἄλλο, εἶπον, οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο, ἀλλ' ὡς ἄλλο τι σημαινούσης τῆς ὑποστάσεως καὶ ἄλλο τι τῆς οὐσίας· ὡς ὁ κόκκος τοῦ σίτου λέγεται, καὶ ἐστί σπέρμα, καὶ καρπὸς, οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο, καὶ ἄλλο· ἄλλο δέ τι σημαίνει τὸ σπέρμα, καὶ ἄλλο τι καρπός· ὅτι τὸ μὲν σπέρμα, τοῦ μέλλοντος γεωργίου ἐστί σπέρμα· ὁ δὲ καρπὸς, τοῦ παρελθόντος γεωργίου ἐστί καρπός.

c Aristot. cap. III. tex. 20. Μὴ μέν τοι ὡς τὸν λόγον εἶναι ἕνα τὸν τί ἦν εἶναι λέγοντα, οἷον, τῷ λωπίῳ, καὶ τῷ ἱματίῳ· ἀλλ' ὡς ἡ ὁδὸς ἡ Θήϐηθεν Ἀθήναζε, καὶ ἡ Ἀθήνηθεν εἰς Θήϐας.

* Etsi plerisque omnibus improbetur opinio Henrici Stephani, qui hosce quinque *de Trinitate* dialogos Athanasii nomine insignes edidit anno MDLXX., non omnes tamen cum Combefisio, qui Maximi opera Parisiis evulgavit anno MDCLXXV., illos eidem Maximo tribuendos arbitrantur. Garnerio visum est non immerito eos asseri Theodorito, cujus faciem vultumque referant. E. R.

Lib. *de Process. Spiritus sancti*, cap. V. — 2 Lib. I, cap. II.

tur [a]. » Quare communis ipsa natura ratione consideratur, estque λόγῳ θεωρητή. At individua sive hypostases aut personæ per se reipsa separatæque constant, nam neque in se invicem existunt et rebus multis differunt, loco, tempore, conditione, vitæ genere, forma, dignitate. At vero in sancta et supersubstantiali Trinitate contra se res habet. « Quippe quod ibi commune est et unum, re consideratur, quoniam una est trium æternitas et eadem essentia, actio, voluntas, etc., cogitatione vero constat quod est distinctum. Unum enim Deum agnoscimus. In solis vero proprietatibus paternitatis, filietatis, processionis, ac secundum causæ rationem et ejus quod est ex causa, nec non perfectionem subsistentiæ, sive secundum existendi modum differentiam cogitamus [b]. » Hoc loco videtur Joannes Damascenus itidem ut Maxentius, personas a se mutuo sola cogitatione non reipsa distinguere. Sed sic uterque intelligendus est, ut illas reipsa invicem conjunctas esse atque in se mutuo contineri dicant, propter illam quam Græci theologi vocant περιχώρησιν, nec nisi cogitatione sola dividantur ac disjungantur, cum tamen proprietates a se invicem τῷ πράγματι *reipsa* discerni sentiant, quod ibidem Damascenus fusius explicat. Itaque separatio ipsa et divulsio personarum sola ratione constat, non re, quia seorsum una consideratur, non reipsa existit ab alia : distinctio vero proprietatum in re est, non in sola cogitatione. Vide Bessarionem libro *de Processione Spiritus sancti*, capite v.

Ratione contemplabilis.

Circumincessionem.

Rursus Chrysostomus in oratione prima *de Incomprehensibili adversus Anomœos*, sapientiam ab essentia vel substantia discernit. Nam « prophetas, ait, non solum ignorasse quæ sit essentia Dei, sed etiam quanta sit ejus sapientia. Atqui non ex sapientia est essentia, sed ex essentia sapientia. Cum vero ne hanc quidem prophetæ exacte comprehendere possint, quanta hæc est amentia, essentiam ipsam putare propriis te cogitationibus posse subjicere [c] ? » Idem et de magnitudine et de immensitate prædicat Chrysostomus.

VI. Basilius quoque in secundo *contra Eunomium* asserenti hæretico ex operibus et effectis opificis essentiam agnosci, ut ex Filio Patris, ex Paracleto Filii, respondit non ipsam ex operibus substantiam cognosci, sed vim dumtaxat et sapientiam et artem, ac ne hanc quidem totam, cum sæpe artifex non omnes ad opus fabricandum vires suas explicet, quod similiter in Deo contigit [d]. Itaque non ipsam Dei οὐσίαν creatis ex rebus percipi, sed potentiam ac sapientiam. Citat hunc Basilii locum Joannes Cyparissiotus [1], qui ex eodem et hoc adjicit : « Amplitudinem Dei et potentiam ac sapientiam, tum bonitatem et providentiam qua nos procurat, et justitiam judicii ejus dicimur cognoscere, non autem ipsam substantiam. »

Essentiam.

Sed ab illis Patribus sapientia non ea significari videtur quæ inest in Deo, immo quæ ipse Deus est, sed quæ a Deo profecta derivataque est ad mundi procreationem et fabricam, quod Basilius ostendit in homilia ad principium *Proverbiorum* [2], ubi Pauli verba ista declarans, *sapientiam loquimur inter perfectos* [3], sic scribi [d] : « Et qui ex mundi structura opificem cogitat, cognovit etiam ipse per mundi sapientiam Deum [e]. » Ac sapientiam illam camdem esse putat quam Salomon in *Proverbiis* a Deo creatam esse docet [4], quæ in

a Dam. Ἐπὶ μὲν οὖν πάντων τῶν κτισμάτων ἡ μὲν τῶν ὑποστάσεων διαίρεσις πράγματι θεωρεῖται· πράγματι γὰρ ὁ Πέτρος τοῦ Παύλου κεχωρισμένος θεωρεῖται· ἡ δὲ κοινότης, καὶ ἡ συνάφεια, καὶ τὸ ἕν, λόγῳ καὶ ἐπινοίᾳ θεωρεῖται.

b Dam. Ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας, καὶ ὑπερουσίου καὶ πάντων ἐπέκεινα, καὶ ἀλήπτου τριάδος, τὸ ἀνάπαλιν· ἐκεῖ γὰρ τὸ μὲν κοινὸν, καὶ ἓν πράγματι θεωρεῖται, διά τε τὸ συναΐδιον, καὶ τὸ ταὐτὸν τῆς οὐσίας, καὶ τῆς ἐνεργείας, καὶ τοῦ θελήματος, etc., ἐπινοίᾳ δὲ τὸ διῃρημένον· ἕνα γὰρ Θεὸν γινώσκομεν, ἐν μόναις δὲ ταῖς ἰδιότησι, τῆς τε πατρότητος, καὶ τῆς υἱότητος καὶ τῆς ἐκπορεύσεως, κατά τε τὸ αἴτιον, καὶ τὸ αἰτιατὸν, καὶ τὸ τέλειον τῆς ὑποστάσεως, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον, τὴν διαφορὰν ἐννοοῦμεν.

c Chrys. tom. VI. Savil. Οἱ γὰρ Προφῆται οὐ μόνον τί τὴν οὐσίαν ἐστὶν ἀγνοοῦντες φαίνονται· ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, πόση τίς ἐστιν, ἀποροῦσι· καί τοι γε οὐχ ἡ οὐσία ἀπὸ τῆς σοφίας, ἀλλ' ἡ σοφία ἐκ τῆς οὐσίας. ὅταν δὲ μηδὲ ταύτην δύνωνται καταλαβεῖν οἱ Προφῆται μετὰ ἀκριβείας, πόσης ἂν εἴη μανίας, τὸ τὴν οὐσίαν αὐτὴν νομίζειν δύνασθαι τοῖς οἰκείοις ὑποβαλεῖν λογισμοῖς;

d Basil. Δυνάμεως γὰρ, καὶ σοφίας, καὶ τέχνης, οὐχὶ δὲ τῆς οὐσίας αὐτῆς ἐνδεικτικά ἐστι τά ποιήματα· καὶ οὐδὲ αὐτὴν πᾶσαν τοῦ δημιουργοῦ τὴν δύναμιν ἀναγκαίως παρίστησιν, etc. Καὶ οὕτως ἂν ὑπάρχοι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ διὰ τῶν ἔργων ἀναμετρεῖσθαι, οὐχὶ δὲ τὴν οὐσίαν, ἥ τις ποτέ ἐστι, καταλαμβάνεσθαι.

e Basil. Καὶ ὁ ἐκ τῆς τοῦ κόσμου δὲ κατασκευῆς τὸν δημιουργὸν ἐννοῶν, ἔγνω καὶ αὐτὸς διὰ τῆς τοῦ κόσμου σοφίας τὸν Θεόν.

1 Dec. 3, cap. iv. — 2 Tom. I, p. 437. — 3 I. *Cor.* ii, 6. — 4 *Pr.* viii, 22, 23.

hac universitate ac Dei operibus cernitur. « Et ut universe loquar, inquit, illud Dominus creavit me initium viarum ipsius, de ea sapientia quæ in mundo apparet, usurpat, quæ velut per ea quæ videntur vocem emittens, admonet se a Deo factam esse, neque fortuito tantam sapientiam in effectis creatisque rebus elucere [a]. » De hac igitur sapientia loquitur Basilius, quam ἀρχέγονον « *ab initio productam* vocat, et ante omnia in hujus universitatis conditu una cum creatis rebus editam, atque iis ingenitam fuisse dicit [b]. »

Eodem sensu Gregorius Nazianzenus in oratione secunda *de Theologia* : « Ut autem oculorum, inquit, aciem adjeci, vix hoc etiam sum consecutus ut Dei posteriora cernerem, idque petra, hoc est Verbo nostræ salutis causa incarnato contectus, atque aliquantulum prospiciens, non primam illam incorruptamque naturam ac soli sibi, Trinitatem dico, cognitam, quæque priore obducta velo intus manet, et a Cherubinis tegitur sum conspicatus, sed eam quæ postrema est, et ad nos pervenit. Hæc autem est quantum cognitione assequor illa, quæ in rebus ab illo conditis et productis administratisque videtur magnitudo, sive ut divinus eam David nominat, magnificentia. Hæc enim posteriora sunt Dei, quæcumque scilicet post eum notæ ejus et indicia, quemadmodum umbra illa solis, et effigies quæ in aquis existunt, et infirmis oculis solem ipsum repræsentant, quoniam ipsummet intueri non possumus, eo quod luminis claritate sensum nostrum superat [c]. »

undum gitationem.

VII. Cæterum uti differentia illa quæ κατ' ἐπίνοιαν dicitur, alia est quæ in re ipsa cernitur, alia quæ in sola cogitatione consistit, sic hujus posterioris generis non una ratio est, sed alia major expressiorque quam altera, iisdem ex Patribus colligitur. Etenim una eademque persona varias obiens functiones, κατ' ἐπίνοιαν a seipsa distingui apud illos dicitur. Athanasius in oratione quinta *adversus Arianos*, Sabellium qui personarum numerum ac differentiam tollebat, eumdem Patrem ac Filium κατ' ἐπίνοιαν constituisse dicit, ex quo Filium probat οὐσιωδῶς « *secundum substantiam* » esse ac consistere. « Filius, inquit, Verbum non substantia carens neque non subsistens, sed revera substantiale est. Alioqui nisi hoc se modo habeat quæcumque dicuntur, dici utique videbuntur secundum cogitationem ac simpliciter. Quod si vitanda est cogitationis absurditas, sequitur verum et substantiale esse verbum [d]. » Tum paulo post : « Nisi duo sint, inquit, sed de eodem ista dicantur, idem et causa erit et ortum a causa, genitum item et generans quod absurdum in Sabellii opinione demonstratum est. Sin autem est ex ipso, sed non alius erit idem et gignens, et non gignens, gignens quidem, quatenus ex seipso profert, minime autem gignens quatenus non alius est a se ipso quem profert. Quo posito sequitur eumdem animi sola cogitatione dici Patrem et Filium [e]. »

Præterea idem Athanasius in prima disputatione adversus Arianos ab iis Filium Dei non proprie neque secundum substantiam verbum sive rationem ac sapientiam dici constituique refert, sed κατ' ἐπίνοιαν ob efficientiam qua in res creatas illa ipsa derivat ac trajicit. « Alius est λόγος in Patre, ipsius proprius, inquit arianas voces usurpans, et alia in Patre est sempiterna ipsius sapientia, in qua et verbum Verbum.

a Basil. Καὶ ὅλως τὸ, κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, περὶ τῆς ἐμφαινομένης σοφίας τῷ κόσμῳ φησὶ, μονονουχὶ φωνὴν, ἀφιείσης διὰ τῶν ὁρωμένων, ὅτι παρὰ Θεοῦ γέγονε, καὶ οὐκ αὐτομάτως ἡ τοσαύτη σοφία τοῖς ἀποτελεσθεῖσιν ἐμπρέπει.

b Ibid. Οὕτως εἰσί τινες καὶ σοφίας λόγοι τῆς ἀρχεγόνου, τῆς πρὸ τῶν ἄλλων ἐν τῇ δημιουργίᾳ συγκαταβληθείσης τῇ κτίσει.

c Nazian. orat. xxxiv. Ἐπὶ δὲ προσέβλεψα μόλις εἶδον Θεοῦ τὰ ὀπίσθια, καὶ τοῦτο τῇ πέτρᾳ σκεπασθεὶς, τῷ σαρκωθέντι δι' ἡμᾶς λόγῳ, καὶ μικρὸν διακύψας, οὐ τὴν πρώτην τε, καὶ ἀκήρατον φύσιν, καὶ ἑαυτῇ, λέγω δὲ τῇ τριάδι, γινωσκομένην, καὶ ὅση τοῦ πρώτου καταπετάσματος εἴσω μένει, καὶ ὑπὸ τῶν Χερουβὶμ συγκαλύπτεται· ἀλλ' ὅση τελευταία, καὶ εἰς ἡμᾶς φθάνουσα· ἡ δέ ἐστιν, ὅσα ἐμὲ γινώσκειν, ἡ ἐν τοῖς κτίσμασι, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτοῦ προβεβλημένοις, καὶ διοικουμένοις μεγαλειότης, ἢ ὡς ὁ θεῖος Δαβὶδ ὀνομάζει, μεγαλοπρέπεια· ταῦτα γὰρ Θεοῦ τὰ ὀπίσθια, ὅσα μετ' ἐκεῖνον ἐκείνου γνωρίσματα· ὥσπερ αἱ καθ' ὑδάτων ἡλίου σκιαὶ, καὶ εἰκόνες ταῖς σαθραῖς ὄψεσι παραδεικνῦσαι τὸν ἥλιον, ἐπεὶ μὴ αὐτὸν προσβλέπειν οἷόν τε, τῷ ἀκραιφνεῖ τοῦ φωτὸς νικῶντα τὴν αἴσθησιν.

d Athan. Υἱὸς λόγος οὐκ ἀνούσιος, οὐδ' οὐχ ὑφεστὼς, ἀλλ' οὐσιώδης ἀληθῶς· ἐπεὶ εἰ μὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, εἴη ἂν πάντα, ἃ λέγεται, κατ' ἐπίνοιαν, καὶ ἁπλῶς λεγόμενα. εἰ δὲ φευκτέον τὸ ἐκ τῆς ἐπινοίας ἄτοπον, ἄρα ἀληθὴς λόγος οὐσιώδης ἐστίν.

e Athan. Ib. Εἰ δὲ μὴ δύο εἴη, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ λέγοιτο· ἔσται τὸ αὐτὸ αἴτιον, καὶ αἰτίατον, καὶ γεννώμενον, καὶ γεννῶν· ὅπερ ἄτοπον ἐπὶ Σαβελλίου δέδεικται. εἰ δὲ ἐξ αὐτοῦ μέν ἐστιν, οὐκ ἄλλο δὲ, ἔσται καὶ γεννῶν, καὶ μὴ γεννῶν· γεννῶν μὲν, ὅτι ἐξ αὐτοῦ προφέρει· μὴ γεννῶν δὲ, ὅτι μὴ ἄλλο αὐτοῦ ἐστιν, εἰ δὲ τοῦτο, εἴη ἂν κατ' ἐπίνοιαν λεγόμενος ὁ αὐτὸς πατὴρ, καὶ υἱός.

istud fecit. Hic autem ipse Dominus secundum animi cogitationem λόγος id est, *ratio* dicitur propter ea quæ ratione prædita sunt, secundum rationem item sapientia dicitur propter ea quibus impertitur sapientia [a]. »

Quamobrem una eademque simplicissima res nullo in se modo distincta, propter varias efficientias distingui, κατ' ἐπίνοιαν, hoc est *cogitatione* sive *ratione* dicitur. Ut si una tantummodo persona divinitatis esset, quod Sabellio visum est, ea κατ' ἐπίνοιαν solum non φύσει ac τῷ πράγματι, multiplex haberetur, prout aliam atque aliam functionem administrationemque susciperet aut diversa quædam efficeret.

Ratione... natura ac reipsa.

VIII. Qui quidem differentiæ gradus multo est minor quam qui inter bonitatem Dei ac sapientiam, aut personales proprietates ac personam ipsam vel essentiam vulgo statuitur ab iis theologis qui solum inter ista discrimen rationis agnoscunt. Quare nec attributa invicem differre censeo sola effectorum varietate ex qua nulla in causam notionum diversitas redundat, ut sequenti capite dicam. Sed præterea quiddam in ipsa causæ substantia inesse debet cui veluti fundamento, innitatur illa quam patres asserunt notionum intelligentiarumque differentia ex qua τῶν κατηγορημάτων, *prædicatorum* varietas existit cum de uno illorum aliquo vere quædam enuntiantur quæ de altero affirmare non licet.

Exempli causa, Patrem dicimus qua Pater est vel secundum paternitatem non esse eumdem cum Filio, ut autem Deus est seu divinitate, prorsus unum idemque esse cum Filio, et id genus alia quamplurima, quæ de una aliqua persona, vel proprietate varios ad usus accommodata minime dicantur. Nam si una tantummodo Dei persona esset ut Judæi et Sabelliani prædicant, quæ varias in formas et actiones descenderet, non esset ulla prædicatorum diversitas, sed promiscue de ea usurparentur omnia. Quare locum ibi non haberent ἐπινοίαι *vel notiones distinctæ*. Ex quo intelligimus, ad hanc notionum varietatem etsi necesse non est rem per se ac natura sua esse multiplicem, id tamen requiri ut vim quamdam perfectionemque habeat excellenti quadam ratione multa et diversa continentem, uti gemmula brevi et angusta mole immensas opes complectitur, vel ut eadem hominis anima collectum id in se tenet quod in creatis rebus cæteris inest fusum atque dispersum. Ex quo fit ut quod simplex in se est et uniusmodi, varias intelligendi sui rationes et quasi cogitandi ansas suppeditet unde ἡ κατ' ἐπίνοιαν διαφορὰ, hoc est *rationis* vel *cogitationis* sive *notionis discrimen* existit quo divinas proprietates, et a se invicem et ab essentia distingui theologi veteres existimant.

Ad summam, divina hæc attributa cujusquemodi sunt a se ipsis et ab essentia sola ratione differre sic credimus, ut in se citraque cogitationem nostram nullo modo discrepent, sed sit una simplicissimaque res, neque *reali* quod vocant discrimine, nec eo quod *formale* nominatur, in seipsa distincta adeo quidem uti nec Deus semetipsum comprehendens neque beati clare et ut est in sese illum intuentes ullam in eo vel tenuissimam differentiam agnoscant. Neque tamen propterea putandum est licere nobis illa permiscere invicem, et in eamdem vel notionem vel prædicationem includere.

Attributa sola ratione a se invicem et ab essentia divina differunt.

Nec tamen invicem permiscenda.

IX. Quo minus Ottoni Frisingensi assentiri possumus [1], qui de Gilberti Porretani opinione disserens ita pronuntiat : « Deus est sapientia bonus, bonitate sapiens, ac si ita in naturalibus procederem, hæc margarita est albedine candida, candore alba non est hoc et hoc, sed est hoc. » Cujusmodi enuntiata si proprio, et ut vocant, formali sensu capiantur, minime vera sunt. Alioquin etiam hæc usurpari poterunt, sapientia est bonitas, justitia est misericordia quemadmodum candor est color albus, et albus color est candor atque ita demum ad Eunomiana illa flagitia relapsi, proprietatem quamlibet Dei ejus esse naturam et essentiam asseverabimus quod tantopere Basilius, Gregorii ambo, Cyrillus, aliique detestati sunt. Tum ne illud quidem recusare poterimus, Deus paternitate Deus est, et divinitate pater et quod iis connexum est, paternitas est divinitas, et divinitas est paternitas. Et quoniam notionibus exprimendis affixa sunt vocabula, licebit significandæ justitiæ misericordiæ accommodare nomen, ac vicissim misericordiam

Absurda attributorum permixtorum consectaria.

a ATHAN. Ἄλλος μὲν λόγος ὁ ἐν τῷ πατρὶ ἴδιος, καὶ ἄλλη ἐν τῷ πατρὶ ἀΐδία αὐτοῦ σοφία, ἐν ᾗ σοφίᾳ καὶ τοῦτον τὸν λόγον πεποίηκεν· αὐτὸς δὲ οὗτος ὁ κύριος κατ' ἐπίνοιαν λέγεται λόγος, διὰ τὰ λογικὰ, καὶ κατ' ἐπίνοιαν λέγεται σοφία, διὰ τὰ σοφιζόμενα.

1 Lib. I, *de Gest. Frid.* c. LIII.

appellare justitiam ex quo quanta non modo sermonis, sed etiam intelligentiæ labes et pravitas existat, facile omnes intelligunt. Gregorius certe Nyssenus in duodecimo *adversus Eunomium*, vehementer hunc hæreticum redarguit quod ex ejus decretis consequens sit, attributa invicem et notionibus et vocabulis esse confusa. « Videtur, inquit, neque justitiæ ratio ab iis quæ dicta sunt esse diversa, neque sapientiæ, neque virtutis, neque bonitatis ac cæterorum nominum quæ digne de Deo dicuntur. Ac nulla sit notio propria intellecta ratione : sed toti nominum catalogo una sit subjecta significatio, et unica descriptio singulorum quæ dicuntur, definitionem impleat. Ac si interrogeris quid judicis nomine significetur ingenitum interpretare respondendo, aut si justitiæ definitionem reddere oporteat, in promptu tibi sit ad respondendum incorporei nomen. Quid autem incorruptibilitas significat ? Idem quod misericordia omnino dices, aut quod judicii notio præ se fert. Ad eumdem modum etiam quodlibet omnium in se invicem transeant, sic ut nulla peculiaris significatio alterum ab altero secernat. Quod si hæc Eunomius, tanquam legislator aliquis edicit, cur Scripturæ frustra divinam naturam variis nominibus appellant ? Ac Deum judicem justum, fortem, patientem, verum, misericordem, et id genus alia nominant ? Namsi nullum nomen in aliqua propria notione intelligitur, sed omnia invicem significationum confusione miscentur, inanis est labor multas de eodem appellationes usurpare, cum nulla significationis differentia a se invicem nomina distinguat [a]. » Hæc Gregorius et quidem merito. Siquidem, ut Philosophus ait [1], voces notionum quæ νοήματα dicuntur, signa sunt. Itaque quorum notiones sunt eædem, vel nomen idem habent vel si diversa capiunt promiscue de singulis omnia dicuntur. Atqui Scripturæ sacræ varias illas Dei proprietates differentibus vocabulis intelligentiisque secernunt, nec immortalem cum dicunt Deum aut immensum quibus hoc dicunt vocibus, iis justum aut misericordem vel appellare volunt vel cogitari patiuntur.

Deus non est justitia sapiens, paternitate Deus, etc.

X. Nobis itaque « loquendum non aliter de Deo est, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est, » ut ait Hilarius [2]. Proinde neque sapientia justus esse dicendus est, neque justitia sapiens si tamen proprie, et ut a nobis percipiuntur ista de iis loqui volumus. Ac si reipsa et ut in se est consideretur Deus, ne sic quidem satis recte dici videtur eum sapientia justum, aut justitia sapientem esse, quod Otto posuit; cum nulla sit in illo forma vel qualitas ut in corpore candor ipsum afficiens ac denominans. Sed est potius Deus ipsamet justitia et sapientia, tum hæc omnia una sunt et simplicissima res. Ex quo liquido constat falsa hæc enuntiata Ottonis esse, quia cum Deo ut sub nostram perceptionem cadit, convenire debeant, non tamen in illum hoc modo congruunt. Præsertim si relativas proprietates cum essentia componas. Non enim dicere ita fas est, Patrem paternitate Deum esse, ut paulo ante docui, uti nec sapientem esse qua Pater est, aut Filium itidem sapientem qua Filius est, aut Verbum « quia non eo Verbum quo sapientia, ait Augustinus [3], quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum cujus verbum est, sicut Filius ad Patrem. Sapientia vero eo quo essentia. Et idem quia una essentia una sapientia. » Et eodem in libro : « Aliud est, inquit, Deo esse aliud Patrem esse [4]. » Ac denique quidquid ad alterum quælibet persona dicitur, non hoc ipso quo illud est esse Deum aut sapientem, aut quidquid ad se, hoc est, absolute

a GREG. NYSS. Δοκεῖ δὲ μηδὲ τὸν τῆς δικαιοσύνης λόγον ἕτερον παρὰ τὰ εἰρημένα τυγχάνειν· μηδὲ τὸν τῆς σοφίας, καὶ τὸν τῆς δυνάμεως, καὶ τὸν τῆς ἀγαθότητος, καὶ ἑκάστου τῶν θεοπρεπῶν ὀνομάτων· καὶ μηδεὶς ἔστω λόγος κατὰ τὸ ἰδιάζον νοούμενος· ἀλλ' ἐπὶ παντὶ τῷ καταλόγῳ τῶν ὀνομάτων, ἓν ὑποκείσθω τὸ σημαινόμενον, καὶ εἷς ὑπογραφῆς λόγος τὸν περὶ ἑκάστου τῶν λεγομένων ὅρον ἀποπληρούτω· κἂν ἐρωτηθεὶς τὸ τοῦ κριτοῦ σημαινόμενον, τὴν τῆς ἀγεννησίας ἑρμηνείαν ἀπόκριναι· κἂν τῆς δικαιοσύνης δέῃ τὸν ὁρισμὸν ἀποδοῦναι, τὸ ἀσώματόν σοι πρόχειρον εἰς τὴν ἀπόκρισιν ἔστω· τί δὲ σημαίνει ἡ ἀφθαρσία; ὅπερ ἡ τοῦ ἐλέους πάντως ἐρεῖς· ἢ ἡ τῆς κρίσεως σημασία παρίστησιν· οὕτω καὶ τὰ καθ' ἕκαστον πάντα πρὸς ἄλληλα μεταχωρείτω, μηδεμιᾶς ἰδιαζούσης ἐμφάσεως τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου διαστελλούσης· καὶ εἰ ταῦτα νομοθετεῖ ὁ Εὐνόμιος, τί μάτην αἱ γραφαὶ πολυωνύμως τὴν θείαν φύσιν ἀνακαλοῦσι, Θεόν κριτὴν δίκαιον, ἰσχυρὸν, μακρόθυμον, ἀληθινὸν, ἐλεήμονα, καὶ ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα κατονομάζουσιν; Εἰ γὰρ οὐδὲν τῶν ὀνομάτων ἐπί τινος ἰδιαζούσης ἐννοίας καταλαμβάνεται, πάντα δὲ ἀλλήλοις διὰ τῆς κατὰ τὸ σημαινόμενον συγχύσεως ἀναπέφυρται, μάταιον ἂν εἴη πολλαῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ταῖς ἐπωνυμίαις κεχρῆσθαι, μηδεμιᾶς τῆς κατὰ τὸ σημαινόμενον διαφορᾶς ἀπ' ἀλλήλων τὰ ὀνόματα διαστελλούσης.

[1] Lib. *de Interpr.* cap. I. — [2] Lib. V. — [3] Lib. VII, *de Trinit.* cap. II. — [4] Cap. IV.

dicitur, affirmat Augustinus[1]. Ex quo illud efficitur, etsi revera, et ut in se est, idem sit paternitas quod essentia vel sapientia, tamen nefas esse dictu, Patrem paternitate esse Deum vel sapientem, propterea quod notionum diversitas quæ in enuntiatis illis spectantur, ac modus intelligendi noster, cujus interpres est oratio, hæc a se mutuo sejungit, ac dirimit. Atque illud præterea concluditur, intra genus idem differentiæ κατ' ἐπίνοιαν plusculum distare proprietates relativas ab essentia, absolutisve proprietatibus quam has ipsas ab essentia et inter se. Exempli causa, majus esse discrimen inter essentiam et paternitatem, quam inter bonitatem et eamdem essentiam, quamvis neutrubi secundum rem, sed secundum ἐπίνοιαν ac rationem differentia sit.

CAPUT XI.

Adversus illa quæ de attributorum differentia dicta sunt, quædam objecta solvuntur. Non esse falsam notitiam nostram quæ differentiam inter illa constituit quæ est nulla reipsa. Explicantur veterum loca quæ in speciem adversantur. Proprietates illæ quomodo unum significare dicantur. Anselmus pro contraria opinione adductus exponitur. Easdem proprietates non eatenus solum Deo convenire quod extrinsecus aliquid efficiunt, sed per sese, ac formaliter quod tamen de omnibus intelligendum non est quæ de Deo utcumque dicuntur. Dionysius explicatur. Rursus ostenditur attributa notiones habere distinctas, nec invicem permistas.

Contra attributorum discrimen a se et ab essentia quædam objecta solvantur.

I. Contra illa quæ de attributorum, notionumque differentia constituta sunt a nobis unum idque in speciem difficile potest objici. Nam si aliud in re est, aliud in cogitatione et intelligentia nostra, ut cum sapientia reipsa sit idem quod bonitas, quod divinitas, tamen cum sapientiam cognoscimus, ejus notio diversa sit a bonitatis notione, nec alteram altera contineat, falsa esse perceptio nostra videbitur quæ rei perceptæ minime consentanea sit. Nam ut Ephræmius apud Photium aiebat, « Quis nescit id quod recte intelligitur recte dici, quod vero male intelligitur ne dici quidem oportere[a]? Qua in argumentatione pugnacior Eunomius erat, qui hoc addebat, si in unius comprehensione, alterius notio non continetur, hujus oppositum inesse, ut exempli causa, si in ingeniti notione non sit incorruptibilis notio, ejus quod incorruptibili contrarium est fore corruptibile, ac sic Deum, qua ingenitus est, esse corruptibilem, adeoque corruptibilem simul et incorruptibilem esse. Hæc Eunomii cavillatio proposita est a nobis et eversa supra capite VI, cum de notionibus ageremus. Hoc vero loco dicendum illud est quod tam huic, quam priori illi dissolvendæ satis esse possit.

Etsi attributa reipsa unum sint, non tamen falso a nobis intelliguntur.

Sic igitur habendum est, non idem esse unum aliquid per se ac separatim ab altero quocum junctum est reipsa, contemplari et cognoscere, ac judicare illud ab eo esse disjunctum. Nam qui unum sine altero cogitat, non tamen ab eo separatum esse ac sine altero spectat. « Talis autem notitia veri falsique est expers, ut scribit Aristoteles, quia verum ac falsum in compositione ac divisione consistit. Sic nomina ipsa verbaque simplicia ut idem tradit neque vera, neque falsa sunt, velut album, homo, quando nihil additur aliud atque iis ipsis notiones illæ respondent quæ conjunctione ac disjunctione carent[b]. » Ad hunc modum qui sapientiam solam in Deo contemplatur sine potentia, non negat eam reipsa idem esse cum potentia, sed illam solam intuetur ac percipit quatenus humana intelligentia capitur, non qualem Deus ipsam aut beatorum aliquis cognoscit. Ab eo autem quod in modo cognitionis est ad id quod inest in re, non valet consequentiæ ratio. Alioqui lapis aut bos materiæ corporisque erunt expertes, quia

a Cod. 229. Καί τοι γε τίς οὐκ οἶδεν, ὡς τὸ καλῶς νοούμενον, καὶ καλῶς λέγεται· τὸ δὲ κακῶς νοούμενον οὐδὲ λέγεσθαι δίκαιον;

b Aristot. cap. I. *de Interpr.* Ἔστι δὲ ὥσπερ ἐν τῇ ψυχῇ, ὁτὲ μὲν νόημα ἄνευ τοῦ ἀληθεύειν, ἢ ψεύδεσθαι· ὁτὲ δὲ ἤδη ᾧ ἀνάγκη τούτων ὑπάρχειν θάτερον· οὕτω καὶ ἐν τῇ φωνῇ· περὶ γὰρ σύνθεσιν καὶ διαίρεσίν ἐστι τὸ ψεῦδός τε, καὶ τὸ ἀληθές· τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ, καὶ τὰ ῥήματα ἔοικε τῷ ἄνευ συνθέσεως, καὶ διαιρέσεως νοήματι· οἷον τὸ ἄνθρωπος, ἢ τὸ λευκὸν, ὅταν μὴ προστεθῇ τι· οὔτε γὰρ ψεῦδος, οὔτε ἀληθές πω.

1 Lib. VII, *de Trinit.*, cap. V, VI.

intelligibili ac spiritali notitia ab homine vel ab angelo percipiuntur.

II. Huc pertinet eximia de eodem argumento Eulogii Alexandrini disputatio apud Photium qui de Dei simplicitate et unitate agens, nihil huic officere docet etiam personarum et hypostaseon discrimen, neque propterea unitatem secari, quod tria illi seorsim cogitamus, aut efferimus « dum quæ mens percipit quomodo possumus explicare nitimur. » Non enim id cum facimus, ita in re esse judicamus, « neque humanis cogitationibus ea quæ mentem omnem excedunt subjicimus, inquisitionibus rem comprehendentibus ea quæ inventione potiora sunt, injuria afficimus[a].»

Tum illud enodare studet quod ex Basilio proponitur, personas ex communi essentia, et proprietatibus esse complexas, quod ne simplicitati, quæ est in Deo, repugnare videatur, præter alia quæ suo loco reservamus quod ad præsens negotium spectat id verbis hisce declarat. « Non enim potest humana mens simplici, et uno appulsu quod singulare est et simplex idemque nihilominus triplex hypostaseon comprehendere. Ideo proprietatum; ut magister dixit, adjectione propriam hypostaseos notionem distinguit. Et est quidem methodus ista imbecillitatis adjutrix et ad quod comprehendi non potest utcumque capiendum opem suppeditat, non tamen aut simplicitatem divinitatis aut ullam omnino hypostaseon complexam, ac compositam efficit[b]. »

Dubius. Subjicit iis Eulogius idem illud ἀπόρημα quod paulo ante movebamus : « Qui communi proprium adjungi quodammodo et complexum nescio quid facere prædicant, aut mentiuntur, aut verum dicunt. Si mentiuntur quid attinet eas usurpari voces quibus nihil subjectum sit? Sin vere ista dicimus, composita erit Trinitatis persona cui vocem illam accommodamus[c]; Cui consentanee superioribus ita respondet : « Humana mens, cum sit imbecillior quam ut ejus quod est, contemplationem assequi possit, quodammodo cogitur complexis uti vocibus, et communi annectere proprium, quod hypostaseon simplicitatem et distinctionem simpliciter, ac simul exprimere nequeat. Quod si fieri posset ut simplex illud perinde simplici voce declararet, dictionum complexione nequaquam humana mens abuteretur. [d]»

III. Huic Demetrius Cydonius eruditus theologus subscribit in libro quem *de Processione Spiritus sancti* contra populares suos edidit[e]. Ibi enim proprietates a se mutuo, et ab essentia differre λόγῳ et ἐπινοίᾳ, « *ratione* sola, et *cogitatione* cum dixisset sic istud explicat. « Deus enim dicitur substantia, et sapientia, et si quid aliud est ejusmodi. Sed non ideo quia nomina sunt diversa res etiam diversas significant. Ita enim multiformis, et dissimilibus constans partibus compositus esset. Verum quia non potest natura nostra uno nomine illud ipsum quod est, utcumque declarare, idcirco variis, et differentibus vocabulis illud diverse nominamus, ita ut differentia in solis consideretur nominibus ac secundum rationes iis subjectas. Verbi gratia, quatenus substantiæ ratio est per se subsistere, sapientiæ vero ut sit cognitio divinarum humanarumque rerum, vel cognitio existentium causarum, secundum has rationes

a Eulog. cod. 230. Ἃ ὁ νοῦς ἔγνω καθ' ὅσον δυνατόν ἐστιν ἑρμηνεῦσαι βουλόμενοι. Ib. οὐκ ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς τὰ ὑπὲρ νοῦν ὑποβάλλομεν, οὐδὲ περινοητικαῖς ἐρεύναις τὰ ὑπὲρ εὕρεσιν ἐνυβρίζοντες.

b Id. Ἀπορεῖ μὲν γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ἁπλῇ· καὶ μιᾷ προσβολῇ τὸ ἑνιαῖον ἅμα, καὶ ἁπλοῦν, καὶ τὸ τρισσὸν καταλαβεῖν τῶν ὑποστάσεων· διὸ τῇ τῶν ἰδιωμάτων ὡς ὁ διδάσκαλος ἔφη, προσθήκῃ τὴν ἰδιάζουσαν ἀφορίζει τῶν ὑποστάσεων ἔννοιαν· καὶ ἔστι μὲν ἡ μέθοδος ἀσθενείας ἐπίκουρος, καὶ τῆς περὶ τὸ ἀκατάληπτον συνεργὸς καταλήψεως· οὐ μήν γε συμπεπληγμένον τὸ ἁπλοῦν τῆς θεότητος, ἢ ὅλως τινὰ τῶν ταύτης ὑποστάσεων οὐ μὴν οὖν οὐδαμῶς ἀπειργάσατο.

c Id. Ταῦτα διελθὼν ὁ καλὸς Εὐλόγιος, ἄλλην ἀπορίαν κινουμένην ἵστησιν· ἆρα γὰρ, φησὶν, ἡνίκα τὸ ἴδιον συμπλεκόμενον τῷ κοινῷ, ψευδόμενοι τοῦτο ποιοῦσιν, ἢ ἀληθεύοντες; Ἀλλ' εἰ καὶ ψευδόμενοι, τί καὶ προφέρομεν λέξεις, ὧν μήτε ἐστὶ λαβεῖν ὑποκείμενον; εἰ δὲ ἀληθεύομεν, συμπεπλεγμένον ἂν εἴη καὶ τῆς τριάδος, ἐφ' ἣν τὴν φωνὴν φέρομεν, ὑπόστασις.

d Ib. Ἐξασθενῶν γὰρ, φησὶ, περὶ τὴν τοῦ ὄντος θεωρίαν ὁ νοῦς ὁ ἀνθρώπινος βιάζεται πως συμπεπλεγμέναις χρῆσθαι φωναῖς, καὶ τῷ κοινῷ συνάπτειν τὸ ἴδιον, τὸ ἁπλοῦν ἅμα, καὶ διακεκριμένον τῶν ὑποστάσεων ἁπλῶς, καὶ κατὰ ταὐτὸν ὑποδηλῶσαι μὲν (μὴ) δυνάμενος· ὡς εἴ γε οἷόν τε ἦν ἁπλῇ τὸ ἁπλοῦν ἀπαγγεῖλαι φωνῇ, τῇ συμπλοκῇ τῶν λέξεων οὐκ ἂν ὁ νοῦς ἀπεκέχρητο.

e Demetr. cap. V. Ὁ γὰρ Θεός λέγεται οὐσία, καὶ σοφία, καὶ εἴ τι τοιοῦτον· ἀλλ' οὐχ ὅτι τὰ ὀνόματα διάφορα, καὶ διάφορα τὰ πράγματα δηλοῦσιν· οὕτω γὰρ ἦν ἂν πολυειδὴς, καὶ ἀνομοιομερὴς, καὶ σύνθετος· ἀλλ' ἐπεὶ ἡ φύσις ἡμῶν οὐκ ἔχει ἑνὶ ὀνόματι αὐτὸ ὁπωσοῦν ὅ ἐστιν ἐνδείξασθαι, διὰ τοῦτο ποικίλοις, καὶ διαφόροις ὀνόμασι τὸ αὐτὸ διαφόρως ὀνομάζομεν· τῆς διαφορᾶς ἐν τοῖς ὀνόμασι μόνον θεωρουμένης, καὶ κατὰ τοὺς λόγους αὐτῶν, οἷον ἐφόσον ὁ μὲν λόγος τῆς οὐσίας ἐστὶ τὸ καθ' αὑτὰς ὑφίστασθαι, τῆς δὲ σοφίας, τὸ γνῶσιν εἶναι θείων, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, ἢ γνῶσιν τῶν ὑπαρχουσῶν αἰτιῶν,

Deus dicitur, et est sapientia et substantia, et quocumque alio modo humana facultas definire potest. »

Sed ante hos ambos, Cyrillus Alexandrinus quod a nobis objectum quæsitumque est, erudite disceptat. Nam Eunomianorum argumentum ita concipit quo se Deum tam perfecte nosse, quam ipse se cognoscit, ostendere putabant. « Si enim non sic eum novimus, ut ille semetipsum, falso et perverse de iis quæ ad eum spectant, opinari nos convincimur. Etenim qui non similiter atque ille qui vere scit, cognoscit, vere non scit, sed aberrat iste penitus[a]. » At Cyrillus quod illi consequens faciunt id absolute negat, falsam aut perversam esse rei notitiam quæ non perfectæ similis est. Potest enim et esse vera, et obscura eadem, atque in uno quam in altero distincta magis. Nam et angeli res easdem perfectius intelligunt, quam homines, et inter illos quo quisque sublimioris est gradus et ordinis, eo præstantius cuncta cognoscit.

IV. Rursus adversus ea quæ de proprietatum attributarum Deo ab ejus essentia discrimine hactenus posui, quædam partim opponi possunt veterum dicta, partim ab iis afferuntur qui nullam sine distincta substantiæ notione proprietatem intelligi posse defendunt, quibus occurrendum est duplici de causa, vel ut penitus opinioni patrocinemur nostræ, vel ut quæ sunt absolvendæ proprietatem divinarum tractationi reliqua pertexamus.

Locus Basilii illustratur.

Basilius imprimis, epistola LXXX, de nominibus agens proprietates illas significantibus unam omnium vim esse, ac notionem affirmat. « Omnes, inquit, Deo convenientes tam notiones, quam voces ejusdem sunt inter se dignitatis, eo quod nullum habent in subjectæ rei significatione discrimen. Non enim ad rem aliam subjectam velut manu deducit intelligentiam nostram appellatio boni, ad aliam item sapientis et potentis et justi. Sed quæcumque dixeris nomina, unum idemque per omnia significatur. Ac si Deum proferas, eumdem ostendisti quem et cæteris vocabulis intelligis[b]. » Hic Basilius fortasse videbitur vocabulis omnibus quibus attributæ Deo proprietates exprimuntur, unam et eamdem notionem subjicere, ex quo verum id esse putetur nullam per se ac seorsim intelligi posse quin cæteræ omnes, tum vero essentia quoque ipsa distincte percipiatur. Sed hoc Basilius in animo non habuit, immo contra ut e superioribus liquido constat, singularum diversas esse intelligentias, significationesque voluit.

Quare id unum in illo loco declaravit, proprietatibus omnibus significatione diversis unum et idem subjici τὸ ὑποκείμενον quod proprio modo unaquæque designat. Uno verbo in eamdem veram perfectamque divinitatem coire ac convenire proprietates omnes existimat, ut in quemcumque istæ omnes incidunt, in eum proprie dicta divinitas competat, eademque quam personæ reliquæ suo sibi jure vendicant. Id adeo ex mente ac proposito Basilii illo in loco cognoscitur. Hoc enim studet efficere Spiritum sanctum vere esse proprieque Deum ; quod in Scripturis omnes quæ de Deo usurpantur proprietates et earum vocabula illi tribuuntur. Quare cum unam omnes divinitatem significent, hoc est, subjectam habeant, necesse est hanc ipsam Spiritui sancto non minus accommodari. Sic enim τὰ ἐπίθετα ὀνόματα, id est, *adjectiva* et qualitatem formamque significantia nomina cum diversas notiones intelligentibus objiciant, circa unum aliquod versantur τὸ ὑποκείμενον quod suo ac diverso modo unumquodque describit. Hanc esse Basilii mentem argumento sunt quæ ibidem proxime sequuntur[c]. « Jam si omnia nomina, inquit, quæ de divina natura dicuntur, eamdem secum invicem vim habent in subjectæ rei designatione : ita tamen ut alia secundum aliam expressionem ad idem deducant intelligentiam nostram,

Subjectum.

Subjectum

κατὰ τοὺς λόγους ὁ Θεός λέγεται καὶ ἐστί καὶ σοφία, κα οὐσία, καὶ ὅπως ἄλλως ἡ ἀνθρωπίνη εὐπορία δύναται ὁρίσασθαι.

[a] CYRIL. lib. XXXI. *Thes.* Εἰ δὲ οὐκ ἴσμεν ἡμεῖς οὕτως ὡς αὐτὸς οἶδην, ἐσφαλμένως ἄρα καὶ διεστραμμένως τὰ περὶ αὐτὸν δοξάζοντες ἁλισκόμεθα· ὁ γὰρ μὴ ὁμοίως τῷ ἀληθῶς εἰδότι γινώσκων, οὐκ ἀληθῶς εἴσεται· πλανᾶται δὲ πάντως ὁ τοιοῦτος.

[b] BASIL. Πάντα γὰρ τὰ θεοπρεπῆ νοήματά τε, καὶ ὀνόματα, ὁμοτίμως ἔχει πρὸς ἄλληλα, τῷ μηδὲν περὶ τὴν τοῦ ὑποκειμένου διαφέρειν σημασίαν· οὐ γὰρ ἐπ' ἄλλο τι ·ποκείμενον χειραγωγεῖ τὴν διάνοιαν τοῦ ἀγαθοῦ ἡ προσηγορία· ἐφ' ἕτερον δὲ ἡ τοῦ σοφοῦ, καὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ τοῦ δικαίου· ἀλλ' ὅσα περ ἂν εἴπῃς ὀνόματα, ἓν διὰ πάντων ἐστὶ τὸ σημαινόμενον· κἂν Θεόν εἴπῃς, τὸν αὐτὸν ἐνεδείξω, ὃν διὰ τῶν λοιπῶν ὀνομάτων ἐνόησας.

[c] BASIL. ibid. Εἰ δὲ πάντα τὰ ὀνόματα τῇ θείᾳ φύσει ἐπιλεγόμενα ἰσοδυναμεῖ ἀλλήλοις κατὰ τὴν τοῦ ὑποκειμένου ἔνδειξιν· ἄλλα κατὰ ἄλλην ἔμφασιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὴν διάνοιαν ὁδηγοῦντα, τίς ὁ λόλος τὴν ἐν τοῖς ἄλλοις ὀνόμασι κοινωνίαν πρὸς πατέρα τε, καὶ υἱὸν συγχωροῦντα τῷ πνεύματι, μόνης ἀποσχοινίζειν αὐτὸ τῆς θεότητος;

cujus rationis est cæterorum vocabulorum cum Patre, ac Filio communionem Spiritui sancto tribuentem ab sola divinitate ipsum alienare? » Non igitur de præcisa et ut vocant, *formali* notione divinarum proprietatum loquitur Basilius, sed de consequente et *materiali*.

V. Sic Athanasius in libro *de Decretis Nicænæ synodi*, vel ut eum nominat Joannes Cyparissiotus in *Apologia pro Nicæna synodo*[1]. « Quoniam simplex quiddam Deus est, ideo cum Deum aut Patrem nominamus, non aliquid quod circa ipsum sit nominare nos ait, sed ipsius significare substantiam[a]. » Et in libro *de Synodis Ariminensi, et Seleuciæ*, « cum audimus, Pater et Deus et omnipotens, non aliud quippiam præterquam ipsam ejus qui est substantiam significatam intelligimus[b]. » Nimirum omnia illa vocabula nulli alteri tanquam subjecto, convenire quam Deo demonstrat Athanasius; tametsi variis notionibus rem eamdem subjectam sibi designent. Ut cum dico: *Jonæ filius*, princeps Apostolorum, *piscator*, Andreæ frater et cætera ejusmodi, unam et eamdem personam non aliam atque aliam significo, neque propterea diversa illa nomina singularem habent notionem, sed divisam ac distinctam, ita tamen ut omnes concurrant in eamdem rem subjectam quam assignificant.

Quocirca in hoc potissimum intuentur Patres illi qui diversis proprietatum vocabulis neutiquam plures res, sed unam eamdemque subjici volunt, ut ne pro notionum ac nominum multitudine plures quodammodo naturas esse suspicemur, ac divinam distrahi dirimique substantiam. « Quidam enim, ait Gregorius Nazianzenus, una cum appellationibus substantiam ipsam crasse dividi opinantes, indigna plane divinis rebus in animis suis sentiunt. Sciendum autem deinceps nobis est qui veritatem cognoscimus, individuam et simplicem esse et impartibilem Dei substantiam, cæterum ad salutis animarum nostrarum utilitatem partitionem quoque propter appellationes subire videtur et divisionis necessitati subjici[c]. » Itaque notionum diversitatem, ac distinctam sine ulla confusione significationem nominum nunquam illi negarunt, sed plenis eam disputationibus adversus hæreticos propugnarunt omnia miscentes, et ad unam simplicemque Dei naturam omnia revocantes, ut ex iis patet quæ superioribus capitibus ex Basilio, præsertim in primo et secundo *contra Eunomium* libro ejusque fratre ac defensore Gregorio Nysseno ac reliquis attulimus.

VI. E quibus memorandum imprimis illud est quod Basilius in secundo libro, proprietates personarum cum substantia ipsa comparans, eas vocat « formas et characteres ac notas quæ in substantia ipsa considerantur[d], » hoc est sola nostra cogitatione considerationeque animi et invicem et a communi substantia secernuntur. Quare nec substantiam ipsam dividunt, neque cum illa aut secum mutuo confusam habent notitiam, sic ut unius notio alterius propria sit. « Hæc est enim natura proprietatum, ait ibidem, in identitate substantiæ distinctionem ostendere[e]. » Etenim una et eadem in se Dei substantia quæ est simplex et indivisa, intelligentiæ nostræ tota non subjicitur, neque ex toto et integre cognitio nostra illam complectitur, ac velut exhaurit. Sed variis modis et notionibus eam assequitur et attingit humana consideratio quas ἐπινοίας vocant, quæ subjecto, id est, τῷ ὑποκειμένῳ idem sunt, τῷ λόγῳ, id est, *ratione*, differunt.

Neque vero quod aliqui sentiunt huic contrarius est Anselmus, qui in *Monologii* capite XVI de proprietatibus istis et essentia Dei sic scribit: « Idem est quodlibet unum illorum quod omnia simul sive singula, ut cum dicitur justitia vel essentia, unum significat quod alia Anselmus exponitur.

a ATHAN. Εἰ δὲ ἁπλοῦν τί ἐστιν ὁ Θεός, ὥσπερ οὖν καὶ στί, δῆλον ἐστι λέγοντες τὸν Θεόν, καὶ ὀνομάζοντες τὸν πατέρα, οὐδέν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν· ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν.

b Idem. Ἀλλ' ἀκούοντες, τὸ πατὴρ, καὶ τὸ Θεὸς, καὶ τὸ παντοκράτωρ, οὐχ ἕτερόν τι, ἀλλ' αὐτὴν τὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν σημαινομένην νοοῦμεν.

c GREG. NAZIANZ. or. 45 *ad Evagr.* Τινὲς δὲ ταῖς προσηγορίαις ὁμοῦ καὶ τὴν οὐσίαν παχυμερῶς συνδιαιρεῖσθαι δοξάζοντες, ἀνάξια παντάπασι τῶν θείων ταῖς ἑαυτῶν ἐννοίαις δοξάζουσι· εἰδέναι δὲ ἀκόλουθον ἡμᾶς τοὺς τῆς ἀληθείας ἐπιγνώμονας, ὡς ἀδιαίρετος ἐστι, καὶ μονοειδὴς ἡ θεία τε, καὶ ἀμερὴς τοῦ κρείττονος οὐσία· πρὸς δὲ τὸ χρήσιμον τῆς ἡμετέρας τῶν ψυχῶν σωτηρίας, καὶ μερίζεσθαι ταῖς ὀνομασίαις δοκεῖ, καὶ διαιρέσεως ἀνάγκῃ ὑφίστασθαι.

d BASIL. Γνωριστικάς τινας ἰδιότητας ἐπιθεωρουμένας τῇ οὐσίᾳ.

e BASIL. ib. Αὕτη γὰρ τῶν ἰδιωμάτων ἡ φύσις, ἐν τῇ τῆς οὐσίας ταυτότητι δεικνύναι τὴν ἑτερότητα.

1 Dec. IV, cap. VIII.

vel omnia simul, vel singula. Quemadmodum itaque unum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa uno modo, una consideratione est quidquid est essentialiter. Cum enim aliquis homo dicatur corpus et rationalis et homo, non uno modo vel consideratione hæc tria dicitur. Secundum aliud enim est corpus et secundum aliud rationale, et singulum horum non est totum id quod est homo. Illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid ut idem illud secundum alium modum aut secundum aliam considerationem non sit, quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est. » Quamvis enim significatione ac notione nihil differre invicem proprietates, et attributa videtur asserere, non tamen id quoquo modo intelligit, sed eatenus solum nulla ut in reipsa inesse putetur compositio vel compositionis species tam ea quæ *physica*, quam quæ *metaphysica* vulgo nominari solet. Hoc autem detracto non negaret Anselmus divinam substantiam aliter a nobis intelligi qua substantia est, et communis tribus, aliter vero qua est hæc aut illa persona, vel etiam justitiæ aliam a nobis informari notionem quam misericordiæ, sapientiæ, quam bonitatis. Nimirum hoc ipsum docere voluit Anselmus quod et Græcos Patres Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum dicentes audivimus diversis illis proprietatum divinarum vocabulis unam eamdemque subesse rem significatam, hoc est unum idemque subjectum reipsa simplex et individuum, in quod notiones illæ variæ cadunt sic nulla ut in re sit distinctio. Atqui iidem illi Patres qui proprietatum omnium unam esse significationem dixisse videntur, nihilominus diversas ac separatas singularum esse notiones affirmant, non promiscuas et invicem permixtas quod recentiores probant, ut in antecedentibus capitibus ostendimus. Quare nec Anselmus qui idem quod illi de significationis et rei subjectæ simplicitate ac singularitate statuit, aliter atque iidem ipsi de notionum distinctione sensisse putandus est.

VII. Est apud Joannem sapientem cognomento Cyparissiotum ad id quod nunc agitur, accommodata et scitu non inutilis observatio[1]. Nomina illa quibus divinæ proprietates exprimuntur, dupliciter ait posse spectari, primum si id respicias unde sint illa deducta quæ sunt effecta divinæ potestatis, bonitatis, sapientiæ, ac cæterorum attributorum, quorum sunt creatis in rebus impressa vestigia : deinde si rem significatam consideres, hoc est τὸ ὑποκείμενον, cui illa tribuuntur. Priore modo, operationes Dei et efficientias nomina illa repræsentant. Sunt enim ab iis quæ id rebus conditis effecta cernimus, translata ista nomina, itaque multiplicia sunt et invicem distant. At vero posteriore modo cum an rem subjectam, id est, ad Deum referuntur, ea non dividitur, sed una est eademque re simplex, virtute efficientiaque multiplex. *Suppositum*

Hanc Cyparissioti sententiam una cum superiorum capitum disputatione si quis in promptu habeat, facile huic erit de eo judicium ferre quod inter nonnullos controversum est quodque est ex proposita de divinis proprietatibus quæstione reliquum : utrum proprietates attributæ Deo et humana cogitatione distinctæ absolute illi conveniant, an eatenus solum qua ad res creatas comparantur, ita ut iis penitus cogitatione sublatis e medio jam nulla sit in Deo sapientia, bonitas nulla vel justitia, vel cætera, quæ in illo qualitatum more a nobis intelliguntur. Fit autem duobus modis cum creaturis ista comparatio. Aut enim circa eas versari ac moliri aliquid proprietates illæ dicuntur et actuosæ esse, ut cum sapientia rebus providet humanis aut mundum regit, justitia suum cuique decernit, liberalitas bonis etiam præter meritum afficit. Aut ideo inesse Deo putantur quia, similes earum, et ejusdem nominis qualitates idoneis ad illas capiendas rebus infundunt. Velut si sapientem eo ipso cogitemus esse Deum quod sapientiam largitur, benignum quod benignos facit. Ac sunt affectiones aliquæ quas non alia ratione quam ista inesse Deo merito confitemur, qualis est ira. « Deus enim natura sua iræ est expers, ait Cyrillus Alexandrinus. « Non tamen eos tolerat qui effusa licentia ad prava quæque perpetranda proclive s feruntur. Atque hoc in ipso iram esse dicimus[a]. » Quæ appellandi ratio prior est duarum quas supra posui, cum ira Deo propterea inesse dicitur quod mala et pœnas infligat, citra commo-

An attributa Deo absolute conveniant, an respective tantum ad creaturas

[a] Cyr. *Pasch.* 25. Ἀόργητον μὲν γὰρ τῇ φύσει τὸ θεῖον πλὴν οὐκ ἀνέχεται τῶν ἀσχέτως ἀπονενευκότων ἐπί γε τὸ δεῖν ἐργάζεσθαι πονηρά· καὶ τοῦτό φαμεν ἐπ' αὐτοῦ τὴν ὀργήν.

[1] Dec. IV. cap. VIII.

tionem ullam, cujus penitus est expers. Posteriore vero modo proprietates illas, velut qualitates Deo convenire, quatenus similium est efficiens. Cyrilli Hierosolymitani videri potest opinio, qui in catechesi sexta sic scribit : « Non enim quia bonus vocatur, et justus, et omnipotens, et sabaoth, idcirco varius est et diversus. Sed cum unus sit et idem, infinitas emittit divinitatis efficientias, non plus habens aliqua ex parte, ex aliqua minus, sed semper, ac perpetuo ipse sui similis perseverat[a]. » Cui suffragari ab nonnullis creditur libro *de Divinis nominibus* capite primo Dionysius ubi vocabula omnia quibus illæ significantur, peti ait ex benignitatis ac providentiæ beneficis emanationibus[b]. Quod singillatim in quibusdam declarat. Et in secundo capite : « Quæcumque de Deo nobis explicata sunt, solis cognita esse participationibus asserit[c]. » Itaque « cum Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem nominamus nihil intelligimus aliud, præter quasdam ex illo propagatas in nos facultates deificas aut substantificas aut vivificas aut sapientiæ largitrices[d]. »

Rabbi Moses exponitur et refellitur.

VIII. Hanc eamdem opinionem diserte rabbi Moses explicat in libro primo *More Nebochim*. In quo de divinis proprietatibus late disserit tam negantibus, quam aientibus[1]. Has vero nullo modo convenire Deo probat, nisi nomine tenus et æquivoce : eo quod nulla est inter Deum et res creatas ullius rei similitudo, vel proportio. Quamobrem negat proprie dici vel esse sapientem Deum aut viventem ita ut *formaliter*, ut loquuntur, ejusmodi sit, sed ob solam efficientiam. « Omne, inquit, attributum, quod Deo tribuimus vel est attributum operis, vel significat negationem privationis ejus, nimirum si per illud ipsam ejus substantiam attingere velimus, non opus et effectum[e]. » Quæ verba sic exponit scholiastes rabbi Schem Tob, ut nomina omnia quibus de Deo aliquid affirmatur vel efficientiam meram reipsa significent utrovis illo modo, quem dixi, vel certe negatione interpretanda sint, ut privationem negent ejus, quod illa directe significant. Ut si dicam Deum esse videntem, nihil hoc aliud sit quam non esse non videntem, hoc est visu privatum. Privationes enim earum rerum esse dicuntur quæ subjectæ rei conveniunt. Unde si Deus *non videns* dicatur, ea vox privatum illum dicat forma ista, quam ejus natura postulat.

Sed neutra rabbi Mosis sententia probabilis est. Nam et hoc falso sibi persuadet, nullam, nisi vocabulo tenus, proprietatem ab creatarum rerum similitudine, in Deum posse transferri, tanquam nihil, nisi æquivoce, ac sine ulla proportione et similitudine, commune Deo, ac creaturis esse queat. Atqui similitudo est aliqua Deum inter et hominem, ut Scriptura ipsa testatur, adeoque proportio. Siquidem « similitudo, ut idem rabbi Moses ait, est proportio una inter duas res[f]. » Est autem proportio non cujusmodi est inter ea quæ adæquari possunt, vel quam vocant *univocam*, sed quæ imitationis et adumbrationis appellari possit, quæque analogica nominatur. Quocirca non propter efficientiam solam, et opera extrinsecus producta, Deus esse sapiens, exempli gratia, vel sanctus, aut bonus dicitur. Sed reipsa et in se talis est, dummodo notio illa quam informamus animo, proprietatum attributorumque talium ab eo omni repurgetur, quod crassum et imperfectum est, ac rerum creatarum proprium, ut jam sæpe monuimus. Quod quidem de iis proprietatibus intelligi volumus, quæ *formaliter* inesse Deo, vulgo theologi asserunt et a Græcis θεωπρεπῆ, hoc est *digna Deo* vocantur, non autem de iis, quæ *eminenter* dumtaxat insunt, ut est ira, pœnitentia, et affectiones

a Cyr. Hieros. Οὐ γὰρ ὅτι καλεῖται ἀγαθὸς, καὶ δίκαιος, καὶ παντοκράτωρ, καὶ σαβαὼθ, παρὰ τοῦτο διάφορός ἐστι, καὶ ἀλλοῖος· ἀλλ' εἷς ὢν καὶ αὐτὸς μυρίας ἐκπέμπει τὰς τῆς θεότητος ἐνεργείας, οὐκ ἐν μέρει πλέον ἔχων, καὶ ἐν μέρει ἐλαττούμενος· ἀλλ' ἐν πᾶσιν ὅμοιος ὢν αὐτὸς ἑαυτῷ.

b Dion. Τὴν ἱερὰν τῶν θεολόγων ὑμνολογίαν, εὑρήσεις πρὸς τὰς ἀγαθουργοὺς τῆς θεαρχίας προόδους ἐκφαντορικῶς, καὶ ὑμνητικῶς τὰς θεωνυμίας διασκευάζουσαν.

c Id. c. II. Πάντα γὰρ τὰ θεῖα, καὶ ὅσα ἡμῖν ἐκπέφανται, ταῖς μετοχαῖς μόναις γινώσκεται.

d Ib. Οἷον εἰ τὴν ὑπερούσιον κρυφιότητα Θεόν, ἢ ζωὴν, ἢ οὐσίαν, ἢ φῶς, ἢ λόγον ὀνομάσαιμεν, οὐδὲν ἕτερον νοοῦμεν, ἢ τὰς εἰς ἡμᾶς ἐξ αὐτῆς προαγομένας δυνάμεις ἐκθεωτικὰς, ἢ οὐσιοποιοὺς, ἢ ζωογόνους, ἢ σοφοδώρους.

e Rabbi Moses lib. I, cap. LVIII. כל תאר שנתארהו בו הוא אם תאר פעלה או יהיה ענינו שלילת העדרו אם היתה הכוונה בו השגת עצמו ולא פעלתו.

f Rabbi Moses, ibid. cap. LVI. הדמות הוא יחס אחד בין שני דברים.

1 Rabbi Moses, lib. I, cap. LVI et seq. maxime cap. LVIII.

similes, quas nemo nisi profanus et vecors, proprie in Deo reperiri sentiat. Sed de his accuratius dicam postea. Illud etiam rabbi Mosis absurdum est, attributa hæc aientia negationem privationis tantummodo designare, ut res ipsa satis ostendit, et ex sequentibus plenius constabit. Habet autem de negantibus attributis multa Moses idem utilia nec indigna scitu, præsertim capite LVIII, quæ non sine fructu apud illum legentur. Tum de affirmantibus quoque nonnulla minime contemnenda docet, ut dum reipsa nullum inter hæc invicem aut ab essentia Dei esse discrimen asseverat, præsertim capitibus LII et LIII.

IX. Ut ad Dionysium revertar, aliosque Patres, qui divinas illas proprietates sola efficientia, et ut loquitur Dionysius [1], αἰτιολογικῶς convenire censent, eo sensu intelligendi sunt, quem ex Joanne Cyparissioto paulo ante memoravimus. Nam si ad ea respicias, a quibus appellationes illæ variæ proprietatesque translatæ sunt, non proprie ac per se Deo congruunt, eo quod multiplices sunt, et imperfecti aliquid secum trahunt. Sin eadem cogites, quatenus Deum significant, et ut illi insunt, nihil obstat quin proprie dicantur. Adde quod ex Dionysio commemoravimus, non aliter nos ista percipere animo et intelligere posse, quam ex eorum efficientia. Unde non tam quemadmodum de Deo pronuntientur, aut insint ei, quam quomodo a nobis comprehendantur ac declarentur, Dionysius ac cæteri Patres explicare voluerunt. Sic iidem cum revera nullo invicem, et ab essentia discrimine sejungi in Deo ista scirent, absolute tamen differre ac distingui docuerunt ratione et ἐπινοίᾳ; ita ut « quamvis intellectu multa esse dicantur, re tamen, et substantia unum sint, in quibus est plenitudo divinitatis, » ait Auctor libri *de Incarnatione verbi* [2]. Quare aliud esse dixeruntsubstantiam, et οὐσίαν Dei : aliud, ea quæ sunt circa substantiam, hoc est attributas illi proprietates. Quas qui cognitas haberet ac perfectas, non idcirco Deum, et ejus nosse substantiam. De quo cum multa in antecedentibus capitibus veterum allata sint testimonia, unum hic addam alterumve, quo magis errare constet illos, qui attributa censent invicem misceri, et unius notitiam distinctam essentiæ, ac cæterorum notionem includere, non solum κατὰ τὸ ὑποκείμενον, id est ut vocant, *materialiter*, sed etiam *formaliter*.

Maximus martyr in centuria prima *de Charitate* capite centesimo. « Qui in Deo est, inquit, primum substantiæ illius rationes inquirit, ardens cognoscendi desiderio, at nullum ex iis quæ insunt ipsi, solatium invenit. Id enim impossibile est, nec obtineri potest ab ulla condita natura, excepta nulla. Verum ex iis quæ circa ipsum sunt, sese ipse solatur, nempe ex contemplatione æternitatis, infinitatis, et interminatæ magnitudinis, bonitatis, sapientiæ, virtutis tam creatricis, quam providentis, et eorum, quæ sunt, judicatricis. Atque hoc unum prorsus illius capi cognitione potest, infinitas [a], etc. » Idem apud Euthymium in *Panoplia*. « In Deo, inquit, ens, bonus, Deus, opifex, supersubstantialis, infinitus, immortalis, et ejusmodi alia, non dicuntur substantivæ differentiæ, ne compositum ex iis illum esse profiteamur. Verum appellationes esse dicimus, quæ nonnulla significant, quæ circa ipsum considerantur, sed nihil exprimunt eorum, quæ ad ejus substantiam, ac naturam pertinent. Quædam enim divinæ naturæ convenientia significant, non tamen ipsam naturam demonstrant ; quod proprium est earum differentiarum, quæ substantivæ, ac rei constituentes sunt [b]. » Vides ut attributas illas Deo proprietates neget οὐσιώδεις esse, hoc est essentiam Dei, vel ejus differentiam. Quod de illis interpretandum est, quatenus a nobis intelliguntur ac *Substantiales.*

a MAXIM. Ἐν δὲ Θεῷ γινόμενος τοὺς περὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ πρῶτον λόγους ζητεῖ μὲν ὑπὸ τοῦ πόθου φλεγμαινόμενος, οὐκ ἐκ τῶν κατ' αὐτὴν δὲ τὴν παραμυθίαν εὑρίσκει· ἀμήχανον γὰρ τοῦτο, καὶ ἀνένδεκτον πάσῃ γεννητῇ φύσει ἐξ ἴσου· ἐκ δὲ τῶν περὶ αὐτὸν παραμυθεῖται, λέγω δὴ τῶν περὶ ἀϊδιότητος, ἀπειρίας τε, καὶ ἀοριστίας, ἀγαθοτητός τε, καὶ σοφίας, καὶ δυνάμεως, δημιουργικῆς τε καὶ προνοητικῆς, καὶ κριτικῆς, καὶ τοῦτο πάντη καταληπτὸν αὐτοῦ, καὶ μόνον, ἡ ἀπειρία, etc.

b Idem apud Euthym. par. I, tit. 3, p. 76. lat.

Ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, τὸ ὢν, καὶ τὸ ἀγαθὸς, καὶ τὸ Θεὸς, καὶ τὸ δημιουργὸς, καὶ τὸ ὑπερούσιος, καὶ τὸ ἄπειρος, καὶ τὸ ἀθάνατος, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὐ λέγομεν οὐσιώδεις διαφορὰς, ἵνα μὴ σύνθετον αὐτὸν ἐκ τούτων δογματίσωμεν· ἀλλὰ προσηγορίας τινῶν μὲν ἐμφαντικὰς τῶν θεωρουμένων περὶ αὐτόν· οὐδενὸς δὲ τῶν κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ καὶ φύσιν δηλωτικάς· τινὰ μὲν γὰρ πρέποντα τῇ θείᾳ φύσει σημαίνουσι, οὐκ αὐτὴν δὲ τὴν φύσιν μηνύουσι· ὅπερ ἴδιον τῶν οὐσιωδῶν, καὶ συστατικῶν διαφορῶν.

1 Cap. II, *de Divin. nomin.* — 2 In Append. operum. Aug. lib. II.

secundum notiones, quas de illis informamus; non ut per se et in Deo considerantur. Sic igitur distinctas habent ab essentia et a se ipsis invicem notitias.

X. Hoc ipsum docet et Plotinus de summa agens intelligentia quam *actu* semper, immo *actum* esse dicit, nec ab eo quod intelligit, id est ab suis notionibus differre. « Quanquam consuetudo nostra hæc est, ex usu nostrarum rerum etiam ista cogitationibus distinguere [a]. » Quam ad consuetudinem respectum habens Novatianus in libro *de Trinitate* capite septimo illud expendit, « quod Deus charitas dictus est [1]. Nec ex hoc tamen Dei substantia charitas expressa est. Et quod lux dictus est, nec tamen in hoc substantia Dei est. Sed totum hoc Deo dictum est quantum dici potest, ut merito et quando spiritus dictus est non omne id quod est dictus sit. Sed ut dum mens hominum intelligendo usque ad ipsum proficisci spiritum, conversa jam ipsa in spiritu aliud quid amplius per spiritum conjicere Deum esse possit. Id enim quod est secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. » Hæc cum auctor ille dicit ab catholica regula non discedit, neque ab communi Patrum usu dissidet, qui frequenter hoc usurpant, etiam illi qui post Nicænam scripsere synodum, fidei jam rebus in aperta luce positis, præsertim vero Trinitatis dogmate. Quare Novatianum istum injuria notat Jacobus Pamelius tanquam cum catholico dogmate et Augustini sententia pugnantem [2], « qui in illa summa simplicique natura substantiam ipsam scribat esse charitatem et charitatem ipsam substantiam. » Atqui nihil iste peccavit, nec Augustino aut catholico decreto contrarius est. Immo idipsum sentit, ac dicit quod Augustinus et ad unum omnes catholici doctores asseverant, proprietates illas ut quidem a nobis intelligentia capiuntur non ut in sese, vel in Deo potius spectantur ab ipsa illius essentia differre non re sed ἐπινοίᾳ, et non essentiam, sed circa essentiam esse. Dixerunt idem Athanasius, Basilius, Epiphanius, Cyrillus, Gregorii ambo Nyssenus et Nazianzenus, aliique quos adversus Anomœos eadem illa sæpius inculcantes supra commemoravimus. An est illud Novatiani capitalius quam hoc Gregorii Nazianzeni, qui divinas proprietates, velut corporis expers, ingenitum, principio carens, immutabile, incorruptum, ac quæcumque alia de Deo vel circa Deum esse dicuntur substantiam ipsam neque declarare, neque complecti assserit [b]?

Vide Cyrillum Alexandrinum in libro præsertim *Thesauri* XXXI, ubi universe attributorum tam affirmantium quam negantium nomina, non ipsam Dei substantiam significare scribit, sed quiddam quod est circa substantiam. « Quare non sequi nos Dei nosse substantiam ex eo quod quæ circa eam sunt ista cognoscamus [c]. » « Non enim ex iis quæ sunt circa ipsas, substantiæ cognoscuntur, sed ex iis quæ sunt ipsæ per sese [d]. »

XI. Porro non eo solum proprietates Deo attributas inesse dici quod aliquid efficiat, hoc est (ut minus Latine, sed breviter enuntiem) non efficienter solum, sed formaliter, uno alterove Patrum testimonio concludam. Athanasius in oratione prima contra Arianos horum dictum redarguit quo Filium asserebant non proprie, nec vere esse λόγον, id est *rationem* vel *sapientiam*, quæ sunt in Patre sed tantum κατ' ἐπίνοιαν dici λόγον et σοφίαν, quatenus et rationales facit et sapientes. Quem Athanasii locum supra descripsi [3]. Hoc autem falsum esse contendit ille, quod facere certe non debuit, si revera non aliter aut rationem aut sapientiam habet Deus, quam quod tales efficere alios potest. *Ratione dici verbum et sapientiam.*

Ita Cyrillus in quarto *Commentariorum in Joannem*, capite tertio, copiosa disputatione eosdem retundit hæreticos [e], « qui dicerent, Christum ideo vitam nominari, quod eam aliis im-

a PLOT. *Enn.* 5. lib. IX, c. V. Ἔθος δὲ ἡμῖν ἀπὸ τῶν παρ' ἡμῖν κἀκεῖνα ταῖς ἐπινοίαις χωρίζειν·

b GREG. NAZ. or. 34. Ἀλλ' εἰ ἀσώματον, οὔπω μὲν οὐδὲ τοῦτο τῆς οὐσίας παραστατικόν τε, καὶ περιεκτικὸν, ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἀγέννητον, καὶ τὸ ἄναρχον, καὶ τὸ ἀναλλοίωτον, καὶ τὸ ἄφθαρτον, καὶ ὅσα περὶ Θεοῦ ἢ περὶ Θεὸν εἶναι λέγεται.

c CYR. Ἀλλὰ τούτων ἕκαστον οὐ τῆς οὐσίας ἐστὶ σημαντικὸν, καθάπερ ἤδη προείπομεν, ἀλλά τι τῶν περὶ τὴν οὐσίαν σημαίνει.

d Ib. Οὐκοῦν οὐκ ἐκ τῶν περὶ τὰς οὐσίας αἱ οὐσίαι γνωσθήσονται, ἀλλ' ἐξ ὧν εἰσίν αὐταὶ καθ' ἑαυτάς.

e CYR. Ἀλλὰ ναὶ, φησὶν ὁ δι' ἐναντίας, κατὰ τοῦτο ζωὴν εἶναι δώσομεν τὸν υἱὸν, καθὸ κα αὐτὸς δύναται ζωοποιεῖν.

1. *Joan.* IV, 8. — 2 Aug. lib. XV. *de Trinit.* cap. XVII. — 3 Cap. VII. n. 20.

pertiret. » E contrario vero pugnat ille vitam esse revera quod et aliis in locis tam de vita, quam de sapientia et cæteris proprietatibus ostendit. Vitam igitur proprie ac vere, et in se Filium esse demonstrat, nec vivum tantum aut sapientem, sed vitam ipsam et sapientiam.

Ex quo altera quoque ad idem probandum informari ratio potest. Nam et Scripturæ ipsæ, et Græci Latinique Patres omnes personas tres singillatim abstractis ut vocant nominibus appellare solent ab illis proprietatibus. Dicunt enim Deum esse charitatem, esse virtutem, esse sapientiam et id genus alia quæ attributa dicuntur. Nominatim vero Filium ac Spiritum sanctum ex eo significant esse Deum vere proprieque dictum, quod ea nominum forma passim afficiantur ut alibi demonstravimus [1]. Quid potest igitur evidentius ac certius effici, non idcirco proprietates illas inesse Deo, quod ejusdemmodi aliquid quales istæ sunt, moliri possit, quam ex eo quod veteres omnes asserunt non habere tantum illas, sed esse appellarique Deum, cum iidem tamen eas veluti formas et affectiones illius cogitatione describi nostra fateantur?

CAPUT XII.

De Græcorum recentiorum opinione, qui a Dei substantia reipsa differre putant operationes illius et proprietates, deque sectæ hujus antesignano Gregorio Palama, ac de Barlaamo, Gregorio Acindyno, aliisque illius adversariis. Exponitur illorum conflictus et synodi in eorum causa Constantinopoli habitæ.

Error eorum qui proprietates

1. Divinas proprietates, præsertim relativas, ab essentia non ratione sola sed reipsa quoque distingui et antiquorum aliquot opinio fuit, et recentiorum, e quibus Gilbertum Porretanum fuisse antea demonstravimus. Quod autem ad veteres attinet, Athenagoram habemus * christianum philosophum, qui in oratione pro christianis, M. Aurelio et L. Commodo imperatoribus inscripta, bonitatem in Deo accidens esse et qualitatem existimat. Ibi enim Deo contrariam esse virtutem quamdam asserit, sed ita ut non tam ipsi Deo, quam bonitati ejus adversetur, quæ est in ipso accidens aliquod. « Sic, inquit, et alias quasdam virtutes esse cognoscimus quæ circa materiam et per eam versantur, unam quidem Deo contrariam. Non quod ulla vis repugnare Deo possit, ut amicitiæ lis secundum Empedoclem, et nox diei, uti sensibus nostris apparet. Si enim Deo aliquid obsisteret, mox esse desineret, vi et potentia Dei dissipatum. Sed quoniam Dei bonitati quæ secundum accidens inest ipsi et simul existit, tanquam color in corpore, sine quo non est non ut pars sit ipsius, sed ut res consequens necessario existens in ipso, eique conjuncta ac veluti concorporata, ut igni color fulvus, ætheri cæruleus contrarius est ille qui circa materiam versatur spiritus [a]. » Ejusdemmodi et Lactantii de Deo fuit illa persuasio, inesse in eo affectum iræ quem in potestate haberet. Qua de opinione postea dicetur, cum Dei simplicitatem explicabimus. Nunc cum illis potissimum reserit, qui cum de eo magnificentius ac præclarius sentiant, eorum tamen quæ de ipso prædicantur et ei attribuuntur, quoddam et inter se et ab essentia discrimen agnoscunt eo majus, quod ratione sola, intelligentiaque constat, et a nobis defensum est superiori capite. Nam reipsa, per seque et citra cogitationem, cum a bonitate differre sapientiam putant, tum ab utra-

et operationes reipsa a Dei substantia differre asserunt.

a ATHENAG. Οὕτως καὶ ἑτέρας εἶναι δυνάμεις κατειλήμμεθα περὶ τὴν ὕλην ἐχούσας, καὶ δι' αὐτῆς· μίαν μὲν τὴν ἀντίθεον· οὐχ ὅτι ἀντιδοξοῦν τί ἐστι τῷ Θεῷ, ὡς τῇ φιλίᾳ τὸ νεῖκος, κατὰ τὸν Ἐμπεδοκλέα, καὶ τῇ ἡμέρᾳ νὺξ κατὰ τὰ φαινόμενα· (ἐπεὶ κἂν εἴ ἀνθειστήκει τι τῷ Θεῷ ἐπαύσατο τοῦ εἶναι, λυθείσης αὐτοῦ τῇ τοῦ Θεοῦ δυνάμει αἰ ἰσχύι τῆς συστάσεως·) ἀλλ' ὅτι τῷ τοῦ Θεοῦ ἀγαθῷ, ὃ κατὰ συμβεβηκός ἐστιν αὐτῷ, καὶ συνυπάρχον, ὡς χρόα σώματι, οὗ ἄνευ οὐκ ἐστίν (οὐχ ὡς μέρους ὄντος, ἀλλ' ὡς κατ' ἀνάγκην συνόντος παρακολουθήματος ἡνωμένου, καὶ συγκεχρωσμένου, ὡς τῷ πυρὶ, ξανθῷ εἶναι, καὶ τῷ αἰθέρι κυανῷ) ἐναντίον ἐστί τὸ περὶ τὴν ὕλην ἔχον πνεῦμα.

* Noluissem a Petavio hunc errorem fuisse Athenagoræ tributum, cum nulla ejusmodi accusationis causa adfuerit, atque ipsemet Petavius modum rationemque patefecerit, qua nobilissimi auctoris verba rite explanarentur. Sane docuit Petavius, argumentisque comprobavit, essentiam ei ab ejusdem attributis, ad nos quod attinet, ἐπινοίᾳ secerni: docuit essentiam mente a nobis apprehendi instar subjecti, attributa vero dotesque eorum instar quæ subjecto adjacent et circa illud contemplantur: tum docuit ex hoc habitu repeti oportere, ut attributa vero dotesque divinæ

[1] Lib. III, *de Trinit.* cap. XII. n. 18 et cap. XVI. n. 2, et lib. * *de Deo*, cap. V.

que et aliis essentiam Dei, tum vero ab eadem essentia, personarum proprietates tres. Qua in sententia primum Theodorus Mopsuestenus fuisse videtur, ut ex Leontio Byzantino colligitur, qui sic illum alloquitur[1] : « Deum putas non esse bonum οὐσιῶδες, id est *secundum substantiam*, etc. Dic nobis unde accepit bonum? Ipse enim non est opinione tua per se bonum. » Deinde Gilbertus, ut capite antecedente dixi, tum Gualterus nescio quis ab Augustino Nipho laudatus[2]. Nec multum ab utroque distare creditur a plerisque Joannes Scotus[3], cui subtilitatis ab scholasticis palma conceditur, qui *formalem* nescio quam differentiam inter attributa constituit, cujus ea vis est, ut reipsa et natura sua, non cogitatione sola, a se invicem ista discrepent. Ac Gilberti quidem opinio declarata est a nobis antea. De Gualtero ac Scoto et adversus ambos certatim contenditur ab scholasticis doctoribus, qui ex adversa factione sunt. Neque vero nos tortuosis illorum concertationibus interponimus, neque quid Scoto, ejusque fautoribus de eo visum sit, referre nostra credimus. His igitur omissis, commemorandi sunt hoc loco Græci quidam recentiores, quorum haud sane vulgata mentio est, qui esse quidam in Deo putarunt reipsa distinctum a Dei substantia, eaque ut inferius, ita minime creatum, sed medii cujusdam inter Deum ac res creatas ordinis, quam Dei ἐνέργειαν, id est, *operationem* vocarunt, ab οὐσίᾳ diversam. Hanc illorum opinionem latius explicare plurimum intersit susceptæ disputationis, in qua de proprietatum, sive attributorum ab essentia discrimine ac Dei simplicitate agitur. Nam multa continet quæ ad veterum Patrum illustrandas sententias non parum conferunt, quorum illi testimoniis abutuntur. Simul hoc omnes intelligent, quantis ista natio quamque densis tenebris occæcata et ad quæ opinionum portenta dilapsa sit, ex quo Romanæ ab Ecclesiæ societate discessit.

[...]ssentia.

[...]lamas er[...]ris Græco[...]m signi[...]r, ejusque [...]storia.

II. Hujus itaque sectæ princeps et antesignanus fuit Gregorius Palamas monachus ac Thessalonicensis postea factus episcopus, is qui Joannis Becci Constantinopolitani patriarchæ capita duodecim oppugnavit, vicissim et ipse a Bessarione cardinali confutatus. Qui liber Romæ ante paucos annos græce latineque est editus, cum aliis Græcorum catholicorum opusculis. Hujus autem erroris origo fuit ista, ut Demetrius Cydonius refert[4]. Hesychastæ quidam monachi dæmonis, ut apparet, illusi præstigiis, mysticum nescio quid usurpabant, affirmantes se ad certum corporis habitum conformatos mirifica quædam cernere. Cum enim ad pectus vel umbilicum caput ac mentum appressissent et oculos contorsissent, suppresso spiritu mirabilem se lucem intueri et inexhausta voluptate affici. Stolidi hujus, absurdique commenti patronus insignis fuit Simeon monasterii cujusdam præfectus, magni inter suos nominis ac novus propterea dictus theologus. Post hunc, factionis illius columen Gregorius, quem dixi, Palamas extitit, primum monachus in monte sancto, deinde Thessalonicensis episcopus qui lumen istud etiam oculis aspectabile verum illud esse lumen dixit[5], quo Deus induitur, adeoque Deum ipsum[a]. Per idem tempus Andronico Juniore imperante, qui avum Andronicum, occupata Constantinopoli, in ordinem redegit et imperium arripuit anno Christi 1328, ut auctor est Nicephorus Gregoras[6]; Barlaamus monachus ex Italia Constantinopolim venit Latini, hoc est catholici defensor dogmatis et eruditus, qui Palamam ac totam illam nationem conturbavit. Hunc ex Calabria oriundum et humanioribus apprime litteris imbutum fuisse testatur in tomo synodus, de qua paulo post.

Barlaamus monachus contra populares suos pro Latinis disputat.

Cum Palama in certamen descendit.

III. Extant Barlaami monachi epistolæ qui Gyracensis vel Hieracensis episcopus dicitur, graves ac doctæ quas pro Latinis contra Græcos scripsit[7]. Quarum editor duos ejusdem nominis observat fuisse Barlaamos, ejusdem urbis episcopos, quorum prior ex anno Christi 1303 sedem Hieracensem obtinuit annis novem, posterior anno 1342 creatus est a Clemente sexto, patria Neapolitanus ex Peloponneso. Nam superioris ignota patria est. Porro in epistola prima Barlaamus a Basilio Macedone et Photino patriarcha (is est Photius), sub quibus initium habuit schisma Græcorum ad ætatem suam, nondum expletos esse dicit annos quadringentos. Mortuus est Basilius Macedo anno Christi 889 a

a Palam. Εἰ γὰρ καὶ φῶς ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν, ἀλλὰ καὶ φῶς ἀληθινὸν καλεῖται· μᾶλλον δὲ αὐτὸ ἀληθινὸν φῶς, ὃ ὡς ἱμάτιον ὁ θεὸς ἀναβάλλεται.

1 Lib. III, *contra Nest.* t. IV, Biblioth. Patrum. — 2 Lib. XII *Metaph.* disp. 13, cap. III. — 3 In 1, dist. 8. qu. 4. — 4 Libro *contra Palamam.* — 5 Apud Dem. p. 412. — 6 Lib. IX, *Hist.* — 7 Tom. III. *Biblioth. Patrum* ac edit. Paris. postremæ et tomo VI. *Lect. Canis.*

quo anni quadringenti putati desinunt in Christi 1289, cui vicinior est ætas Barlaami superioris. Quare hic potius auctor habeatur epistolarum illarum. At posteriori Barlaamo prorsus congruit noster ille, Græcorum in synodo damnatus, Andronico Juniore imperante qui avum e solio detrusit.

Nicephorus Gregoras in undecimo libro, synodi illius meminit, ubi Barlaami et Palamæ historiam refert, et illum scribit ex Italia venisse ad Andronicum Juniorem, (incidit hoc circa annum Christi 1330) ac Palamam, ejusque dogmatis fautores monachos vexasse, quos εὐχίτας et ὀμφαλοψύχους et Massalianos vocabat, quod orationis et contemplationis genus usurparent inusitatum et absonum : quo nomine infames erant Massaliani, de quibus Epiphanius : ὀμφαλοψύχους vero nominabat, quod ad umbilicum uti jam dictum est, appresso capite, divinam quamdam et increatam lucem videre se, ardoremque sancti Spiritus concipere ac per nares efflare dicerent, quod ex Demetrio supra memoravimus. Barlaami contentione et conviciis irritati monachi montis Atho Gregorium ei Palamam objiciunt. Exardescentibus odiis et ad tertium jam annum velitatione protracta, res ad synodum denique deducitur, quæ, paulo ante mortem Andronici Junioris, (excessit autem anno Christi 1341) ipso præsente imperatore, quamvis ægro esset corpore, ac magna principum ordinis utriusque frequentia, peracta est in templo sanctæ Sophiæ.

Euchytas et Omphalo-psychistas.

Omphalo-psychistas.

IV. Hanc synodum nonam a Græcis œcumenicam video numerari in synopsi quadam Græce ante annos plures edita Lutetiæ, quæ synodorum omnium summam perbrevi narratione perstringit. Hujus itaque postremæ ac nonæ acta sic compendio colligit. (Libet enim verba ipsa describere quo magis Græcorum istorum pateat error, cujus et accurata cognitio et quæ sine hac fieri nequit, confutatio, valde ad institutam de divinis proprietatibus ac Dei simplicitate disputationem pertinet). Sic igitur synopsis :

SYNODUS NONA

« Hæc sancta et œcumenica synodus nona habita est, imperante beatæ memoriæ ac celebri imperatore D. Andronico Palæologo et Joanne filio ejus, contra Barlaam et Acindynum. Hi enim asserebant, alias quidem nullam in divina natura distinctionem esse inter substantiam, et operationem, sed idem esse ac nihil differre, alias vero interesse dicebant, sed substantiam quidem increatam esse, ejus autem substantiales operationes et naturales diversas esse concedentes, non tamen increatas, sed creatas. Item lumen illud quod in Thaborio monte resplenduit, visionem simpliciter et creaturam fuisse, orientem ac desinentem, non divinæ naturæ naturalem splendorem et divinitatem, et quod lumen inaccessum sit et esse dicatur. Contra illos igitur talia dicentes congregata est sancta ista synodus quæ eos insipienter loqui convicit et mentiri per omnem sermonis speciem, ac reliquos hæreticos impietate superare. Interfuerunt huic synodo Isidorus Constantinopolitanus, Lazarus Hierosolymitanus patriarchæ, Alexandrinus vero et Antiochenus per vicarios et legatos. Gregorius item Palamas et Philotheus Coccinus, aliique monachi complures virtute insignes ac selecti, qui et in illos anathema dixerunt. » Sequuntur quædam synodi decreta.

Synodus Constanti nopolitana quam Græ nonam œcu menicam nuncupant contra Barlaamun et Acindynun habita.

« Traditum hoc a majoribus accepimus Deum operantem significare, divinitatis autem operationem : nullum autem trium est operatio. »

« Item accepimus, quidquid nullam vim aut operationem habet, neque esse aliquid, neque ipsum poni removerive posse. Quod autem habet, prorsus ab eo diversum est quod habetur [a]. »

V. Si id verum est quod refert synopsis, multum in historia synodi istius prævaricatus est Nicephorus Gregoras, qui Barlaamum scribit ea contra Palamam crimina vetitum attingere quæ ad arcanum illud dogma pertinebant : « ne vel sacra theologiæ mysteria

[a] *Synop. conc.* Σύνοδος θ'. Ἡ ἁγία, καὶ οἰκουμενικὴ αὕτη σύνοδος θ', γέγονεν ἐπὶ τῆς βασιλείας τοῦ μακαρίτου, καὶ ἀοιδίμου βασιλέως κυρίου Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου, καὶ Ἰωάννου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, κατὰ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου· ἐδογμάτιζον γὰρ οὗτοι νῦν μὲν οὐδεμίαν διάκρισιν εἶναι ἐπὶ τῆς θείας φύσεως οὐσίας τε, καὶ ἐνεργείαν ἀλλὰ ταὐτὸν εἶναι, καὶ ἀδιάφορον· νῦν δὲ διάκρισιν μὲν εἶναι ἔλεγον· πλὴν τὴν μὲν οὐσίαν ἄκτιστον, τὰς δὲ αὐτῆς οὐσιώδεις ἐνεργείας, καὶ φυσικὰς συγχωροῦντες ἑτέρας εἶναι, πλὴν οὐκ ἀκτίστους, ἀλλὰ κτιστάς· καὶ ἔτι τὸ ἐν τῷ Θαβωρίῳ ἐκλάμψαν θεῖον ἐκεῖνο φῶς φάσμα ἁπλῶς, καὶ κτίσμα γινόμενον, καὶ ἀπογινόμενον· ἀλλ' οὐ τῆς θείας φύσεως φυσικὴν αἴγλην, καὶ θεότητα, καὶ φῶς ἀπρόσιτον καὶ ὂν, καὶ λεγόμενον, κατὰ τούτων οὖν οὕτω λεγόντων, συνήχθη ἡ ἁγία σύνοδος αὕτη, ἐλέγξασα τούτους ἀνοηταίνοντας, καὶ ψευδομένους κατὰ πᾶν εἶδος λόγου, καὶ ἀσεβοῦντας μᾶλλον τῶν ἄλλων αἱρετικῶν· παρῆσαν δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ, Ἰσίδωρος κωνσταντινου-

profanis inculcarentur auribus vulgi, vel Barlaamo ineptæ linguæ et animi rationem reddente, Palamas quoque blasphemæ et absurdæ theologiæ reus peragi videretur [a]. » Hæc Nicephorus, qui in Palamam utique propensus non videtur, etsi Barlaamo minime studuit, contra quem librum etiam edidit sub dialogi forma, ut ipse narrat. Sed Joannem Cantacuzenum offendere est veritus qui, paulo post synodum, mortuo Andronico, imperium administravit tutorio nomine, ex anno 1341, nondum maturis administrandæ reipublicæ Andronici filiis, Joanne Palæologo et Manuele. Quippe Cantacuzenus Palamam impense fovebat, ut mox dicetur. Redeo ad Nicephorum qui hæresim illam Palamicam, (ita enim vocat) tum silentio suppressam esse scribit quæ quominus extingueretur, præmaturo imperatoris Andronici obitu factum esse ait, tacite ut apparet, Cantacuzenum vellicans. Barlaamum vero aliis ex capitibus accusationem instituere jussum causa cecidisse, neque partam ex ea re invidiam ferentem, illico in Italiam rediisse ad Latinorum instituta quibus erat innutritus. Hæc Nicephorus quæ falso esse scripta, convincitur ex actorum synopsi, quæ ob illa ipsa capita Palamicæ hæresis quæ obliterata fingit ille, condemnatos esse prodit Barlaamum et Acindynum, tam quod lucem illam aspectabilem quam in Thabore discipuli viderunt, increatam ac divinæ naturæ propriam negarent, quam quod ἐνέργειαν, hoc est, *vim* et *efficaciam*, sive *operationem* Dei ab οὐσίᾳ, id est, *natura* ejus ac substantia separare nollent. Quod posterius de naturæ et ἐνεργείας discrimine, inventum a Palama et ad dogma superius additum, indicat Cydonius Demetrius [1]. Cum enim a Barlaamo redargueretur, quod substantiam Dei aspectabilem et spirabilem faceret quam et oculis conspici et per nares efflari diceret, eo necessitate coactus confugit, ut « substantia omni superiorem existentiam Dei reali distinctione partiretur in essentiam et operationem, vel potius operationes multas [b]. »

VI. Post istam synodum, in qua Barlaamus proscriptus est, aliæ quædam adversus discipulos illius fautoresve Constantinopoli habitæ sunt, et una præsertim insignis, Joanne Cantacuzeno et Joanne Palæologo Andronici filio imperantibus, a qua tomus editus est bene longus, qui accuratissimam sectæ illius ac dogmatis expositionem continet. Hujus meminit Demetrius in libro contra Palamam et ex eo quædam citat, quibus Palamæ hæresis explicatur. Eumdem nos tomum in manuscripto codice Bibliothecæ christianissimi regis invenimus, illo scilicet eodem qui et Joannis Becci librum contra Græcos de processione Spiritus sancti continebat duodecim distinctum capitibus. Cujus tomi hæc inscriptio est : « Tomus editus a divina et sacra synodo quæ congregata est adversus quosdam, qui Barlaami et Acindyni dogma sequebantur, imperantibus piis et orthodoxis imperatoribus nostris Cantacuzeno et Palæologo [c]. » Sequitur longa, ut diximus, expositio eorum omnium quæ in illo conciliabulo gesta sunt, in quo Palamæ quædam objecta sunt capita, quibus præsens ipse respondit, ac nonnullæ super illius dogmate propositæ sunt quæstiones et explicatæ, Cantacuzeno ipso pro Palama identidem interloquente ac demum post omnium subscriptiones, Palamæ ipsius professio fidei subdicitur qui tum Thessalonicensis erat episcopus, cum in

Item aliæ contra eorum fautores.

πόλεως, Λάζαρος ἱεροσολύμων, Ἀλεξανδρείας καὶ Ἀντιοχείας διὰ Τοποτηρητῶν, Γρηγόριος ὁ Παλαμᾶς, Φιλόθεος ὁ Κόκκινος, καί ἕτεροι μοναχοὶ πολλοὶ ἐνάρετοι, καὶ λογάδες, οἵ καὶ ἀνεθεμάτισαν αὐτούς.

Παρελάβομεν ὅτι θεὸν ἐνεργοῦντα δηλοῖ· θεότητος δὲ ἐνέργειαν· οὐδὲν δὲ τῶν τριῶν ἐνέργεια.

Παρελάβομεν ὅτι τὸ μηδεμίαν δύναμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε τί ἐστιν, οὐ δέ ἐστιν αὐτοῦ θέσις, ἢ ἀφαίρεσις· τὸ δὲ ἔχον ἕτερόν ἐστι πάντως, οὗ ἔχει.

a NICEPH. Τὰ μὲν οὖν τῆς ἐγκαλουμένης θεολογίας σιωπῇ κρύπτεσθαι δεῖν ἐνομίσθη· τοῦτο μὲν καὶ διὰ τὸ μὴ δεῖν τὰ ἱερὰ τῆς θεολογίας μυστήρια βεβήλοις τοῦ δήμου προτίθεσθαι ἀκοαῖς· τοῦτο δὲ, καὶ ἵνα μὴ δίκας ἀτόπου γλώττης, καὶ γνώμης διδόντος τοῦ Βαρλαὰμ, δίκας βλασφήμου τε καὶ ἀκαίρου θεολογίας ὄφλων φανῇ καὶ ὁ Παλαμᾶς.

b DEMETR. Ἐπὶ τούτοις ἐλεγχόμενος ὑπὸ τοῦ Βαρλαὰμ ἐκείνου, τοῦ καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτὸν φωράσαντος, σαφῶς τὴν οὐσίαν τοῦ θεοῦ ὁρατὴν καὶ πνευστὴν κατασκευάζων, ἐκφεύγων δῆθεν τὸ ἄτοπον, χείρονι κακῷ θεραπεύειν τὴν αἵρεσιν ἐπεχείρησε· καὶ τολμᾷ τὴν ὑπερούσιον ὕπαρξιν τοῦ θεοῦ πραγματικῇ διακρίσει εἰς οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν, μᾶλλον δὲ ἐνεργείας διελέσθαι.

c Tomus synodi. Τόμος ἐκτεθεὶς παρὰ τῆς θείας, καὶ ἱερᾶς συνόδου τῆς συγκροτηθείσης κατὰ τῶν φρονούντων τὰ Βαρλαὰμ τε, καὶ Ἀκινδύνου, ἐπὶ τῆς βασιλείας τῶν εὐσεβῶν, καὶ ὀρθοδόξων βασιλέων ἡμῶν Καντακουζηνοῦ, καὶ Παλαιολόγου.

1 Libro *contra Palamam*. p. 412.

priore synodo monachus tantum esset. Coacta est autem synodus ista in Alexiaco triclinio quod apud Blachernas erat.

Ex hujus itaque tomo synodico plenius ac distinctius ea percipiuntur quæ ad Palamicam hæresim spectant. Ac primum de Barlaami damnatione agens, manifeste in priore synodo latam in eum sententiam asserit, ob illa capita quæ Nicephorus Gregoras suppressa esse falso prodidit. Verba sunt hujus de Barlaamo. « Hic cum esset monachus, et ex Calabria prodiisset atque in Græcis (hoc est, gentilibus) studiis multum operæ contrivisset, totumque sese iis addixisset, adversus veritatem et eos qui hanc religiose tuebantur repugnavit, quos tanquam duplicem divinitatem constituerent, accusavit, quod nimirum non tantummodo subsistentem in tribus et a nullo participabilem Dei essentiam increatam esse dicerent; sed etiam æternam ac deificam et iis qui digni sunt, communicatam Spiritus sancti gratiam. Ad hæc ipsa disceptanda divina collecta synodo, convictus ac proscriptus est a sancta et catholica et apostolica Christi Ecclesia, ex theologicis sanctorum scriptis, propugnantibus veram doctrinam, tum sacratissimo hodie Thessalonicæ metropolitano Palama, tum monachis[a]. »

Acindynus Barlaami discipulus eadem sententia perculsus.

Exinde Acindynum Barlaami discipulum eadem perculsum anathematis sententia refert, quod « cum cætera illius amplecteretur, tum hoc, quod lumen illud dominicæ transfigurationis quod a beatis discipulis et apostolis qui cum Christo simul ascenderunt, creatum niteretur ostendere et circumscriptum, nec iis quæ sub sensus cadunt, ulla re præstantius[b]. » Vides novum et inusitatum crimen ac blasphemiam, ut ibidem vocant, propter quam ab omni christianorum numero et communione pelli, damnarique meruerunt. Secundum hæc altera synodus contra Joannem patriarcham habita est ejusdem propugnatorem sententiæ, ob quam sede motus condemnatusque est. Rursus adversus Ephesi et Ganni episcopos ac Gregoram et Dexium alia synodus est coacta, cujus acta modo referemus, quæque tomum illum, in quo ista narrantur edidit. Quæ synodus, magna præsulum, clericorum ac monachorum, necnon imperatoris Cantacuzeni ac fratrum ejus et principum frequentia celebrata est.

VII. Huic quam exposuimus hactenus, narrationi rerum in Barlaami et Palamæ causa gestarum, tunc Græcorum inter se conflictus, et synodicarum actionum, assentitur Joannes Cantacuzenus imperator in historia temporis illius, quam Latine olim a se redditam publicavit Jacobus Pontanus societatis nostræ vir eruditissimus. Nos in Græcum exemplar calamo exaratum nuper incidimus Christoduli inscriptum nomine, quod proprio suppresso, operi suo Cantacuzenus præfixerat. Quæ quidem historia elegantissime conscripta, sic ut vetere Græcia digna sit, luci jampridem ac publico debetur, quod propediem fore non diffidimus. In hac omnia fere quæ ad Græcorum fervidam illam contentionem attinent, itidem ut ex tomo retuli, comprehensa sunt. « Barlaamum ait Monachum e Calabria Latinis moribus, institutisque formatum in Orientem venisse, hominem ad intelligendum acutum et, ad ea quæ intellexerat explicanda, facultate summa præditum. Qui in Euclidis et Aristotelis ac Platonis scriptis apprime versatus, magnum in his sibi nomen acquisierat[c]. » Is cum initio Latinorum se dogmata refellere velle demonstrasset, libros quosdam adversus illos edidit. Sane prodiit ante annos aliquot Barlaami libellus de Papæ principatu nostri, ut opinor illius. Idem porro, pergit Cantacuzenus, cum se ad solitarium quemdam monachum, rudem hominem et hebetem applicuisset, tanquam eo magistro uti vellet, aliquanto post tempore arcana nescio quæ ab eo perdoctus est de

a Ex tomo. Οὗτος δὴ μοναχὸς ὢν, καὶ τῆς Καλαβρίας ὁρμώμενος, καὶ τῇ τῶν ἑλλήνων παιδείᾳ πολὺς γεγονὼς, καὶ ὅλον ἐκείνης ἑαυτὸν ἐξαρτήσας, κατὰ τῆς ἀληθείας χωρεῖ, καὶ τῶν ἱερῶς ἀντεχομένων αὐτῆς· καὶ διθεΐαν τούτων κατηγορήσας, οὐ μονον τὴν τρισυπόστατον καὶ πᾶσιν ἀμέθεκτον οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἄκτιστον εἶναι λεγόντων· ἀλλὰ καὶ τὴν ἀΐδιον, καὶ θεοποιὸν, καὶ τοῖς ἀξίοις μετεχομένην χάριν τοῦ πνεύματος· συνόδου θείας ἐπὶ τούτοις συγκροτηθείσης, ἐξηλέγχθη, καὶ ἀπεκηρύχθη παρὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἁγίας, καὶ καθολικῆς, καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας, διὰ τῶν τοῖς ἁγίοις πᾶσι θεολογικῶς συγγραφέντων· τοῦ τῆς ἀληθείας λόγου προϊσταμένων τοῦ τε νῦν ἱερωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης τοῦ Παλαμᾶ, καὶ τῶν μοναχῶν.

b Ib. Πολλῶν τε ἄλλων ἕνεκεν, καὶ ὅτι τὸ φῶς τῆς τοῦ Κυρίου μεταμορφώσεως, τὸ τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ μακαρίοις μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις ὀφθὲν, κτιστὸν ἐπεχείρει δεικνύναι καὶ περιγραπτὸν, καὶ τῶν αἰσθητῶν φώτων πλέον ἔχον οὐδέν.

c Cantac. lib. II. c. xxxix. Μοναχὸς γάρ τις ὁρμώμενος ἐκ Καλαβρίας, τοῖς Λατίνων ἔθεσι, καὶ νόμοις ἐκτραφεὶς ὄνομα Βαρλαὰμ, ἄλλως δὲ νοῆσαι ὀξὺς, καὶ τὰ νοηθέντα ἐξηγήσασθαι ἱκανώτατος, καὶ τὰ Εὐκλείδου, καὶ Ἀριστοτέλους, καὶ Πλάτωνος ἐκμελετήσας, καὶ διαβόητος περὶ ταῦτα ὢν, ἐπὶ κακῷ τῇ Ῥωμαίων ἐπεδήμησε βασιλείᾳ.

luce quadam aspectabili ac divina, increataque quæ per orationem ac quietem monachis se objiciens inexhausta voluptate illos afficeret. Qua ille usus occasione contra monachorum ordinem debacchari cœpit et tragœdias illas, quas dixi, concitavit. Cui cum monachi Gregorium Palamam opposuissent genere Asiaticum, synodus data illis est Constantinopoli in templo sanctæ Sophiæ, imperatore cum Joanne patriarcha ac pluribus episcopis præsentibus [1]. In qua cum Barlaamus multa contra monachos ac præsertim de luce illa visibili disputasset, contradicente Palama, ubi se victum ac judicio damnandum animadvertit, consilio usus magni domestici Joannis Cantacuzeni, erroris sui confessione ac veniæ deprecatione sententiam antevertit, et cum monachis in gratiam rediit. Atque hæc prima fuit synodus in causa Barlaami et Palamæ quam nonam œcumenicam a Græcis numerari diximus.

VIII. Haud multo post altera synodus celebrata est adversus Gregorium quemdam monachum, cognomine Acindynum, (ait Cantacuzenus) qui Barlaami dogma sequebatur, præside eodem Joanne patriarcha et Joanne Cantacuzeno magno domestico, in qua dicta sententia est in Barlaamum et Acindynum. (Nam ille resumpto opinionis suæ patrocinio in Italiam aufugerat, ubi se ad Latinos adjungens, Hieracis ab illis factus est episcopus) et actorum synodicorum tomus unus ex more conscriptus est.

Tertia deinde synodus, ut idem narrat Cantacuzenus [2], præsidente Anna Augusta et filio ejus imperatore Joanne Palæologo peracta est, in qua Joannes patriarcha quod Barlaami et Acindyni dogmata sequeretur, e sede depositus est.

Quartam demum adversus eamdem opinionem coactam esse synodum scribit Cantacuzenus [3], in eaque redactos in ordinem et communione mulctatos esse Ephesinum episcopum, Gani metropolitam, Nicephorum Gregoram et Dexium quod Barlaami et Acindyni placita defenderent. Ita quatuor synodi a Græcis habitæ sunt, in quibus ludicrum et anile commentum opinionis in catholici decreti auctoritatem est assumptum. In harum porro tribus posterioribus tomi, ut appellant, editi sunt singuli, e quibus tertium ab quarta confectum legi, ex eoque consentanea iis excerpsi quæ ab Cantacuzeno prodita sunt. Qui quidem stolido huic errori, ejusque propugnatori Palamæ plus æquo deditus, nugis istis elegantem alioquin infuscavit historiam. Et quoniam postrema illa synodus causam omnem diligenter exposuit in tomo suo quem e tribus unum vidimus, summam eorum quæ illic proposita et enodata sunt ac præcipua commenti istius argumenta persequar et contra singula dicam breviter, ut ne sine præsenti remedio venena ista proferantur. Postea vero, cum de æternitate Dei atque ideis agam, rursus eamdem fabulam pleniori disputatione refellam.

CAPUT XIII.

Referuntur ac discutiuntur præcipua dogmata quæ in Constantinopolitana quadam synodo proposita sancitaque sunt contra Barlaamum, Acindynum aliosque, de discrimine essentiæ divinæ et operationum, sive attributorum, ac multa alia incredibiliter absurda produntur. Dionysius aliique Patres, quorum testimoniis abutuntur, expositi.

I. Illa igitur in synodo quarta, cujus antecedenti capite memini, accurate disceptata est controversia illa de divinitate, sive substantia Dei et vi illius, hoc est δυνάμει atque ἐνεργείᾳ quæ est *operatio* et *efficientia*, cum Gregorius Palamas præter substantiam quæ communicari et ad creatas res transfundi nequit, esse quasdam illius operationes ac proprietates diceret, communes personis tribus et easdem æternas, sed inferiores substantia ipsa, quæ ad creaturas producendas, continendas, fovendas, gubernandasque descendunt. Eas porro non actiones solum, sed etiam attributa quæ vocantur interpretari tam Palamam quam quæ hujus omnia probavit, synodum istam, paulo post constabit, idque Demetrius Cydonius observavit [4]. Has, inquam, operationes et attributa, quales sunt non modo creatio et providentia, sed etiam sapientia, bonitas ac cætera ejusdemmodi, reipsa distingui putant ab essentia et substantia Dei, cui licet coæterna sint, sunt ea tamen minora et ab eadem, velut a causa proficiscuntur. Quod autem objectum erat Palamæ, θεότητας, id est *deitates* ab eo plures constitui, huic tam ille quam synodus uni-

Explicantur dogmata Palamæ.

1 Cantac. lib. II, c. XL. — 2 Lib. III, c. XCVIII. et XCIX. — 3 Lib. IV, c. XXIII. — 4 Lib. *de Process. Spiritus sancti*, c. V.

versa reclamat. Unam quippe divinitatem aiunt agnoscere se quæ est Pater, Filius et Spiritus sanctus. « Nihilominus operationes quasdam divinas, ait Palamas, et processiones naturaliter et ex æterno existentes in Deo divinitatis appellavi nomine. » Tum se dicit propter Barlaamum quo cum certabat, distinctius ista tradidisse : « qui solam substantiam Dei increatam esse divinitatem assereret, et operationem divinam a substantia differentem in rerum creatarum ordinem detraheret [a]. » Verum Demetrius ostendit [1] etiam θεότητας plures asseverare Palamam, quarum una sit summa et præcipua, reliquæ inferiores. Hujus enim verba ista sunt ex libro quodam quem contra Barlaamum dialogi specie scripsit, in quo Barlaamum et orthodoxum loquentes introducit. « Una est trium hypostaseon divinitas, sive natura et substantia supersubstantialis, simplex, invisibilis, incomprehensibilis, imparticipabilis omnino. Aliæ vero quæ a sanctis appellantur divinitates, sive una, sive duæ, sive plures sunt. Nam illud ubique esse, ab eo quod est currere et quasi ubique pertingere, item nullibi esse decurrendo et quasi undique fugiendo, deitas cognominatur. Tum ille Dei splendor quem apostoli in monte conspicati sunt deitas dicitur [b]. »

Deitates.

II. Quinetiam τὴν ἐνέργειαν, hoc est, Dei *operationem* et proprietatem magis proprie vocari θεότητα, quam οὐσίαν ipsam ac *substantiam* existimat, ut ibidem Demetrius probat. Unde cum plures sint ἐνέργειαι, reipsa invicem et ab essentia distinctæ, plures esse deitates putat Palamas. Cujus etiam ista sunt eodem ex libro. « Ego vero universas Dei bonas progressiones dico esse illa substantialia et naturalia Dei et inferiora divina substantia ac diversa tam ab hac, quam a se invicem, nempe sapientiam, virtutem, operationem, vitam, bonitatem et sanctitatem et omnia quæ divinum numen et est, et esse dicitur [c]. Et in libro quem inscripsit Ἐλέγχους, καὶ ἄτοπα, *Refutationes et absurda*, scribit sic : « Est igitur deitas alia præter substantiam Dei quæ est ipsi coæterna [d]. » Sic esse plures Spiritus sanctos increatos, præter unum qui est Trinitatis persona tertia, dixit Isidorus [2] quidam ex illa factione [e], necnon Palamas [3], qui operationes illas Spiritus sancti quas Isaias spiritus vocat, sic ejus esse dona confitetur, ut sint ἐνέργειαι ἄκτιστοι, *operationes increatæ ac deitates multiplices*. Nec solum θεότητας appellavit increatas illas ἐνεργείας et attributa, sed etiam θεοὺς, ut ex illius verbis demonstrat Demetrius Cydonius.

Operationes

Deitates.

Deos.

Verum ut a nobis non solum illa hæresis intelligatur, sed etiam quæ sint firmamenta ejus ac veterum Patrum testimonia, quibus falso se tuetur, tota illa disputatio certa in quæstionum capita distingui debet, quæ in tomo declarantur, cum quidem methodi gratia Cantacuzenus imperator in partes dividi controversiam omnem ac singillatim explicari jussisset.

III. Sunt igitur quæstiones illic omnino sex. « Prima, an in Deo sit eo digna distinctio substantiæ et operationis. Secunda, si quidem ambo illa distincta esse constiterit, utrum operatio ista creata sit, an increata. Tertia, ut increata esse demonstretur Deo consentanea hæc operatio, quinam evitari possit, ut ne compositus idcirco Deus existimetur, quod qui contra sentiunt, Ecclesiæ Dei solent objicere. Quarta quæstio, an divinitatis vox non

Sex capita erroris Græcorum.

a Palamas. Ἀλλ’ ἐνεργείας θείας, καὶ προόδους τινὰς φύσει προσούσας καὶ ἐξ ἀϊδίου τῷ Θεῷ, τῷ τῆς θεότητος ὀνόματι προσηγόρευσα, τοῖς ἁγίοις οἰόμενος σύμφωνα λέγειν· ἀλλ’ οὐδὲ ταῦτα εἶπον ἂν, εἰ μὴ πρὸς ἀνάγκην ἦλθον παρὰ τοῦ ἀντιλέγοντος, καὶ κατὰ ἀντιπαράστασιν, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀγωνιζόμενος μόνην ἄκτιστον λέγοντα θεότητα τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ· πᾶσαν δὲ δύναμιν, καί ἐνέργειαν θείαν τῆς οὐσίας διαφέρουσαν, εἰς κτίσματα κατασπῶντα.

b Palam. Μία ἐστὶ τῶν τριῶν ὑποστάσεων θεότης, ἤτοι φύσις καὶ οὐσία ὑπερούσιος ἁπλῆ, ἀόρατος, ἀπερινόητος, ἀμέθεκτος παντάπασιν· αἱ δὲ ἄλλαι παρὰ τῶν ἁγίων λεγόμεναι θεότητες, εἴτε μία, εἴτε δύο, εἴτε πλείους· καὶ γὰρ τὸ πανταχοῦ εἶναι ἀπὸ τοῦ θεῖν, καὶ οἱονεὶ φθάνειν πανταχόσε, θεότητα ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν· καὶ τὸ μηδαμοῦ εἶναι ἀποθέοντα, ὥσπερ διαφεύγοντα πανταχόθεν· ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ λαμπρότης, ἣν καὶ οἱ ἀπόστολοι ἐπὶ τοῦ ὄρους εἶδον, θεότης λέγεται.

c Palam. Ἀλλ’ ἐγὼ τὰς ὅλας ἀγαθὰς φημὶ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ προόδους εἶναι τὰ οὐσιώδη ταῦτα, καὶ φυσικὰ τοῦ Θεοῦ, τὰ ὑφειμένα τῆς θείας οὐσίας, καὶ ἕτερα ταύτης τε, καὶ ἀλλήλων, τὴν σοφίαν, τὴν δύναμιν, τὴν ἐνέργειαν, τὴν ζωὴν, καὶ ἀγαθότητα, καί ἁγιότητα, καὶ πάνθ’ ὅσα καί ἐστι τὸ θεῖον, καὶ λέγεται.

d Palam. Ἔστιν ἄρα θεότης ἄλλη παρὰ τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ὑπάρχουσα συναΐδιος αὐτῇ.

e Isid. Ὅτι καὶ ἄλλα πνεύματα ἅγιά εἰσιν ἄκτιστα, ἄλλα παρὰ τὸ ἓν τῆς τρισυποστάτου θεότητος ἅγιον πνεῦμα.

1 Libro *contra Palam.* p. 420. — 2 Apud Dem. — 3 Apud Dem.

de substantia solum, sed etiam de divina operatione prædicetur a theologis. Ex hoc enim capite divinitatis duplicis infamiam Ecclesiæ aspergunt ejus hostes. Quinta quæstio, ecquid theologi quadamtenus substantiam operatione superiorem esse statuant, quoniam et hoc adversarii reprehendunt. Sexta et postrema, an cum Deus participetur, ea communicatio ratione substantiæ fiat, an operationis [a]. » Hæ sunt quæstiones in illa pseudosynodo disceptatæ jussu imperatoris, quibus controversia tota continetur. De quibus singillatim ita pronuntiant.

De differentia substantiæ et operationis.

Imprimis quod ad differentiam attinet substantiæ et operationis (operationis autem nomine non solum actio, sed etiam ea quæ dicuntur attributa significant, ut ex antecedentibus liquet ac postea quoque constabit) declararunt « eos qui cum eo quod unitum est, non id etiam quod est distinctum, divinæ substantiæ et operationis profitentur, atheos esse [b]. » Ac Demetrius quidem in libro *contra Palamam* varios modos percenset, quibus ambo illa distinguunt. Velut quod ἐνέργεια sit ἀνυπόστατος, id est *per se minime subsistat.* Tum quod οὐσία sit id quod habet ἐνέργεια id quod habetur. Item quod οὐσία causa sit, sive principium, at ἐνέργεια vel potius ἐνέργειαι, αἰτιαταὶ sint, id est ab essentia tanquam causa productæ, ipsæ vero creaturas efficiant.

Operatio. *Substantia. Operatio.* *Operatio. Operationes causatæ.*

« Volendi, ait Palamas[1], operandique vis naturale quiddam est, sed non natura [c]. » Præterea quod οὐσία sub aspectum non cadat, ἐνέργεια sit aspectabilis, cujusmodi lux illa est quam in Thabore conspexerunt apostoli, divina res et increata. Ad hæc quod οὐσία immobilis est, ἐνέργεια vero motio quædam. Hæc communicatur ac distribuitur, illa communicari, dividique non potest, οὐσία comprehendi nequit, ἐνέργεια comprehenditur. Quæ omnia ipsis Palamæ verbis affirmari ab eo Demetrius ostendit.

Substantia. Operatio.

At in tomo, tam ab eodem Palama quam ab universa synodo Patrum insuper auctoritate comprobantur. Nam ἐνέργειαν esse in Deo distinctam ab ejus substantia, ex Dionysio probant, qui ait, « id quod vim et operationem habet nullam, nihil esse, neque positionem aut ablationem ei convenire. » Porro « quod habet, differt omnino aliqua re ab eo quod haberi dicitur [d].

Operationem. Dionysius perperam ascitus.

IV. Verum (ut ne sententiarum, quas ex Patribus afferunt, explicationem differamus longius; libet enim ad singulas e vestigio respondere) plane ἀσυλλόγιστος est Græculorum ratio. Non enim vis agendi et actio vel operatio abest a Deo*, tametsi ut est in Deo, sit ipse Deus, neque reipsa differat ab ejus substantia. Quod in generatione ac spiratione cernimus quæ sunt immanentes

Male deducta.

a Tomus. Πρῶτον μὲν εἴ ἐστιν ἐπὶ Θεοῦ θεοπρεπὴς διάκρισις οὐσίας, καὶ ἐνεργείας. Ἔπειτα διακρίσεως ἀναφανείσης, πότερον ἡ ἐνέργεια αὕτη κτιστή ἐστιν, ἢ ἄκτιστος· τρίτον δὲ, εἴ γε ἄκτιστος ἀποδειχθείη ἡ θεοπρεπὴς αὕτη ἐνέργεια, πῶς ἄν τις ἐκφύγοι τὸ μὴ παρὰ τοῦτο σύνθετον τὸν Θεὸν εἶναι νομίζειν· ὅπερ οἱ ἑτεροδοποῦντες προφέρειν τολμῶσι τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ· τέταρτον δὲ, εἴ γε ἡ φωνὴ τῆς θεότητος, οὐκ ἐπὶ τῆς οὐσίας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς θείας ἐνεργείας παρὰ τῶν θεολόγων ὑμνηται, καὶ ἐκ τούτου γὰρ τὴν τῆς διθεΐας ἀμορφίαν τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταχέουσιν οἱ ταύτης πολέμιοι. Πέμπτον δὲ, εἴπερ οἱ θεολόγοι κατά τι τὴν οὐσίαν τῆς ἐνεργείας ὑπερκεῖσθαι φασίν· ἐπεὶ καὶ τοῦτο τοῖς ἐναντιουμένοις ὑπὸ μέμψιν τελεῖ. Καὶ λοιπὸν ἔτι Θεοῦ μετεχομένου, πότερον κατὰ τὴν οὐσίαν ἡ μετοχὴ, ἢ κατὰ τὴν ἐνέργειαν.

b Tomus. Ἀπεδείχθη ὅτι οἱ μὴ μετὰ τοῦ ἡνωμένου, καὶ τὸ διακεκριμένον τῆς θείας οὐσίας, καὶ ἐνεργείας πρεσβεύοντες, ἄθεοί τε εἰσὶ, καὶ πολλοῖς ἑτέροις ἀτόποις ἑαυτοὺς περιβάλλουσι.

c Palam. Ἡ γὰρ θελητικὴ, καὶ ἐνεργητικὴ δύναμις φυσικόν ἐστιν, ἀλλ' οὐχὶ φύσις.

d Dionys. Τὸ μηδεμίαν δύναμιν, ἢ ἐνέργειαν ἔχον οὔτε ἐστὶν, οὔτε τί ἐστιν· οὔτε ἔστι παντελῶς αὐτοῦ θέσις ἢ ἀφαίρεσις· τὸ δὲ ἔχον, οὗ ἔχει κατά τι διαφέρει πάντως.

* Operæ pretium fuerit cum Manuele Caleca (*De essent. et operat.*) veterum Patrum enarrante doctrinam animadvertere, tribus distinctisque modis ἐνεργείας *operationis* nomen frequentari. Eo namque I. exprimitur ἡ δύναμις καθ' ἣν ὁ Θεος ἐνεργεῖν πέφυκε, *virtus qua Deo nativum est operari,* quæque audit ἐνεργητικὴ δύναμις *operandi virtus :* tum II. exprimitur ἡ σχέσις ἡ ἀπὸ τοῦ ἐνεργοῦντος πρὸς τὸ ἐνεργούμενον *habitus ab operante ad id quod operatione efficitur :* ac tandem III. exprimitur τὸ ἐνέργημα *opus ipsum effectumque.* Jamvero cum Palamitis neque olim fuit, neque disputatio nunc est de operatione altero tertioque modo accepta, cum omnes probe noverint utroque modo illam esse ἐκτὸς τοῦ Θεοῦ *extra Deum ;* quæ autem sunt extra Deum, esse κτίσματα *creaturas* alias aliis dignitate excellentiaque præstantiores. Universa igitur contentio ad operationem revocatur priore sensu intellectam, usurpatamque περὶ τῆς δυνάμεως καὶ ἐνεργείας, καθ' ἣν ἐνεργεῖν πέφυκε, καὶ καθ' ἣν ἐστὶν ἐνέργεια καὶ ὂν καὶ εἶδος καὶ ζωὴ καὶ σοφία καὶ ἀγαθότης, ἢ ὅ τί ποτ' ἐστὶν ἐκεῖνο τὸ πάσης καταληπτικῆς ἐπινοίας ἀνώτερον ἀεὶ

1 Apud Dem.

ἐνέργειαι ac nonnisi ἐπινοίᾳ differunt ab οὐσίᾳ. De quo genere differentiæ superiori capite uberrime dixi. Itaque ridiculi sunt Græci qui quod de ἐπινοίας, id est, *rationis* vel *cogitationis* differentia veteres usurparunt, ad rei discrimen imperite, ne dicam impie, transferunt. Nam quod assumunt, *id quod habet, distingui ab eo quod habetur*, in Deo non est verum, qui illud omne est quod in se habet, uti postea ex Augustino, aliisque tradetur.

Inscitiæ specimen dum ex Damasceno argumentantur.

Sequitur majoris inscitiæ specimen, dum ex Cyrillo ac Damasceno argumentantur in hunc modum. Damascenus ait : « Opus divinæ naturæ est antecedens sæcula generatio, opus autem voluntatis est creatura[a]. » Cyrillus vero : « Facere, inquit, efficientiæ est, naturæ vero generare. Porro non idem est natura et efficientia[b]. » Unde sic colligunt, qui substantiam vel naturam ab ἐνεργείᾳ non distinguunt, creationis ac generationis discrimen auferre, atque adeo nihil inter Filium et creaturam interesse putare.

Atqui stultum est ideo rei ab re differentiam, quod isti volunt, inter substantiam Dei et ejus efficientiam sive efficiendi vim constituere, quod diversa sint reipsa quæ ab utraque producuntur. Nam et Filius reipsa differt a Spiritu sancto, etsi unus idemque sit reipsa Pater, qui solus, ut Græci sentiunt, ambobus illis originem dedit; neque generandi vis idcirco re differt a spirandi facultate, aut a voluntate mens. Vides quanta sit Græculorum istorum levitas qui et absurde Dionysii celeberrimum illud effatum « de unita et distincta theologia, » hoc est, « de eo quod secundum unitatem et secundum differentiam de Deo dicitur, » ad nefarium dogma suum accommodare student.

Dionysii sententia exponitur.

V. Scripsit enim hac de re Dionysius capite secundo *de Divinis nominibus*, cujus est iste titulus : « *De unita et distincta theologia et quænam divina est unio et distinctio*[c]. » Quod inscite admodum Græci isti referunt ad substantiam divinam quæ una est, et ἐνεργείας, hoc est, *operationes* et attributa quæ reipsa invicem et a substantia differunt. Verum Dionysius longe aliter docet ac recens illud dogma coarguit. Nam quod ἡνωμένον est in Deo, illud esse definit, quodcumque absolute et, ut loquitur Augustinus, ad se beata illa substantia dicitur, quod scilicet personis tribus convenit. Illud vero διακεκριμένον, hoc esse *distinctum differensque* esse quod proprium est, ut esse Patrem, esse Filium. Itaque priori in genere non ipsam tantum substantiam ponit, sed etiam bonitatem, sapientiam, pulchritudinem, dominatum rerum omnium, principii causæque rationem, vivificam vim et alia hujus generis quæ personis omnibus ex æquo conveniunt.

Unitum.

Quæ qui communi ab essentia discindere ac divellere conetur, impie facere, quod unione omni majorem unitatem dividat. Quocirca quæ Græci ab ipsa Dei substantia distinguunt et sunt communia personis tribus quæ ἐνεργείας vocabulo comprehendi ab illis ostendimus, velut est bonitas, sapientia, vis et potentia, lux ipsa denique divina et increata, hæc, inquam, omnia Dionysius toto illo capite ad eam quam vocat ἡνωμένην θεολογίαν pertinere censet. Quare ex ejus mente una sunt ac simplicissima res, neque mutuo distinguuntur.

Unitam theologiam

Unitionis distinctio

VI. Quinetiam genus aliud ἑνώσεως et διακρίσεως Dionysius agnoscit in Deo ejusque proprietatibus, quatenus extra ipsum dimanant

a DAMASC. Ἔργον μὲν θείας φύσεως ἡ προαιώνιος γέννησις· ἔργον δὲ θείας θελήσεως ἡ κτίσις.

b CYR. Τὸ μὲν ποιεῖν ἐνεργείας ἐστί· φύσεως δὲ, τὸ γεννᾷν· φύσις δὲ καὶ ἐνέργεια οὐ ταὐτόν.

c DION. Περὶ ἡνωμένης, καὶ διακεκριμένης θεολογίας, καὶ τίς ἡ θεία ἕνωσις, καὶ διάκρισις.

εὑρισκομένον, *de virtute deque operatione, per quam habet Deus operari, et secundum quam et operatio et ens et forma et vita et sapientia et bonitas, vel si quid aliud est quod omni mentis comprehensione semper invenitur superius.* Etenim αὐτὸ τὸ ἐνεργείᾳ εἶναι ἑκάστῳ, τί ποτ' ἐστὶν, ὅπερ ὡς τελειότης καὶ εἶδος, καὶ ὥς τινες εἶπον, ἐντελέχεια οὑτινοσοῦν ὑποκειμένου πράγματος θεωρεῖται, ἐπὶ μὲν τῶν κτισμάτων, τοῦ ὑποκειμένου ἐν ᾧ ἐστι διαφέρει, διά τὴν ἐν τοῖς κτιστοῖς διπλόην καὶ διαφορότητα καὶ σύνθεσιν, ὡς τὸ ὂν, τοῦ μή ὄντος, καὶ τὸ τέλειον τοῦ ἀτελοῦς, καὶ τὸ εἰδοποιοῦν τοῦ εἰδοποιουμένου· ἐπὶ δὲ τοῦ θεοῦ, ὅς ἐστιν ὅλος ἐνέργεια ὑφεστῶσα καὶ τελεία, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ δυνάμει καὶ τὸ ἀτελὲς πόῤῥω ἐπελήλαται, διὰ τὴν ἄκραν τελειότητα καὶ ἁπλότητα, ταυτόν ἐστιν ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ, ᾗ ἐστι τῇ οὐσίᾳ αὐτοῦ, *quod est cuique rei actu esse, quidquid tandem illud sit, quod ceu perfectio et forma et ut quidam dicunt* ἐντελέχεια *subjectæ cujusque rei consideratur, in creatis quidem rebus pro ipsarum duplicitate, distinctione et compositione, a subjecto distinguitur cui inest, veluti ens et non ens, perfectum et imperfectum, tribuens formam, illamque recipiens ; at vero in Deo qui totus est operatio subsistens, et quo procul abest quod est potentia ac imperfectum, ob summam perfectionem simplicitatemque idem est illius operatio cum essentia qua est.* E. R.

ac profunduntur quam ἀγαθοπρεπῆ πρόοδον appellat, hoc est, *congruentem bonitati progressionem*. « Ex iis vero ad ἡνωμένην θεολογίαν ea *Unitam theologiam.* revocat, quæcumque a tribus personis in creaturas proficiscuntur, « ut est substantiæ communicatio, vitæ ac sapientiæ largitio, aliaque bonitatis dona quæ causa est omnium rerum ac principium[a]. » Item « illud commune et unitum et unum inesse toti divinitati, ut universa, totaque ab eorum quæ participant, singulis participetur. » Ad distinctum porro θεουργίας *Divinæ operationis.* genus, Christi incarnationem et administrationem omnem refert, quæ ab illo solo, proprieque suscepta persona excludit reliquas duas. Hinc evidens est quanto in errore sint Palamitæ isti nuperi hæretici, ac quam vehementer ab Dionysii, cæterorumque Patrum sententia discrepent.

Præterea in eodem isto loco Dionysius ad ἡνωμένην θεολογίαν *Unitam theologiam.* adscribit illud quod divinitas ipsa communis ab unoquoque participetur. In quo Palamitarum damnat errorem, qui divinam ipsam substantiam ἀμέθεκτον, id est *minime participabilem* esse volunt, solas vero ἐνεργείας *Operationes* participari. Atqui Dionysius id toti divinitati convenire dicit et in ea non multiplex, sed unum esse, uti tota participetur. Non igitur sola bonitas, vel sapientia, vel vis, vel aliud quodpiam ἐνεργείας *Operationis.* genus, sed divinitas et essentia participatur. Ad hæc passim idem Dionysius id quod primario participatur in Deo et creaturis communicatur, ait esse τὸ ὂν sive οὐσίαν. *Ens sive essentiam.* « Ante omnes, ait, participationes ejus ipsum esse productum est atque ipsum esse per sese antiquius est quam ipsam vitam esse, ipsam esse sapientiam et ipsam similitudinem esse Dei, ac cætera quæ ita participantur ab iis quæ sunt, ut ante omnia ipsum esse participent[b]. » Atque hoc latius eodem illo capite persequitur. Est autem ex ejus sententia τὸ εἶναι vel τὸ ὂν *Esse vel ens* maxime οὐσιῶδες Deo, unde et οὐσίας nomen *maxime essentiale. Essentiæ.* oritur, quod supra docuimus. Falso itaque Palamitarum secta negat communicabilem esse Dei οὐσίαν et in eo discrimen ejus ab attributis et ἐνεργείαις *Operationibus.* constituit.

VII. Nam quod ad eamdem adstruendam differentiam proprietatum et essentiæ divinæ, Chrysostomi dicta quædam in tomo proferuntur, ubi ambo ista discernit, cujusmodi est ille locus ex homilia tertia et septuagesima in Joannem ad illa verba : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*[1]. «Videamus, inquit, præterea, quinam Philippus intueri velit. An sapientiam Patris? An vero bonitatem? minime. Sed hoc ipsum quid tandem sit Pater, ipsam, inquam, essentiam[c]. » Hoc, inquam, et similia veterum testimonia, non reipsa demonstrant in Deo ista distingui, nec ea ratione qua in ipso sunt, sed ἐπινοίᾳ, *consideratione* et cogitatione nostra quæ distinctio satis est in Deo, ut diversa de eadem re κατηγορήματα, id est *prædicata* dicantur. Quod Basilius præ cæteris et Maximus declarant similitudine triticei grani, quod cum unum sit et simplex, diversas notiones recipit, ut et fructus sit et semen et alimentum, quæ sunt fundamenta variarum appellationum et enuntiationum, neque propterea consequens est, in eodem grano reipsa proprietates illas esse distinctas, sed sufficit τῶν ἐπινοιῶν *Considerationum.* varietas. Quamobrem eadem Dei sapientia et bonitas, ut in se ipsa consideratur, ab essentia non differt, ut autem ad varia quæ extra se profundit Deus, effecta comparatur utraque differt tam ab essentia, quam ab altera proprietate. Quod quidem egregie Dionysius in quinto capite *de Divinis nominibus* exponit[d]. « Ibi enim quæcumque de Deo dicuntur, cujusmodi sunt tam ea quæ dicuntur οὐσιώδη, *essentialia* prædicata, quam quæ qualitatum more significantur, ut sunt boni-

a DION. Ἡνωμέναι μέν εἰσι κατὰ τὴν θείαν διάκρισιν αἱ ἄσχετοι μεταδόσεις, αἱ οὐσιώσεις, αἱ ζωώσεις, αἱ σοφοποιήσεις, αἱ ἄλλαι δωρεαὶ τῆς πάντων αἰτίας ἀγαθότητος, καθ' ἃς ἐκ τῶν μετόχων, καὶ τῶν μετεχόντων ὑμνεῖται τὰ ἀμεθέκτως μετεχόμενα· καὶ τοῦτο κοινὸν, καὶ ἡνωμένον, καὶ ἕν ἐστι τῇ ὅλῃ θεότητι, τὸ πᾶσαν αὐτὴν ὅλην ὑφ' ἑκάστου τῶν μετεχόντων μετέχεσθαι.

b DIONYS. cap. V. *de Divin. nom.* Καὶ πρὸ τῶν ἄλλων αὐτοῦ μετοχῶν, τὸ εἶναι προβέβληται· καὶ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι πρεσβύτερον τοῦ αὐτοζωὴν εἶναι, καὶ αὐτοσοφίαν εἶναι, καὶ αὐτοομοιότητα θείαν εἶναι, καὶ τὰ ἄλλα, ὅσων τὰ ὄντα μετέχοντα, πρὸ πάντων αὐτῶν τοῦ εἶναι μετέχει.

c CHRYS. p. 863. edit. Savil. Ἄλλως, δὲ ἴδωμεν τί ὁ Φίλιππος ζητεῖ ἰδεῖν· ἆρα τὴν σοφίαν τοῦ πατρός; ἆρα τὴν ἀγαθότητα; οὐχί· ἀλλὰ τὸ αὐτὸ τὸ τί ποτέ ἐστιν ὁ θεὸς, αὐτὴν τὴν οὐσίαν.

d DION. Τοσοῦτον δὲ ὑπομνήσομεν, ὅτι τῷ λόγῳ σκοπὸς οὐ τὴν ὑπερούσιον οὐσίαν, ᾗ ὑπερούσιος, ἐκφαίνειν· ἄῤῥητον γὰρ τοῦτο, καὶ ἄγνωστόν ἐστι, καὶ παντελῶς ἀνέκφαντον, καὶ αὐτὴν ὑπεραῖρον τὴν ἕνωσιν· ἀλλὰ τὴν οὐσιοποιὸν εἰς τὰ ὄντα πάντα τῆς θεαρχικῆς οὐσιαρχίας πρόοδον ὑμνῆσαι.

1 *Joan.* XIV. 9.

tas, sapientia, etc. bifariam spectat : primum absolute et ut in sese, vel in Deo sunt, deinde secundum quamdam processionem ad res creatas, quam ille πρόοδον οὐσιοποιὸν, et ἀγαθοποιὸν πρόνοιαν appellat, hoc est *progressionem substantiæ effectricem* et *providentiam boni effectricem*, quas brevius, sed barbara voce *substantificam*, et *beneficam* nominare, non repugnante me, quispiam audebit. Ad priorem considerandi modum non οὐσίαν tantummodo refert [a], quam ὑπερούσιον οὐσίαν nominat, id est *supersubstantialem substantiam*, sed etiam bonitatem quam *per se supersubstantialem* vocat *et vitam et sapientiam*, quas perinde ut οὐσίαν, (*Essentiam.*) (hanc enim cum illis recenset) neque comprehendi animo, neque sermone declarari posse dicit, ideoque de illis verba nolle facere, sed de earum processione, quatenus cum creatis rebus communicantur et ad harum usum, productionem scilicet, administrationemque descendunt. Est itaque πρόοδος (*Progressio.*) ista non solius bonitatis ac sapientiæ, vel ἐνεργειῶν (*Operationum.*), sed etiam οὐσίας (*Essentiæ.*), quam cum illis annumerat. Hanc vero πρόοδον (*Progressionem.*) Dionysius participatione definit primum οὐσίας (*Essentiæ.*), deinde cæterarum proprietatum, quas ἐνεργείας (*Operationes*) isti nuncupant.

Dionysius Palamitarum errorem jugulat

VIII. Maximus autem martyr « processionem illam substantificam in omnia quæ sunt, divinitatis ac substantiæ principalis, ut Dionysius loquitur, *exponens*, processionem *esse dicit* divinam ἐνέργειαν et *operationem* quæ substantiam produxit omnem [b]. » Atqui processio ista et operatio non solius est bonitatis et sapientiæ, sed etiam οὐσίας (*Essentiæ.*), quod Palamitæ isti non animadvertentes loca illa Dionysii et Maximi in tomo proferunt, ut ex iis efficiant ἐνεργείας (*Operationes*) et proprietates divinas, quamvis increatæ sint ac divinitatis nomine censeantur, οὐσίᾳ (*Essentia.*) tamen inferiores esse. In quo plane cæci sunt, qui nec illud eodem in capite positum a Dionysio viderunt. « Non aliud esse τὸ ὂν, *id quod est*, aliud vitam, aut sapientiam, neque plures esse causas, sive principia, vel divinitates, quarum aliæ alia producant, et aliæ præstantiores sint, aliæ inferiores, sed unius Dei universas esse bonas processiones [c]. » Qui locus velut uno ictu totam Græculorum fabulam succidit. Nam omnia capita illius evertit. Primum negat τὸ ὂν (*Ens*) (est autem τὸ ὂν idem atque οὐσία, ut ad idem (*Essentia.*) caput annotavit Maximus) aliud esse ac vitam, aut sapientiam [d]. Deinde causarum in Deo multitudinem adimit, hoc est ἐνεργείας istas et proprietates non patitur causas inferiorum ab οὐσίᾳ esse distinctas. Tum easdem θεότητας (*Deitates.*) dici vetat. Ad hæc, alias ὑπερεχούσας, id est, *excellentiores*, alias ὑφειμένας, id est, *inferiores* esse, haberique prohibet. Postremo, processiones istas bonas adeoque bonitatis, unius ac totius esse Dei putat. Quæ contraria sunt Palamitarum totidem decretis quæ in tomo dinumerantur, e quibus quod primum est tractamus modo, reliqua statim excutiemus. Volo enim antea paululum in primo illo commorari capite, quod in eo non solum profani Græcorum erroris, sed etiam institutæ a nobis quæstionis de attributorum et essentiæ discrimine summa vertatur.

IX. Dionysius itaque, (quo auctore opinionisque suæ patrono maxime gloriantur), in eodem quinto capite *de Divinis nominibus*, simplicitatem et unitatem in se Dei luculenta oratione declarans ait inter cætera, πρόοδον (*Progressionem.*) illam Dei et primarium donum quod creaturis communicat, esse τὸ εἶναι, id est, *essentiam*, vel *esse ipsum*. Et quamvis ad multa profundatur ac diversa divinitatis illa progressio, Deum tamen in se esse simplicissimum et unum, imo vero unitatem ac monadem. « Nam in monade numerus omnis collectus et unitus ante consistit, ac numerum omnem monas habet in se singulariter. Omnis item numerus in monade est in unum redactus, quantum autem a monade progreditur, tantum distinguitur ac multiplicatur [e]. » Sic in uno puncto, id est centro, lineæ concurrunt omnes easque centrum unitas minimeque distinctas in se cohibet, quod ibidem latius enarrat. Quamobrem quæ in

a Mox : Ταύτας γοῦν ὁ λόγος ὑμνῆσαι ποθεῖ τὰς τῆς προνοίας ἐκφαντορικὰς θεωνυμίας· οὐ γὰρ ἐκφράσαι τὴν αὐτοϋπερούσιον ἀγαθότητα, καὶ οὐσίαν, καὶ ζωὴν, καὶ σοφίαν τῆς αὐτοϋπερουσίου θεότητος ἐπαγγέλλεται, etc.

b Max. in cap. v. *de Div. nom.* init. Πρόοδον δὲ, τὴν θείαν ἐνέργειαν λέγει, ἥ τις πᾶσαν οὐσίαν παρήγαγε

c Dion. Οὐκ ἄλλο δὲ εἶναι τἀγαθόν φησι, καὶ ἄλλο τὸ ὂν, καὶ ἄλλο τὴν ζωὴν, ἢ τὴν σοφίαν, οὐδὲ πολλὰ τὰ αἴτια, καὶ ἄλλων ἄλλας παρακτικὰς θεότητας ὑπερεχούσας, καὶ ὑφειμένας· αλλ' ἑνὸς θεοῦ τὰς ὅλας ἀγαθὰς προόδους.

d Maxim. Τὸ γὰρ ὂν, οὐσία· ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι τὸ ὄνομα παρῆκται τῆς οὐσίας.

e Dion. Καὶ γὰρ ἐν μονάδι πᾶς ἀριθμὸς ἑνοειδῶς προϋφέστηκε· καὶ ἔχει πάντα ἀριθμὸν ἡ μόνας ἐν ἑαυτῇ μοναχῶς· καὶ πᾶς ἀριθμὸς ἥνωται μὲν ἐν τῇ μονάδι· καθ' ὅσον δὲ τῆς μονάδος πρόεισι, κατὰ τοσοῦτον διακρίνεται, καὶ πληθύνεται.

creatis rebus diversa et reipsa distincta cernimus, ea sunt unum in Deo, idque simplicissimum. Sunt autem illa quæ processionibus illis et προόδοις quasi extra se profundit ac derivat Deus : quorum primum est οὐσία *substantia*, tum ἐνέργειαι variæ et *proprietates*, uti bonitas, sapientia, vita. Hæc, inquam, unum in Deo esse, nec a se reipsa differre, contra futiles istos theologos Palamitas tum capite illo toto disputat Dionysius, tum his verbis sub finem disertissime concludit. « Omnia igitur quæ sunt, inquit, secundum unam exceptam ex omnibus unionem, illi tribuenda sunt ; quandoquidem ab ipso esse substantificam progressionem et bonitatem inchoans ac per universa commeans, atque ex sese essentia complens omnia et in omnibus quæ sunt, exsultans, prius in se habet omnia secundum unicam simplicitatis excellentiam duplicitatem omnem respuens. Omnia porro eodem modo complectitur, ratione supersimplicis infinitatis suæ atque ab omnibus singulariter participatur : quemadmodum vox, cum una sit et eadem, a multis auribus, tanquam una participatur [a]. » Habes igitur ex Dionysio, nullam reipsa differentiam esse substantiæ sive οὐσίας, et proprietatum vel ἐνεργειῶν in Deo, sed ibi unam esse rem, maximeque simplicem ac duplicitatis omnis expertem.

X. Sed ut cubile ipsum erroris Palamitici quasi intento digito demonstrem, eademque hunc opera conficiam et elidam, animadverti Dionysii locum quemdam occasionem illis opinionis falsæ ac ridiculæ dedisse. Hic enim capite undecimo libri *de Divinis nominibus*, propositam sibi a Timotheo quæstionem explicat, quæ erat ejusmodi, cur « ipsum esse, ipsam sapientiam, alias Deum esse diceret, alias a Deo produci. » Ad quod ita respondet : non se divinam quamdam substantiam, aut angelicam esse credere, ipsum esse, tanquam causam rerum omnium. Unam quippe causam et principium esse omnium ipsum esse Dei et ejus οὐσίαν. « Quamobrem principaliter ait et divine et causaliter hoc quod vocatur, ipsum esse, ipsam vitam, ipsam divinitatem, dicimus esse unum omnium superprincipale et supersubstantiale principium et causam ; participatione vero, providas virtutes quæ ex minime participabili Deo proficiscuntur, nempe ipsam per se substantiæ effectionem, ipsam vitæ effectionem, ipsam divini effectionem, quorum participationem pro suo captu quæcumque sunt nacta et existentia et viventia et divina sunt et nominantur ac cætera similiter. Idcirco primorum ipsorum bonus ille productor esse dicitur, deinde universorum ipsorum, tum particularium ipsorum, post eorum quæ universa ipsa participant, atque eorum denique quæ particulatim ipsa participant [b]. »

Hic Dionysius primariam ac principem esse dicit omnium causam divinitatem ipsam, a qua proxime virtutes quædam et efficientiæ procedant quæ creatis ab illo rebus substantiam, vitam ac divinitatem impertiant, quas virtutes ille nominat, αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν ; tanquam dicat « ipsissimam ideam substantificam et vivificam et deificam. » Cum igitur vires istas et quasi facultates a prima causa propagari scripserit Dionysius ; hinc Palamitæ videntur existimasse, illas ipsas ἐνεργείας, et virtutes in Deo existere et aliquid ipsius esse, utpote increatas et æternas, neque tamen essentiam ipsam ac substantiam esse divinam, sed ab ea velut fonte ac principio profluere. Neque enim creatum quippiam dici potest, αὐτοεῖναι *ipsum esse*, vel αὐτοάγαθον *ipsum bonum*, vel αὐτοουσία, *ipsa substantia*, αὐτοζωὴ *vita ipsa*, aut ut efficientia ipsa significetur, αὐτουσίωσις, αὐτοζώωσις et id genus reliqua. Nullus itaque locus expressior esse videtur, aut plausibilior ad commentum illud suadendum, quam iste Dionysii. Verum de hoc ipso loco, qui

Dionysii locus difficilis illustratur.

Ipsa substantificatio Ipsa vivificatio.

a Dion. Πάντα οὖν αὐτῇ τὰ ὄντα, κατὰ μίαν τὴν πάντων ἐξῃρημένην ἕνωσιν, ἀναθετέον· ἐπείπερ ἀπὸ τοῦ εἶναι, τῆς οὐσιοποιοῦ προόδου, καὶ ἀγαθότητος ἀρξαμένη, καὶ διὰ πάντων φοιτῶσα, καὶ πάντα ἐξ ἑαυτῆς τοῦ εἶναι πληροῦσα, καὶ ἐπὶ πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀγαλλομένη, πάντα μὲν ἐν ἑαυτῇ προέχει, κατὰ μιαν ἁπλότητος ὑπερβολὴν πᾶσαν διπλόην ἀπαναινομένη· πάντα δὲ ὡσαύτως περιέχει κατὰ τὴν ὑπερηπλωμένην αὐτῆς ἀπειρίαν, καὶ πρὸς πάντων ἑνικῶς μετέχεται· καθάπερ καὶ φωνὴ μία οὖσα, καὶ ἡ αὐτὴ πρὸς πολλῶν ὡς μία μετέχεται

b Dion. Ἀλλ' αὐτοεῖναι, καὶ αὐτοζωὴν καὶ αὐτοθεότητα, φαμὲν, ἀρχικῶς μὲν οὖν, καὶ θεϊκῶς, καὶ αἰτιατικῶς τὴν μίαν πάντων ὑπεράρχιον καὶ ὑπερούσιον ἀρχὴν, καὶ αἰτίαν· μεθεκτῶς δὲ, τὰς ἐκδιδομένας ἐκ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προνοητικὰς δυνάμεις, τὴν αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν· ὧν τὰ ὄντα οἰκείως ἑαυτοῖς μετέχοντα, καὶ ζῶντα, καὶ ἔνθεα, καὶ ἔστι, καὶ λέγεται· καὶ τὰ ἄλλα ὡσαύτως· διὰ καὶ τῶν πρώτων αὐτῶν ὁ ἀγαθὸς ὑποστάτης λέγεται εἶναι· εἶτα τῶν ὅλων αὐτῶν· εἶτα τῶν μερίκων αὐτῶν· εἶτα τῶν ὅλως αὐτῶν μετεχόντων· εἶτα τῶν μερικῶς αὐτῶν μετεχόντων.

diligentia industriaque majore tractandus est, agam plenius, cum de ideis divinis sermonem faciam. Est enim illius argumenti proprius. Nunc quid partim de eo sentiat interpres illius Maximus, partim ex ipsius Dionysii scriptis colligi possit, exponam interim.

XI. Igitur Dionysius Platonis decretis innutritus, quasdam velut formas et exemplaria constituit particularium et existentium rerum, generales scilicet earum species et naturas, non quidem per se subsistentes, cujusmodi finxisse ille creditur, sed communes, et mente secretas a singularibus et abstractas. Ut cum de justitia, exempli causa, cogitamus aut loquimur, non hanc vel illam quæ est in Socrate, vel Aristide, vel alio quovis intelligimus homine justo, sed ipsam per sese justitiæ formam ac speciem undecumque perfectam cujus participatione justi sunt, quicumque tales esse dicuntur. Hanc igitur generalem speciem a Deo productam, ac tributam hominibus, divinum appellat donum, non ut ipsa per sese, et ut est communis, abstractaque vel effici putetur a Deo, vel in homines transfundi. (Quidquid enim efficitur, id singulare ac definitum et existens sit oportet). Verum ex accidenti, et quasi secundario produci dicuntur universales istæ species, dum earum singularia et individua procreantur : quod in scholis dialecticis quotidie tirones audiunt, cum iis quæ dicuntur universalia traduntur. Hæ sunt πρόοδοι,

Operationes id est, *processiones* illæ, et ἐνέργειαι, quas Dionysius in fine capitis illius undecimi « providentias et bonitates participatas ab iis quæ sunt, atque a Deo, qui participabilis non est (nimirum ut est in sese) copiosa profusione prodeuntes, ac redundantes » nominat[a]. Talis, inquam, est « ipsa bonitas, ipsa divinitas, » quæ bonos ac divinos facit, cujus auctorem, ac procreatricem esse dicit antiquiorem aliam, et præstantiorem « bonitatem ipsam, ipsamque divinitatem. » Hanc esse loci illius interpretationem, docet eruditus scholiastes Maximus, ubi tam Deum ipsum αὐτοζωήν, hoc est *ipsissimam vitam* nuncupari adnotat, quam ejus ὑποστάτην, id est *productorem*. Itaque ζώωσιν ipsam, et οὐσίωσιν, id est, *vivificationem*, et *substantificationem*, ut sic loquar, « res ipsas esse singulares, ait, quas Deus procreavit. Nam primo rem ipsam cogitamus : deinde generalem ejus notionem, veluti vitam ipsam universe spectatam, aut substantiam, ac tunc singularia, hoc est propriam in quaque forma uniuscujusque rei notionem percipimus[b]. » Et ad idem caput, quod a Dionysio dictum erat, hoc exemplo explicat : « In qualitatibus, inquit, prius quodammodo sunt ipsæ per se qualitates, quæ deinde accidunt et qualitate certa afficiunt. Quod hoc modo intelligendum est. Ipse corporum candor adveniens corpori candidum hoc facit[c]. » Ac subinde αὐτομετοχάς, id est *ipsas per se participationes* vocat, *et Dei dona ac principia rerum omnium*[d]. Nihil ergo commune Dionysius habuit cum impia illa novitate Græcorum, qui ἐνεργείας, illas intimas et quasi ingenitas esse divinitati ipsi statuunt, ab eaque, tanquam causa, productas et æternas, atque adeo θεότητας quasdam esse minores summa illa et singulari, a qua profluunt, ac denique non commune aliquid, qualis universalis est natura, sed particulare et existens in Deo, et a Deo reipsa diversum esse sentiunt.

Proprietat *Deitates.*

XII. At enim Damascenus, ait tomus, ἐνέργειαν in Deo manifeste ab οὐσίᾳ separat. Qui postquam de divina et humana voluntate disseruit, ita caput alterum exorditur : « Sciendum est vires illas omnes, quas commemoravimus, nempe cognitionis, vitæ, naturæ, artis, operationes vocari. Est autem operatio, naturalis uniuscujusque substantiæ vis et motio, qua solum id privatur quod est nihil[e]. »

Operationem. Essentia Damascen sententi expenditu

a Dionys. Προνοίας καὶ ἀγαθοτήτας μετεχομένας ὑπὸ τῶν ὄντων, ἐκ Θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προϊούσας ἀφθόνῳ χύσει, καὶ ὑπερβλυζούσας. Ibid. ὅπου γέ τινες τῶν θείων ἡμῶν ἱεροδιδασκάλων, καὶ τῆς αὐτοαγαθότητος, καὶ θεότητος ὑποστάτην φασὶ, τὸ ὑπεράγαθον, καὶ ὑπέρθεον· αὐτοαγαθότητα, καὶ θεότητα λέγοντες εἶναι τὴν ἀγαθοποιὸν, καὶ θεοποιὸν ἐκ Θεοῦ προεληλυθυῖαν δωρεὰν, καὶ αὐτοκάλλος, τὴν αὐτοκαλλοποιὸν χύσιν.

b Maxim. Τὴν ζώωσιν γοῦν, τὴν οὐσίωσιν, ἀντὶ τοῦ τὰ πράγματα, ὑπέστησεν ὁ Θεός· πρώτως οὖν ἐννοούμεθα αὐτὸ τὸ πρᾶγμα· εἶθ' οὕτω τὴν καθολικὴν αὐτοῦ ἔννοιαν· οἷον τὴν παντοίως θεωρουμένην ζωὴν, ἢ οὐσίαν· καὶ τότε τὰ μερικὰ, τουτέστι τὴν τοῦ καθ' ἕκαστον εἶδος ἔννοιαν λαμβάνομεν.

c Maxim. idem. Ἐπὶ τῶν ποιοτήτων οἱονεὶ προϋπεισιν αἱ αὐτοποιότητες· εἶτα συμβαίνουσαι ποιοῦσιν· οὕτως καὶ ταῦτα νόει· οἷον ἡ αὐτοσώματος λευκότης ἐπιγενομένη σώματι λευκαίνει τοῦτο.

d Ib. Μετοχὰς φησὶν, ὧν τὰ ὄντα μετέχουσιν· οἷον αὐτὸ τὸ εἶναι, ἡ ζωὴ, ἡ σοφία, ἡ τάξις, καὶ τά λοιπά· αἵ τινες μετοχαὶ θεῖαι τυγχάνουσι δωρεαί· ἃς καὶ ἀρχάς τῶν ὄντων ἐκάλεσε.

e Damasc. lib. II. cap. xl. Χρὴ γινώσκειν, ὡς πᾶσαι αἱ δυνάμεις, αἱ προειρημέναι, αἵ τε γνωστικαὶ, αἵ τε ζωτικαὶ, αἵ τε φυσικαὶ, αἵ τε τεχνικαὶ, ἐνέργειαι λέγονται· ἐνέργεια γάρ ἐστιν ἡ φυσικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε, καὶ κίνησις, etc. ἧς χωρὶς μόνον τὸ μὴ ὄν.

Efficientiam *Essentia.*

Sed hoc ultro nos fatemur, esse in Deo ἐνέργειαν quamdam et operationem naturalem, sed quæ ipsa sit οὐσία Dei, nec nisi ratione et ἐπινοίᾳ distinguatur. Neque vero par est Dei, rerumque creatarum conditio. Nam hæ cum agunt, actionem ex se quamdam proferunt, quæ non idem est, quod sunt ipsæ, sed iis cessantibus, esse desinit, ut idem Damascenus[1] alibi scripsit.

Et ante hunc Gregorius Nazianzenus, qui contra Macedonianos disputans, Spiritum sanctum probat esse οὐσίαν, quia non est accidens. Si enim accidens esset, actio Dei potissimum foret, ac tunc non efficeret, sed efficeretur, et simul atque effectus esset, desineret. Talis est enim ἐνέργεια, id est, *operatio*[a]. At in Deo neque accidens est ullum, neque actio et efficientia inest ejus substantiæ, quæ non sit substantia ipsa. Sed ut in scholis a nostris uberius traditur, eadem simplex Dei substantia, nulla sui mutatione et

Essentia. Operatio.

οὐσία est, et ἐνέργεια, ejusmodi scilicet, quam *immanentem* vocant, ut est voluntatis aut mentis functio, quæ in creaturis temporaria est, et ab nativa facultate identidem oritur ac desinit. Quod etsi externum ex ea sequitur opus, quod ἐνέργημα Damascenus appellat[2], non tamen nova et accidens divinæ substantiæ fit operatio. Quin ipsamet illius substantia, quatenus opus et effectum illud respicit, quod *connotare* nostri vocant, actio ipsa Dei libera dicitur. Sed hæc quæstio longiorem orationem desiderat, quæ in alium locum utilius differetur.

XIII. Nunc ad constringendos Palamitas iste ipse Gregorii Nazianzeni locus opportunissimus est. Si enim medium nihil est inter οὐσίαν id est, *substantiam*, et accidens, ut ibi ille

Efficientia non est essentia.

disputat, profecto si ἐνέργεια non est οὐσία, quód Palamitæ asserunt, erit igitur accidens. Atqui nullum in Deo inest accidens, neque novi quidquam ei accidit, ut postea demonstrabitur, cum agemus de Dei simplicitate. Deinde

Efficientia.

ἐνέργεια omnis, quæ quidem ab essentia distincta est, fluxa est ac desinit, ut non solus Nazianzenus docet, sed et alii complures, qui hoc ipso argumentari solent contra Sabellianos, Filium ac Spiritum sanctum non esse

Efficientiæ sed essentiæ.

Patris ἐνεργείας, sed οὐσίας per se subsistentes; ut inter alios Chrysostomus[3], qui Marcellum, Photinum et Sophronium redarguit Filium

Efficientiam

Dei ἐνέργειαν esse putantes, non οὐσίαν ἐνυπόστατον, hoc est, *substantiam per se subsistentem*. Absurdum est itaque ullam in Deo ἐνέργειαν esse

Efficientiam Essentia.

velle, quæ non sit οὐσία. Ac nimium indocti, impiique sunt Palamitæ : qui Filium et Spiritum sanctum definiunt ἐνεργείας esse quidem,

Efficientiæ. Efficientiæ.

sed Patris solius, esse vero præterea ἐνεργείας alias communis substantiæ ac totius Trinitatis quæ ab οὐσίᾳ revera distinctæ circa ipsam considerantur, et a Patre, una cum essentia ipsa, communicantur personis duabus aliis. Quam etiam divinam ἐνέργειαν ex ipsa esse Dei substantia volunt, non eo modo quo creaturæ ex Deo sunt, quæ nimirum ex Dei esse substantia non dicuntur. « Quod enim fit, ait Basilius, ex facientis substantia non est. » Sed non extra Dei esse substantiam. « Verum substantialem et naturalem hanc esse Dei motionem, quæ ex divina substantia prodeat et scaturiat; neque sine ea consideretur unquam, neque separari ab illa queat, sed una semper existat et indivise cum ea sit conjuncta, ita ut non æternitate, non temporis, vel loci intervallo dirimi a divina substantia possit, sed sine tempore et ante omnem æternitatem et ex illa prodierit, et sine ulla separatione cum ea versetur[b]. » Hæc synodus illa Græcorum, quæ quam imperite absurdeque dicta, imo quam impia et detestanda sint, non est pluribus explicandum. Par est argumentandi inscitia, dum illa quæ dixi, ex iis Patrum testimoniis approbant, quæ aut ἐνέργειαν, id est, *actionem Dei per Christum, a*

a NAZIANZ. Orat. XXXVI. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἢ τῶν καθ' ἑαυτὰ ὑφεστηκότων πάντως ὑποθετέον, ἢ τῶν ἐν ἑτέρῳ θεωρουμένων, ὧν τὸ μὲν οὐσίαν καλοῦσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ, τὸ δὲ, συμβεβηκός· εἰ μὲν οὖν συμβέβηκεν, ἐνέργεια τοῦτο ἂν εἴη θεοῦ· τί γὰρ ἕτερον, ἢ τίνος; τοῦτο γάρ πως μᾶλλον, καὶ φεύγει σύνθεσιν· καὶ εἰ ἐνέργεια, ἐνεργηθήσεται δηλονότι, οὐκ ἐνεργήσει, καὶ ὁμοῦ τῷ ἐνεργηθῆναι παύσεται τοιοῦτον γὰρ ἡ ἐνέργεια.

b Tomus. Οὐ μὴν ἀλλ' οὐδ' ὡς ἔξω τῆς θείας οὐσίας αὐτὴν ἐκ τῆς θείας οὐσίας ὑπειλήφαμεν εἶναι, etc. ἀλλ' οὐσιώδη, καὶ φυσικὴν ταύτην τοῦ θεοῦ κίνησιν οὖσαν, κατὰ τοὺς θεολόγους εἰδότες, ὡς ἐκ πηγῆς ἀεννάου φαμὲν τῆς θείας οὐσίας προέρχεσθαι, καὶ πηγάζειν, καὶ ταύτης χωρὶς οὐδέποτε θεωρεῖσθαι· ἀλλ' ἀδιαίρετον αὐτῆς ἀεὶ διαμένειν, ἐξ ἀϊδίου τε τῇ θείᾳ συνυπάρχειν οὐσίᾳ, καὶ ἀχωρίστως ἡνωμένην εἶναι, μητ' αἰῶνι, μήτε χρονικῷ, ἢ τοπικῷ τινὶ διαστήματι τῆς θείας οὐσίας διαιρεῖσθαί ποτε δυναμένην· ἀλλ' ἀχρόνως, καὶ προαιωνίως ἐξ αὐτῆς τε προϊοῦσαν, καὶ ἀδιασπάστως αὐτῇ συνοῦσαν.

1 Lib. III. cap. XV. — 2 Lib. III. cap. XV. — 3 Hom. 6. in epist. *ad Philip.*

Patre, et Filio et Spiritu sancto separari non posse dicunt[a], ut Athanasius : aut Deum ubique esse, non solum ἐνεργείᾳ prædicant, sed etiam οὐσίᾳ, a qua illa sejungi non potest, quod scripsit Anastasius.

Operatione.
Essentia.

XIV. Nam hæc veterum dicta nihil aliud sonant, nisi vel quæ ab una Persona fiunt, a tribus communiter fieri, vel ubicumque Deus operatur, ibi ejus esse substantiam, neque sine hujus præsentia, operationem ac vim ab ea posse derivari, de qua re suo loco dicetur. Minime vero concludi ex iis potest, actionem Dei, quæ in Deo sit, rem esse aliquam a Dei substantia distinctam, ab eaque manantem et procedentem, ac non minus differentem, quam Persona una differt ab alia, unde originem accepit. Hoc enim restabat ad impietatis et ignorantiæ cumulum, uti synodus ista, et Palamitica factio tale aliquid assereret. Ita enim de ἐνεργειῶν et οὐσίας discrimine pergit disputare Tomus[b]. Negat ambo hæc a se esse divulsa penitus ac separata, sed ita uti causæ, sive principia ab iis quorum causæ sunt, differunt, quemadmodum persona Filii distat a persona Patris, quæ illius principium est. Quare aliud et aliud ἐνέργειαν et οὐσίαν esse docet et esse duo, tametsi conjuncta sint invicem, neque unum sine altero esse possit. Quam ad rem omnes illas Patrum sententias accommodant, quæ personas divinas natura conjunctas, sola processione differre adstruunt et habitudine, quæ inter causam, et id quod ex causa est intercedit, quod Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus citati illic asserunt. Vides, erudite lector, quo hæc amentia Græculorum eruperit, ut jam non tres in divinitate sint hypostases et personæ, sed innumerabiles, totidem nempe quot sunt illius actiones et ἐνέργειαι. Etenim differentia illa sola quæ est τοῦ αἰτίου, καὶ αἰτιατοῦ, *principii causæve* et ejus quod ex causa procedit, personas multiplicat in Deo, neque fieri potest ut aliquid ex Dei substantia, tanquam ex fonte causaque prodeat, insitum, et in eo manens et æternum, quod non Deus sit ac persona a producente diversa. Præsertim autem id contra Græcos valet, qui ad personarum invicem discrimen satis esse putant processionum multitudinem, etsi nulla sit oppositio. Sic enim Spiritum sanctum existimant personam a Filio distinctam esse, licet ab eo minime producatur, quoniam diversa illius est a communi principio, hoc est Patre, processio. Ad hunc itaque modum, quælibet ἐνέργεια persona erit ab ἐνεργείᾳ altera distincta, a qua perinde atque ab essentia, reipsa differt, ab hac vero etiam oritur, ut a causa vel principio. Cum autem res nulla sine essentia propria subsistere ac ne intelligi quidem possit, necesse erit singulas illas subsistentes ἐνέργείας, peculiares οὐσιας habere, cum a communi reipsa differant, tanquam a causa. Ita πολυθεότης, imo ἀθεότης ab otiosis illis disputatoribus synodica auctoritate sancita est. Nihil enim prohibet, quo minus dii jam plures habeantur essentia non minus, quam persona separati.

Operationum et essentiæ.
Operationem et essentiam.
Operationes
Efficientia. Efficientia
Efficientias Substantias
Polytheismus. Atheismus.

XV. Hactenus prima in synodo disceptata quæstio, a qua pendent quinque cæteræ, quas idcirco leviter attingemus.

Secundo itaque loco quæsitum esse Tomus refert, an ἐνέργειαι istæ, quas ab οὐσίᾳ reipsa differre constitutum jam erat, increatæ essent. Nec dubium fuit, quin cum uniuscujusque naturæ consentanea esse debeat operatio, uti Dei increata substantia est, ita sit et increata ἐνέργεια. Tales porro esse censent ibidem innumerabiles illas ἐνεργείας Spiritus sancti, de quibus Basilius ad Amphilochium scribens meminit. Quasi ex æterno actiones illæ fuerint in Deo; quod si verum sit, creatum ex omni æternitate mundum et in hominibus operatum esse Spiritum sanctum oporteat, ut actu ἐνέργειαι illæ prodierint ex divina substantia.

II° An proprietates illæ sint increatæ.

Tertio quæsitum illud est, consequensne sit ex antecedenti illo dogmate, ut in Deo sit aliqua compositio. Sed ea quæstio et Græcorum ad eam responsio in eum locum servanda est, ubi de simplicitate Dei separatim agetur.

III° An in Deo sit aliqua compositio.

Quartum illud erat, an increata illa ἐνέργεια a patribus θεότης, id est *deitas*, nominetur.

Efficientia. An increata illa efficien-

a Athan. Ὅταν δέ φησι τὰ πάντα ἐνεργῆται ὑπὸ τοῦ θεοῦ διὰ χριστοῦ ἐν αγίῳ πνεύματι, ἀχώριστον ὁρῶ ἐνέργειαν τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

b Tomus. Ἀλλὰ μὴν ὥσπερ τὴν ἕνωσιν θείαν, καὶ αἴδιον οὐ μόνῳ τῷ ἀχωρίστῳ· ἀλλ' ἄλλοις τε πολλοῖς, καὶ δὴ καὶ τῇ κοινότητι τοῦ ἀκτίστου, καὶ ἀπεριγράπτου κατὰ τὴν τῶν ἁγίων θεολογίαν κηρύττομεν· οὕτω καὶ τὴν διάκρισιν, καὶ τὴν διαφορὰν κατ' αὐτοὺς πάλιν θεοπρεπῆ καὶ ταύτην δοξάζειν ἐγνώκειμεν· οὐκ εἰς παντελῆ διασπασμὸν ἐντεῦθεν αὐτὰ καὶ διαίρεσιν κατασπῶντες· οὐδέ τινα ἔκφυλον τὴν διαφορὰν ταύτην, καὶ φυσικὴν ἀλλοτρίωσιν ἐννοοῦντες, ἢ διαστήμασι χωρίζοντες ἀλλήλων ταῦτα, ἄπαγε· ἀλλ' οἵαν ἐπιδέχεσθαι, τὰ κατὰ φύσιν αἴτια, καὶ αἰτιατὰ μεμνήμεθα παρὰ τῶν ἁγίων, μόνῳ τῷ λογισμῷ θεοπρεπῶς διακρίνοντες τὰ φύσει ἡνωμένα, καὶ ἀδιαίρετα.

a nomine- ır Deitas. — Dei.

Huic in Tomo respondet synodus, revera sic vocari, ut a Basilio, Anastasio, Dionysio, Gregorio Nazianzeno et Nysseno, Athanasio, qui θεότητος ac θεοῦ vocabula non tam φύσεως et substantiæ propria esse dictitant, quam ἐνεργείας, hoc est providentiæ illius universa contemplantis, iisque prospicientis, unde et θεοῦ nomen exortum est. De quo post a nobis inquirendum erit, cum Dei nomina tradentur.

fficientiam — Deitatem. — Deitatis. — fficientiæ. — fficientia-rum. — Ratione. — Deitates. — roprietates — Deitates.

Sed ridicula est istorum ratio, qui ex illis Patrum locis effici putant, ἐνεργείαν, quæ a substantia ipsa Dei reipsa distinguitur, proprie θεότητα vocari, cum ita demum ab illis intelligatur nomen θεότητος proprium ἐνεργείας, imo ἐνεργειῶν esse, ut sola ἐπινοίᾳ et ratione ac cogitatione utriusque differentia constet. Non enim θεότητας esse plures antiqui theologi illi putarunt, imo vero, si quis id diceret, hunc impium ac detestandum judicarent. Atqui non solum ex Palamæ decretis consequens est istud, ut quia plures sunt et a se invicem reipsa differentes ἐνέργειαι, plures etiam sint θεότητες, verum diserte quoque illud affirmare non sunt veriti, uti supra ex Demetrio meminimus[1]. Quorum temeritatem unica Basilii sententia constringet, qui ad Eustathium medicum scribens. « Sive, inquit, operationis nomen est deitas, quemadmodum unam operationem Patris et Filii et Spiritus sancti, sic unam esse dicimus deitatem : sive, ut vulgi fert opinio, naturam significat deitatis vocabulum, pro eo quod nullam invenimus in natura diversitatem, non absurde deitatis unius esse sanctam Trinitatem statuimus [a]. » Est igitur unica et singularis in Deo non solum θεότης, sed etiam ἐνέργεια, non, ut otiose isti nugantur, numero plures reque ipsa distinctæ.

Deitas. — fficientia.

XVI. Quintum caput est, an cum ἐνέργειαν illam constet a Patribus deitatem appellari, Deus ratione substantiæ superior sit illa. Affirmat Palamitica synodus, et quod exsecrandæ blasphemiæ est, omnium consensu Patrum id esse testatum ait : Dei substantiam ὑπερκεῖσθαι, hoc est, *supra esse* ac *priorem esse* et excedere proprietates omnes ipsi insitas et æternas atque increatas [b]. Quibus autem veterum testimoniis hoc probant, ea sunt ejusmodi, quæ divinam ipsam essentiam percipi a nobis comprehendique non posse demonstrant, sed solas ejus proprietates et efficientias, uti sapientiam, providentiam et cæteras. Hinc vero perspicuum est, non id quod volunt posse concludi. Si quidem Dei attributa illa quæ vocantur, non ideo substantia inferiora sunt, quia notiora sunt nobis, cum ne ipsa quidem, ut in se spectantur, cognoscantur a nobis, sed quatenus usu quodam et copia benignitatis manant extrinsecus et ad nostras opportunitates illorum efficientia profunditur. Itaque eadem prorsus Dei substantia, ut a nobis tanquam *essentia* et τὸ τί ἦν εἶναι consideratur, occulta est et ignota, neque verbis explicari potest. Ut autem rationem habet effectricis facultatis, et ut fons est bonorum atque commoditatum omnium, quæ in res creatas profluunt, tum nobis est usu ipso et utilitate cognita, tum varias appellationes accipit, ut vel omnipotentia, vel sapientia, vel providentia, vel bonitas, vel id genus alia nominetur. « Cum sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas Dei proprie definita demonstretur, » (ait simili in re sanctus Augustinus[2]) ac sit reipsa non multiplex, sed una res et simplicissima diversarum ἐπινοιῶν capax, ut in superioribus capitibus ex iisdem Patribus ostendimus. *Notionum.*

At Palamitæ in Tomo synodico adeo cæci sunt, ut divinam substantiam superiorem esse proprietatibus suis ex eo colligant, quia Basilius contra Eunomium scribens, ordinem quemdam in divinis esse contendit naturalem et insitum nec ex arbitrio nostro pendentem, quo id primum sit quod est principium, posterius vero quod ex principio oritur. De quo in quinto libro *de Trinitate* post agetur. Verum hæc a Basilio, cæterisque Patribus de solis personis usurpata sunt, quæ naturalem

a Basil. Εἴτε ἐνεργείας ὄνομα ἡ θεότης, ὡς μίαν ἐνέργειαν πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος· οὕτω μίαν φαμὲν εἶναι τὴν θεότητα· εἴτε κατὰ τὰς τῶν πολλῶν δόξας, φύσεως ἐνδεικτικόν ἐστι τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, διὰ τὸ μηδεμίαν εὑρίσκειν ἐν τῇ φύσει παραλλαγὴν, οὐκ ἀπεικότως μιᾶς θεότητος τὴν ἁγίαν τριάδα ὁριζόμεθα.

b Tomus. Μετὰ δὴ τὸ φανῆναι καὶ τὴν θείαν ἐνέργειαν θεότητα ὀνομαζομένην, ἐζητήσαμεν ἀποδειχθῆναι παρὰ τῶν θεολόγων, εἰ τῆς θείας ἐνεργείας ταύτης, καὶ τῶν οὐσιωδῶς περὶ αὐτὴν θεορουμένων ὑπέρκειται κατ' οὐσίαν ὁ θεός· καὶ ἀνεφάνη καὶ τοῦτο παρὰ πάντων κηρυττόμενον τῶν ἁγίων.

1 Lib. *con. Palam.* p. 420. — 2 Serm. 190. *de Temp.*

habent ordinem prioris ac posterioris, non reipsa vel natura, sed origine duntaxat, ut pluribus suo loco declarabitur. At in divinis proprietatibus, neque secum mutuo, neque

Essentia.

cum οὐσίᾳ comparatis, ordo esse talis potest, quia non est causa vel principium illarum substantia, neque una ab altera proprietas oritur, ne rei sit inter illa discrimen, ac sint personæ totidem, quot principia sunt et quæ a principiis originem capiunt, ut paulo ante significavi.

VI° An substantia Dei sit participabilis. *Proprietatibus.*

Proprietatem non *substantiam*

XVII. Ad sextum, postremumque quod attinet, an substantia ipsa Dei participabilis sit, an potius id ἐνεργείαις solis, proprietatibusque conveniat, respondet synodus solam participari ἐνέργειαν, non οὐσίαν. Sicut ædificium non substantiæ ipsius architecti fit particeps, sed actionis illius, et ἐνεργείας. Hoc vere illi quidem dicerent, si sic ἐνέργειαν sumerent, uti debet accipi, pro efficientia ipsa quæ in opus derivatur ab artifice, quæque non ei ætate par est, quemadmodum creatio et gubernatio temporariæ sunt effectiones Dei, non ex æternitate illi insitæ, sed ab eo profectæ. At isti ἐνεργείας illas communicari solas existimant, quæ insunt in ipsa Dei substantia et æternæ sunt ac divinitatis proprie vocabulo censentur. Verum eodem jure participari Dei essentiam, quo sapientiam, bonitatem et cætera, quæ absolutam habent notionem, et catholica fides tenet et ex Dionysio paulo ante demonstravimus.

Ad extremum, pristinam suam næniam repetunt * de luce illa, quæ in Domini transfiguratione discipulis apparuit, quam increatam esse definiunt, nec tamen ipsammet substantiam Dei. Hæc Palamitica synodus in Tomo, sane jocularia et irrisione omnium obruenda potius, quam confutatione seria castiganda.

Edita est nuper a Petro Arcudio inter opuscula theologica *de Processione Spiritus sancti*, epistola quædam Pauli Constantinopolitani patriarchæ Latinarum partium ad Urbanum V, a quo legatus ad imperatorem Palæologum missus erat, in qua refert quid cum Joanne Cantacuzeno ac Græcis aliis egerit, qui imbuti errore illo Palamitico affirmabant ea quæ insunt in Deo reipsa differre, atque horum quodlibet esse deitatem infinite distantem a Dei substantia. Qua de re cum Cantacuzeno se in colloquium venisse dicit ac post diuturnam altercationem, in qua eadem illa quæ supra posita sunt, acerrime propugnabat, demum veritatis vi convictum asseverasse, non rei discrimen, sed rationis et cogitationis esse inter illa quæ insunt in Deo.

* Joannes Cyparissiotus, scriptor eruditissimus, quem ex Græco in Latinum Turrianus transtulit, postquam decade sexta capitibus quarto et quinto exposuit quid de Thaborio lumine senserint Chrysostomus, Anastasius Synaita, Theodorus ὁ γραπτὸς, Cyrillus uterque Alexandrinus et Hierosolymitanus, Basilius, interpretes Evangelii Matth. XVII, Maximus, et Gregorius Nazianzenus, tandem ex horum omnium sententia disputationem his verbis absolvit: « Ex quibus patefit, quod lumen quo splenduit Dominus in monte Thabor, neque divina substantia erat (illa enim nec ullo modo exprimi, neque cognosci, neque videri, neque cogitari potest), nec erat defluxio quædam et splendor ex illa manans (divina enim operatio æterna, vel potius per se operatio nullo modo secreta est a substantia ejus, imo quidquid est substantia divina, est energia sive operatio ejus). Quare quia neque hoc neque illud est, relinquitur exemplum fuisse gloriæ et splendoris corporis post resurrectionem glorificati, symbolumque illius naturæ occultæ et inaspectabilis in eo latentis, et imaginem tamen futuræ gloriæ et simulacrum regni cœlorum. » Cum his autem juverit contulisse quæ de lumine Thaborio Leo Allatius (*De consens.* lib. II, cap. XVII) scribit, quæque a Beausobrio (*Hist. critic. de manich.* lib. III, cap. I) laudata, in aliorum censuram offenderunt. E. R.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER SECUNDUS

IN QUO DE ATTRIBUTIS QUÆ NEGATIVA DICUNTUR SINGILLATIM AGI INCIPIT AC NOMINATIM DE IIS QUÆ AD IPSAM DEI SUBSTANTIAM PERTINENT.

CAPUT PRIMUM.

De Dei simplicitate : ac primum demonstratur non esse corpus aut corpore concretum Deum. Veterum de ea re variæ sententiæ ut Anthropomorphitarum, Audianorum, Tertulliani, et aliorum. Quo sensu nihil, præter Deum, incorporeum dicatur. Hilarius defenditur.

I. Quæ de divinis proprietatibus earumque comparatione cum essentia diximus antecedentibus in capitibus, tam absolutis, quam relativis accommodari possunt. Nunc sepositis posterioribus, de quibus cum ad sacrosanctæ Trinitatis mysterium disputatio nostra pervenerit, proprius erit disserendi locus, solas interim absolutas singillatim enarrabimus. Quæ cum duplici genere contineantur, ut supra declaratum est [1] (nam aliæ sunt negantibus expressæ vocabulis, ut immortalitas, infinitas : aientibus aliæ, ut bonitas, scientia) de prioribus ante, post de secundis agemus. Nam et illas dici de Deo proprie magis anteponendasque esse reliquis, theologi veteres, quod antea meminimus, affirmant. Neque tamen persequemur omnes, sed iis contenti erimus quæ ex antiquorum monimentis plus ad disputandum ubertatis ac copiæ suppeditant. Ex earum porro numero, prima se nobis Dei simplicitas offert quæ appellatione quidem una esse videtur affirmantium proprietatum, revera tamen inter negantes adscribitur. Quippe nihil est aliud simplicem esse, quam carere compositione partibusve, quæ nexæ invicem et conjunctæ unum aliquid efficiunt, quod Novatianus paucis verbis ita complectitur [2] : « Non enim habet in se diversitatem sui, quidquid est simplex. » Et Ambrosius : « Deus naturæ simplicis est non conjunctæ atque compositæ cui nihil accedat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua [3]. » Et Cyrillus Alexandrinus libro v *in Joannem :* « Simplex, inquit, est natura divina et compositione carens omni [a]. »

Igitur simplicem esse Deum ac nullis constare partibus, non christiana solum fides, sed naturalis etiam persuadet ratio quæ id esse Deo tribuendum admonet, quod melius est ac perfectius. Quanquam de ea probatione postea. Nunc quot modis simplex aliquid dicatur, explicemus. Totidem igitur dici constat, quot ei quod adversatur, compositum. Triplex autem compositum est, unum quod *physicum* appellant, ex materia formaque

Fides et ratio Deum esse simplicem docent.

Diversa compositorum genera.

a Cyril. Ἁπλῆ γάρ ἐστιν ἡ θεία φύσις, καὶ συνθέσεως ἁπάσης ἀπηλλαγμένη.

1 Lib. I. cap. v. — 2 Lib. *de Trinit.*, cap. vi. — 3 Lib. I. *de Fide*, cap. vii.

coagmentatum : secundum *metaphysicum*, quod ex genere ac differentia, vel metaphysicis, ut vocant, gradibus contexitur : tertium quod ex substantia et accidente α. Proinde tripliciter quoque simplex nominatur, cujusmodi an sit Deus deinceps inquiremus, orsi a primo genere compositi quod materia constat et forma. Id autem est corpus. An igitur corpus est, aut corpus habet Deus?

Veteres aliqui Deum esse corporeum existimarunt.

II. Ita persuasum olim habuere non rudes solum, et indocti, sed etiam sapientes quidam ac philosophi. Verissime enim hoc a Philone dictum est : « Nonnullos sic hebetes, et obtusos esse natura, ut Deum sine corpore intelligere nullo modo queant [a]. » Imo vero universe Cicero, « quod nullo corpore sit, id intelligi quale sit, vix posse [1] » asserit. Quippe, ut ait Augustinus, « nimis in hæc corporalia progressi, atque lapsi nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque nuntiis corporis sentiunt; et quas ab iis plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt etiam cum conantur recedere a sensibus, et ex earum mortifera et fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis rectissime se metiri putant [2]. »

Insita in mentibus nostris idololatria.

Ut merito insitam quodammodo in mentibus nostris idololatriam inesse, idem scripserit Augustinus. « Cui autem, inquit, nisi verissimæ rationi fidelis pietas erubescit, ut quamdam idololatriam, quam in corde nostro ex consuetudine visibilium constituere conatur humanæ cogitationis infirmitas, non dubitemus evertere [3]. » Itaque, quod alibi docuit idem, cum Dei proprietatem aliquam, ut puta veritatem, cogitare vis, « relaberis in ista solita atque terrena. Quo tandem pondere, quæso, relaberis, nisi sordium contractarum cupiditatis visco et peregrinationis erroribus [4]? » Et in epistola CXII, cap. XVII, « irruit enim de consuetudine corporalis vitæ in ipsos quoque interiores oculos turba phantasmatum in similitudinibus corporum. Sed hæc turpiter vana cogitatio est, ut idem ait, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis definiri atque circumscribi [5]. » Quo vitio primum gentilium plerique laborarunt, qui Deos non solum humana specie, aut certe corporibus præditos finxerunt, sed etiam muta simulacra tanquam Deos venerati sunt. Quanquam non omnium error iste fuit, sed rudium duntaxat et imperitorum, hoc est majoris partis hominum. Nam pauci quidam docti ac sapientes facile viderunt nullam in æreis vel aureis aut ligneis statuis divinitatem inesse, sed iis velut instrumentis uti Deos putarunt ad exhibendam præsentiam suam, vel cultum numinis sui certo ritu ac lege constituendum. Itaque christianos tales sibi Deos exprobrantes irriserunt aliqui, vehementiusque stomachati sunt, uti Celsus Epicureus apud Origenem, ac Julianus Apostata qui acutius quam quisquam alius ex illo genere de eo argumento disseruit in fragmento quod inter ejus opera novissime est editum, ubi sic loquitur [6] : « Nam statuas ipsas et aram nec non æterni custodiam ignis et, ut uno verbo dicam, cætera omnia id genus, deorum præsentia signa majores nostri constituerunt, non ut ista deos esse credamus, sed ut ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos in corpore degentes consentaneum corpori cultum adhibere diis oportebat (iidem porro corporis sunt expertes), primum illi nobis simulacrorum genus ostenderunt, nempe secundum a primo deorum ordinem qui circum cœlestes orbes assidue volvitur. Sed cum ne istis quidem corporeus cultus attribui possit, nam suapte natura nullius rei indigent, tertium in terris simulacrorum genus est inventum ad quod cultum nostrum accommodantes, Deos nobis propitios reddemus [b]. »

Gentilium doctissimi Deos incorporeos credidere, non item plerique, præsertim rudes.

a PHILO lib. *de Somn.* Ἤδει γάρ τινας ἀμβλεῖς πάνυ τὰς φύσεις, ὡς μὴ δύνασθαι Θεὸν ἄνευ σώματος ἐπινοῆσαι τὸ παράπαν.

b JULIAN. Ἀγάλματα γὰρ, καὶ βωμὸς, καὶ πυρὸς ἀσβέστου φυλακὴ, καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα, σύμβολα οἱ πατέρες ἔθεντο τῆς παρουσίας τῶν θεῶν, οὐχ ἵνα ἐκεῖνα θεοὺς νομίσωμεν· ἀλλ᾽ ἵνα δι᾽ αὐτῶν τοὺς θεοὺς θεραπεύσωμεν· ἐπειδὴ γὰρ ἡμᾶς ὄντας ἐν σώματι σωματικῶς ἔδει ποιεῖσθαι τοῖς θεοῖς λατρείας, ἀσώματοι δέ εἰσιν αὐτοὶ, πρῶτα μὲν ἔδειξαν ἡμῖν ἀγάλματα τὸ δεύ-

α Clarius esset locutus Petavius, si addidisset esse quartum genus compositi, quod *mathematicum* dicitur constatque partibus *integrantibus*, qualia sunt corpora ; cum hoc capite probet Deum non esse corporeum. Certe hoc quoque sensu Deus *simplex* dicitur, quod careat omnibus partibus, quales in corporibus cernuntur. Quibus Thomæ Alethini verbis occurrendum sic est, ut homo satius plurimis leviter afflatus quam intime pleneque imbutus moneatur, neque id consilii fuisse Petavio, ut de omnibus compositionis modis, quod metaphysicorum et physicorum est, verba faceret : neque eum fuisse Petavium qui aut vim mathematici compositi ignoraret, aut illam esset probaturus quam noster tradit, quamque non Aristoteles modo et Euclides, sed vel ipsi geometriæ tirones coarguerent. *E.*

1 Lib. *Acad. quæst.* — 2 Lib. *de Util. cred.* cap. I. — 3 Epist. 222. — 4 Lib. VIII. *de Trinit.* cap. II. — 5 Lib. XII. *de Trinit.* cap. VII. — 6 Lib. VII. *cont. Cels.* et lib. 6.

Addit ad eamdem sententiam haud pauca, tum hoc præsertim : Itidem ut imperatoris effigiem qui colunt, non utique imperatorem ipsum esse illam existimant, etsi nonnunquam imperatoris appellant nomine, sic deorum vocabulo jure illorum affici colique statuas, quamvis deorum longe sit natura dissimilis.

III. Eadem fere et ab aliis disputata reperies, præsertim Maximo Tyrio in ea dissertatione quæ est de erigendis in honorem deorum statuis [1]. Cui consentanee Ambrosius ad Psalmum CXVIII [2] : « Gentiles, inquit, lignum adorant, quia Dei imaginem putant. » Sallustius item philosophus in libro *de Diis et mundo* Ægyptios vituperat qui corpora ipsa deos esse putarent. Ipse autem, « hæc Diis esse dicata putare, quemadmodum herbas et lapides et animalia, sapientum esse dicit hominum; Deos autem appellare, furiosorum : nisi forte uti nos solis globum et a globo emissum radium vulgo solem nominamus [a]. » Quod de sole hic significat, pluribus explicat Julianus in oratione *de Sole*.

Cæterum ex illo Sallustii de Ægyptiis testimonio constat, etsi doctis et ingeniosis quibusdam perspecta simulacrorum inanitas esset ut illa Deos esse non crederent, cæteros tamen divinitatem iis affinxisse, de quo fideli ac christiano homini dubitandi locus nullus relinquitur, cum id prophetici cæterique canonici Scripturæ libri passim aperteque comprobent. Nam adversus idolorum cultores sic invehi solent, ut aureas ipsas et argenteas vel lapideas ligneasque formas, non ut effigies solum haberi numinum, sed deos etiam putari ab illis significent. Quod ex *Baruch* capite sexto perspicue cognoscitur, nec non *Isaiæ* quarto et quadragesimo, et quadragesimo sexto, ut alia loca præteream, quæ sunt innumera.

Cæterum qui deorum figuras, non deos ipsos, idola esse crediderunt, perpaucis itidem exceptis, veros illos deos corporatos arbitrati sunt, ac vel humana constare specie, vel cœlestes illos esse quos suspicimus ac lucidos siderum globos. Neque vero talem communi popularique judicio habitum esse Deum mirabimur; si idem sciamus et philosophis compluribus placuisse, in quibus quanto usus erat litterarum ac doctrinæ major, tanto turpior et capitalior inscitia fuit. Quorum opiniones si quis accuratius nosse cupiat, ex antiquorum commentariis eas repetat, velut Ciceronis in libris *de Natura deorum*, Plutarchi primo *de Philosophorum placitis*, Sexti Empirici. Ex nostris vero latius de iis disputarunt Minucius Felix, Clemens Alexandrinus, Origenes, Eusebius.

IV. Nos exteris omissis, eos perstringemus qui in christiana professione pari de Deo errore lapsi sunt.

Ex iis primo loco memorandus est Melito Asianus episcopus Sardensis qui M. Antonino Vero philosopho imperatore vixit [3]. Quem quidem opinionis illius patronum Latini quidam memorant, ut Gennadius libro *de Dogmatibus* [4], qui liber Isidoro attributus est, aut etiam Albino Flacco. Sed eam memoriæ sanctissimi et doctissimi scriptoris falso impositam aliqui putant infamiam ex eo, quod Eusebius et Hieronymus inter alias ejus lucubrationes recensent librum quemdam cujus argumentum fuit περὶ ἐνσωμάτου θεοῦ, quod Ruffinus vertit, *de Deo corpore induto*, tanquam de Christo sive incarnato Verbo scriptus fuerit. Verum Origenes, apud Theodoretum in quæstione vicesima in *Exodum*, diserte asserit Melitonem ita omnino sensisse. Quanquam Sixtus Senensis arbitratur [5] errore Joannis Pici interpretis factum, ut illud scripsisse visus sit Theodoretus, cum aliud Græca præ se ferant. *Error Melitonis notatur.*

Sed Sixtus ipse plurimum falsus est, et Picus omnino recte emendateque quod in castigatiore Græco exemplari erat reddidit. Sic enim in postrema Theodoreti operum græcolatina editione leges. « Ante omnia disceptandum illud est, ubinam constet istud. Ad imaginem : in corpore, an in anima. Videamus porro quibus utantur qui prius asserunt. E quorum

τερον ἀπὸ τοῦ πρώτου τῶν θεῶν γένος, περὶ πάντα τὸν οὐρανὸν κύκλῳ περιφερόμενον· δυναμένης δὲ οὐδὲ τούτοις ἀποδίδοσθαι τῆς θεραπείας σωματικῶς· ἀπροσδεῆ γάρ ἐστι τῇ φύσει· τρίτον ἐπὶ γῆς ἐξευρέθη γένος ἀγαλμάτων, εἰς ὃ τὰς θεραπείας ἐκτελοῦντες, ἑαυτοῖς εὐμενεῖς τοὺς θεοὺς καταστήσομεν.

a Sallust. cap. IV. Ταῦτα δὲ ἀνακεῖσθαι μὲν θεοῖς λέγειν, ὥσπερ καὶ βοτάνας, καὶ λίθους, καὶ ζῶα, σωφρονούντων ἐστὶν ἀνθρώπων· θεοὺς δὲ καλεῖν μαινομένων· εἰ μὴ ἄρα ὥσπερ τοῦ ἡλίου τὴν σφαῖραν, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς σφαίρας ἀκτῖνα ἥλιον ἐν συνηθείᾳ καλοῦμεν.

1 Orat. XXXVIII.—2 Octo 12.—3 Hier. *Cat.* cap. XXXIV; Euseb. lib. IV. *Hist.* cap. XXVI.—4 Cap. IV.—5 Lib. V. *Bibl.* ann. 18.

numero est Melito, qui scripta reliquit de eo argumento, Deum esse corporeum [a]. »

Manifestum est ab Origene notari * Melitonem tanquam in suis illis scriptis Deum esse corporeum non ab aliis affirmatum proposuerit, sed ex opinione ipse sua disputarit. At Sixtus Græca mendosa repræsentans ea sic vertit : « Ex quibus sunt, quæ Melito scripta reliquit de eo quod dicitur Deo corpus inesse [b]. » Quæ sane depravata sunt. Itaque Melitoni opinionem illam impingit Origenes. Quin etiam in catena quadam Græca manuscripta in *Genesim*, Origenis idem ille locus, itidem ut a nobis allatus est, ponitur, nec non Theodoreti idipsum asseverantis.

An Tertullianus Deum corporeum putaverit.

V. Post hunc commemorandus est Tertullianus qui Deum esse corporeum existimasse videtur, idque satis aperte multis in locis indicat. Ut in libro *contra Praxeam* capite septimo. Ubi sermonem Dei, vel Filium, in effigie Dei constitutum ait, ac mox ita scribit : « In qua effigie Dei? Utique in alia, non tamen in nulla. Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt. » Hæc adversus hæreticum qui Dei verbum sive sermonem a Patre non distinguebat, ac per se vacuam et inanem rem esse dicebat. At vero Tertullianus solidum esse aliquid et subsistens asserit ac sui generis effigiem habere, adeoque corpus esse. Sed videtur corpus sic usurpasse, ut idem sit ac substantia. Nam statim subjicit : « Quanto magis quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit? Quæcumque ergo substantia sermonis fuit, illam dico personam et illi nomen Filii vindico.» Et in libro *contra Hermogenem* [1] non concedit « esse aliquid incorporale, de substantiis duntaxat; cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque. » Item alibi : « Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non

a Apud Theodoret. quæst. 20. in *Exod.* ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ. Προδιαληπτέον πρότερον ποῦ συνίσταται τὸ κατ' εἰκόνα, ἐν σώματι, ἢ ἐν ψυχῇ· ἴδωμεν δὲ πρότερον οἷς χρῶνται οἱ τὸ πρῶτον λέγοντες, ὧν ἐστι καὶ Μελίτων, συγγράμματα καταλελοιπὼς περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεόν.

b Græca Orig. a Sixto relata. Ὧν ἔστιν ἃ καὶ Μελίτων συγγράμματα καταλέλοιπε, περὶ τοῦ ἐνσώματον εἶναι τὸν Θεὸν.

* Qui Melitonem erroris accusant, hisce maxime argumentis innituntur : I. quod Eusebius (H. E. lib. IV. cap. XXVI.) ejusdem memoret librum hoc titulo insignem, περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ : II. quod Origenes penes Theodoritum (quæst. XX. in *Genes.* I.) sententiam Melitoni tribuat de Deo corporeo : et III. quod Gennadius (*De dogmatt. ecclesiast.* cap. IV.) diserte scripserit : « Nihil in Trinitate credamus corporeum, ut vult Melito et Tertullianus. » At vero qui illius suscipiunt vindicias, iidem I. eximias Melitoni delatas laudes (Videsis Galland. in proleg. ad T. I cap. XXIV.) congerunt : addunt deinde II. nunquam anthropomorphitis in mentem venisse, Melitonem tanquam sui dogmatis prodromum celebrare : tum pergunt III. titulum libri περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, præclare cum Rufino verti *de Deo incarnato* : quam versionem IV. auctoritate confirmant Anastasii Sinaitæ, qui (*Hodeg.* cap. XIII.) clarius eumdem titulum reddidisse videtur περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ : e quibus V. inferunt Origenem ancipiti libri titulo deceptum præposteram Melitoni tribuisse sententiam : de Gennadio tandem VI. non admodum sunt solliciti, cum illius fidem non raro sublestam cognoverint. Hactenus hisce prope argumentis, quemadmodum videre licet penes Valesium (*Ad Eusebii* lib. IV. cap. XXVI), Cotelerium (*Ad hom. clement. XVII.* § VII.), Fabricium (*Biblioth. Græc.* lib. V. cap. I. §. XXIV.) et Vallassium (Ad Hieronymi lib. *de Viris illust.* cap. XXIV.), acta fuit Melitonis causa : sed illius in se tutelam haud paulo animosius Joan. Baptista Pitra recepit (*Spicileg. solesm.* t. II. proleg. pag. 11.) inquiens : « Vetus calumnia in sanctum doctorem inde orta est, ac si *Deum esse corporatum somniavisset.* Alia longe Anastasius, qui hunc commentarium videtur mirabundus evolvisse, legisse, suspexisse, ait : « Certe divinus et sapientissimus inter doctores Melito graviter invehitur in illos interpretes, qui perfectam in Christo divinitatem, integramque humanitatem non prædicant. » Tum titulum libri explicat, *de Incarnatione*, περὶ σαρκώσεως. Quid plura? Lis hoc uno verbo dirimitur. Accedit illud, quod in *Clavis* libro quem mox integrum damus, singula quæ allegorice in Scripturis dicuntur Dei aut Christi membra, non crasse sed μυστικῶς ab illo constanter exponuntur. Calumnia utique vetus, oriunda ab Origene et Alexandrinis, ut inde ad Augustinum, ad Gennadium, ad Theodoretum delata, tam in Oriente quam in Occidente percrebuerit. Is ego non ero qui data occasione, non in causam Alexandrinos adducam ob innatam illis nescio quam invidiæ labem, qua facillime sive in Romanos sive in Asianos Patres exarserunt. Id minime præteriit Hieronymum, quis enim arrodentium subtilior unquam fuit indagator? Cum in Hippolyti, Asiani utique et Romani, invidiosam æmulationem persuasum fuisse ait Origeni, ut commentarios in Scripturam conscriberet. » Verum I. ipse quoque Danzius (*De Euseb.* pag. 98. seq.) censuerat eumdem non immerito haberi librum qui penes Eusebium inscribitur περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, quique penes Anastasium præfert titulum περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ. At conjectura displicuit Adolpho Heinichen (*Ad Eusebii H. E.*, lib. IV. cap. XXVI.), eaque ex sese talis est, quæ optari facilius quam suaderi opportune queat. Porro II. quod de Melitoniana clavi subditur, grave oppido foret, si compertum nobis exploratumque esset, illam ad nos usque in Latinis versionibus neque multipliciter auctam, neque diversimode interpolatam devenisse.

1 Cap. XXXV.

est [1]. » Ex quo et animam hominis corpus habere concludit.

Augustinus, libro decimo *de Genesi ad litteram* [2], Tertullianum ait non solum animam hominis esse corpoream credidisse, sed etiam Deum, quod neutrum incorporeum cogitare posset. Eumdem tamen non constare sibi, qui in libro *de Anima* dicit [3], omne corporale esse passibile. « Neque enim arbitror, inquit, eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet. » Verum non est quod aut mutasse pristinam sententiam de Deo corporeo Tertullianus hoc loco putetur, aut secum reipsa pugnare *. Primum quia passibile sic sumit, in libro *de Anima*, ut non qualemcumque passionem significet, sed eam quæ mutationem aliquam et corruptionem suapte natura sensumque doloris afferat, cujusmodi cruciatus est animarum et exustio. « Igitur si quid tormenti, sive solatii (Tertulliani verba sunt) anima præcepit in carcere seu diversario inferum, in igni vel in sinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati possit, aut si habet, hoc erit corpus. Inquantum enim omne corporale passibile est, intantum quod passibile est, corporale est. »

VI. Deinde quia passiones aliquas, sive sensus generis sui, hoc est *incorruptorios* confert in Deum in secundo contra Marcionem [4]. Etenim cum Deum Novi Testamenti ita bonum esse doceret hæreticus iste, ut severum ac justum esse nollet, neque irasci aut vindicare, vel pœnas sumere; Tertullianus ex adverso iram, æmulationem et sævitiam, quia justa, bona esse defendit et in Deo reperiri; quasi ferramenta medici et instrumenta sine quibus medicus esse non possit, uti neque sine motibus illis judex Deus. « Proinde est enim, cum Deum quidem judicem admittis, eos vero motus et sensus per quos judicat, destruis. Itaque objicienti Marcioni : « Si Deus irascitur et æmulatur et extollitur et exacerbatur, ergo et corrumpetur, ergo et morietur, » sic ille respondet : « Stultissimi qui de humanis divina prædicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco et in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias et suos eis distribue sensus, tam diversos quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam et dexteram et oculos et pedes Dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis et humani sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit et animi divini et humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ. » Mox vero : « Et hæc ergo, inquit, imago censenda est Dei in homine, quod eosdem motus et sensus habeat humanus animus, quos et Deus, licet non tales quales Deus. Pro substantia enim et status eorum et exitus distant. » Igitur passiones et motus ac sensus in Deo Tertullianus agnoscit, sed diversos ab iis quos experimur, pro eo ac diversa sunt utrobique corpora sed tamen corpora, uti et sensus motusque diversi sunt, sed sensus tamen ac motus. Quominus ergo corpus habeat Deus ex Tertulliani sententia nihil obstat, quod omne corpus passibile esse credidit. Nam et Deum suo modo pati aliquid arbitratus est. Tum divinum corpus, divinaque itidem membra sui generis agnoscit et ab humanis diversa.

VII. Plus ad excusandum Tertullianum inest in eo momenti, quod in libro *de Hæresibus* affert Augustinus [5]. Ubi cum dixisset non solum animam sed Deum etiam corporeum ab illo dici, addit non tamen hinc hæreticum credi factum : « Potuit enim propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus et per locorum spatia

Supersunt III. quæ de Alexandrinorum in Romanos, Asianosque invidentia perhibentur, quæque nobis ejusmodi apparent ut operæ pretium ducamus de iis nullatenus arbitrari. Novimus sane Alexandrinos doctores, Clementem (*Stromatt.*, lib. II. §. II.; lib. V. §§. XI-XII.; lib. VII. §. VI.) et Origenem (*de Principiis*, lib. I. cap. I. n. 6; lib. II. n. 2, *cont. Celsum*, lib. VI. nn. 69-70; lib. VII. nn. 27-38.; *de Orat.* n. 23.), quos Cæsariensis Eusebius (*de Incorporali et invisib. Deo*, pp. 503. seqq. apud Gallandium, t. IV.) imitatus est, impense studuisse ut nulla Deum corporea affectuum concretione demonstrarent; sed eo usque fuisse abreptos ut Asianis errorem de Deo corporeo ex invidentia affingerent, neque novimus, neque facile in animum inducimus. E. R.

* Rem acu tetigit Augustinus, quando *passibile* penes Tertullianum nihil sit aliud quam *mutabile* et *imperfectum*. Cum enim ipse summam Deo perfectionem et omnino ejusmodi qua major neque esse neque cogitari possit, constanter asseruerit, ex duobus alterutrum fuit necessario consequens, sive ut a sententia de Deo corporeo proindeque passibili discesserit, sive ut ipse secum turpiter conflixerit. E. R.

1 Lib. *de Carne Christi*, c. XI. — 2 Cap. XXV. — 3 Cap. VII. — 4 Cap. XVI. — 5 Cap. LXXXVI.

nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. » Quo illud Sœbadii Aginnensis pertinet qui Filium Dei non, ut Sabellius credidit, substantia carere, sed solidum et substantivum esse docens : « Imago, inquit, vera et figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia constitit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei sermo Spiritu Dei instructus est, et ut evidentius dicam sermonis corpus est Christus. Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam et invisibilis et incomprehensibilis spiritus. Numquid tamen inane et vacuæ * res Deus? Deus enim spiritus est. » Sic Methodius [1] animas hominum νοερὰ σώματα, id est, *intelligibilia et spiritualia* esse *corpora* dicit [a], et membris similibus constare, de quo postea dicetur. Sed de Tertulliano * pluribus agere nihil attinet [2], qui quidem de manibus et contactu Dei, cum de formato ab illis homine primo loquitur, paulo crassius quam christianum minime rudem deceat, sensisse mihi videtur.

*Leg.: vacua

Quin et Lactantius obiter notandus est **, qui in libro *de Ira Dei* figuram quamdam Deo tribuere videtur. « Omitto, inquit, de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum, et ingens alia materia nascitur si eos coarguere velimus. » Contra Stoicos ecce disputare paratus erat, figuræ Deum expertem esse sentientes, tanquam aliter ipse judicaret, quod nonnisi absurde facere potuit, cum « *Deum incorporalem*, *invisibilem et æternum* constitueret, ut est ab eo scriptum in septimo *Institutionum*, capite nono.

Quænam Lactanti sententia

VIII. Huic duo subjiciendi sunt qui Deum corporeum esse finxerunt, Seleucus et Hermias

a METHOD. Αἱ δὲ ψυχαὶ ἀπὸ τοῦ δημιουργοῦ, καὶ πατρὸς τῶν ὅλων σώματα νοερὰ ὑπάρχουσαι εἰς λόγῳ θεωρητὰ μέλη διακεκόσμηνται.

* Sunt qui abrupte Tertulliano adscribunt, quod Deum ipse habuerit corporeum : sunt qui ab ejusmodi accusatione illum penitus eximendum affirmant : sunt qui in medio prope siti hærent ancipites : et sunt qui Africanum doctorem a seipso dissidentem, neque ejusdem semper doctrinæ vindicem arbitrantur. Sed si quid legendo conferendoque asseculi sumus, videmur nobis non obscure perspexisse I. compertum probe Tertulliano (*Adver. Hermog.* cap. XXXV.; *de Pœnit.* cap. III. et *de Anima,* cap. LVIII) fuisse discrimen tum substantiæ corporeæ ab incorporea, tum actuum corporeorum ab iis qui corpore administrari non possunt : II. Deum plus semel a Tertulliano (*Apolog.* cap. XXI et *cont. Prax.*, cap. VII.) spiritus nomine designari : III. ejusmodi de Deo, Deique perfectionibus in omnibus passim operibus doctrinam tradi, quæ cum illius corporea natura cohærere nullo pacto possit : IV si quando Deum dixerit corpus, non aliud eo nomine intellexisse quam quod reale et substantivum (*Adver. Praxeam,* cap. VII.; *cont. Hermog.* cap. XXXV. et *de Carne Christi*, cap. XI.) est, illique opponitur quod sibi non constat ac defluit : tandem V. in hanc loquendi formam propterea descendisse, quod id ferret disceptationum quas versabat natura, quodque illa neque ab usu loquendi universim, neque ab usu Scripturarum (*Coloss.* II, 17. ubi res ipsa et veritas præ umbris audit corpus) nominatim abhorreret. Cum his autem quæ obiter innuimus, juverit ea contulisse quæ ad mentem doctrinamque Tertulliani aperiendam vindicandamque scribunt Nicolaus Le Nourres (*Apparat. ad Biblioth. max. Patrum*, t. II. diss. IV. cap. VII. art. 3. pagg. 1279-1283.), Cantova (*De Septimio et sancto Epiphanio,* dissertt. II. theolog. crit. in quibus antropomorphismo neutrum laborasse ostenditur), Ernestius (*Biblioth. theolog. rec.* t. III. pag. 639.) et Lumper (*Hist. theolog. crit.* P. VI. cap. VI. art. 5.), qui et illud monent, Deum dici σῶμα *corpus*, ut Stoicorum more (Cf. Plotin. lib. VI. cap. I. n. 28.) illius *substantia* significetur. Libens adderem utramque Zachariæ adnotationem, quam Petavianæ disquisitioni de Melitone ac Tertulliano subjunxit; sed cum nihil alicujus momenti quod a nobis neglectum fuerit, iisdem contineatur, illas propterea missas facimus. E. R.

** Atqui alibi passim (*Instit. div.* lib. I. cap. III.; lib. II. cap. IX.; lib. IV. capp. I-XXIV.; lib. VII. capp. III-IX-XXI. et *de Ira Dei*, cap. I.) nihil Lactantius omiserat quo Deum « corporis expertem, indivisibilem, spiritualem, impassibilem, mentemque æternam ab omni compositione solutam celebraret. » Ecqui igitur fieri potuisse arbitrabimur, ut sui penitus oblitus scripserit (*de Ira Dei*, cap. II.) : « aliter de unica illa majestate sentiunt quam veritas habet, qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut ullo affectu moveri putant? » Et (Ibid. cap. XVIII.) rursum : « Omitto de figura Dei dicere, quia stoici negant habere ullam formam; et ingens alia materia nascitur, si eos coarguere velimus. » Scilicet sunt ista ejusmodi quæ cum superioribus belle cohærent, si duo tamen memoria reputentur, quorum alterum est, quo Stoici spectarent cum omni figura formaque Deum exuerent : alterum vero quo sensu in hac contentione figuræ formæque nomina usurparentur. Itaque cum sibi stoici persuasissent nullum esse fixum Dei statum, nullumque certum exsistendi modum ; Deum idcirco omni carentem figura, omnique destitutum forma propugnabant. Omnium nomine audiatur Posidonius, cujus verba Stobæus (Apud Lipsium physiolog. stoic. lib. I. diss. VII.) refert : Θεός ἐστι πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται, καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν. « Deus est spiritus intelligens et igneus, formam non habens, sed in quas vult se vertens et omnibus adsimilans. » Mirum ergo esse non debet, sive quod Stoicos refutatione dignos Lactantius putarit, sive quod figuram formamque Deo asseruerit, certum videlicet statum, rationemque exsistendi non fluxam et mutabilem sed uniusmodi atque permanentem. E. R.

1 Apud Phot. cod. 234. sub fin. — 2 Tertul. *de Resur. carn.* cap. VI.

Galatæ, ut testis est Philastrius [1], quod tamen tacuit Augustinus in libro *de Hæresibus*. Tum Audius a quo propagati sunt Audiani [a], de quibus agit Epiphanius [2]. Atque hic quidem illorum recensens opiniones, nusquam, quod meminerim, Deum ab illis ἀνθρωπόμορφον aut *corpore præditum* asserit. Imo vero nulla in re ab Ecclesia catholica et fide dissensisse Audium scribit ejusque sectatores, præterquam in una et levissima, quod illa Scripturæ verba quæ *hominem ad imaginem Dei* esse factum significant, durius ac præfractius interpretaretur, cum quidem imaginem Dei in corpore ipso sitam esse defenderet [b]. Nominatim vero de Trinitate præclare et ex catholicæ præscripto Ecclesiæ sentire testatur ipsos. Quæ haud sane vera essent, si Deum esse corporeum et humanis constare membris arbitratus esset. Ita enim magna in re ac præcipua et quæ caput ipsum christianæ religionis continet, ab catholica professione dissiderent. Quippe « affectiones in Deo esse aliquas dicere, summæ esse impietatis, idem affirmat Epiphanius [3], eo quod divinum numen nullis affectionibus est obnoxium, et his omnibus superius est quæ in nobis particulatim dividentibus notionibus subsunt [c]. » Quinam obsecro Epiphanius illorum approbaret fidem, eosque nihil in Divinitatis ac Trinitatis dogmate ab catholica distare professione diceret, si id quod extremæ impietatis esse putat asseverarent, corpus habere Deum adeoque passionibus esse subjectum, et ex rebus constare diversis ac reipsa disjunctis, cujusmodi materia est ac forma, tum membra ex quibus humanum corpus existit? Nam nec ea quæ de sacrosanctæ mysterio Trinitatis habet catholica professio, consistere cum ista opinione possunt quæ Deo corpus affingit: neque tricorporeum facere Deum tolerabilis est error atque ejusmodi, ut « eum admirabiliter cum Ecclesiæ concordare fide et imprimis orthodoxum » esse, sentire potuerit Epiphanius. Tali enim testimonio illorum de Trinitate dogma commendat. Quinetiam Cassianus eamdem illam hæresim ut « gentilem blasphemiam detestandam esse dicit ab eo, qui catholicis dogmatibus fuerit institutus. »

Audii sententia expenditur.

IX. Quamobrem Audium arbitror Deum corporis expertem putasse, ac nihilominus imaginem illius in hominis expressam corpore, ut incorporeæ ac spiritualis substantiæ imago esset aspectabilis et corporea. Quamvis enim « invisibilis Dei imago non in eo est quod videtur, sed in eo utique quod non videtur [4], » ut ait Ambrosius; quia tamen Deus in Scripturis quamdam corporis membrorumque speciem, et quæ iis consentanea sunt usurpare solet, adeo ut hominis instar locutus ab ipso rerum initio, ac manibus elaborasse dicatur; potuit videri ad illam quæ est expressa Dei figuram et imaginem homo esse formatus. Sane Augustinus Eugubinus in *Cosmopœia* Deum existimat cum hominem fingeret, humanam sumpsisse formam, velut typum et exemplar ad quod opus suum exprimeret; ac verba illa Mosis quibus ad imaginem Dei factus homo dicitur, etiam de corpore interpretatur quod in homine simile est ei formatum quod tum Deus assumpsit. Prudentius quoque sub finem *Apotheosis* sentire videtur Deum in homine formando humanam induisse formam ac digitis contrectasse subegisseque limum :

Dignatur, ait, præpinguis humi comprehen-
[dere mollem
Divinis glebam digitis, nec sordida censet
Hærentis massæ contagia, etc.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit ut Domini manibus tractatus, honora
Arte sacer fieret, tactu jam nobilis ipso?

Minime itaque mirum est, Audium incorporei numinis effigiem in humano constituisse corpore.

Quanquam Theodoretus asseverat illum humanum corpus ac formam affinxisse Deo, et quæ metaphorice Deo membra tribuuntur in Scripturis [5], vere ac reipsa inesse in illo credidisse [d]. Augustinus item idipsum testatur,

a Epiph. Οὔ τι ἔχων παρηλλαγμένον τῆς πίστεως· ἀλλ' ὀρθότατα μὲν πιστεύων αὐτός τε, καὶ οἱ ἅμα αὐτῷ.

b Epiph. Μετὰ γὰρ τοῦ ὁμολογεῖν περὶ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος θαυμαστῶς, ὡς ἔχει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία, ὀρθοδοξότατά τε φυλάττειν, etc

c Epiph. Πάθη ὅλως ἐν θεῷ διηγεῖσθαι, ἀσεβέστατον· εἴσω γὰρ παθῶν· οὐδ' ὅλως περιέχεται τὸ θεῖον· ἀνωτάτω δὲ ὂν τῶν τοιούτων τῶν ἐν ἡμῖν, εἰς μεριστικὰς ἐννοίας ὑποπιπτόντων.

d Theodoret. Αὐδαῖος δέ τις ἐκ τῆς πέραν Εὐφράτου Συρίας ὁρμώμενος ἀνθρωπόμορφον ἔφησε τὸν θεὸν, καὶ τὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ περιτέθεικε μόρια, τὰ συγκαταβατικῶς παρὰ τῆς θείας εἰρημένα γραφῆς ἀνοήτως νενοηκώς.

1 Cap. VIII. — 2 Hær. 70. — 3 Hær. 76. in confut. 14. Aetii. — 4 In *Psal.* CXVIII. oct. 12. — 5 Lib. IV. *de Hæres.* cap. XIII.

eosque alio nomine dici Anthropomorphitas ait: « Quoniam Deum sibi fingunt cognitione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius parcens eis ne dicantur hæretici[1]. » Verum nusquam Epiphanius hoc de illis prodidit, Deum ἀνθρωπόμορφον, hoc est humanis præditum membris et corporeum ab iis esse creditum. Sed ex illorum de imagine Dei in homine sententia consequens id putavit Theodoretus ut et Augustinus, qui *Vadianos* appellat hæreticos illos pro *Audianis,* quod Latini deinde illius imitatione fecerunt.

Anthropomorphitarum hæresis.

X. Postremi ergo commemorandi sunt Anthropomorphitæ, sive ab Audio, ut plerique putant, oriundi, sive ex ejus opinione stolidi erroris ansam nacti, uti Deo humani corporis ac membrorum speciem attribuerent*. Quæ hæresis circa Theodosii primi tempora exorta est in Ægypto, ut testes sunt Socrates[2], Sozomenus[3], et Cassianus[4], atque a monachis pæne omnibus magno ardore suscepta, repugnante contra illos Alexandrino præsule Theophilo, et paschalibus suis litteris eos incessente, ut inter alios Cassianus auctor est et Gennadius[5]. Ac præcipuum firmamentum dementissimæ illius opinionis ex eo *Genesis* loco petitum esse, quo factus homo dicitur ad *imaginem et similitudinem Dei,* omnes illi, cæterique confirmant, ut eo nomine jure ab Audio illo vel Audæo qui sic interpretatus est, nata secta ista dicatur. Et quamvis Theophili, aliorumque qui tunc eruditione claruerunt, opera et scriptis hæresis illa profligata sit, non sic tamen est obtrita ut non superstites ejus reliquiæ ad posteriora tempora perevaserint. Etenim Faustum Regiensem qui quinto sæculo inclinante floruit, et Ratherium monachum qui decimo vixit, adversus anthropomorphitas scripsisse refert Trithemius **. Postremo non est omittendum, videri Gennadium in libro *de Dogmatibus ecclesiasticis,* capite IV, *Anthropomorphum* et *Vadianum* pro duobus hæreticis hominibus usurpasse, errore sane ridiculo.

Refellitur gentilium testimonii

Sed profanam hanc et sacrilegam ineptiam non fides solum catholica detestatur, sed naturalis etiam ratio convincit, qua complures usi gentilium, corpus omne a Deo segregandum his præsertim argumentis probarunt. Primum quod cum hæc divinitatis notio mentibus hominum insita sit, ut quippiam sit longe præstantissimum, et ei omni quod cogitari potest antecellens: ei vero quod corporeum est, quod est intelligibile præferatur; Deum oportet corporis expertem, ac simplicem esse spiritum. « Eorum quæ sunt, ait Maximus Tyrus ex Platonis sententia[6], quædam sunt inanima, quædam animata[a]. Inanima porro

Leg. ἄψυχα

a MAX. TYr. Τῶν ὄντων τοίνυν τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δὲ, ἔμψυχα· καὶ τὰ μὲν ἔμψυχα, λίθοι, και ξύλα, καὶ ὅσα τοιαῦτα· τὰ δὲ ἔμψυχα, φυτὰ καὶ ζῶα· κρεῖττον δὲ ἔμψυχον ἀψύχου· τοῦ δὲ ἐμψύχου, τὸ μὲν φυτικὸν, τὸ δὲ αἰσθητικόν· τὸ δὲ αἰσθητικὸν τοῦ φυτικοῦ κρεῖττον· τοῦ δὲ αἰσθητικοῦ τὸ μὲν λογικὸν, τὸ δὲ ἄλογον· κρεῖττον δὲ τὸ λογικὸν τοῦ αλόγου· ἀλλὰ καὶ ἐν λογικῇ ψυχῇ, ἐπειδή περ ἐστὶν ἡ πᾶσα ὥσπερ ἄθροισμά τι, θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, κινητικὸν, παθητικὸν, νοητικὸν· ὃν οὖν ἔχε, λόγον τὸ ἔμψυγον πρὸς τὸ ἄψυχον, τὸν αὐτὸν τοῦτον ἔχει καὶ ἡ ἔννους ψυχὴ πρὸς τὴν ὅλην ψυχήν· καὶ δηλαδὴ ὡς κρεῖττον ἡ ἔννους ψυχὴ τῆς ἐξ ἁπάντων ἠθροισμένης· ποῦ τοίνυν τοῦτον τὸν θεὸν τάττωμεν; πότερα ἐν τῷ ἀθροίσματι; ἀλλὰ εὐφημεῖν ἄξιον· λείπεται δὴ ὥσπερ εἰς ἀκρόπολιν ἀναβιβασαμένους τῷ λόγῳ τὸν θεὸν ἱδρῦσαι κατὰ τὸν νοῦν αὖ τὸν ἀρχηγικώτατον.

* Antiquior erat Anthropomorphitarum hæresis, quam credebat Petavius. Veteres enim Ebionitæ, a sæculo secundo, simile quid senserant, ut liquet ex *Homiliarum Clementinarum* XVIII. p. 732. Ed. Amstelodamensis. Unde pauca verba Latine proferemus, brevitatis causa: « Habet enim formam, inquit Petrus de Deo, propter solam et primam pulchritudinem. Habet omnia membra, non propter usum; non enim ideo habet oculos, ut inde videat, quia cernit undique, etc. Sed nec habet aures, ut audiat; quia omni ex parte audit, intelligit, movet, operatur, facit. Pulcherrimam autem formam habet, propter hominem, quo mundi corde illum videre possint, ut pro iis quæ passi sunt lætentur, etc. » Alibi similia occurrunt, de quibus multa dici possent, nisi breves notas scriberemus. T. A.

** Neque enim adduci in controversiam potest, tum veteres Manichæos (Penes Augustinum *con. epist. Manichæi,* n. 20; *cont. Faust.* lib. XX. n. 7; lib. XXV. n. 1, et *Confess.* lib. V. n. 10.) in ea fuisse hæresi, ut Deum purum esse spiritum inficiarentur, tum media ætate Albigenses (Apud Lucam Tudensem, lib. II. cap. IX.) in similem omnino scopulum impegisse. Ratherii verba (*de Quadrag.* serm. II. al. I. nn. 29. seqq.) de Anthropomorphismo sua iterum ætate disseminato luculentissima sunt, neque minus illa splendent quibus prædicatam a se doctrinam propugnans (App. apolog. contra reprehensores sermonis cit. n. 1.) scribit: « Non dicit Ratherius Veronensis episcopus, quod Deus Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, hoc est incarnatus pro nobis Dei sapientia non habeat caput, oculos, manus et pedes, cæteraque humani corporis membra cum anima rationali Deo plena....; sed dicit quod Deus, id est divinitatis substantia non habet corpus, nec est corpus quod palpari possit et videri, quia *spiritus est Deus,* sicut dixit (*Joann.* IV, 24.) Dominus Jesus Christus, et *spiritus carnem et ossa non habet,* sicut idem dicit in Evangelio (*Luc.* XXIV. 39.) Christus. » Quibus compendio indicatis, Zachariæ adnotatione carere citra damnum possumus. *E. R.*

1 Tom. VI. lib. *de Hæres.* cap. I. — 2 Lib. VI. cap. VII. — 3 Lib. VIII. cap. XI. — 4 *Coll.* 10. cap. II et V. — 5 Lib. *de Vir. illustr.* cap. XXXIII. — 6 Diss. 1.

sunt lapides, ligna et id genus alia: animata, stirpes, et animalia. Est autem animatum inanimo præstantius. Rursus animatum aliud est vegetabile, aliud sensibile. Sensibile autem vegetabili antecellit. Item sensibile aliud est rationale, aliud rationis expers, e quibus rationale alteri præstat. Quinetiam in anima rationali, quoniam est velut congeries quædam, inest nutriendi vis et sentiendi, movendi quoque, patiendi et intelligendi. Quam igitur rationem habet animatum ad inanimum, eamdem habet anima mente prædita ad totam animam: adeoque mentis particeps anima melior est ea quæ ex omnibus congregatis existit. Jam vero quanam illarum omnium in parte collocabimus Deum? Num in illa congerie? Ne Deus ipse siverit. Restat igitur ut tanquam edita in arce, Deum in principe mente oratione nostra collocemus. »

XI. Hæc Maximus cujus argumentatio ab divinitatis excellentia ducitur, cui id scilicet convenit quod in cogitationem nostram potest cadere præstantissimum. Ejusmodi autem est « mens quædam soluta et libera secreta ab omni concretione morali, omnia sentiens, et movens, » qualem Deum apud Augustinum definit Cicero[1]. Nam corpus et corporeum omne spiritu ac mente multo deterius et ignobilius est.

Alcinous quoque ex eadem Platonis disciplina Deum ἀσώματον esse demonstrat, primum quia corpus omne partibus constat [a]. Est enim quantum. Pars autem natura est prior eo quod ex partibus componitur. Atqui nihil esse Deo prius potest[2]. Deinde si Deus esset corpus, ex materia formaque constaret, quod absurdum est [b]. Nam simplex est Deus et primum omnium, non esset autem primum si ex simplicioribus seipso partibus componeretur. Ad hæc corruptibilis vel certe dissolubilis esset in eas partes ex quibus constaret. Tum auctorem et opificem sui haberet alterum. Quidquid enim componitur ex partibus, causam sui habet aliquam quæ partes illas consociet in unum atque copulet. Quæ ratio non eo solum pertinet ut ne Deus merum corpus esse credatur, sed ne ex corpore concretus et spiritu, aut ex partibus omnino coagmentatus quæ reipsa invicem distent. Quod utrumque procul abesse ab notione divinitatis Sextus Empiricus in octavo contra dogmaticos probat.

XII. Sed exteris, hoc est gentilibus, omissis, christianos potius idem illud demonstrantes theologos audiamus. E quibus Gregorius Nazianzenus in quarta et tricesima oratione copiosam de eo disputationem instituit. « An corpus, inquit, eum esse dices? Quonam vero modo corpus erit hoc quod est infinitum, interminabile, figuræ expers, quod nec tangi, nec videri potest [c]? » Item: « Quinam cultu et adoratione dignum est, si circumscriptum aliquid est? Aut quid causæ esse dicemus quin ex elementis constet et in ea resolvatur iterum et omnino dissolvatur? Nam compositio principium est pugnæ, pugna autem dissidii, dissidium solutionis. Solutio vero prorsus aliena est a Deo primaque natura. Quocirca nullum inest dissidium, ne sit aliqua solutio: neque pugna, ne dissidium oriatur: neque compositio, ne pugna existat. Ac proinde ne corpus quidem est, ne sit compositio. » Sic igitur ex communibus Dei notionibus efficitur carere corpore Deum, quia Deum omnes infinitum et immensum aliquid ac nullo finitum termino; tum vero partium et compositionis expers esse sentiunt qui paululum rationis habent et judicii. Adde illa etiam de Deo vulgata:

Item catholicorum theologorum.

> Deum namque ire per omnes
> Terrasque, tractusque maris, cœlumque pro-
> [fundum[3],

quæ in corpus minime congruunt. « Quinam vero, pergit Nazianzenus, illud tueri pote-

a ALCIN. Ἀμερῆ τε διὰ τὸ μὲν (μὴ) εἶναι πρότερόν τι αὐτοῦ· τὸ γὰρ μέρος, καὶ τὸ ἐξ οὗ πρότερον ὑπάρχει τούτου οὗ μέρος.

b Id. Εἰ γὰρ σῶμα ὁ Θεὸς, ἐξ ὕλης ἂν εἴη καὶ εἴδους· διὰ τὸ πᾶν σῶμα συνδύασμά τι εἶναι ἔκ τε ὕλης, καὶ τοῦ σὺν αὐτῇ εἴδους, etc. ἄτοπον δὲ τὸν Θεὸν ἐξ ὕλης εἶναι, καὶ εἴδους· οὐ γὰρ ἔσται ἁπλῶς, οὐδὲ ἀρχικός· ὥστε ἀσώματον ἂν εἴη ὁ Θεὸς etc. Καὶ γὰρ εἰ σῶμά ἐστι, καὶ φθαρτὸς ἔσται καὶ γεννητὸς, καὶ μεταβλητός· ἕκαστον δὲ τούτων ἄτοπον ἐπ' αὐτοῦ.

c NAZIANZ. Πότερον σῶμα; καὶ πῶς τὸ ἄπειρον, καὶ ἀόριστον, καὶ ἀσχημάτιστον, καὶ ἀναφὲς, καὶ ἀόρατον; etc. Et mox: πῶς γὰρ σεπτὸν, εἰ περιγραπτόν; ἢ πῶς φεύξεται τὸ ἐκ στοιχείων συγκεῖσθαι, καὶ εἰς αὐτὰ πάλιν ἀναλύεσθαι, καὶ ὅλως λύεσθαι; σύνθεσις γὰρ ἀρχὴ μάχης· μάχη δὲ διαστάσεως· ἡ δὲ λύσεως· λύσις δι' ἀλλότριον πάντη Θεοῦ, καὶ τῆς πρώτης φύσεως· οὔκουν διάστασις, ἵνα μὴ λύσις· οὐδὲ μάχη, ἵνα μὴ διάστασις· οὐδὲ σύνθεσις, ἵνα μὴ μάχη· διὰ τοῦτο οὐδὲ σῶμα, ἵνα μὴ σύνθεσις.

1 Lib. XXII. *de Civit. Dei.* cap. XX. — 2 Cap. X. — 3 Virgil. IV. *Georg.* vers. 221, 222.

rimus quod ait Scriptura, Deum omnia pervadere atque implere, juxta illud : *Nonne cœlum et terram ego impleo*[1] ? Et *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*[2] : si Deus partim circumscribat, partim circumscribatur ? Aut enim per vacuum hoc Universum grassabitur, et res omnes nobis peribunt : ut sic Deus contumelia afficiatur, nimirum et qui corpus sit, et iis quæ procreavit, careat : aut corpus in corporibus erit, id quod fieri non potest : aut implicabitur, aut opponetur, aut quemadmodum liquida invicem miscentur, ita ille alia secabit, ab aliis secabitur : quod ipsis etiam Epicuri atomis magis est absurdum et anile. Sicque nobis excidet et corpus non habebit, nec solidi quidquam hæc disputatio qua Deo corpus tribuere conamur[a]. » Denique, ut eodem in loco disputare pergit, corpus omne loco ac definito spatio circumscriptum est, in eoque movetur : quæ ab divinitatis natura et excellentia procul abesse omnes intelligunt qui Deum utcumque cognoscunt. Hunc totum Gregorii locum transcripsit Joannes Damascenus in primo *de Fide orthodoxa*, capite quarto.

XIII. « Non ergo aut corpus aliquod, ait Origenes[3], aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid, et inferius esse credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς et, ut ita *Monas.* dicam, totus mens ac fons ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. » Quibus in verbis duo triave continentur argumenta quibus persuaderi possit Deum expertem esse corporis. Nam si corpus aut esset aut haberet, esset in eo majus quippiam et minus, quia totum parte, et pars aliqua minori est parte major : quod in Deum cadere non debet, qui et individuus et simplicissimus intelligitur. Deinde aut quidquid est, corporeum est neque spiritus est ullus, quod Sadducæi credebant : aut præter corpus, genus est rerum aliquod incorporeum. Horum prius si quis asserat, non hoc loco convincendus est nobis, sed vel alia disputatione constringendus, vel pro desperato ac pecudis simili contemnendus est. Sin est, ut spirituale aliquid esse fateatur, talem omnino Deum oportet agnoscat ut fons ac principium sit, ut ait Origenes, naturæ totius intelligibilis ac mentis. Non enim corpus spiritualis naturæ principium esse potest efficiensve causa, quamvis corporis corporatæque rei causa esse spiritus possit. Sane Fulgentius[4] in libro *de Fide ad Petrum* ex eo quod Deus quibusdam corporibus vitam non dedit, aliis impertiit, tum aliis sensum, aliis præterea rationem, aliis spiritualis conditionem substantiæ largitus est, neque corpus illum esse, neque cæterorum aliquid affirmat. « Nisi enim naturaliter incommutabilis ipse esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis ejus incommutabilis permaneret. Deus igitur rerum corporearum atque incorporearum creator immensus ; eo primum se nullum esse corpus ostendit, quia quibusdam corporibus vitam non dedit, cum corpora omnia ipse creaverit. Ipse autem naturaliter vita est, quia si vita non esset, non viventia corpora ipse non fecisset. Neque enim facit rem non viventem nisi res vivens. » Idem et de corporibus viventibus aliisque conditis rebus deinceps probat, quæ legi apud illum possunt. Vide Origenem libro VII *contra Celsum*, ubi incorporeum esse Deum affirmat.

XIV. Novatianus in libro *de Trinitate*, cap. VI, paucis verbis rationes pæne omnes complexus est, quibus a Deo τὸ ἐνσώματον *Corporalit* excluditur. « Idem enim, inquit, quidquid illud est, totus æqualis est et totus ubique est. Non enim habet in se diversitatem sui quidquid est simplex. Ea enim demum in diversitatem membrorum recidunt, quæ veniunt ex nativitate sui in dissolutionem. Sed hæc quæ concreta non sunt, sentire non possunt. Quod enim mortale est (imo immortale, vel mortale non est) quidquid est, illud ipsum unum et simplex et semper est. Et ideo quia unum est, dissolvi non potest; quoniam quidquid est, illud ipsum extra jus dissolutionis positum, legibus est mortis solutum. » Gennadius quoque incorporeum esse Deum colligit,

a Id. Πῶς δὲ καὶ σωθήσεται τὸ διὰ πάντων διήκειν, καὶ πληροῦν τὰ πάντα Θεὸν, κατὰ τὸ, οὐχὶ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ· λέγει κύριος; καὶ πνεῦμα Κυρίου πληροῖ τὴν οἰκουμένην, εἰ τὸ μὲν περιγράφοι, τὸ δὲ περιγράφοιτο; ἢ γὰρ διὰ κενοῦ χωρήσει τοῦ παντὸς, καὶ τὰ πάντα οἰχήσεται ἡμῖν· ἵν' ὑβρισθῇ Θεὸς καὶ σῶμα γενόμενος, καὶ οὐκ ἔχων ὅσα πεποίηκεν· ἢ σῶμα ἐν σώμασιν ἔσται· ὅπερ ἀδύνατον· ἢ πλακήσεται, καὶ ἀντιπαρατεθήσεται· ἢ ὥσπερ ὅσα τῶν ὑγρῶν μίγνυται, καὶ τὸ μὲν τέμνει, ὑπὸ δὲ τοῦ τμηθήσεται· ὃ καὶ τῶν Ἐπικουρείων ἀτόμων ἀτοπώτερόν τε, καὶ γραωδέστερον· καὶ οὕτω διαπεσεῖται ἡμῖν, καὶ σῶμα οὐκ ἕξει, οὐδὲ πῆξίν τινα ὁ περὶ τοῦ σώματος λόγος.

1 *Hier.* XXXIII. — 2 *Sap.* I. — 3 Lib. *Periar.* cap. I. — 4 Cap. III.

« quia ubique est et omnia implet, atque constringit [1]. » quod in corpora non convenit, ut et Cyrillus indicat in libro *contra Anthropomorphitas* [2] (si tamen auctor est ille istius libri, quod mihi non videtur) : « Deus, inquit, supra omnem est creaturam, neque corpus intelligitur, neque in formis, figurisque corporeis; sed est simplex, materiæ expers, sine specie, compositioneque, non ex partibus, aut membris, aut portionibus contextus, quemadmodum nos, sed potius spiritus, secundum Scripturas, et omnia prospiciens, ubique existens, implens omnia, et nusquam absens. Implet enim cœlum et terram [a]. »

uo sensu
lus Deus
corporeus

Est igitur incorporeus Deus, imo, si nonnullis Veterum auscultamus, solus eo vocabulo dignus. Ita Methodius apud Photium existimat [3], qui corporeum illud esse vult quod pati potest, uti rationalis anima quæ et in corpore, et extra corpus patitur. Quare ἀσώματον *incorporeum* idem esse putat « atque ingenitum, vel increatum et nullius indigens et laboris expers, cujusmodi Dei solius est natura, qui incorporeus est et ideo minime aspectabilis [b]. » Proinde animas hominum censet idem corpora esse quædam intelligibilia et membris constare λόγῳ θεωρητοῖς, *quæ ratione percipiuntur*. Sic Gennadius paulo ante citatus. « Nihil incorporeum et invisibile natura credendum ait, nisi solum Deum, id est, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Cujus dicti rationem mox affert, quod ubique sit : « Et ideo, inquit, invisibilis omnibus creaturis, quia incorporeus est. Creatura autem omnis, addit idem, corporea est, angeli et omnes cœlestes virtutes corporeæ licet non carne subsistant. Ex eo autem corporeas esse credimus intellectuales creaturas, quod localiter circumscribantur, sicut et anima humana quæ carne clauditur et dæmones, qui per substantiam angelicæ naturæ sunt. » Theophilus quoque, ut idem testis est Gennadius, contra Anthropomorphitas scribens : « Ostendit Deum incorruptibilem et incorporeum juxta Patrum fidem credendum, neque ullis membrorum lineamentis omnino compositum, et ob id nihil ei in creaturis simile per substantiam, nec cuiquam incorruptibilitatem, aut immutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ, sed esse omnes intellectuales naturas corporeas, omnes corruptibiles, omnes mutabiles, ut ille solus corruptibilitati et mutabilitati non subjaceat, qui solus habet immortalitatem [4]. » Cui Cassianus subscribens, solum Deum incorporeum esse dicit, « quia est ubique et omnia penetrat [5]. » Et ante hos Hilarius : « Nihil est, inquit, quod non in substantia sua et creatione corporeum sit, et omnium sive in cœlo, sive in terra, sive visibilium, sive invisibilium elementa formata sunt. Nam et animarum species sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ suæ substantiam sortiuntur, quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est [6]. »

XV. Hic vero sanctus Hilarius immerito ab Claudiano Mamerto erroris notatur. Nam contra Faustum Regiensem scribens, qui animas nostras corporeas putabat, fatetur ipsum « consentaneum sibi Pictavum Hilarium habere, qui scilicet inter complura præcelsarum disputationum suarum, quiddam secus sentiens, duo hæc veris adversa disseruit : unum quod nihil incorporeum creatum dixit : aliud nihil doloris Christum in passione sensisse [7]. » Verum ut de hoc altero modo taceam, certe prius illud Hilarii de solo Deo incorporeo extra reprehensionem est. Nihil enim dictum est ab illo, quod non alii complures veterum diserte senserint : idcirco Deum incorporeum esse, quia est ubique, neque loco definitur, aut circumscribitur, tum quod immutabilis est : quæ cum præter Deum nulli alii congruant, solus ille incorporeus eo sensu merito dicitur. Itaque non erat Hilarius in eumdem cum Fausto includendus opinionis errorem, qui ita corporea omnia præter Deum esse voluit, ut et angelos et animas hominum mole sua et quantitate constare diceret [8]. Ac prudentius sane Augustinus in epistola octava

Hilarius
immerito a
Claudiano
Mamerto
notatus.

a Cyr. Ὁ γὰρ θεὸς ὑπὲρ πᾶσαν κτίσιν ἐστὶν, οὔτε σῶμα νοούμενος, οὔτε ἐν τύποις ἢ σχήμασι σωματικοῖς· ἀλλ᾽ ἔστιν ἁπλοῦς, ἄϋλος, ἀνείδεος, καὶ ἀσύνθετος, οὐκ ἐκ μερῶν, ἢ μελῶν, ἢ μορίων συγκείμενος καθάπερ ἡμεῖς· πνεῦμα δὲ μᾶλλον, κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ τὰ πάντα ἐφορῶν, πανταχοῦ ὢν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν, καὶ οὐδενὸς ἀπολιμπανόμενος· πληροῖ γὰρ οὐρανὸν, καὶ γῆν.

b Method. *de Anima* : Ἀσώματος εἶναι οὐ δύναται· ἤγουν ἀγένητος, καὶ ἀνενδεὴς, καὶ ἀκάματος φύσις ὁ θεὸς μόνος ᾄδεται ἀσώματος ὢν, διὰ καὶ ἀόρατος· θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε· αἱ δὲ ψυχαὶ ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων σώματα νοερὰ ὑπάρχουσαι, εἰς λόγῳ θεωρητὰ μέλη διακεκόσμηνται.

1 Libro *de Ecclesias. dog.* cap. XI. — 2 Cap. I. — 3 Cod. 234. — 4 Lib. *de Vir. illustr. in Theophil.* — 5 Lib. VII. *Coll.* cap. XIII.
6 Can. 5. *in Matth.* — 7 Lib. III. *de Statu anim.* tom. I. *Biblioth. Patrum.* — 8 Faustus in epist. præfixa libro Claud.

et vicesima, quam de animarum origine scripsit ad Hieronymum, cujus et ibidem Claudianus meminit, ubi Deum solum incorporeum haberi posse sensu aliquo fatetur : « Incorpoream quoque esse animam, inquit, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi controversiam vel superfluo faciam, vel merito patiar, quoniam cum de re constat, non est opus certare de nomine, si corpus est omnis substantia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam quæ summe incommutabilis et ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, et breviore breviorem, minusque sit in parte quam in toto, non est corpus anima. » Quocirca solum Deum corporis expertem asserere, nulla prorsus animadversione dignum est, si eo sensu dicatur quem Augustinus, aliique Patres intellexerunt qui idem professi sunt, et post illos etiam Cretensis Elias in scholiis ad primam orationem Gregorii Nazianzeni[1]. Ac de ea re postea rursus agendum erit cum de Angelis disputabimus, ubi quemadmodum corporei a plerisque habeantur aperiemus.

XVI. At Justinus martyr, imo qui sub illius nomine legitur auctor *Quæstionum Græcarum*, Deum neque corporeum, neque incorporeum esse asserit, quippe qui ut supra corpus, ita supra incorporeum est et utriusque conditor. « Nos autem, inquit, earum rerum, quæ apud nos sunt præstantissimæ, vocabula in Deum honoris causa transferre solemus. Verum si incorporei nomen simplicem negationem ejus quod corporeum est significet, non est dubium quin vere ac proprie quadret in Deum. Sin formam aliquam substantiæ generi subjectam et corporeæ ex adverso respondentem intelligas, cujusmodi negantibus vocibus exprimi solent dum earum natura, et propria conditio est ignota, ab illa segregandus est Deus[a]. » Porro uti ob summam divinæ naturæ perfectionem quæ nulla humana voce aut intelligentia concluditur, ne hoc ipsum quidem quod maxime congruere videtur, incorporeum dici Deum auctor ille patitur, ita spiritum negat esse Novatianus, sive potius incertus auctor libri *de Trinitate*[2]. « Uti merito, inquit, et quando spiritus dictus est, non omne id quod est, dictus sit, sed ut dum mens hominum intelligendo usque ad ipsum proficit Spiritum, conversa jam ipsa in Spiritu, aliud quid amplius per spiritum conjicere Deum esse possit. Id enim quod est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. »

Idem porro libri *de Trinitate* scriptor, quod potissimum Anthropomorphitarum erat argumentum, antecedenti capite dissolvit, dum Scripturæ locos explicat in quibus humana Deo membra tribuuntur. « Ibi enim efficacias divinas per membra monstrari ait, non habitus Dei, nec corporalia lineamenta poni. Nam et cum oculi describuntur, quod omnia videat, exprimitur. Et quando aures, quod omnia audiat, proponitur. Et cum digitus, significantia quædam voluntatis aperitur. Et cum nares, precum, quasi odorum, perceptio ostenditur. Et cum manus, quod creaturæ sit omnis auctor, probatur. Et quando brachium, quod nulla natura contra robur ipsius repugnare possit, edicitur. Et quando pedes, quod impleat omnia, nec sit quidquam ubi non sit Deus, explicatur. Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium et serviunt et adsunt omnia. » Quocirca « mera hæc abusio nominum est, ait Philo[3], imbecillitati nostræ consulens[b]. » Atque idem Philo eleganter ait, homines illos qui humanum Deo corpus affingunt humanique membra corporis et affectiones « cochlearum more in id quod mortale est, subeuntes, vel ut herinaceos in sese conglobatos et circumvolutos, de beato, et incorruptibili Deo talia sentire, cujusmodi

Explican[t] Scriptu[ræ] loci De[o] membr[a] tribuent[es].

a Justin. *Quæst.* 2. Καὶ τὸ θεῖόν φαμεν εἶναι ἀσώματον, οὐχ ὅτι ἔστιν ἀσώματον· ἐπέκεινα γάρ ἐστιν ὁ θεὸς τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ, ὥσπερ τοῦ σώματος, οὕτω καὶ τοῦ ἀσωμάτου, ὡς ἑκατέρου τούτων ὑπάρχων δημιουργός· οὐδὲ γὰρ ἐποίησεν ὁ θεὸς ἃ αὐτὸς ὑπάρχει· ἀλλ' ὥσπερ εἰώθαμεν ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν τιμιωτέροις ὑλικοῖς ἀεὶ γεραίρειν τὸ θεῖον· οὕτω καὶ ἐν τοῖς ὀνόμασιν οὐχ ὡς τοῦ θεοῦ τούτων δεομένου, ἀλλ' ἡμῶν τὴν περὶ αὐτοῦ ἔννοιαν αὐτοῖς ἐνδεικνυμένου.

b Philo. Κατάχρησις δὲ ὀνομάτων ἐστὶ παρηγοροῦσα τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν.

1 Num. 16. — 2 Cap. vii. — 3 Lib. *de Caino et Abele*, pag. 100.

de se ipsis judicant [a]. » Ita enim apud Philonem legendum est, cujus verba in editis libris mendosissima sunt. Sed ex Clem. Alex. castiganda, qui eadem illa tacito nomine auctoris descripsit in V *Strom :* « At plerique hominum, inquit, sic tanquam cochleæ, in id quod mortale est, induentes sese, ac circum libidines suas, instar herinaceorum, in orbem conglobati, de beato et incorrupto Deo talia qualia et de seipsis opinantur [b]. »

XVII. Cæterum uterque rationes corporearum appellationum quæ de Deo figurate dicuntur, exposuit [1], ut et Origenes [2] et Cyrillus in quinto *adversus Julianum,* Gregorius Nazianzenus oratione septima et tricesima, Dionysius, lib. *de Divinis nom.* cap. I et IX; Augustinus, tom. I *de Gen. contra. Manich.* cap. XVII et lib. *contra. epist. Fundamenti,* cap. XXIII; Damascenus, lib. I, cap. XI; Fulgentius in responsione IX ad objecta Arianorum; Basilius lib. secundo *contra Eunomium,* et uberrime Eucherius in lib. *de Formulis spiritualis intelligentiæ;* Cassianus [3], Isidorus [4], et alii complures. Atque eodem modo illud explicandum est quod Deo iisdem in Scripturis anima tribuitur, quod « qualiter intelligi debeat, et sentire et proferre difficile, » visum est Origeni [5]. Sed non est difficilius quam cur corpus illi et corporis partes affingantur, exponere. Par enim est amborum ratio. Sic locus ille Scripturæ in quo *ad imaginem et similitudinem Dei* creatus homo dicitur, quo maxime usi sunt Anthropomorphitæ, explicatu facilis est, isque alias enodandus erit. Piget enim in tam explorata minimeque controversa quæstione longius progredi. Ac si quis argumentorum amplius desiderat quibus Deum neque corpus esse, neque constare corpore probetur, sanctum Thomam adeat qui id in primo *contra Gentes* [6] et in *Theologiæ compendio* [7], atque in prima *Theologiæ* parte demonstrat [8]. Legi potest eadem de re disserens Judæorum eruditissimus rabbi Moses Maimonides qui in parte prima operis magni, quod *Iad* inscripsit, tractatu primo, capite primo, Deum corporis expertem esse probat, et in lib. I *More Nebochim,* cap. LIII ac sequentibus rationem explicat, cur illi corporea membra et sensuum instrumenta functionesque tribuantur. Quæ cum legimus, illa Gregorii Magni regula in promptu nobis esse debet : « Humanæ conversationis verba audientes quasi extra humanitatem esse debemus, ne si humaniter quæ audivimus capiamus, nihil divinitus de hoc sentire possimus [9]. »

CAPUT II.

De eadem Dei simplicitate paulo exquisitius agitur, et ostenditur nullum omnino compositionis in illo genus inveniri. Quod primum ex Dei excellentia colligitur, tum quod æternus sit et nihil anterius habeat, neque aliunde quod est accepit. Item quia quod habet, hoc est. Tum quod interminatus et infinitus est. Quod perfectus ac sibi sufficiens. Quæ omnia variis antiquorum testimoniis approbantur.

I. Primum illud compositionis genus quod est crassius et in corporibus rebusque corporeis cernitur, a Dei natura segregavimus. Restant alia paulo illa quidem subtiliora et cujusmodi in separatis, ut vocant, substantiis reperiuntur, sed quæ nihilominus a Deo removenda sunt, ut ab rerum conditarum statu diversa sit ac multo præstantior ejus naturæ conditio. Sed antequam Dei simplicitas qualis quantaque sit investigemus, hoc ipsum quid sit, esse compositum, universe definiendum est. Quod mihi erudite declarasse videtur Demetrius Cydonius Græcus theologus in libro *de Processione Spiritus sancti* [10]. « Compositum, inquit, est id quod ex duobus, ut minimum, conflatur, quorum alterum non est idem cum altero, re et ratione. Vel quod capax est alicujus alterius ad existentiam, quorum concursus unum efficit. Vel quod multis in idem con- Quid sit compositum

a Philo. loc. cit. Ἀλλ' εἰς τὸ θνητὸν εἰσδυόμενοι, καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ αὐτοὺς, ὥσπερ ἐχοῖνοι σφαιρηδὸν εἱλούμενοι, (Corr. ὥσπερ ἐχῖνοι) καὶ περὶ τοῦ μακαρίου, καὶ ἀφθάρτου, καὶ περὶ αὐτῶν δοξάζομεν. (Corr. Τοιαῦτα οἷα καὶ περὶ αὐτῶν.)

b Clem. Alexan. Οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων, τὸ θνητὸν ἐνδυόμενοι, καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ τὰς αὐτῶν ἀκρασίας, ὥσπερ οἱ ἐχῖνοι σφαιρηδὸν εἱλούμενοι, περὶ τοῦ μακαρίου, καὶ ἀφθάρτου θεοῦ τοιαῦτα, οἷα καὶ περὶ αὐτῶν δοξάζουσιν.

1 Philo loc. cit. et in libro ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, pag. 204 et lib. *de Somn. Clem. Alex.* loc. cit. — 2 Hom. 3. *in Gen.* et I. *Periar.* cap. I. — 3 Lib. VIII. *Instit.* cap. IV. — 4 Libro I. *de Summo bono,* cap. VII. — 5 Lib. II. *Periar.* cap. VIII. — 6 Lib. I. *contra Gent.,* cap. XX. — 7 Opuscul. 3. cap. XVI. — 8 In 1. par. qu. 3 art. 1. — 9 Greg. Mag. in prol. *in Cant.* — 10 Cap. IV.

venientibus absolvitur[a]. » Itaque plura sint oportet non sola *ratione* et ἐπινοίᾳ sed reipsa et in se, quorum unum non sit alterum. Nam si sola cogitatio dirimat, non sunt reipsa distinctæ res, neque compositionem faciunt, ut superius ostendimus. Proinde nemine cogitante diversas esse res necesse est, sive seorsim separatæque consistant, sive necessario junctæ sint, dummodo natura et essentia differant. Hoc enim est reipsa discrepare.

Hunc igitur in modum compositum non esse Deum, catholici omnes theologi, repugnante nemine, asserunt. Imo « nullum etiam brutum et hebetem negare posse » ait Gregorius Nyssenus [1] libro primo *contra Eunomium*[b]. Quod dictum ad Vorstium Calvinianum pertinet, qui ab Deo simplicitatem abjudicare novo et execrando blasphemiæ genere est ausus. De quo portento erroris dicetur postea.

Nullum in Deo compositionis genus inveniri ex Dei excellentia colligitur.

II. Hujus porro divinæ proprietatis ex antiquorum dictis multiplex ratio colligitur. Harum primaria et generalis est quam ex communi sensu ac Dei notione petimus, quam a natura insitam habent omnes. Id enim esse Deum arbitrantur, quod sit omni genere boni ac perfectionis absolutum, sive quo nihil ne fingi quidem potest cogitarique perfectius. Quare hoc illi tribuere debent omnes quod optimum, excellentissimumque est. « Ut quidquid religiosius sentiri potest, ait Ambrosius, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas convenire [2]. » Id autem est simplicem esse et compositionis expertem ac partium. « Quid est Deus? ait Bernardus [3]. Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid quod Deus sit et quod Deus non sit [4]. Hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo si Deus non est, quod dat Deo ut sit? » Compositio, ut paulo ante dictum est, omnis duabus saltem rebus absolvitur, quarum alterutra neque est alia, neque compositum ipsum. Nam neque corpus anima est, neque homo qui ex ambobus componitur et ab utroque distinguitur. Porro anima ipsa quæ vitam ac motum impertitur homini, fonsque est illi et origo vivendi, perfectius hoc habet, imo est hoc quam homo. Quippe anima aut vita est, aut forma vitalis cujus participatione vivus homo non vita fit. Quare præstantius hoc in se est anima quod homini communicat, quam homo ipse. Etenim « propter quod, sive quo alia quæpiam res esse aliquid dicitur, magis istud ipsum est tale[c], » ut ait Aristoteles [5]. Si ergo Deus iis ex partibus componitur a quibus habet ut quodammodo vel natura, vel qualitate sit affectus, erit hoc minus perfecte quam ea forma a qua illud accepit. Ita Deo erit aliquid perfectius, quod dictu perinde nefas est atque absurdum. Hoc genere argumenti Augustinus utitur in quinto *de Trinitate*, capite decimo, cujus verba postea describemus. Idem porro libro sexto ejusdem operis capite primo, « absurdum ait esse dicere candidum non esse candorem, aut sapientem non esse sapientiam. » Unde merito conclusimus, nisi Deus ipsa sua esset sapientia, quiddam fore Deo sapientius.

Jam quod paulo ante posui, et communis fert sensus atque opinio, præstare esse simplex quam compositum ex partibus; id eatenus verum est, si quod est simplex, eminentia quadam, ut vocant, ac potestate continet id quod compositis in rebus cernitur. Alioquin elementa corporaque quæ dicuntur simplicia, minus iis quæ componunt, perfecta sunt; et materia ipsa quæ compositi pars est, toto ipso ut simplicior, ita deterior est. At ex adverso Angelus corporatis omnibus tam inanimis, quam vita, sensu ac ratione præditis quo simplicior est, eo est perfectior, quoniam quidquid in illis dignitatis est excellenti quadam ratione complectitur. Quod in Deum multo potiori jure convenit, cujus ea, uti dixi, omnium est animis insita notio, nihil ei deesse quod in quaque re perfectum sit, nihil inesse nisi eo modo quo ne cogitari quidem possit præstantior. Non esset autem cujusmodi esse sentiunt omnes, si vel totum aliquod esset partibus

a Demetr. Σύνθετον γάρ ἐστι τὸ ἐκ δύο τοὐλάχιστον συνιστάμενον, ὧν θάτερον οὐκ ἔστι θατέρῳ ταὐτὸ καὶ πράγματι, καὶ λόγῳ· ἢ τὸ δεκτικόν τινος ἑτέρου παρ' αὐτὸ πρὸς ὕπαρξιν, ὧν ἡ σύνοδος ἓν ἀποτελεῖ· ἢ τὸ πολλοῖς εἰς τὸ αὐτὸ συνιοῦσιν ἀπαρτιζόμενον.

b Greg. Nyss. lib. I. *cont. Eunom,* edit. Grets. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἁπλῆν εἶναι τὴν θείαν τε, καὶ μακαρίαν, καὶ πάντα νοῦν ὑπεραίρουσαν φύσιν οὐδὲ τοὺς ἄγαν κτηνώδεις, καὶ ταπεινοὺς τὴν διάνοιαν ἀντιλέγειν οἰόμεθα.

c Arist. Ἀεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει.

1 Lib. I. *contra Eunom.* pag. 68. edit. Gret. — 2 Lib. I. *de Fide*, cap. VII. — 3 Lib. V. *de Consid.*, cap. VII. — 4 Cor. *quo.* — 5 Lib. I. post. cap. II.

constans, vel qualitate ulla neque adventitia posset affici. Nam nullæ partes ad unam componendam essentiam vel substantiam inter se copulari possunt, nisi altera sit aut materia, aut materiæ instar δυνάμει, non ἐνέργεία, hoc est *potentia*, non *actu* complectens alteram : hæc autem forma, vel formæ similis et illam sui communicatione perficiens. Atqui nihil est in Deo quod non actu sit, quia quod actu non est, perfectum non est. Non enim formam illam, hoc est perfectionem caperet, nisi ea careret. Quod idem et de accidente qualitate consequens est, quæ cujusquemodi est, perfectio aliqua sit oportet subjectæ rei absolutionem afferens. Itaque neutrum in divinitatem cadere potest, ne non sit omni ex parte perfecta. Denique « vero judicio, inquit Bernardus, natura simplex multiplici anteferitur [1]. » Talis ergo divina esse debet, ut non ei anteponi aliquid possit. Hæc enim « omnium in se rerum essentiam comprehendit ac complectitur, » ut ait Nilus apud Photium codice CCLXXVI, τὴν τῶν ὅλων οὐσίαν ἐν ἑαυτῇ συλλαβοῦσα, καὶ περιέχουσα. Ideo quo simplex magis erit, eo magis antecellet. Hinc Angelorum notitias quo sunt superiorum ordinum ac diviniores, hoc est θεοπρεπεῖς ac θεοειδεῖς μᾶλλον, eo simpliciores esse latiusque fundi ac patere complexu quodam generali docet Dionysius [2]; quo vero minus perfectæ inferioresque sunt gradu, eo magis esse μερικὰς, hoc est *particulatim* minutatimque concisas ac multiplices.

…s sim- …ex quia …ternus.

III. Ambrosius *Tractatu in symbolum* causam alteram simplicitatis affert, quod sit æternus Deus et anterius habeat nihil. « Qui compositus, inquit, esse non potest, cum aliqua eo anteriora præextitisse putari nefas sit [3]. » Sic Albinus Flaccus compositionis genus alterum quod accidentis appulsus facit, eadem de causa excludit a Deo. « Quia æternitas et incommutabilitas negat accidentis alicujus in Deo instabilitatem [4]. » Hic vero non quælibet cogitanda est æternitas, sed absoluta quæ rei convenit non solum initium temporis atque existendi primordium, sed etiam causam nullam habenti a qua procreata sit et qua sit natura posterior. Hac enim simplicitatis ratione plurimum usi sunt tam ethnici, quam christiani theologi.

Platonicorum ecce dogma sic ab Alcinoo [5], explicatur : « Caret partibus, eo quod nihil ipso est anterius. Etenim pars et id ex quo aliquid constat, prius est eo cujus est pars. Nam superficies prior est corpore, et linea prior superficie [a]. »

Plotinus [6], quoque Deum esse simplicem putat, quia ab nullo est. « Quod enim est simplex, ait, ab alio non est, quod autem multiplex est, aut saltem duplex, oportet hoc ex alio pendere [b]. Latius hoc simplicius edisserit in *Commentariis ad Enchiridium Epicteti*, sub initium : « Idem sunt, inquit, unum et principium et bonum et Deus. Etenim Deus quidem est primum illud et omnium causa. Necesse est autem et id quod primum est, simplicissimum esse : quoniam quidquid ullam compositionem habet et multitudinem, uno posterius est [c]. »

Tertullianus ex Christianis, Deum solum natura bonum esse non ex accidente qualitate probat inde, quia id institutione non habet, hoc est productione alterius sed ex se [7]. « Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. Homo autem qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam qua esset : atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione secundum institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. » Zacharias quoque Mitylenæus christianus philosophus disertius causam eamdem connectit [8]. « Quoniam, inquit, universa est simplicitas et ipsummet unum, et nusquam in eo compositio, neque ab ullo. Si quidem omnium rex nihil supra se habet [d]. »

IV. Hanc ipsam rationem disserit auctor libri *de Cognitione veræ vitæ*, capite septimo : « Omne, inquit, quod partibus conjungitur, vel in partes resolvitur, ab aliquo utique conjunctionem, vel resolutionem patitur [9]. » Idcirco non ex æterno cœlum extitisse probat in

a ALCIN. Ἀμερῆ δὲ διὰ τὸ μὲν (Corr. μὴ) εἶναι πρότερόν τι αὐτοῦ· τὸ γὰρ μέρος, καὶ τὸ ἐξ οὗ πρότερον ὑπάρχει τούτου οὗ μέρος, καὶ γὰρ τὸ ἐπίπεδον πρότερον ἢ τὸ σῶμα· καὶ ἡ γραμμὴ πρότερον ἢ τὸ ἐπίπεδον.

b PLOT. Το μὲν γὰρ ἁπλοῦν οὐκ ἂν ἄλλου εἴη· ὃ δ' ἂν πολὺ ᾖ, ἢ δύο, δεῖ αὐτὸ ἀνηρτῆσθαι εἰς ἄλλο.

c SIMPLIC. Ταὐτόν ἐστι τὸ ἕν, καὶ ἀρχὴ, καὶ ἀγαθὸν, καὶ θεός· καὶ γὰρ θεὸς μὲν τὸ πρῶτον, καὶ πάντων αἴτιον· ἀνάγκη δὲ τὸ πρῶτον καὶ ἁπλούστατον εἶναι· ὅτι τὸ σύνθεσιν ὁποιανοῦν ἔχον, καὶ πλῆθος, δεύτερόν ἐστι τοῦ ἑνός.

d ZACHAR. Ἐπειδὴ πᾶσα ἁπλότης, καὶ αὐτὸ τὸ ἕν, καὶ σύνθεσις οὐδαμοῦ, μηδὲ ὑπό του· οὐ γὰρ τοῦ πάντων βασιλέως ἐστί τι ἐπαναβεβηκός.

1 Loco cit. — 2 *De Eccl. hier.* cap. VII et X. ac. XII. — 3 Cap. I. — 4 Lib. I. *de Trinit.*, cap. X. — 5 Cap. X. — 6 Lib. VI. cap. IV. — 7 Lib. II. *contra Marc.* 6. — 8 Tom. I. *Biblioth. Patrum*, pag. 341. — 9 Tom. IX. oper. Aug.

Commentariis ad Genesim Procopius : « quod quidquid ex æterno est, id corporis, figuræ, compositionis ac circumscriptionis est expers[a]. » Nec efficiente duntaxat ex causa procedit hæc argumentatio quod antecedere aliquam oporteat quæ res invicem distinctas in unius rei coagmentationem congreget, sed etiam ex ipsa velut *materiali* causa, hoc est componentibus partibus quæ natura toto sunt anteriores. Quo ex genere Deum esse simplicem ostendit pulcherrime Cyrillus Alexandrinus in libro XIII *Thesauri*. « Quomodo, inquit, Pater omnium invenietur esse principium? Atqui nihil anterius principio cogitari potest. Cum ergo nihil ante principium cogitari queat, nulla ex parte continget illi ut sit compositum, quandoquidem composita quidam simplicium concursus efficit[b]. » Merito itaque Plotinus ipsius boni, id est, Dei naturam simplicem esse dicit, et primam. « Quidquid enim primum non est, neque est simplex, tum nihil habere in seipsa, sed eamdem unum esse et unius dici[c]. » Ac subinde : « Si igitur neque ab alio, neque in alio, neque compositio est ulla, necesse est nihil supra ipsum esse[d]. » Idipsum et *Enneade* v, libro V, capite XIII, prodidit, ac præclare summum bonum ejusmodi esse defendit, ut per se et non adventitia aliqua qualitate bonum sit alioqui non ipsum fore summum. Cæterum ipsum esse supra omnia, non autem aliquod ex ipsis[e].

Gregorius[1] Nyssenus in primo *contra Eunomium*, eam naturam quæ est increata, tum nullam boni ac perfecti detractionem admittere ait, tum esse simplicem et incompositam; quoniam hoc ipsum quod est, bonum est natura, bonique fons[f]. « Ille ideo simplex, ait Faustus Regiensis *ad Ruricium*, quia nihil ei ex accidenti largitate conlatum est. Qui ex se subsistit, aliunde nihil sumpsit[2]. » Auctor item *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*, qui sub nomine Justini editus est, compositum omne ab alio factum esse dicit[3] : « Nam qui neminem habet qui se fecit et composuit, neque factus est neque compositus. Propterea in Deo quidem dicimus æternam esse coexistentiam, non autem compositionem[g]. »

V. Hujus rei rationem acuta disputatione colligit Richardus Victorinus in primo *de Trinitate*, ubi idem esse summam substantiam, quod summam potentiam, summamque sapientiam inde concludit, quod nonnisi a semetipsa habet totum quod habet. Etenim « si ex ipsa sunt omnia, nec ipsa quidem est nisi a semetipsa, nec aliquid habet nisi a semetipsa. Si ex ipsa sunt omnia, ergo omnis essentia, omnis potentia, omnis sapientia. Si omne esse ab illa est, ipsa summa essentia est. Si ab illa omne posse, summe potens. Si omne sapere, summe sapiens est[4]. » Ac summam illam, et essentiam, et sapientiam, et potentiam, a semetipsa esse, demonstravit antecedentibus capitibus quorum præcipua quæque in primo hujus libri capite descripsimus[5]. Igitur « totum quod habet nonnisi a semetipsa habet. » Ex quo concludit nihil aliud esse summam sapientiam, et potentiam quam summam essentiam. « Ut igitur, inquit, habeat nonnisi a semetipsa quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia; necesse est ut illæ omnino non sint aliud aliquid quam ipsa. Alioqui quia sine potentia atque sapientia potens, vel sapiens esse non valet, quod ab ipsis habet, non tam a se, quam aliunde habet. Consequens autem est, quoniam si utraque illarum est idem quod summa substantia, quælibet illarum est idem quod altera. »

a Procop. Τὸ γὰρ ἀΐδιον ἀσώματόν τε, καὶ ἀσχηματιστον, καὶ ἀσύνθετον, καὶ ἀπερίγραφον.

b Cyr. Πῶς οὖν ὁ πατὴρ εὑρεθήσεται τῶν πάντων ἀρχή; σύνθετος ὢν καθ' ἡμᾶς καὶ οὐχ ἁπλοῦς; καί τοι τῆς ἀρχῆς οὐδὲν προεπινοεῖσθαι δύναται· μηδενὸς δὲ προεπινοουμένου τῆς ἀρχῆς, οὐδαμόθεν αὐτῇ τὸ σύνθετον προσγενήσεται· ἐπείπερ τὰ σύνθετα σύνοδός τις τῶν ἁπλῶν ἐργάζεται.

c Plot. *Ennead.* 2. lib. IX. c. I. Ἐπειδὴ τοίνυν ἐφάνη ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἁπλῆ φύσις, καὶ πρώτη· πᾶν γὰρ τὸ οὐ πρῶτον, οὐχ ἁπλοῦν καὶ οὐδὲν ἔχον ἐν ἑαυτῷ, ἀλλ' ἕν τι καὶ τοῦ ἑνὸς λεγομένη, ἡ αὐτή.

d Ibid. Εἰ οὖν μήτε παρ' ἄλλου, μηδὲ ἐν ἄλλῳ, μηδὲ σύνθεσις μηδεμία, ἀνάγκη μηδὲν ὑπὲρ αὐτὸ εἶναι.

e Id. Ἀλλ' ὡς ὑπὲρ ταῦτα ἰὼν ἐκεῖνος, τούτων αἴτιος ᾖ, ἀλλὰ μὴ αὐτὸς ταῦτα.

f Greg. Nyss. Ἡ δὲ ἄκτιστος φύσις τῆς μὲν τοιαύτης διαφορᾶς πόῤῥωθεν ἄπεστιν, ἅ τε οὐκ ἐπίκτητον ἔχουσα τὸ ἀγαθὸν, οὐδὲ κατὰ μετοχὴν ὑπερκειμένου τινὸς καλοῦ τὸ καλὸν ἐν ἑαυτῇ δεχομένη· ἀλλ' αὐτό· ὅπερ ἐστι τῇ φύσει καὶ ἀγαθὸν οὖσα, καὶ ἀγαθὸν νοουμένη, καὶ ἀγαθοῦ πηγὴ ἁπλῆ τε, καὶ μονοειδὴς, καὶ ἀσύνθετος, ὑπὸ τῶν μαχομένων ματυρουμένη. *Leg.* ...τυρου...

g Justin. Ὁ γὰρ μὴ ἔχων τὸν πεποιηκότα καὶ συντεθεικότα, οὔτε γενητός ἐστιν, οὔτε σύνθετος· διὰ ἐπὶ μὲν τοῦ θεοῦ τὴν ἀΐδιον λέγομεν συνύπαρξιν, οὐκέτι δὲ καὶ σύνθεσιν.

1 Greg. Nyss. in I. *con. Eunom.* edit. Grets.—2 Epist. 5. tom. III. *Biblioth. Patrum.*—3 Quæst. 129.—4 Rich. lib. I. cap. XII. —5 Id. cap. XIII.

Hanc etiam causam simplicitatis attigit Cassiodorus [*] in libro *de Anima*, ubi cum ita dixisset : « Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse quod sapere, hoc est posse quod vivere, hoc est velle quod facere [1]. » hujus eam rationem attulit : « Et merito, quando universa quæ vere bona sunt, non ad illum veniunt sed ab illo procedunt. » Est igitur ideo simplex Deus, ut hoc sit quod inesse ipsi dicitur, quia non ab alio id accipit. Quod et Cyrillus [2], indicat in tricesimo primo *Thesaurorum* : « Sapientis est, inquit, dicere, nihil accidere substantiæ Dei, quia habet ex seipsa perfectionem [a]. »

VI. Hinc idem alio in loco [3] : « In compositione, inquit, esse id omne quod inest in creatura, cernimus, nihilque in ipsa simplex. Igitur qui sapientes alios efficere potest, si quidem creatus est, non est ipsamet sapientia, sed ejus sapientiæ quæ illi inest, administer [b] » etc. Cujus eam subinde causam reddit quod impertitam aliunde sapientiam ac cætera id genus habeant tam homines quam angeli, creatæque res omnes. « Etenim natura hominum universe propriis bonis gloriari non potest; sed ne ipsa quidem natura sanctorum angelorum. Nam præterquam quod vocatur ad existentiam, existendi quoque certum modum unaquæque res habet a Deo; nihilque in ipsis substantialiter esse putabimus, quod non conditoris liberalitas largita sit, et ab opificis gratia tanquam radice proficiscatur. Cum igitur in compositione sint creaturæ omnes, nulla inter ipsas lumen erit proprie et simpliciter vel citra compositionem, sed participatione solum, ut et cætera, acceptum illud habebit a Deo. Lux autem vera est quæ illuminat non quæ illuminatur ab alio; cujusmodi est Unigenitus qui in simplici et minime composita natura esse intelligitur : cum in Deum nulla cadat duplicitas [c]. » Loquitur autem Cyrillus de illa compositione quæ est ex accidente sive qualitate et substantia, quæ in omnibus conditis rebus inest, tametsi quidam antiqui theologi nullam in angelis ac spiritualibus substantiis esse accidens putant : qui vel ex hoc Cyrilli testimonio refellendi vel certe commode sunt interpretandi, quod alibi facere studuimus [4].

At idem Cyrillus alibi disertius causam illam exprimit cur non sit compositus Deus [5], quod « principium sit omnium, nihil autem principio sit anterius; unde neque compositionem capere aliunde poterit. Si quidem concursus quidam simplicium ea quæ composita sunt, efficit [d]. »

VII. Præter hanc vero compositionem quæ ex qualitatibus fit, aliæ sunt quibus nulla creata res carere potest; quarum origo ad eamdem creationis naturam conditionemque revocatur. Nam Dionysius divinas omnes spi-

a Cyr. Σοφὸν μὲν τὸ λέγειν μηδὲν ἐπισυμβαίνειν τῇ οὐσίᾳ τοῦ θεοῦ, διὰ τὸ ἔχειν αὐτὴν ἐξ ἑαυτῆς τὸ εἶναι τελείαν.

b Cyr. Ἐν συνθέσει τὰ κατὰ τὴν κτίσιν ὁρῶμεν, ὢ οὗτος, καὶ οὐδὲν ἐν αὐτῇ τὸ ἁπλοῦν. Οὐκοῦν ὁ σοφοῦν ἑτέρους δυνάμενος, εἴπερ εἴη γεννητὸς, οὐκ αὐτόχρημά ἐστιν ἡ σοφία, ἀλλὰ τῆς ἐνούσης ἐν αὐτῷ σοφίας διάκονος, etc.

c Ib. Καὶ οὐκ ἂν ὅλως ἰδίοις ἀγαθοῖς ἡ τῶν ἀνθρώπων ἐναγλαΐζοιτο φύσις· ἀλλ' οὐδὲ ἡ τῶν ἁγίων ἀγγέλων· μετὰ γὰρ τοῦ κεκλῆσθαι πρὸς γένεσιν, καὶ τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον ἕκαστον τῶν ὄντων ἔχει παρὰ θεοῦ, καὶ οὐδὲν ἐν αὐτοῖς οὐσιωδῶς ἐνυπάρχειν διακεισόμεθα, ὃ μὴ δῶρον ἐστι τῆς τοῦ κτίσαντος φιλοτιμίας, καὶ ῥίζαν ἔχει τὴν τοῦ δημιουργήσαντος χάριν· οὐκοῦν ἐπειδή περ ἐν συνθέσει τὰ γενητὰ, φῶς μὲν ἐν αὐτοῖς οὐδὲν ἔσται κυρίως τε, καὶ ἁπλῶς, ἤ τοι ἀσυνθέτως, μεθεκτῶς δὲ καὶ τοῦτο φορέσει μετὰ τῶν ἄλλων λαβόντα παρὰ θεοῦ· φῶς δὲ αὖ τὸ ἀληθινὸν, τὸ φωτίζον ἐστὶν, οὐ τὸ παρ' ἑτέρου φωτιζόμενον, ὅπερ ἐστὶν ὁ μονογενὴς ἐν ἁπλῇ, καὶ ἀσυνθέτῳ νοούμενος φύσει· διπλόης γὰρ πάσης τὸ θεῖον ἀποφοιτᾷ.

d Cyr. Πῶς οὖν ὁ πατὴρ εὑρεθήσεται τῶν πάντων ἀρχὴ, σύνθετος ὢν καθ' ὑμᾶς, καὶ οὐχ ἁπλοῦς; καίτοι τῆς ἀρχῆς οὐδὲν προεπινοεῖσθαι δύναται· μηδενὸς δὲ προεπινοουμένου τῆς ἀρχῆς, οὐδαμόθεν αὐτῇ τὸ σύνθετον προσγενήσεται· ἐπεί περ τὰ σύνθετα σύνοδός τις τῶν ἁπλῶν ἐργάζεται.

[*] Quanquam res momenti sit tenuis, illam tamen neglectam idcirco nolumus, quod non omnibus fore ingratam arbitremur. Itaque eruditissimus Scipio Maffeius postquam ex miræ vetustatis membranaceo libro *complexiones Cassiodorii* continente duplex retulit specimen, mox (Præfat. *ad Cassiod. complex.* pag. XLV) subdit : « Habes in primo specimine cur auctoris nomen nove scripserim et secus ac soleat. Cum enim post artem typographicam inventam nunquam, quid sciamus, tantæ vetustatis Cassiodorianus codex emerserit, atque in editorum manus devenerit; id in primis nostro debebimus, ut vera tandem hujus nominis inflexio innotescat. *Cassiodorius* siquidem rectius est dicere, quod triplici hujus ms. testimonio liquet. His certe in rebus Tertulliani (*Adver. Marc.* lib. IV. cap. IV.) canon obtinet : *id verius quod prius*. Quin gentilitia nomina apud Romanos ut plurimum in *ius* desinere, pervulgatum est. Ex Aurelia gente *Cassiodororum* familia primo fluxit, qua deinde in varias stirpes iterum distracta, *Cassiodorius* gentilitii nominis rationem obtinuit in plures familias diffusi, etiamsi κατ' ἐξόχην ab illa præferretur, quæ auctorem nostrum ediderat. » *E. R.*

1 Cap. IX. — 2 Cyril. lib. XXXI. *Thesaur.* — 3 Lib. I *in Joan.* cap. IX. — 4 Lib. I *de Angel.* cap. II. — 5 Lib. XIII, *Thesaur.* cap. CXXXIV.

ritualesque mentes [1] in substantiam, vim et actionem dividi » ait [a]. Ex quibus posteriorum duorum ad substantiam fit accessio, a qua differunt; quia vis agendi et actio non est ipsa angelorum substantia, cujusmodi esset utique si a semetipsis haberent illa, et existerent angeli. Sic essentia et esse, hoc est οὐσία et ὕπαρξις sive existentia, in creatis omnibus quia distinguuntur, compositionem aliquam efficiunt, ut sanctus Thomas explicat [2]. Neque enim οὐσιῶδες, id est *essentiale*, est creatæ ulli rei, *existere;* alioqui nunquam, ne a Deo quidem, deleri extinguique posset. Hujus autem hæc unica ratio est, quod non a semetipsa creata res habet ut existat, sed ab alio. Quocirca vere hoc Cyrillus dixit in libro quo Spiritum sanctum Deum esse demonstrat : « Nullam creaturam secundum naturam simplicem esse [b]. » Quoniam, ut Demetrius Cydonius ait [3], « omne quod compositum est, creatum est [c]. »

Denique Prudentius hanc ipsam theologicam rationem poetico lepore condivit in secundo libro *contra Symmachum*, ubi gentilium castigat inscitiam, qui virtutes Dei varias minutatim ac separatim colebant quasi partes illius :

Tu, me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, ut me
Per varias partes minuas : cui nulla recidi
Pars aut forma potest, quia sum substantia [simplex
Nec pars esse queo. Solis divisio rebus
Compositis factisque subest; me nemo creavit
Ut scindi valeam, cunctorum conditor unus.

Eodem et illa simplicitatis ratio pertinet quam reddit Augustinus in libro undecimo *de Civitate Dei* [4] : « Ideo simplicem dici, quia quod habet, hoc est, excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius : et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet. Sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est. Propter hoc itaque natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere, vel aliud sit habens, aliud quod habet. » Ac denique : « Secundum hoc dicuntur, inquit, illa simplicia, quæ principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, nec aliorum participatione vel divina, vel sapientia, vel beata sunt. » Et in epistola centesima prima, de Spiritu sapientiæ loquens, quem Scriptura *multiplicem* [5] appellat. « Multiplex, inquit, quoniam multa sunt quæ habet, simplex autem quia non aliud quam quod habet est. » Tum in tractatu XX *in Joannem:* « Deus cui non est alia substantia ut sit, et alia potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quidquid ejus est et quidquid est, quia Deus est : non alio modo est et alio modo potest, sed esse et posse simul habet, quia velle et facere simul habet. » Sic tractatu undecentesimo *in Joannem :* « Et ideo non est ista substantia (*mentis humanæ*) verissime simplex, cui non hoc est esse quod nosse : potest enim esse nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est, quia id quod habet est. » Idipsum et Hilarius in octavo libro confirmat : ubi et secundum substantiam ubique esse Deum probat, « quod per sua in omnibus esse non desinat : non aliud autem sint quam quod est ipse, quæ sua sunt. »

Quippe ut ait Cyrillus : « Simul atque Deus intelligitur, etiam omnia quæ illius sunt intelliguntur, neque ullum accidens in ipso potest intelligi [d]. »

VIII. Nec aliena ratio est illa quam Ambrosius indicat in primo *de Fide* capite septimo. « Etenim Deus, ait, naturæ simplicis est, non conjunctæ atque compositæ, cui nihil accedat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua. » Si enim aliquid divinitati, sive ei quod est divinum accederet, non solum inesset Deo quod divinum est, hoc est haberet aliquid quod non esset. Gregorius item papa libro octavodecimo *Moralium*, capite XXVII rationem

a Dion. Ἀλλ' ἐπειδὴ εἰς τρία διῄρηνται τῷ κατ' αὐτοὺς ὑπερκοσμίῳ λόγῳ πάντες θεῖοι νόες, εἰς οὐσίαν, καὶ δύναμιν, καὶ ἐνέργειαν, etc.

b Cyr. tom. V. p. 665. Οὐδὲν ἐν γενητοῖς ἁπλοῦν κατὰ φύσιν.

c Demet. Πᾶν σύνθετον, κτιστόν.

d Cyril. dial. 2. *de Trinit.* Ἅμα γὰρ νοεῖται Θεὸς, καὶ σὺν αὐτῷ πάντα τὰ αὐτοῦ· καὶ οὐκ ἂν νοοῖτό τι συμβεβηκὸς ἐπ' αὐτοῦ.

1 Cap. XI, libro *de Cœlest. hier.* — 2 Opuscul. 3, cap. XI. — 3 Lib. *de Process. Spirit. sancti.* — 4 Cap. X. — 5 *Sap.* VII, 22.

adhibet eamdem his verbis : « Habet vitam sapientia, sed non aliud habet et aliud est, quippe cui hoc est esse quod vivere. Servi autem sapientiæ cum habent vitam, aliud sunt et aliud habent, quippe quibus non est hoc ipsum esse quod vivere : nam possunt juxta aliquid esse nec vivere. Aliud quippe illis est esse, aliud vivere, etc. Sapientia vero habet essentiam, habet vitam, sed hoc quod habet, ipsa est. Proinde incommutabiliter vivit, quia non ex accidenti sed essentialiter vivit.»

Sic auctor *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*[1] quæ inter opera Justini martyris extant, quærenti quomodo Deus simplex esse possit cum tam multa dicatur habere, respondet : « Non ita esse Deum ut sunt creaturæ, ut ex eo quod est et quod habet, fieri intelligatur aliqua compositio, sed esse ipsum et habere compositionem omnem excedere[a]. »

Brevius hoc idem Cyrillus Alexandrinus libro primo *in Joannem*[2] : « In simplicibus substantiis nihil aliud est præter ipsas[b].» Et Marius Victorinus initio libri tertii *adversus Arium*, aliud « in sensibilibus esse, ait, hoc quod est esse, aliud hoc quod est ita esse ut unum sit substantiæ, aliud qualitatis. At in divinis et æternis ista duo unum. Omne enim quod ibi, simplex, et hoc Deus, quod lumen, quod optimum, quod exsistentia, quod vita, quod intelligentia. »

Cujus rei causam certissimam auctor libri *de Cognitione veræ vitæ*, capite septimo explicat[3]. « Cum, inquit, nihil præter creatorem et creaturam existat, si Deus per seipsum non habet esse, necessario consequitur ut per creaturam exsistat, quod inconvenientissimum est. » Quæ ratio universe valet. Nam si Deus ex pluribus componitur, ea ex quibus constat non sunt Deus. Sunt igitur creaturæ. Ita Deus per creatum quippiam id erit quod esse dicitur, ut puta sapiens, justus.

Agobardus libro *contra Felicem* : « In omnipotente, inquit, et sempiterno Deo omnia sempiterna sunt, neque ei qui fecit tempora, aliquid accessit ex tempore. Naturæ enim quæ initio caret et incremento non indiget, quod est habere, hoc est esse, et quod est esse perpetuum est, et sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. »

Philo Judæus præterea hanc a nobis allatam rationem plurimum elegantissimi luce sermonis illustrat in libro tertio *de Allegoriis*. « Deus, inquit, solus est, et unum et non compositum, natura simplex. At unusquisque nostrum et cæterorum quæcumque facta sunt, multa sunt. Velut ego multa sum, anima, corpus, etc. Deus autem non est compositum nec ex multis constat, sed cum alio non miscetur. Quidquid enim accreverit Deo, vel melius est ipso, vel minus, vel æquale. Atqui nec æquale, nec melius aliquid est Deo. Porro nihil quod minus sit, illi potest accrescere. Alioqui et ipse minor fiet, quo posito corruptioni erit obnoxius, quod vel nefas sit cogitare[c]. »

Boetius vero plenius ac subtilius in libro de *Trinitate et unitate Dei ad Symmachum* illud edisserit, cujus verba tacito nomine Rupertus usurpavit in undecimo libro *de Victoria Verbi Dei*[5], ex quo locum illum emendatiorem dabimus. « Nihil, inquit Boetius, secundum materiam esse dicitur, sed secundum propriam formam. Sed divina substantia sine materia forma est, atque ideo unum est id quod est, reliqua enim non sunt id quod sunt. Unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, id est ex partibus suis, et est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ, sed non est hoc vel hoc singulariter : ut cum homo terrenus constet ex anima et corpore, corpus et anima est, non vel corpus vel anima in parte. Igitur non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vero est id quod est et pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur.» Sic Bernardus octogesimo sermone *in Cantica canticorum* : « Sola, inquit, summa et increata natura hanc sibi vindicat meram singularemque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud et aliud, non alibi quoque et alibi, sed ne modo quidem et modo

a Justin Οὐ γάρ ἐστι κατὰ τὴν κτιστὴν φύσιν ὁ θεὸς, ὥστε τὸ εἶναι αὐτὸν, καὶ τὸ ἔχειν νοηθῇ ἐν συνθέσει ὥσπερ .... ἀλλ' ὥσπερ τὴν φύσιν ὢν, οὕτω καὶ τὸ εἶναι αὐτὸν, καὶ τὸ ἔχειν ἐστὶν ὑπὲρ τὴν σύνθεσιν.

b Cyr. Ἐν δὲ ταῖς ἁπλαῖς οὐσίαις οὐδὲν ἕτερόν ἐστι τὸ παρ' αὐτάς.

c Philo, p. 1087. edit. Paris. græcol. Ὁ θεὸς μόνος ἐστὶ, καὶ ἓν, οὐ σύγκριμα, φύσις ἁπλῆ· ἡμῶν δὲ ἕκαστος, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα γέγονε, πολλά· οἷον ἐγὼ, πολλά εἰμι, ψυχὴ, σῶμα, etc. ὁ δὲ θεὸς οὐ σύγκριμα, οὐδὲ ἐκ πολλῶν συνεστὼς, ἀλλ' ἀμιγὴς ἄλλῳ· ὃ γὰρ ἂν προσκριθῇ θεῷ, ἢ κρεῖσσόν ἐστιν αὐτοῦ, ἢ ἔλασσον, ἢ ἴσον αὐτῷ· οὔτε δὲ ἴσον, οὔτε κρεῖσσόν ἐστι θεοῦ· ἔλασσόν γε μὴν οὐδὲν αὐτῷ προσκρίνεται· εἰ δὲ μὴ, καὶ αὐτὸς ἐλαττωθήσεται· εἰ δὲ τοῦτο, καὶ φθαρτὸς ἔσται· ὅπερ οὐδὲ θέμις νοῆσαι.

1 Qu. 144. — 2 Cap. iv, pag. 39. — 3 Tom. IX, Oper. Aug. — 5 Cap. xxvii

inveniatur in ea. Nempe in semet manens, quod habet, est; et quod est, semper et uno modo est. In ea et multa in unum, et diversa in idem rediguntur, ut nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat. »

Deus simplex quia infinitus.

IX. Aliam simplicitatis causam, et eam quidem eruditam Maximus martyr apud Euthymium suggerit [1]. « Simplex est, inquit, quia interminatus. Interminatus, quia et infinitus. » Præclare omnino simplicitatem ex infinitate colligit. Ita enim infinitus est Deus, nihil ut in eo sit non infinitum, hoc est quod non sit Deus. Neque enim potest ex non Deo constare Deus. Tum ex finitis inter se junctis nonnisi finitum efficitur. Quare quidquid inest Deo, infinitum sit oportet. Nullæ igitur sunt in eo partes. Si quidem pars omnis, non solum a toto distat eoque minor est, sed etiam ab altera parte. Nam fine aliquo terminoque circumscribitur aut extensionis, ut in quantitatis partibus; aut virtutis ac perfectionis, ut in qualitate; aut essentiæ ac definitionis, sive τοῦ τί ἦν εἶναι, ut in substantiis evenit. Quare quamcumque in Deo partem constitueris, ea ut ab altera distincta sit, quod hujus proprium est excludet et eo carebit. Eodem sensu illud Ephræmii Antiocheni dictum interpretor apud Phothium [2], « Solum Deum esse simplicem, quoniam minime circumscriptus est; quidquid enim circumscriptum est, id non esse simplex : omnia porro præter Deum esse composita [a]. »

At Gregorius Nyssenus ex Dei simplicitate vicissim ejus infinitatem approbat [3], quia quod simplex est, nulla rei ullius participatione velut formæ, tale esse aliquid dicitur, veluti bonum, sapiens, ne ex subjecto et qualitate compositio existat aliqua. Proinde neque majus aut minus locum illic habet, ut magis minusve bonum sit unum altero; unde consequens sit, nullum bonitatis ibi esse finem ac terminum. Quare infinitum sit oportet.

Aliæ Dei simplicitatis afferuntur rationes.

Athanasius in libro V contra Arianos rationes affert tres quare Deus compositione omni careat. Prima est quod sit μονὰς, id est unitas, quæ partes nullas habet; secunda, quod a nullo est factus; tertia quod sit immutabilis : cujus verba postea reddemus. Boetius vero in libro *de Trinitate* primæ illi rationi quæ ex monade ducta est, suffragatur dum hoc esse Dei proprium ait ut nihil sit nisi Deus. « Quoniam homo, inquit, non integre ipsum homo est, ac per hoc nec substantia. Quod enim est, aliis debet quæ non sunt homo. Deus vero hoc ipsum quod est, Deus est. Nec enim aliud est nisi quod est, atque hoc ipsum Deus est. » Nam, ut ait Novatianus in capite sexto libri *de Trinitate :* « Non habet in se diversitatem sui quidquid est simplex. » Anselmus in *Prosologio*, capite XVIII « Quidquid est partibus junctum, non est omnino unum, sed quodammodo plura et diversum a seipso, et vel actu vel intellectu dissolvi potest : quæ aliena sunt a te, quo nihil melius cogitari potest. »

X. His etiam adjungi potest ad simplicitatem asseverandam ratio ista, quod Deus ex sese et quantus quantus est, perfectus est sibique sufficiens, quod minime verum esset si per partes veluti factam ac divisam haberet perfectionem, eamque singulæ qualitates ac proprietates reipsa diversæ complerent particulatimque conficerent. Hunc locum pulcherrime in nono libro Hilarius illustrat, eoque ipso demonstrat nihil esse in Patre quod cum Filio non communicet, dum eum e substantia gignit sua. « Pater enim universitatis ejus quæ in se est, Pater est, omnem se in eo habens, cui non sit ex portione quod Pater est : non quod sibi eorum quæ sua sunt, Pater ipse sit; sed quod in his quibus ipse est, ei qui ex se est, pater totus sit. Et cum secundum humanorum corporum naturas quæ ex disparibus conveniunt et ex compositis consistunt, non possit nisi omnium suorum quis pater esse : dum quod in unoquoque est generum ac partium, id in filio nativitas perfecta conservet : omnium ergo suorum quis pater est, dum ex omnibus nativitas et in omnibus manet. Et cum in Deo non sint corporalia sed absoluta, neque particulata sed tota et universa, non vivificata sed viva, totus vivens et unum totum Deus, dum non ex portione compositus est, sed ex simplicitate perfectus est; necesse est ut secundum quod est Pater, ipse sit omnium suorum ei quem ex se genuit Pater totus, dum eum Patrem ex suis omnibus nativitas Filii perfecta consummat. »

Huc illa veterum argumentatio spectat de qua alibi dicetur [4] : ideo nunquam non extitisse Filium, quia perpetuo fuit Pater sapiens,

a Ἁπλοῦς δὲ μόνος ἐστὶν ὁ Θεὸς, ἀπεριγραπτος ὤν· πᾶν γὰρ τὸ περιγραπτὸν οὐχ ἁπλοῦν· τὰ δὲ παρὰ τὸ Θεῖον πάντα σύνθετα.

1 Par. 1, tit. 11. — 2 Cod. 229. — 3 Lib. 1, *cont. Eunom.* pag. 69 edit. Grets. — 4 Lib. VI, *de Trinit.* cap. VIII.

rationalis, potens, nec accessio est illi facta perfecti. Cyrillus item Alexandrinus eamdem illam sententiam Hilarii brevius exprimit in dialogo primo *de Trinitate*. « Nos, inquit, non sumus natura simplices, Deus autem simplex neque compositus est omnino et omnimodam in se perfectionem habet nullius egens. At corporea omnis natura ex partibus quibusdam componitur, quæ ad unum aliquod integrum complendum concurrunt [a]. »

XI. Hanc αὐτάρκειαν id est, *sufficientiam*, qua sibi sese et ex toto satis est Deus adeoque perfectus, Plotinus animadvertit. « Nisi enim, inquit, simplex erit, ab omni prorsus coagmentatione et compositione liberum ac revera unum, non erit principium. Sed et sufficientissimum eo ipso debet esse quod sit simplex et primum omnium. Nam quod non est primum, indiget eo quod ante se est. Et quod non est simplex, indiget iis simplicibus quæ in ipso sunt, ut ex illis constet [b]. » Rursus idem Plotinus alibi actionem propterea idem

Hypostasi. esse cum substantia et ὑποστάσει asserit in Deo « quod alioqui imperfectum esset perfectissimum omnium principium. Ac si adjungi putat actionem, non servabit unitatem. Quare si actio perfectius aliquid est substantia, perfectissimum est autem quod est primum, primum oportet esse actionem ipsam [c]. » Et alibi : « In seipso est ita ut nihil ipsi accidat. Porro ex eo quod sibi ipsi sufficiens est, summam Dei unitatem animo capere possumus. Oportet enim summum rerum principium nullo modo indigum esse, sed sufficientissimum omnium seque ipso maxime contentum. Quidquid autem multum est non unum, indigens est nec unum fit ex multis conflatum [d]. » Tum postea : « Si quid igitur sufficientissimum oportet esse, idem oportet unum esse, quod solum est ejusmodi ut neque ad seipsum, neque ad aliud indigens sit [e]. » Quibus Plotini verbis apprime id quod diximus ostenditur, talem divinitatis esse conditionem, ut non e pluribus veluti partibus contexta et coagmentata sit illius perfectio, sed ut sibi ipsi natura illa omnino et ex se tota sufficiat. Nam si bonitas aut justitia reipsa differret a sapientia, non esset sibi ipsi sapientiâ sufficiens neque Deo, sed alia insuper adjungi sibi ornamenta postularet.

Denique Richardus Victorinus ex æternitate et immutabilitate Dei simplicitatem ejus ita concludit : « Quod ex pluribus compositum est, naturaliter divisibile est : et quod naturaliter est divisibile, naturaliter et commutabile : et ubi est commutabilitas, non potest esse æternitas ; et sic nec vera felicitas. Sed in bono quod universaliter perfectum est, nihil horum deesse potest [1]. » Verum ut non solum generatim esse simplicem Deum nullisque componi partibus ostendam, per compositionis species ipsas ducenda est oratio ac singillatim demonstrandum est, nullo in genere compositum haberi posse Deum. Si quid enim compositionis inesset, ea constaret vel ex personis earumque proprietatibus, vel ex genere ac differentia, vel ex qualitatibus attributisque tam substantivis quam accidentibus, vel ex ἐνεργείαις id est *actionibus* ad substantiam adjunctis. Nam de alio compositionis modo qui corporum est proprius et in extensione, vel materia et forma cernitur, nihil attinet dicere. Satis enim illa esse possunt quæ capite antecedenti de corporum a Deo segreganda contagione tradidimus. Reliqua nunc compositionis genera particulatim veterum ex mente perscrutabimur.

a Cyril. Ἡμεῖς μὲν γὰρ οὐχ ἁπλοῖ τὴν φύσιν· τὸ δέ γε θεῖον ἁπλοῦν, καὶ ἀσύνθετον κομιδῇ· πλουτεῖ δὲ αὐτὸ τὸ παντέλειον ἐφ᾽ ἑαυτῷ δεηθὲν οὐδενός· σωματικὴ δὲ πᾶσα σύγκειται φύσις ἐκ μορίων τινῶν, εἰς ἑνός τινος τοῦ τελείως ἔχοντος συνθεόντων πλήρωσιν.

b Plot. *Enn.* 5. lib. IV. c. i. Εἰ γὰρ μὴ ἁπλοῦν ἔσται συμβάσεως ἔξω πάσης, καὶ πάσης συνθέσεως, καὶ ὄντως ἕν, οὐκ ἂν ἀρχὴ εἴη· αὐταρκέστατόν τε τῷ ἁπλοῦν εἶναι, καὶ πρῶτον ἁπάντων· τὸ γὰρ μὴ πρῶτον, ἐνδεὲς τοῦ πρὸ αὐτοῦ· τό τε μὴ ἁπλοῦν τῶν ἐν αὐτῷ ἁπλῶν δεόμενον, ἵν᾽ ᾖ ἐξ ἐκείνων.

c Idem, *Enn.* 6. lib. VIII. c. xx. Εἰ δὲ ὑπόστασιν ἄνευ ἐνεργείας τὶς θεῖτο, ἐλλιπὴς ἡ ἀρχὴ, καὶ ἀτελὴς ἡ τελειοτάτη πασῶν ἔσται· καὶ εἰ προσθείη ἐνέργειαν, οὐχ ἓν τηρεῖ· εἰ οὖν τελειότερον ἡ ἐνέργεια τῆς οὐσίας, τελειότατον δὲ τὸ πρότερον, πρῶτον ἂν ἐνέργεια εἴη.

d Idem, libro IX. c. vi. Ἐφ᾽ ἑαυτοῦ γάρ ἐστιν οὐδενὸς αὐτῷ συμβεβηκότος· τῷ αὐτάρκει δ᾽ ἄν τις καὶ τὸ ἓν αὐτοῦ, ἓν οὐ μὴ θείη (corrigendum puto ἐνθυμηθείη) δεῖ μὲν γὰρ ἱκανώτατον ἁπάντων· καὶ αὐταρκέστατον, καὶ ἀνενδεέστατον εἶναι, πᾶν δὲ πολὺ, καὶ μὴ ἕν, ἐνδεὲς, μὴ ἓν ἐκ πολλῶν γενόμενον.

e Idem. Εἴπερ οὖν δεῖ τι αὐταρκέστατον εἶναι, τὸ ἓν εἶναι δεῖ, τοιοῦτον ὂν μόνον, οἷον μήτε πρὸς αὐτὰ (forte αὐτὸ) μήτε πρὸς ἄλλο ἐνδεὲς εἶναι.

1 Lib. II, *de Trinit.* cap. xvii.

CAPUT III.

An ex personarum proprietatibus et substantia fiat in Deo aliqua compositio. Afferuntur causæ propter quas nulla fit, tametsi de essentia et relatione diversa prædicentur. Ἰδιότητες *sive proprietates possintne dici personæ, de quo veterum opiniones inter se concilientur. Calvini et Autotheitarum falsa et inepta sententia redarguitur, Filium dicentium, qua Filius est, non qua Deus, a Patre genitum. Eulogii locus insignis quo Basilii alterum exponit.*

I. Non omnino simplicem esse Deum, duo quædam imperitis, credo etiam et mediocriter eruditis persuadere possunt, primum personalium proprietatum cum substantia ipsa divinitatis conjunctio, alterum personarum ipsarum numerus. Neque enim Patris, exempli causa, proprietas quam πατρότητα Græci, nos *paternitatem* dicimus, eadem et una res videtur esse cum ipsa divinitate. Alioquin ut hæc cæteris ex æquo convenit, sic illa, et Pater non minus dicetur Filius ac Spiritus sanctus, quam cui hoc proprie nomen attributum est. Itaque nonnulla fieri putatur ex οὐσίᾳ et iis proprietatibus quæ ἰδιώματα vocantur, complexio, ut Basilii locus ille demonstrat ex secundo adversus Eunomium. « Proprietates, inquit, ceu notæ quædam et formæ in substantia consideratæ dividunt quidem id quod commune est propriis characteribus, eamdem tamen substantiam non dividunt. Exempli causa, communis est quidem divinitas, proprietates vero quædam sunt paternitas et filietas : ex utriusque porro complexione, videlicet communis et proprii, veritatis in nobis comprehensio nascitur [a]. » Idem et alii quidam Patres usurpant, quod cum de Trinitate agemus, accuratius exponetur. Interim quasi in antecessum illud dicimus, propterea nullam in Deo compositionem fieri ex substantia et proprietatibus, quod hæ cum illa res eadem et una sint, nec nisi λόγῳ et ἐπινοίᾳ differant. Atque ut in rebus a Deo conditis « unum et idem est accidens et ad aliud, sive respectus ad alterum (ut ait Demetrius Cydones) in iis scilicet quæ accidentia capere possunt, sic eadem necessario res est substantia et ad aliquid in iis quæ nullum habere possunt accidens [b], » cujusmodi Deus est. Unde et una et eadem res et indivisa communisque est, et est proprietas sive relatio quæ communis non est, sed ab altera proprietate reipsa distat.

Essentia. *Idiomata.*

In Deo nulla compositio est ex substantia ac proprietatibus.

Ratione et Cogitatione.

II. In operum Athanasii ejusdem tomo secundo dialogi sunt qui illius inscribuntur nomini, revera autem sunt Maximi martyris, ut a Græcis recentioribus citantur. In horum primo quem nominatim Maximo tribuit Demetrius Cydones libro *de Processione Spiritus sancti*[1], catholicus qui cum anomœo disputat, οὐσίαν et ὑπόστασιν idem esse re asserit, significatione differre. « Aliud, inquit Anomœus estne substantia et aliud hypostasis? *Orthod.* Aliud et aliud, sed non ut res. *Anom.* Inest igitur compositio. *Orthod.* Aliud et aliud dixi, non ut res alia et alia; sed quod aliud significat hypostasis, aliud substantia. Quemadmodum granum frumenti dicitur et est semen et fructus, non ut res sit alia et alia. Verum aliud significat semen et aliud fructus, quoniam semen futuræ agricolationis est semen, fructus autem præteritæ agricolationis est fructus [c]. » Est autem *significatione* differre nihil aliud, quam λόγῳ, id est *ratione* differre. Nempe quod οὐσία et ὑπόστασις cum idem sint revera ὑπόστασις ad οὐσίαν addit τρόπον τῆς συμβεβηκός.

Essentiam et Hypostasim.

Essentia et hypostasis. Hypostasis ad essentiam addit.

a Basil. Αἱ γάρ τοι ἰδιότητες χαρακτῆρές τινες, καὶ μορφαὶ ἐπιθεωρούμεναι τῇ οὐσίᾳ διαιροῦσι μὲν τὸ κοινὸν τοῖς ἰδιάζουσι χαρακτῆρσι· τὸ δὲ ὁμοφυὲς τῆς οὐσίας οὐ διακόπτουσιν· οἷον, κοινή μὲν ἡ θεότης· ἰδιώματα δέ τινα, πατρότης, καὶ υἱότης; ἐκ δὲ τῆς ἑκατέρου συμπλοκῆς, τοῦ τε κοινοῦ, καὶ τοῦ ἰδίου, ἡ κατάληψις ἡμῖν τῆς ἀληθείας ἐγγίνεται.

b Demetr. *de Process. Spirit. sancti.* cap. IV. Ὥσπερ γάρ ἐστί τι τὸ αὐτὸ συμβεβηκὸς, καὶ πρός τι, ἐν οἷς ἐνδέχεται εἶναι συμβεβηκότα· οὕτως ἀνάγκη τὸ αὐτὸ οὐσίαν εἶναι, καὶ πρός τι, ἐν οἷς μὴ ἐνδέχεται εἶναι συμβεβηκός.

c Ath. tomo II. ANO. Ἄλλο γάρ ἐστιν οὐσία, καὶ ἄλλο ὑπόστασις; ΟΡΘ. Ἄλλο, καὶ ἄλλο· οὐχ ὡς πρᾶγμα. ΑΝΟ. Οὐκοῦν σύνθεσις. ΟΡΘ. Ἄλλο καὶ ἄλλο, εἶπον· οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο καὶ ἄλλο, ἀλλ' ὡς ἄλλό τι σημαινούσης τῆς ὑποστάσεως, καὶ ἄλλό τι τῆς οὐσίας· ὡς ὁ κόκκος τοῦ σίτου λέγεται καὶ ἔστι σπέρμα, καὶ καρπὸς, οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο καὶ ἄλλο· ἄλλο δὲ τι σημαίνει τὸ σπέρμα, καὶ ἄλλό τι καρπός· ὅτι τὸ μὲν σπέρμα, τοῦ μέλλοντος γεωργίου ἐστὶ σπέρμα· ὁ δὲ καρπὸς, τοῦ παρελθόντος γεωργίου ἐστὶ καρπός.

1 Cap. III, pag. 462.

ὑπάρξεως, id est *modum existendi*, ut in quarto *de Trinitate* dixi [1]. Ratione itaque distinguuntur proprietates personarum a substantia non re, tametsi diversa de utroque prædicantur, quod subinde Maximus eodem in loco demonstrat. Quare non est necesse plusquam ratione sola invicem ista differre, quamvis alia atque alia prædicata recipiant.

De hoc discrimine plura sunt eaque pereruditα apud Manuelem Calecam in capite XXV operis, quo contra Græcos pro Latinis disputavit. Ubi relativas proprietates et substantiam discrepare κατὰ τὸ ἁπλῶς καὶ πῶς affirmat, hoc est quod substantiæ notio absolutam habeat significationem, relationum autem comparatam ad aliud. Ut cum dico *Petrus et filius Jonæ*, utrobique res eadem exprimitur, sed prior vox absolute, posterior σχετικῶς et *relative* eam ipsam designat. Quod et Maximi (hunc enim Maximum itidem ut Demetrius asseverat) testimonio illo probat et similitudine grani, quod idem diversas rationes accipit, neque propterea plura sunt quæ rationibus illis subjiciuntur et τὰ ὑποκείμενα, id est *subjecta* dicuntur. De qua similitudine seminis et grani in secundo *de Trinitate* tomo rursus agetur, ne ex eo Sabellianæ hæresi occasio data videatur.

ecundum osolutum relativum

III. Neque vero proprietates solum cum substantia comparatæ una sunt eademque res, nec nisi ratione discrepant, sed etiam cum persona et hypostasi compositæ proprietates, ut Demetrius animadvertit in illo *de Processione Spiritus* libro capite tertio. Qui ex Gregorio Nazianzeno in oratione funebri Athanasii et in altera *de Sanctis luminaribus*, ἰδιότητας hoc est *proprietates* idem esse probat atque ὑποστάσεις, id est *personas*. Nam in priori οὐσίαν ait « significare naturam deitatis, hypostases vero proprietates trium [a]. » In posteriore vero « Deum, inquit, cum dico, uno eodemque triplici lumine perstringamini, triplici quidem quantum ad proprietates sive hypostases, si cui hoc vocabulum magis arridet, sive personas [b]. » Ibi ἰδιότητας cum hypostasibus et personis confundit. Quod fieri non patitur Eulogius Alexandrinus apud Photium. Imo acriter redarguit eos qui ὑπόστασιν idem esse dicebant atque ἰδίωμα id est *proprietatem*. Quos tanquam catholicæ pietatis adversarios variis modis refellit. Imprimis « quod omnis hypostasis ex eorum est genere quæ per se ipsa subsistunt, proprietas autem quinam per se subsistat, nisi eo suffulciatur cujus esse proprietas dicitur? Deinde in tribus hypostasibus sacer Patrum cœtus divinam consistere substantiam asserit, in tribus autem proprietatibus nemo dixerit [c]. » Quod autem Gregorius theologus in eo quem citavimus loco ἐν τρισὶν ἰδιότησι unam esse naturam scribit, ita ille respondet : primum non idem esse ἰδιότητα quod ἰδίωμα. Sed eo responso non contentus (quis enim non melius requirat?) aliter occurrit : τὴν ἰδιότητα, id est, *proprietatem* personalem, notam esse ac characterem hypostasis. « Quare nihil absurdi dixisse Gregorium cum in tribus proprietatibus scripsit, non ut velut lege quadam constitueret idem esse hypostasim cum proprietate, sed ut ex præcipua nota, id est proprietate, denominaret hypostasim [d]? »

sentiam.

Proprietates

Hypostasim.

In tribus proprietatibus.

Præterea « hypostases, ait, sancta synodus œcumenica prima consubstantiales esse prædicavit, proprietates vero quis nisi mente captus consubstantiales esse definiat [e]. »

Apud eumdem Photium Stephanus quidam Gobarus tritheita problematis loco illud edisserit et in utramque partem agitat : « Proprietatem, characterem et formam esse hypostasim, non autem complexionem substantiæ et proprietatis, neque quod per se subsistit [f]. » Tum e contrario idem illa esse quod hypostasim.

a Naz. orat. 21. in *sanct. Athan.* Τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ τῆς θεότητος, τὸ δὲ τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας.

b Idem. orat. 39. Θεοῦ δὲ ὅταν εἴπω ἑνὶ φωτὶ περιαστράφθητε, καὶ τρισί· τρισὶ μὲν, κατὰ τὰς ἰδιότητας, ἤγουν ὑποστάσεις, εἴ τινι φίλον καλεῖν, εἴτε πρόσωπα.

c Euloc. apud Phot. cod. 230. Ἀλλὰ καὶ πᾶσα ὑπόστασις τῶν ὑφεστηκότων ἐστὶ καθ' ἑαυτά· ἰδίωμα δὲ πῶς ἂν ὑποσταίη καθ' ἑαυτὸ μὴ ἐκεῖνο (for. ἐν ἐκείνῳ) ἑδρασθέν· οὗ καὶ εἶναι ἰδίωμα λέγεται; καὶ ἐν τρισὶ μὲν ὑποστάσεσιν ὁ ἱερὸς τῶν πατέρων χορὸς τὴν θεϊκὴν οὐσίαν δογματίζει, ἐν τρισὶ δὲ ἰδιώμασιν οὐδεὶς ἂν φαίη.

d Idem. Οὐδὲν μὲν ἄτοπον τὸν ἱερὸν Γρηγόριον εἰπεῖν, ἐν τρισὶν ἰδιότησιν, οὐ ταὐτὸν ὑπάρχειν νομοθετοῦντα τῇ ὑποστάσει τὴν ἰδιότητα, ἀλλ' ἐκ τοῦ μάλιστα χαρακτηριστικοῦ τουτέστιν ἐκ τῆς ἰδιότητος, ἐπονομάζοντα τὴν ὑπόστασιν.

e Ibid Χωρὶς δὲ τῶν εἰρημένων τὰς μὲν ὑποστάσεις ἡ ἁγία πρώτη σύνοδος ὁμοουσίους ἀνεκήρυξε· τὰ δὲ ἰδιώματα πῶς ἄν τις μὴ μελαγχολῶν ἀποφήνοι ὁμοούσια;

f Steph. apud Phot. cod. 232. Ὅτι τὸ ἰδίωμα, καὶ ὁ χαρακτὴρ, καὶ ἡ μορφὴ ὑπόστασίς ἐστιν, ἀλλ' οὐχὶ συμπλοκὴ τῆς οὐσίας, καὶ τοῦ ἰδιώματος, οὐδὲ τὸ αὐθυπόστατον.

1 Cap. VII et VIII.

IV. Non est difficile invicem ista conciliare quæ in speciem dissident. Nam si proprietates, sive ἰδιότητας, quatenus humana intelligentia capiuntur et κατ' ἐπίνοιαν consideres, ab hypostasi, id est persona distinguuntur. Constat enim ὑπόστασις proprietate ac substantia. Itaque tanquam formæ quædam accidentes divinæ proprietates a nobis intelliguntur, ut ex Basilio ac Cyrillo non semel diximus. Reipsa vero ac secundum se et ut in Deo sunt, nihil prorsus invicem distant. Ita sæpe proprietates pro hypostasibus, hoc est pro *concretis abstracta* sumuntur. Hinc Bernardus libro V ad Eugenium capite VIII. « Personarum, ait, proprietates non aliud, quam personas, ipsasque non aliud, quam unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam et summam majestatem fides catholica confitetur. Numera ergo si potes aut sine substantia personas quæ ipsa sunt, aut sine personis proprietates quæ ipsæ sunt. Aut si dividere quis conetur vel personas a substantia, vel proprietates a personis, nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. »

Proprietates Secundum cogitationem. Hypostasis.

Sic apud Epiphanium Semiariani in Ancyrana synodo hypostases interpretantur *proprietates personarum subsistentes* [a]. E contrario vero Cyrillus Alexandrinus easdem personarum proprietates secundum notionem et ἐπίνοιαν spectans ac velut accidentes formas, ita scripsit in dialogo secundo *de Trinitate* : « Quæ in accidentium vel eorum quæ insunt alteri ordine numerantur, neutiquam in seipsis sed in aliis potius existentia considerantur, ac videntur quidem aliquid esse ac dici per se, verum naturam habent ejus velut propriam, a quo recepta sunt. Etenim *genitum*, et *ingenitum* non sunt aliquid per se subsistens, cum solum significent genitum esse vel non esse genitum [b]. » Ibi hoc quod est *ingenitum* vel *genitum* pro personarum Patris et Filii proprietatibus usurpat, quæ *abstracta* sunt ἀγεννησία et γέννησις. At Anastasius in eo libro quem ὁδηγὸν, id est, *Viæ ducem* inscripsit, « ὑπόστασιν esse dicit Petrum, Paulum, Thomam, aliasque personas, nec non proprias notas [c] » quod priori opinioni consentaneum est.

Innascibilitas et nascibilitas.

V. Utcumque vero de istis loquimur, id est sive promiscue ambo ista capimus, sive cogitatione discernimus, certum illud esse debet, proprietatem relativam ab essentia vel persona vel ab absolutis proprietatibus non re, sed sola ratione separari, ideoque nullam in Deo compositionem fieri. De quo rursus Maximi martyris locum adscribam. Qui in eodem dialogo primo contra Anomœos sic argumentanti adversario, quoniam alia est et alia Patris et Filii hypostasis, duas similiter divinitates et immortalitates esse, respondet id non esse consequens : « ipsa, inquit, hypostasis est etiam immortalitas, neque solum immortalitas, verum etiam incorruptibilitas et justitia et sanctificatio et redemptio et dominatio et virtus. Neque Deus compositione ista dicitur, sed secundum diversas considerationes [d]. »

Quinetiam Demetrius Cydones in capite IV libro *de Processione Spiritus* qui liber Romæ ante paucos annos editus est, paternitatem ipsam qua cum substantia idem est, in Filio inesse, ac vicissim filietatem in Patre demonstrat, quod κατὰ περιχώρησιν intelligendum est. « Secundum illud, inquit, quod paternitas in substantia consideratur, quoniam tunc simpliciter sumitur ut substantia est, paternitas est in Filio et filietas in Patre, secundum communia, inquam, et absoluta. Sicut etiam una est sapientia et substantia et virtus eadem amborum. Cum vero considerantur non secundum modum substantiæ et eorum quæ in ipsa substantive dicuntur, nullo modo paternitas est filietas, quatenus ad invicem opposite dicuntur, secundum rationem ejus quod est ad aliquid : quemadmodum genita sapientia non est generatrix, quamvis una sit amborum sapientia, imo vero una sint ambo [e]. »

Secundum circumincessionem.

Verum quia nihilominus rei unius et ejus-

a Epiph. hær. 73. N. 17. Διὰ τοῦτο γὰρ ὑποστάσεις οἱ ἀνατολικοὶ λέγουσιν, ἵνα τὰς ἰδιότητας τῶν προσώπων ὑφεστώσας καὶ ὑπαρχούσας γνωρίσωσιν.

b Cyr. Τὰ ἐν τάξει τῶν συμβεβηκότων, ἢ καὶ ἐνόντων ἁπλῶς κατηριθμημένα, ἥκιστα μὲν σφίσιν αὐτοῖς, ἑτέροις δὲ μᾶλλον ἐνυπάρχοντα καταθρήσαι τις ἄν· καὶ δοκεῖ μὲν εἶναί τι καθ' ἑαυτὰ, καὶ λέγεσται, φύσιν δὲ τὴν τοῦ λαχόντος ὡς ἰδίαν ἔχει· οὐ γὰρ αὐτό τι καθ' ἑαυτὸ καὶ ἐνυποστάτως ὑπάρχον τὸ γεννητὸν, καὶ ἀγέννητον. μόνον ἡμῖν τὴν τοῦ γεγεννῆσθαι δήλωσιν, ἢ γοῦν τοῦ μὴ γεγεννῆσθαι τυχὸν εἰσφέροντα.

c Anast. Ὑπόστασις δὲ, Πετρὸς, Παῦλος, Θωμᾶς, καὶ τὰ λοιπὰ πρόσωπα, καὶ οἱ χαρακτῆρες.

d Maxim. tom. II. Athan. Ἀλλὰ αὐτὴ ἡ ὑπόστασις καὶ ἀθανασία ἐστί· καὶ οὐ μόνον ἀθανασία, ἀλλὰ καὶ ἀφθαρσία, καὶ δικαιοσύνη, καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις, καὶ κυριότης, καὶ δύναμις· καὶ οὐκ ἔστι κατὰ σύνθεσιν ταῦτα ὁ Θεὸς, ἀλλὰ κατὰ διαφόρους ἐπινοίας λεγόμενος.

e Demetr. Ὥστε κατὰ μὲν τὸ τὴν πατρότητα ἐν τῇ οὐσίᾳ θεωρεῖσθαι, ἐπεὶ τηνικαῦτα ἁπλῶς ὡς οὐσία λαμβάνεται, ἡ πατρότης ἐν τῷ υἱῷ ἐστι, καὶ ἡ υἱότης

dem notiones sunt variæ, quædam de hac ipsa re affirmantur aut negantur secundum unam rationem, quæ ratione altera non dicuntur. Velut est, relativam proprietatem non communem esse personis tribus, absolutam autem tribus convenire. Atque hoc sensu Theodorus Abucara in opusculo secundo dixit : « Substantiam vel essentiam Patris non esse Patrem ipsum [a]. » Non tamen ex eo concludi posse cum dicimus Filium e Patris esse substantia vel ex Patre, ex duabus illum esse rebus [b]. Imo vero ex una eademque esse defendimus, quod exemplo nummi aurei declarat. Ut enim si dixeris, nummi aurum appendi, ipsum metallum appensum esse significas : ac si dicas, nummum appendi, nihilo secius aurum dicis appensum. Non enim impressus character appendi potest. « Ita et nos quamvis dicamus e Patris substantia genitum esse Filium, non cogimur asseverare ex duabus ipsum rebus ortum accepisse, sed ex una et eadem re [c]. »

mpia re- unditur Auto- eanorum nscitia : lium, qua eus est, a tre origi- m ducere gantium.

VI. Ex iis corollarii id loco conficitur inanem, imo vero impiam esse Calvini et Autotheanorum argutiam, qui Filium, qua Deus est, a Patre originem accepisse negant, fatentur autem, qua est Filius, sive ratione habita personæ. De quo errore dicemus alibi [1]. Etenim si Filius qua Deus et qua Filius est, una res est et simplicissima, nec aliter Deus est, quam ut Filius est, uti neque Dei Filius aliter quam ut Deus, tametsi diversæ sint amborum notiones, profecto gigni a Patre non potest ut Filius, quin idem gignatur ut est Deus. Nec ex eo sequitur gigni divinitatem, quoniam alia est eorum nominum quæ *abstracta* vocantur, alia *complexorum* ratio. Nam divinitas proprie gigni non dicitur, sed generando communicari. Deus autem non minus proprie gigni dicitur, quam Filius. Quippe Deus illic personam certam significat, quæ est Filius. Ac ne cogitatione quidem concipi potest generari Filium, quin generatione illa esse Deus intelligatur, cumque nihil sit nisi generatione, hac ipsa generatione Deus sit oportet.

Melius ergo Cyrillus Alexandrinus libro *Thesauri* septimo : « Nihil esse Dei naturam præter ipsum, ait, eo quod simplex est et compositione caret [d]. » Et Augustinus epistola CCXXII Trinitatis substantiam nihil a tribus distare personis ostendit, indeque refellit eos qui substantiam communem tribus ubique esse putantes, personas ipsas itidem ubique esse negabant : « quasi aliud sit Pater, aliud divinitas ejus quæ illi communis est cum Filio et Spiritu sancto. » Athanasius item imperitum Calvini commentum et nimium illud divinitatis et personæ invectum ab eo discrimen evertit in libro de decretis Nicænæ synodi. Ubi contra Arianos ostendit idem esse Filium ex Patre esse, atque ex ejus substantia. « Etenim siquidem, ait, Deum aliquis putat esse compositum, ut in substantia accidens aliquod aut extrinsecus circumfusum velut amictum habere quo tegitur, vel esse quædam circa ipsum ejus complementa substantiæ, adeo ut cum nos Deum dicimus aut nominamus Patrem, non ipsam significemus invisibilem et incomprehensam illius substantiam, sed quippiam eorum quæ circum ipsam sint, reprehendant synodum quæ ex Dei substantia esse Filium scripsit, etc. Sed si Deus aliquid est simplex, ut est revera, manifestum est, cum dicimus Deum et nominamus Patrem, non aliquid appellare, quod circum ipsum sit, sed ipsam ejus designare substantiam [e]. »

ἐν τῷ πατρὶ, κατὰ τὰ κοινὰ, φημὶ, καὶ ἀπολελυμένα· ὥσπερ δὴ καὶ μία σοφία, καὶ οὐσία, καὶ δύναμις ἡ αὐτή ἐστι ἀμφοῖν· κατα δὲ τὸ μὴ θεωρεῖσθαι κατὰ τὸν τρὸπον τῆς οὐσίας, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ οὐσιωδῶς λεγομένων, κατ' οὐδένα τρόπον ἡ πατρότης ἐστὶν υἱότης, ἐφόσον πρὸς ἀλλήλας ἀντικειμένως λέγονται κατὰ τὸν λόγον τοῦ πρός τι· καθ' ὃν τρόπον καὶ ἡ γεννητὴ σοφία οὐκ ἔστιν ἡ γεννητική· καί τοι μιᾶς οὔσης ἀμφοῖν, μᾶλλον δὲ μία ἄμφω.

a ABUC. Μὴ τὴν τοῦ πατρὸς οὐσίαν αὐτὸν εἶναι τὸν πατέρα.

b Ibid. Εἰ γὰρ καὶ ὁ πατὴρ ἄλλό τί ἐστι, καὶ ἡ τοῦ πατρὸς οὐσία ἄλλο· ἀλλ' οὖν ἡμεῖς τὸν υἱὸν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, ἢ ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννῆσθαι λέγοντες, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φῦναι πράγματος σημαίνομεν.

c Ibib. Οὕτω καὶ ἡμεῖς κἂν εἴποιμεν ἐκ τοῦ πατρὸ. οὐσίας γεγεννῆσθαι τὸν υἱὸν, οὐκ ἀναγκαζόμεθα λέγειν αὐτὸν ἐκ δύο φῦναι πραγμάτων, ἀλλ' ἐξ ἑνὸς, καὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος.

d CYRIL. Ἄλλως τε ἕτερον οὐκ ἂν εἴη φύσις θεοῦ παρ' αὐτόν· ἁπλοῦς γὰρ καὶ ἀσύνθετος.

e Athan. Εἰ μὲν οὖν τὸν θεὸν ἡγεῖταί τις εἶναι σύνθετον, ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ συμϐεϐηκὸς, ἢ ἔξωθέν τινα περιϐολὴν ἔχειν, καὶ καλύπτεσθαι, ἢ εἶναί τινα περὶ αὐτὸν τὰ συμπληροῦντα τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ὥστε λέγοντας ἡμᾶς θεὸν, ἢ ὀνομάζοντας πατέρα, μὴ αὐτὴν τὴν ἀόρατον αὐτοῦ, καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν σημαίνειν, ἀλλά τι τῶν περὶ αὐτὴν, μεμφέσθωσαν μὲν τὴν σύνοδον γράψασαν ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ θεοῦ τὸν υἱόν, etc. Εἰ δὲ ἁπλοῦν τί ἐστιν ὁ θεὸς, ὥσπερ οὖν καί ἐστι, δῆλον ὅτι λέγοντες

1 Lib. III, *de Trinit.* cap. III, num. 3 et lib. IV, cap. XI.

VII. Hic locus Calvinianum, ut dixi, monstrum velut Herculis clava mactat et conficit. Calvinus ait Verbum Dei qua Filius est esse genitum, non tamen ut est Deus. Hoc verum esse non potest nisi inter Deum et genitum intersit. Quod si ita profiteri fas est, Filium non gigni quatenus divinitatem habet vel substantiam, (nihil enim est Deus aliud nisi *habens divinitatem*) profecto non minus usurpare licebit, Patrem non gignere qua Deus est sive habens divinitatem, sed quatenus est Pater. Dicuntur enim illa reciproce, ut si Pater qua Deus est, gignat Filium, Filius ipse gignatur quatenus est Deus. Quare si hoc de Patre posterius dictu impium et exsecrandum est Athanasii judicio, etiam illud prius unde alterum sequitur ad eamdem hæresim implicatum videtur. Rursus in libro *de Synodis* hæreticos

Substantiæ. eosdem arguit qui οὐσίας nomen respuebant, cum tamen et ipsi Filium ex Patre genitum esse faterentur : « Porro, inquit, si Patrem nominantes, aut vocabulum Deus proferentes, non substantiam significatis, nec ipsum qui id quod est, secundum substantiam est, intelligitis, sed aliud quiddam quod circum ipsum sit, vel deterius aliquid, ut id a me non dicatur, innuere vultis; oportebat vos non ita scribere, ex Patre esse Filium, sed ex iis quæ sunt circa ipsum aut in ipso : ut cum nolletis dicere Deum vere esse Patrem, verum compositum hunc qui simplex est, et corporum instar eum intelligentes, novæ cujusdam blasphemiæ inventores essetis. » Mox idem : « Ideo neque creaturam ipsius qui est Deus, opificium esse dicetis, si quidem nomina ista Pater et Deus non ipsam ejus qui est essentiam significant, sed aliud quiddam quod vos fingitis [a]. »

VIII. Hæc est alia securis Calviniani dogmatis. Ubi de eo quod est idem reipsa cum Deo, loquitur Athanasius, non de varia ratione et ἐπινοίᾳ sive significandi proprietate quæ pro nostro intelligendi modo distinguitur, hoc est, ut in scholis vulgo dicitur, de *reali* non autem *formali* nominum potestate. Manet enim nihilominus immotum illud ac stabile quod de differentia quæ est κατ' ἐπίνοιαν superiore libro constituimus [1] tum ex Athanasii, tum ex aliorum auctoritate veterum, qui divinas proprietates tam absolutas quam relativas invicem et ab essentia distare sentiunt. Sed aliud est id quod in re est ipsa ac per se illi convenit, aliud id quod cogitatione illi nostra accidit, quæ hoc efficit, ut una et alioqui simplicissima res variis modis exprimatur, quibus imposita vocabula notionibus distincta sunt. Itaque « qui pronuntiavit Patrem, ait Anastasius Sinaita libro primo *de Rectis dogmatibus*, non statim significavit ejus substantiam, sed solam omnino ejus habitudinem. » *Rationis.*

Cui Joannes Damascenus consonat dum personarum nomina et quæ *notionalia* vocantur Patrem, Filium et Spiritum sanctum « non ipsam, ait, significare substantiam, sed mutuam habitudinem et existendi modum [b]. Quare qui ista nomina intelligunt, non substantiam comprehendere, sec quæ circa substantiam sunt [c]. » Quæ non sunt superioribus Athanasii contraria sententiis quibus ita traditum est, cum nos nomen Patris dicimus, ipsam Dei substantiam non quæ sunt ei adjuncta, vel circa eam posita significare. Loquitur enim Athanasius de eo quod reipsa non sola nostra cogitatione in significata re continetur. Ac potest brevius id ita declarari. Cum Patrem nominamus, significari substantiam ipsam Dei non absolute, sed ut est generans atque ad id quod genitum est refertur. Eodem modo vocibus iis bonus, sapiens, omnipotens, Dei substantia subjicitur ut ab omnibus appetitur, ut omnia cognoscit, ut vim habet omnium efficientem. Quocirca quicumque ex antiquis proprietatum nomina minime sub-

τὸν θεὸν, καὶ ὀνομάζοντες τὸν πατέρα, οὐδέν τι ὡς περὶ αὐτὸν ὀνομάζομεν, ἀλλ' αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ σημαίνομεν.

a Athan. Εἰ μὲν οὖν τὸν πατέρα ὀνομάζοντες, ἢ τὸ, θεὸς ὄνομα λέγοντες, οὐκ οὐσίαν σημαίνετε, οὐδὲ αὐτὸν τὸν ὄντα, ὅπερ ἐστὶ κατ' οὐσίαν νοεῖτε, ἀλλ' ἕτερόν τι περὶ αὐτὸν, ἢ τὸ γοῦν χεῖρον, ἵνα μὴ παρ' ἐμοῦ λέγηται, διὰ τούτων σημαίνετε, ἔδει μὴ γράφειν ὑμᾶς ἐκ τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἐκ τῶν περὶ αὐτὸν, ἢ τῶν ἐν αὐτῷ· ἵνα φεύγοντες λέγειν ἀληθῶς, πατέρα τὸν θεὸν, σύνθετον δὲ τὸν ἁπλοῦν, καὶ σωματικῶς αὐτὸν ἐπινοοῦντες, καινοτέρας βλασφημίας ἐφευρεταὶ γένησθε. Ac paulo post : Διὸ οὐδὲ τὴν κτίσιν αὐτοῦ τοῦ ὄντος θεοῦ δημιούργημα εἶναι φήσετε, εἴ γε τὸ πατὴρ, καὶ τὸ θεὸς, οὐκ αὐτὴν τὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν σημαίνουσιν, ἀλλ' ἕτερόν τι, ὅπερ ὑμεῖς ἀναπλάττετε.

b Damasc. lib. I. cap. xiii Ἅ τινα οὐκ οὐσίας εἰσὶ δηλωτικὰ, ἀλλὰ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως, καὶ τοῦ τῆς ὑπάρξεως τρόπου.

c Ibid. Οὐκ αὐτὴν τὴν οὐσίαν καταλαμβάνομεν, ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν οὐσίαν.

1 Cap. vi et seq.

stantiam significare volunt, de ea quæ *formalis* dicitur notione locuti sunt. Alii vero de reali sive materiali.

IX. Non minus copiose quam subtiliter enodavit hanc quæstionem Eulogius Alexandrinus, cujus ex oratione aliqua jam quæ ad explicandam Dei simplicitatem universe pertinebant exprompsimus. Nunc quæ propria sunt relativarum proprietatum carptim ex eodem loco delibabimus. Hoc igitur interesse ait inter nos ac Deum, « quod in nobis proprietatum differentiæ perspicue distant, secundum quas invicem distinguimur, et quæ cujuspiam hypostasim definiunt notæ alterius proprietates communes sibi nequeunt facere. At in sancta Trinitate proprietates immobiles remanentes copulantur indivisa unione et eo ipso quod una est hypostaseon operatio; summam habentes etiam in distinctione divinam et ineffabilem secum invicem conjunctionem, qua fit ut Filius in Patre et Pater in Filio et Filius in Patre et Spiritu et Spiritus in Filio et Patre consideretur, ita ut regnet undecumque conjunctio, neque vel in proprietatibus indivisam unitatem sollicitari patiatur [a]. »

Postea vero disputationem in eos convertit qui ὑπόστασιν et ἰδίωμα idem esse putabant, de qua re alio loco dicetur. Interim animadvertimus non existimasse Eulogium reipsa proprietatem ab hypostasi differre, sed ratione solum et ἐπινοίᾳ. Alioqui veram in Deo compositionem statuisset, quod paulo ante damnavit. «Supra omnem, inquit, quantitatem et partem et compositionem assurgit [b]. »

... et ...prie-...tem.

Exinde caput ipsum quæstionis nostræ Eulogius aggreditur de complexione substantiæ ac proprietatis in hypostasi, cujus auctor videtur fuisse Basilius. « Asserunt, inquit, aliqui hypostasim complexionem esse substantiæ et proprietatum; quod aperte compositionem introducere videtur. Et ubi est illa in Trinitate simplex divinitas et compositionis expers? At etiam Basilium magnum allegant vocabuli istius auctorem, nec illud intelligere possunt virum illum sapientem neque definitionem, neque descriptionem hypostasis afferre voluisse, cum nomen illud adhibuit, sed ut anomœum compesceret qui ingeniti proprietatem et substantiam in unum confundere studebat, ac geniti ingenitique discrimen in substantiæ rationem transferre, ut non solum diversas sed etiam contrarias substantias induceret in Patrem ac Filium. Ob id Basilius qui sermones in judicio dispensat in illo cum anomœo conflictu, cum communi proprium nectit, ut hac methodo veritatis comprehensionem liquidam ac distinctam nobis traderet [c]. » Sic Eulogius id quod ex Basilio capitis hujus initio nobis objecimus explicavit, ut non reipsa per seque distincta esse Basilius illa crediderit, sed ratione solum et more intelligendi nostro, quod statim exponit iis verbis quæ supra commemoravimus: et quam συμπλοκὴν antea nominarat, eam paulo post appellasse προσθήκην, id est *adjectionem*, notat eumdem Basilium, quem quidem longe ab eo abfuisse ut in Deo compositionem ullam poneret, inde concludit quod eodem in loco et alibi sæpe, « Deum simplicissimum et ab omni compositione alienum esse docuerit: » tametsi quæ est nostræ mentis imbecillitas, sine compositione divisioneque aliqua minime ista capiamus. Quare « infirmitatis esse nostræ adjectionem istam et complexionem, quæ nos ad veritatis comprehensionem velut manu deducit. Non tamen simplicitatem naturæ compositionis expertem

Complexionem.

a Eulog. apud Phot. cod. 230. Ἐφ' ἡμῶν αἱ τῶν ἰδιωμάτων διαφοραὶ φανερῶς διεστήκασι, καθ' ἃς ἀπ' ἀλλήλων διακρινόμεθα, καὶ τὰ χαρακτηριστικὰ τῆς τινος ὑποστάσεως, θατέρας οὐκ οἶδε κοινοποιεῖν ἰδιώματα· ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας τριάδος αἱ ἰδιότητες ἀκίνητοι μένουσαι, συνάπτονταί πως διὰ τῆς ἀδιαιρέτου ἑνώσεως, καὶ τὸ [τοῦ] μίαν εἶναι τῶν ὑποστάσεων τὴν ἐνέργειαν, πλείστην ἔχουσαι κἂν τῇ διακρίσει τὴν θεϊκήν τε καὶ ἄῤῥητον πρὸς ἀλλήλας συνάφειαν, καθ' ἣν ὁ υἱὸς ἐν πατρὶ καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ, καὶ υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πνεύματι, καὶ πνεῦμα ἐν υἱῷ καὶ πατρὶ θεωρεῖται τῆς συναφείας πανταχόθεν ἐπικρατούσης, καὶ μηδ' ἐν τοῖς ἰδιώμασι καινοτομούσης τὸ ἀδιαίρετον.

b Idem. Πάσης γὰρ ποσότητος, καὶ μέρους, καὶ συνθέσεως, ὑπερίδρυται.

c Idem. Φασὶ γάρ τινες συμπλοκὴν οὐσίας, καὶ ἰδιωμάτων εἶναι τὴν ὑπόστασιν, ὃ περιφανῶς συνεισάγειν οἶδε τὴν σύνθεσιν· καὶ ποῦ ἂν εἴη τὸ ἁπλοῦν καὶ ἀσύνθετον τῆς ἐν τριάδι θεότητος; οἱ δὲ καὶ Βασίλειον προΐστωσι τὸν μέγαν τῆς φωνῆς διδάσκαλον οὐκ ἐθέλοντες νοεῖν, ὡς ὁ σοφὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ οὔτε ὅρον, οὔτε ὑπογραφὴν ἀποδιδοὺς ὑποστάσεως, τὸ τῆς συμπλοκῆς παρέλαβεν ὄνομα· ἀλλὰ βουλόμενος ἐπιστομίσαι τὸν ἀνόμοιον, τὴν ἀγεννησίαν, καὶ τὴν οὐσίαν εἰς ταὐτὸν ἀγαγεῖν φιλονεικήσαντα, καὶ τὴν πρὸς τὸν γεννητὸν τοῦ ἀγεννήτου διαφορὰν εἰς τὸν τῆς οὐσιας λόγον μεταγαγεῖν· ἵνα μὴ μόνον εἰς διαφόρους, ἀλλὰ καὶ ἀντικειμένας οὐσίας εἰσάγῃ ἐπί τε τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ· διὰ τοῦτο ὁ τοὺς λόγους οἰκονομῶν ἐν κρίσει Βασίλειος ἐν τῷ πρὸς τὸν Ἀνόμοιον ἀγῶνι, τῷ κοινῷ συμπλέκει τὸ ἴδιον, ἀσύγχυτον ἡμῖν, καὶ διακεκριμένην μεθοδεύων τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν.

ad duplicitatem et compositionem deprimere est ausus unquam [a]. »

Sic igitur Basilii complexio ista extra compositionis suspicionem est, quoniam non revera inest in Deo sed in nostra cogitatione ac notitia, quam fides ac recta ratio corrigit: quemadmodum stulte hic argumentaretur qui res intelligibiles et spiritales corporea forma præditas esse pugnaret, quod eas nonnisi illo modo cognoscimus.

X. Huc illa spectat erudito digna theologo Cyrilli Alexandrini disputatio adversus Arianos super proprietatis et essentiæ discrimine. Nam proprietatem illam qua Pater constat, quæque ab hæreticis τοῦ ἀγεννήτου vocabulo comprehendebatur, hoc est *ingeniti* vel *ab nullo producti*, quod idem et de *paternitate* sentiendum est, Cyrillus ab ipsa divinitate et

Essentia. οὐσίᾳ nihil omnino differre censet, neque vel

Subsistentiam. propriam habere ὕπαρξιν, hoc est tanquam distinctum aliquid exsistere ut in creatis rebus evenit, vel accidere substantiæ ipsi jam ex se constitutæ quacum aliquid compositum efficiat. Verba Cyrilli abesse ab hoc loco non debent, nam sunt pulcherrima: « Si enim, inquit, aliquid per se est ingeniti proprietas illa et existentiam propriam habet, hoc autem est, ut asserunt isti, proprium Dei ac Patris, diversum quiddam erit ab eo cujus est proprium. Quod enim est alicujus et peculiarem per sese habet existentiam, diversum ab eo est omnino cujus est. Atque ita demum simplex illa Patris natura geminata est ex Patre et ingenito composita [b]. » Idem tamen illo ipso loco non diffitetur, *ingenitum* tanquam modum esse quemdam quo una persona ab alia distinguitur, qui proinde κατ' ἐπίνοιαν, id est,

Essentia. *cogitatione* differt ab οὐσίᾳ quemadmodum idem Cyrillus in *Thesauris* ait : « simplicem et compositione carentem deitatis naturam cogitationibus nostris secari in dualitatem Patris et Filii [c]. » Nam perinde secari intelligimus individuam deitatem atque ab personali proprietate differre, hoc est sola ratione cogitationeque nostra. Ita per se ipsa manet insecabilis natura, ut Gregorius Nazianzenus loquitur :

Circa illam vero
Ambo extrinsecus sunt, natura vero non [secatur [d].

Nimirum proprietatum duarum vocabula ἀγέννητον et γεννητὸν, quæ hæretici diversa esse tantopere contendebant, non in ipsa inesse natura, sed extra eam, respondet Gregorius, neque naturam dirimere. De qua re alibi copiosius. *Ingeniti et geniti.*

CAPUT IV.

An fiat aliqua in Deo compositio ex eo quod personæ tres in illo sint reipsa distinctæ. Ostenditur nullam esse propter unitatem substantiæ, quæ ratio variis antiquorum testimoniis illustratur. Qua ratione uniri et conjungi personæ dicantur a Patribus. Explicatur admirabilis quædam Patrum sententia, realem personarum distinctionem majorem Dei simplicitatem efficere quam si una tantum esset persona.

I. Sed pars restat altera quæstionis paulo, ut videtur, obscurior in qua personæ tres inter se comparantur. Etenim non ratione sola et cogitatione hominum, sed reipsa differunt personæ tres, et tamen omnes una sunt eademque res quæ est ipsa Trinitas. Nam Lateranensis synodus Innocentio tertio pontifice ita decrevit capite v : « Quod una quædam res est incomprehensibilis quidem et inæstimabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres simul personæ ac singulatim quælibet earumdem. » Quinam ergo simplex erit Deus qui ex tribus constat re invicem distinctis? « Aut

a Eulog. Ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ διδάσκαλος συμπλοκὴν εἰπών, ἐφεξῆς τὸ θεῖον ἁπλοῦν πάντη, καὶ ἀσύνθετον καὶ ἀλλαχοῦ πολλάκις ἀνύμνησε· μονονουχὶ βοῶν, ὡς ἀσθενείας ἐστὶν ἡ προσθήκη, καὶ ἡ συμπλοκὴ πρόβλημα, πρὸς κατάληψιν ἡμᾶς τῆς ἀληθείας χειραγωγοῦσα, οὐ μέν τοί γε τὸ ἁπλοῦν τῆς φύσεως, καὶ ἀσύνθετον εἰς διπλόην, καὶ σύνθεσιν καταγαγεῖν ποθὲν τόλμαν εἴληφεν.

b Cyril. dial. 2. *de Trin.* p. 421. Εἰ γάρ ἐστί τι τὸ ἀγέννητον αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ καὶ ἐν ὑπάρξει τῇ ἰδίᾳ κείμενον· ἔστι δὲ τοῦτο, καθάπερ ἐκεῖνοί φασιν, ἴδιον τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἕτερον ἂν εἴη παρὰ τὸν, οὗ ἐστιν ἴδιον· τὸ γάρ τινος ὄν, καὶ ὑπάρχον ἰδιοσυστάτως, ἕτερόν που πάντως ἐστὶ παρὰ τὸν οὗ ἐστι· καὶ δεδίπλωται λοιπὸν ἡ ἁπλῆ τοῦ πατρὸς φύσις, ἐκ πατρὸς ἡμῖν καὶ ἀγεννήτου συντεθειμένη.

c Idem 11. *Thesaur.* p. 85. Οὐκοῦν ἁπλῆ τις οὖσα, καὶ ἀσύνθετος ἡ τῆς θεότητος φύσις οὐκ ἂν ἐτμήθη ποτὲ ταῖς ἐπινοίαις εἰς δυάδα πατρὸς καὶ υἱοῦ, etc.

d Gregorius, Car. III. *Arcan.*

ἀμφὶ δ' ἐκείνην
Ἀμφότερ' ἐκτὸς ἐόντα· φύσες δ' ἀκέαστος ἔμοιγε.

enim tertiam partem unus Deus habet, ut per quaternas uncias tantum tres unam deitatem habeant, aut tres dii sint si unusquisque in sua deitate perfectus est, » ait apud Arnobium Serapio. Multum ea quæstio veteres exercuit, quam liquido conceptisque verbis exponit Gregorius Nazianzenus in libello de divinitate ad Evagrium monachum. Etsi non est, meo quidem judicio, Gregorii germanus ille fetus, ut ex dictionis ac styli genere licet animadvertere *.

omodo simpli- ti non perso- rum nitas.

Ibi ergo dubitatur « simplex an composita sit substantia Dei. Nam si est simplex quomodo trium numerum recipit personarum quas diximus. Nam quod simplex est, uniusmodi est et numeri expers; quod autem in numeros cadit, scindi necesse est etiamsi numeris minime subjiciatur.» *Ac paulo post quæstionem hanc proponit sic* : « utrum divinum sit simplex numen an triplex, ἁπλοῦν ἢ τριπλεκὲς sive *triplicatum*. Sic enim nos et loqui et credere nominum ternio cogit [a]. » Eamdem et Gregorius Nyssenus ab Ablabio propositam sibi in libro quodam explicat, qui de argumento hoc inscribitur : cur non sint tres dii, cum sint personæ tres. Tum hæretici maxime Ariani et qui inter eos deterrimi erant Aetiani vel Eunomiani hac contra catholicos uti cavillatione solebant, quod cum unam substantiam, tres personas in uno Deo constituerent, quin unus iste compositus ex tribus esset evitare non possent, ut ex Basilio, Gregorio Nysseno, Cyrillo, Augustino, aliisque cognoscimus.

II. Horum autem omnium communis ista responsio est : idcirco compositum non esse Deum, quoniam unica et singularis est in tribus essentia sive substantia quæ nulla partitione dividitur. « Sic enim divinitas una est, ait Basilius, nempe ut secundum rationem substantiæ intelligatur unitas, adeo ut numero quidem differentia constet, proprietatibusque personam utramque designantibus, in ratione vero divinitatis unitas consideretur [b]. » Et alibi Eunomio personalem proprietatem idem esse penitus quod essentiam asserenti ne sit ulla in Deo compositio, occurrit sic : « Quod si tanquam substantiæ partem ingenitum caperemus, haberet locum ea ratio qua dicitur compositum esse quod e diversis constat. Sin Dei substantiam lumen esse dicimus aut vitam aut bonum universum, quod idem est ac vitam esse et universum lumen ac bonum universum, habet autem vita consequens et annexum ingenitum ; nonne compositionis expers is est qui simplex est substantia ? Non enim proprietatis ipsius indices modi, simplicitatis rationem impedient [c]. » Proinde compositus ideo non est Deus, quoniam ejus substantia in tribus personis non est divisa neque multiplex ; quam quidem substantiam hoc est divinitatem, lumen esse, vitam ac bonum affirmans, Lamberto Danæo silentium indicit qui, ut capite superiori meminimus, attributa quæ vocantur Dei ab ipsa divinitate distincta esse putat.

Patres respondent : quia una est essentia.

Quinetiam in libro *de Spiritu sancto* latius ista disseruit, simplicem nihilominus Deum esse docens tametsi plures in eo personæ numerantur « quod una consideretur in omnibus forma, quæ nulla re diversæ ac mutatæ ratione divinitatis unitur. Nam Filius est in Patre et Pater in Filio, quoniam talis

a Nazianzen. orat. 45. Πότερον ἁπλῆ τις, ἢ σύνθετος· εἰ μὲν γὰρ ἁπλῆ, πῶς τὸν τρεῖς ἐπιδέξεται τῶν προειρημένων ἀριθμόν; τὸ γὰρ ἁπλοῦν, μονοειδὲς, καὶ ἀνάριθμον· τὸ δὲ ἀριθμοῖς ὑποπίπτον ἀνάγκη τέμνεσθαι, κἂν μὴ ἀριθμοῖς ὑποβάλληται. Ibid. ἄγε δὴ λοιπὸν ἡμῖν ὁ λόγος ἐντεῦθεν θιασευέτω· καὶ πῶς δεῖ τὸ θεῖον ὑπολαμβάνειν φασκέτω, ποτερὸν ἁπλοῦν, ἢ τριπλεκές, οὕτω γὰρ ἡμᾶς καὶ λέγειν ἡ τῶν ὀνομάτων τριττὺς, καὶ πιστεύειν βιάζεται.

b Basil. lib. I. *cont. Eun.* p. 50. Κατὰ τοῦτο γὰρ καὶ θεότης μία δηλονότι κατὰ τὸν τῆς οὐσιας λόγον τῆς ἑνότητος νουμένης· ὥστε ἀριθμῷ μὲν τὴν διαφορὰν ὑπάρχειν, καὶ ταῖς ἰδιότησι ταῖς χαρακτηριζούσαις ἑκατερον· ἐν δὲ τῷ λόγῳ τῆς θεότητος τὴν ἑνότητα θεωρεῖσθαι.

c Idem lib. II, p. 71. Εἰ μὲν ὡς μέρος της οὐσίας τὸ ἀγέννητον ἐλαμβάνομεν, εἶχεν ἂν αὐτοῦ χώραν ὁ λόγος, σύνθετον εἶναι λέγων τὸ ἐκ διαφόρων συγκείμενον· εἰ δὲ οὐσίαν μὲν θεοῦ τὸ φῶς τιθέμεθα, ἢ τὴν ζωὴν· ἢ τὸ ἀγαθὸν ὅλον, ὅπερ ἐστὶ ζωὴν ὄντα, καὶ ὅλον φῶς, καί ὅλον ἀγαθὸν, παρεπόμενον δὲ ἔχει ἡ ζωὴ τὸ ἀγέννητον, πῶς οὐκ ἀσύνθετος ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν ἁπλοῦς; οὐ γὰρ οἱ δεικτικοὶ τῆς ἰδιότητος αὐτοῦ τρόποι τὸν τῆς ἁπλότητος λόγον παραλυπήσουσιν.

* Ejusmodi libellus olim erat oratio XLV., et nunc est epistola CCXLIII, inscripta πρὸς Εὐάγριον μοναχὸν περὶ θεότητος. Sagax Petavii judicium suo suffragio præter alios comprobarunt Tillemontius et Caillau, qui præfixam animadversionem hisce verbis concludit : « A Gregorio Nazianzeno scriptam hanc non esse epistolam sat est cum viris doctis affirmare. » Sane non modo in priscis scholiis legimus, ἰστέον ὅτι κατά τινας ὁ λόγος ἀμφιβάλλεται, *sciendum est hunc sermonem a quibusdam in dubium vocari* ; sed præterea novimus illum ipsum ab Euthymio (*Panopl.* P. I, tit. II.) tribui Gregorio Nysseno, et non aliter ac si ejusdem foret laudari. *E. R.*

est hic qualis ille, et ille qualis iste, et in hoc consistit unum. Itaque secundum personarum proprietatem unus et unus est, at secundum naturæ communitatem unum sunt ambo[a]. »

Sic Nazianzenus Gregorius in priori illa ad Evagrium oratione causam simplicitatis confert in substantiam, quæ indivisa est et uniusmodi[b], ut et Gregorius alter Nyssenus[1].

III. Auctor item *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos*[2] qui Justinus martyr inscribitur, cum eodem modo percontatus esset cur simplex et non compositus sit Deus, cum diversæ sint in eo personæ. Nam quod una est essentia, non id obstare videtur quin compositio sit : sicut littera Π ex tribus iota sive longuriis componitur, quorum duo arrectarii, tertius jugi instar illis superponitur. Atqui una est ejusdem natura litteræ. Cum hoc, inqam, modo quæsitum esset, sic ei respondetur : aliam esse Dei rationem quam sit litteræ unius ex tribus lineolis contextæ. Hæc enim tribus constat diversis ac distinctis invicem sed coagmentatis ac consertis, quæ proinde non sunt · μονὰς id est *unitas*, sed ex partibus conflatum totum aliquod efficiunt. « At in Trinitate unitas est essentiæ sine ulla secundum hoc divisione ac discrimine[c], » cujusmodi est in littera cujus essentia tribus illis ex partibus componitur.

Cyrillus Alexandrinus in dialogo septimo, personarum trium unitatem in substantia, Deique simplicitatem in tribus illis apta et accurata verborum facilitate declarat ita scribens. « Simplex igitur et compositione carens est illa suprema omnium natura proprietatibus hypostaseon ac personarum et nominum collatata differentiis, et in sanctam Trinitatem progrediens, nihilominus naturæ unitate et idenditate in omnibus nulla re discrepante, in unam quamdam Dei et appellationem et rem concurrit, adeo ut et in unoquoque intelligatur natura tota cum eo ut illius proprietas ad eam accedat, nempe quod secundum hypostasim ei convenit. Manet enim quælibet hoc ipsum quod est ob unitatem quam habet cum reliquis, eas ipsas propria in natura continens[d]. »

Sed est apud Euthymium monachum ad unitatem et simplicitatem declarandam subsistentis in tribus personis Dei, illustris quidam ac singularis locus quem græce latineque describam, eoque libentius quod nondum græce sit edita *Panoplia* Euthymii. Ita ergo Maximus : « Unus Deus, quoniam una divinitas simplex et supersubstantialis et partitionis et divisionis expers. Eadem unitas et trinitas, tota unitas eadem et tota trinitas eadem : unitas tota secundum essentiam eadem et Trinitas tota secundum personas eadem. Pater et Filius et Spiritus sanctus ipsa divinitas est. Et in Patre et Filio et Spiritu sancto est ipsa divinitas, tota in toto Patre ipsa est, et totus in ipsa tota Pater est, et tota in toto Filio est ipsa, et totus in ipsa tota est Spiritus sanctus. Non enim ex parte divinitas est in Patre, nec Pater ex parte Deus est. Neque ex parte in Filio divinitas est, nec Filius ex parte Deus est. Neque ex parte in Spiritu sancto divinitas est, nec Spiritus sanctus ex parte Deus est. Nam neque divinitas secari potest, neque Pater aut Filius aut Spiritus sanctus Deus est imperfectus[e]. »

Hoc vero Maximus propter Arianos incul-

a Idem cap. XVIII. Διὰ τὸ, μίαν ἐν Θεῷ πατρὶ, καὶ Θεῷ μονογενεῖ τὴν οἱονεὶ μορφὴν θεωρεῖσθαι, τῷ ἀπαραλλάκτῳ τῆς θεότητος ἐνιζομένην, υἱὸς γὰρ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν υἱῷ· ἐπειδὴ καὶ οὗτος τοιοῦτος, οἷος ἐκεῖνος, καὶ ἐκεῖνος οἱός περ οὗτος· καὶ ἐν τούτῳ τὸ ἕν, ὥστε κατὰ μὲν τὴν ἰδιότητα τῶν προσώπων εἷς καὶ εἷς· κατὰ δὲ τὸ κοινὸν τῆς φύσεως, ἓν οἱ ἀμφότεροι.

b NAZIANZEN. Ὡς ἀδιαίρετός ἐστι, καὶ μονοειδὴς ἡ θεία τι, καὶ ἀμερὴς τοῦ κρείττονος οὐσία.

c JUSTIN, Εἷς τοίνυν ἐστὶν ὁ Θεὸς, ἡ τριὰς τῇ μονάδι τῆς οὐσίας, χωρὶς πάσης κατὰ τοῦτο διαιρέσεως καὶ διακρίσεως.

d CYRILL. dial. 7. p. 641. Ἁπλῆ τοιγαροῦν, καὶ ἀσύνθετος ἡ παντός ἐστιν ἐπέκεινα φύσις, ὑποστάσεων μὲν ἰδιότησι, προσώπων τε, καὶ ὀνομάτων διαφοραῖς ἐξευρυνομένη, καὶ εἰς ἁγίαν ἰοῦσα τριάδα· πλὴν ἑνότητι φυσικῇ, καὶ τῇ κατὰ πᾶν ὁ, τιοῦν ἀπαραλλάκτῳ ταὐτότητι πρὸς ἕν τι συντρέχουσα τὸ, Θεὸς, ὄνομά τε, καὶ χρῆμα· ὥστε καὶ ἐν ἑκάστῳ τὴν ὅλην νοεῖσθαι φύσιν, μετὰ τοῦ προσεῖναι καὶ τὸ ἴδιον αὐτοῦ, δῆλον δὲ ὅτι τὸ καθ' ὑπόστασιν· μένει γὰρ ἕκαστον τοῦθ' ὅπερ ἐστιν, ἑνώσει τῇ πρὸς τὰ ἕτερα φυσικῇ, κἀκεῖνα πλουτοῦν ἐν ἰδίᾳ φύσει.

e MAXIM. apud Euthym. *Panop.* par. I. tit. II. p. 46. lat. Εἷς Θεὸς ὅτι μία θεότης ἄναρχος καὶ ἁπλῆ, καὶ ὑπερούσιος, καὶ ἀμερὴς, καὶ ἀδιαίρετος· ἡ αὐτὴ μονὰς καὶ τριάς· ὅλη μονὰς ἡ αὐτὴ καὶ ὅλη τριάς ἡ αὐτή· μονὰς ὅλη κατὰ τὴν οὐσίαν ἡ αὐτή· καί τριὰς ὅλη κατὰ τὰς ὑποστάσεις ἡ αὐτή· πατήρ, καὶ υἱὸς καὶ ἅγιον πνεῦμα ἡ θεότης· καὶ ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι· ἡ θεότης ὅλη ἐν ὅλῳ τῷ πατρὶ ἡ αὐτή· καὶ ὅλος ἐν ὅλῃ τῇ αὐτῇ ὁ πατήρ· καὶ ὅλη ἐν ὅλῳ τῷ υἱῷ ἡ αὐτή· καὶ ὅλος ἐν ὅλῃ τῇ αὐτῇ ὁ υἱός· καὶ ὅλη ἐν ὅλῳ τῷ πνευματι τῷ ἁγίῳ ἡ αὐτη· καὶ ὅλον ἐν ὅλῃ τῇ αὐτῇ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὐ γὰρ ἐκ μέρους ἡ θεότης ἐν

1 Lib. *ad Ablab.* — 2 Quæst. 129. vide et quæst. 144.

cat, qui catholicos calumniose traducebant tanquam substantiam Dei secari dividique putarent, dum Patrem dicerent ex substantia sua generare Filium, quod sine profluvio quodam ac sectione divisioneque negabant posse fieri, ut propterea *consubstantialis* vocem funditus abolerent, quod alio loco diligentius exponetur. Hinc frequenter adversus illos pugnantes catholici unitatem illam substantiæ divisionis expertem commendare solebant. Ut Augustinus contra Maximinum agens [1] : « Putas, inquit, Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto unum Deum esse non posse ; times enim ne Pater solus non sit unus Deus, sed pars unius Dei qui constat ex tribus. Noli timere, nulla fit partium in deitatis unitate divisio. Unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, hoc est ipsa Trinitas. » Ac subinde : « Ergo, inquis, Deus Pater pars est Dei ? Absit. Tres enim personæ sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus. Et hi tres quia unius substantiæ sunt, unum sunt et summe unum sunt. Item postea : « In Trinitate ergo quæ Deus est, et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et simul hi tres unus Deus : nec hujus Trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quam unus est ibi, nec majus aliquid sunt omnes quam singuli, quia spiritalis hæc non corporalis est magnitudo. » Deinceps etiam hoc probat inde quod cum multa de Deo dicantur, ut esse bonum, esse sapientem, potentem et alia, nihilominus unus sit et simplex, neque partes istæ sint unius virtutis. « Si ergo in una Patris persona et plura invenis sed partes non invenis, quanto magis Pater et Filius et Spiritus sanctus et propter individuam deitatem unus Deus est, et propter uniuscujusque proprietatem tres personæ sunt, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt ? »

IV. Quocirca ut Hilarius scribit : « Una fides est Patrem in Filio et Filium in Patre per inseparabilis naturæ unitatem confiteri, non confusam sed indiscretam, neque permixtam sed indifferentem, neque cohærentem sed existentem, neque inconsummatam sed perfectam. Nativitas est enim non divisio [2]. » Quæ postrema Arianos, ut dixi, præcipue spectant qui veram in Deo generationem agnoscere nolebant, ne « ut Manichæus partem consubstantialem Patris fetum esse dicerent, [a] » ut Arius ipse in epistola profitetur. Et apud Fulgentium ejusdem sectæ quidam objicit [3] : « Ludibrium est credere, ex tribus partibus Deum unum constare, » cui ille quidem fusissime respondet. Sic Aetius apud Cyrillum objiciebat : « Si Deus indivisibilis secundum substantiam est, non est genitus ex eo Filius separatione substantiæ, sed productus ab eo pro potestate [b]. » Sed hunc refellit Cyrillus, « quia potest indivisibilis et generans simul esse [c]. » Et postea libro sequente : « Cum non composita sed simplex natura deitatis sit, nunquam in duas personas Patris et Filii cogitatione distingueretur, nisi quædam inveniretur differentia non secundum essentiam, sed secundum relationem et quasi extrinsecus (id est extra essentiam) intellecta, per quam utriusque persona in propria hypostasi constituitur, et in unitatem deitatis propter identitatem naturalem constringitur, ut nulla confusio fiat et quasi mixtio Patris et Filii [d]. »

Propria Sabelliani dogmatis labes hæc fuit : qui, ut alio loco docebimus, personas tres quasi partes quasdam divinitatis ejusdem constituit asserens « Patrem velut corpus esse, animam autem esse Filium, Spiritum vero humani similem [e], » ut refert Epiphanius. Athanasius quoque in libro *contra Sabellianos* : « Sic igitur, inquit, unus Deus est Pater, et

τῷ πατρί· ἢ ἐκ μέρους θεὸς ὁ πατήρ· οὔτε ἐκ μέρους ἐν τῷ υἱῷ ἡ θεότης· ἢ ἐκ μέρους θεὸς ὁ υἱός· οὔτε ἐκ μέρους ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἡ θεότης· ἢ ἐκ μέρους θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· οὔτε γὰρ μεριστὴ ἡ θεότης· οὔτε ἀτελὴς θεὸς ὁ πατὴρ, ἢ ὁ υἱὸς, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

a Apud Epiph. hær. 69. n. 7. Οὐδ' ὡς Μανιχαῖος, μέρος ὁμοούσιον τοῦ πατρὸς τὸ γέννημα εἰσηγήσατο.

b Aetius apud Cyrillum, lib. X. *Thesaur*. pag. 30. Εἰ ἀμέριστός ἐστι, φησι, τὴν οὐσίαν ὁ θεὸς, οὐκ οὐσίας διαστάσει τὸ γεννηθὲν ἐγεννήθη, ἀλλ' ὑπέστη κατ' ἐξουσίαν.

c Cyril. ibid. Οὐ γὰρ ἐπειδή περ ἀμέριστός ἐστι τὴν οὐσίαν ὁ θεὸς, διὰ τοῦτο, καὶ τῆς γεννητικῆς δυνάμεως ἔρημος ἔσται.

d Idem, p. 85. Οὐκοῦν ἁπλῆ τις οὖσα, καὶ ἀσύνθετος ἡ τῆς θεότητος φύσις οὐκ ἂν ἐτμήθη ποτὲ ταῖς ἐπινοίαις εἰς δυάδα πατρὸς καὶ υἱοῦ, εἰ μή τις ἐδόκει προκεῖσθαι διαφορὰ, οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν φημὶ, ἀλλ' ἔξωθεν ἐπινοουμένη, δι' ἧς τὸ ἑκατέρου πρόσωπον εἰσφέρεται, ἐν ἰδιαζούσῃ μὲν ὑποστάσει κείμενον, εἰς ἑνότητα δὲ θεότητος διὰ ταὐτότητος φυσικῆς σφιγγόμενον· ἵνα μή τις ἀνάχυσις, καὶ οἱονεὶ φυρμὸς γένηται πατρὸς καὶ υἱοῦ.

e Epiphan. hær. 62. n. 1. Καὶ εἶναι μὲν τὸ σῶμα, ὡς εἰπεῖν, τὸν πατέρα· ψυχὴν δὲ, ὡς εἰπεῖν τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα δὲ, ὡς ἀνθρώπου, οὕτω καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν τῇ θεότητι.

1 Lib. III. cap. x. — 2 Lib. VIII. — 3 In *Resp. ad object.* 10

una divinitas Patris et Filii. Ut autem est assertio tua, unus erit compositus ex duabus imperfectis partibus [a]. » Et quibusdam interpositis : « Unus igitur et unus, et dualitas non divisa est natura, quam nulla re deficiat ad perfectionem. Tota porro plenitudo divinitatis est Pater, ut Pater : tota plenitudo divinitatis est Filius, ut Filius : quandoquidem in ambobus una forma intelligitur quæ integre in utroque percipitur [b]. »

Et postea idem quod Epiphanius de Sabellianis affirmat. Cum enim ex una personarum trium operatione unam esse substantiam ostendisset : « At non, inquit, ideo tria hæc in unum complectens, ex quo, per quem, et in quo, ex Trinitate unitatem facere violenter adnitor, neque hominem ex tribus istis compositum intelligens, spiritu, anima, corpore, eodem modo de Deo sentio, quod illi audent, neque sub istiusmodi impia opione indivisibilem prodo [c]. »

V. Neque quempiam movere debet quod interdum Patres uniri invicem et conjungi personas illas dictitant, aut cohærere secum mutuo, quod esse proprium videtur componentium partium. Sic Athanasius : « Trinitas, ait, vere existens conjuncta est, interrumpente nullo [d]. » Et Gregorius Nazianzenus : « Natura tribus est una Deus. Unio vero est Pater, ex quo et ad quem ea quæ deinceps sunt referuntur, non ut confundantur ac permisceantur, sed ut cohæreant [e]. » Eulogius item in eo loco quem antea citavimus : « Proprietates, ait, in sancta Trinitate immobiles permanentes, conjungi quodammodo per indivisibilem unionem [f]. » Sed et Augustinus « dividi proprietatibus, sed natura sociari personas tres asserit. [1] » Imo vero, quod amplius est, naturam ipsam ἡνωμένην *unitam secum esse*, Gregorius Nyssenus non dubitavit dicere primum in oratione priori ad hæc verba : « *Faciamus hominem ad imaginem*, etc., ubi Deum dixisse putat *faciamus*, ut Patrem et Filium et Spiritum agnosceres : porro scriptum esse : *Fecit Deus hominem*, ut divinitatem unias, non personas quidem ut unias, sed potestate [g]. » Tum in libro *ad Ablabium* : « Naturam esse dicit unam, et unitam secum ipsam [h], » quod etsi de qualibet natura quæ species vocatur et individuis est communis affirmet, idem tamen et de divinitate sentiendum putat, de qua illius ut et Græcorum aliorum opinione dicam alio in loco.

Eodem spectat tritum illud Græcorum usu recentiorum [i], ἡνωμένη, καὶ διακεκριμένη θεολογία, *Unita et distincta theologia.* hoc est ratio illa divinitatis et proprietas secundum quas alias unita, alias personis communicata et quodammodo distincta consideratur. De quo caput integrum est Dionysii secundum libri *de Divinis nominibus*, qui propterea θεογόνον θεότητα et τὴν υἱκήν, id est, *paternam ac Dei secundam deitatem et filialem* non dubitavit dicere. Sed et Gregorius Nazianzenus « uniri scribit appellatione personas natura unitas [j]. » Et oratione XXIII « unitatem in trinitate et trinitatem adorari in unitate, cujus admirabilis et divisio sit et unitio [k] » ut ita loqui liceat. Nec non oratione

a Athan. Οὕτω τοίνυν εἷς θεὸς ὁ πατὴρ, καὶ μία θεότης πατρὸς καὶ υἱοῦ ὡς δὲ σὺ λέγεις· εἷς ἔσται σύνθετος ἐκ δύο μερῶν ἀτελῶν.

b Idem Εἷς οὖν, καὶ εἷς, καὶ ἡ δυὰς οὐ μεμέρισται τῇ φύσει, ἀνενδεὴς οὖσα τῇ τελειότητι· ὅλον μὲν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ὁ πατὴρ, ὡς πατήρ· ὅλον δὲ τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ὁ υἱὸς, ὡς υἱός· ἐπεὶ δι' ἀμφοτέρων ἓν εἶδος νοεῖται ὁλοκλήρως ἐν ἀμφοτέροις νοούμενον.

c Idem, Athan. Ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτο συμπλέξας τὸ ἐξ οὗ καὶ δἰ οὗ, καὶ ἐν ᾧ, βιάζομαι τὴν τριάδα μονάδα ποιεῖν, οὐδὲ ἄνθρωπον ἐκ τριῶν ὑπονοῶν σύνθετον, πνεύματος, ψυχῆς, σώματος· οὕτω καὶ θεὸν, καθάπερ κἀκεῖνοι τολμῶσιν, οὐδὲ ἐπὶ τῆς τοιαύτης ἀσεϐοῦς ὑπονοίας προΐεμαι τὸ ἀχώριστον.

d Athan. *cont. Sabell.* p. 515. Καὶ οὕτως ἡ τριὰς ἀληθινῶς οὖσα συνῆπται μὲν ἀδιαστάτως· τὸ γὰ διορίζον οὐδέν· σύνεστι δὲ ἀϊδίως.

e Nazian. orat. 52 p. 513. Φύσις δὲ τοῖς τρισὶ μία, θεός· ἕνωσις δὲ ὁ παρὴρ, ἐξ οὗ, καὶ πρὸς ὃν ἀνάγεται τὰ ἑξῆς· οὐχ ὡς συναλείφεσθαι, ἀλλ' ὡς ἔχεσθαι.

f Eulog. apud Phot. cod. 230. p. 455. Ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας τρίαδος αἱ ἰδιότητες ἀκίνητοι μένουσαι συνάπτονταί πως διὰ τῆς ἀδιαιρέτου ἑνώσεως.

g Nyss. tomo I. p. 141. Νῦν μέν τοι, ποιήσωμεν, ἵνα γνωρίσῃς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον· ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἵνα ἑνώσῃς τὴν θεότητα, ἑνώσῃς δὲ οὐ τὰς ὑποστάσεις, ἀλλὰ τῇ δυνάμει. for. κατὰ τὰς ὑποστ.

h Idem tom. II. pag. 449. Ἡ δὲ φύσις μία ἐστὶν αὐτὴ πρὸς ἑαυτὴν ἡνωμένη, καὶ ἀδιάτμητος ἀκριϐῶς μονάς.

i Maximus, Damascenus. et alii apud Euthym. *Panop.* part. I. tit. II.

j Greg. Naz. orat. 43. p. 244. Ἑνούσης τῆς προσηγορίας τὰ ἡνωμένα ἐκ φύσεως.

k Idem orat. 23. p. 422. Μονάδα ἐν τριάδι· και τριάδα ἐν μονάδι προσκυνουμένην, παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν, καὶ τὴν ἕνωσιν.

1 Ser. 189. *de Temp.*

XL « habe tu hoc bonum, hanc in tribus unitionem [a]. » Et paulo ante, quod idem est, « trium infinitorum infinitam cohærentiam [b], » quæ verba apud Euthymium citato loco Maximus usurpavit.

[In]dividua [d]ivinitas [co]mmuni[cat]ur tribus [p]ersonis.

VI. His igitur ac similibus loquendi modis nihil aliud intelligunt Patres, quam unam et individuam in se divinitatem communicari personis tribus; quod iisdem in locis tum isti, unde pauca illa testimonia sumpsimus, præsertim Gregorius Nyssenus, tum reliqui omnes summa perspicuitate ac concordia declarant. Quin Arianis qui naturas scindebant, crebro exprobrant plures ab iis introduci Deos. Ut Athanasius [1] qui et « principia duo ponentes et alterum ingenitum Deum, alterum genitum, duos facere Deos ait, propter substantiæ discrimen, quod nefarie constituit [c]. » Et Gregorius Nyssenus: « Si variaret diversaque esset, ut errore decepti suspicantur, in sancta Trinitate natura, consequens esset ut in multitudinem deorum numerus dilataretur, quod cum substantiæ diversitate subjecta ipsa dividerentur [d]. » Ac si putative patrem suum Filius diceret, tum demum recte deos tres appellatum iri Arnobius ait [2]. Nunc cum « nulla sit essentiæ differentia, ipsaque secundum naturam impartibilis sit divinitas, unde demonstrari poterunt partiales essentiæ? » ait Anastasius Sinaita libro primo *de Rectis dogmatibus*. Neque tamen prohibet hæc summa divinæ substantiæ sive naturæ unitas et simplicitas, quo minus ratione sive cogitatione sola, id est ἐπινοίᾳ quodammodo dividi censeatur, ut ita Græci theologi loquantur apud Euthymium [3]. « Substantiæ personas conjungere, personarum vero, substantiam dividere certis proprietatibus velut secernentibus notis [e]. » Verum recte hoc intelligendum est, ut quod Joannes Damascenus ait [4]: « indivisa sit in divisis deitas [f]. » Itaque tota et sine ulla sui divisione integra est in singulis personis, quod non creditu difficilius est quam, quod nemo etiam infidelis neget, ubique esse totum Deum, ut postea demonstrabitur. Hoc enim argumento utitur auctor [5] *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos* ut propositam hoc in capite quæstionem dissolvat: quinam simplex minimeque compositus sit Deus, qui et ipse propriam habet hypostasim et Filium habet propria hypostasi subsistentem. Nimirum quia uti totus est ubique et in singulis totus, « sic et Filius totum est illius simplex, » hoc est tota simplicissima ejus substantia est in Filio, « et totum habet Filium [g]. » Sed de hoc divinæ simplicitatis genere hactenus. Id enim plenius explicabitur, cum de Trinitate ipsa proprie dicetur.

Supra dicta in compendium rediguntur.

VII. Ut autem ex veterum auctoritate certam illius rationem compendio colligamus, Bessarionis eam verbis hoc modo concludimus. « Substantia et hypostasis in unaquaque divina persona res una sunt, atque ita una ut sola ratione invicem discernantur. Nam si reipsa invicem persona sive hypostasis et substantia differrent, essent quemadmodum personæ tres reipsa, sic et tres substantiæ. Hoc autem contrarium est fidei. Propterea cogitatione quidem est distinctio hypostasis et substantiæ, reipsa tamen est unio contra quam in nobis hominibus usuvenit. Quippe in nobis unio quidem naturæ, hoc est humanitatis, cum unaquaque persona cogitatione facit unum, reipsa sunt autem duo. Si quidem alia res est communis humanitas, alia res personæ hujus individualitas. Unde uti personæ plures sumus, ita et plures homines. Propterea non est necesse id quod ex natura est hujus alicujus, ex ejus etiam esse persona. At in sancta Trinitate, ut dictum est, secus res habet, quoniam scilicet unio quidem naturæ et personæ est reipsa, distinctio vero cogitatione [h]. »

a Greg. Naz. orat. 40. p. 669. Ἔχε σὺ τὸ ἀγαθὸν, τὴν ἐν τοῖς τρισὶν ἕνωσιν.

b Ibid. p. 668. Τριῶν ἀπείρων ἄπειρον συμφυΐαν.

c Athan. Ὁ μὲν γὰρ ἀρχὰς εἰσάγων δύο, δύο κηρύττει Θεοὺς, etc. πάλιν ὁ Θεὸν, ἀγέννητον εἶναι λέγων, ἄλλον δὲ Θεὸν γεννητὸν, δύο καὶ αὐτὸς λέγει Θεοὺς, διὰ τὴν τῆς οὐσίας διαφορὰν, τὴν βλασφήμως εἰσάγει.

d Nyss. Εἰ γὰρ παρήλλακτο κατὰ τὴν τῶν ἠπατημένων ὑπόνοιαν ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος ἡ φύσις, ἀκολούθως εἰς πλῆθος Θεῶν ὁ ἀριθμὸς ἐπλατύνετο, τῇ ἑτερότητι τῆς οὐσίας τῶν ὑποκειμένων συνδιαιρουμένων.

e Euthym. Ἡ μὲν οὐσία ἑνωτικὴ τῶν ὑποστάσεων· αἱ δὲ ὑποστάσεις διαιρετικαὶ τῆς οὐσίας ἐν τοῖς χαρακτηριστικοῖς καὶ ἀφοριστικοῖς αὐτῶν ἰδιώμασι.

f Damasc. Ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν, ἡ Θεότης.

g Justin. Ὁ Θεὸς ὥσπερ ὅλος ἐστὶ πανταχοῦ, καὶ ὅλος ἐν ἑκάστῳ καὶ ὅλος ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ τούτου πίστιν μὲν ἔχομεν· οὕτως καὶ τὸ ἁπλοῦν αὐτοῦ ὅλον υἱός ἐστι, καὶ ὅλον υἱὸν ἔχον ἐστι.

h Bessario lib. *de Process. Spirit. sancti.* Οὐσία καὶ ὑπόστασις ἐφ' ἑκάστου τῶν θείων προσώπων ἕν εἰσι πρᾶγμα, καὶ οὕτως ἓν, ὡς λόγῳ μόνῳ ἀλλήλων διακρίνεσθαι· εἰ γὰρ πράγματι ἀλλήλων πρόσωπον, ἡ ὑπόστα-

1 *Conc. Sab.* p. 511. — 2 In *Disp. cum Serap.* — 3 Par I. tit. II. p. 59. — 4 Lib. I. c. xi. — 5 Quæst. 144.

Quamobrem nulla idcirco compositio fit sive proprietatum cum substantia, sive personarum inter se, quod illæ quidem invicem non differunt, sed una res sunt: pars autem a parte altera re differre debet. Personæ porro tres etsi partim conveniunt partim discrepant, non tamen in unius compositionem veniunt. Nam quatenus differunt, in unum coalescere nequeunt quod sit ex illis tribus conflatum; ut autem conveniunt, jam non tria distinctaque sunt, sed unum reipsa. Proinde partes ibi esse nequeunt. Eadem enim numero essentia totaque est in omnibus ac singulis, quod infinita singularum perfectio postulat, ut ex Athanasio[1] et Augustino[2] imprimis efficitur, qui ideo divinam essentiam dividi negant in partes, ne persona quælibet minus perfecta sit quam omnes simul collectæ. Nam et homo unus minoris perfectionis ac pretii est quam duo tresve homines, cum perfectum altero adjuncto perfecto fiat perfectius. Deus autem quia infinite perfectus est, nulla re crescere potest: caperet autem incrementum aliquod perfecti, si vel numero diversa perfectio inesset in persona altera et quidem infinita. Ita enim infinita perfectionis ad priorem fieret accessio.

Est et illa Joannis Damasceni non omittenda ratio, ideo nullam ex tribus personis in Deo compositionem fieri, quod singulæ sunt perfectæ. Ex perfectis autem hypostasibus non potest ulla fieri compositio. Sed neque « speciem ex individuis componi dicimus, inquit, verum in individuis esse [a]. » Et quamvis contendat quispiam speciem utcumque compositam esse ex singularibus istis, non potest idem de divina natura fingi, quæ est una numero et simplicissima.

Ad Dei simplicitatem confert personarum discrimen.

VIII. Verum ut divini illius arcani stupenda majestas et admirabilitas magis eluceat, dicam id quod præter opinionem fortasse lectori accidat: tantum abesse ut unitatem, simplicitatemque Dei personarum discrimen illud interpellet, quod secundum proprietates reipsa maximum intercedit, ut hæc ipsa *realis* personarum differentia ad id potissimum conferat ut sit unus imprimis ac simplicissimus Deus. Quod nisi tanta personas inter esset distinctio, aut si unica tantum esset persona Dei in qua intelligentiæ ac voluntatis operationes inessent meræ ac simplices, quæ *substantivum* nullum, ut vocant *terminum*, hoc est hypostasim nullam producerent, non jam unus neque simplex foret sed compositus Deus. Atque illud est Græcorum theologorum sermone vulgatum mysterium *unitæ*, ut vocant *ac distinctæ theologiæ*, hoc est τῆς ἡνωμενης καὶ διακεκριμένης θεολογίας, de quo præclara est Dionysii disputatio in secundo capite libri *de Divinis nominibus*.

Hanc adeo sublimem et incredibilem simplicitatis in Deo rationem breviter ostendit Irenæus, dum adversus veteres illos hæreticos pugnat[3], qui προβολὰς nescio quas et *prolationes* affingebant Deo, velut actiones ex divina mente prodeuntes. Contra autem Irenæus: « Deus inquit, totus existens mens et totus existens logos, quod cogitat, hoc et loquitur, et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus logos, et logos mens, et omnia concludens mens ipse est Pater. Qui ergo dicit mentem Dei et prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. » Clarius istud ipsum, ac luculentius Athanasius exponit in quinto libro *contra Arianos*. Ibi enim filium Dei subsistentem esse λόγον et sapientiam eo probat argumento: « quod nisi substantiva foret sapientia et subsistens ratio et extans Filius, sed simpliciter sapientia et ratio et Filius in Patre, esset Pater ipse compositus ex sapientia et ratione sive Verbo [b]. »

σις, καὶ οὐσία διέφερον, ἦσαν ἂν ὥσπερ τρία πρόσωπα πραγματικῶς, οὕτω καὶ τρεῖς οὐσίαι· τοῦτο δ' ἐστὶν ἐναντίον τῇ πίστει· διὸ ἐπινοίᾳ μέν ἐστιν ἡ διάκρισις ὑποστάσεως, καὶ οὐσίας, πράγματι δέ γε ἡ ἕνωσις, ἐναντίως ἢ ἐφ' ἡμῶν τῶν ἀνθρώπων· ἐφ' ἡμῶν γὰρ, ἡ μὲν ἕνωσις τῆς φύσεως, ἤτοι τῆς ἀνθρωπότητος, μετὰ τοῦ ἑκάστου προσώπου, ἐπινοίᾳ ποιεῖ ἓν, πράγματι δέ εἰσι δύο· ἄλλο γὰρ πρᾶγμα ἡ κοινὴ ἀνθρωπότης· καὶ ἄλλο πρᾶγμα ἡ τοῦδε τοῦ προσώπου ἀτομότης, διὸ ὥσπερ ἐσμὲν πολλὰ πρόσωπα, οὕτω καὶ πολλοὶ ἄνθρωποι· διὸ οὐκ ἐξ ἀνάγκης τὸ ἐκ τῆς φύσεως τοῦδέ τινος, καὶ ἐκ τῆς ὑποστάσεως τοῦδέ ἐστι· ἐπὶ δὲ τῆς ἁγίας τριάδος, ὡς εἴρηται, τὸ ἀνάπαλίν ἐστιν· ὅτι δηλαδὴ ἡ μὲν ἕνωσις, φύσεώς τε, καὶ προσώπου, ἐστὶ πράγματι· ἡ δὲ διάκρισις, ἐπινοίᾳ.

a Damasc. lib. I. c. x. Φαμὲν δὲ ἕκαστον τῶν τριῶν τελείαν ἔχειν ὑπόστασιν, ἵνα μὴ ἐκ τριῶν ἀτελῶν μίαν σύνθετον φύσιν τελείαν γνωρίζωμεν· ἀλλ' ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι μίαν ἁπλῆν οὐσίαν ὑπερτελῆ· καὶ παντέλειον πᾶν γὰρ ἐξ ἀτελῶν συγκείμενον, σύνθετον πάντως ἐστί· ἐκ δὲ τελείων ὑποστάσεων ἀδύνατον σύνθεσιν γενέσθαι· ὅθεν οὐδὲ λέγομεν τὸ εἶδος ἐξ ὑποστάσεων, ἀλλ' ἐν ὑποστάσεσι.

b Athan. orat. 5. Ἐπεὶ εἰ μὴ οὐσιώδης σοφία, καὶ ἐνούσιος λόγος· καὶ ὢν υἱὸς, ἀλλ' ἁπλῶς σοφία, καὶ λόγος, καὶ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ, εἴη ἂν αὐτὸς ὁ πατὴρ σύνθετος ἐκ σοφίας, καὶ λόγου.

1 Libro *contra Sabell.* — 2 Lib. III. *contra Max.* cap. x. — 3 Lib. I. cap. xviii.

Tum paulo post: Nisi subsistens esset et hypostasis per sese ratio, Verbum et sapientia, Patrem omnia illa fore κατ' ἐπίνοιαν asserit, hoc est *solis notionibus et cogitatione* duntaxat in Deo ista fore distincta.

IX. Cyrillus etiam Alexandrinus in libro *Thesauri* XIV vitam quam habere Pater in seipso dicitur, non aliam esse quam Filium putat, et vicissim quam habet in se Filius vitam, esse Patrem. Alioqui non simplicem esse Deum sed compositum ex substantia et qualitate. Atque illud esse quod apud Joannem Christus ait: *Ego in Patre, et Pater in me*[a]. Vide et dialogum ejusdem quintum *de Trinitate*, in quo θέλησιν, id est *volendi actionem* in Patre subsistentem esse vult Filium, et idcirco non esse compositum Deum sed simplicem [b].

Joannes quoque Damascenus iisdem insistens vestigiis: « voluntas, ait, et sapientia et virtus Patris est Filius. Neque enim qualitatem inesse Deo dicere oportet, ne ipsum e substantia et qualitate dicamus esse compositum [c]. »

Quinetiam Basilius hac ipsa ratione Sabellianos retundit [d], qui λόγον id est *rationem* aut *sermonem* existimabant esse non subsistentem sed ἐνδιάθετον, id est *interiorem*, cujusmodi in angelis aut animis nostris inest interior et fluxus ille loquendi intelligendique actus. Ita sapientiam minime exstantem per sese, sed velut qualitatem et habitum in Deo esse credebant. Hujusmodi theologorum veterum argumentatio prorsus, ut jam dixi, singularis et prima specie incredibilis potest minus attentis videri. Sed revera firmissima est et ex ipsa divinitatis conditione ac certissimis theologiæ ducta principiis. Etenim si quid reipsa distinctum, et non sola notione cogitationeque nostra divinam ad substantiam adjungitur, eo ipso simplex esse desinit, fitque quiddam compositum e substantia et qualitate ista vel proprietate. At vero personæ tres eadem et simplicissima constant substantia, nec nisi extandi modo differunt. Qui quidem modus re est idem cum substantia, sola non amplius ab ea *cogitatione* et ἐπινοίᾳ distinctus. Itaque « Pater, exempli gratia, hoc ipsum quod est, manens Pater et Deus, substantiæ identitate et unitate naturæ cum eo quod procedit a se Verbo inexplicabili quodam modo copulatur [e], » ut ait Cyrillus. Quo fit ut sine ulla compositione simplex sit Deus, quia neque proprietates personarum cum substantia, neque personæ tres secum invicem compositam rem ullam faciunt. De quo plura in libris *de Trinitate* disputabimus. Hinc Augustinus unam personam sine altera videri non posse dicit. « Patris, inquit, et Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura et substantia, visio separari non potest[1]. » Quod de visione clara, et ut in se est, divinitatis intelligi debet.

CAPUT V.

De compositione illa quæ est ex genere et differentia, quam in Deo non esse ex antiquorum opinione Patrum ac theologica ratione conficitur.

I. Sequitur compositionis genus illud quod omnium minimum videtur, neque cum simplicitate multorum opinione pugnat, quo res quæpiam genere ac differentia velut partibus, constare dicitur. Hoc igitur enodandum nobis est, sitne generis ac differentiæ compositio quæpiam in Deo, an hoc quoque simplicitas illius excludat. Damascenus in septimo capite primæ institutionis dialecticæ contineri sub genere Deum asserit. Nam summum genus substantiæ in eam quæ caret corpore Deus compositus non est ex genere et differentia.

a Cyril. Πῶς οὖν ἁπλοῦς, καὶ σύνθετος κατ' οὐσίαν ὁ θεός; ἀλλὰ τοῦτο ἄτοπον· ἡ ζωὴ ἄρα, ἣν ἔχει ὁ πατὴρ ἐν ἑαυτῷ, οὐχ ἑτέρα τίς ἐστι παρὰ τὸν υἱόν· καὶ πάλιν ἡ ἐν υἱῷ ζωὴ, οὐχ ἑτέρα τίς ἐστι παρὰ τὸν πατέρα· καὶ ἀληθεύει λέγων· ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί.

b Idem dial. 5. Συμφυᾶ, καὶ συνάναρχον οἱονεὶ θέλησιν ἔχει τὸν ἴδιον υἱὸν, οὐ συντεθειμένος κατ' ἐκείνους, ἔχων δὲ οὕτως, ὡς ἂν εἶναι νοοῖτο τυχὸν τὰ ἐν ἁπλῇ φύσει καὶ σοφῇ.

c Joan. Damasc. libro primo, capite xviii. *de Fide.* Βούλησις, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὁ υἱός ἐστι τοῦ πατρός· οὐ χρὴ γὰρ λέγειν ἐπὶ θεοῦ ποιότητα, ἵνα μὴ σύνθετον εἴπωμεν αὐτὸν ἐξ οὐσίας, καὶ ποιότητος.

d Basil. hom. 27. *cont. Sabell.* Καὶ γὰρ ὅταν ὁμολογῶσι λόγον, τῷ ἐνδιαθέτῳ αὐτὸν παρεικάζουσι· καὶ σοφίαν λέγοντες, ὁμοίαν εἶναι λέγουσι τῇ ἕξει τῇ ἐν ψυχῇ τῶν πεπαιδευμένων συνισταμένῃ.

e Cyr. lib. XIV. *Thesaur.* Ἀλλ' ὑπάρχων μὲν τοῦθ' ὅπερ ἐστὶν ἀεὶ ὁ πατὴρ, καὶ θεὸς, τῇ δὲ τῆς οὐσίας ταὐτότητι, καὶ τῇ τῆς φύσεως ἑνότητι πρὸς τὸν ἐξ αὐτοῦ προελθόντα λόγον ἀποῤῥήτως συνδούμενος.

1 Tract. in *Psal.* lxxxv.

et corpoream ait dividi, tum prioris esse species Deum, angelum, animam, dæmonem [a]. Rursus divinitatem asserit esse speciem quæ divinas personas tanquam individua complectitur [b], sicut angelorum natura species est cui hypostases subjectæ sunt Michael, Gabriel, ac reliqui angeli. Quod posterius theologorum veterum plerique approbant qui naturæ et hypostasis discrimen in eo constituunt, quod natura sit universalis species, hypostasis sit individuum naturæ particeps. Verum alii genus ac differentiam negant esse in Deo ne sit compositus. « Genus certe in Deo ullum nominare, alienum a recta esse ratione » Cyrillus Alexandrinus in dialogo secundo *de Trinitate* censet, « quandoquidem ulla res omnino cum ipso est aut ante ipsum [c].» Sed neque differentia inesse potest aliqua Deo, ut idem in XXXI *Thesauri* asserit [1]. « Videmus, ait, id omne quod differentiam recipit, esse compositum non simplex. Quare cum simplex minimeque compositus Deus omnium confessione sit, non potest ingenitum illius esse differentia [d]. » Cui et Maximus assentitur, qui simili de causa differentiam omnem removet a Dei essentia. « In Deo, inquit, et qui est, et bonus et Deus et opifex et essentia præstantior et infinitas et immortalis et quæ his similia sunt, non dicuntur a nobis esse differentiæ essentiam constituentes, ne ipsum ex his compositum asseramus. Sed appellationes quorumdam indices quæ circa ipsum sunt, nihil autem eorum quæ secundum substantiam ac naturam sunt illius, exprimentes [e]. »

Satisfit recentiorum exceptioni.

II. Hæc antiquorum Patrum ratio ab nuperis quibusdam philosophis ac theologis elevari solet, quod minime id consequens sit, esse reipsa compositum aut minus simplicem Deum, si is genere constare ac differentia putetur, propterea quod nullam ambo ista compositionem afferunt quæ reipsa sit, sed ratione solum et cogitatione nostra. Itaque genere ac differentia constare Deum existimant perinde ac res cæteras. De quorum opinione pluribus postea. Nunc quod ad veteres illos attinet, merito eos genere hoc usos argumentationis esse dicimus, si contra quos disputarint, recordati erimus. Nam adversus nefarios Anomœos res illis erat qui perfecte comprehendere se Deum jactabant, et ut est in sese tam accurate nosse quam se ipse cognoscit. Cum igitur hoc quod est ingenitum esse, cæterasque proprietates Dei cujusmodi in se sunt, percipi a se dicerent; ea cum revera diversa in eorum essent notione (neque enim idem significat ingenitus quod omnipotens, quod providus et cætera quæ in Deum competunt) consequens erat, etiam in Deo esse diversa, adeoque componi ex illis Deum, neque naturam ejus esse simplicem.

At illi qui genus ac differentiam distingui volunt in Deo, non eadem in causa sunt atque isti. Non enim reipsa differentiam inesse ullam sentiunt partium istarum quas metaphysicas vocant ac citra cogitationem nostram, sed sola ἐπινοίᾳ et *ratione* discerni. Quare minus adversus eos qui sic opinantur, procedit argumentatio illa quæ ex Dei simplicitate petitur cum ita disputant [2] : in iis quæ genere ac differentia constant, id unde constituens speciem differentia sumitur, ad illud unde capitur genus, sic habere ut actus sive forma ad potentiam. Velut animal ab eo quod sensu præditum est petitur, rationale ab eo quod intelligit ac ratiocinatur : hoc autem quasi forma est et actus, illud instar potentiæ. At in Deo nihil est potentiæ, sed totum actus occupavit.

Infirma quorumdam profertur argumentatio.

III. Sed neque satis habet virium quod opponunt alii : tametsi genus ac differentia cum Dei simplicitate non pugnat, abhorrere ab illius infinitate, quia ambarum illarum partium singulæ certam ac definitam rem ac velut essentiæ particulam continent. Aut enim diversæ sunt earum notiones, quas appellant

a DAMASC. Περιέχει γὰρ ἡ μὲν ἀσώματος οὐσία θεὸν, ἄγγελον, ψυχὴν, δαίμονα.

b Ib. Ἔστι μὲν οὖν ὑπόστασις μὲν καὶ τὸ ἄτομον, καὶ πρόσωπον, οἷον ὁ πατὴρ, ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· περιεκτικὸν δὲ αὐτῶν εἶδος, ἡ ὑπερούσιος, καὶ ἀκατάληπτος θεότης.

c CYR. Εἰ καὶ ὅτι μάλιστα λογισμοῦ τοῦ καθήκοντος ἀμοιρήσειεν ἂν καὶ μάλα εἰκότως, τὸ, γένος ἐθέλειν ὀνομάζειν ἐπὶ θεῷ, εἴπερ ἐστὶ κατ᾽ αὐτὸν, ἢ γοῦν πρὸ αὐτοῦ, τῶν ὄντων οὐδέν.

d Idem 31. *Thesaur.* p. 262. Ὁρῶμέν τοινυν ὅτι πᾶν, ὅπερ ἂν δέχοιτο τὴν διαφορὰν, σύνθετον ἔσται, καὶ οὐχ ἁπλοῦν· ἐπειδὴ δὲ ἁπλοῦς τε ὢν, καὶ ἀσύνθετος παρὰ παντὸς ἂν δήπουθεν ἀνθρώπου θεὸς ὁμολογεθήσεται, οὐκ ἂν εἴη διαφορὰ τὸ ἀγέννητον.

e MAXIM. Ἐπὶ τοῦ θεοῦ, τὸ ὢν, καὶ τὸ ἀγαθὸς, καὶ τὸ θεὸς, καὶ τὸ δημιουργὸς καὶ τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ ἀθάνατος, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐ λέγομεν οὐσιώδεις διαφοράς· ἵνα μὴ σύνθετον αὐτὸν ἐκ τούτων δογματίσωμεν· ἀλλὰ προσηγορίας τινῶν μὲν ἐμφαντικὰς τῶν θεωρουμένων περὶ αὐτὸν, οὐδενὸς δὲ τῶν κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, καὶ φύσι δηλωτικάς.

1 Apud Euth. tit. III. pag. 76. — 2 Ita S. Thom. 1. part. q. 3. art. 5.

conceptus, aut eædem utriusque. Dici hoc posterius non potest. Quæ enim generis ac differentiæ secerni ratio posset, si non est illorum distincta notio? Si est igitur notionum in iis discrimen, vel ea quæ propria generis est, per se infinitum aliquid et a nullo existens significat, vel ea quæ differentiæ tribuitur, vel ambæ simul. Si vel alterutra vel ambæ, utravis totum illud includent quod in altera inest aut in duabus. Itaque jam una et simplex ambarum erit notio. Hoc autem generis ac differentiæ proprietas non patitur, quia mutuo illa se debent excludere. Sin est ut separatim neutra pars infinitatem habeat, ex non infinitis componi infinita Dei essentia non potest.

Verum huic ab illis qui contra sentiunt, occurri sic potest quemadmodum supra cum de ἐπινοίαις et *notionibus* in Deo variis ac distinctis ageretur, exposuimus. Esse enim diversas quasdam ejusdem essentiæ notiones, quatenus vel secundum communem rationem objicitur intelligentiæ nostræ, vel secundum peculiarem aliquam et propriam quæ eam dividit ab cæteris, quibuscum generalis illius societate jungitur. Nihil autem hoc adversari simplicitati Dei, cum totum illud discrimen ex imbecillitate nostræ cogitationis existat, non revera sit in Deo. Porro, ut ibidem ex Patrum auctoritate demonstratum est, ita divinarum proprietatum tam inter se quam ab essentia *notiones* et ἐπίνοιαι distinctæ sunt, quatenus intelliguntur a nobis, ut una non sit altera. Itaque componi ratione invicem possunt, qua excludunt se mutuo. Qui autem sic argumento utuntur illo, quomodo dixi, in ea quam illic refellimus opinione sunt, notionem unius proprietatis in alterius notione contineri: quo sublato, vis est ejus nulla, quod contra propositum est.

IV. Quocirca nobis qui generis ac differentiæ compositionem in Deo nullam esse volumus, aliter hoc probandum est: quod sic primum instituimus. Si enim ex genere ac differentia composita sit natura Dei, vel reipsa et ut est in sese compositio hæc illi convenit, vel ut a nobis illa cognoscitur, quatenus una et simplici notitia totam ejus amplitudinem exhaurire non possumus, sed eam minutatim intelligendo concidimus. Horum prius absurdum est et iis argumentis convincitur, quibus divinæ naturæ simplicitas adstruitur, atque eo præsertim quod proxime est objectum. Alterum itaque superest ut a nobis fieri, cum intelligimus, compositionis quiddam simile dicatur. Atqui ne hoc quidem modo dici potest essentia Dei componi ex genere ac differentia. Id enim solum quod a nobis intelligitur et percipitur, componi sic potest. Cujus autem nulla informatur a nobis notitia nec ulla ratione cognoscitur; in eo certe nihil animadvertimus quod generis habeat aut differentiæ speciem, ac proinde compositum sit necne divinare non possumus. Ejusmodi porro est Dei natura et essentia, quam nobis esse funditus ignotam antiqui omnes prædicant, uti toto sexto capite libri I declaravimus. Quidquid enim utcumque de Deo percipimus aut dicimus, non hoc ipsam Dei esse naturam ac substantiam, sed naturæ a nobis adjunctum aliquid cujus notitiam ex usu ipso effectisque capimus, aut ex illius verbo scripturisque divinis. Ut cum bonitatem, justitiam, omnipotentiam, sapientiam, cæterasque velut qualitates Dei cognoscimus, vel personarum proprietates quæ divinæ substantiæ magis intimæ sunt propiusque conjunctæ, non idcirco ipsam in sese Dei naturam et essentiam novimus, sed ejus adjuncta quædam: de illa vero nihil aliud intelligimus, aut inde docemur aliud, nisi esse illam et existere. Ecquis igitur generis ac differentiæ notionibus locus esse potest, ubi nulla penitus est notio? Sed præter ea quæ ex antiquis capite illo sexto congessimus, unum hic alterumve locum adducemus, quo fiat res tota gravissimorum Patrum auctoritate certior.

Deum non constare ex genere et differentia probatur.

V. Cyrillus in libro XXXI *Thesaurorum* ubi generis ac differentiæ compositionem a Deo removet, ut initio capitis hujus ostendimus, de ingeniti proprietate dicit ea quæ ad omnes tam absolutas quam relativas proprietates pertinere voluit. « Ingeniti vox, inquit, non est substantia, quum non quid natura sit Deus significet, sed modum quo est ostendat, qui modus ut in reliquis usuvenit proprius ejus esse videtur. » Item: « Ingenitum de substantia Dei inseparabiliter prædicatur, sicut de omni corpore color. Ex hujusmodi autem inseparabilibus propriis substantia proprie cognosci non potest, sed ex iis quæ ipsæ sunt. Nec enim cygnum aut nivem quid essentialiter sunt, cognoscere quis poterit ex eo quod sciat res albas esse. Albedo enim substantia non est, sed aliquid quod substantiæ accidit. Quare cum insitum et inseparabile aliquid a substantia Dei ingeniti nomine significetur, substantia tamen Dei non est ex vestra opinione. Unde est consequens, quamvis homines sciant Deum ingenitum esse,

Id ex Patrum sententiis approbatur.

nescire tamen quid Deus secundum naturam sit, sed solum cognoscere non esse factum [a]. » Præclare hoc quidem Cyrillus, ex quo illud primum efficitur quod probare volumus, nullam Dei proprietatem ipsam ejus *essentiam* et τὸ τί ἦν εἶναι significare, sed aliquid quod ad illam velut adhærescit. Quod de communibus itidem Maximus apud Euthymium sic docet [1] : « Quædam, inquit, divinæ naturæ congruentia significant, non autem indicant ipsam naturam, quod quidem differentiarum essentiam constituentium proprium est [b]. »

Tum vero novi cujusdam argumenti ansam ille ipse locus Cyrilli suppeditat. Quam enim ingeniti proprietatem negat significare quid sit Deus aut ejus οὐσίαν et *substantiam*, sed modum tantummodo et quasi affectionem illius; eam dupliciter usurpari indicat Joannes Damascenus, primum ea ratione qua toti Trinitati convenit et idem est quod *non factum* neque *creatum,* deinde quatenus non natum neque ab alio procedens significat, quo modo Patri soli congruit. « Ingenitum enim, ait, unico n Græce scriptum (hoc autem est ἀγένητον) non factum neque creatum significat. Gemino autem non scriptum, (quod est ἀγέννητον) *non natum* nec ex alio esse significat [c]. » Hac utraque significatione Cyrillus neque genus neque differentiam appellari patitur illam ingeniti notionem : Modum enim duntaxat esse naturæ, quod tanquam accidens minime separabile eidem adjungimus. Idem porro Cyrillus in dialogo secundo *de Trinitate,* in illa ipsa *ingeniti* proprietate demonstrat, nullum se genus Deo et creatis commune rebus admittere. Etenim *ingenitum* tanquam genus ex æquo ac similiter de utrisque dici non patitur, et id si quispiam asserat, extremæ impietatis et in Deum contumeliæ crimen esse dicit. Quod autem de ingenito scribit, idipsum et de quibusvis aliis proprietatibus intelligi vult, quarum omnium non dissimilis est ratio.

VI. Neque vero Cyrilli hæc unius est sententia, sed omnium fere veterum qui Anomœorum sive Eunomianorum temeritatem et amentiam scriptis suis confutarunt : Dei se essentiam cujusmodi est in se comprehendere gloriantium eo ipso, quod illum ingenitum esse scirent, quo vocabulo totum hoc quidquid est Deus contineri putabant. Hos, inquam, catholici illi scriptores eodem quo usus est Cyrillus argumento refellebant, ut Basilius, Gregorius uterque, Nazianzenus et Nyssenus, Damascenus, Augustinus, aliique bene multi, quos in propria quam de eo vocabulo instituemus disputatione referemus. Hoc autem constituto, ita demum ratiocinabimur. Cum omnis natura quæ ex genere ac differentia componitur, sic objici cogitationi nostræ intelligique a nobis debeat, ut in ea gradus quidam delineentur essentiæ quasi distincti, quorum alius communis sit cum cæteris formis quas idem genus complectitur, alius proprius quo ab illis quæ sub eadem sunt communitate distat, quoniam Dei ut a nobis percipi potest omnium in eo confessione sita est essentia ut sit *ens a seipso,* hoc est a nullo creatum, necesse est hac in definitione utrumque illud inveniri. Erit igitur τὸ ὄν sive *ens* genus, *a seipso* vero *esse* differentia, quæ late diffusam per omnia quæ sunt generis amplitudinem ad unam velut speciem Dei restringat. At neutrum omnino dici vere potest. Nec de priori, hoc est genere, contendam hoc loco, nec ea dicam quæ in scholis philosophorum vehementius agitantur : τὸ ὄν vagum et con- *Ens.*
fusum aliquid esse, neque distinctam et idoneam generi constituendo notitiam parere. Demus illud, vel omittamus potius an sit proprie genus quærere. De altera parte, hoc est differentia sit omnis nostra disputatio. Quis igitur non videt ex illorum quos attigi consensione veterum id effici, ut οὐσιώδης ea diffe- *Substantialis.*
rentia esse nequeat a se esse non ab alio? Id

a Cyr. 31. *Thes.* Οὐκ ἂν εἴη τὸ ἀγέννητον οὐσία, οὐ τί ἐστι σημαῖνον κατὰ φύσιν Θεὸς, ἀλλ' ὅτι τοιῶσδέ ἐστι, καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων, ἴδιον αὐτοῦ τυγχάνει. Mox : Τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγέννητον ὡς ἀχώριστον κατηγορηθήσεται; ὥσπερ ἂν εἰ καὶ κατὰ παντὸς σώματος χρῶμα· ἀλλ' οὐκ ἐκ τῶν ἀχωρίστως προσόντων αἱ οὐσίαι νοηθήσονται, ἀλλ' ἐξ ὧν εἰσιν αὗται· ὥσπερ οὐκ ἄν τις εἰδείη τὸν κύκνον, ἤτοι τὴν χιόνα τί κατὰ φύσιν εἰσὶν, εἰ μάθοι μόνον ὅτι λευκὰ ταῦτά ἐστιν· οὐ γὰρ ἡ λευκότης εἰς οὐσίαν νοηθήσεται, ἀλλά τι τῶν τῇ οὐσίᾳ προσόντων; ἡ τοίνυν ἀγέννητος φωνὴ, ἕν τι τῶν προσόντων ἀχωρίστως τῇ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ σημαίνουσα, οὐκ ἂν εἴη καθ' ἡμᾶς οὐσία· εἰ δὲ τοῦτο, ὁ εἰδὼς ὅτι περ ἀγέννητός ἐστιν ὁ Θεὸς, οὔπω τί ἐστι κατὰ φύσιν ἐπίσταται· ἀλλ' ὅτι τὸ μὴ γενέσθαι προσέστι τῇ οὐσίᾳ αὐτοῦ.

b Maxim. Τινὰ μὲν γὰρ πρέποντα τῇ Θείᾳ φύσει σημαίνουσιν, οὐκ αὐτὴν τὴν φύσιν μηνύουσι, ὅπερ ἴδιον τῶν οὐσιωδῶν καὶ συστατικῶν διαφορῶν.

c Joan. Damasc. I. *de Fide*, c. ix. Τὸ ἀγένητον δι' ἑνὸς ν γραφόμενον, τὸ ἄκτιστον, ἤτοι τὸ μὴν γενόμενον σημαίνει· τὸ δὲ ἀγέννητον διὰ τῶν δύο ν ν δηλοῖ τὸ μὴ γεννηθέν.

1 Tit. III

enim est ἀγένητον unico ν scriptum, neque fingi potest notio ulla istis subjecta voculis *a se esse*, quam quæ ἀγενήτου nomine repræsentatur. Hoc vero neque differentiam esse *Substantialem.* οὐσιώδη, neque omnino essentiam attingere Dei christiana omnis clamat antiquitas. Sed modum ait esse duntaxat quo Deus est, et hoc unum exprimere a nullo ut sit factus atque ex omni æternitate sit Deus. Quod si modus est *Essentiæ. Modus subsistentiæ. Essentia.* οὐσίας, vel ut Græce illi dicunt τρόπος τῆς ὑπάρξεως, non erit οὐσία neque par ejus aut differentia.

VII. Quod argumentum eo firmitatem habet majorem quod adversus Arianorum sectam universam adhiberi solet a Patribus, ut *Essentia.* Filium a Patre non οὐσίᾳ differre demonstrent, sed ejus modificatione ac τρόπῳ *Modo subsistentiæ.* perinde τῆς οὐσίας. Jam si illud concedimus, *esse a nullo* differentiam esse divinitatis *Substantialem.* οὐσιώδη et quasi partem essentiæ, hoc est componentem essentiam, uti hanc differentia cum genere componere dicitur; quid obstare potest quo minus esse ab alio tanquam genitum atque natum, οὐσιώδης sit Filii differentia, *Substantialis. Essentia.* ut hic οὐσίᾳ etiam sit a Patre distinctus? Relegantur ea diligenter quæ Cyrillus præsertim toto illo capite ac libro *Thesauri* undecimo de ea re disseruit, ubi interroganti adversario, ingeniti nomen essentiam an accidens significet, neque essentiam esse respondet neque accidens ex sese, sed accidentis modo a nobis intelligi. « Frustra igitur, ait deinde, contenditis, nullo modo aliquid accidere Deo posse, cum multa in essentia ejus quasi accidentia esse conspiciantur. » Ergo ingenitum esse, quod esse dixit non factum et ex æterno esse, *Substantialis.* non tanquam οὐσιώδης differentia, sed velut accidens a nobis intelligitur, ut Cyrillo nec minus reliquis quos dixi placet.

Sic idem Cyrillus in tertio *Thesaurorum*[1] probat Deum proprie non esse *Substantia.* οὐσίαν, quia non est sub genere aut specie. « Nam si omne, inquit, illud quod est sub genere ac specie exceptis accidentibus est substantia proprie dicta, Deus autem sub nullo est illorum, substantia non proprie dicitur. Jam cum infectum de illo proprie dicatur, non enim factus est, substantia vero minime dicatur; quinam erit idem proprium cum eo quod abusione nominis usurpatur[a]? » Igitur neque sub genere est aliquo Deus aut specie, nec differentia ejus est οὐσιώδης, *esse ab se* sive τὸ ἀγένητον, quia etsi *Substantialis.* proprie de illo dicitur, non est tamen subsistens aliquid aut θετικὸν sive *affirmans* sed negans, ut et alibi sæpe Cyrillus idem argumentatur, præsertim in *epistola Paschali* XII sub finem, ubi Deum ostendit neque sub ullo esse genere quia res omnes excedit, neque differentiam capere velut est τὸ ἀγέννητον. Nam substan- *Ingenitum.* tiæ plane et consentanee declarantur per ea quæ sunt, non per ea quæ non sunt. Nemo enim dixerit differentiam οὐσιώδη ignis esse *Substantialem.* *non frigidum*. Atqui τὸ ἀγέννητον vel ἀγένητον *Ingenitum vel non factum.* mera est negatio[b]. Gregorius item Nazianzenus oratione XXXIV tum eamdem rationem insistit, quod non sit satis ad rei naturam explicandam afferre quid illa non sit nisi etiam quid sit addatur, tum illud quod ad rem nostram maxime attinet, quod istæ omnes quæ dicuntur differentiæ Dei ac proprietates, non sunt οὐσιώδεις *Substantiales.* neque componentes essentiam, sed ipsi jam constitutæ subsistentique accidunt[c]. Damascenus[2] quoque τὸ ἀγέννητον, cum sit negatio sola, *Ingenitum.* differentiam appellari Dei non patitur. Vide Joannem Cyparissiotum decade X, capite VIII, ubi Maximi quasdam de ea re sententias refert.

Evagrius monachus apud Socratem, Deum non posse definitione comprehendi probat ex eo « quod simplex sit, quæ autem definiuntur, composita sint. » Ac rursus ex eodem Evagrio ista refert : « Omnis propositio vel genus continet quod prædicatur, vel speciem, vel differentiam, vel proprium, vel accidens, vel quod ex iis componitur. Atqui nihil in sancta Trinitate ejusmodi potest accipi[d]. »

Theodorus Abucara opusculo secundo.

a CYRIL. Εἰ πᾶν τὸ ὑπὸ γένος, καὶ εἶδος, χωρὶς τῶν συμβεβηκότων, τοῦτο οὐσία κυρίως, ὑπ' οὐδὲν δὲ τούτων ἐστὶ Θεὸς, οὐκ ἄρα οὐσία κυρίως λέγεται Θεός· εἰ δὲ τὸ ἀγέννητον κυρίως λέγεται ἐπ' αὐτοῦ· οὐ γὰρ γέγονεν· οὐκέτι δὲ καὶ ἡ οὐσία, πῶς ταὐτὸν ἂν εἴη τῷ καταχρηστικῷ τὸ κύριον;

b Id. or. *Pasch.* 12. p. 176. Εἶτα τί πρὸς τοῦτό φασιν, ὑπὸ ποῖον ἔσται γένος ὁ ὑπὲρ πάντων Θεός; ἢ ποίαν παρ' ἐκεῖνον ἐπιδέξαιτο τὴν διαφοράν; ἄλλως τε σαφῶς τε, καὶ ἀκολούθως αἱ οὐσίαι κατασημαίνονται οὐκ ἀφ' ὧν οὐκ εἰσὶν, ἀλλ' ἐξ ὧν εἶναι πιστεύονται.

c NAZIAN. orat. 34. p. 542. Ἀλλ' εἰ ἀσώματον, οὐδὲ τοῦτο τῆς οὐσίας παραστατικόν τε, καὶ περιεκτικὸν, ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἀγέννητον· καὶ τὸ ἄναρχον, καὶ τὸ ἀναλλοίωτον, καὶ τὸ ἄφθαρτον, καὶ ὅσα περὶ Θεοῦ, ἢ περὶ Θεὸν εἶναι λέγεται· τί γὰρ ὄντι αὐτῷ κατὰ τὴν φύσιν, καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑπάρχει, τὸ μὴ ἀρχὴν ἔχειν, etc. λείπεται προσφιλοσοφεῖν τε καὶ προσεξετάζειν.

d SOCRAT. lib. III. cap. VII. Ὁρίζεσθαι δὲ ὡς ἁπλοῦν τὸ θεῖον πάντη ἀπαγορεύει· τῶν γὰρ συνθέτων εἶναι τοὺς

1 Pag. 18. — 2 Lib. I. cap. IV.

« Deus, inquit, sub genere non collocatur[a]. » Et ante omnes illos, Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon* Deum « neque genus esse dicit, neque differentiam, neque speciem, neque individuum, neque numerum. Sed neque accidens ullum, neque id cui accidat quippiam[b].» Plotinus quoque summum Deum negat esse compositum ex οὐσίᾳ id est *substantia* universe sumpta tanquam genere et differentia. Ideo non esse proprie οὐσίαν, id est αὐτοουσίαν[c] id quod ad eum modum compositum est, ut est etiam anima nostra.

Substantiam, id est ipsissimam substantiam

Entis.

VIII. Ad hæc ratio illa τοῦ ὄντος universa, quod esse genus Dei fingitur, maxime communis et generalis sit oportet, ut ei sit opposita quod est nihil. Nam si eam paululum summittere et expressiore aliqua notione definire ac determinare volueris, convenire jam Deo desinet. Atqui nulla generi subjecta species præsertim infima cujusmodi debet esse Deus, in sola generis communitate consistit, sed per interjectorum generum seriem communis ad illam supremi generis ratio descendit. At in Deo nihil tale potest fieri. Neque enim definito aliquo genere entis includitur, sed totum ipsum quam late patet simplicissima sua essentia comprehendit et exhaurit. Ita nullum de eo certum prædicari potest entis genus. Quod egregie Boetius in libro *de Trinitate et unitate Dei* verbis istis explicat, postquam prædicamenta decem percensuit, in quæ τὸ ὂν distribuitur. « At hæc, inquit, cum quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt, aliquid vero omnino non potest prædicari. Nam substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam. Item qualitas et cætera quæ evenire queunt, quorum ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur, sed eam quæ sit ultra substantiam. Cum vero justus, qualitatem quidem sed non accidentem, sed eam quæ sit substantia, sed ultra substantiam. Neque enim aliud est quod est, aliud est quod justus est; sed idem est esse Deo, quod justus. Item cum dicitur magnus, vel maximus, quantitatem quidem significare videmur, sed eam quæ sit ipsa substantia talis, qualem esse diximus ultra substantiam. Idem est enim esse Deo, quo (quod) magnus. » Cui consentiens auctor libri *de Vita solitaria ad fratres de Monte Dei* (qui Bernardo inscriptus, Guillelmi a sancto Theodorico esse creditur) sub finem, « Ipsa est, inquit de Deo loquens, substantia non subjecta prædicamentis vocum sed rerum omnium subsistens causale principium. » Hinc evidens est sub nullo entis genere contineri Deum, quoniam infinita quadam excellentia naturæ suæ omnia genera continet non *divise, ut in cæteris* (ait idem Boetius) *sed conjuncte atque copulate*, hoc est non sic ut singulorum generum proprietates rationesque in Deo sint distinctæ, sed ut una simplexque illius essentia, vel ut Dionysii vocabulo utar, ὀντότης quæ in scholis *entitas* vocatur, magis esse quam cohibere omnia illa dicatur.

Ens.

IX. Quod autem ἐπινοίᾳ et *ratione* discerni plura possunt in Deo, ut quiddam intelligatur in eo substantiæ simile, quiddam qualitatis et ut universe loquar accidentis, quod Cyrillus paulo ante citatus a nobis asserebat, non ad id valere potest ut sub genere substantiæ nostro intelligendi modo collocetur. Alioqui cæteris quoque generibus et categoriis vindicari eodem jure poterit, et sub quantitate, qualitate ac reliquis habere locum, quandoquidem ἐπίνοιαι nostræ non minus eorum illi notiones quam substantiæ sine ullo detrimento simplicitatis affingunt. Quemadmodum vero sub qualitatis, exempli gratia, genere idcirco non contineri dicimus Deum, etsi quiddam in eo qualitatis simile cogitemus, quia quod est quale esse, velut justum, id est οὐσιῶδες et substantia, non accidens in Deo; ita neque substantiæ generi subjici debet, quamvis intelligamus in eodem aliquid substantiæ simile, quia hoc ipsum quod est esse substantiam in Deo, non est tale cujusmodi est ratio generis illius, sed singulare prorsus ac diversum ab reliquis. Animadvertit hoc Rusticus diaconus in Dialogo *contra Acephalos*[1], et idcirco nullum genus habere divinitatem ac Deum existimat : quo etiam ar-

Substantiale.

ὅρους φησίν· ὁ δὲ αὐτὸς καὶ ταῦτα κατὰ λέξιν διδάσκει· πᾶσα πρότασις, φησὶν, ἢ γένος ἔχει κατηγορούμενον, ἢ εἶδος, ἢ διαφορὰν, ἢ ἴδιον, ἢ συμβεβηκὸς, ἢ τὸ ἐκ τούτων συγκείμενον· οὐδὲν δὲ ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος τῶν εἰρημένων ἐστὶ λαβεῖν.

a Theod. Abuc. p. 396. Θεὸς δὲ οὐκ εἰς γένος ὑποταχθήσεται.

b Clem. Alex. p. 428. Πῶς γὰρ ἂν εἴη ῥητὸν ὃ μήτε γένος ἐστὶ, μήτε διαφορὰ, μήτε εἶδος, μήτε ἄτομον, μήτε ἀριθμός· ἀλλὰ μήτε συμβεβηκός τι, μηδὲ ᾧ συμβέβηκέ τι.

c Plotin. *enn.* 6. lib. VIII. cap. xii. Καὶ ἐσμέν τις οὐσία· τοῦτο δέ ἐστιν οἷον σύνθετόν τι ἐκ διαφορᾶς, καὶ οὐσίας οὐκοῦν κυρίως οὐσία οὐδὲ αὐτοουσία.

1 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 804.

gumento naturarum in Christo diversitatem approbat. « Nam si verum est, ait, quoniam quorum diversa sunt genera, non eadem sunt, et quæ sub generibus distinguuntur; similiterque et ea quæ iis subsunt sive ad aliena invicem genera, sive ad ea quæ intra ea sunt, comparata : quorum hoc quidem genus habet, illud vero non habet; multo magis diversa monstrantur. Si igitur deitas nec genus habet, nec eam speciem quæ supponitur generi : habere vero hæc invenitur humanitas; multo magis in una natura coadunari non posse demonstrantur. » Contra quæ sic objicienti hæretico, « unum summumque genus habere divinitatem atque humanitatem. Substantiam enim generalissimum genus esse divinitatis et humanitatis quæ est per semetipsum subsistens. » Rusticus ita respondet : « Per se subsistens cum de Deo dicitur, significat quod nullius alterius ad id ut sit indiget, cum vero de creaturis, nequaquam : a creatore enim esse sumpserunt etc. Igitur etsi unum nomen est substantiæ, non tamen una res. Non est igitur commune genus substantia deitatis et carnis, sed nomen commune tantummodo : hoc vero genus non est. »

X. Anselmus[1] vero generis ac differentiæ notiones procul a Deo removet ea ratione quam paulo superius attigi, quia « quemadmodum unum est quidquid essentialiter de summa substantia dicitur, ita ipsa uno modo, una consideratione est quidquid est essentialiter. Cum enim aliquis homo dicatur corpus et rationalis et homo, non uno modo vel consideratione hæc tria dicitur. Secundum aliud enim est corpus et secundum aliud rationale et singulum horum non est totum id quod est homo. Illa vero summa essentia nullo modo sic est aliquid, ut illud idem secundum alium modum aut secundum aliam considerationem non sit; quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum quod ipsa est. »

Negat ecce Sanctus Anselmus in Dei essentia considerationi ac modo ulli duplici locum esse, ut uno sit hoc, altero sit illud. Quod qui sentit, genus ac differentiam prorsus excludit, quæ non aliter intelligi queunt quam si eadem in re notio altera consideratioque sit communior, altera propria. Genus ergo nullum est in Deo, nulla differentia. Itaque nec in categoria constitui potest, ut auctor libri *de Cognitione veræ vitæ* pluribus exponit[2], necnon Demetrius Cydonius in libro de *Processione Spiritus sancti* capite quarto. Quod autem Joannes Damascenus, ut initio capitis hujus meminimus, tribuere illa Deo videtur; magis Porphyrii ac philosophorum gentilium explicavit sententiam[3], qui ex utroque conflatum esse Deum arbitrati sunt, quam catholicam ac suam. Sic etiam minus illud accurate scriptum est ab eo, divinam ipsam naturam speciem esse, cujus individua sunt personæ tres. Quod multis modis refellere licet. Sed longum est, et hoc commodius alio in loco disputabitur.

CAPUT VI.

De compositionis genere illo quod ex substantia et qualitatibus constat. Ostenditur non esse in Deo, sed ipsum suam esse bonitatem et quidquid in modum qualitatis de illo dicitur, idque variis antiquorum testimoniis et argumentis adstruitur. Magister sententiarum a Lamberti Danæi reprehensione vindicatus.

I. Superiora duo capita Dei simplicitatem ab eo compositionis genere vindicarunt quod est περὶ τὰ οὐσιώδη, hoc est *in iis quæ ad substantiam spectant*, quatenus οὐσιῶδες id dicitur quod non ad solam essentiam attinet sed etiam ad hypostasim, et ei quod est *accidens* opponitur. Nam et proprietatum quas *personales* vocant ab essentia discrimen sustulimus, et nullum genus in Deo, differentiam esse nullam ostendimus. Nunc de qualitatibus quas Græci ποιότητας nominant agendum nobis est, quæ proprie in scholis *attributa* censentur, ut eas tametsi divinæ accidentes substantiæ et ei superfusas cogitatione fingimus nostra, nihil esse præter substantiam ipsam, neque compositionis aliquid inducere monstremus ex theologorum veterum decretis. Etenim quod scite Tertullianus *contra Marcionitas* docet[4]. « Accidens est quod adscribitur, accidentia autem antecedit ipsius rei ostensio cui accidunt. » Itaque rem ipsam sive rei substantiam, cui tanquam formæ ac perfectiones in rebus creatis adscribuntur qualitates illæ, nihil ab iis ipsis in Deo differre, docebunt nos antiquorum sententiæ.

Deus non est compositus ex substantia et qualitatibus

Quos inter Irenæus libro secundo adversus hæreses capite XVI : « Multum, inquit, distat omnium Pater ab his quæ proveniunt hominibus, affectionibus et passionibus, et simplex et non compositum et similimembrius et totus

1 *Monol.* cap. XVI. — 2 Cap. III. in appen. oper. Aug. — 3 Porphyr. c. III. *de Differ.* — 4 Lib. V. *contra Marcion.* cap. XI.

ipse sibimetipsi similis et æqualis est totus, cum sit sensus et totus spiritus et totus sensu habilitas et totus Ennœa et totus ratio et totus auditus et totus oculus et totus lumen et totus fons omnium bonorum. » Itaque Valentinianos inde redarguit qui Deum emittere a se dicebant motiones et affectus aliquos et ἐννοίας. Atqui « Deus, inquit, qui totus sensus est, a seipso nequaquam separabitur, neque quasi ab alio aliud emittitur. » Quod et capite XLVII latius prosequitur, et inter alia : « Qui ergo dicit mentem Dei, et prolationem propriam menti donat, inquit, compositum eum pronuntiat tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. »

II. Pulchre illud etiam a Clemente Alexandrino[1], de Dei bonitate proditum est, « non illum dici bonum esse eo quod virtutem habeat, quemadmodum justitia bonum esse dicitur non eo quod virtutem habet. Est enim virtus ipsamet, sed quod ipsa secundum se ac propter se est bona[a]. »

Sic Athanasius[2], Dei *sapientiam* et λόγον probat οὐσιώδη, et ἐνούσιον esse, hoc est « *substantialem* et ejusdem essentiæ cum Patre, quoniam alioqui Pater esset compositus ex sapientia et Verbo. » Tum subinde : « Sed non ista, ut qualitas aliqua in Deo. Apage, indecorum enim istud est. Sic enim reperietur Deus ex substantia et qualitate compositus. Siquidem omnis qualitas in substantia est, ac proinde isto modo divina unitas cum sit indivisibilis, composita videbitur, eo quod sectilis sit in substantiam et accidens[b]. »

Gregorius item Nyssenus in primo *contra Eunomium* : « Cæterum, ait, simplicem esse divinam illam ac beatam et excellentem omnibus naturam, neque brutos admodum et hebeti ingenio præditos negaturos arbitror. Quomodo enim aliquis naturam illam alienam ab omni forma et figura necnon quantitate quæ in magnitudine cernitur, multiformem et compositam esse suspicari potest[c]? »

Tum ex Eunomii dogmate sequi non esse simplicem Deum, ita confirmat : « Quis enim nescit simplicitatem secundum propriam suam rationem in sanctissima Trinitate magis ac minus non recipere? In qua enim qualitatum admistio et concursio ulla cogitari non potest, sed partium et compositionis expertem vim animus noster intelligit, quomodo et qua ratione differentiam ullam secundum id quod magis ac minus est, animadvertere quispiam potest? Necesse est enim prorsus ut qui discrimen in illis statuit, qualitates quasdam in subjectum incidentes cogitet[d]. »

Idem Gregorius homilia septima in *Cantica canticorum* pulcherrime ita scribit : « Dominus autem natura sua id ipsum quod est, veritatis et sapientiæ et virtutis est substantia[e]. » Quem locum refert Joannes Cyparissiotus decade X, capite VI.

Titus item Bostrensis libro primo contra Manichæos[3], « non decere, ait, in Deo nominare qualitatem, » cujus rationem mox indicat: « cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse acciderit. »

III. Cyrillus quoque Hierosolymitanus, *Catechesi* sexta Deum esse dicit « multorum nominum et omnipotentem essentia. Non enim ideo quod vocatur bonus et justus et omnipotens et sabaoth, varius est et diversus; sed

a Clem. Alex. Τὸ δὲ ἀγαθὸν εἶναι οὐ τῷ τὴν ἀρετὴν ἔχειν, ἀγαθὸν εἶναι λέγεται· καθὸ καὶ ἡ δικαιοσύνη ἀγαθὸν εἶναι λέγεται, οὐ τῷ ἀρετὴν ἔχειν· ἀρετὴ γάρ ἐστιν αὕτη· ἀλλὰ τῷ αὐτὴν καθ᾽ αὑτὴν, καὶ δι᾽ αὑτὴν ἀγαθὴν εἶναι.

b Athan. orat. 5. Ἐπεὶ εἰ μὴ οὐσιώδης σοφία, καὶ ἐνούσιος λόγος, καὶ ὢν υἱὸς, ἀλλ᾽ ἁπλῶς σοφία, καὶ λόγος, καὶ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ, εἴη ἂν αὐτὸς ὁ πατὴρ σύνθετος ἐκ σοφίας καὶ λόγου. Mox : Ἀλλὰ μὴ ὡς ποιότης τις ταῦτα ἐν τῷ θεῷ· ἄπαγε, ἀπρεπὲς τοῦτο· εὑρεθήσεται γὰρ σύνθετος ὁ θεὸς ἐξ οὐσίας, καὶ ποιότητος· πᾶσα γὰρ ποιότης ἐν οὐσίᾳ ἐστί· κατὰ τοῦτο δὲ ἡ θεία μονὰς ἀδιαίρετος οὖσα σύνθετος φανήσεται, τεμνομένη εἰς οὐσίαν, καὶ συμβεβηκός.

c Gregor. Nyss. lib. I. *con. Eunom.* Ἀλλὰ τὸ μὲν ἁπλῆν εἶναι τὴν θείαν τε, καὶ μακαρίαν, καὶ πάντα νοῦν ὑπεραίρουσαν φύσιν, οὐδὲ τοὺς ἄγαν κτηνώδεις, καὶ ταπεινοὺς τὴν διάνοιαν ἀντιλέγειν οἰόμεθα· τὴν γὰρ ἀειδῆ τε, καὶ ἀσχημάτιστον, πηλικότητός τε πάσης, καὶ τῆς ἐν τῷ μεγέθει ποσότητος κεχωρισμένην, πῶς ἄν τις πολυειδῆ, καὶ σύνθετον ὑπολάβοι.

d Ibid. Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν, ὅτι κατὰ τον ἴδιον λόγον, ἡ ἁπλότης ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον οὐκ ἐπιδέχεται; περὶ ἣν γὰρ οὐκ ἔστι μίξιν τινὰ ποιοτήτων, καὶ συνδρομὴν ἐννοῆσαι, ἀλλ᾽ ἀμερῆ τινα, καὶ ἀσύνθετον δύναμιν καταλαμβάνει ἡ ἔννοια· πῶς ἄν τις, καὶ κατὰ τίνα λόγον τὴν παρὰ τὸ πλεῖον, καὶ τὸ ἔλαττον διαφορὰν καταμάθοι; ἀνάγκη γὰρ πᾶσα τὸν παρηλλάχθαι ταῦτα διοριζόμενον, ποιοτήτων τινῶν ἐμπτώσεις περὶ τὸ ὑποκείμενον ἐννοεῖν.

e Greg. Nyss. tom. I. hom. 7. *in Cant.* p. 570. Ὁ δὲ Κύριος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, αὐτὸ ὅπερ ἐστὶν, ἀληθείας τε, καὶ σοφίας, καὶ δυνάμεως οὐσία ἐστί.

1 Lib. I. *Pædog.* cap. VIII. — 2 Athan. p. 303 et 305. — 3 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 881.

unus cum sit idemque, innumeras divinitatis efficientias profundit[a]. » Ac subinde : « Non partim videns partim videndi facultate carens, verum totus cum sit oculus et totus auditus totusque mens, non sicut nos ex parte intelligens ex parte non cognoscens : nam blasphema et divina substantia indigna hæc est oratio[b], etc. »

Quibus in verbis eruditam et apud theologos tam veteres quam recentiores usitatam divinæ simplicitatis rationem indicat, quod nisi ipsa per se divina natura eadem esset intelligendi vis necnon bonitas, sapientia, sed ad creatarum rerum modum adventitia aliqua et ad substantiam addita facultate prædita, ob quam non sapientia et bonitas, sed sapiens ac bonus diceretur Deus, ex parte esset intelligens, sapiens et bonus, et ex parte non esset. Siquidem substantia sua et ex sese nihil esset horum, sed quatenus facultate illa vel qualitate esset affectus, quæ *ratione* saltem et ἐπινοίᾳ secerni posset ab illius substantia, hoc est ab ipsa deitate, quæ adeo per sese nec sapiens foret nec bona nec intelligens. Hac ratione multum Patres utuntur cum de Filii et Spiritus sancti productione ac statu contra hæreticos disputant, uti mox docebitur; nunc de ipsa secundum se simplicitate Deitatis reliqua pertexamus.

Gregorius Nazianzenus in epistola ad Evagrium *de Deitate*, quæ oratio quinta et quadragesima numeratur, divinam naturam ait esse « simplex aliquid et divisionis expers, quod tamen pro eo atque saluti animarum nostrarum expedit, et partiri appellationibus videtur et divisionis necessitati subjici[c]. » Vere quidem istud in oratione XLV supposititius Gregorius. Ut enim Gregorii illius Nazianzeni germanam esse non putem cogit tum styli dissimilitudo, tum pedestris illius ac plebeius sermo, minimeque Nazianzeni elegantiam et granditatem redolens.

IV. At idem Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV præclare hoc docet quod in scholis theologi explicant, quemadmodum eæ quæ tribuuntur Deo ex creatis rebus desumptæ, proprietates ac virtutes non in ipso itidem insunt ut in illis, quod *formaliter* vocant; sed ex omnibus sinceræ quædam exprimendæ sunt notiones, adeo ut tam omnia quam singula intelligantur in Deo sine ejus ulla compositione, quod iidem scholastici *eminenter inesse* nuncupant. Sic enim Deus *appellatur*, estque *lux, charitas, sapientia, justitia, mens, ratio* seu *Verbum*. Quæ in illo tamen non sunt qualitates aliquæ vel affectiones, ut in nobis. Sed « ab his abscedendum esse ut numen ipsum sejunctum, quoad ejus fieri potest, intueamur, particularem quamdam speciem e simulacris colligentes. Quinam ergo fieri potest ut ex istis conflетur et non sit ista? aut quomodo hæc omnia et unumquodque perfecte est, id quod in natura compositionis est expers nec ulla ratione adumbrari potest[d]? »

Cyrillus Alexandrinus qualitatem in Deo nullam, velut scientiam, inesse probat inde [1] « quod nulla sit duplicitas et compositio in natura divina, quæ simplicitatem tanquam proprium bonum, summamque perfectionem obtinet.[e] » Ubi causam eamdem indicat quam ex altero Cyrillo paulo ante notavimus, cur nulla in Deo ex qualitate sit compositio, nempe quod omni ex parte absoluta et perfecta sit illius natura, cujusmodi non esset si accessio rei alicujus ac perfectionis ad illam fieret.

Tum in libro nono ejusdem operis *in Joannem* : « Nequaquam, inquit, censebimus supremam illam omnium substantiam bonorum esse capacem, sed nec adventitium ei dicemus esse bonorum omnium genus, quemadmodum

a Cyril. Hierosol. Τὸ πολυώνυμον, καὶ παντοδύναμον, καὶ μονοειδῆ τὴν ὑπόστασιν· οὐ γὰρ ὅτι καλεῖται ἀγαθὸς, καὶ δίκαιος, καὶ παντοκράτωρ, καὶ σαβαὼθ, παρὰ τοῦτο διάφορός ἐστι, καὶ ἀλλοῖος, ἀλλ' εἷς ὢν, καὶ αὐτὸς, μυρίας ἐκπέμπει τὰς τῆς θεότητος ἐνεργείας.

b Ibid. Οὐκ ἐν μέρει βλέπων, ἐν μέρει δὲ τοῦ βλέπειν ἀπεστερημένος· ἀλλ' ὅλος ὢν ὀφθαλμὸς, καὶ ὅλος ἀκοὴ, καὶ ὅλος νοῦς, οὐχ ὡς ἡμεῖς ἐν μέρει νοῶν, καὶ ἐν μέρει μὴ γινώσκων, βλάσφημος γὰρ ὁ λόγος, καὶ θείας ὑποστάσεως ἀνάξιος.

c Nazianz. Εἰδέναι δὲ ἀκόλουθον ἡμᾶς τοὺς τῆς ἀληθείας ἐπιγνώμονας, ὡς ἀδιαιρετός ἐστι, καὶ μονοειδὴς ἡ θεία τε, καὶ ἀμερὴς τοῦ κρείττονος οὐσία, πρὸς δὲ τὸ χρήσιμον τῆς ἡμετέρας τῶν ψυχῶν σωτηρίας και μερίζεσθαι ταῖς ὀνομασίαις δοκεῖ, καὶ διαιρέσεως ἀνάγκῃ ὑφίστασθαι.

d Nazian. orat. 34. Ἢ δεῖ τούτων ἀποστάντας ἡμᾶς, αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ τὸ θεῖον ἰδεῖν, ὡς οἷόν τε, μερικὴν τινα φαντασίαν ἐκ τῶν εἰκασμάτων συλλεγομένους; τίς οὖν ἡ μηχανὴ ἐκ τούτων τε, καὶ μὴ ταῦτα ; ἢ πῶς ταῦτα πάντα καὶ τελείως ἕκαστον, τὸ ἐν τῇ φύσει ἀσύνθετον, καὶ ἀνείκαστον.

e Cyril Μαθήσεως γὰρ τῆς ἀπό τινος ὅλως, καὶ διπλόης τῆς κατὰ σύνθεσιν ἡ θεία φύσις οὐκ ἀνέχεται, καὶ τὸ ἁπλοῦν ὡς ἴδιον ἀγαθὸν, καὶ τὸ παντέλειον ἔχουσα.

1 Lib. II. in *Joan.*

in nobis, sed neque ut diversum quippiam in alio censeri velut in homine scientiam dixeris. Nec enim homo per se est scientia, sed scientiæ potius capax. Sed ipsummet bonum universum quodcumque esse credatur, hoc proprie ipsam esse dicimus divinam et ineffabilem naturam [a]. »

V. Maximus martyr apud Euthymium in *Panoplia*: « Homines, inquit, determinate boni homines dicuntur et sapientes homines et justi homines. Deus autem absolute ista dicitur, bonus et sapiens et justus, necnon bonitas et sapientia et justitia tanquam substantia virtutis omnis. Quisquis ergo virtutis est particeps, Dei particeps est hoc est substantiæ, ut diximus, et fontis virtutis [b]. »

Et in titulo secundo ejusdem partis: « Sola simplex et uniformis et nullius indigens et immutabilis est creatrix universorum substantia. At omnis creatura composita est e substantia et accidentibus, ac semper egens providentiæ divinæ ut quæ a mutatione non est libera. Quare neque accidens ullum, neque qualitatem inesse Deo oportet dicere. Sunt enim ista compositorum et mutabilium propria. Omnia vero quæ habet Deus, habet natura et non adventitia [c]. »

Idem in dialogo primo *de Trinitate*, quærenti anomœo an non similiter atque in nobis Dei hypostasis ab ejus immortalitate differat, respondet minime differre: « Ipsa, inquit, hypostasis etiam immortalis est, et non solum immortalitas, sed etiam incorruptibilitas et justitia et sanctificatio et redemptio et dominatio et virtus, neque per compositionem Deus ista dicitur, sed secundum diversas considerationes. [d] »

Rursus in centuria quarta *de Charitate* capitulo octavo Maximus idem: « Cave, inquit, ne habitus et habilitates requiras in simplici infinitaque substantia sanctæ Trinitatis, ne eam creaturarum instar compositam facias, quod absurdum sit ac nefarium in Deo cogitare. [e] »

Et in capitulo decimo ejusdem centuriæ illa ipsa verba continentur quæ ex titulo secundo *Panopliæ* Euthymii paulo ante posita sunt, nisi quod perparva illic varietas est. Ut inter alia, quod sic in capitulo isto legitur: « Sola simplex et uniformis et qualitatis expers et pacata ac dissidio carens est infinita substantia, [f] etc. » Bene ἄποιον id est qualitatem nullam habentem, ideoque pugnæ et dissensionis expertem vocat divinitatem, quia nihil adventitium habet, unde nec mutationem accipit ullam ex qua pugnæ et conflictiones oriuntur.

VI. Sic Joannes Damascenus qualitatem in Deo dici prohibet, « ne compositum dicamus Deum e substantia et qualitate. [g] » Quod sic intelligendum est ut reipsa proprieque loquendo nulla sit qualitas in Deo, quamvis pro captu intelligentiæ nostræ quædam in illo qualitatum more cogitemus. Itaque frustra Magistrum *Sententiarum* [1] Lambertus Danæus insectatur quod distinctionem decimam nonam inscripserit *De qualitate trium personarum*. Ubi etsi non vana suspicio est *de æqualitate* potius legendum, ut verba sequen- Magis- Sente tiaru vindica

a Idem. Οἰησόμεθα γὰρ οὐδαμῶς δεκτικὴν εἶναι τῶν ἀγαθῶν τὴν ἀνωτάτω πασῶν οὐσίαν· ἀλλ᾽ οὐδὲ ἐπίκτητον ἐροῦμεν ἐν αὐτῇ τὴν ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν ἰδίαν, καθάπερ ἐν ἡμῖν· ἀλλ᾽ οὐδὲ ὥς τι τυχὸν ἕτερον ἐν ἑτέρῳ νοούμενον· ὥσπερ οὖν ἐν ἀνθρώπῳ φαίη τις ἂν τήν τινος ἐπιστήμην· οὐ γὰρ ἐπιστήμη καθ᾽ ἑαυτὸν ὁ ἄνθρωπος, ἐπιστήμης δὲ μᾶλλον δεκτικός· ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ πᾶν ἀγαθὸς, ὅπερ ἂν εἶναι πιστεύηται, τοῦτο κυρίως αὐτὴν εἶναί φαμεν τὴν θείαν, καὶ ἄῤῥητον φύσιν.

b Maximus martyr in *Panoplia,* tit. III partis I. lat. edit. Οἱ μὲν ἄνθρωποι προσδιωρισμένως ἀγαθοὶ ἄνθρωποι λέγονται, καὶ σοφοὶ ἄνθρωποι, καὶ δίκαιοι ἄνθρωποι· ὁ δὲ θεὸς ἀπολύτως ταῦτα, ἀγαθὸς, καὶ σοφὸς, καὶ δίκαιος, καὶ ἀγαθότης, καὶ σοφία, καὶ δικαιοσύνη, ὡς οὐσία πάσης ἀρετῆς· ὁ τοίνυν ἀρετῆς μετέχων μετέχει θεοῦ, τῆς οὐσίας, ὡς εἴρηται, καὶ πηγῆς τῆς ἀρετῆς.

c Id. tit. II. Μόνη ἁπλῆ, καὶ μονοειδὴς, καὶ ἀνενδεὴς, καὶ ἄτρεπτος ἡ δημιουργικὴ τῶν ὅλων οὐσία τῆς ἁγίας τριάδος· πᾶσα δὲ κτίσις σύνθετός ἐστιν ἐξ οὐσίας, καὶ συμβεβηκότων, καὶ ἐπιδεὴς ἀεὶ τῆς θείας προνοίας ὡς οὐκ ἐλευθέρα τροπῆς· χρὴ οὖν μήτε συμβεβηκὸς ἐπὶ θεοῦ λέγειν, μήτε ποιότητα· τῶν συνθέτων γὰρ ταῦτα, καὶ τρεπτῶν· πάντα δὲ ὅσα ἔχει ὁ θεὸς, φύσει ἔχει, καὶ οὐκ ἐπίκτητα.

d Id. dial. I. Αὐτὴ ἡ ὑπόστασις καὶ ἀθανασία ἐστί· καὶ οὐ μόνον ἀθανασία, ἀλλὰ καὶ ἀφθαρσία, καὶ δικαιοσύνη, καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις, καὶ κυριότης, καὶ δύναμις, καὶ οὐκ ἔστι κατὰ σύνθεσιν ταῦτα ὁ θεός· ἀλλὰ κατὰ διαφόρους ἐπινοίας λεγόμενος.

e Id. cent. *4. de Charit.* c. viii. Μὴ ἕξεις, καὶ ἐπιτηδειότητας ζητήσῃς ἐπὶ τῆς ἁπλῆς, καὶ ἀπείρου οὐσίας τῆς ἁγίας τριάδος, ἵνα μὴ σύνθετον αὐτὴν ποιήσῃς, ὥσπερ τὰ κτίσματα· ὅπερ ἄτοπον, καί ἀθέμιτον ἐπὶ θεοῦ ἐννοῆσαι.

f Orig. c. x. ejusdem centur. Μόνη ἁπλῆ, καὶ μονοειδὴς, καὶ ἄποιος, καὶ εἰρηναῖος, καὶ ἀστασίαστος ἡ ἄπειρος οὐσία.

g Damasc. lib. I. c. xviii. Οὐ χρὴ γὰρ λέγειν ἐπὶ θεοῦ ποιότητα, ἵνα μὴ σύνθετον εἴπωμεν αὐτὸν ἐξ οὐσίας, καὶ ποιότητος.

1 In 1. sent. dist. 19.

tia persuadent; non erat tamen quod invidiam magistro ob idipsum faceret, cum utique nonnulla de Deo qualitatum et accidentium more intelligi dicique veteres theologi consentiant. Et Augustinus « Patrem et Filium et Spiritum sanctum non dividi in divinitate dixit, sed in personarum qualitate [1], » quamvis secundum rem ab substantia ipsa non discrepent, quia nullius participatione Deus ista possidet. Atque eodem modo Cyrillus in undecimo *Thesauri* etsi nihil accidere sentiat substantiæ Dei, quædam tamen velut accidentia discerni in illo docet, ut inter alia *ingenitum*, quam personæ proprietatem alioqui catholici theologi constituunt. Sed hæc in Deo ipso nulla distinctio est, ut et Dionysius egregie confirmat præsertim in libro *de Divinis nominibus*, ubi explicat quomodo Deus tam pulcher quam pulchritudo ipsa dicatur, dilectio item ac dilectus, quæ in creatis distincta rebus, in summa omnium causa minime divisa sunt. Idque in sequentibus capitibus fusius de reliquis quæ attributa vocantur exponit, quæ in modum ποιοτήτων declarari a nobis solent, ac tam οὐσιώδεις id est *substantiales*, quam accidentes proprietates complectitur, ut sunt substantia, vita, bonitas, esse ac cætera quæ Deus
Ens. est ipse. Nihil enim aliud esse τὸ ὄν quam
sentiam. bonum, et utrumque nihil aliud quam οὐσίαν, bonitatem, vitam, sapientiam [c].

VII. Græcis auctoribus paucos e Latinis adjungam qui qualitates in Deo nullas agnoscunt, sed quidquid in creatis rebus ab substantia diversum est, ipsam in Deo ejus esse substantiam asserunt.

Ambrosius in primo libro *de Fide* capite septimo: « Deum ait naturæ simplicis esse non conjunctæ atque compositæ, cui nihil accedat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua. » Et libro quinto capite tertio de virtutum perfectione loquens quam hominibus præscripsit his verbis Christus, *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [2]*:* Ille, inquit, secundum plenitudinem majestatis suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accidentis profectum.

Augustinus item: « In rebus, inquit, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magna domus et magnus mons et magnus animus; in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est, et prorsus non hoc est magnitudo quod est magna domus. Sed illa est vera magnitudo qua non solum magna est domus quæ magna est et qua magnus est mons quisquis magnus est, sed etiam qua magnum est quidquid aliud magnum dicitur, ut aliud sit ipsa magnitudo, aliud ea quæ ab illa magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est multoque excellentius quam ea quæ participatione ejus magna sunt. Deus autem quia non ea magnitudine magnus est quæ non est quod est ipse, ut quasi particeps sit ejus Deus cum magnus est, alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. Deo autem non est aliquid majus. Ea igitur magnitudine magnus est qua est ipse eadem magnitudo. Et ideo sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres magnitudines. Hoc est enim Deo esse quod magnum esse. Eadem causa nec magnos tres dicimus sed unum magnum, quia non participatione magnitudinis Deus magnus est sed se ipso magno magnus est, quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate et de æternitate et de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omnino prædicamentis quæ de Deo possunt pronuntiari [3]. » Quibus Augustini verbis etiam illa ratio continetur qua Dei simplicitatem antea probavimus, quod nisi Deus sua ipse magnitudo vel bonitas esset, per aliquid aliud quod non est ipse adeoque diversum ab se magnus esset ac bonus. Id autem cujus participatione magnus et bonus esset, majus eo esset ac melius. Quare, ut in sequenti capite repetit, « hæc Trinitas unus Deus sicut dicitur magnus, bonus, æternus, omnipotens, idem ipse sic sua dici potest deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia, quia ipse sibi est unitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia. » Idipsum et in sequentibus libris inculcat [4], et ex eo alii deinceps mutuati sunt, ut auctor sermonis illius

c Dion. *de Div. nom.* c. iv. Τὸ δὲ καλὸν, καὶ κάλλος οὐ διαιρετέον ἐπὶ τῆς ἐν ἑνὶ τὰ ὅλα συνειληφυίας αἰτίας· ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὴν τῶν ὄντων ἁπάντων εἰς μετοχὰς, καὶ μετέχοντα διαιροῦντες, καλὸν μὲν εἶναι λέγομεν τὸ κάλλους μετέχον, κάλλος δὲ τὴν μετοχὴν τοῦ καλλοποιοῦ τῶν ὅλων καλῶν αἰτίας.

1 Aug. serm. 189. *de Temp.* — 2 *Matth.* 5. 48. — 3 Aug. lib. V. *de Trin.* cap. x. vide et epist. 51. — 4 Maximo in lib. VI. cap. vi. et lib. VII. cap. i. et ii. et lib. VIII. cap. i.

de Trinitate qui in appendice tomi decimi operum Augustini tricesimus est [1], Alcuinus item [2], Fulgentius [3], Bernardus [4], Richardus, Anselmus. Vide eumdem Augustinum sermone XL *de Tempore* capite VI et sequentibus.

VIII. Itaque ex Augustini doctrina verbisque regula ista confecta est, quam cum omnes hi, tum imprimis Fulgentius expressit: « In his omnibus quæ ad se, hoc est absolute, non relative unaquæque dicitur in Trinitate persona, ut cum dicimus Patrem aut Filium aut Spiritum Deum vivum, magnum, sapientem, fortem, bonum, sic esse Deum ut ipse sit divinitas ipsa, sic esse magnum ut ipse sit magnitudo sua, sic esse sapientem ut ipse sit sapientia sua, sic esse fortem ut ipse sit virtus sua, sic etiam bonum ut ipse sit bonitas sua [5].» Unde « hoc esse catholicæ veritatis asserit, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem et quælibet alia in his quæ ad se proprie dicuntur nominamus, non istis diversis nominibus quædam diversa, sicut in homine qui subjacet qualitati, sed unum illud quod est essentia vel natura certissime noverimus. Inde est enim quod ipse beatus Augustinus dicit in libro quinto *de Trinitate* [6]: intelligendum sine qualitate bonum, sine quantite magnum; quia incommutabilitas simplicis atque omnipotentis essentiæ nullis potest accidentibus subjacere, ubi eadem est divinitas quæ æternitas et majestas, eadem magnitudo quæ virtus et bonitas. » Imo vero abstractis, ut vocant, nominibus uti satius esse quam concretis Bernardo placet [7]. « Si quid, inquit, de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque dicetur Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam Deus est magnus, bonus, justus, aut sapiens. » Ac Boetium ibidem testem citat, qui hanc Augustini regulam in libro *de Trinitate* latius exponit.

Auctor libri *de Cognitione veræ vitæ*, capite septimo : « Omne, inquit, quod est, aut vivit aut vita caret : omne autem quod vivit, aut per se vivit aut per aliud. Sed Deus per seipsum et in seipso vivit et aliis omnibus vivere tribuit. Igitur vera est vita et vitalis vita. Seipsam quoque et totam facturam suam sapit et intelligit, cui nihil aliud est sapere quam vivere et esse. Igitur sapientia est. Seipsum enim et omnem creaturam diligit, quia justitia est, et increatam justitiam non aliunde accipit. Igitur justitia et dilectio existit. Initio et fine caret, præteritum et futurum non habet. Igitur æternitas est [8]. »

Boetius in libro *de Trinitate et unitate Dei* diserte eruditeque illud exponit : « Neque enim aliud est, inquit, quod est, aliud est quod justus est ; sed idem est esse Deo quod justus. Item cum dicitur magnus vel maximus, quantitatem quidem significare videmur, sed eam quæ sit ipsa substantia talis qualem esse diximus ultra substantiam. Idem est enim esse Deo, quod magnus. De forma enim ejus superius demonstratum est quoniam is sit forma et unum vere nec ultra pluralitas [9], etc. » Rursus justus, quod est qualitas, ita dicitur, quasi ipse hoc sit de quo prædicatur; id est si dicamus homo justus vel Deus justus, ipsum hominem vel Deum justum esse proponimus. Sed differunt quod homo alter, alter est justus ; Deus vero est idem ipsum quod justum. Magnus etiam homo vel Deus dicitur, atque ita qua ipse sit homo magnus vel Deus magnus. Sed homo tantum magnus, Deus vero ipsum magnum existit.

IX. Hanc eamdem divinæ naturæ simplicitatem quæ adventitias omnes qualitates respuit, persuadent illa etiam argumenta veterum quibus Filium vel Spiritum sanctum probant esse Deum, quod ista compositione careant ac sint ipsa quæ in creatis rebus accidens est, qualitas vel affectio. Sic Origenes in sexto libro *contra Celsum* de Deo, ac præsertim de Filio disputans : « sed neque substantiæ particeps est, inquit, Deus. Participatur enim potius quam participat, et participatur ab iis qui habent spiritum Dei. Ac Salvator noster non ille quidem justitiæ particeps est, sed cum sit justitia participatur a justis. [a] »

Idem Præfatione in *Evangelium Joannis* docet Jesum esse bona omnia : « Vita, inquit, bonum est unum, at Jesus est vita. Bonum alterum lux est mundi, lux vera, lux homi-

a Orig. 6. *cont. Cels.* Ἀλλ᾽ οὐδ᾽ οὐσίας μετέχει ὁ θεός· μετέχεται γὰρ μᾶλλον, ἢ μετέχει· καὶ μετέχεται ὑπὸ τῶν ἐχόντων πνεῦμα θεοῦ· καὶ ὁ σωτὴρ ἡμῶν οὐ μετέχει μὲν δικαιοσύνης· δικαιοσύνη δὲ ὢν μετέχεται ἀπὸ τῶν δικαίων.

1 Lib. I. *de Trinit.* cap. VIII. — 2 Lib. *Resp. ad inquis. Ferrandi.* — 3 Serm. 80. *in Cant.* — 4 Lib. II. *de Trinit.* cop. I. — 5 *Inquis.* 2. *ad Ferrand.* — 6 Cap. I. — 7 Serm. 80. *in Cant.* — 8 Apud Aug. tom. IX. pag. 403. — 9 Boet. *de Trinit.*

num. At hæc omnia dicitur esse filius Dei. » Quod deinceps de sapientia et potentia commonstrat, quæ Christus esse dicitur. Et paulo post : « Quis autem ambigat, an id quod per se justitia est, quodque per se sanctificatio, atque per se perfecta redemptio est, sit bonum ? »

Quo eodem in loco Verbum Dei summum esse Deum indidem probat : « Verum enimvero, inquit, haud silentio prætereundum est illud Verbum, quod cum Patre universorum est Deus. Namque et hoc bonum nullo alio bono est inferius. »

Dionysius Alexandrinus simili argumentatione contra Paulum Samosatenum utitur ut Christum verum esse Deum demonstret, quod non ut alii sancti ex accidenti qualitate sanctus justusve fuerit, sed natura ipsa, adeoque justitia fuerit et sanctitas. « Joannes, inquit, erat opus justitiæ, Jesus vero natura[a]. Item : « Naturalis enim justitia et divina virtus est.[b] » Ac sub finem epistolæ Paulum sic redarguit : « Huc enim evadunt quæ a te dicta sunt. Nam neque natura justum esse dicis ipsum Christum, utpote Deum. Deus enim est id omne bonum quod de eo dicitur[c]. »

X. Sic Athanasius Filium naturæ non esse mutabilis neque ex aliquo virtutis affectu id habere ut ad hoc quod bonum est et honestum constanter adhæreseat, sed οὐσιῶδες ei istud esse concludit, quia cum Patri similis sit, idipsum et de Patre confitendum esset. « Porro, inquit, si ex virtute velle et nolle ac morum in melius progressio sequitur, cum vestra sententia Filius similis Patri sit, ista vero qualitatis sint propria, nimirum compositum esse Deum ex qualitate et substantia dicitis. Et quis vos feret ista jactantes? Non enim compositus est Deus, qui omnia ad hoc ut essent composuit, neque ejusmodi qualia sunt quæ ab ipso Verbo sunt facta. Absit hoc. Simplex est enim substantia in qua non inest qualitas, neque, ut dixit Jacobus[1], mutatio ulla vel vicissitudinis obumbratio[d]. » Quo in loco Athanasius duo argumenta suppeditat divinæ simplicitatis, alterum quod a nullo conditus Deus universa condidit, alterum quod si ullam haberet ex qualitate compositionem, non esset immutabilis, quæ nos jam supra commemoravimus.

(margin: sentiale.)

Hinc adversus Eunomium Filium Patri neque æqualem neque similem esse putantem, Basilius eo ipso similem esse contendit « quod ut Pater ab omni compositione liber est, ita et Filius simplex est omnino neque compositus[e]. » Alias autem eumdem Eunomium et Anomœorum sectam ac perfidiam, qui dissimilem et minorem Patre Filium prædicabant, Basilius ac Nyssenus Gregorius convincunt, quoniam simile aut dissimile secundum qualitatem dicitur, quæ nulla est in Deo. Ac ne similis quidem vocabulum dici de Deo patitur Basilius : « Quanquam, inquit, ex rei veritate neque similem neque dissimilem Patri Filium dicimus. Utrumque enim illorum ex æquo impossibile est. Nam simile ac dissimile secundum qualitates dicuntur. At qualitatis Deus est expers[f]. »

XI. Basilius epistola CXLI : « Creatæ res omnes vel ex contrariis, inquit, constant, vel contraria recipere possunt, Filius autem est ipsa per se justitia materiæque est expers ; non est ergo creatura Filius[g]. » Sic antea Basilius ibidem verba illa Christi, *Ego vivo propter Patrem*[2], quæ Ariani objicere solebant, ad humanam naturam pertinere vult, non ad divinam de qua illud est dictum, *Ego sum vita.* Quod demonstrat sic : Quidquid enim

a DION. Alex. epist. *ad Paulum Samosat.* Ὅτι Ἰωάννης μὲν ἔργον δικαιοσύνης, Ἰησοῦς δὲ φύσις.

b Idem. Φυσικὴ γὰρ δικαιοσύνη, καὶ θεϊκὴ δύναμις ὑπάρχει.

c Ibid. Οὗτος γὰρ ὅρος τῶν εἰρημένων ὑπὸ σοῦ· οὔτε γὰρ φύσει δίκαιον αὐτὸν λέγεις, ὡς θεὸν, τὸν χριστόν· θεὸς γὰρ πᾶς φύσει ὥσπερ ἂν ἀγαθὸν λέγηται περὶ αὐτοῦ. Corr. πᾶν φύσει ὅπερ.

d ATHAN. in epist. *ad Afric.* Εἰ ἐξ ἀρετῆς ἕπεται τὸ θέλειν, καὶ τὸ μὴ θέλειν, καὶ τρόπων βελτίωσις, ὅμοιος καθ' ὑμᾶς ἐστιν ὁ υἱὸς τῷ πατρί· ταῦτα δὲ ποιότητος ἴδια· δηλονότι σύνθετον τὸν θεὸν ἐκ ποιότητος καὶ οὐσίας λέγετε· καὶ τίς ὑμῶν, ἀνέξεται ταῦτα λεγόντων ; οὐ γὰρ σύνθετος ὁ θεὸς ὁ τὰ πάντα εἰς τὸ εἶναι συντεθεικὼς, οὐδὲ τοιοῦτος, οἷά ἐστι τὰ παρ' αὐτοῦ λόγου γενόμενα ; μὴ γένοιτο· ἁπλῆ γάρ ἐστιν οὐσία, ἐν ᾗ οὐκ ἔνι ποιότης, οὐδὲ, ὡς εἶπεν ὁ Ἰάκωβος, παραλλαγή τις, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα.

e BASIL. 1. *cont. Eunom.* Ἐγὼ δὲ κατ' αὐτὸ τοῦτο τὴν ὁμοιότητα τίθεμαι, ἐπειδὴ ὥσπερ ὁ πατὴρ συνθήκης ἐστὶ πάσης ἐλεύθερος, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς ἁπλοῦς παντελῶς, καὶ ἀσύνθετος.

f Idem. epist. 141. Καὶ τοι ἡμεῖς κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον, οὔτε ὅμοιον, οὔτε ἀνόμοιον λέγομεν, τὸν υἱὸν τῷ πατρί· ἑκάτερον γὰρ αὐτῶν ἐπίσης ἀδύνατον· ὅμοιον γὰρ, καὶ ἀνόμοιον κατὰ τὰς ποιότητας λέγεται· ποιότητος δὲ τὸ θεῖον ἐλεύθερον.

g Idem ibid. Πάντα τὰ κτίσματα ἢ ἐκ τῶν ἐναντίων συνέστηκεν, ἢ τῶν ἐναντίων εἰσὶ δεκτικά· ὁ δὲ υἱὸς αὐτοδικαιοσύνη, καὶ ἄϋλός ἐστιν· οὐκ ἄρα κτίσμα ὁ υἱός.

1 *Jac.* I. 17. — 2 *Joan.* VI. 58. — 3 *Joan.* XIV, 6.

propter alterum vivit, ipsa esse vita non potest. Sicut neque quod ab alio calefit, ipse calor. Christus vero et Deus noster dixit: *Ego sum vita*[a]. »

De quo Joannis loco memoranda sunt Chrysostomi verba in *Commentariis ad Joannis Evangelium:* « Cum vero, inquit, audieris, in ipso vita erat, cave compositum suspiceris. Nam postea etiam de Patre sic loquitur: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere.* » Sed quemadmodum Patrem non ideo componi dixeris, sic neque Filium. Siquidem alibi dixit: *Lux est Deus,* et alibi *lucem habitat inaccessibilem.* Hæc autem omnia dicta sunt non ut compositionem cogitemus, sed ut paulatim evehamur ad dogmatum sublimitatem. Quoniam enim non facile quispiam e vulgo perciperet quinam illius subsistens vita sit, prius illud quod erat humilius dixit, deinde ad id quod sublimius est jam eruditos adducit. Quippe idem ille qui dixit, quoniam dedit ipse vitam habere, rursus dicit: *Ego sum vita,* et *Ego sum lux*[b]. »

Gregorii Nysseni expositio. Gregorius item Nyssenus in oratione *catechetica:* « Cum autem simplex Verbi natura, uti par est, esse credatur, nec ullam duplicitatem vel compositionem in seipsa demonstret, nemo amplius in vita ex vitæ participatione consideret Verbum. Non enim extra compositionem erit hæc opinio, si alterum inesse alteri dicatur. Sed necesse est omnino simplicitate constituta, ipsam vitam esse Verbum asserere, non vitæ participationem[c]. »

Item Cyrilli Alex. XII. Cyrillus quoque Alex. in *Thesauro,* similiter argumentatur Filium esse vitam itidem ut Patrem, qui vitam in semetipso habere cum dicitur, non debet ulla in eo fingi compositio vel duplicitas[d]. Ac libro itidem XXXIV eumdem Filium nullam habere διπλόην id est *duplicitatem* neque compositum esse scribit, et alibi sæpe. Qua voce διπλόης utitur etiam Dionysius. Propterea Filium non esse sapientem sic ut quædam ei velut habitus et qualitatis accessio facta sit, sed ipsammet esse sapientiam et veritatem passim adversus Arianos antiqui Patres asserunt, ut Athanasius præsertim in Oratione *contra Arianos* secunda. Tum in calce libri *contra Græcos* Filium eumdem non concretis nominibus potentem aut sapientem aut verum appellat, sed abstractis earum qualitatum ab quibus ista sunt flexa vocabula[e]: « Potentia, inquit, est Patris et sapientia et ratio, non sic ut participatione ista sit aut hæc aliunde ipsi accidant, quemadmodum iis evenit qui ipsius participes sunt et per ipsum imbuuntur sapientia ac potentes et rationales in ipso fiunt. Sed est ipsa per se sapientia, ipsa ratio, ipsa potentia propria Patris, ipsa lux, ipsa veritas, ipsa justitia, ipsa virtus. » Ita quod scriptum est, *Patrem Filio dedisse vitam*, de humana ejus natura interpretandum esse censet idem Athanasius in libro *de Adventu Dei* in carne[2], *quia vita vitam non accipit.* Quod et aliis passim in locis ejusdem Athanasii, tum reliquorum veterum adeoque christianorum omnium usu tritissimum est, uti veritas et sapientia et vita ipsa et id genus alia credatur ac prædicetur esse

a Idem ibid. Πᾶν γὰρ τὸ δι' ἕτερον ζῶν, αὐτοζωὴ εἶναι οὐ δύναται· ὡς οὐδὲ τὸ ὑφ' ἑτέρου θερμανθὲν αὐτοθερμότης εἶναι· ὁ δὲ χριστὸς, καὶ θεὸς ἡμῶν εἴρηκεν· ἐγώ εἰμι ἡ ζωή.

b Chrys. hom. 5. *in Joan.* Ὅταν δὲ ἀκούσῃς ὅτι ἐν αὐτῷ, ζωὴ ἦν, μὴ σύνθετον ὑπολάβῃς· καὶ γὰρ προϊὼν καὶ περὶ τοῦ πατρός φησιν, ὥσπερ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν· ἀλλ' ὥσπερ τὸν πατέρα οὐκ ἂν εἴποις διὰ τοῦτο συγκεῖσθαι· οὕτω μηδὲ τὸν υἱόν· καὶ γὰρ καὶ ἀλλαχοῦ φησίν· ὅτι φῶς ἐστιν ὁ θεός· καὶ ἀλλαχοῦ· ὅτι φῶς οἰκεῖ ἀπρόσιτον· ταῦτα δὲ πάντα εἴρηται, οὐχ ἵνα σύνθεσιν ὑπολάβωμεν· ἀλλ' ἵνα κατὰ μικρὸν ἐναχθῶμεν πρὸς τὸ τῶν δογμάτων ὕψος· ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἂν εὐκόλως ἐνόησέ τις τῶν πολλῶν, πῶς ἐστιν αὐτοῦ ἐνυπόστατος ἡ ζωὴ, πρότερον μὲν ἐκεῖνο εἶπε τὸ ταπεινότερον· ἔπειτα δὲ παιδευθέντας πρὸς τὸ ὑψηλότερον ἄγει· ὁ γὰρ εἰπὼν, ὅτι ἔδωκεν αὐτῷ ζωὴν ἔχειν, οὗτος πάλιν φησίν· ἐγώ εἰμι ἡ ζωή· καὶ πάλιν· ἐγώ εἰμι τὸ φῶς.

c Greg. Nyss. cap. I. orat. *Catech.* Ἁπλῆς δὲ τῆς τοῦ λόγου φύσεως κατὰ τὸ εἰκὸς εἶναι πεπιστευμένης, καὶ οὐδεμίαν διπλόην, καὶ σύνθεσιν ἐν ἑαυτῇ δεικνυούσης, οὐκέτι ἄν τις κατὰ μετουσίαν ζωῆς ἐν ζωῇ θεωροίη τὸν λόγον· οὐ γὰρ ἂν ἐκτὸς εἴη συνθέσεως ἡ τοιαύτη ὑπόληψις, τὸ ἕτερον ἐν ἑτέρῳ λέγειν εἶναι· ἀλλὰ ἀνάγκη πᾶσα, τῆς ἁπλότητος ὁμολογουμένης αὐτοζωὴν εἶναι τὸν λόγον οἴεσθαι, οὐ ζωῆς μετουσίαν.

d Cyril. lib. XIV. *Thesaur.* Εἰ γὰρ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ λέγεται ζωὴν ὁ πατὴρ, ἕτερόν τί ἐστιν αὐτὸς παρὰ τὴν ἐν αὐτῷ ζωὴν· εἰ δὲ τοῦτο διπλόη τις ὥσπερ, καὶ σύνθεσις, περὶ αὐτὸν νοηθήσεται· πῶς οὖν ἁπλοῦς καὶ σύνθετος κατ' οὐσίαν ὁ θεός; Vide et lib. I. *in Joan.* p. 39. et lib. IX. p. 914.

e Athan. p. 36. Δύναμίς ἐστι τοῦ πατρὸς, καὶ σοφία, καὶ λόγος, οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὢν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ, κατὰ τοὺς αὐτοῦ μετέχοντας, καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοὺς, καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους, ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ πατρός ἐστιν· αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσύνη, αὐτοαρετή.

1 *Joan.* V. 26. — 2 Citatur a Cypar. dec. 9. cap. VII.

Filius; quæ loquendi genera compositione omni detracta, simplicissimam illius utpote Dei naturam esse persuadent.

Anomœi non ferebant Christum dici Patris sapientiam

XIII. Etenim perditissimi Arianorum Anomœi ferre istud non poterant appellari Christum Patris sapientiam aut vitam ac cætera id genus, sed viventem et sapientem dici malebant. Contra quos Cyrillus idem Alexandrinus in libro XIX *Thesaurorum* disputat, eorumque dissolvit argumentum : « Qui enim, aiebant, possit Filius esse sermo Patris et sapientia, cum sapientia sit scientia, sermo vero inanis verbi prolatio? At scientia non est subsistens aliquid, sed ne animans quidem. » Quibus Cyrillus occurrit diversam esse Dei rerumque creatarum rationem asserens. In his enim forma substantiam afficiens ac denominans ab ea differt [a]. « Nam qui vitam nominat, rem ipsam significat quæ inest in quibusdam et ea vivificat. At qui dicit animal, id pronuntiat quod est vivificantis particeps. Dominus autem non ita se appellare videtur, sed vitam se potius vocat [b]. » Sic in libro XV *Thesauri* probat Filium sapientiæ incrementa nulla cepisse, quia sapientia est, neque hæc illi more accidentis advenit [c]. Alioqui carere sapientia posset cum accidens abesse queat. In libro quoque secundo *Commentariorum in Joannem* eamdem argumentationem adhibet. « Si enim ignorare aliquid ac discere postea creditur, magis capax erit sapientiæ quam ipsa natura sua sapientia. Est enim sapientia id quod facit sapientem, non quod fit sapiens. Sicut lumen est id quod illuminat, non quod illuminari potest. Quare diversum erit aliquid a sua sapientia, ac primum non erit simplex, sed ex duobus compositus, tum vero insuper et Deus esse desinit, Deus, inquam, natura et substantive. Siquidem doceri ab aliquo penitus, ac duplicitatem quæ in compositione est, divina natura non patitur, quæ simplicitatem velut proprium bonum et summam perfectionem obtinet [d]. »

Quos confutat idem Cyrillus Alex.

XIV. Nec minus ex eo quod *lux vera* nominatur Christus, idem Cyrillus et qualitatis expertem eum probat esse, et Deum, non creaturam, in primo libro *in Joannem* : « Dei, inquit, Verbum substantive lux est non participatione per gratiam, neque accidentem habens in seipso dignitatem, sed neque adscititiam ut gratiam, etc., creatura vero neutiquam poterit hoc modo lux esse. Nam tanquam non habens accipit, tanquam tenebræ illuminatur [e]. »

Sic Ambrosius, lib. V *de Fide*, cap. V : « Omnis, inquit, creatura mutabilis, sed non mutabilis Dei Filius ; non ergo creatura Dei Filius. Omnis creatura accidentia et boni et mali recipit suæ capacitate naturæ, eademque decessionem sentit, Dei autem Filio nihil potest ex ejus divinitate vel decedere vel accedere ; non ergo creatura Dei Filius. » Atque idem passim ex eo quod Filius bonitas, sapientia, justitia, cæteraque id genus abstractis, ut vocant, nominibus appellatur, verum esse concludit Deum. Vide inter alia procemium secundi libri *de Fide*. Augustinus item frequentissime eadem utitur argumentatione. Velut in tractatu XLVIII *in Joannem* : « Quomodo vita Filius et habens vitam Filius? inquit. Quod habet, hoc est : tu aliud es, aliud habes. Verbi gratia habes sapientiam, numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse quod habes, si amiseris quod habes, reddis (forte *redis* α) ut non habeas, et aliquando resumis, aliquando amittis, etc. non sic est Deus Dei Filius, non sic est Verbum

Ambrosii disputatio.

Item Augustini.

a CYRIL. lib. XV. *Thes.* Καὶ πῶς ἂν δύναιτο, φησὶ, λόγος εἶναι τοῦ πατρὸς καὶ σοφία· εἴπερ ἡ μὲν σοφία ἐπιστήμη ἐστὶν, ὁ δὲ λόγος ῥήματος ἀργὴ προφορά; ἐπιστήμη δὲ οὐκ ἐνυπόστατόν τί ἐστιν, ἀλλ' οὐδὲ ζῶον, etc.

b Ibid. Ζωὴν μὲν γὰρ εἴ τις λέγοι, αὐτὸ σημαίνει τὸ πρᾶγμα τὸ ἔν τισι γινόμενον, καὶ ζωοποιοῦν αὐτά· ζῶον δὲ λέγων, τὸ μετέχον τοῦ ζωοποιοῦντός φησιν· ἀλλ' οὐχ οὕτως ἑαυτὸν ὁ Κύριος ὀνομάζων φαίνεται· ζωὴν δὲ μᾶλλον ἀποκαλεῖ.

c CYRIL. Εἰ γὰρ ὅλως ἐδεῖτο μαθήσεως, οὐκ ἦν σοφία· καὶ εἰ συμβέβηκεν αὐτῷ τὸ σοφὸν, ἔσται ποτὲ καὶ οὐ τοιοῦτος, τοῦ συμβεβηκότος καὶ ἀποσυμβῆναι δυναμένου.

d Idem. lib. II. *in Joan.* Ἆρα γὰρ οὐκ ἀποβαλεῖ καὶ τὸ εἶναι σοφία λοιπὸν ὁ υἱὸς, ἐπεί περ ὅλως ἀγνοεῖ, καὶ λαμβάνει διὰ μαθήσεως· σοφίας γὰρ μᾶλλον ἔσται δεκτικὸς, ἤπερ αὐτὸ κατὰ φύσιν σοφία· σοφία γὰρ τὸ σοφοῦν, οὐ τὸ σοφοῦσθαι πεφυκός· ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ φῶς τὸ φωτίζον, οὐ τὸ φωτίζεσθαι πεφυκός· οὐκοῦν ἕτερόν τι πάλιν αὐτὸς παρὰ τὴν ἐν αὐτῷ σοφίαν, καὶ πρῶτον μὲν οὐχ ἁπλοῦς, ἀλλ' ἐκ δύο λοιπὸν συγκείμενος· εἶτα πρὸς τούτῳ καὶ τὸ εἶναι Θεὸς ἀπολέσει, Θεὸν δέ φημι κατὰ φύσιν, καὶ οὐσιωδῶς· μαθήσεως γὰρ τῆς ἀπό τινος ὅλος, καὶ διπλόης τῆς κατὰ σύνθεσιν ἡ θεία φύσις οὐκ ἀνέχεται, καὶ τὸ ἁπλοῦν ὡς ἴδιον ἀγαθὸν, καὶ τὸ παντέλειον ἔχουσα.

e Idem, lib. I. *in Joan.* cap. VIII. Καὶ ὁ μὲν τοῦ Θεοῦ λόγος οὐσιωδῶς ἐστι φῶς, οὐ μεθέξει τῇ κατὰ χάριν τοῦτο ὑπάρχων, οὐδὲ συμβεβηκὸς ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸ ἀξίωμα, ἀλλ' οὐδὲ ἐπείσακτον ὡς χάριν, etc. ἡ δὲ κτίσις οὐχ οὕτω φορέσει τὸ εἶναι φῶς· ὡς οὐκ ἔχουσα λαμβάνει, ὡς σκοτία φωτίζεται.

α Optima Petavii correctio, utpote meliorem habens sensum et manuscriptorum auctoritate confirmata. J. *B. F.*

Patris, non sic est Verbum quod non sonando transit sed nascendo manet. Sic habet sapientiam ut ipse sit sapientia faciatque sapientes, sic habet vitam ut ipse sit vita faciatque viventes. »

Et in tractatu XCIX *in Joannem* creaturam docet quia mutabilis est, « percipere discendo quæ nesciebat, et amittere dediscendo quod sciebat. Et ideo non est, inquit, ista substantia verissime simplex cui non hoc est esse quod nosse, potest enim esse nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est. Nec utrumque dicendum est quod simpliciter unum est. Sicut habet Pater vitam in semetipso, nec aliud est ipse quam vita quæ in ipso est, et dedit Filio habere vitam in semetipso, hoc est, genuit Filium qui et ipse vita est. » Quod itidem et de Spiritu sancto probat, quem ideo Patri et Filio æqualem esse demonstrat, quia cum audire ab utroque dicatur aliquid, *audire illi scire est, scire vero esse.*

XV. Itaque quod de Filio diximus, ejus divinitatem et majestatis cum Patre consortium a veteribus ostendi eo maxime quod ut ille veritas et vita sit et sanctitas, ideoque nulla sit in eo compositio qualitatis et substantiæ, idem et de Spiritu sancto ab illis concluditur, ut a Basilio epistola CXLI[1], cujus verba capite sequenti referam[2].

Idem Basilius apud Joannem Cyparissiotum: « Bonus, inquit, Spiritus sicut bonus Pater, et sicut bonus ex bono genitus, cujus substantia est ipsa bonitas[3]. »

Cyrillus Alexandrinus in *Thesauris* indidem Spiritum esse Deum approbat quod perinde ut Filius Veritas nominatur. Nam et Joannes dixisse Christum refert *Ego sum veritas*[4], et idem in epistola: « Spiritus, inquit, est veritas[a]. Quomodo igitur, ait, qui ex Patre procedit, et Spiritus veritatis est ac tantam habet cum Filio similitudinem propter identitatem substantiæ, ut et ipse Veritas nominetur; quomodo, inquam, possit esse factus vel creatus? Itaque Spiritus est Deus, si quidem reipsa est Veritas et ex Patre procedit[b]. » Ac deinceps eodem in libro fuse disserit Spiritum sanctum non participatione, sed natura sanctum esse, imo « substantiam et vim sanctificantem esse, non autem compositione sanctum[c]. »

Sic idem Cyrillus ex eo quod Deus charitas est, itidemque charitas est Spiritus sanctus, Deum hunc esse confirmat: « Si igitur, inquit, Deus charitas est, ut Joannes loquitur, et non aliud quippiam est ipse, aliud id quod est in ipso, simplex enim est minimeque compositus. Illa vero diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum inhabitantem in nobis, Deus est Spiritus sanctus[d]. » Hunc Cyrilli locum citat Joannes Cyparissiotus[5]. Vide et dialogum *de Trinitate* septimum ejusdem ubi Spiritum sanctum demonstrat « non vitæ solum largitorem esse, sed vitam ipsam[e] » ex Scripturarum testimonio, quæ quidem Filio atque Spiritui sancto non secus ac Patri appellationes istas e qualitatibus sumptas abstractis, ut vocant, nominibus accommodant, quod esse divinitatis argumentum libro secundo diximus. « Non enim humano modo ex compositis Deus est, » ut scribit Hilarius in octavo libro, « ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, et aliud sit ipse qui habeat, sed totum quod est, vita est. » Tum Leo papa epistola XCIII: « Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo justitia est, sed multi participes sunt veritatis et sapientiæ atque justitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus est. De quo quidquid digne utcumque sentitur, non qualitas est sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit, quia esse illi quod est sempiternum, semper est proprium[6]. » Sic Hierocles Pythagoreus in aurea carmina Pythagoræ: « Deum ait non adventitiam habere bonitatem sed substantivam[f]. »

a JOANNES I. ep. v, 6. in Græco. Ὅτι πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.

b CYRIL. *Thesaur.* lib. XXXIV. Πῶς οὖν τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὑπάρχον, τοσαύτην τε πρὸς τὸν υἱὸν ἔχον τὴν ἐμφέρειαν, διὰ τὴν τῆς οὐσίας ταὐτότητα, ὡς ἀλήθειαν καλεῖσθαι καὶ αὐτὸ, πῶς γενητὸν ἂν εἴη, καὶ πεποιημένον.

c CYRIL. *Thesaur.* lib. XXXIV. Οὐκ ἄρα ἐκ μετοχῆς, οὐδὲ ἐκ συνθέσεως ἅγιον, ἀλλ' οὐσία, καὶ φύσις ἁγιαστική. Vid. et pag. seq.

d Idem. Εἰ τοίνυν ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, κατὰ τὴν Ἰωάννου φωνὴν, καὶ οὐχ ἕτερον μέν τι αὐτὸς, ἕτερον δέ τι τὸ ἐν αὐτῷ· ἁπλοῦς γὰρ, καὶ ἀσύνθετος, ἐκκέχυται δὲ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν ἁγίου πνεύματος· θεὸς ἄρα τὸ πνεῦμά ἐστιν.

e Idem, dial. 7. Οὐ τῆς παρ' ἑτέρου ζωῆς ὑπουργόν· ἀλλ' αὐτόχρημα ζωὴν ὑπάρχειν διακηρύττουσιν ἐναργῶς.

f HIEROCL. Καὶ τὴν ἀγαθότητα οὐκ ἐπίκτητον ἔχει, ἀλλ' οὐσιωμένην.

1 Pag. 933. — 2 Num. 5. — 3 Dec. 10. cap. VI. — 4 *Joan.* XIV. 6. — 5 Dec. 9. cap. VII. — 6 Cap. V.

CAPUT VII.

Declaratur uberius nullam eorum quæ insunt Deo, aliam esse differentiam quam quæ sola consideratione ac ratione constat, et alioqui compositionem in eo fore adversus Græcos Palamitas ostenditur. Gilberti Porretani et eorum qui rei discrimen invehunt, opinio revincitur.

I. Hæc tanta divinæ naturæ simplicitas tamque ab omni remota specie compositionis qualem his superioribus capitibus descripsimus, multo minus tolerabilem esse admonet eorum rationem qui reipsa distingui nescio quas in eo partes ac proprietates arbitrantur. Inter quos maxime insaniunt Græci illi recentiores quos commemoravi superiore in libro [1], tum haud sane probandi sunt cæteri qui paululum ab eorum causa segregati videntur, dum citra mentis humanæ cogitationem distincta hæc esse per sese putant. Quos omnes breviter expugnatos hoc capite convictosque dimittam, Græcos autem cumprimis, qui substantiam Dei ab ejus proprietatibus et ἐνεργείαις separant, velut rem productam a principio producente. His primus se Athanasius opponet, qui in libro *de Synodis*, Arianos ex Patris substantia Filium esse diffitentes, eo argumento refellit quod qui Patrem aut Deum dicit, ipsam ejus substantiam non circa eam aliquid aliud significat, quemadmodum Græci in tomo illo synodico professi sunt, Θεοῦ vocabulo non οὐσίαν ipsam exprimi sed ἐνέργειαν. Verba Athanasii descripsimus in capite tertio libri hujus [2]. Ibi autem quodcumque tandem est et dicitur Deus, hoc esse secundum substantiam affirmat, non secundum aliquid quod ab ea distinctum ac circa eam esse fingitur, maxime cum Deus appellatur aut Dominus aut Omnipotens. Nam subinde ista subjicit:

Dei. Substan- [redacted]

« Si autem cum audimus, *Ego sum, qui sum* [3], et, *In principio fecit Deus cœlum et terram* [4]; et, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est* [5], et, *Hæc dicit Dominus omnipotens* [6]: non aliud quippiam, sed ipsam simplicem et beatam et incomprehensam ejus qui est essentiam intelligimus. Nam etsi quid sit, comprehendere non possumus, nihilominus cum audimus hæc nomina Pater et Deus et Omnipotens, non aliud quiddam sed ipsam ejus qui est essentiam significari percipimus: cum igitur vos dixeritis ex Deo esse Filium, nempe ex substantia Patris ipsum esse dixistis [a]. » Quod et alio in loco repetit [7], atque ex eo quod simplex et minime compositus est Deus, ostendit nihil circa illum esse, sed ipsam ejus intelligi substantiam cum Patrem aut Deum nominamus.

Athanasii argumentatio.

II. Quæ Athanasii ratio contra Græcos illos quos modo nominavi Palamæ asseclas observari potissimum debet, qui cum ab Dei natura distinctas esse reipsa *proprietates* et ἐνεργείας in eo manentes æternasque sentiant, negant tamen ex eo sequi illum esse compositum aut ullam de ejus simplicitate decessionem fieri. Hanc nos Græcorum responsionem superiore commemoratam libro hunc in locum rejecimus [8], qui propriam habet explicationem simplicitatis Dei. Itaque resumenda nunc est ac disceptanda ista quæstio. In qua Græci compositionem in Deo nullam fieri probant auctoritate Maximi qui in disputatione contra Pyrrhum Monothelitam hoc diserte asserit. Nam cum Pyrrhus objiceret eos qui duas in Christo distinctas voluntates statuunt, eo redigi ut unam ex duabus compositam faciant, sic eum Maximus redarguit [9]: « Vides, ait, quemadmodum ex eo erratis quod penitus ignoratis compositiones eorum esse quæ sunt in hypostasi, non eorum quæ in alio spectantur? Atque hæc quidem est omnium tum philosophorum gentilium, tum sapientium doctorum ecclesiæ communis sententia [b]. » Quem sanctissimi martyris locum Joannes

a Athan. Εἰ δὲ ὅταν ἀκούομεν Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· καὶ ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν· καὶ, Ἄκουε Ἰσραὴλ, κύριος ὁ Θεός σου κύριος εἷς ἐστι· καὶ τάδε λέγει κύριος παντοκράτωρ, οὐχ ἕτερόν τι, ἀλλ' αὐτὴν τὴν ἁπλῆν, καὶ μακαρίαν, καὶ ἀκατάληπτον τοῦ ὄντος, οὐσίαν νοοῦμεν· κἂν γὰρ ἀδυνάτως ἔχωμεν καταλαβεῖν ὅ, τί ποτέ ἐστιν, ἀλλ' ἀκούοντες τὸ πατὴρ, καὶ τὸ Θεὸς, καὶ τὸ παντοκράτωρ, οὐχ ἕτερόν τι, ἀλλ' αὐτὴν τὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν σημαινομένην νοοῦμεν· εἰρήκατε δὲ ὑμεῖς ἐκ τοῦ Θεοῦ τὸν υἱόν· δηλονότι ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς αὐτὸν εἰρήκατε.

b Maxim. Ὁρᾷς, ὅτι ἐκ τούτου πλανᾶσθε, ἐκ τοῦ πάντη ἀγνοῆσαι, ὅτι αἱ συνθέσεις τῶν ἐν ὑποστάσει ὄντων, καὶ οὐ τῶν ἐν ἑτέρῳ θεωρουμένων (al. καὶ οὐκ ἰδίῳ λόγῳ) εἰσί· καὶ τοῦτο κοινὸν φρόνημα πάντων, καὶ τῶν ἔξω φιλοσόφων, καὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας θεοσόφων μυσταγωγῶν.

1 Cap. xi et xii. — 2 Num. 8. — 3 *Exod.* iii. 14. — 4 Gen. i. 1. — 5 *Deut.* vi. 4. — 6 II. *Cor.* vi. 18. — 7 In lib. *de Decret. Nic. syn.* apud Joan. Cypar. dec. 4. cap. viii. — 8 Cap. xii. num. 15. — 9 Apud Baron. in fine tom. 8.

Item Damasceni.

Damascenus expressit: « Impossibile est, inquit, unum quippiam compositum ex duabus voluntatibus dicere, itidem ut ex duabus naturis compositam dicimus hypostasim. Primum quia compositiones sunt eorum quæ in hypostasi sunt, et non eorum quæ alia ratione et non propria considerantur [a]. »

Hi duo Patres illustrantur.

III. Sed obscurum est fortasse quid ambo isti Patres his verbis significent, *esse in hypostasi et in alio considerari*, vel, *alia ratione et non propria considerari*, ut habet Damascenus. Nos vero alibi plenius de iis vocibus agemus [1]. Interim ex eodem ipso Damasceno petenda est horum interpretatio, qui in *Dialectica* quid sit ἐνυπόστατον exponit. Nam idem videtur esse τὸ ἐν ὑποστάσει et ἐνυπόστατον. Hoc igitur proprie esse dicit, « cum id quod per se minime subsistit, in subsistentiis hoc est hypostasibus spectatur, ut hominis species et natura consideratur in singularibus hominibus veluti Petro ac Paulo et reliquis hypostasibus, cum propriam hypostasim non habeat. Item quod cum alio essentia differente ad totius alicujus generationem componitur, et unam compositam hypostasim facit. Sicut homo ex anima et corpore componitur, etc. Rursus ἐνυπόστατον appellatur natura ab altera hypostasi assumpta, quæ in ea existentiam habuit [b]. » Ex his intelligi puto dici hoc in hypostasi esse, quod proprie ac proxime subsistit, hoc est subjectum ipsum quod subsistendi modus afficit, ut natura in aliena subsistens hypostasi. Hæc enim per se ac proprie subsistit, quia naturale hoc ei est ut quocumque modo subsistat, id est sive sua sive aliena hypostasi. Quæ autem insunt in natura uti qualitates et proprietates et affectiones illius, ea per se, hoc est proxime non subsistunt, sed quasi ex accidenti, quatenus in subsistentibus existunt per quæ subsistere et ipsa dicuntur. Sic hominis cujuslibet, ut Petri, sapientia vel intelligentia vel voluntas ideo subsistit, quia subsistentis est naturæ proprietas et conditio. Quæ igitur hoc modo se habent, ea compositionem non facere aiunt Maximus et Damascenus, hoc est non esse partes componentes totum aliquod quod ex illis constare dicatur, ut ex anima et corpore totus homo componitur.

Inhypostaton. In hypostasi et enhypostaton.

Inhypostaton.

Propriet...

Ejusmodi sunt ἐνέργειαι quæ cum natura vel substantia in compositionem minime veniunt. Non enim id quod philosophi vocant *ens per se* constituunt. sed *ex accidenti*. At ambo illi Patres de eo quod est *ens* vel *compositum per se* loquuntur.

Opera... tionem

IV. Nihil igitur horum vox et auctoritas Græculos adjuvat, qui ἐνέργειαν a Dei substantia reipsa separant. Nam etsi non sint substantiæ duæ quæ unum per se ac totum efficiant cujus subsistentes sint partes, ut cum ex duabus naturis una hypostasis composita fit (sic enim τὰ ἐν ὑποστάσει compositionem facere Patres isti volunt non ut ejusdem sit conditionis totum quod ex partibus coalescit cujus sunt partes. Si quidem ex elementis quatuor non fit elementum, ex anima et corpore neque anima neque corpus existit; eodemque modo naturæ duæ conjunctæ non naturam sed hypostasim compositam efficiunt) quamvis ergo ἐνέργεια non sit ex Græcorum opinione substantia, tamen ex ambobus compositum aliquid existit, ut ex Petro et ejus actione fit quiddam minime simplex, licet substantiale compositum non sit. Quare si est ejusmodi in Deo σύνθεσις, vel ut Dionysii utar vocabulo, διπλόη hoc est *duplicitas* sive duarum rerum conjunctio, non erit utique simplex Deus. Etenim hanc qualemcumque diversarum rerum junctionem adversari simplicitati Dei et esse compositionem aliquam pro certo habent antiqui theologi, ac præ cæteris Dionysius qui de divina loquens substantia, « Omnia, inquit, ante habet in se secundum unam simplicitatis exsuperantiam, duplicitatem omnem respuens [c]. » Hanc vero διπλόην Maximus exponens ait existere ex mente et ideis quæ sunt intelligentiæ sive mentis actiones, quæ si a Dei substantia

Quæ hyposta... sunt

Operat...

Synthe...

Duplic... tatem

a DAMASC. lib. III, cap. XIV, *de Fide.* Ἀδύνατον δὲ, ἕν τι σύνθετον ἐκ τῶν δύο θελημάτων λέγειν, ὥσπερ ἐκ τῶν φύσεων σύνθετον τὴν ὑπόστασιν· πρῶτον μὲν, ὅτι αἱ συνθέσεις τῶν ἐν ὑποστάσει ὄντων, καὶ οὐ τῶν ἑτέρῳ καὶ οὐκ ἰδίῳ λόγῳ, θεωρουμένων εἰσί.

b Idem, cap. XLIV. Κυρίως δὲ ἐνυπόστατόν ἐστιν, ἢ τὸ καθ' ἑαυτὸ μὲν μὴ ὑφιστάμενον, ἀλλ' ἐν ταῖς ὑποστάσεσι θεωρούμενον· ὥσπερ τὸ εἶδος, ἤγουν ἡ φύσις τῶν ἀνθρώπων ἐν ἰδίᾳ ὑποστάσει οὐ θεωρεῖται, ἀλλ' ἐν Πέτρῳ καὶ Παύλῳ, καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν ἀνθρώπων ὑποστάσεσιν· ἢ τὸ σὺν ἄλλῳ διαφόρῳ κατὰ τὴν οὐσίαν εἰς ὅλου τινὸς γένεσιν συντιθέμενον, καὶ μίαν ἀποτελοῦν ὑπόστασιν σύνθετον· οἷον ὁ ἄνθρωπος ἐκ ψυχῆς ἐστι, καὶ σώματος συντεθειμένος, etc. λέγεται πάλιν ἐνυπόστατον, ἡ ὑφ' ἑτέρας ὑποστάσεως προσληφθεῖσα φύσις, καὶ ἐν αὐτῇ ἐσχηκυῖα τὴν ὕπαρξιν.

c DION. cap. V. *de Divin. nom.* Πάντα μὲν ἐν ἑαυτῇ προέχει κατὰ μίαν ἁπλότητος ὑπερβολὴν πᾶσαν διπλόην ἀπαναινομένη.

1 Lib. IV. *de Trinit.* cap. II et VIII.

re distinctæ essent, non esset compositionis expers Deus, « sed ex substantia sua et idea, hoc est intellectione sua compositus[a]. »

Duplicitate *Binalitatem*

De hac διπλόη capite antecedente dixi, quam quidem Herennius in *Metaphysicis* δυάδα vocat, ubi τὸ ἕν, *unum* illud summum quod est Deus, *purum ab omni esse binario*[b], vel ut Marius Victorinus loquitur *binalitate* statuit. Quin alio in loco quem postea referam, Maximus idem creaturas omnes compositas esse asserit ex substantia et accidente. Itaque vides quantum ab eo Maximus abhorreat ut aliquid in Deo constituat quod substantia sit, cui alterum sit adjunctum ab eoque re distinctum quod ἐνέργεια sit, cum vel νόησιν quæ est ἐνέργεια, proprie dici in Deo neget ne sit compositus, ita ut alterum veluti subjectum sit, alterum in subjecta substantia recepta ejus operatio; nisi sic intellectio nominetur, ut totus ipse quantus est, nihil sit aliud quam mera et simplex intellectio.

Efficientia. Intellectum. Efficientia.

Deus est compositus si habeat aliquid a substantia distinctum.

V. Basilius quoque compositionem in Deo fieri perspicue demonstrat si quid habeat quod ab ejus substantia differat. Nam de Spiritu sancto disserens, sanctitatem illius esse substantiam probat, si quidem simplex est ut esse debet : « Sin vero non est simplex, ait, Spiritus sanctus, ex substantia et sanctitate compositus est. Quod autem est ejusmodi, compositum est. Ecquis vero stultus adeo est ut compositum dicat esse Spiritum sanctum et non simplicem, ac ratione simplicitatis Patri consubstantialem et Filio[c]? » Sane sanctitas non est aliquid ἐν ὑποστάσει *quod per se subsistere possit*, cujusmodi sola compositionem facere Græci sentiunt, sed inter ἐνεργείας ab illis adscribitur et a substantia distinguitur. Quare si vere Basilius ista scripsit, non est dubium quin compositus ab illis ponatur Deus ac simplex esse desinat. Sed jam hic ipse Basilii locus a nobis antea descriptus est, ut et alia quædam præsertim Athanasii oratione quinta adversus Arianos, ex quibus appareat simplicitati illi quam Deo catholica tribuit fides adversari, si quis re aliquid in Deo distinctum esse velit non modo *quod sit in hypostasi*, sed etiam quod ut *proprietas* aut ἐνέργεια in eo cogitatur, si reipsa putetur esse diversum.

Proprietates *Proprietates*

Si proprietates sint revera aliquid a substantia distinctum, essentia divina non cognoscit, etc.

Potentia.

Præterea si ab ipsa Dei natura vel substantia reipsa differunt proprietates omnes, ut bonitas, scientia, sapientia : et ἐνέργειαι, ut cognitio, voluntas et cæteræ; fiet id quod ut capite antecedente dixi tam ratio ipsa, quam Patrum auctoritas condemnat et pro impio absurdoque habet; ut ipsa per se Dei essentia neque cognoscat aliquid, neque sapiat, neque bona sit, imo sit, ut argumentatur Maximus, insipiens, certe actu nihil sit istorum sed δυνάμει duntaxat. « Est, inquit Maximus, ipsa Dei substantia cognitio et intellectio actu non potentia, ut prius insipientia sit, deinde mens actu fiat. Ideo pura mens est non adventitium habens sapere, sed a seipso prorsus intelligit. Nam si substantia quidem ejus alia est, quæ autem intelligit (hoc est ideæ et res omnes ut in Dei notione sunt) ab ipso diversa, erit insipiens ipse, hoc est ejus substantia[d]. » Hoc autem cogitari aliter nequit quam ut aliqua fiat ad substantiam accessio adeoque compositio, cum esse sapiens intelligitur aut justus aut aliquid ejusmodi. Quæ compositio ex substantia fit et eo quodcumque tandem illud est quo sit sapiens.

Porro veram et a divina simplicitate ac perfectione abhorrentem compositionem ex eo sequi quod proprietates reipsa distinctæ ponantur, indicat etiam Cyrillus Alexandrinus in XIII *Thesauri*. Nam hæreticos irridet qui Filium substantia dissimilem Patri, forma similem esse profitebantur. Quod aliter dici non posse vult quam si compositus perhibeatur Filius, imo et Pater ipse[e] : « Erit enim nobis et ipse Pater compositus e substantia et cogitatione, si secundum substantiæ rationem dissimilis est Filio, cogitatione vero similis[f]. »

Joannes quoque Damascenus : « Deus, in-

---

a Maxim. Εἰ γὰρ μὴ ἁπλῶς, καὶ ἑνιαίως εἶεν αἱ ἰδέαι νοήσεις ὑπερηπλωμέναι οὖσαι τοῦ ὑπερηπλωμένου, καὶ ὑπερηνωμένου θεοῦ, σύνθετος ἂν εἴη θεὸς ἐκ παραδείγματος, καὶ ἑαυτοῦ, ὅπερ διπλόην ὠνόμασε.

b Heren. Πάσης δυάδος καθαρεύει.

c Basil. ep. 141. Εἰ δὲ μὴ ἁπλοῦν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐξ οὐσίας, καὶ ἁγιασμοῦ συνέστηκε· τὸ δὲ τοιοῦτον σύνθετον· καὶ τίς οὕτος ἀνόητος, ὡς σύνθετον εἰπεῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ μὴ ἁπλοῦν, καὶ κατὰ τὸν τῆς ἁπλότητος λόγον ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ;

d Maxim. in cap. v. *de Div. nom.* Ἡ αὐτοϋπεραγαθότης νοῦς οὖσα, καὶ ὅλη ἐνέργεια, εἰς ἑαυτὴν ἐστραμμένη ἐνεργείᾳ ἐστὶν, οὐ δυνάμει, πρότερον οὖσα ἀφροσύνη, εἶτα νοῦς ἐνεργείᾳ· ὅθεν καὶ ἐστὶ νοῦς καθαρὸς, οὐκ ἐπείσακτον ἔχων τὸ φρονεῖν· ἀλλὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντως νοεῖ· εἰ γὰρ ἡ μὲν οὐσία ἄλλη ἐστὶν, ἃ δὲ νοεῖ, ἕτερα αὐτοῦ, αὐτὸς ἀνόητος ἔσται, ἤγουν ἡ οὐσία αὐτοῦ.

e Cyril. Εἰ γὰρ ἀνόμοιός ἐστι κατ' οὐσίαν ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, ὅμοιος δὲ κατὰ τὸ εἶδος, πρῶτον μὲν ἀνάγκη λέγειν ἐκ διαφόρων συγκεῖσθαι τὸν υἱόν.

f Ibid. Ἔσται γὰρ ἡμῖν σύνθετος καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ ἔκ τε οὐσίας, καὶ νοήματος, εἴπερ κατὰ μὲν τὸν τῆς οὐσίας λόγον ἀνόμοιός ἐστι τῷ υἱῷ, ὅμοιος δὲ κατὰ τὴν ἔννοιαν.

quit, simplex et non compositus. Quod autem e multis et differentibus constat, est compositum. Quare si increatum, principii expers, incorporeum, immortale, sempiternum, bonum, procreandi vim habens, et ejusmodi alia, substantivas esse dicamus differentias Dei, tot ex rebus ille conflatus, non erit simplex. Quod extremæ impietatis est asserere[a]. »

Proprietates in Deo ratione sola distinguendæ. *Rationis.* *Substantiæ.*

VI. Quocirca non possunt hæc in Deo reipsa discerni ab ejus substantia, sed *ratione* et ἐπινοίᾳ ut supra ex communi Patrum assertione præsertim Græcorum ostendimus. Quod ἐπινοίας discrimen ac totam illam οὐσίας et *proprietatum* atque ἐνεργειῶν habitudinem erudite Joannes Cyparissiotus exponit[1], ac multum se ab Palamitarum popularium suorum ineptiis abfuisse declarat. Etenim de variis agens Dei nominibus demonstrat « nequaquam ea diversas res in Deo repræsentare, sed solam ejus substantiam declarare, non quid sit, sed quod sit. » Sed ne quis eamdem omnium nominum esse significationem ex eo colligat, recte admonet, si rem significatam ut in se est consideremus, non eam dividi una cum notionibus, sin originem nominum et effecta ipsa varia spectemus unde illorum est nata distinctio, tum vero non substantiam ipsam sed operationem et effectionem exprimi. « Ex quibus, inquit, patefit, quod cum theologi respiciunt unde nomina Dei nobis collecta sunt, ab iis scilicet quæ in universo mira speculamur et ab effectis ipsis, operationem et effectionem Dei aiunt repræsentare, et non quid est et ipsam substantiam. Post homines enim inventa sunt nomina, imo mens humana ad usum suum hæc invenit. Cum autem rursus volunt per hæc nomina efferre rem significatam, et ad aliquid referimur, Deum per hæc nomina invocantes; non dividitur res subjecta ut dividuntur notiones. Expers enim partis et individua est substantia Dei. Idcirco affirmant se nominibus istis hanc ipsam substantiam Dei significare, non quid est, sed quod est solum repræsentantes. » Et in capite sequenti : « Ex his igitur patet utrumque verum esse, divina nomina operationem proprie repræsentare et non naturam divinam, quando materiam eorum consideramus et unde nobis hæc comparata et collecta sunt, ac rursus etiam substantiam Dei proprie significare quod est, non autem quid est, quando ex unoquoque nomine ad ipsam rem subjectam deducimur, et per ea nomina Trinitatem beatam et supra substantiam invocamus. » Ac de nominibus Dei eorumque notionibus postea. Nunc quod reliquum est hujus controversiæ adversus Latinos quosdam exequamur, ut Gilbertum Porretanum et alios qui paulo subtilius in ea quæstione versati sunt, quam Græci Palamitæ tomi illius synodici scriptores quibus nihil fieri potest obtusius.

VII. Primum hoc erroris Gilberti caput fuit ut supra demonstravimus, quod Deum a divinitate non sola ratione sed reipsa separavit. Hoc autem non Latini modo Patres qui id ex professo susceperunt, sed etiam Græci redarguunt. Gregorius Nazianzenus[2] : « Unum, inquit, tria et tria unum, in quibus deitas, vel ut exactius dicam, quæ tria sunt deitas[b]. » Quæ totidem verbis Damascenus transtulit in caput octavum. Ergo et Deus et personæ tres una deitas. Præclare hoc Theodorus Abucaras exponit in opusculo XXVIII quod *de Deo et deitate* inscribitur[3], ubi sciscitanti hæretico « utrum idem videretur esse Deus et deitas, » idem esse orthodoxus respondet; ac rursus objicienti diversa videri quoniam non de eodem prædicantur, occurrit eadem quidem esse sed non similiter dici et intelligi. Itaque « modum significandi duntaxat esse diversum. Non enim similiter intelligitur Deus et deitas, si quidem Deum intelligentes et dicentes, naturam tanquam in hypostasi intelligimus et dicimus. Deitatem vero cum dicimus, ipsam naturam tanquam nudam et sine personis ratione tantum consideratam intelligimus et dicimus[c]. »

a DAMASC. lib. I. cap. XII. Τὸ θεῖον ἁπλοῦν ἐστι, καὶ ἀσύνθετον· τὸ δὲ ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων συγκείμενον, σύνθετόν ἐστιν· εἰ οὖν τὸ ἄκτιστον, καὶ ἄναρχον, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀθάνατον, καὶ αἰώνιον, καὶ ἀγαθὸν, καὶ δημιουργικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα οὐσιώδεις διαφορὰς εἴποιμεν θεοῦ, ἐκ τοσούτων συγκείμενον οὐχ ἁπλοῦν ἔσται, ἀλλὰ σύνθετον ὅπερ ἐσχάτης ἀσεβείας ἐστί.

b GREG. NAZ. Ἓν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης· ἢ τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ θεότης.

c ABUC. Ἐπεὶ οὖν θεὸς καὶ θεότης καθ' ἡμᾶς ταὐτὸν, ὁ δὲ τρόπος διάφορος, τοῦτ' ἔστιν οὐχ ὡσαύτως νοεῖται θεὸς, καὶ θεότης· θεὸν μὲν γὰρ νοοῦντες, καὶ λέγοντες, τὴν ἐν ὑποστάσει φύσιν νοοῦμεν, καὶ λέγομεν· θεότητα δὲ αὐτὴν τὴν φύσιν, ὡς γυμνὴν οὖσαν, καὶ ἄνευ ὑποστάσεως θεωρουμένην.

1 Dec. 4. cap. VIII.— 2 Orat. XXXIX. Citat. a Demet. lib. *de Process. Spirit. sanct.* cap. II.— 3 Quod sub nomine Theodori Hagiop. legitur tom. IV. *Biblioth. Patrum.*

Ratione, inquit, et consideratione, hoc est ἐπινοίᾳ sola differunt. « Consideratio autem, ut mox ait, non prohibet existentiam [a]. »

Quod vero subjicit « Idcirco Deum prædicari de hypostasi tanquam in hypostasi consideratum, deitatem vero nequaquam [b], » (tanquam non dicamus: Pater est deitas, sed Deus) uno sensu verum est, altero falsum. Nam si complexum hoc, *Pater est deitas*, sic explicetur ut ἐπινοίᾳ et *ratione* vel *consideratione* unum sit aliud, vel ut notio eadem sit amborum, falso dicitur ut ex eo capite constat in quo de attributorum distinctione κατ' ἐπίνοιαν contra Eunomianos egimus. Sin iste sit sensus enuntiationis, *Pater reipsa est deitas*, hoc est una eademque simplicissima res et ὀντότης id est *entitas* est Pater et divinitas, adeoque paternitas et divinitas etsi ratione differant, verissima est et catholica fide certissima. Contra quam illi veniunt qui reipsa distingui putant divinitatem a Deo, vel proprietates a substantia ipsa Dei sive a Deo personisve divinis. Non enim dicimus candidum est candor, vel calidum est calor, aut sapiens est sapientia. Sed neque verum istud est, *homo est anima*, tametsi pars hæc naturæ sit hominis; quoniam re invicem omnia ista discrepant. Ac ne istiusmodi quidem effata meliores approbant philosophi, *homo est humanitas*, vel *Petrus est humanitas*, quia majus inter illa quam *rationis* et ἐπινοίας discrimen intercedit. Cyrillus quoque: « Aliud, inquit, non est natura Dei præter ipsum. Est enim simplex minimeque compositus [c]. »

[illegible]

Ex eo quod hæc de se mutuo dicantur, ratione sola differre concluditur.

VIII. Quapropter magno id argumento esse debet non reipsa sed ratione sola et cogitatione in Deo illa differre, quod de se mutuo dicantur. Nam nihil in Græcorum Latinorumque Patrum scriptis crebrius usurpari videas, quam vel Deum vel Patrem aut Filium aut Spiritum sanctum esse divinitatem aut vitam aut sapientiam aut magnitudinem aut ejusmodi aliquid, quod abstractis, ut vocant, nominibus exprimitur. Cujus exempla jam in superioribus haud pauca descripsimus, et ut ea relegendi sublevetur labor, alia quædam hic adjungenda sunt, præsertim quæ ad divinitatem proprie spectant.

Ita disputant Patres Græci.

Ac Gregorii quidem Nazianzeni ex eoque Damasceni de tribus personis disertissimus allatus est locus, in quo deitas una tres illæ esse dicuntur. Idem ubique scribit Epiphanius, ut in hæresi Noetianorum: « Unus est, inquit, Deus veritatis Pater, Pater perfectus subsistens, perfectus Filius subsistens et perfectus Spiritus sanctus subsistens, una divinitas, una dominatio, una potestas [d]. » Et in hæresi Sabellianorum : « Trinitas semper Trinitas erat, nec unquam Trinitas accessionem capit, quæ est una divinitas, una dominatio, una glorificatio [e]. » Sic in Arianorum et Anomœorum hæresibus confutandis passim id inculcat, nec non in *Ancorato* [1].

Basilius in oratione *de Fide* [2] : « Illic Pater, inquit, et Filius et Spiritus sanctus, quæ est increata natura, dominatrix dignitas, naturalis bonitas [f]. »

Dionysius apud Euthymium : « Deus est, inquit, essentia quidem tanquam ipsa entitas, non essentia vero tanquam essentiæ præcellens et effector essentiæ. Rursus et unitas dicitur et non unitas. Unitas quidem quia est ipsa unitas, non unitas vero quia unitate omni superior est et omnis constitutor unitatis. Atque ejusmodi pleraque de Deo non deficienti, sed exsuperanti ratione dicuntur [g]. » Sed referta sunt Dionysii scripta talibus loquendi modis, ut cum Deum vocat ipsam essentiam hoc est αὐτοουσίαν, αὐτοουσίωσιν, αὐτοζωήν, αὐτοδύναμιν et alia sexcenta quæ supra commemoravimus.

Ipsam substantificationem, ipsam vitam, ipsam virtutem.

Ita Gregorius Nazianzenus personas tres

a Abuc. Καὶ γὰρ ἡ θεωρία οὐκ ἔστι κωλυτικὴ τῆς ὑπάρξεως.

b Ibid. Διὰ τοῦτο τὸν μὲν Θεὸν κατηγοροῦμεν κατὰ τῆς ὑποστάσεως, ὡς ἐν ὑποστάσει θεωρούμενον· τὴν δὲ θεότητα οὐδαμῶς, ὡς καθ' ἑαυτὴν οὖσαν, καὶ ἄνευ ὑποστάσεως θεωρουμένην.

c Cyril. lib. VII. *Thesaur.* Ἄλλως τε ἕτερον οὐκ ἂν εἴη φύσις Θεοῦ παρ' αὐτόν· ἁπλοῦς γὰρ καὶ ἀσύνθετος.

d Epiph. hær. 57. num. 4. Εἷς Θεὸς ὁ τῆς ἀληθείας πατὴρ τέλειος ἐνυπόστατος, υἱὸς τέλειος ἐνυπόστατος, καὶ ἅγιον πνεῦμα τέλειον ἐνυπόστατον, μία θεότης, μία δεσποτεία, μία κυριότης

e Idem, hær. 62, num. 5. Ἀλλ' ἀεὶ μὲν ἦν τριὰς τριὰς, καὶ οὐδέποτε ἡ τριὰς προσθήκην λαμβάνει, μία οὖσα θεότης, μία κυριότης, μία δοξολογία οὖσα.

f Basil. Ἐκεῖ πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἡ ἄκτιστος φύσις τὸ δεσποτικὸν ἀξίωμα, ἡ φυσικὴ ἀγαθότης.

g Dion. par. I. tit. III. Οὐσία μὲν, ὡς αὐτοοντότης· οὐκ οὐσία δὲ, ὡς ὑπερούσιος, καὶ οὐσιοποιός· ἔστι δὲ καὶ ἑνὰς, καὶ οὐχ ἑνάς· ἑνὰς μὲν ὡς αὐτοενότης· οὐχ ἑνὰς δὲ, ὡς ὑπὲρ ἑνάδα πᾶσαν, καὶ πάσης ἑνάδος ὑποστάτης· καὶ πολλὰ τοιαῦτα ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενα μὴ κατ' ἔλλειψιν, ἀλλὰ καθ' ὑπεροχήν.

1 Num. 10. — 2 Citatur ab Euth. tit. II.

vocat, « vitas et vitam, lumina et lumen, bona et bonum, glorias et gloriam, verum et veritatem et spiritum veritatis, sancta et ipsammet sanctitatem [a]. »

Maximus quoque martyr apud Euthymium: « Pater et Filius et Spiritus sanctus est divinitas [b]. » Idemque Spiritum sanctum appellat « vitam essentialiter subsistentem [c]. » Et alio in loco : « Deus quidem tanquam ipsamet existentia et ipsamet bonitas et ipsamet sapientia, vel potius omnibus istis præstantior, nihil habet omnino contrarium [d]. » Verum infinitæ sunt ejusdemmodi Græcorum Patrum sententiæ, quæ Deum personasque divinas divinitatem esse ipsam, ac cætera quæ Deo tribuuntur, abstractis nominibus prædicant, qualia in superioribus sparsim, ubi opportunum fuit nonnulla commemoravimus. Vide Cyparissiotum decade X capite VI et sequentibus.

Similiter et Latini.

IX. His Latini magno numero suffragantur, et imprimis Augustinus cujus ex innumeris unum modo proferemus locum ex epistola CCXXIV ubi stultam quorumdam refellit opinionem, qui « substantiam Patris in cœlo esse dicebant secundum quod Pater una in Trinitate persona est, divinitatem vero non in cœlo tantum sed ubique, quasi aliud sit Pater, aliud divinitas ejus quæ illi communis est cum Filio et Spiritu sancto. » Contra quos disputat sic, quod « divinitas Trinitatis quæ putatur alia esse quam est ipsa Trinitas, et propter hanc dici non tres deos sed unum Deum, quoniam ipsa est tribus una communis; aut substantia est aut non est substantia. Si substantia est et alia est quam Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, ut eadem simul Trinitas, procul dubio alia substantia est. Hoc autem veritas refellit et respuit. Si autem non est substantia ista divinitas, et ipsa est Deus, quia ipsa est ubique tota, non ipsa Trinitas, ergo Deus non est substantia. Quis hoc catholicus dixerit? Item si non est substantia ista divinitas, et secundum hanc est Trinitas unus Deus, quod hæc una est in tribus; non debuit dici Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ, sed unius divinitatis quæ non est substantia. »

Sed et antea scripserat : « Nunc vero tene inconcussa fide, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse Trinitatem et tamen unum Deum, non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas. » Qua ex Augustini doctrina cæteri deinceps hauserunt, indidemque tam privata sua confecerunt quam synodica decreta, e quibus insigne est Lateranense Innocentio tertio summo pontifice sancitum, quo contra Joachimum abbatem ex Petri Lombardi sententia definitur : « Quod una quædam res est incomprehensibilis quidem et inæstimabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres simul personæ ac singulatim quælibet earumdem. Et ideo in Deo Trinitas est solummodo non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina. »

Idem ex Gilberti c[...] natione Berna[...] disputatione c[...] gitur

X. In Rhemensi quoque synodo in qua Gilbertus Porretanus causam dixit, Gallicani præsules hanc adversus illum fidei formulam ediderunt præeunte sancto Bernardo, et Eugenio pontifici obtulerunt. « Credimus simpliciter naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus et Deus divinitas [1]. » Ac subinde, « nonnisi ea divinitate Deum esse, quæ est ipse. » Eugenius vero hoc ipsum statuit : « Ne aliqua ratio in theologia inter naturam et personam divideret, neve Deus divina essentia diceretur ex sensu ablativi tantum, sed etiam nominativi [2]. » Ex quibus constat nullam omnino præterquam *rationis* et ἐπινοίας admitti posse differentiam inter Deum et divinitatem aut essentiam.

Quod subtiliter et copiose Bernardus contra Gilbertum approbat primum hac ratione. Si enim divinitas non est reipsa Deus, « erit aliquid quod non est Deus aut nihil. Quod si aliquid est quod non est Deus, aut minor erit Deo aut major aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat ut aut majorem facias aut parem. Sed si major, ipsa est summum

a NAZIANZ. orat. 45. Ζωὰς, καὶ ζωὴν, φῶτα, καὶ φῶς, ἀγαθὰ, καὶ ἀγαθὸν, δόξας, καὶ δόξαν, ἀληθινὸν, καὶ ἀλήθειαν, καὶ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ἅγια, καὶ αὐτοαγιότητα.

b MAXIM. part. I. tit. II. Πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα ἡ θεότης.

c Idem. Καὶ μόνης ἀϊδίου ζωῆς οὐσιωδῶς ὑφεστώσης, πνεύματος ἁγίου πηγήν.

d MAXIM. apud. Euthym. tit. III. Ὁ μὲν θεὸς ὡς αὐτοϋπαρξις ὢν, καὶ αὐτοαγαθότης, καὶ αὐτοσοφία, μᾶλλον δὲ, καὶ ὑπὲρ πάντα ταῦτα, οὐδὲν ἔχει τὸ σύνολον ἐναντίον.

1 Apud Otton. Frising. lib. I. *de Gest. Frid.* cap. LVI. — 2 Ibid. cap. LVII.

bonum non Deus. Si par, duo sunt summa bona non unum. Quod utrumque catholicus refugit sensus [1]. »

Paulo post etiam Gilberti hanc interpretationem arguit, qui Boetii dictum illud : « Cum dicitur Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam, » sic exposuerat, « non quæ sed qua est ; » quod dici nollet « Deum esse substantiam sive divinitatem, sed substantia sive divinitate, » quod Eugenius reprehendit. « Absit, inquit Bernardus, ut assentiat catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam vel aliquam omnino rem, qua Deus sit et quæ non sit Deus. »

Idem Bernardus alibi hoc argumento utitur [2]. Si divinitas non est Deus sed divinitate Deus est, erit utique Deo illa melior. « Quomodo enim non melius Deo, si Deus non est quod dat Deo ut sit ? »

Sic Demetrius Cydonius populares suos oppugnat affirmantes Filium ex Patris hypostasi esse non ex οὐσίᾳ et *substantia*. Nam si ambo ista differunt, erit hypostasis οὐκ οὐσία *non substantia*. Quippe οὐσίᾳ, ei quod non est οὐσία opponitur. Porro quod non est οὐσία, ἀνούσιον dicitur. Quod autem est ἀνούσιον, est ἀνυπόστατον [a]. Ita res eo redigitur ut hypostasis Patris hoc est subsistentia non subsistat.

Substantia Substantiæ expers dicitur. Substantiæ expers est non subsistens.

XI. Altera Bernardi ratio quam et Lateranensis postea synodus adhibuit : Si divinitas vel essentia differt a Deo tribusve personis, jam quaternitas erit in Deo non Trinitas, ac divinitas ipsa forma erit personarum trium, neque vitari poterit quin compositus sit reipsa Deus ex iis rebus quarum una non est alia. Sic etiam Demetrius : « Si aliam rem esse monadem (hoc est unam essentiam) dicit, aliam vero Trinitatem, quaternitas erit id quod adoratur. Imo vero si aliud est in supersubstantiali Trinitate hypostasis, aliud vero proprietas ; quemadmodum tres sunt hypostases, ita tres erunt proprietates, et hoc modo senarius erit non Trinitas. Quod si aliud præter hæc est communis substantia, aliud vero quod communem operationem appellare volunt, perspicue octonarium esse continget. Quod si et naturalia his accedant, quæ, ut aiunt, infinita sunt ac numero potiora, tum ab invicem tum a substantia differunt, myrias erit id quod colitur [b]. » Hæc Demetrius contra Palamitas, quæ non id solum efficiunt uti Deus sit essentia sua et divinitas ; sed ut inter proprietates attributaque et essentiam ac Deum ipsum rei nulla differentia sit, quod iisdem quæ supra posui argumentis Bernardus demonstrat. « Nam et magnitudine, ait, dico magnum, sed quæ ipse est, ne majus aliquid Deo ponam : et bonitate fateor bonum, sed non alia quam ipse est, ne melius ipso aliquid mihi videar invenisse [3]. » Quod ipsum Augustini testimonio approbat, cujus bene multæ sunt de ea re sententiæ, ut et aliorum Patrum quorum supra meminimus.

XII. Atque ut de proprietatibus et attributis quæ qualitatum et accidentium instar in Deo considerantur a nobis, peculiare dicamus aliquid, licet de iis argumentantem hoc modo concludere. Res omnis aut substantia est aut accidens. Igitur quæcumque divinæ substantiæ proprietates esse dicuntur, si res sint ab ea distinctæ, vel substantiæ sunt diversæ vel qualitates et accidentia. Neutrum autem nisi impie ac nefarie suspicari de Deo possumus. Nam si substantiæ sunt, pluribus ex substantiis coagmentatus et concretus erit Deus. Imo plures erunt uno dii, quoniam quidquid increatum et æternum est, Deus sit oportet. Accidens vero, quod posterius est, nullum esse potest in Deo.

De proprietatibus quæ in Deo instar accidentium considerantur.

Hæc ipsa Gregorii Nazianzeni ratiocinatio est qua contra Pneumatomachos divinitatem sancti Spiritus affirmat : « Spiritus sanctus, ait, vel ex eorum numero quæ per se subsistunt omnino statuendus est, vel inter ea collocandus quæ in alio considerantur, quorum alterum substantiam, alterum accidens vocant qui harum rerum scientiam callent. Ac si quidem accidens est, operatio debet esse Dei. Quid

a Demet. lib. *de Process. Spirit. sanct.* cap. I. Τὸ γὰρ ἀντικείμενον τῇ οὐσίᾳ οὐκ ἔστιν οὐσία· καὶ ἡ οὐσία πρὸς τὸ μὴ ὂν οὐσία ἀντίκειται· ἀλλὰ τὸ μὴ ὂν οὐσία, οὐκ ἔστιν οὐσία· ὃ δὲ οὐκ ἔστιν οὐσία, ἀνούσιον· τὸ δὲ ἀνούσιον, ἀνυπόστατον.

b Demet. ib. cap. III. Εἰ ἄλλο μὲν πρᾶγμα λέγει εἶναι τὴν μονάδα, ἄλλο δὲ τὴν τριάδα, τετρὰς ἔσται τὸ προσκυνούμενον· μᾶλλον δὲ εἰ ἄλλο μὲν ἐπὶ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ἡ ὑπόστασις, ἄλλο δὲ ἡ ἰδιότης, ὥσπερ εἰσὶ τρεῖς ὑποστάσεις, ἔσονται καὶ τρεῖς ἰδιότητες· καὶ οὕτως ἑξὰς ἔσται, καὶ οὐ τριάς· εἰ δὲ ἄλλο πάλιν παρὰ ταῦτα ἡ κοινὴ οὐσία, ἄλλο δὲ ὃ βούλονται κοινὴν ἐνέργειαν καλεῖν, ὀγδοὰς εἶναι περιφανῶς συμβήσεται· εἰδὲ προσκέοιτο τούτοις καὶ τὰ φυσικὰ, ὡς λέγουσιν, ἄπειρα, καὶ ὑπὲρ ἀριθμὸν ὄντα, πρὸς ἄλληλα, καὶ τῆς οὐσίας διαφέροντα, μυριὰς ἔσται τὸ λατρευόμενον.

1 Serm. 80. *in Cant.* — 2 Lib. V. *de Considerat.* cap. VII. — 3 Serm. 80. *in Cant.* vide et lib. V. *de Consid.* cap. VII. et VIII.

enim aliud, aut cujus? Hoc profecto magis consentaneum compositionisque expers. Si operatio est, agetur haud dubie non aget, simulque ut actus fuerit desinet. Ejusmodi quippe est actus natura [a], etc. »

« Sin autem substantia est et non accidens, vel creatura censebitur vel Deus. Medium enim aliquid inter hæc aut quod neutrius particeps sit aut ex utroque compositum atque conflatum, ne ii quidem qui tragelaphos confinxerunt, intelligere queant [b]. » Hæc Nazianzeni collectio non modo Palamitarum sectam conturbat, qui ἐνέργειαν fingunt in Deo quæ non sit Deus et substantia Dei, sed etiam omnibus adversatur ex æquo qui re differens aliquid a Deo in Dei natura constituunt.

Nazianzeno Maximus accedit in disputatione cum Pyrrho [1], ubi quod non est substantia, id esse accidens et ποιότητα id est affectionem vel *qualitatem* pro concesso accipit [c].

Quin idem Nazianzenus de sanctitate Spiritus loquens: « Neque ex accessione, inquit, sanctitatem habet, sed est ipsamet sanctitas [d]. » Atqui si re differret a substantia Spiritus ejus sanctitas, hæc utique ad illam accederet neque unum dici alterum posset.

XIII. Fulgentius in libro *Responsionis contra Arianos* [2] lucis proprietatem quæ Deo sæpissime in sacris Litteris adscribitur, personis omnibus substantialiter convenire, adeoque lucem eas esse adversus Arianos probat qui alium esse dicebant patrem luminis, alium lumen. Quos sic ille reprehendit. « Qui non substantialiter possidet nomen luminis, non potest habere substantialiter vocabulum deitatis. Beatus quippe Joannes apostolus dicit : *Quoniam Deus lux est* [3]. Si ergo qui Deus est, lux est, qui lux non est, Deus non est. Quare lumen ex lumine credendus est Filius, quia de Deo natus est Deus. » Est ergo, ut ibidem disserit, tam Pater Lux quam Filius. Lucis autem nomine sapientiam significari mox ait, cujus æternæ *lucis candor* appellatur Filius *in sanctis eloquiis*. Ita enim librum *Sapientiæ* tantus vir nominat. « *Candor*, inquit, *lucis æternæ* [4], sapientia dicitur, quam lucem æternam Patrem esse universa christianitas profitetur. Quod si forte aliqui putant istam lucem æternam cujus sapientia candor est, Patrem accipi non debere, necesse est ut dum Deum Patrem lucem æternam denegant, aliam lucem æternam quærant cujus esse candorem sapientiam evidenter ostendant. Sed ipsi noverint quomodo possint aut lucem quæ Deus non sit, aut alteram lucem præter sapientiam quæ Deo coæterna sit invenire. »

XIV. Sed eximiam Maximi sententiam piaculum sit omittere ex dialogo primo *de Trinitate* contra Anomœum [5], ubi quæ multis capitibus explicavimus tam contra Græcos Palamitas quam nostros, rei discrimen inter ea quæ insunt Deo constituentes, compendio colligit et auctoritate sua comprobat. Objicienti enim hæretico, hypostasim personamve nostram ab iis quibus præditi sumus qualitatibus ornamentisque reipsa differre, velut ab immortalitate, idque etiam de divina hypostasi sentiendum esse, sic ille respondet : « Nequaquam. Sed ipsa hypostasis etiam immortalitas est, nec solum immortalitas, verum etiam incorruptibilitas et justitia, et sanctificatio et redemptio et dominatus et vis. Neque Deus hæc esse per compositionem dicitur, sed secundum diversas considerationes : immortalitas quidem quod desinere non possit, incorruptibilitas vero quod dissolvi nequeat, justitia propter æqualitatem [e], » etc. Hæc igitur omnia quæ nos velut Dei proprietates considerando fingimus, reipsa unum esse et ipsammet personam divinam esse scribit Maximus, ac sola ἐπινοίᾳ et *ratione* distingui sive *intellectu*, ut loquitur auctor libri *de Incarnatione Verbi*

Eximia Maximi sententia.

a Nazianz. orat. xxxvii. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἢ τῶν καθ' ἑαυτὸ ὑφεστηκότων πάντως ὑποθετέον, ἢ τῶν ἐν ἑτέρῳ θεωρουμένων· ὧν τὸ μὲν οὐσίαν καλοῦσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ, τὸ δὲ, συμβεβηκός· εἰ μὲν οὖν συμβέβηκεν, ἐνέργεια τοῦτο ἂν εἴη θεοῦ· τί γὰρ ἕτερον, ἢ τίνος; τοῦτο γάρ πως μᾶλλον καὶ φεύγει σύνθεσιν· καὶ εἰ ἐνέργεια, ἐνεργηθήσεται δηλονότι· οὐκ ἐνεργήσει, καὶ ὁμοῦ τῷ ἐνεργηθῆναι παύσεται· τοιοῦτον γὰρ ἡ ἐνέργεια, etc.

b Ibid. Εἰ δὲ οὐσία τις, οὐ τῶν περὶ τὴν οὐσίαν· ἤτοι κτίσμα ὑποληφθήσεται, ἢ θεός· μέσον γάρ τι τούτων, ἤτοι μηδετέρου μετέχον, ἢ ἐξ ἀμφοῖν σύνθετον, οὐδ' ἂν οἱ τοὺς τραγελάφους πλάττοντες ἐννοήσαιεν.

c Maxim. Εἰ οὐσία οὐκ ἔστι, ποιότης ἐστί.

d Nazianz. orat. 23. A. Οὐδὲ ἐκ προσθήκης ὁ ἁγιασμὸς, ἀλλ' αὐτοαγιότης.

e Max. Οὔ· ἀλλὰ αὐτὴ ἡ ὑπόστασις καὶ ἀθανασία ἐστί· καὶ οὐ μόνον ἀθανασία, ἀλλὰ καὶ ἀφθαρσία, καὶ δικαιοσύνη, καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις, καὶ κυριότης, καὶ δύναμις· καὶ οὐκ ἔστι κατὰ σύνθεσιν ταῦτα ὁ θεὸς, ἀλλὰ κατὰ διαφόρους ἐπινοίας, λεγόμενος· ἀθανασία μὲν διὰ τὸ ἀτελεύτητον· ἀφθαρσία δὲ, διὰ τὸ ἄλυτον· δικαιοσύνη, διὰ τὸ ἴσον, etc.

1 Apud Baron. in calce tom. VIII. — 2 *Resp.* 6. — 3 I *Joan.* I. 5. — 4 *Sap.* VII. 26. — 5 Est dial. I. Athan. inscriptus tom. II.

qui in appendice operum Augustini legitur ubi de veritate, sapientia, vita, cæterisque Deo attributis agens ita scribit : « Quæ quidem quamvis intellectu multa esse dicantur, re tamen et substantia unum sunt, in quibus est plenitudo divinitatis[1]. » Ac postremo ideo unum hæc omnia esse cum Deo censet Maximus, ne compositus sit et ab nativa simplicitate excidat. In quo tam Palamitis quam iis repugnat omnibus, qui citra rationem considerationemque mentis humanæ per se ac reipsa discerni putant in Deo aliquid ab altero. Non enim vitare possunt quin si plura in Deo sint non ratione sola, sed reipsa distincta, fiat ex iis conjunctis invicem et conglobatis unum aliquid compositum. Nam nisi juncta secum et mutuo apta illa sunt, separatim existent, ac tum et Deus justus, sapiens, omnipotens erit ea justitia, sapientia, et omnipotentia quæ ab eo sejuncta est; quod perinde est ineptum ac si paries eo sit candore candidus qui in ipso non est, ut acute Becanus noster argumentatur[2]; et singulæ istæ proprietates totidem erunt dii, quia infinitæ sunt et æternæ. Quare necesse est consertas invicem et copulatas unum aliquod efficere idque compositum, nec « merum simplex, nec ejusmodi quo melius cogitari non potest, » ut cum Bernardo loquar. Melius enim sit quod « tam non habet hoc et illud, quam non hæc et illa, quodque unum est sed non unitum. »

Anselmi discursus.

XV. Itaque et hic compositum fore Deum existimavit, si plura in eo collecta sunt ex rei natura distincta, et Anselmus qui imprimis in capite *Monologii* quintodecimo Deum ostendit non modo justum et bonum et magnum et sapientem esse, sed etiam justitiam et bonitatem et magnitudinem et sapientiam, idque hac ratione concludit, quia si non hæc esset summa illa substantia, per aliud justa aut bona aut magna esset non per se. Atqui « per se justa est non per aliud. Si igitur non est justa nisi per justitiam, nec summa potest esse nisi per se, quid magis conspicuum, quid magis necessarium quam quod eodem natura est ipsa justitia; cum justa per se dicitur esse, non aliud intelligitur quam per justitiam? » Igitur si per se differt a justitia vel sapientia Dei natura et οὐσία, non erit hæc justitia. Non enim id esse potest a quo differt. Nam si est, non differt. Nihil enim ab eo quod est, id est a seipso differt. Quare justa et sapiens erit substantia Dei, hoc est habens justitiam et sapientiam, atque ex se nec justa nec sapiens erit nec omnipotens, sed per aliud quod non est ipsa, nimirum per justitiam et sapientiam et potentiam quam habet. Si quidem esse sapientem est habere sapientiam. Sicut « cum dicitur animatum, est illud quod habet animam, » sed non est anima, ut ait sanctus Thomas[3]. Ita nihil a rebus creatis creatoris conditio distat. « Nec ingrati refugit culpam, ait Fulgentius, qui creatoris immensitatem perpetuam et perpetuitatem immensam creaturarum putaverit qualitatibus æstimandam[4]. » Verum non eadem ratione Dei natura justa dicitur qua hominis, exempli gratia. « Quoniam homo non potest esse justitia, inquit Anselmus, justitiam autem habere potest. Non enim intelligitur justus homo existens justitia, sed habens justitiam. At summa natura non proprie dicitur justa, quia habet justitiam, sed existit justitia, » ut idem sit justam eam dicere quod esse justitiam. Quare « illa est summa essentia et summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas, quod non est aliud quam summe ens, summe vivens et alia simpliciter. »

Substantiam ab operatione.

XVI. Hæc Anselmus qui cum asserit, Deum ac divinitatem hoc esse quod habet, Græcorum Palamitarum frangit inscitiam. Qui in Tomo synodico cujus supra memini hoc argumento inter alia demonstrant οὐσίαν ab ἐνεργείᾳ reipsa discrepare, quoniam sanctus Dionysius ait « id quod nullam vim aut operationem habet, neque esse neque aliquid esse. Atqui, inquiunt, id quod habet ab eo quod habet omnino re differt aliqua. Quare si nulla est differentia divinæ substantiæ et operationis, non potest operationem habere Dei substantia. Quod autem operationem non habet, nihil operari potest; at quod nihil operari potest, minime ipsum existit[a]. » Ita Græci disputant,

[a] DION. Τὸ μηδεμίαν δύναμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε ἔστιν, οὔτε τι ἔστιν· Tomus. Τὸ ἔχον οὖν ἔχει, κατά τι διαφέρει πάντως· εἰ οὖν οὐκ ἔστι διαφορά τις θείας οὐσίας, καὶ ἐνεργείας, οὐκ ἔστιν ἔχειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἐνέργειαν· τὸ δὲ μὴ ἔχον ἐνέργειαν, ἀνενέργητόν ἐστι· τὸ δὲ ἀνενέργητον, καὶ ἀνύπαρκτον.

1 Tom. IV. oper. Aug. lib. II. cap. XIX. — 2 Tract. I. *de Attr.* cap. I. q. 1. — 3 Libro *de Ente et essent.* cap. IV. — 4 Lib. I. *ad Trasim.* cap. IV.

prorsus inscite et imperite, quibus præter Anselmum opponendus est Augustinus, sæpe hoc usurpans, Deum id esse quod habere dicitur, atque « ideo simplex, ait, dicitur, quia quod habet hoc est, excepto eo quod relative quæque persona ad alteram dicitur[1]. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius, et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater. In quo ergo ad seipsum dicitur non ad alterum, hoc est quod habet. Sicut ad seipsum dicitur vivens, habendo utique vitam, et eadem vita ipse est. » Sic Prosper : « Virtus, inquit, principaliter Deus est, cui non aliud est habere virtutem quam esse virtutem[2]. » Bernardus quoque simplicitatis hoc esse divinæ asserit, quod « in semet manens quod habet est[3]. » Quare si differt ab eo quod habet natura Dei, velut a sapientia et justitia, non erit simplex. Atque ut Græcos Græco maxime teste convincamus, meminerimus sanctum Maximum quod paulo ante commemoravimus dicere *Deum esse immortalitatem*. Nec tamen ignorare potuit quod apud Apostolum legerat, *Deum habere immortalitatem*[4]. Ergo idem est in Deo esse quod habere immortalitatem, vitam et cætera. « Non enim est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse, » ait Augustinus, et : « Quidquid secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam vel essentiam est intelligendum. Absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, et bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam[5]. »

XVII. Redeo ad Anselmum qui in capite decimo sexto *Monologii* postquam statuit summam naturam tot bonis præditam, vel « compositam esse tot pluribus bonis, vel potius non esse plura bona sed unum bonum tam pluribus nominibus significatum, » posterius hoc Deo convenire, prius autem abhorrere ab illius dignitate sic ostendit : « Omne enim compositum ut subsistat indiget his ex quibus componitur, et illis debet quidem quod est, quia quidquid est, per illa est; et illa quod sunt, per illud non sunt, et idcirco penitus summum non est, etc. Cum igitur illa natura nullo modo composita sit, et tamen omni modo tot illa bona sit, necesse est ut illa omnia non plura sed unum sint. » Quamobrem cum divinæ naturæ simplicitate illa quam catholica commendat fides, non potest hæc illorum opinio consistere qui proprietates illius cum ab ipsa tum a se mutuo vel reipsa vel alio modo quam intellectu ac notione discernunt : « Cum nec divina simplicitas, ut recte Fulgentius docet, particularem sibi diversitatem adscribi permittat, unde non immerito compositioni subjaceat[6]. »

CAPUT VIII.

De divina monade sive unitate, ecquid in Deum competat, quave ratione. Variæ de ea re veterum sententiæ, partim aientium, partim negantium. Utrique porro declarantur, et ostenditur Deum exquisita quadam ratione secundum essentiam unum esse, imo unitatem.

I. Divinæ naturæ simplicitatem quam longa disputatione commendavimus, plurimum illustrabit ea quam hoc capite suscipimus, ejusdem substantiæ μονάδος sive ἑνάδος hoc est *unitatis* explicatio. Sunt enim illa invicem ambo connexa, ut « quod natura maxime est simplex et idem, id præcipue sit unum, » ut ait Gregorius Nazianzenus[7]. Sed ante omnia ratio ipsa cognoscenda est *unitatis* vel *unius*[a], quam in *Metaphysicis* exponit Aristoteles[8]. Ex quo certum est istud imprimis dici hoc unum quod non est divisum ac multiplex. Nam « quæcumque, ait, divisionem non habent quatenus non habent, eo ipso dicuntur unum[b]. » Et Maximus[9] : « Qui, inquit, nomen ipsum unius appellat, multiplicitatis negationem significat[c]. » Idem autem Aristoteles dici unum modis duobus ait, altero κατὰ συμβεβηκὸς *ex accidenti*, quod est κατὰ τὸ ὑποκείμενον *ratione subjecti*, ut ex subjecto et eo quod huic accidit unum fieri dicitur, ex candore et pariete candidum. Item quæ plura eidem accidunt et inhærent, unum inter se sunt, uti musicus idem et justus est. Altero modo per se unum vocatur, idque varie ab eodem Aristotele distribuitur[10]. Sed hanc solam ex eo divisionem sumimus quam et Damascenus adhibet et

a Naz. Οἷς δὲ ἁπλῆ φύσις, καὶ τὸ εἶναι ταὐτὸν, τούτοις καὶ τὸ ἓν κύριον.

b Arist. Καθόλου γὰρ, ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται.

c Maxim. Αὐτὸ γὰρ τὸ ὄνομα τὸ ἓν ὁ λέγων, κατὰ ἀπόφασιν τοῦ πολλαπλοῦ τοῦτο σημαίνει.

1 Lib. II. *de Civit. Dei.* cap. x.—2 Cont. coll. cap. xxvii.—3 Serm. 80. *in Cant.* —4 I *Tim.* vi. 16.—5 Lib. XV. *de Trinit.* cap. xiii.—6 Lib. I. *ad Trasim.* cap. iii.—7 Orat. xxxii.—8 Arist. lib. IV. *Metaph.* cap. vi.—9 Ad cap. xiii. Dion. *de Divin. nom.*—10 Dial. cap. xxxvii.

Quibus modis sit unum.

Boetius [1], qua unum trifariam partitur ut sit aliud genere unum, aliud specie, aliud numero. (Nam quartam speciem unius quæ est κατὰ τὴν ἀναλογίαν, ut minime necessariam omittimus.) Ex quibus omnibus præcipuum esse docet id quod et per se et numero est unum.

Analogica.

Quinam de Deo primum unitatis genus solum affirment.

II. Jam qui in Deo proprietates aliquas constituunt reipsa, hoc est aliter quam *ratione* et ἐπινοίᾳ distinctas et a se mutuo et ab illius substantia, in primum illud genus unius quod secundum accidens vel subjectum appellatur, includunt unitatem Dei. Omnium autem id maxime faciunt Græci Palamæ sectatores qui absurdius quam ut homines, ne dicam christianos, deceat, de hoc discrimine senserunt. Sed et proportione reliqui ad eumdem opinionis errorem implicati sunt, qui rei differentiam invehunt in ea quæ nos in Deo ac de Deo cogitamus. Etenim proprietates illæ omnes tam σχετικαὶ et ὑποστατικαὶ quam absolutæ, si ab essentia ipsa vel substantia re discrepant, hoc est cogitante nemine; formæ sunt quædam substantiam vel subjectum afficientes et unum cum illa componentes Deum, non οὐσιωδῶς unum hoc est *secundum substantiam* (siquidem a substantia differunt) sed κατὰ τὸ ὑποκείμενον, quo cum unum sunt, adeoque secum invicem, primo illo genere unius quod *ex accidenti* dicitur, quo aliquid « tanquam habitus vel affectio substantiæ » convenit, ut Aristoteles loquitur [a]. Non enim tribui Deo affirmarique de ipso aliter possunt, quam ut in eo sint ejusque substantia. Nam si extra Deum sunt, non potest ab illis denominari, neque justus aut sapiens vocari ab ea justitia et sapientia quæ non vel ipse sit vel in ipso. Quamobrem qui alterum detrahunt, ut sua ipse justitia sit, alterum concedant necesse est, esse aliquid in Deo velut formam a qua talis appelletur, et qua cum subjecto et ex accidente sit unum.

Relativæ et hypostaticæ.

Secundum suppositum.

Verum procul arceri a Deo debet unitatis illud genus quod κατὰ συμβεβηκὸς nominant. Est enim uti ens omnium perfectissimum ac summum, ita summe perfectissimeque unum. Quippe propria hæc est conditio τοῦ ὄντος ut sit unum. Imo « quæ sunt et entia dicuntur, uno ipso sive unitate sunt entia, » ut ait Plotinus [2] : « tam quæ primarium inter illa locum obtinent quam quæ infimum habent. Quid enim esse poterunt nisi sint unum? Quod si illis subtrahas quod esse dicuntur, amplius non erunt. Nam neque exercitus est nisi unum sit, neque chorus, neque grex [b] » ac cætera ejusmodi quæ latius edisserit, et in iis quæ per se sunt, verum illud esse demonstrat, denumque concludit : « Eorum quæ dicuntur unum sic unumquodque esse unum, quomodo se habet id quod est. Quare quæ minus sunt entia, minus unum obtinent, quæ autem magis sunt, magis sunt unum [c]. » Ita Deus cum sit primum ens, « erit etiam primarium unum, quod potiori cæteris jure unum dicitur, » ut in *Parmenide* Plato [d], ex eoque Plotinus alio in loco scribit [3], ubi et de uno multa copiose ac subtiliter. Augustinus item libro primo [4] *de Moribus Manichæorum* de uno similiter ac Plotinus ita disserit : « Nihil est esse quam unum esse. Itaque inquantum quodque unitatem adipiscitur, intantum est. Unitatis est enim operatio convenientia et concordia, qua sunt inquantum sunt ea quæ composita sunt. Nam simplicia per se sunt quia una sunt, quæ autem non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, et intantum sunt inquantum assequuntur. » Sic Boetius : « Omne quod est, tamdiu manere atque subsistere ait quamdiu sit unum, sed interire, atque dissolvi pariter cum unum esse destiterit [5]. »

Ex accidenti.

Entis.

Iidem refelluntur.

III. Quocirca unitatis exquisitissimo genere unus est Deus, quod unum esse numero tradit Aristoteles. Genere enim aut specie esse non potest, quia neque plures sunt divinitatis species, neque plures sub eadem specie singulares dii; quod partim in secundo hujus libri capite probavimus, partim explicandum erit cum de Trinitate dicemus. Ac præclarum inter alia Aristotelis est istud : « Ea quorum est indivisa notio illa quæ rei essentiam percipit, neque separari potest vel tempore vel loco vel ratione, maxime unum ista sunt, et

Deus numero unus.

a Arist. loc cit. Ὡς ἕξις, ἢ πάθος τῆς οὐσίας.

b Plot. Πάντα τὰ ὄντα τῷ ἑνί ἐστιν ὄντα· ὅσα τε πρώτως ἐστὶν ὄντα, καὶ ὅσα ὁπωσοῦν λέγεται ἐν τοῖς οὖσιν εἶναι· τί γὰρ ἂν καὶ εἴη, εἰ μὴ ἓν εἴη; ἐπείπερ ἀφαιρεθέντα τοῦ ἕν, ὃ λέγεται, οὐκ ἔστιν ἐκεῖνα· οὔτε γὰρ στρατὸς ἔσται, εἰ μὴ ἓν ἔσται, οὔτε χορὸς, οὔτε ἀγέλη, μὴ ἓν ὄντα· ἀλλ' οὐδὲ οἰκία, ἢ ναῦς τὸ ἓν οὐκ ἔχοντα.

c Ibid. Τῶν γὰρ ἓν λεγομένων οὕτως ἕκαστόν ἐστιν ἓν ὡς ἔχει, καὶ ὅ ἐστιν· ὥστε τὰ μὲν ἧττον ὄντα, ἧττον ἔχει τὸ ἓν, τὰ δὲ μᾶλλον, μᾶλλον.

d Plato. Τὸ πρῶτον ἕν, ὃ κυριώτερον ἕν.

1 Libro *de Trinit. ad Symm.* — 2 *Enn.* 6. lib. IX. cap. I. — 3 *Enn.* 5. lib. I. cap. I. — 4 Cap. VI. — 5 Boet. lib. III. *de Consol.* prosa 11.

inter ea præsertim quæ sunt substantiæ [a]. » Hæc autem numero sunt unum, cujusmodi si vere et ut sunt in sese considerentur, nullam intelligentiæ differentiam afferunt. Si, inquam, illorum natura liquido ac sincere percipiatur, sine fuco et involucro adhærentium qualitatum et accidentium, quod ista verba demonstrant : *Notio illa quæ rei essentiam percipit.* Hoc est ut recte declarat Asclepius *in Scholiis ex Ammonio :* « quæ essentiam ipsam per semetipsam intelligit, neque ad hoc accidente utitur [b]. » Est igitur ejusmodi unum numero. Ac proxime antea scripserat Aristoteles : « Illa unum esse quorum ratio essentiam rei declarans indivisa est ad aliam, quæ rei essentiam exprimit. Nam omnis ratio per se ipsa dividitur [c]. » Hoc modo sunt unum quæ una essentia et essentiæ indice definitione censentur, uti singularia sub eadem infima specie comprehensa. Nam communis est illorum definitio quæ aliam sub se definitionem non continet, quemadmodum generum definitio. Ideo dicitur ab Aristotele non dividi in aliam essentiæ definitionem, quamvis ipsamet in se dividi possit in eas ex quibus componitur partes, hoc est genus et differentiam, ad quæ omnis definitio redigitur. Quod si rei cujuspiam ea ratio essentiaque sit in qua nullæ discerni partes queant, si liquido cognoscatur, quis dubitet excellenti illam genere unitatis esse præditam, quod cætera omnia superet et excellat? Talis est Deus qui et substantia est singularis numero, ut esse plures nequeant : et essentia, si ut in se est intelligatur, plane simplici ac nullas partes habente constituitur, uti partim ex antedictis apparet, partim alibi demonstrabitur.

IV. Quin illud Aristotelis ejusdem de uno dictum in decimo metaphysicæ libro magnopere probamus et ad illustranda theologiæ dogmata obiter asciscimus [1] : « ad unum pertinere ac referri idem, simile et æquale : multitudinis vero proprium esse diversum, dissimile, inæquale [d]. » Qua ex sententia concluditur eumdem et æqualem ac similem Patris esse Filium, cum sit amborum una substantia, de quo alias plura.

Quocirca cum « unius nomen multiplicis ac divisi negationem significet, » uti sanctus Maximus docet [e]; qui præcipua quadam ratione unus est [2], et, ut Bernardus loquitur [3], *unissimus* Deus, ab omni est longissime remotus divisione ac multitudine partium. Quod fit duobus modis. Nam et essentia vel substantia singularis est illius, neque multiplicatur in personas ac velut individua, uti formæ ac species. Deus maxime unus.

Itaque Maximus apud Euthymium [4] : « Unus est, inquit, Deus, quoniam una divinitas est initio carens, simplex et supersubstantialis, partium expers et individua, eadem unitas et Trinitas. Tota unitas ipsa et tota ipsa Trinitas, unitas tota secundum substantiam ipsa, et Trinitas tota secundum hypostases ipsa [f]. »

Et Damascenus unitatem naturæ communis quæ creatis rebus individuisque convenit, ratione et intelligentia sola non reipsa constare putat [5], ut cum Petrum ac Paulum eamdem habere naturam dicimus; at singularium inter se discrimen reipsa considerari. In sacrosancta vero Trinitate naturam reipsa unam esse, non mentis nostræ cogitatione; divisionem autem et quasi divulsionem a se invicem, non rei sed rationis esse : « ac personam unamquamque non minus cum altera qualibet unum esse quam cum seipsa, quoniam, (ut mox addit), indivisa in divisis est divinitas [g]. » De quo Damasceni loco deque unitatis genere isto in explicando Trinitatis mysterio disputandi tempus erit.

a Arist. loc. cit. Ὅλως δὲ ὧν ἡ νόησις ἀδιαίρετος ἡ νοοῦσα τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ μὴ δύναται χωρίσαι, μήτε χρόνῳ, μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ, μάλιστα ταῦτα ἕν, καὶ τούτων ὅσα οὐσίαι.

b Asclep. Ἡ τις νοεῖ τὴν οὐσίαν αὐτὴν καθ' αὑτὴν μὴ προσχωμένη συμβεβηκότι· ἔστιν οὖν τὸ τοιοῦτον ἓν τῷ ἀριθμῷ.

c Arist. Ἔτι δὲ ἓν λέγεται ὅσων ὁ λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι λέγων ἀδιαίρετος πρὸς ἄλλον τὸν δηλοῦντα τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρᾶγμα· αὐτὸς γὰρ καθ' αὑτὸν πᾶς λόγος διαιρετός.

d Arist. Ἔστι δὲ τοῦ μὲν ἑνὸς, ὥσπερ καὶ ἐν τῇ διαιρέσει τῶν ἐναντίων διεγράψαμεν, τὸ αὐτὸ, καὶ ὅμοιον καὶ ἴσον· τοῦ δὲ πλήθους, τὸ ἕτερον, καὶ ἀνόμοιον, καὶ ἄνισον.

e Maxim. Αὐτὸ γὰρ τὸ ὄνομα τὸ ἓν ὁ λέγων, κατὰ ἀπόφασιν τοῦ πολλαπλοῦ τοῦτο σημαίνει.

f Idem. Εἷς Θεὸς, ὅτι μία Θεότης ἄναρχος, καὶ ἁπλῆ, καὶ ὑπερούσιος, καὶ ἀμερὴς, καὶ ἀδιαίρετος, ἡ αὐτὴ μονὰς, καὶ τριάς· ὅλη μονὰς ἡ αὐτὴ, καὶ ὅλη τριὰς ἡ αὐτή· μονὰς ὅλη κατὰ τὴν οὐσίαν ἡ αὐτὴ, καὶ τριὰς ὅλη κατὰ τὰς ὑποστάσεις ἡ αὐτή.

g Damasc. Ἓν γὰρ ἕκαστον αὐτῶν ἔχει πρὸς τὸ ἕτερον οὐχ ἧττον ἢ πρὸς ἑαυτό. Id. ἀμέριστος γὰρ ἐν μεμερισμένοις (εἰ δεῖ συντόμως εἰπεῖν) ἡ Θεότης.

1 Cap. vi. — 2 In cap. xiii. Dion. *de Div. nom.* — 3 Lib. V. *de Consol.* cap. vii. — 4 *Panop.* part. I. tit. II. pag. 48. lat. — 5 Lib. I. cap. xi.

Interim illud minime prætermittendum est, præclare a Basilio unitatem illam communis et universalis naturæ propriam a divina segregari in capite XVII *de Spiritu sancto,* cum nonnullos refellit qui Spiritum sanctum non συναριθμεῖσθαι id est *connumerari* personis cæteris volebant, sed ὑπαριθμεῖσθαι hoc est *subnumerari.* « An igitur, inquit, subnumerationem istam sic intelligunt, ut sit communis cujusdam in subjecta divisio? At non puto ad tantam illos insaniam redactos esse, ut asserant universorum Deum velut communitatem esse quamdam ratione tantum intelligibilem, et in nulla existentem hypostasi, in subjecta dividi[a]. »

V. Rursus unum est non divinitas ipsa solum, sed etiam Deus, quod in se nullas omnino partes, neque simile quidquam partium, neque qualitatem aut accidens aut aliud habet denique quod vel tenuissime illius ab essentia differat. Ideo nullam prorsus ut in sese est ac revera non dico compositionem, sed ne speciem quidem illius continet. Hanc unitatis formam humana cogitatione ac sermone præstantiorem late Joannes Cyparissiotus enarrat tota decade decima et postrema. In qua omnia percurrens genera rerum, ostendit nihil prorsus in Deo distingui ab ejus essentia, adeoque unum esse cuncta quæ nos consideratione nostra distrahimus, ac præsertim ἐνέργειαν Dei quæ quidem in eo manet, ipsum esse Deum, quod adversus Palamitas usurpari potest, idque alio in loco tractabimus[1]. Nam reliqua quæ compositionem spectant tam οὐσιώδη quam quæ ex accidente fit, in superioribus capitibus exposita sunt, cum de summa cujusquemodi simplicitate Dei egimus; ex qua unitatis illa quam eximiam ipsi tribuimus, ratio proficiscitur.

Substantialem.

Quapropter ut ob maximam Dei simplicitatem quæ compositionem arcet omnem, fieri illic docuimus ut non Deus solum aut justus aut bonus aut pulcher aut magnus appelletur; sed etiam deitas, justitia, bonitas, pulchritudo, magnitudo : sic propter antecellentem omnibus Dei unitatem non unus ille tantummodo, sed unitas quoque nominatur. « Hinc per omnem, ait Dionysius[2], theologicam tractationem divinitatem illam omnium principem sacra prædicatione celebrari sic cernimus, tanquam et monadem atque unitatem propter simplicitatem ac singularitatem excellentis indivisibilitatis, etc. et Trinitatem ob expressionem supersubstantialis fecunditatis, quæ in tribus personis consistit[b]. » Idemque sub initium capitis Deum appellavit « unitatem quæ unitatem omnem facit unam. »

Deus non tantum unus sed unitas nominatur.

VI. Est etiam illud apud antiquos loquendi protritum genus, τριὰς ἐν μονάδι et μονὰς ἐν τριάδι, quod propter unitatem essentiæ posterius dici scribit Zacharias Mitylenæus[c]. Cujus perfectam rationem et antecellentem omnibus quæ unum dicuntur, Proclus, in epistola *ad Armenos,* ea re declarat quod insigniter individua sit : « Ut enim, ait, unitas non potest dividi in unitates duas ; quæ enim in ista dividitur non potest esse unitas sed binarius ; sic unum perfecta unione non potest in duo separari[d]. »

Trinitas in unitate et unitas in trinitate.

Maximus martyr in *Scholiis* ad caput septimum Dionysii *de Cœlesti hierarchia* sub finem illa verba explicans : « Monas est et unitas trisubsistens[e], » Evagrii sententiam citat ejusmodi : « Esse autem unitatem et monadem confirmat etiam impius Evagrius ita scribens in Centuriæ secundæ capitulo tertio. Quandoquidem Deus simplex est et indivisibilis, idcirco monas est. Nam et monas ut arithmetice dicam simplex est et compositionis expers. Unitas vero propterea dicitur, quod et secum unita est naturaliter sancta Trinitas et unit eos omnes qui ad ipsam accedunt. Sicut in Evangelio scriptum est : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*[f][3]. »

Cæterum inter μονάδα et ἓν vel ἑνάδα discri-

Monadem et unum vel unitatem.

a Basil. p. 185. Ἆρ' οὖν τοῦτο νοοῦσι τὴν ὑπαρίθμησιν τὴν τοῦ κοινοῦ εἰς τὰ ὑπεσταλμένα διαίρεσιν ; ἀλλ' οὐκ ἂν πιστεύσαιμι εἰς τοσοῦτον αὐτοὺς παραπληξίας ἐλαύνειν, ὥστε φάναι τὸν Θεὸν τῶν ὅλων, ὥσπερ κοινότητά τινα λόγῳ μόνῳ θεωρητὴν, ἐν οὐδεμίᾳ δὲ ὑποστάσει τὸ εἶναι ἔχουσαν, εἰς τὰ ὑποκείμενα διαιρεῖσθαι.

b Dion. Ὅθεν ἐν πάσῃ σχεδὸν τῇ θεολογικῇ πραγματείᾳ τὴν θεαρχίαν ὁρῶμεν ἱερῶς ὑμνουμένην· ὡς μονάδα μὲν, καὶ ἑνάδα, διὰ τὴν ἁπλότητα, καὶ ἑνότητα τῆς ὑπερφυοῦς ἀμερίας, etc. ὡς τριάδα δὲ, διὰ τὴν τρισυπόστατον τῆς ὑπερουσίου γονιμότητος ἔκφανσιν. Id. ἑνὰς ἑνοποιὸς ἁπάσης ἑνάδος.

c Zach. tom. I. *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* Τριάδα ἐν μονάδι, καὶ μονάδα ἐν τριάδι διὰ τὴν οὐσίαν.

d Procl. *ad Arm.* Ὥσπερ γὰρ ἡ μονὰς οὐκ ἂν τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαιρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλὰ δυάς· οὕτω τὸ ἓν κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς δύο.

e Dion. Μονάς ἐστι, καὶ ἑνὰς τρισυπόστατος.

f Maxim. Ὅτι δέ ἐστιν ἑνὰς, καὶ μονὰς, καὶ Εὐάγριος ὁ ἀνόσιος ἐν τῇ δευτέρᾳ ἑκατοντάδι, κεφαλαίῳ τρίτῳ φησὶ τοῦτο· ἐπειδὴ τὸ θεῖον ἁπλοῦν καὶ ἀδιαίρετόν ἐστι, τούτου χάριν μονάς· καὶ μονὰς γὰρ, ἀριθμητικῶς εἰπεῖν, ἁπλῆ καὶ ἀσύνθετός ἐστιν· ἑνὰς δὲ διὰ τοῦτο, ἐπειδὴ καὶ πρὸς

1 Cap. IV. et V. — 2 Cap. I. *de Div. nom.* — 3 Joan. XVII. 22.

men illud a Pythagoreis ponitur, « quod μονὰς in intelligibilibus et corpore carentibus locum habet, unum autem in numeris[a]. » Sed hoc discrimen plerumque negligitur. Quare Deo sæpius utrumque solent tribuere. Ita Philo Judæus libro tertio *Allegoriarum* : « Ordinatur, inquit, Deus secundum unum et monadem, vel potius et monas ipsa secundum Deum. Nam numerus omnis mundo est recentior, ut et tempus. Deus autem mundo est antiquior ejusque conditor[b]. » Et Simplicius, in Commentario *ad Epictetum*, Deum vocat ἑνάδα ὑπὲρ πάσας ἑνάδας, *unitatem quæ unitates omnes superat*. Tum : « Idem, ait, est unum et principium et bonum et Deus[c]. »

Monas vel enas. VII. Hanc porro causam esse cur Deus μονὰς vel ἑνὰς a christianis theologis appelletur, quam Dionysius attulit nimirum ut ejus summa simplicitas ostendatur in qua nulla compositio, partium nulla distinctio sit ; confirmat gravis imprimis auctor Athanasius sub initium quintæ ut inscribitur vulgo orationis *adversus Arianos*, contra quos Filium, qui *Dei sapientia* vocatur, ἐνούσιον id est, *substantialem* esse probat ex eo quod si forma quædam esset accidentis more Deum afficiens, neque simplex foret, neque indivisa unitas, sed compositus ex substantia et qualitate. Verba Athanasii : « Sed non sunt ista ut qualitas aliqua in Deo. Apage, indecorum enim istud est. Sic enim reperietur Deus compositus ex substantia et qualitate. Nam omnis qualitas est in substantia, ac proinde isto modo divina unitas cum sit indivisibilis, composita videbitur, in substantiam et accidens facta[d]. » Hinc evidens est ideo monadem esse Deum intelligi ab Athanasio, quod sit simplicissimus nec ulli partitioni locum præbeat. Sic et Maximus Dionysii interpres hujus illa verba explicans

Monadem et enadem Partium privatio. quæ paulo ante posui, quibus Deum μονάδα et ἑνάδα vocari ait a theologis, ut extrema simplicitas et ἀμέρεια significetur, causas dicti illius affert duas, quarum altera ex ipsa Dei substantia, altera ex modo agendi illius ducitur : « Nam quod molibus et quantitatibus obtinetur, hoc tanquam corpus in partes dividitur ; quod autem partibus caret, nullam corporis rationem exprimit, sed omnem incorporei conditionem excellit. Præterea monas ideo dicitur, quoniam mente cogitans Deus voluntate omnia produxit, neque ut mens aliqua in intellectiones divisa multiplex est factus. Sed cum mansisset, ac manens, ait, in unitate, sine partibus ac sine dissipatione ulla et produxit et producit quæcumque creata sunt. Nam *usque modo Deus operatur*, ut in Evangeliis dictum est. Quocirca simplicitate sua supra simplicitatem assurgit omnem, ac superat eo ipso quod partibus caret[e]. » Hinc Athanasius *monadem divinitatis* nominat *individuam et insecabilem*[f].

VIII. Ut autem antiquorum theologorum illa de Dei unitate doctrina fiat illustrior, quædam ex diversis eorum placitis exorta quæstio proponenda breviter ac disceptanda prius videtur. Sunt enim aliqui quibus unum numero appellari Deum non placet, ne sub numerum cadere putetur quem a Divinitate penitus excludunt. Alii ex adverso non solum μονάδα censent esse, sed ejus quoque vocabuli notionem ducunt a numero. Prioris partis propugnator est Basilius, qui in epistola centesima quadragesima prima quorumdam calumniam refellens, qui ipsi trium dogma deorum objecerant, unum esse Deum numero negat, natura fatetur. « Adversus eos autem, ait, qui nobis per calumniam trium deorum sententiam objiciunt, illud usurpetur, nos unum Deum non numero sed natura confiteri. Nam quidquid numero unum dicitur, hoc non

Monadem Deum vocari unum numero Basilio non placet, aliis non nullis.

ἑαυτὴν ἥνωται ἡ ἁγία τριὰς φυσικῶς, καὶ ἑνοῖ πάντας τοὺς αὐτῇ πλησιάζοντας, κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· ἵνα ὦσιν αὐτοὶ ἓν, ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἕν ἐσμεν.

a Auctor *Vitæ Pythag.* apud Phot. cod. 249. Ὅτι διαφέρειν ἔλεγον οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου μονάδα καὶ ἕν· μονὰς μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἐνομίζετο ἡ ἐν τοῖς νοητοῖς οὖσα, ἓν δὲ, τὸ ἐν τοῖς ἀριθμοῖς.

b Philo, initio libri III. *Alleg.* Τέτακται οὖν ὁ θεὸς κατὰ τὸ ἓν, καὶ τὴν μονάδα· μᾶλλον δὲ καὶ ἡ μονὰς κατὰ τὸν ἕνα θεόν· πᾶς γὰρ ἀριθμὸς νεώτερος κόσμου, ὡς καὶ χρόνος· ὁ δὲ θεὸς πρεσβύτερος κόσμου καὶ δημιουργός.

c Simplic. Ταὐτὸν γὰρ ἐστιν ἓν, καὶ ἀρχὴ, καὶ ἀγαθὸν, καὶ θεός.

d Athan. Ἀλλὰ μὴ ὡς ποιότης τις ταῦτα ἐν τῷ θεῷ· ὄπαγε, ἀπρεπὲς τοῦτο· εὑρεθήσεται γὰρ σύνθετος ὁ θεὸς ἐξ οὐσίας, καὶ ποιότητος· πᾶσα γὰρ ποιότης ἐν οὐσίᾳ ἐστί· κατὰ τοῦτο δὲ ἡ θεία μονὰς ἀδιαίρετος οὖσα σύνθετος φανήσεται, τεμνομένη εἰς οὐσίαν, καὶ συμβεβηκός.

e Maxim. Τὸ γὰρ ὄγκοις, καὶ πηλικότησι διειλημμένον, τοῦτο, ἅτε καὶ σῶμα, μερίζεται· τὸ δὲ ἀμερὲς, καὶ ἀνέμφατόν ἐστι σώματος· ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ πᾶσάν ἐστιν ἀσωματίαν· ἄλλως τε, ἐπειδὴ διανοηθεὶς ὁ θεὸς βουλητικῶς τὰ πάντα ὑπέστησεν, οὐχ οἷά τις νοῦς εἰς νοήσεις μερισθεὶς ἐπολλαπλασιάσθη· ἀλλὰ μείνας, καὶ μένων, φησὶν, ἐν τῇ ἑνάδι ἀμερῶς, καὶ ἀσκεδάστως, καὶ ὑπέστησε, καὶ ὑφίστησι τὰ ἐν τῇ κτίσει· ἕως γὰρ ἄρτι ἐργάζεται ὁ θεός· ὡς ἐν εὐαγγελίοις εἴρηται, ὑπερήπλωται οὖν πᾶσαν ἁπλότητα ἀμερῶς ὑπεραῖρον.

f Ath. or. 5. Μονάδα θεότητος ἀδιαίρετον, καὶ ἄσχιστον.

unum est revera neque natura simplex. Deus autem omnium confessione simplex est et compositionis expers. Non est igitur unus numero Deus. Quod autem dico, id ejusmodi est : unum esse numero mundum dicimus, sed non unum natura neque simplicem. Hunc in ea ex quibus constat elementa partimur, in ignem, aquam, aerem et terram. Rursus homo numero unus appellatur. Unum enim hominem sæpe dicimus. Verum non iste simplex est, ex corpore animaque compositus. Similiter et angelum dicimus unum numero, non unum natura neque simplicem. Nam substantiam cum sanctitate hypostasim esse angeli cogitamus. Quocirca si id omne quod est unum numero, non est unum natura, nos autem unum dicimus natura Deum, qui tandem numerum invehunt nobis, cum hunc ipsum nos ab felici et intelligibili natura prorsus excludamus? Est enim numerus quantitatis proprius, quantitas vero cum natura corporea implicata est. Quippe numerus naturæ est corporeæ [a]. » Ac subinde μονάδα et ἑνάδα esse confitetur Deum. « Omnis, inquit, numerus illa significat, quæ materialem et circumscriptam naturam sortita sunt. Monas autem et unitas simplicem et minime circumscriptam significat substantiam [b]. »

[illegible] et [illegible]

Ita Cyrillus in excerptis commentariorum libri VII et VIII in Joannem multiplicationis singularium causam refert ad corpora : « Una, inquit, in omnibus est naturæ definitio, et omnes natura sunt unum. In eo vero quod corporibus dividimur, non jam unum sunt multi. Quod quidem de Deo vero ac naturali dici nequit. Caret enim corpore, tametsi in propriis subsistentiis sanctam Trinitatem intelligimus [c]. » Quibus assentiri palam est sanctum Thomam et eos omnes, qui numerum omnem cum materia concretum esse volunt, atque ideo spiritualibus in rebus et materia carentibus nullam individui, numerove differentis inesse rationem existimant.

Sic Boetius : « Discretæ et continuæ quantitatis radix, inquit, una est, eo quod composita sunt ex una re et resolvuntur ad unum [1]. »

Dionysius autem non quia quantitatem unitas vel numerus significat, sed quia vel οὐσίαν, id est, *substantiam*, certam scilicet ac definitam exprimunt, idcirco segreganda censet a Deo : « Quoniam quod est unum in iis quæ sunt cadit sub numerum, numerus autem substantiæ est particeps. Quod autem supersubstantiale est unum, et ens illud unum et omnem numerum terminat, et est ipsum unius et numeri et entis omnis principium et causa et numerus et ordo [d]. »

Boetius, in libro *de Trinitate*, cum triplex illud unius sive ejusdem ac differentis genus exposuisset quod supra posui, estque vel genere vel specie vel numero, tum illa tria removet a Deo, tum postremum quod est numero, quia « numero differentiam accidentium varietas facit. » In Deo vero « nulla diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus. Igitur unitas tantum. Nam cum tertio repetitur Deus, cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluritatem numeri in eo quod ipsæ sunt, si advertamus ad res numerabiles

a BASIL. Πρὸς δὲ τοὺς ἐπηρεάζοντας ἡμᾶς τὸ τρίθεον ἐκεῖνο λεγέσθω, ὅτι περ ἡμεῖς ἕνα θεὸν οὐ τῷ ἀριθμῷ, ἀλλὰ τῇ φύσει ὁμολογοῦμεν· πᾶν γὰρ ὃ ἓν ἀριθμῷ λέγεται, τοῦτο οὐχ ἓν ὄντως, οὐδὲ ἁπλοῦν τῇ φύσει ἐστίν· ὁ δὲ θεὸς ἁπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖται· οὐκ ἄρα εἷς ἀριθμῷ ἐστιν ὁ θεός· ὃ δὲ λέγω τοιοῦτόν ἐστιν· ἓν ἀριθμῷ τὸν κόσμον εἶναι φαμεν· ἀλλ' οὐχ ἕνα τῇ φύσει, ἀλλ' οὐδ' ἁπλοῦν τινα τοῦτον· τέμνομεν γὰρ αὐτὸν εἰς τὰ ἐξ ὧν συνέστηκε στοιχεῖα, εἰς πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα, καὶ γῆν· πάλιν ὁ ἄνθρωπος εἷς ἀριθμῷ ὀνομάζεται· ἕνα γὰρ ἄνθρωπον πολλάκις λέγομεν· ἀλλ' οὐχ ἁπλοῦς τις οὗτός ἐστι ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς συνεστώς· ὁμοίως δὲ καὶ ἄγγελον ἕνα ἀριθμῷ ἐροῦμεν, ἀλλ' οὐχ ἕνα τῇ φύσει, οὐδὲ ἁπλοῦν· οὐσίαν γὰρ μεθ' ἁγιασμοῦ τὴν τοῦ ἀγγέλου ὑπόστασιν ἐννοοῦμεν· Εἰ τοίνυν πᾶν τὸ ἓν ἀριθμῷ, ἓν τῇ φύσει οὐκ ἔστιν, ἡμεῖς δὲ λέγομεν ἕνα τῇ φύσει θεὸν, πῶς ἐπεισάγουσιν ἡμῖν τὸν ἀριθμὸν, αὐτὸν πάντῃ ἡμῶν ἐξοριζόντων μακαρίας καὶ νοητῆς φύσεως; ὁ γὰρ ἀριθμός ἐστι τοῦ ποσοῦ· τὸ δὲ ποσὸν τῇ σωματικῇ φύσει συνέζευκται· ὁ γὰρ ἀριθμὸς τῆς σωματικῆς φύσεως.

b BASIL. Διὸ καὶ πᾶς ἀριθμὸς ἐκεῖνα σημαίνει τὰ ἔνυλον, καὶ περιγραπτὴν ἔχειν λαχόντα τὴν φύσιν, ἡ δὲ μονὰς καὶ ἑνὰς τῆς ἁπλῆς, καὶ ἀπεριλήπτου οὐσίας ἐστὶ σημαντικόν.

c CYR. in *Joan.* pag. 673. Εἷς γὰρ ἐν πᾶσιν ὁ τῆς φύσεως ὅρος, καὶ ἓν οἱ πάντες τῇ φύσει· ἐν δὲ τῷ διακεχωρίσθαι ἡμᾶς τοῖς σώμασιν, οὐκέτι ἓν οἱ πολλοί· ὅπερ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἐπὶ τοῦ κατὰ φύσιν θεοῦ· ἀσώματον γὰρ τὸ θεῖον· εἰ καὶ ἐν ἰδιαζούσαις ὑπάρξεσι τὴν ἁγίαν νοοῦμεν τριάδα.

d DION. Ἐπείπερ τὸ ὂν ἓν τὸ ἐν τοῖς οὖσιν ἐνάριθμόν ἐστιν· ἀριθμὸς δὲ οὐσίας μετέχει· τὸ δὲ ὑπερούσιον ἕν, καὶ τὸ ὂν ἓν, καὶ πάντα ἀριθμὸν ὁρίζει, καὶ αὐτό ἐστι, καὶ ἑνὸς, καὶ ἀριθμοῦ, καὶ παντὸς ὄντος ἀρχὴ, καὶ αἰτία, καὶ ἀριθμὸς, καὶ τάξις.

1 Lib. *de Unit. et uno.*

ac non ad ipsum numerum. Illic enim unitatum repetitio numerum facit. » Mox vero perinde ait nos Deum Patrem, Deum Filium ac Deum Spiritum sanctum ter Dei repetito vocabulo dicere, ut si rem eamdem tribus nominibus idem significantibus velimus exprimere, vel eodem ter repetito nomine *velut ensis, mucro, unus gladius; velut sol, sol, sol, unus sol.* Quod recte tamen admonet intelligendum sic esse, non ut Pater, Filius et Spiritus sanctus *quasi multivocum quiddam sit,* sed ut ratione essentiæ unus et idem, relationibus multiplex sit ac numero subjaceat. « Facta est itaque Trinitatis numerositas, inquit, in eo quod est prædicatio relationis, sed servata est substantiæ unitas in eo quod est indifferentia vel substantiæ vel operationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem. »

IX. Est insignis ea de re Ruffini locus in explicatione Symboli, ubi sic scribit: « Quod autem diximus Orientis ecclesias tradere unum verum Deum Patrem omnipotentem et unum Dominum, hoc non intelligendum est unum numero dici sed universitate. Verbi gratia: Si quis dicat unum hominem aut unum equum, hic unum pro numero posuit. Potest enim et alius homo esse et tertius vel equus. Ubi autem alius vel tertius non potest jungi, unus si dicatur, non unitatis sed universitatis est nomen. Ut si exempli causa dicamus unum solem, hic unus ita dicitur ut vel alius vel tertius addi non possit. Unus est enim sol. Multo magis ergo Deus cum unus dicitur, unus non numeri sed universitatis vocabulo nuncupatur, id est qui propterea unus dicitur quod alius non sit. »

Marius item Victorinus, cum in Deo propter summam ejus simplicitatem quidquid inest ipsam illius esse substantiam docuisset, inde unum esse numero concludit, et alia ratione non unum numero. « Omnia ergo ibi substantialiter, inquit [1], simplicia, inconnexa, unum numero, unum nec numero unum, sed ante numerum unum, id est ante unum, quod est in numero, hoc est plane simplex, solum sine hantasia, quod alterum. » Itaque omnia quæ in Deo sunt, *simplicia* et *inconnexa* hoc est minime composita aut applicata sibi esse dicit, atque idcirco unum numero Deum esse, vel potius unitate ac numero antiquius aliquid et melius. Quippe « simplex ac beata natura unum totum quod est omnia permanet, » ait Hilarius [2].

X. Ac quod numerum attinet, est quædam peculiaris causa propter quam a Deo removendum illum esse quidam veteres arbitrati sunt. Nempe in omni numero gradus quidam est et ordo prioris et posterioris, sive primi, secundi et tertii. « Numerus enim, ut ait Philo [3], ordini cognatus et consentaneus est [a]. » At in Deo nihil prius est aut posterius, natura scilicet ac dignitate, sic ut multiplex illa sit et una succedat alteri. Quare non est ibi numerus, aut alterius generis et conditionis est quam usitatus ac noster. « Cum audis unus, ait Paschasius [4], non hic numerus inchoatur, sed perfectio infinita colligitur. Quid est unus, nisi nomen incommunicabile quod nec posteriorem recepit nec priorem? Quid est unus nisi simplex, incomposita et indivisa substantia? Quid est unus, nisi incommunicabilis et inæqualis ac semper idem qui nunquam a se possit esse diversus? » Hic Paschasius unius significationes omnes attigit propter quas in Deum convenit, nimirum quod et simplex sit, neque partibus constet, et plures non sint ac diversi, et idem sine ulla varietate ac mutatione permaneat, ac denique quod nullus, uti jam dixi, gradus sit primi ac secundi. « Ideo non ut in nobis, ait Eulogius [5], sic in illa divinitate dicitur hoc illo prius, vel illud ab isto secundum aut tertium esse. Unitas est enim revera trinitas, et trinitas unitas, neque quoniam unitas est, trinitatem contrahens, neque quia trinitas est, unitatem dividens [b]. » Paucis hoc Arnobius in conflictu cum Serapione complexus est: « Trinitas ita est, inquit, ut non dicamus primus, secundus, tertius, sed unum, duo, tres. » Idque trium Augustorum exemplo sic probat: « Pone tres imperatores in uno regno, in una concordia, in una sede, in una suavitate, in uno amoris affectu, in una potestate, et quære in ipsis qui primum locum potestatis obtineat: sine dubio qui toti tres Augusti sunt, toti tres primi sunt, etc. Et si ordinem quem in hominibus prior ætas admisit, æqualitas potestatis excludit, quanto magis divina omnipotentia, ubi in Trinitate nullus anterior, nullus est

Argumen[tum] prioris s[en]tentiæ, (...) nem num[e]rum a D[eo] removen[di].

a Philo. Τάξει δ' ἀριθμὸς οἰκεῖον.

b Eulog. Διὸ οὐδὲ ἔστιν εἰπεῖν, ὥσπερ ἐφ' ἡμῶν, οὕτω καὶ ἐπ' αὐτῆς, ὅτι τόδε τούτου πρῶτον, ἢ ἐκεῖνο τοῦδε δεύτερον, ἢ τρίτον· μονὰς γὰρ ἀληθῶς ἡ τριὰς, καὶ τριὰς ἡ μονάς· οὔτε διότι μονὰς, τὴν τριάδα συστέλλουσα, οὔτε διότι τριὰς, τὴν μονάδα τέμνουσα.

1 Lib. III. — 2 Hilar. lib. X. — 3 Libro *de Cosmop.* — 4 Lib. I. *de Spiritu sancto.* cap. VI. — 5 Apud Phot. cod. 230.

omnino posterior, ita unitas, ita indivisa majestas, ut cum vere trium numerum teneant, vere unus Deus, origo pacis, quietis et tranquillitatis existat? »

XI. Valet ad idem comprobandum et Isidori Pelusiotæ locus iste ex epistola CXLIX libri tertii, ubi in Trinitate « neque ante neque post reperiri, ait, neque primum neque secundum aut tertium. Quippe numero superior est Deus et temporibus præstantior et omni cogitatione sublimior[a]. » Sic etiam epistola XVIII libri ejusdem scripsit, « Deum omni esse numero ac temporibus sublimiorem[b]. » Quare *Deum unum esse numero* negat apud Photium Eulogius codice CCXXX. Et Basilius in epistola jam citata, Spiritum sanctum, « quia natura simplex est, unum dici numero » non patitur, quoniam « id omne quod est unum numero, non est simplex[c]. » Cerealis item episcopus libro *contra Maximum Arianum*, capite XV: « Nec numeratur Deus quia non subjicitur numeris. Deus igitur noster unus est. Nam cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sit, nemo christianus tres deos poterit dicere, quia in nullo a se divina distat natura. Numerus siquidem ordinem sufficit, æqualitas non admittit. Alter enim primum sequitur, alteri tertius applicatur. Sed cum gradus fieri non possint ex paribus qui subdi possint, quemadmodum numeratur? Unus ergo erit, quia non habet secundum. Secundus quippe minoris ordinem tenet, et minor alterum facit; alter posteriorem indicat, posterior imparem signat. Remove distantiam, et quod numeres non habebis. » Ambrosius quoque libro primo *de Fide* unitatem sic admittit in Deo ut numerum rejiciat: « Pater, inquit, et Filius in divinitate unum sunt, ubi nec substantiæ nec voluntatis ulla est differentia. Namque aliter quomodo unum Deum dicemus? Diversitas plures facit, unitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia unitas numerus non est, sed hæc omnium ipsa principium est. » Plura de hoc argumento Maxentius præsertim dialogo secundo[1].

XII. Est et alia ratio monadis et unitatis quæ quidem numeri propria sit, a Deo removendæ, quod sit quantitatis et magnitudinis prorsus expers unitas. « Illud enim quod ratione quanti et ut quantum est dividi non potest, ac quod omnino tale est et situm non habet, monas dicitur; quod autem omnino tale est sed situm habet, punctum vocatur[d], » ut ait Aristoteles. Itaque monas sola propemodum negatio est extensionis et magnitudinis. Hoc autem Deo minus congruit, cujus ideo nulla quia infinita est et immensa magnitudo. Quapropter jure Plotinus unum illud excellens ac primum omnium quod est Deus, non sic unum esse docet quomodo monas aut punctum. « Hic enim anima magnitudinem ac numeri multitudinem detrahens, in minimum desinit et in aliquid incumbit, quod etsi individuum sit, erat tamen in re divisibili et quod est in alio. At ipsum unum neque in alio neque in re divisibili est, nec sic est individuum ut quiddam minimum. Est enim omnium maximum, non magnitudine quidem, sed potentia. Quare etiam qua potentiam habet, magnitudine caret[e]. »

XIII. Complures tamen monadem appellantes Deum, ne eam quidem proprietatem respuunt quod numeri sit principium, sed eam adhibent ultro. Et quidem necessario, si vere est hoc ab Aristotele scriptum[2]: « id quod est esse unum esse principium quoddam esse numeri[f]. » Porro Deus principium est rerum omnium: « In monade, ait Dionysius[3], numerus omnis una et simplici ratione subsistit prius, et omnem numerum in se monas singulariter continet, atque omnis numerus in monade quidem unitus est, quatenus vero a monade progreditur, eatenus dividitur et multiplicatur. Sic in centro lineæ circuli om-

Plures Deum numeri principium rationabilius admittunt.

a ISID. PELUS. Τριάδος μὴ τοῦ πρὸ, καὶ μετὰ μὴ ἀνεχομένης, μηδὲ τὸ πρῶτον, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον καταδεχομένης· ἀριθμοῦ γὰρ τὸ θεῖον ἀνώτερον, καὶ χρόνων κρεῖττον, καὶ πάσης ἐπινοίας ὑψηλότερον.

b Id. epist. 18. Καὶ ἀριθμοῦ γὰρ, καὶ χρόνων τὸ θεῖον ἀνώτερον.

c BASIL. epist. 141. Ἀλλ' οὐδ' ἁπλοῦν αὐτὸ τῇ φύσει, ὡς ἔοικεν, ὁμολογεῖ· ἀριθμῷ γὰρ ἓν αὐτὸ ὀνομάζει· πᾶν γὰρ, ὃ ἓν ἀριθμῷ, τοῦτο οὐχ ἁπλοῦν, ὡς ἔφην, ἐστί.

d ARIST. 4 *Met.* cap. VI. Το μὲν οὖν κατὰ τὸ ποσὸν, καὶ ᾗ ποσὸν, ἀδιαίρετον, τὸ μὲν πάντῃ, καὶ ἄθετον, λέγεται μονάς· τὸ δὲ πάντῃ, καὶ θέσιν ἔχον, στιγμή.

e PLOT. *Enn.* 6 lib. IX. cap. VI. Ἐνταῦθα μὲν γὰρ μέγεθος ἡ ψυχὴ ἀφελοῦσα, καὶ ἀριθμοῦ πλῆθος· καταλήγει εἰς τὸ σμικρότατον, καὶ ἐπερείδεταί τινι, ἀμερεῖ μὲν, ἀλλ' ὃ ἦν ἐν μεριστῷ, καὶ ὅ ἐστιν ἐν ἄλλῳ, τὸ δὲ, οὔτε ἐν ἄλλῳ, οὔτε ἐν μεριστῷ, οὔτε οὕτως ἀμερὲς, ὡς τὸ σμικρότατον· μέγιστον γὰρ ἁπάντων οὐ μεγέθει, ἀλλὰ δυνάμει· ὥστε καὶ ἀμέγεθες δυνάμει.

f ARIST. Τὸ δὲ ἑνὶ εἶναι, ἀρχῇ τινί ἐστιν ἀριθμοῦ εἶναι.

1 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 485. — 2 Lib. V. *Met.* cap. VII. text. 12. — 3 Lib. *de Div. nom.* cap. V.

nes secundum unam conjunctionem simul subsistunt, habetque punctum rectas omnes in sese singulari modo conjunctas cum invicem tum cum uno principio, a quo processerunt[a]. »

Et alio in loco de uno ac monade late disserens omnium rerum principium in eo constituit[1]. « Quippe et numerum omnem unitatis esse participem. Non binarium dicimus unum et unum ternarium et dimidium unum, unum trientem et decimam unam, et eodem modo omnia, ac partes omnium uno participari, et eo ipso quod unum est esse omnia quæ sunt[b], etc. » Quapropter uno omnia continentur, adeoque multitudo ipsa unitate constat. « Quod enim partibus est multiplex, id ratione totius est unum : quod accidentibus multiplex est, unum est subjecto : quod multiplex est numero vel facultatibus, unum est forma : et quod formis est multiplex, unum est genere : et quod progressionibus multiplex est, unum est principio ; neque quidquam est eorum quæ sunt, quod non sit unius particeps ejus quod inest in eo, quod per omnia singulare est, atque omnia eaque tota etiam contraria singulari modo ante obtinet. Ac sine uno quidem non erit multitudo, sine multitudine vero unum erit. Sicut monas ante numerum omnem multiplicatum[c]. »

Hæc et iis plura Dionysius, quæ quidem ex Platonis Platonicorumque scriptis ad christianam theologiam transtulit. Nam ejusmodi complura apud illos leguntur velut in *Parmenide Platonis*, aliisque libris. Philo item de monade consentanea scribit sic[2] : « Monas vero neque accessionis neque decessionis capax est natura sua, quæ est imago ejus qui solus plenus est, Dei[d], etc. » Tum : « Cui unitati omnis numerus poeticum hoc usurpando potest dicere : In te desinam et a te ordiar. Numerus enim qui vulgo infinite infinitus dicitur, in monadem desinit, ac rursus a monade incipit in multitudinem nullo circumscriptam termino compositus. Propterea non numerum sed principium numeri illam esse dixerunt ii, quibus curæ est de istis inquirere[e]. » Vide Augustinum libro secundo *de Ordine* capite XVIII.

XIV. Plotinus vero passim de *uno* ac *monade* præclare ac magnifice loquitur[3], ut cum dicit : « entia omnia uno esse entia[f], » et[4] « ad unum festinare omnia, unumque esse et hoc appetere[g]. » Quonam autem pacto unum omnia sint et uno contineantur, declarat in priore illo loco Plotinus, quem paulo antea descripsimus, et ex eodem Boetius qui sic ait : « Omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum ; sed interire atque dissolvi pariter cum unum esse destiterit. Ut in animalibus, cum in unum coeunt ac permanent anima corpusque, id animal vocatur. Cum vero hæc unitas utriusque separatione dissolvitur, interire nec jam esse animal liquet. Ipsum quoque corpus, cum in una forma membrorum conjunctione permanet, humana visitur species. At si distributæ segregatæque partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. Eoque modo percurrenti cætera procul dubio patebit, subsistere unumquodque dum unum est, cum

a DION. Καὶ γὰρ ἐν μονάδι πᾶς ἀριθμὸς ἑνοειδῶς προϋφέστηκε· καὶ ἔχει πάντα ἀριθμὸν ἡ μονὰς ἐν ἑαυτῇ μοναχῶς· καὶ πᾶς ἀριθμὸς ἥνωται μὲν ἐν τῇ μονάδι· καθ' ὅσον δὲ τῆς μονάδος πρόεισι, κατὰ τοσοῦτον διακρίνεται, καὶ πληθύνεται· καὶ ἐν κέντρῳ πᾶσαι αἱ τοῦ κύκλου γραμμαὶ κατὰ μίαν ἕνωσιν συνυφεστήκασι· καὶ πάσας ἔχει τὸ σημεῖον ἐν ἑαυτῷ τὰς εὐθείας ἑνοειδῶς ἡνωμένας πρός τε ἀλλήλας, καὶ πρὸς τὴν μίαν ἀρχὴν, ἀφ' ἧς προῆλθον.

b DION. Οὐδὲν γάρ ἐστι τῶν ὄντων ἀμέτοχον τοῦ ἑνὸς, ἀλλ' ὥσπερ ἅπας ἀριθμὸς μονάδος μετέχει· καὶ μία δυὰς, καὶ δεκὰς λέγεται, καὶ ἥμισυ ἓν, καὶ τρίτον, καὶ δέκατον ἕν· οὕτω πάντα, καὶ πάντων μόρια τοῦ ἑνὸς μετέχει· καὶ τῷ εἶναι τὸ ἓν, πάντα ἐστὶ τὰ ὄντα.

c Ibid. Οὐδὲ γάρ ἐστι πλῆθος ἀμέτοχόν πη τοῦ ἑνός· ἀλλὰ τὸ μὲν πολλὰ τοῖς μέρεσιν ἓν τῷ ὅλῳ καὶ τὸ πολλὰ τοῖς συμβεβηκόσιν ἓν τῷ ὑποκειμένῳ· καὶ τὸ πολλὰ τῷ ἀριθμῷ, ἢ ταῖς δυνάμεσιν, ἓν τῷ εἴδει· καὶ τὸ πολλὰ τοῖς εἴδεσιν, ἓν τῷ γένει· καὶ τὸ πολλὰ ταῖς προόδοις ἓν τῇ ἀρχῇ· καὶ οὐδέν ἐστι τῶν ὄντων, ὃ μὴ μετέχει πη τοῦ ἑνὸς, τοῦ ἐν τῷ κατὰ πάντα ἑνικῷ, πάντα, καὶ ὅλα πάντα, καὶ τὰ ἀντικείμενα καὶ ἑνιαίως προειληφότος· καὶ ἄνευ μὲν τοῦ ἑνὸς οὐκ ἔσται πλῆθος· ἄνευ δὲ τοῦ πλήθους ἔσται τὸ ἓν, ὡς καὶ μονὰς πρὸ παντὸς ἀριθμοῦ πεπληθυσμένου. Vide et pag. 445, et Maxim. in *Schol.* pag. 286.

d PHIL. Μονὰς δὲ οὔτε προσθήκην, οὔτε ἀφαίρεσιν δέχεσθαι πέφυκεν, εἰκὼν οὖσα τοῦ μόνου πλήρους θεοῦ, etc.

e MOX : Ἢ πᾶς ἂν ἀριθμὸς εἴποι τὸ ποιητικὸν ἐκεῖνο. Ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξωμαι· λήγει τε γὰρ ἀναλυόμενος ὁ κατὰ συνήθειαν ἀπειράκις ἄπειρος ἀριθμὸς εἰς μονάδα· ἄρχεται δ' αὖ πάλιν ἀπὸ μονάδος· εἰς ἀπερίγραφον συντιθέμενος πλῆθος· διόπερ οὐκ ἀριθμὸν, ἀλλὰ στοιχεῖον, καὶ ἀρχὴν ἀριθμοῦ ταύτην ἔφασαν, οἷς ζητεῖν ἐπιμελές.

f PLOT. Πάντα τὰ ὄντα, τῷ ἑνί ἐστιν ὄντα.

g Id. Τὰ πάντα εἰς ἓν σπεύδει, καὶ ἓν εἴη, καὶ τούτου ἡ ὄρεξις εἴη.

1 Cap. XIII. *de Divin. nom.* — 2 Libro. *Quis divinorum hæres.* — 3 Enn. 6. lib. IX, cap. I. — 4 Enn. 6, lib. V. cap. I.

vero unum esse desinit, interire[1]. » Et in libello quem de *Unitate et uno* peculiarem edidit : « Non solum autem, ait, unitate una est res, sed etiam tamdiu est quidquid est id quod est, quamdiu in se unitas est. Cum autem desinit esse unum, desinit esse id quod est, unde est hoc. Quidquid est, ideo est, quia unum est, » quod fuse deinceps approbat. Ac demum : « Sic omnia unitatem appetunt, ut etiam multa sint quæ unum dici volunt. »

Sic[2] Plotinus[a] perinde ac Dionysius, Deum velut centrum esse scribit, in quod lineæ omnes tanquam communem terminum desinunt.

In Metaphysica.

Est penes me Herennii Platonici philosophi nondum editus liber εἰς τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, ubi de uno copiose ex Platonicorum sententia disputat. Et inter cætera : « Unum, inquit, cum multiplicabile non sit, omnem multitudinem produxit, et cum numerabile non sit, numerum, et figuræ expers, figuram, ac sic in reliquis. Nihil enim est eorum quæ producit, porro omnia producit. Quare nihil est ex omnibus[b]. » Atque idem paulo post, unum ait omnibus ut sint tribuere. « Ideo quod nihil est, a Græcis appellari οὐδὲ ἕν, quippe postremum omnium unum res eas quæ sunt deserere[c]. »

Neque unum.

XV. Huc illa referre licet quæ de uno et monade complures alii Platone antiquiores tradiderunt, ut Pythagoras qui « principium omnium rerum esse monadem docuit, » ait[3] Theodoretus[d]. Sic Parmenides, Anaxagoras, Melissus, Empedocles de uno eoque omnium principio splendide philosophati sunt, ut Aristoteles prodidit[4], ac fuse Eugubinus in tertio *de Perenni philosophia*[5].

Quomodo unitas, quæ numeri est principium, Deo competat, dupliciter exponitur.

Jam vero quemadmodum unitas in Deum competat ea ratione, qua multitudinis ac numeri principium est, dupliciter ab antiquis theologis exponitur, primum ut in seipso spectatur atque ab uno progressa divinitas in plures personas funditur, deinde quatenus extra se communicatur et quodammodo fit multiplex. Ad priorem modum trita illa Græcorum usu theologorum sententia pertinet περὶ ἡνωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας, quæ est « loquendi ac disputandi de Deo ratio qua secundum ea consideratur quæ in eo sunt unum, aut quæ multa sunt ac distincta. » Quod ex Dionysio mutuati sunt, qui toto capite secundo libri *de Divinis nominibus* uberrime de ea re disseruit. Atque unitatem quidem, sive ut ille nominat τὴν ὑπερηνωμένην ἑνάδα hoc est *superunitam unitatem*, ut sic loquar, in natura ipsa et iis quæ secundum essentiam conveniunt, vel absolute et ad se dicuntur constituit, distinctionem vero in personarum notis et proprietatibus[e], quod divina progressio ab uno in plures ab unitate in numerum efficit. Est enim unitas in divinis ratione prior et origine, quatenus « Pater solus fons est ac velut stirps Divinitatis » ut idem[6] ait Dionysius[f]. Siquidem[7] « bonitas et ad benefaciendum suapte sponte proclivis amor, qui in eo quod excellenter bonum est ante extitit, non sivit ipsum infecundum in sese ac sterilem manere, sed eum movet ut ad omnium productionem genitali quadam vi summe esset actuosum et efficax[g]. » Hunc enim Dionysii locum non minus de interiori propagatione Divinitatis ac fecunditate licet intelligere, qua personarum ab uno fit progressio, quam de externa communicatione, qua res creatæ indidem emanarunt.

De unita et distincta theologia.

XVI. Etsi Maximus martyr in *Scholiis*[8], et qui hunc citat Jacobus Billius[9] in notis ad Gregorium Nazianzenum[10], de sola rerum procreatione interpretari videntur, non de æternis processionibus. In quo minus ambo sibi constant. Nam Maximus cum illis Dionysii verbis locum quemdam Gregorii comparat, qui de divina progressione ab una in plures personas, nec de altera debet accipi ut

a Plot. Ὥσπερ καὶ τὸ κέντρον ἐφ' ἑαυτοῦ ἐστιν· ἔχει δὲ καὶ ἕκαστον τῶν ἐν τῷ κύκλῳ σημεῖον ἐν αὐτῷ.

b Heren. Τὸ ἓν ἀπλήθυντον ὂν πᾶν τὸ πλῆθος ὑπέστησε· καὶ ἀνάριθμον ὂν, τὸν ἀριθμόν· καὶ ἀσχημάτιστον ὂν, τὸ σχῆμα· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως. Οὐδὲν γάρ ἐστιν ὧν ὑφίστησι, πάντα δὲ ὑφίστησιν· Οὐδὲν ἄρα ἐστὶ πάντων.

c Id. Διὸ πάσης ἀποπέπτωκεν ὑποστάσεως καὶ αὐτοῦ τοῦ ἑνὸς ἀφῃρημένον· λέγεται οὖν οὐδὲ ἕν· ὡς πρὸς τοῖς ἄλλοις πᾶσι καὶ τούτου παντελῶς ἀμέτοχον ὄν· ἔσχατον γὰρ ἀπολείπει τὰ πράγματα.

d Theod. Καὶ Πυθαγόρας ὁ Μνησάρχου, ἀρχὴν τῶν πάντων ἔφησε τὴν μονάδα.

e Dion. Τὰς διακρίσεις δὲ τὰς ἀγαθοπρεπεῖς τῆς θεαρχίας, προόδους τε, καὶ ἐκφάνσεις.

f Id. Μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ πατήρ.

g Id. Αὐτὸς γὰρ ὁ ἀγαθοεργὸς τῶν ὄντων ἔρως, ἐν τἀγαθῷ καθ' ὑπερβολὴν προϋπάρχων, οὐκ εἴασεν αὐτὸν ἄγονον ἐν ἑαυτῷ μένειν· ἐκίνησε δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πρακτικεύεσθαι κατὰ τὴν ἁπάντων γεννητικὴν ὑπερβολήν.

1 Lib. III. *de Cons. phil.* prosa 11. — 2 Enn. 5. lib. I. cap. xi. — 3 Orat. 2. *Con. gen.* — 4 Lib. I. *Phys.* cap. ii. et libr I. *Met.* cap. v. Plato in Thæt. — 5 Cap. v. et seq. — 6 Cap. iv. — 7 Ibid. — 8 Pag. 175. — 9 In *Schol.* — 10 Orat. xxxv. num. 9.

mox ostendam. Billius vero γεννητικὴν ὑπερβολὴν « *omnium procreatricem exuberantiam* » apud eumdem Dionysium vertit. Atqui Gregorius[1]
Unius. de interiori τοῦ ἑνὸς progressione manifeste accipit. Cujus ista sunt verba cum de excellenti Dei unitate loquitur : « Quocirca unitas principio in binarium nota in Trinitate consistit[a]. » Quem locum Elias haud satis accurate, meo quidem judicio, explicat, dum de sola personarum trium notitia variis impertita temporibus accipit. Nam primo solus Pater cognitus est. « Itaque per unitatem, inquit, accipi debet unius personæ cognitio. Nam illa ad binarium transeunte hoc est ad duarum personarum cognitionem, ac denique ad tertiam quoque personam progressa, statim fides omnibus numeris absoluta est. » Verum non de communicata divinitatis scientia, sed de ipsa personarum processione perspicuum est agere Gregorium, qui hanc notionem unitatis in binarium et ternarium mox ad generationem Filii et processionem Spiritus refert, ac negat eam esse ὑπέρχυσιν ἀγαθότητος id est *superfusionem bonitatis*, qualem finxerat Plato, ne ab invito et coacto velut naturale quoddam excrementum, profusum videatur[b]. Tum in oratione octava et tricesima diserte scribit : *Divinitatem diffundi* cum a Patre in Filium ac Spiritum procedit nec ultra porrigitur.

XVII. Itaque nihilo rectius eumdem Gregorii locum, Maximus alibi sic exponit[2], qui quod ille dixit *unitatem in binarium ac ternarium moveri*[c], ne non immobilis videatur esse Deus, ita declarat : ut « quemadmodum ratio scientiæ cujuscumque artis in se penitus immota, dum formatur secundum singulas formas sive species quæ sub illa arte continentur, moveri dicitur, cum magis ipsa moveat secundum se id quod arte fit quam moveatur; sic Deus cum sit omnino immobilis secundum substantiam et naturam, moveri dicitur dum movet provide unamquamque creaturam secundum rationem qua innatum est ei ut moveatur. » Nam de sempiterna et increata propagatione prorsus intelligendus est Gregorius. Quamobrem Elias ipsemet μονάδα, δυάδα et τριάδα *Monadem, duadem, triadem.*
personas esse substantiales adnotat, *non numeros qui in infinitum funduntur ac dissipantur*. Non alio sensu *monadis fetum primam triadem esse* dixit Eusebius, eamdemque monadem omnium esse principium, ac μονάδα παρὰ τὸ μένειν *a manendo nominari*[d]. Hoc igitur modo divinæ personæ numero differre dicuntur. Ut Cyrillus *alterum numero*[e], a Patre Filium vocat. Et alibi, *alterum in altero inesse, ob idque non unum esse numero* dicit[f]. Item : *Unum sunt natura, numero duo*[g]. Rursus : « Numero in binarium divisi et sic in hypostasi existentes, at identitate naturæ in unam deitatem constricti[h]. »

Cæterum quod ex Gregorio Nazianzeno paulo ante retulimus, *monadem in binarium moveri,* hoc ille plus semel usurpavit. Ut in oratione XIII : « Monadem ait esse motam propter ejus divitias, et binarium transgressam in Trinitatem desiisse ob perfectionem[i], etc. » Et in carmine de Vita sua[3].

Quinam monas fit trina, sive trinitas
Fit una, etc.
Πῶς ἡ μονὰς τριάζεθ', ἡ τριὰς πάλιν
Ἑνίζετ' etc.

Cujusmodi locutionem a Platonicis hausisse videntur nostri, qua et Synesius delectatur, ut in hymno primo illius reperies. Athanasius vero tolerare illam non potest adversus quam disputat in oratione quinta, quod inde Sabellianum dogma sequitur : Eamdem personam

a Naz. Διὰ τοῦτο μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δυάδα κινηθεῖσα μέχρι τριάδος ἔστη.

b Id. Οὐ γὰρ δὴ ὑπέρχυσιν ἀγαθότητος εἰπεῖν θαῤῥήσομεν· ὃ τῶν παρ' Ἕλλησι φιλοσοφησάντων εἰπεῖν τις ἐτόλμησεν· οἷον κρατήρ τις ὑπεῤῥύη σαφῶς οὑτωσὶ λέγων· ἐν οἷς περὶ πρώτου αἰτίου, καὶ δευτέρου φιλοσοφεῖ. μή ποτε ἀκούσιον τὴν γέννησιν εἰσαγάγωμεν, καὶ οἷον περίττωμά τι φυσικὸν, καὶ δυσκάθεκτον.

c Id. Οὔτε ὑπὲρ ταῦτα τῆς θεότητος χεομένης, ἵνα μὴ δῆμον θεῶν εἰσαγάγωμεν· οὔτε ἐντὸς τούτων ὁριζομένης.

d Euseb. in *Trices. Const.* Ἡ μὲν πρώτη τριὰς μονάδος ἂν γένοιτο ἔγγονος. Mox : μονὰς παρὰ τὸ μένειν ὠνομασμένη.

e Cyril. XXIII. *Thes.* Ἕτερον δὲ λέγω μόνον τῷ ἀριθμῷ.

f Cyril. fragm. libri VII. et VIII. Διὰ δὲ τοῦ ἕτερον ἐν ἑτέρῳ εἶναι, μὴ ἕν τι ὢν ἀριθμῷ νοηθῇ, etc.

g Mox. Ἓν μέν εἰσι κατὰ φύσιν, δύο δὲ ἐν ἀριθμῷ.

h Ibid. Ἀριθμῷ μὲν εἰς δυάδα τεμνόμενοι, καὶ ὄντες οὕτως ἐν ὑποστάσει· τῇ δὲ ταὐτότητι τῆς φύσεως εἰς μίαν σφιγγόμενοι θεότητα.

i Greg. Naz. Μονάδος μὲν κινηθείσης διὰ τὸ πλούσιον, δυάδος δὲ ὑπερβαθείσης· τριάδος δὲ ὁρισθείσης διὰ τὸ τέλειον.

1 Orat. XXXV.— 2 Apud Turrian. in notis ad Joan. Cyparissiot. dec. 3. cap. II.—3. Idem carm. de Vita sua. Vide et carmen 3. arcan.

Patris triplicatam fuisse, ac mutationis aliquid perpessam [a]. Sed alio sensu Gregorius ista dixit, ut origo ac productio sola monstretur.

XVIII. Posteriori modo unitas illa princeps et primigenia diduci multiplicarique dicitur, quoniam in res creatas vim suam et efficientiam longe lateque diffundit. Hoc vero non aliis quam Dionysii verbis aut subtilius aut elegantius explicare possum, quæ proinde referenda sunt : « Distinctionem, inquit, divinam, uti dictum est, appellamus bono convenientes principatus divini processiones. Nam cum omnibus quæ sunt largiatur ac superfundat universorum bonorum participationes, et unite distinguitur et singularis manens multiplicatur, atque in plura spargitur, sic ut ab uno non recedat. Exempli causa, quoniam ens est Deus supersubstantialiter atque iis quæ sunt dat esse et universas producit essentias, multiplicari dicitur unum illud ens productione ista multorum ex sese entium, cum nihilominus maneat illud et unum in multiplicatione et unitum in progressione [b]. » Ibi Dionysius *superfundendi* vocabulo quod in Platone Gregorius Nazianzenus reprehenderat, non dubitavit uti, quemadmodum passim easdem et sententias Platonis et voces usurpare consuevit. Gregorius porro Nazianzenus de hac divinæ in res externas et creatas unitatis diffusione non uno loco disputat, ac præsertim oratione octava et tricesima : « Quoniam autem, ait, bonitati nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat ut plura essent quæ beneficio afficerentur; id enim summæ bonitatis erat : primum angelicas et cœlestes virtutes excogitavit [c]. »

XIX. Cæterum in hac unitate ac distinctione sive propagatione unitatis, vincit unitas diffusionem ac multiplicitatem, ut ait Dionysius : « In divinis, inquit, conjunctiones distinctionibus superiores sunt et earum principia sunt, ac nihilominus unita sunt etiam post unius non emigrantem singularemque distinctionem [d]. » Hujus rei causam erudite Maximus ita reddit. Hoc interesse ait inter Deum et res conditas præsertim compositas et sub sensum cadentes, quod istarum proprie nulla sit ἑνὰς id est « *unitas*, sed elementorum distinctiones priores sint quæ concursu et copulatione sua secundas ex compositione conjunctiones efficiunt. In divinis autem rebus aliter sese res habet. In his enim ante existens conjunctio, distinctiones voluntate posteriores efficit [e]. » Brevius deinde et explicatius rem sic aperit : « Non enim ex pluribus collecta est una divinitas et dominatio. Sed ex hujus singularitate, ea quæ in illis est multiplicatio consideratur [f]. » Quocirca prius, uti dixi, est id quod unum est in Deo quam quod est multiplex; atque adeo potior est unitas multiplicitate, ut in eo etiam quod sub numerum et multitudinem cadit, salva et incolumis sit unitas. Nam et divinitas ipsa sic in personas tres diffunditur, ut una nihilominus permaneat, et eadem simplexque sine ulla divisione participes sui creaturas facit. Atque hoc modo « fit illa sermone omni et cogitatione superior communio pariter ac discretio, ut ait Basilius, cum neque hypostaseon differentia naturæ continuationem abrumpat, neque substantiæ communitas notionum proprietatem confundat [g]. » Est enim *unitas* illa non *singularitas*, ut ait Ambrosius [1] et Leo [2], adeo, quod

a ATHAN. orat. 5. Εἰ τοίνυν ἡ μονὰς πλατυνθεῖσα γέγονε τριὰς, ἡ δὲ μονάς ἐστιν ὁ πατὴρ, τριὰς δὲ πατὴρ, υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, πρῶτον μὲν πλατυνθεῖσα ἡ μονὰς πάθος ὑπέμεινε, καὶ γέγονεν ὅπερ οὐκ ἦν, etc.

b DION. cap. II. *de Divin. nomin.* Διάκρισιν θείαν φαμὲν, ὡς εἴρηται, τὰς ἀγαθοπρεπεῖς τῆς θεαρχίας προόδους· δωρουμένη γὰρ πᾶσι τοῖς οὖσι, καὶ ὑπερχέουσα τὰς τῶν ὅλων ἀγαθῶν μετουσίας, ἡνωμένως μὲν διακρίνεται, πληθύεται δὲ ἑνικῶς, καὶ πολλαπλασιάζεται ἐκ τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοιτήτως· οἷον ἐπειδὴ, ὢν ἐστιν ὁ θεὸς ὑπερουσίως, δωρεῖται δὲ τὸ εἶναι τοῖς οὖσι, καὶ παράγει τὰς ὅλας οὐσίας, πολλαπλασιάζεσθαι λέγεται τὸ ἓν ὂν ἐκεῖνο τῇ ἐξ αὐτοῦ παραγωγῇ τῶν πολλῶν ὄντων, μένοντος δὲ οὐδὲν ἧττον ἐκείνου καὶ ἑνὸς ἐν τῷ πληθυσμῷ, καὶ ἡνωμένου κατὰ τὴν πρόοδον.

c NAZIANZ. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἤρκει τῇ ἀγαθότητι τὸ κινεῖσθαι μόνον τῇ ἑαυτῆς θεωρίᾳ· ἀλλ' ἔδει χεθῆναι τὸ ἀγαθὸν, καὶ ὁδεῦσαι, ὡς πλείονα εἶναι τὰ εὐεργετούμενα· τοῦτο γὰρ τῆς ἄκρας ἦν ἀγαθότητος· πρῶτον μὲν ἐννοεῖ τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις.

d DION. cap. II. *de Divin. nom.* sub fin. Καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν θείων αἱ ἑνώσεις τῶν διακρίσεων ἐπικρατοῦσι, καὶ προκατάρχουσι· καὶ οὐδὲν ἧττόν ἐστιν ἡνωμένα, καὶ μετὰ τὴν τοῦ ἑνὸς ἀνεκφοίτητον, καὶ ἑνιαίαν διάκρισιν.

e MAXIM. Προαιτία δὲ, καὶ ἐπικρατεστέρα ἡ τοῦ θεοῦ ἀμέριστος ἑνάς· ἐπὶ δὲ τῶν αἰσθητῶν, τὸ ἐναντίον· οὐδὲ γὰρ αὐτῶν ἐστιν ἑνὰς, ἀλλ' αἱ διακρίσεις τῶν στοιχείων προϋποῦσαι, σύνδρομοι γινόμεναι, καὶ ἑνούμεναι δευτέρας τὰς ἐκ τῆς συνθέσεως ἑνώσεις ἐργάζονται· ἐπὶ δὲ τῶν θείων οὐχ οὕτως· ἐπὶ αὐτῶν γὰρ προϋποῦσα ἡ ἕνωσις, τὰς διακρίσεις βουλήματι δευτέρας ποιεῖ.

f Id. Οὐ γὰρ ἐκ τῶν πολλῶν συνήχθη τὰ τῆς μιᾶς θεότητος, καὶ κυριότητος· ἀλλὰ ἐκ τοῦ ταύτης μοναδικοῦ, ὁ ἐν ἐκείνοις πληθυσμὸς θεωρεῖται.

g BASIL. epist. 42. Ἀλλά τις ἄῤῥητος, καὶ ἀκατανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία, καὶ ἡ

1 Lib. I. *de Fide*, cap. I. — 2 Tract. *advers. error. Eutych.*

hic scribit, « quia in deitate Patris et Filii et Spiritus sancti nec singularitas est nec diversitas cogitanda, vera unitas et vera trinitas possit quidem mente simul sentiri, sed non possit simul ore proferri. » Sic Eusebius qui Emissenus falso dicitur in homilia *de Symbolo* : « Quod autem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum singulatim unum post unum dicimus, hoc ideo quia simul exprimere tria nomina humani sermonis paupertate non possumus, non quia tribus gradibus ordinemus. Ubi totum unum est, nihil ibi potest esse tertium vel secundum. Totum ergo in plenitudine divinitatis primum est, et quod videtur sermonis necessitate postremum. In his tribus personis numerus esse potest, ordo esse non potest. Nam etsi distinctionem recipit trinitas, gradum tamen nescit æqualitas. » Ubi ordinem illum a divinitate rejicit qui graduum inæqualitatem habet.

XX. Quæ numerabilis unitatis et in unitate ac cum unitate consistentis numeri conditio vincit omnem rerum admirabilitatem, ac veteres illos theologos adduxit ut utrumque, hoc est unitatem et numerum, partim tribuerent Deo, partim adimerent, vel eximium quemdam neque communem cum cæteris amborum esse modum penes illum assererent, præsertim unius, quod de Deo præcipue ac singulariter usurpari voluerunt.

« Est ibi aliquid ineffabile, ait Augustinus, quod verbis explicari non possit, ut et numerus sit et numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit a numero, nec capitur numero. Quia tres sunt; tanquam est numerus. Si quæris qui tres, non est numerus [1] » et cætera quæ Toletana synodus undecima in confessione fidei suæ posuit. Bernardus item : « Quid sibi vult iste ut sic loquar absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus [2]? »

Basilius vero quemadmodum numerus illic congruat contra Macedonianos docet, qui tres ideo numerare verebantur, ne Patri ac Filio exæquarent Spiritum sanctum [3]. Igitur cum unamquamque personam singillatim appellari, tum in summa colligenda non tres dici deos asserit : « Non enim ab uno ad multitudinem incrementum facimus, unum, duo, tria dicentes : neque primum et secundum et tertium. *Ego enim primus et ego posterior* [4]. At secundum Deum hactenus non audimus [a]. » Nullus ergo secundum Divinitatem inest ordo prioris posteriorisque, quod et supra dicebamus. Cum « omnibus existentiæ gradibus exclusis, nulla ibi persona sit anterior, nulla posterior, » ut ait Leo papa [5]. Ideo nec numerus qui cum ordine cohæret. Verum ratione proprietatum ac personarum, et numerus et ordo reperitur, ut in primo *contra Eunomium* Basilius idem explicat, et Eulogius apud Photium [6], quem antea commemoravi.

XXI. Ad extremum ut a numero ac multitudine ad unum referam orationem, cur hoc vel soli Deo vel excellenter attributum fuerit, causa est illius simplicitas quæ cum ejus comparatione nulla sit in creatis rebus, nulla itidem in iis unitas esse dicitur. Quam in sententiam multa Boetius, tum hæc in libro *de Unitate et uno* disputat. « Prima et una unitas, quæ est unitas sibi ipsi, creavit aliam unitatem quæ est infra eam. Sed quia omne creatum diversum est a quo creatum, profecto creata unitas a creante omnino diversa esse debuit et quasi opposita. Sed quia creatrix unitas non habet principium neque finem nec permutationem nec diversitatem, ideo creatæ unitati accidit multiplicitas, diversitas et mutabilitas. » Hinc idem paulo ante citatus Eulogius affirmat « unum in nobis haud proprie cerni, et quidem numero, sed quadamtenus unum non autem simpliciter. Nam quod in nobis esse unum dicitur, non est unum proprie sed aliquatenus unum. Hoc vero et est unum et non unum, utpote quod et unius appellationem ferat, et ad hoc ut sit multa dividatur [b]. » Siquidem vel mens ipsa quæ una et

Cur unu[m] soli De[o] tribuatu[r]

διάκρισις· οὔτε τῆς τῶν ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ τῆς φύσεως συνεχὲς διασπώσης· οὔτε τῆς κατὰ τὴν οὐσίαν κοινότητος τὸ ἰδιάζον τῶν γνωρισμάτων ἀναχεούσης.

a Basil. Ib. Οὐ γὰρ κατὰ σύνθεσιν ἀριθμοῦμεν, ἀφ' ἑνὸς ὡς πλῆθος ποιούμενοι τὴν παραύξησιν, ἓν, καὶ δύο, καὶ τρία λέγοντες· οὐδὲ πρῶτον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον· ἐγὼ γὰρ Θεὸς πρῶτος, καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα· δεύτερον δὲ θεὸν, οὐδέ πω καὶ τήμερον ἀκηκόαμεν.

b Eulog. Παρ' οἷς οὐδὲ τὸ κυρίως ἕν ἐστι θεωρῆσαι· οὐ γὰρ τὸ ἓν ἀριθμῷ ἐφ' ἡμῶν καὶ κυρίως ἕν· καὶ γὰρ τὸ ἐφ' ἡμῶν λεγόμενον ἓν, οὐ κυρίως ἓν, ἀλλά τι ἕν· τοῦτο δὲ ἕν τέ ἐστι, καὶ οὐχ ἕν· ἅτε δὴ καὶ τοῦ ἑνὸς φέρον τὴν κλῆσιν, καὶ πρὸς τὸ πολλὰ εἶναι μεριζόμενον.

1 Tract. xxxix. in *Joan.* — 2 Lib. V. *de Cons.* cap. vii. — 3 Cap. viii. *de Spiritu sancto.* — 4 *Isa.* xliv. 6. — 5 Tract. *Cont. Eutych.* — 6 Cod. 230.

simplex maxime videtur, « diversitate non caret, inquit, operationum ac motuum et quietum, neque a duplicitate prorsus est aliena[a]. » At in Deo longe secus res habet. « Ideo pergit Eulogius, ne numero quidem est unum, vel ut initium numeri, neque ut magnitudo vel initium magnitudinis. Quippe supra quantitatem omnem et partem et compositionem positus est. Ac si ingenue quod res est dicendum est, unus est Deus existentiæ simplicitate, non tanquam unum aliquod trinomine consideratum, vel in partes distributum, vel ex pluribus compositum. Hoc enim unum neque verbis explicari neque nominari potest, quoniam ipsius causa est unius, unitatem omnem unam faciens, et supra unum omne ac multitudinem simplicitate sua porrectum, eo quod proprie sit unum et in omnibus insit ac super omnia cognoscatur, quod substantiam dat omnibus quæ sunt, atque in supersubstantiali et propria singularitate supereminet, quod secundum divinitatis rationem unitas et monas describitur[b]. » Adjunge huic et Basilii quem supra descripsimus illustrem imprimis locum ex epistola centesima quadragesima prima.

XXII. Sic Plutarchus in tractatu *de Ei* apud Delphos : « Non est, inquit, multa Deus, uti nostrum quilibet ex infinitis differentiis, in perturbationibus versantium tanquam miscellanea congeries, ac promiscua, velut in quodam mercatu, multitudo. Sed unum esse oportet ens sicut ens unum. Sin diversitas differentia est entis, in ejus quod non est generationem deficit[c]. »

Nec aliter Dionysius qui Deum « neque partem, ait esse multitudinis, neque totum ex partibus compositum, atque adeo neque unum esse, neque unius participem, neque unum habere. Procul vero ab iis est unum quod unum superat, et iis quæ sunt, est unum, multitudo individua[d]. » Sed et Plotinus « in uno simplici nullam inesse varietatem patitur, neque vel minimam duplicitatem[e]. »

Quæ omnia præclare Bernardus et acute ut solet his verbis exprimit : « Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat ut corpus, non affectibus distat ut animal, non formis substat ut omne, quod factum est, sed neque formæ ut istis visum est, etc. Non est formatus Deus, forma est. Non est affectus Deus, affectio est. Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquido noveris quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus, quam unus est. Est autem unus et quomodo aliud nihil. Si dici possit, unissimus est. Unus est sol quod non sit alter, una luna quod æque altera non sit. Atque id quidem Deus, sed plus. Quid plus? Unus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem est semper et uno modo. Non sic unus sol, non sic una luna. Clamat uterque non esse se unum sibi, ille motibus, et illa defectibus suis. Deus autem non modo unus sibi et in se unus est. Nihil in se nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet; non in substantia alteritatem[1]. » Sic ἑτερότητα quam Plutarchus et Eulogius supra nominabant, vocat Bernardus, *Alteritatem.* quæ et ex vicissitudine mutationum oritur et minus unum facit esse quod fit alterum. Huc etiam Boetii illud accommodat : « Hoc vere unum in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. »

XXIII. Indidem et Rupertus, hoc est ex

a Ibid. Καὶ γὰρ καὶ κατὰ τὸν νοῦν ταὐτότης ὁρᾶται, καὶ ἑτερότης, κίνησίς τε, καὶ στάσις· καὶ τῆς διπλόης παντελῶς οὐκ ἐξίσταται· ἀλλὰ στάσις μὲν αὐτῷ διὰ τὴν τῆς οὐσίας ἐνορᾶται ταὐτότητα· ἑτερότης δὲ, καὶ κίνησις, διὰ τὴν αὐτεξούσιον ὁρμὴν, καὶ ἐνέργειαν.

b Ibid. Διόπερ οὐκ ἔστιν οὐδὲ τῷ ἀριθμῷ ἓν, ἢ ὡς ἀρχὴ ἀριθμοῦ, οὐδὲ ὡς μέγεθος, ἢ ὡς ἀρχὴ μεγέθους· πάσης γὰρ ποσότητος, καὶ μέρους, καὶ συνθέσεως ὑπερίδρυται· ἀλλ' εἰ δεῖ θαῤῥήσαντα εἰπεῖν, ἕν ἐστι τὸ θεῖον κατὰ τὴν ἁπλότητα τῆς ὑπάρξεως, οὐχ ὡς ἓν τριώνυμον θεωρούμενον, ἢ εἰς μέρη διαιρούμενον, ἢ ἐκ πλειόνων συγκείμενον· ἄῤῥητον γάρ ἐστι, καὶ ἀκατονόμαστον τοῦτο τὸ ἕν· ἐπεὶ καὶ αὐτοῦ τοῦ ἑνός ἐστιν αἴτιον, πάσης ἑνάδος ἑνοποιόν· καὶ παντὸς ἑνὸς καὶ πλήθους ὑπεραπλούμενον· διὰ τὸ κυρίως ἓν εἶναι, καὶ ἐν πᾶσιν εἶναι, καὶ ὑπὲρ πάντα γινώσκεσθαι, οὐσιοποιὸν μὲν τῶν ἁπάντων τῶν ὄντων, ὑπεριδρυμένον δὲ ἐν τῇ ὑπερουσίῳ, καὶ ἰδίᾳ μονότητι· ἑνὰς καὶ μονὰς θεολογούμενον.

c Plut. apud Eus. lib. II. *de Præpar. evang.* Οὐ γὰρ πολλὰ τὸ θεῖόν ἐστιν, ὡς ἡμῶν ἕκαστος ἐκ μυρίων διαφορῶν ἐν πάθεσι γινομένων, ἄθροισμα παντοδαπὸν καὶ πανηγυρικὸν μεμιγμένον· ἀλλ' ἓν εἶναι δεῖ τὸ ὂν, ὥσπερ ὂν τὸ ἕν· εἰ δὲ ἑτερότης, διαφορὰ τοῦ ὄντος, εἰς γένεσιν ἐξίσταται τοῦ μὴ ὄντος.

d Dion. cap. II *de Div. nom.* Οὔτε μέρος ὢν τοῦ πλήθους· οὔτε ἐκ μερῶν ὅλον· καὶ οὕτως οὔτε ἕν ἐστιν, οὔτε ἑνὸς μετέχει· οὔτε ἓν ἔχει· πόῤῥω δὲ τούτων ἕν ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἓν, τοῖς οὖσιν ἓν, καὶ πλῆθος ἀμερές.

e Plot. Enn. 5. lib. II. cap. I. Πῶς οὖν ἐξ ἁπλοῦ ἑνός; οὐδεμιᾶς ἐν ταὐτῷ φαινομένης ποικιλίας, οὐ διπλόης· οὗ τινος ὁτουοῦν.

1 Lib. V. *de Cons.* cap. VII.

Boetio, divinæ unitatis excellentiam prædicat, quia « divina substantia sine materia forma est, atque adeo unum est id quod est, reliqua non sunt id quod sunt. Unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, ut cum homo terrenus constet ex anima et corpore, corpus et anima est, non vel corpus vel anima in partem. Igitur non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est, et pulcherrimum fortissimumque quia nullo nititur [1]. »

Anselmus quoque in *Prosologio :* « Quidquid est partibus junctum, non est omnino unum, sed quodammodo plura et diversum a seipso [2], etc. » quæ jam alibi descripsimus. « Nullæ igitur partes in te sunt, Domine, nec es plura, sed sic es unum quoddam et idem tibi ipsi, ut in nullo tibi ipsi sis dissimilis. Imo tu es ipsa unitas nullo intellectu divisibilis. Ergo vita et sapientia et reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt unum, et unumquodque horum est totum quod es et quod sunt reliqua omnia. » Vide et ejusdem *Monologii* caput decimum sextum, et Hugonem Victorinum qui de unitate tum universe agens, tum quatenus in Deum competit, hæc inter cætera proponit : « Quidquid igitur vere unum est, simplex est et in partes omnino aliquas separari non potest, et ideo sectionem partium non admittit, quia partium compositionem non recipit. Creatori igitur rerum ideo unum est esse quod est, quia totum unum et simplex est esse quod est [3]. » Addit subinde non unum esse tantummodo Deum, sed summe etiam unum, quia *essentialiter et invariabiliter unum est.* » Quem mutationis expertem statum quo unitas summa constat, deinceps explicat, idque nos sequentibus capitibus faciemus. Quippe ut ex nonnullis quibus unitatem asseruimus gentilium, Christianorumque scriptorum locis didicimus, præstantissima hæc unitas supra omnem vicissitudinem ac mutationem attollitur, tum qualitatis et affectionis, tum ætatis, tum loci ac spatii. Quocirca dici de tribus illis mutationum generibus necesse est, ut simplicitati et unitati divinæ omni ex parte provisum sit : dum disputatione perfectum hoc nostra fuerit, neque aliud quam quod est in se illum recipere, et nunquam non fuisse futurumque, ac nullo denique intervallo ac spatio claudi continerique posse.

XXIV. Libet autem priusquam ultra pergimus insignem Michaelis Pselli locum hic adscribere ex libro *Physicarum quæstionum* ad Michaelem Ducam imperatorem quæstione quinta in qua disputat, sitne unum quidpiam hic mundus : « Proprie, inquit, unum est Deus, tanquam qui omnem simplicitatem excedit. Quæ autem post Deum sunt, proprie non sunt unum, sed propter unitionem et unius participationem ita nominantur. Nam et mens, quoniam et illorum exemplaria in seipsa continet, est multa, nec non anima. Est enim divisibilis [a]. » Huc spectat et R. Mosis Maiemonidæ de Dei unitate sententia quam in eo constituit : « Ut credamus esse substantiam unam simplicem, in qua nulla est compositio neque multiplicitas rerum. Sed una res est quæ quoquo modo spectata et quacumque ratione explorata unum invenietur, neque in duas res dividitur ullo pacto aut ulla de causa. Neque porro multitudo ibi cernetur sive extra intellectum, sive in ipso intellectu [b]. » Hæc Rambam, qui quatenus ne intelligentia quidem et ratione multiplicitatem in Deo ullam esse dicit, fallitur, ut supra demonstravimus. Vide Photium in opusculo quodam *Quomodo dicamus Deum unum et tria*, in quo Dionysii aliorumque doctrinam hoc in capite traditam accurate declarat [4]. Agemus et de eadem monade et unitate Dei in quarto libro *de Trinitate* capite XIII.

a Psellus. Κυρίως γὰρ ἓν ὁ Θεὸς, ὡς ὑπὲρ πᾶσαν ἁπλότητα· ὅσα δὲ μετὰ Θεὸν οὐ κυρίως ἕν· ἀλλὰ διὰ τὴν ἕνωσιν, καὶ τὴν μετοχὴν τοῦ ἑνὸς, οὕτω προσαγορεύεται· καὶ γὰρ ὁ νοῦς, ἐπεὶ καὶ τὰ παραδείγματα τούτων ἐν ἑαυτῷ περιέχει, πολλά· καὶ ἡ ψυχή· διαιρετὴ γάρ.

b Rambam lib. I. *More Neboch* cap. LI. ואין האחדות כלל אלא בהאמין עצם אחד פשות אין הרכבה בו ולא רברי עניינים אבל עניין אחד מאי זה צד שתבירת בו ובאי זו בחינה שתבחנהו תמצאהו אחד ולא יחלק לשני עניינים בשום פנים ולא בשום סבה ולא ימצא בו רבוי לא חוץ לשכל ולא בשכל :

1 Lib. XI. *de Victor. Ver.* cap. XXVII. — 2 Cap. XVIII. — 3 Lib. VII. *Erudit. theol.* cap. XIX. — 4 Tom. V. *Lect.* Canisii, pag. 195.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER TERTIUS

QUI PROPRIETATES DEI NEGANTES EXPLICARE PERGIT.

CAPUT PRIMUM

De immutabilitate Dei quæ primum e Scripturis ac veterum testimoniis adstruitur, tum certa ratione. Quid mutatio sit et quæ ejus species. Harum nulla mutari Deum. Nihil Deo contrarium. Tum ideo immutabilem esse, quia est id quod est. Item quia est a se, vel a nullo, sive æternum. Maximi martyris locus illustratur. Alia ratio immutabilitatis ex infinitate, tum ex perfectione, ac denique quia est ipsissimum bonum.

Deum esse immutabilem probatur ex Scriptura.

I. Cum sint omnia quæ de Deo disputantur apta ex aliis alia atque connexa, tum ea quam in hoc caput inclusimus immutabilitas Dei, ex ejus simplicitate et unitate dependet. Quam qui ejusmodi qualem hactenus descripsimus, nempe summam et qua ne cogitari quidem major queat ac Deo denique dignam intelligere poterit, facile, et de illa altera persuaderi sibi patietur, nec divinæ sacrorum Librorum auctoritati repugnabit qui hoc frequenti de Deo, ac diserto testimonio commendant. *Apud quem*, ait Jacobus apostolus [a], *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quem enim *Patrem luminum*, hoc est fontem auctoremque lucis ac velut solem esse significaverat, cum nulla infuscari vicissitudine et obscuritatis perstringi particula dicit. « Ipsa enim mutabilitas, ait Gregorius Jacobi verba explicans, umbra est quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit [1], » quod splendidissimo illi sideri vel interposita nube, vel subjecta luna plerumque putatur accidere. Deus autem neque speciem, hoc est adumbrationem obscuritatis habet ullam, neque vel momento jacturam luminis facit. Hinc *momenti obumbratio* apud Augustinum * illic legitur [2], quasi ῥοπῆς non τροπῆς Jacobus scripserit.

Rursus in psalmo primo et centesimo : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Hoc est, interpretante Chrysostomo ac Theodoreto : « Tu vero immobilem habes naturam et mutatione præstantiorem [b]. Neque enim idem esset, si in aliud quippiam quam est mutari

a JACOB. I, 19. Παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, οὐδὲ τροπῆς ἀποσκίασμα.

b CHRYSOST. Σὺ δὲ ἄτρεπτον ἔχεις τὴν φύσιν, καὶ ἀλλοιώσεως κρείττονα.

* Hæc lectio in Augustini operibus repetita et a Sabatierio adnotata cum illa convenit quam penes eumdem refert antiqua versio, quæ sic habet : *Apud quem non permutatio vel modicum obumbrationis. E. R.*

1 Lib. XII. *Mor.* cap. XVII. — 2 Tom. VI. lib. *de Nat. boni*, cap. XXIV.

posset [a], » ait Cyrillus. Sic apud Malachiam prophetam, *Ego Dominus, et non mutor* [1]. *Numerorum* item capite tertio et vicesimo : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur* [2]. Tum in Libro *Sapientiæ : et cum sit una, omnia potest; et in se permanens, omnia innovat* [3].

Cyrillus libro *Thesauri* XIII locum quemdam ad idem institutum accommodat prophetæ Jeremiæ qui est Baruch : *Quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in æternum* [4]. Ibi enim stabilitatem et immutabilitatem divinæ naturæ, et ut semper eodem se modo habeat significans Propheta dicit : *Tu sedes in sempiternum* [b], etc. »

II. Post sacrosancta divini Verbi oracula, proximum habet auctoritatis gradum totius Ecclesiæ vox generalium synodorum decretis edita. Ea vero immutabilitatem Dei gravi ac luculento præconio sanxit, primum in Nicæno consessu, tum in cæteris deinceps œcumenicis quæ propositam illic fidei formulam sua quique lege comprobarunt. Cum igitur Arius Filium Dei et eumdem Deum alterius ab summo conditionis et naturæ esse diceret, ac mutabilem sic faceret ut ad pejora converti posset, contra hunc catholica omnis Ecclesia statuit ita : « Eos, inquit, qui dicunt (verba sunt Nicæni decreti interpretante Ambrosio [5] et Hilario [6]) : « Erat aliquando quando non erat, etc., aut mutabilem et convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. » His ista subjicit Ambrosius : « Arius dicit mutabilem Dei Filium. Quomodo ergo Deus, si mutabilis, cum ipse dixerit : *Ego sum, ego sum, et non mutatus* [7] ? »

Hoc velut christianæ fidei jacto fundamento, theologica deinceps argumenta construamus *. Sed prius quid illa sit et in quo sita immutabilitas Dei, utile sit cognoscere. Hanc vero quæ illi ex adverso respondet mutationis aperiet notio.

Mutari proprie id dicitur quod aliter se habet atque habebat antea, vel quod status sui vicissitudinem patitur. Quod quidem, ut Aristoteli in *Physicis* placet [c], trifariam evenit, vel ex accidenti, vel ratione partis, vel per se. Ex accidenti, ut cum dicimus ambulare musicum, quoniam ei qui ambulat accidit ut sit musicus, ratione partis, ut cum sanari dicitur Socrates, cum ejus sanatur oculus : per se denique, cum toti ac secundum se convenit mutatio. Rursus postremum hoc genus aut inter contraria fit, aut inter contradicentia. Ea quæ est inter contradicentia, ortus et interitus appellatur : quæ inter contraria, trifariam patet. Nam vel secundum quantitatem fit, vel secundum qualitatem, vel secundum locum. Ita quatuor mutationum præcipuæ existunt species quas in tertio *Physicorum* explicat [8].

Quid sit mutatio et quotuplex.

a Cyr. lib. *Thes.* 15. Οὐδὲ γὰρ ἂν ὁ αὐτὸς εἴη, ἐφ' ἕτερόν τι, παρ' ὅπερ ἐστὶ μετατρέπεσθαι δυνάμενος.

b Cyr. Ὁ Ἱερεμίας, ὅτι σὺ καθήμενος τὸν αἰῶνα, καὶ ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα· ἐνταῦθα γὰρ τὸ ἱδρυμένον, καὶ ἀμετάθετον, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον τῆς θείας φύσεως ὁ Προφήτης σημαίνων φησί· σὺ καθήμενος τὸν αἰῶνα, etc.

c Arist. lib. V. init. Μεταβάλλει δὲ τὸ μεταβάλλον πᾶν, τὸ μὲν κατὰ συμβεβηκὸς, οἷον ὅταν λέγωμεν τὸ μουσικὸν βαδίζειν, ὅτι ᾧ συμβέβηκε μουσικῷ εἶναι, τοῦτο βαδίζει· τὸ δὲ, τῷ τούτου τι μεταβάλλειν, ἁπλῶς λέγεται μεταβάλλειν· οἷον ὅσα λέγεται κατὰ μέρη· ὑγιάζεται γὰρ τὸ σῶμα, ὅτι ὁ ὀφθαλμὸς, ἢ ὁ θώραξ· ταῦτα δὲ μέρη τοῦ ὅλου σώματος· ἔστι δὲ δή τι, ὃ οὔτε κατὰ συμβεβηκὸς κινεῖται, οὔτε τῷ ἄλλο τι τῶν αὐτοῦ, ἀλλὰ τῷ αὐτὸ κινεῖσθαι πρῶτον· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ καθ' αὑτὸ κινητόν.

* Græca Nicænæ definitionis verba sic habent : Τοὺς δὲ λέγοντας· ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν, ἢ τρεπτὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ· τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. Concinunt Patres synodi Lateranensis IV., qui in fidei professione decernunt : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus et immensus, omnipotens, incommutabilis. » Quam fidei professionem præformans Origenes, stoicosque refellens (*Con. Celsum*, lib. I. n. 21. coll.; lib. IV. n. 14; lib. VI. n. 62. et Joan. Damasc. *de Fide orthod.* lib. I. cap. VIII.) quos non pudebat inficias ire « Deum esse mutationis et vicissitudinis immunem, ita ut ex ipsis corrumpi possit si qui sit qui corrumpat, eaque causa non corrumpatur quia quod corrumpat, nihil est, » ait : ἀλλ' ὁ Ἰουδαίων καὶ Χριστιανῶν λόγος, ὁ τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀναλλοίωτον τοῦ θεοῦ τηρῶν, ἀσεβὴς εἶναι νενόμισται, ἐπεὶ μὴ συνασεβεῖ τοῖς ἀσεβῆ περὶ θεοῦ φρονοῦσι, λέγων ἐν ταῖς πρὸς τὸ θεῖον εὐχαῖς· σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ· πεπίστευται δὲ καὶ ὁ θεὸς εἰρηκέναι τὸ, οὐκ ἠλλοίωμαι. » « Sed Judæorum Christianorumque doctrina quæ Deum mutationis omnis variationisque expertem profitetur, quæ suis ad Deum precibus (*Psal.* CI. 28.) dicit : *Tu autem idem ipse es*, quæ Dei dictum hoc esse (*Malach.* III, 6.) docet, *non mutor* ; hæc, inquam, doctrina impia judicatur, quia ab eorum societate qui de Deo impia sentiunt abhorret. » Piorum namque fidem Tertullianus (*Advers. Praxeam*, cap. XXVII.) expressit his verbis : « Cæterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut æternum. Deus neque desinit esse, neque aliud potest esse. » *E. R.*

1 *Malach.* III. 6. — 2 *Num.* XXIII. 19. — 3 *Sap.* VII. 27. — 4 *Baruch.* III. 3. — 5 Lib I. *de Fide,* cap. XIX. — 6 In fragm.. — 7 *Malach.* III. 6. — 8 Cap. I. tex. 3.

III. Sic Hugo Victorinus Dei ut immutabilitatem demonstret [1], modos omnes exponit quibus variari res aliqua dicitur, quos ad duo fastigia redigit. Aut enim secundum locum res mutatur, aut secundum formam. Hoc vero posteriori genere mutationes omnes complectitur, quæ vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate contingunt.

Igitur nullo eorum modorum quibus res in se variatur, mutari dicimus Deum, ejusque diversæ ex antiquioribus theologis causæ referuntur, quarum prima et præcipua est summa simplicitas et unitas superioribus explicata capitibus. Hanc rationem indicat Augustinus, in undecimo libro *de Civitate Dei* [2] : « Est itaque bonum solum simplex, ait, et ob hoc solum incommutabile quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. » Damascenus quoque : « Natura, inquit, passionis expers neque diffluens, utpote simplex, nec compositus, nullam passionem fluxumque recipit [a]. »

eus immutabilis quia implex.

Cur autem divina illa simplicitas mutationem excludat omnem, ex natura simplicitatis ratio petitur. Cum enim, ut ex Aristotele paulo ante dixi, duplex mutatio sit, altera secundum contradicentia, altera secundum contraria, utrique conditio simplicitatis obsistit. Etenim mutari κατὰ τὴν ἀντίφασιν est corrumpi et esse desinere. Hoc vero pati non potest quod nullis ex partibus constat. Nam « compositio, ait Gregorius Nazianzenus, pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis. Solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur, nec pugna, ne dissidium oriatur : nec compositio, ne pugna existat [b]. »

Qua tione ex mplicitate oriatur mmutabilitas.

IV. Sic etiam Zacharias Mitylenæus in disput. *de Mundi opificio* « solutionem necessario ex compositione sequi ait. Quippe compositum omne ex natura sua esse dissolubile [c]. » Quod a Platone antea scriptum erat, apud quem summus Deus minores et a se factos deos alloquens, eos natura sua mortales et dissolubiles dicit, « quoniam omne colligatum solvi potest [d]. » Quod enim ejusmodi est, neque a se neque ab alio corrumpi potest. Non a seipso, quia nihil seipsum destruere potest nisi aliquid in se recipiat quod a seipso sit diversum, imo quod sibi contrarium sit. Deus autem propter infinitam simplicitatem adventitium omne ac peregrinum respuit, nec habere quidquam potest in sese quod non ipse sit. Quare nec interitum extinctionemque suam velle potest, cujusmodi voluntas ipsiusmet existentiæ, hoc est essentiæ, adeoque ipsi sibi repugnans esset. Deus enim ipsa sua est existentia et essentia et quidquid habere dicitur.

Sed nec ab alio deleri extinguique potest. Nihil enim agere potest in Deum, quia nihil eo validius est a quo superatum oppressumque succumbat. Tum, quod paulo ante posui, nulla vel efficientia, vel qualitas, vel vis ulla denique derivari in Deum aut ei supervenire potest. Utitur hoc argumento Proclus in *Commentariis ad rempublicam Platonis,* ac neque ab alio, neque a seipso pati quidquam Deum posse probat sic : « Omne enim quod mutatur eo quod mutat imbecillius est, quoniam hoc agit, illud patitur. Atqui divinum omne potentissimum est. Imbecillitas vero cum sit affectio propria materiæ, procul est a diis [e]. » Jam vero nec a seipso mutari posse inde confirmat : « Quidquid enim a seipso mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Porro in deterius nihil se unquam sponte sua mutaverit. Nam omne quod tale aliquid patitur ex boni inscitia pati illud videtur. At in melius si quid mutatur, id ante mutationem proprii boni indigens, ejusmodi mutationem eligit. Quare ex ambobus illis aut minime voluntariam actionem in Deum conferemus, aut bonorum indigentiam. Verum et cognitio penes Deos est præstantissima, et vita sufficiens. Igitur neque bono egent ullo, neque præter voluntatem aliquid patiuntur [f]. » Similis est

a Damas. lib. I. cap. viii. Φύσει γὰρ ὢν ἀπαθὴς, καὶ ἄῤῥευστος, ὡς ἁπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος, οὐ πέφυκεν ὑπομένειν πάθος ἢ ῥεῦσιν.

b Nazian. orat. 54. D. Σύνθεσις γὰρ ἀρχὴ μάχης· μάχη δὲ διαστάσεως· ἡ δὲ λύσεως, λύσις δὲ ἀλλότριον πάντη θεοῦ, καὶ τῆς πρώτης φύσεως· οὔκουν διάστασις, ἵνα μὴ λύσις, οὐδὲ μάχη, ἵνα μὴ διάστασις· οὐδὲ σύνθεσις, ἵνα μὴ μάχη.

c Zachar. tom. I. *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* Λύσεως ἐξ ἀνάγκης τῇ συνθέσει παρεπομένης· πᾶν γὰρ σύνθετον καὶ διαλύεσθαι πέφυκε.

d Plato in *Timæo.* Τὸ μὲν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν.

e Proclus. Οὐκοῦν τὸ μεταβαλλόμενον πᾶν τοῦ μεταβάλλοντος ἀσθενέστερον· εἴ περ τὸ μὲν ποιεῖ, τὸ δὲ πάσχει· τὸ δὲ θεῖον πᾶν δυνατώτατον· καὶ ἀσθένεια πάθος οὖσα ὑλικὸν, πόῤῥω τῶν θεῶν.

f Ibid. Πᾶν τὸ ὑφ' ἑαυτοῦ μεταβαλλόμενον, ἢ ἐπὶ κρεῖττον, ἢ ἐπὶ χεῖρον ἴσχει τὴν μεταβολήν· ἀλλ' ἐπὶ μὲν

1 Lib. VII. *Erud. theolog.* cap. xix. — 2 Cap. xix.

argumentatio apud Alcinoum in libro *de Doctrina Platonis*, capite decimo. Vide et R. Mosem Maiemoniden in primo libro, qui *More Nebochim* inscribitur capite LV. Huc refer quod Maximus martyr in libello de humana anima disputat, ubi eam immortalem esse probat quia simplex est. Quippe « ex eo quod simplex aliquid est, consequens est esse immortale. Id quomodo fiat accipe. Nihil eorum quæ sunt ipsum sui corrumpendi vim habet. Alioqui ne ab initio quidem constare potuisset. Nam quæ corrumpuntur, a contrariis corrumpuntur. Ideo quidquid corrumpitur dissolubile est. Quod autem dissolubile est, etiam compositum est. Compositum vero omne partibus constat. Porro quod ex partibus componitur, utique differentibus ex partibus conflatur. Jam quod differens est, non est idem. Igitur anima cum sit simplex, nec ex differentibus conflata partibus, neque composita est, neque dissolubilis. Ideo incorrupta et immortalis est[a]. »

Anima hominis immortalis quia simplex.

V. Præterea nulla res ab simili re pati quidquam potest. Sed contrariorum inter se omnis actio est et passio, ut, Aristoteles docet[1], qui ea quæ agunt invicem et patiuntur, sub eodem genere, specie esse diversa, adeoque contraria oportere dicit, « in quibus solis ortus interitusque versantur[b]. » At vero Deo nihil est contrarium. Nam « ei naturæ quæ summe est, qua faciente sunt quæcumque sunt, contraria natura non est nisi quæ non est. Ei quippe quod est, non esse contrarium est. Et propterea Deo, id est summæ essentiæ et auctori omnium qualiumcumque essentiarum, essentia nulla contraria est[2], » ait Augustinus. Idque ex eo compertum est, quod supra definitum est[3], Dei essentiam in eo maxime sitam esse, *ut sit id quod est* sive τὸ ὄν, unde et πέλαγος τῆς οὐσίας, *essentiæ pelagus* ab Gregorio Nazianzeno dicitur[4], ab Alcinoo πέλαγος τοῦ καλοῦ, *pulchritudinis pelagus*[5]. Quare ei quod summum est ens, id solum est contrarium quod est summe nihil. Nihil autem nullam prorsus efficientiam habet, nihil agere potest neque mutare alterum aut extinguere. Quare neque ab nihilo, id est contrario suo, pati Deus potest ab eove corrumpi.

Plus etiam aliquid Maximus apud Euthymium dicit[6], qui ne ipsum quidem *non esse* Deo censet esse contrarium. « Deus, inquit, ut qui ipsa est existentia et bonitas ipsa et ipsa sapientia, vel supra hæc omnia potius, nihil habet omnino contrarium, res autem creatæ ut quæ universæ quidem participatione ac gratia sortitæ sint existentiam, earum autem quæ ratione intelligentiaque sunt præditæ, etiam ad bonitatem et sapientiam habilitatem nactæ sint, habent contrarium, nempe ei quod est esse non esse, habilitati vero quæ inest illis ad bonitatem et sapientiam, malitiam et ignorantiam[c]. »

Quod equidem eo sensu scriptum a Maximo puto, ut quia nunquam non extitit Deus, neque non esse potest unquam, non sit ei oppositum non ens. Hoc enim non alia ratione est oppositum enti, quam ut terminus sit a quo proficiscatur ens aut in quem desinat. Si quidem « quod fit, ex eo fit quod non est. Fit enim ex privatione quæ ipsa per sese est non

τὸ χεῖρον ἑκουσίως οὐδὲν ἂν ἑαυτόν ποτε μεταβάλλοι· πᾶν γὰρ τὸ πάσχον τοῦτο, δι' ἄγνοιαν αὐτὸ φαίνεται πάσχον τοῦ ἀγαθοῦ· ἐπὶ δὲ τὸ κρεῖττον εἴ τι μεταβάλλει ἑαυτὸν, πρὸ τῆς μεταβολῆς ἐνδεὲς ὂν τοῦ οἰκείου ἀγαθοῦ τὴν τοιαύτην αἱρεῖται μεταβολήν· ἐξ ἀμφοῖν δὲ, ἢ ἀκούσιον ἐνέργειαν ἀνοίσομεν ἐπὶ τὸ θεῖον, ἢ ἔνδειαν ἀγαθῶν· ἀλλὰ μὴν καὶ γνῶσίς ἐστι τοῖς θεοῖς ἡ ἀρίστη, καὶ ζωὴ αὐτάρκης· οὐκ ἄρα ἐνδεεῖς εἰσιν ἀγαθοῦ τινος, οὔτε ἀκούσιόν τι πάσχουσιν.

a Maxim. in lib. nondum, ut opinor, edito *de Anim.* Εἰ ἀθάνατος ἡ ψυχή; Ἀκολουθεῖν οἶμαι δεῖν τῷ ἁπλῷ τὸ ἀθάνατον, καὶ ὅπως ἄκουε· οὐδὲν τῶν ὄντων αὐτὸ ἑαυτοῦ φθαρτικόν ἐστιν· ἐπεὶ οὐκ ἂν οὔτε ἐξ ἀρχῆς συνέστη· τὰ γὰρ φθειρόμενα, ἐκ τῶν ἐναντίων φθείρεται· διὸ πᾶν φθειρόμενον διαλυτόν ἐστι· τὸ δὲ διαλυτὸν, σύνθετον· τὸ δὲ σύνθετον, πολυμερές· τὸ δὲ ἐκ μερῶν συγκείμενον, δῆλον ὅτι ἐκ διαφόρων σύγκειται μερῶν· τὸ δὲ διάφορον οὐ ταὐτόν· οὐκοῦν ἡ ψυχὴ ἁπλῆ οὖσα, καὶ μὴ ἐκ διαφόρων συγκειμένη μερῶν, ἀσύνθετος, καὶ ἀδιάλυτος οὖσα, διὰ τοῦτο ἄφθαρτος, καὶ ἀθάνατος ἔσται.

b Arist. lib. I *de Gen.* cap. VII. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ πάσχον, καὶ τὸ ποιοῦν, τῷ μὲν γένει ταὐτὰ, καὶ ὅμοια· τῷ δ' εἴδει ἀνόμοια· τοιαῦτα δὲ τἀναντία· φανερὸν ὅτι παθητικὰ, καὶ ποιητικὰ ἀλλήλων ἐστὶ τά τ' ἐναντία, καὶ τὰ μεταξύ· καὶ γὰρ ὅλως φθορὰ καὶ γένεσις ἐν τούτοις.

c Maxim. Ὁ μὲν θεὸς ὡς αὐτοΰπαρξις ὢν, καὶ αὐτοαγαθότης, καὶ αὐτοσοφία, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ πάντα ταῦτα, οὐδὲν ἔχει τὸ σύνολον ἐναντίον· τὰ δὲ κτίσματα, ὡς πάντα μὲν μεθέξει, καὶ χάριτι τὴν ὕπαρξιν ἔχοντα· τὰ δὲ λογικὰ, καὶ νοερὰ, καὶ ὡς τὴν ἀγαθότητος, καὶ σοφίας ἐπιτηδειότητα κεκτημένα, ἔχουσιν ἐναντίον· τῇ μὲν ὑπάρξει τὸ μὴ ὑπάρχειν· τῇ δὲ τῆς ἀγαθότητος, καὶ σοφίας ἐπιτηδειότητι κακίαν, καὶ ἀγνωσίαν.

1 Lib. I. *de Gen.* cap. VII. tex. 50. 51. et sect. 3. prob. 8. et sect. 8. prob. 18. — 2 Aug. lib. XII. *de Civit. Dei*, cap. II. et lib. *de Nat. boni*, cap. XIX. — 3 Cap. VI. libri I. — 4 Orat. in *Nativit. Dom.* — 5 Cap. X. — 6 *Panop.* tit. III. et est caput XXVII. Centur. 3. *de Charit.*

ens[a], » inquit Aristoteles. At creatæ res quæ et aliquando non erant et non esse possunt, oppositum habent non ens. Quippe, ut ait Maximus, « habent non ens suo esse antiquius. Nam erat aliquando cum non erant[b]. »

VI. Denique necessario Deum esse et existere atque adeo fieri non posse ut non sit, ex iis constat quæ superioris initio libri disputata sunt, ex quibus proinde sequitur ab nullo penitus aboleri, hoc est οὐσιωδῶς immutari posse. Est enim « omnino impossibile, ait Richardus Victorinus, omne necessarium non esse, necessariaque ratione carere[1]. »

Substantialiter.

Neque vero mutatione illa quæ secundum accidens est, variari potest Deus. « Omnis enim res mutabilis, etiam formabilis sit necesse est[2], » ut dicit Augustinus. Deus autem formam nullam nullumque accidens potest recipere. « Nihil enim accidens in Deo, ut idem ait, quia nihil mutabile aut amissibile[3]. » Et Ambrosius initio *Tractatus in symbolum*, « nihil extrinsecus advenire Deo. » Tum « in se nihil aliunde recipere. » « Divinitas, ait Arnobius, quæ immutabilis perseverat, nihil in se ex accidenti aliquid recipit. Hoc enim est hodie quod semper fuit[4]. » Pressius hoc per singula mutationum genera quæ secundum formam accidunt, probat Hugo Victorinus[5]. « Quidquid enim secundum formam mutatur, vel secundum augmentum, vel secundum diminutionem, vel secundum alterationem mutatur. » Deinde singillatim ostendit « nihil horum divinam recipere naturam. Non augetur. Quidquid enim per incrementum crescit, amplius aliquid semetipso accipit. Quidquid autem præter id quod in semetipso habet aliquid accipit, aliunde accipiat necesse est, quia nulla res sibi ipsi quod non habet dare potest. Creator autem rerum a quo aliquid quod non habet accipiat, cum omne quod existit ab ipso procedat? Non potest igitur crescere, qui semetipso amplius nil potest recipere. »

VII. Hoc Hugonis argumentum quod ad unam speciem mutationis secundum formam accommodat, de universo genere sic instituit Augustinus. « Nulla res, inquit, seipsam formare potest, quia nulla potest dare sibi quod non habet. Si qua vero non habet formam, non potest a se accipere quod non habet[6]. » Quod si quis ἐνεργείᾳ posse sibi dare contendat quod δυνάμει tantum habet, jam hoc ipso convenire illud in Deum non poterit, quod nihil est in eo δυνάμει sed ἐνεργείᾳ, imo mera ipse est ac simplex ἐνέργεια. Alterum Hugonis argumentum etiam latius patet. Non enim solum ne crescat impeditur : eo « quod seipso nihil amplius potest recipere, » sed etiam ut ne reliquas mutationum experiatur species, eadem prohibet infinita perfectio de qua mox. Non minui porro demonstrat ita : « Quidquid enim semetipso minus fieri potest, vere unum non est, quia id quod in separatione se dividit, in conjunctione idem non fuit. Deus igitur cui totum unum est esse quod est, nullo modo semetipso fieri potest. » Recte hic ex unitate Dei, hoc est ut capite superiori docui, summa simplicitate, de una mutationis parte concludit Hugo quod non minus de universo genere procedit, uti apud Ambrosium qui sic ait : « Non enim dividitur unitas nec scinditur, et ideo nec corruptelæ subditur nec ætati[7]. » Et Novatianus : « Et ideo quia unum est, dissolvi non potest[8]. » Postremo de ἀλλοιώσει quam *alterationem* vocant, probat Hugo non eam cadere in Deum, præsertim quæ spirituum est propria. Nam de ea quæ est corporum necesse non est loqui. Illa porro in cognitione affectuque consistit, quæ in Deo mutabilia esse non possunt, ut ibi pluribus explicat. Sed ea singillatim intelligentur, cum de divina cognitione ac voluntate disseremus. Universe autem utilis est illa ratio, quam de cognitione ac sapientia ibidem exprompsit Hugo. « Quidquid ex parte est, ait, mutabile est, et quidquid ex parte non est, mutabile non est. » Ubi *ex parte esse* nominat, non totum id esse, sed aliqua sui parte adjuncta qualitate aut facultate, velut totum corpus non est oculus vel videndi vis, neque animus noster ipsa sua est cognitio. Sed annexæ additæque sunt naturæ ac substantiæ nostræ affectiones istæ. Quare sequitur apud Hugonem : « Deus autem

Actu.
Potentia.
Potentia sed actu.
Actus.

Pulcherrima Hugonis ratiocinatio

a Aristot. lib. I *Phys.* cap. viii, tex. 75. Ἡμεῖς δὲ καὶ αὐτοί φαμεν γίγνεσθαι μὲν οὐδὲν ἁπλῶς ἐκ μὴ ὄντος· ὅμως μέν τοι γίγνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος, οἷον κατὰ συμβεβηκός· ἐκ γὰρ τῆς στερήσεως, ὅ ἐστι καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, οὐκ ἐνυπάρχοντος γίγνεταί τι.

b Maxim. apud Euth. *Panop.* tit. 6. Τὸ γὰρ μὴ ὂν ἔχουσιν αὐτῶν τοῦ εἶναι πρεσβύτερον· ἦν γάρ ποτε, ὅτε οὐκ ἦν.

1 Lib. I. *de Trinit.* cap. iv. — 2 Lib. II. *de Libero arbitr.* cap. xvii. — 3 Lib. V. *de Trinit.* cap. iv. et xvi. — 4 In *Conflictu cum Serap.* — 5 Lib. VII. *Erud. theol.* cap. xx. — 6 Lib. II. *de Libero arbitr.* cap. xvii. — 7 Lib. I. *de Fide,* cap. ii. — 8 Lib. *de Trinit.* cap. vi.

cui idem est esse, vivere et intelligere (possumus etiam et *velle* addere) cum per essentiam ex parte non sit, » (est enim ipsum esse et πέλαγος τῆς οὐσίας, ut supra memini) « nec per sapientiam ex parte esse poterit. Sed sicut immutabilis est essentia, ita quoque immutabilis est sapientia. »

VIII. Hæc Hugonis ratiocinatio, et latius, ut dixi, patet ac totum genus mutationis amplectitur, et est longe pulcherrima. Etenim mutatio omnis, et novæ rei acquisitio est et veteris amissio. Nam « converti in aliud, finis est pristini [1], » ait Tertullianus, aut ut nihil excidere putemus, certe quidem non fuisse ante id necesse est ad quod mutatione pervenitur. Atqui Deo nihil novum accidere potest, qui totum id quod est esseve potest, non potestate, sed ἐνεργείᾳ et *actu* continet, neque quidquam decedere, quia plenam illam entis immensitatem non tanquam adventitiam ac superfusam habet, sed est ista ipsa. « Non potest autem a suo esse, hoc est a seipso desciscere [a], » ait Plotinus. Mutari ergo nullo pacto potest. « Natura quippe divina, ut ait Cyrillus Alexandrinus, in seipsa firma et stabilis est, nec mutationem in aliud recipit, sed eodem modo se semper habet et in suis ornamentis constanter manet [b]. »

Deus immutabilis quia est id quod est.

Quocirca licet immutabilitatis Dei hanc aliam afferre causam, quia est id quod est vel quod habere dicitur, tametsi eodem cum priore illa, hoc est simplicitate, recidit. Nam ideo simplex a nobis intelligitur Deus, quia id est omne quod esse eum vel habere dicimus, atque ut recte in primo *de Universitate* Rhabanus ait, « simplex dicitur sive non amittendo quod habet, seu quia non aliud est ipse et aliud quod in ipso est. Sicut in homine cujus aliud est esse et aliud sapere. Item : Deus habet essentiam, habet et sapientiam. Sed quod habet, hoc est, et omnia unus, ac proinde simplex est, quia non in eo aliquid accedere potest, » quæ ex Augustino mutuatus est. Ita sanctus Eucherius in libro *de Formulis spiritualis intelligentiæ* « immutabilem esse Deum asserit, quia mutari omnino ab eo quod est non potest. Simplex enim natura est et immutabilis atque imperturbata, neque aliud est ipse et aliud quod habet et quod est [2]. »

Cum hac ratione consonat et ista Cyrilli Alexandrini qui in XIII *Thesauri* Filium Dei mutabilem non esse probat, quoniam veritas est; « Quod enim mutari et alterum fieri potest, non diceret de seipso : *Ego sum veritas*. Nam si aliquando hoc est, aliquando non est, secum ipse mentitur [c]. » Etenim ut ait Augustinus tractatu XXXVIII *in Joannem :* « Res quælibet prorsus qualicumque excellentia si mutabilis est, non vere est. Non enim est ibi verum esse ubi est et non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat. » Et in sermone XVII *de Diversis*, capite tertio : « Ea quæ mutantur, non sunt quia non permanent. Quod enim est manet. Quod autem mutatur, fuit aliquid et aliquid erit, et non tamen est, quia mutabile est. »

Deus immutabilis, quia est a nullo.

IX. Rursus idcirco mutari non posse Deum sentiunt antiqui Patres, quia est a se sive a nullo, quod ἀγένητον appellare solent. Novatianus in libro *de Trinitate*, capite IV : « Nam et incrementa, inquit, originem monstrant, et detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo ego, ait, sum Deus, et non sum mutatus; statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, converti non potest. » Et paulo post : « Quod enim natum non est, nec mutari potest. Ea enim sola in conversionem veniunt quæcumque fiunt vel quæcumque gignuntur, dum quæ aliquando non fuerant discunt esse nascendo, atque ideo nascendo converti. At enim illa quæ nec nativitatem habent nec artificem, excluserunt a se demutationem, dum in qua conversionis causa est non habent originem. » Sic Augustinus in duodecimo *de Civitate Dei :* « Dicimus itaque immutabile bonum non esse, nisi unum verum Deum beatum; ea vero quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo, verumtamen mutabilia, quod non de illo sed de nihilo facta sunt [3]. » Et in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione XIX : « Quod incommutabile est, æternum est : semper enim ejusdemmodi est. Quod autem commutabile est, tempori obnoxium est. Non enim semper ejusdemmodi

a Plot. *Enn.* 6 lib. V. cap. III Εἰ δὴ τὸ ὂν ὄντως τοῦτο, καὶ ὡσαύτως ἔχει, καὶ οὐκ ἐξίσταται αὐτὸ ἑαυτοῦ.

b Cyr. lib. I. *in Joan.* Πέπηγε γὰρ ὄντως ἡ θεία φύσις ἐφ' ἑαυτῇ, τὴν ἐφ' ἕτερόν τι παρατροπὴν οὐκ ἀνεχομένη παθεῖν, ἔχουσα δὲ μᾶλλον ὡσαύτως ἀεὶ, καὶ ἐν τοῖς ἰδίοις ἑστῶσα πλεονεκτήμασιν.

c Cyr. ib Τὸ τρεπόμενον, καὶ ἀλλοιωθῆναι δυνάμενον οὐκ ἂν λέγοι περὶ ἑαυτοῦ· Ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια· εἰ γὰρ ποτὲ μὲν τόδε ἐστὶν, ποτὲ δὲ οὐκ ἔστι, ψεύδεται πρὸς ἑαυτόν.

1 Tertul. cap. III. lib. *de Car. Christi.* — 2 Cap. I. — 3 Cap. I.

est, et ideo æternum non recte dicitur. » Item in libro undecimo *Confessionum*, capite IV : « Ecce sunt cœlum et terra. Mutantur enim atque variantur. Quidquid autem factum non est et tamen est, non est in eo quidquam quod ante non erat, quod est mutari atque variari. » Lactantius libro secundo, capite VIII : « Solus igitur Deus est qui factus non est, et ideo destruere alia potest, ipse destrui non potest. Permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissolvat. » Fulgentius item : « Nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum : nullum habens profectum; quia nullum habens initium. Ideo quippe naturæ a Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt : ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis; ad profectum vero provehit operatio creatoris [1]. » Antipater Bostrensis episcopus : « Sempiterna, inquit, substantia mutationis umbram ferre non sustinet, non enim potest. Quod enim semel est, ac nec ab altero habet ut sit nec fortuito quodammodo factum est, hoc neque fieri neque transmutari neque converti potest. Quandoquidem impossibile est ut deponat id quod secundum naturam est. Nam quod a nullo accepit, non deponit, et quod non posterius habuit, non amittit. Verum sempiterna substantia quæ est solus Deus, nempe Pater et Filius et Spiritus sanctus, erat et est et erit, conversionem et mutationem et alterationem non capiens [a]. »

X. Memorabilis ad eamdem sententiam est Maximi locus apud Euthymium [2], quem et Joannes Cyparissiotus [3] attulit. Huic vero latini duo interpretes, viri docti, quorum alter Euthymium vertit, alter Joannem Cyparissiotum, mendose reddiderunt. Quare nos græce latineque, ut quidem interpretandus videtur, hic cum describemus : « Nihil eorum quæ sunt, a seipso agitur; quod autem a seipso non agitur causa non caret : quod autem causa non caret, neque est immobile : quod vero immobile non est, omnino propter causam aliquam movetur, eo ipso quod naturaliter movetur, ab causa actum et impulsum, propter quam et ad quam motum facit. Nam nihil eorum quæ moventur, sine causa moveri natura sua potest. Porro naturalis motus omnis principium est eorum ortus quæ moventur, principium autem ortus eorum quæ moventur est Deus, tanquam auctor et conditor [b]. »

tem quia nmobilis.

Hoc in Maximi loco priora ista verba non recte latinos interpretes accepisse dico : οὐδὲν τῶν ὄντων αὐτενέργητον· τὸ δὲ μὴ αὐτενέργητον, οὐδ' ἀναίτιον. Nam αὐτενέργητον non *a se factum* aut *productum* significat, sed *quod a se agitur et impellitur*, quod in sequentibus apparet ubi ita dicit, *quidquid non est immobile*, *propter causam aliquam moveri*, ἐνεργούμενον τῷ κινεῖσθαι φυσικῶς ὑπὸ τῆς αἰτίας, *actum impulsumque eo ipso quod naturaliter movetur a causa*, nimirum ab eo fine cujus agit gratia et a quo allicitur. Quod igitur traditum est ab Aristotele, et a philosophis ac theologis ad summæ causæ investigationem adhiberi solet, *quidquid movetur; ab alio moveri*, id de ea causa quam *finalem* vocant, intellexit Maximus, quemadmodum et Rabbi Moses Maiemonis filius dum motorem primum ex Aristotelea ratione statuit [4], eamdem causam intexuit. Ita pulcherrimum conficitur argumentum quo Dei immutabilitas, sive quod idem est, immobilitas affirmatur.

Etenim quidquid movetur aut mutatur, movetur ab altero, hoc est alterius gratia, et ab eo tanquam fine, ad agendum pellitur. Nam nulla creata res ultimus sibi esse finis potest, aut in seipsa acquiescere. Deus autem cum summum et infinitum bonum sit, neque extra se aut non propter se quidquam expetat : sibi enim omni ex parte sufficit : moveri nullo

a ANTIP apud Damasc. cap. I Ἐκλογῶν, sive *Parallel.* Ἀΐδιος οὐσία τροπῆς ἀποσκίασμα παθεῖν οὐκ ἀνέχεται· οὔτε γὰρ δύναται· τὸ γὰρ ἅπαξ ὄν, καὶ μήτε παρ' ἑτέρου ἔχον τὸ εἶναι, μήτε ἐξ αὐτομάτου πῶς γεγονὸς, τοῦτο γενέσθαι, ἢ μετασκευασθῆναι, ἢ μετατραπῆναι ἀδύνατον· ἐπειδὴ ἀποθέσθαι τὸ εἶναι ὅπερ ἐστὶ κατὰ φύσιν ἀδύνατον· ἃ γὰρ οὐκ ἔλαβεν, οὐκ ἀποτίθεται· καὶ ὃ ὕστερον οὐκ ἔσχεν, οὐκ ἀποβάλλεται· ἀλλ' ἡ ἀΐδιος οὐσία, ἢ μόνος ἐστὶν ὁ Θεὸς, τουτέστι πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, ἦν τε, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται, τροπὴν καὶ μεταβολὴν, καὶ ἀλλοίωσιν οὐκ ἐπιδεχομένη.

b MAXIM. apud Euthym. ex hujus *Panoplia Græca.* Οὐδὲν τῶν ὄντων αὐτενέργητον· τὸ δὲ μὴ αὐτενέργητον, οὐδ' ἀναίτιον· τὸ δὲ μὴ ἀναίτιον, οὐδ' ἀκίνητον· τὸ δὲ μὴ ἀκίνητον, δι' αἰτίαν κινεῖται πάντως, ἐνεργούμενον τῷ κινεῖσθαι φυσικῶς ὑπὸ τῆς αἰτίας, δι' ἣν, καὶ πρὸς ἣν ποιεῖται τὴν κίνησιν, οὐδὲν γὰρ τῶν κινουμένων κινεῖσθαι πέφυκεν ἀναιτίως· ἀρχὴ δὲ πάσης κινήσεως φυσικῆς, ἡ τῶν κινουμένων γένεσις· ἀρχὴ δὲ τῆς τῶν κινουμένων γενέσεως, ὁ Θεὸς, ὡς γενεσιουργός.

1 Lib. *de Fide ad Pet.* cap. III. — 2 Tit. III. pag. 79, Lat. edit. — 3 Dec. III. cap. II. — 4 Par. II. *More Neb.* cap. I.

modo potest. Seipsum enim semper habet ac seipso fruitur. Quare mutationis prorsus est omnis expers. Hanc ratiocinationem ex communibus de Deo philosophiæ notionibus depromptam indicat Aristoteles[a] in primo libro, *de Cœlo*, ubi quod divinum est, immutabile esse penitus asserit, idque eo esse necesse, quia primum est et supremum, neque melius illo quidquam est quod ipsum moveat; si enim ejusmodi esset aliquid, esset illo divinius. Hoc autem argumentum ad eumdem in quo versamur locum revocatur. Quod enim est a se, id a nullo alio moveri allicive potest, quia nihil seipso prius habet aut præstantius. A quo vero est aliquid tanquam a primo ac summo, ab eo velut causa tam efficiente primaria quam ultimo fine movetur et attrahitur.

XI. Sed ad illos orationem revoco qui immutabilem idcirco Deum esse dicunt, quia est ἀγένητος. Id autem valet *a seipso esse non ab alio*. Ita Methodius « quod est ἀγένητον, id per se absolutum et immutabile esse ait, ac nullius egens et incorruptibile [b]. » Et Titus Bostrensis : « Quod ingenitum est, impatibile est [1]. » Prosper item, sententia tertia : « Natura initio carens, incremento non indigens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. » Hoc vero idem est atque æternum esse. Quam quidem æternitatem alii causam efferunt immutabilitatis. Itaque recte hanc illi subjecit Ambrosius : « In hac, inquit, Trinitate vera est æternitas, immutabilis unitas, æterna ac perfecta charitas. » Et Prosper in epigrammate tertio :

Item quia æternus.

Non cœptum, aut auctum, non huic mutabile [quidquam est
Quod subeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, ulteriorque futuris
Nil recipit varium, nil habet occiduum.

Fulgentius item : « Summum atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est [2]. » Quippe, ut ait Augustinus, « illa vera est æternitas quæ est vera immortalitas [3]. » Et alibi : « Si exortum est aliquid in Dei substantia quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia [4]. »

Hoc argumento Cyrillus hæreticos illos arguit qui Verbi divinitatem in caducum ac terrenum hoc corpus mutatam esse jactabant. Atqui « propriis, inquit, in bonis stabilita est natura Dei, et inconcussam habet in iis in quibus inest manendi constantiam. Etenim natura condita et ad existentiam tempore perducta, mutationem pati potest, neque a recta ratione ac veritate aliena res ista fuerit. Nam quod esse ab initio prorsus aliquo cœpit, jam quodammodo infinitam simul habet mutabilitatem. Deus autem qui mente omni superior est, ab generatione et corruptione substantiam exemptam ac valentiorem habens, mutatione etiam omni præstantior est [c]. » Hæc Cyrillus, et iis plura quibus divinam Verbi substantiam ab omni mutatione vindicat, quod non in tempore procreata sit, sed ex omni æternitate fuerit. Idem quoque in quinto *Thesaurorum* et alibi sæpe, Filium ex æterno extitisse probat, ne in Patrem mutabilitas aliqua redundet, si non ab omni æternitate Pater fuerit. De quo alibi dixi.

XII. Atque hoc æternitatis illius quæ Deo convenit, natura ipsa conditioque nos docet. Hæc enim temporis expers, nullam ejus differentiam capit, neque *fuit* aut *erit* in illa locum habent, ideoque mutationem omnem respuit. Quod Augustinus ad illa verba Davidis adnotat *a sæculo et usque in sæculum tu es Deus*. Optime autem, inquit, non ait : A sæculo tu fuisti, et usque in sæculum tu eris, sed præsentis significationis verbum posuit insinuans Dei substantiam omni modo incommutabilem, ubi non est *fuit* et *erit*, sed tantummodo *est* [5]. Etenim, ut ait Bernardus,

a Aristot. cap. IX. Καὶ γὰρ καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα πολλάκις προφαίνεται τοῖς λόγοις, ὅτι τὸ θεῖον ἀμετάβλητον ἀναγκαῖον εἶναι πᾶν τὸ πρῶτον, καὶ ἀκρότατον· ὃ οὕτως ἔχον μαρτυρεῖ τοῖς εἰρημένοις· οὔτε γὰρ ἄλλο κρεῖττόν ἐστι ὅ, τι κινήσει· ἐκεῖνο γὰρ ἂν εἴη θειότερον.

b Meth. apud Phot. cod. 235. Τὸ δὲ ἀγένητον, αὐτοτελὲς καὶ ἄτρεπτον φανθὲν, καὶ ἀπροσδεὲς, καὶ ἄφθορον ἔσται.

c Cyril. in orat. *de Recta fide in concil. Ephes.* p. 15. et in 1. *contr. Nest.* p. 4. Ἐρήρεισται γὰρ ἡ τοῦ θεοῦ φύσις ἐν ἰδίοις ἀγαθοῖς, καὶ ἀκατάσειστον ἔχει τὴν ἐφ' οἷς ἐστι διαμονήν· φύσις μὲν γὰρ ἡ γενητὴ, καὶ χρόνῳ παρενεχθεῖσα πρὸς ὕπαρξιν, πάθοι ἂν τὴν ἀλλοίωσιν, καὶ οὐκ ἔξω λόγου τοῦ καθήκοντος, καὶ ἀληθοῦς τὸ χρῆμα κείσεται· τὸ γὰρ ἀρχὴν ὅλως τοῦ εἶναι λαχὸν, οἱονεί πως ἤδη καὶ διεσπαρμένον ἔχει τὸ ἀλλοιοῦσθαι δεῖν· θεὸς δὲ ὁ παντὸς ἐπέκεινα νοῦ, γενέσεως καὶ φθορᾶς τὴν ὕπαρξιν ἔχων ἐξῃρημένην τε, καὶ ὑπερισχύουσαν, ἀμείνων ἔσται καὶ τροπῆς.

1 Lib. I. *cont. Man.* tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 894. — 2 Cap. III. *de Fide.* — 3 Lib. *de Natura boni,* cap. XXXIX. — 4 Lib. XI. *Confess.* cap. XI. — 5 Tract. in *Psal.* LXXXIX.

« Tolle *fuit* et *erit*, unde jam transmutatio aut vicissitudinis obumbratio? At quidquid veniens ex eo quod fuit, non cessat tendere in id quod erit, transitum sane habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet [1]? » Hinc etiam Richardus Victorinus æternitatem definit ita ut mutabilitate omni careat, quod paulo post dicetur. Tum sic colligit : « Qui increatus et sempiternus est, caret initio et fine, et cujus status invariabilis est, manet absque omni mutabilitate [2]. » Quocirca recte Philolaus Pythagoricus « unum esse dixit sempiternum Deum, stabilem et immobilem ac sui similem [a]. »

Deus immutabilis quia infinitus.

XIII. Ducitur et ex infinitate Dei ac bonis omnibus cumulatissima perfectione immutabilitatis ejus ratio, quam Hippolytus Portuensis explicat in libro *de Theologia et Incarnatione contra Beronem et Helicem* [3]. « Quod enim immensum est, inquit, nullo modo aut ratione motum suscipit, non habens quo aut circa quod moveatur. Vertibilitas enim ejus qui est expers motionis, motus est [b]. » Tum indidem probat Verbum cum humanam assumpsit naturam, mutationem subiisse nullam, quod est opusculi illius argumentum. Gregorius quoque Nyssenus Deum « neque majorem, neque minorem accessione vel decessione fieri asserit. Quippe incrementum illud quod in majus sit, in infinito locum non habet. Quod autem natura sua pati nihil potest, nullam diminutionis cogitationem admittit [c]. »

Quocirca eleganter Maximus martyr apud Euthymium, infinitatem ait efficere motionis omnis quietem et cessationem, eamque propterea vocat ὁριστικὴν τῆς κινήσεως, id est, *quæ motum omnem circumscribit ac definit*, atque eamdem tamen ipsam finiri a Deo ac determinari. Verba illius hic omnino reddenda sunt. « Naturalis, inquit, eorum quæ facta sunt, motionis finis est status, quem efficit post finitorum transitum infinitas, in qua quia nullum est spatium, motus omnis cessat eorum quæ naturaliter moventur. Igitur generationis omnis et motus ac status eorum quæ sunt, principium, medium ac finis est Deus, tanquam eorum quæ ab ipso facta sunt ac per ipsum moventur et in ipsum statum ac quietem factura sunt; ut qui ipsam determinet infinitatem, a qua motus omnis terminatur [d]. » Hoc vero ex infinitatis illius genere de qua hic agimus melius intelligetur. Nam infinitas illa quæ in Deum convenit, cum absolutissima bonorum ac perfectorum omnium complexione conjungitur, nec est uniusmodi, quantitate scilicet aut qualitate aut alio entis genere; sed per universa quæcumque sunt et esse possunt, imo supra ista omnia patet ac diffunditur.

Cæterum cum de infinito disputat Aristoteles, antiquorum sententiam reprehendit qui infinitum id esse volebant cujus extra nihil est, nimirum quod in sese universa complectitur [e]. Ipse autem hoc esse infinitum ait, cujus semper aliquid est extra, quod scilicet exhauriri dividendo nunquam potest [f]. De hoc enim infinito agit. Porro id cujus extra nihil est, totum ac perfectum appellari dicit.

Et quia infinite perfectus.

XIV. Jam ex utroque temperata ratio infinitati Dei congruit. Est enim sic infinitus ut comprehendi nequeat, ac proinde semper aliquid restet illius quod capi ac cognosci nondum potuerit. Ita vero perfectus, ut nihil

a Philol. apud Philon. *de Mundi opificio.* edit. Paris. Græco-Lat. Ἔστι γὰρ, φησὶν, ἡγεμὼν, καὶ ἄρχων ἁπάντων Θεὸς, εἷς ἀεὶ ὢν, μόνιμος ἀκίνητος, αὐτὸς αὐτῷ ὅμοιος, ἕτερος τῶν ἄλλων.

b Hyppol. in collect. Anast. a Sirmond. editis. Τὸ γὰρ ἄπειρον κατ' οὐδένα τρόπον, ἢ λόγον ἐπιδέχεται κίνησιν, οὐκ ἔχον ὅποι καὶ περὶ ὃ κινηθήσεται· τροπὴ γὰρ τοῦ κατὰ φύσιν ἀπείρου, κινεῖσθαι μὴ πεφυκότος, ἡ κίνησις.

c Greg. Nyss. 12. *contr. Eunom.* Ἀλλ' αὐτὸ ὅπερ ἐστὶ, ζωή ἐστιν ἐν αὐτῷ ἐνεργουμένη, οὔτε μείζων, οὔτε ἐλάττων ἐκ προσθήκης, ἢ ὑφαιρέσεως γινομένη· ἡ μὲν γὰρ εἰς τὸ μεῖζον ἐπαύξησις ἐν τῷ ἀπείρῳ χώραν οὐκ ἔχει· τῆς δὲ κατὰ τὴν ἐλάττωσιν ἐπινοίας τὸ κατὰ φύσιν ἀπαθὲς ἀνεπίδεκτον.

d Maxim. *Panop.* par. I, tit. III. Τῆς δὲ τῶν γεγενημένων φυσικῆς κινήσεως τέλος ἡ στάσις· ἣν ποιεῖ μετὰ τὴν διάβασιν τῶν πεπερασμένων ἡ ἀπειρία· ἐν ᾗ διὰ τὸ μὴ εἶναι διάστημα, πᾶσα παύεται κίνησις τῶν φυσικῶς κινουμένων· πάσης οὖν γενέσεώς τε, καὶ κινήσεως, καὶ στάσεως τῶν ὄντων ἀρχὴ, καὶ μεσότης καὶ τέλος, ὁ Θεός· ὡς ἐξ αὐτοῦ γεγενημένων, καὶ δι' αὐτοῦ κινουμένων, καὶ εἰς αὐτὸν τὴν στάσιν ποιησομένων τὸν ὁρίζοντα καὶ αὐτὴν τὴν πάσης κινήσεως ὁριστικὴν ἀπειρίαν.

e Aristot. lib. III. *Phys.* cap. vi, tex. 62. Συμβαίνει δὲ τοὐναντίον εἶναι ἄπειρον ἢ ὡς λέγουσιν· οὐ γὰρ οὗ μηδὲν ἔξω, ἀλλ' οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστὶ, τοῦτο ἄπειρόν ἐστι.

f Mox : Ἄπειρον μὲν οὖν τοῦτ' ἔστιν, οὗ κατα τὸ ποσὸν λαμβάνουσιν, ἀεί τι λαβεῖν ἔξω ἐστίν· οὗ δὲ μηδὲν ἔξω, τοῦτ' ἔστι τέλειον, καὶ ὅλον.

1 Serm. 31. *in Cant.* — 2 Lib. II. *de Trinit.* cap. iv. — 3 Extat Lat. tom. IV. *Biblioth. Patrum.* col. 951. ex versione Turiani ; hic autem Anastasio interprete usi sumus.

extra se relinquat. Nam omnia continet in sese. Quare nihil huic inusitatum ac novum potest accidere. Mutari igitur non potest, quia motus omnis et mutatio alicujus est quod ante non erat acquisitio. Quippe « summe perfectum est id quod nulla in re accessionem vel incrementum potest accipere [a], » ut ait Justinus, vel alius potius auctor *Quæstionum ad orthodoxos*. Et Philo Judæus in libro *de Nominum mutatione* « immobile est et immutabile, nulla re plane altera indigens [b]. »

Hanc ex perfecti conditione petitam rationem auctor libri *de Trinitate,* qui Novatianus falso perhibetur, his verbis explicat : « Ideo nec adjectio in illo unquam ullius aut partis aut honoris accedit, ne quid unquam perfecto defuisse videatur. Sed quod est, id semper est; et qui est, semper ipse est; et qualis est, semper talis est [1]. » Tum Hilarius : « Nihil enim in æternam illam et perfectam naturam novum incidit, neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse quam semper est [2]. » Et paulo post : « Deus autem beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest : demutatione non novus est, qui origine caret. Ipse est qui quod est, non aliunde est, in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est et ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est reliquit. » Accedat et Augustinus cujus ista sunt ex tractatu quarto *in primam Epistolam Joannis :* « Jam illud attendite quid vocatur *est*. Nostis quid vocatur, *est*. Quod vocatur et non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est : semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur, nec proficit, quia perfectum est, nec deficit, quia æternum est [3]. » Quo in loco mutationis genus duplex quod secundum substantiam et secundum affectionem incidit a Deo removet, duplici ex illo quod adduximus capite, æternitate scilicet ac perfectione. Itaque laudandi sunt Platonici quorum ex placitis Deus est αὐτοτελὴς hoc est *per se absolutus et perfectus,* hoc est ἀπροσδεὴς *nullius indigens* [c], ut interpretatur Alcinous, et Methodius paulo a nobis ante citatus exposuit. Jam quod ita est perfectum nullius ut indigeat, motionem nullam ac mutationem recipit. Itaque Plotinus immutabilem esse divinam substantiam ait, « quoniam nihil neque supervenit neque advenit [d]. »

XV. Cujus rationem erudite Maximus martyr apud Euthymium reddidit ex eo sumptam [4], quod nihil est in Deo δυνάμει, hoc est *potentia*, a qua motus omnis et mutatio oritur. Est enim motus, ut Aristoteli [5] visum est, eorum solum quæ δυνάμει sunt aliquid, non autem *actu*. Ideo definitur ab illo « actus ejus quod potentia est, quatenus potentia est [e]. » Quod vero est ejusmodi, minime est perfectum. Quare, ut idem tradit Aristoteles [6], « motus quidam esse videtur actus sed imperfectus, quia imperfectum est id quod est potentia, cujus actus est motus [f]. » Unde qui est infinite perfectus et actu semper id quod est Deus, ab omni est mutatione remotus. Sed Maximi locum ipsum hic quoque dignum est legi. Est enim cæteræ ejus eruditioni consentaneus. « Omnis, inquit, essentia proprium secum terminum invehens, hoc est determinata, principium est natura sua motus qui secundum potentiam in ipsa consideratur. Porro omnis essentialis motus ad actum, medium est quiddam. Nam et essentia posterior et actu prior spectatur, atque omnis actus suapte ratione naturaliter circumscriptus, finis est essentialis illius motus qui animi cogitatione anterior ipso consideratur. Deus autem neque principium est, neque medium, neque finis. Hæc enim notæ sunt eorum quæ tempore dividua sunt [g]. » Quamobrem mutatio omni interjecta est inter potentiam et actum, sive perfectionem qua potentia formatur. Est enim

Quia actus purus.

a Justin. quæst. 123. *Ad orthod.* Τέλειον δὲ ἄκρως τὸ καθ' ὁτιοῦν προσθήκην, ἢ αὔξησιν μὴ δεχόμενον. Ita Cyrillus lib. X. *Thesaur.* p. 78.

b Philo. Ἄτρεπτον γὰρ καὶ ἀμετάβλητον, χρῇζον ἑτέρου τὸ παράπαν οὐδενός.

c Alcin. cap. x. Καὶ μὴν ὁ πρῶτος Θεὸς ἀΐδιός ἐστιν, ἄῤῥητος, αὐτοτελὴς, τουτέστιν ἀπροσδεὴς, etc.

d Plotin. *Enn.* 4. lib. VIII. cap. ii. Οὐδὲν γὰρ ἔπεισιν, οὐδὲ πρόσεισιν.

e Arist. Ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον κίνησίς ἐστιν.

f Idem. Ἡ δὲ κίνησις, ἐνέργεια μέν τις εἶναι δοκεῖ, ἀτελὲς δέ· αἴτιον δ' ὅτι ἀτελὲς τὸ δυνατὸν οὗ ἐστιν ἐνέργεια κίνησις.

g Maxim. Πᾶσα οὐσία τὸν ἴδιον ὅρον ἑαυτῇ συνεισάγουσα, τουτέστιν ὁριζομένη, ἀρχὴ πέφυκεν εἶναι τῆς ἐπιθεωρουμένης αὐτῇ κατὰ δύναμιν κινήσεως· πᾶσα δὲ οὐσιώδης πρὸς ἐνέργειαν κίνησις μεσότης ἐστὶ, μετεπινοου-

1 Cap. iv. — 2 In *Psal.* ii. — 3 Tom. IX. in cap. iii; vide et serm. 16. *de Diversis.* cap. iii. tom. X. — 4 Tit. III. *Panop.* — 5 Lib. III. *Physic.* cap. i. — 6 Eod. lib. cap. ii. tex. 15.

via quædam et progressio ab imperfecto ad perfectiorem statum. Hinc, ut ex Augustino supra memoravimus, « omnis res mutabilis etiam formabilis sit necesse est[1]. » Cum igitur Deus mera forma sit actusque simplex, totum illud est simul quidquid est, neque potentia quidquam continet. Idcirco nihil inest ipsi quod primum, medium et ultimum appellari possit sine quibus nulla in rebus est mutatio. « Quid enim est conversio, ait Cyrillus Alexandrinus, et crassa quædam mutatio, cum a potentia inquam ad actum fit transitus? Nam quod putatur aliquid esse naturali potentia, nec dum tamen istud actu est effectum, eatenus manet in potentia cum nondum acceperit motionem ad actum, sed in eo quod initio erat et primo remanens. Quod si forte motionem ad actum receperit, in aliud quiddam transibit quam quod in principio fuit[a]. »

Quia nihil est in quod mutatione transeat.

XVI. Ad extremum ut immutabilem Deum esse, summatim ac brevi aliqua et ab antiquis tradita ratione colligam, quoniam omnis mutatio duobus terminis definitur, altero ex quo fit, altero ad quem fit mutatio, a quo etiam posteriore potissimum nominatur, ut in quinto *Physicorum* scriptum est ab Aristotele, ex hoc maxime demonstrabimus mutari non posse Deum[2]. Imo concludentem hoc verbis istis Nyssenum Gregorium audiemus[3] : « Sola, inquit, conversione omni mutationeque superior est natura divina. Nihil enim est ad quod mutatione utatur, cum nec mali sit capax omnino, neque ad id quod est melius converti queat. Non enim est aliquid ad quod mutationem recipiat, quippe non se habet melius quidquam ad quod transitum faciat. At nos homines qui in conversione mutationeque versamur, secundum utrumque per transmutatricem actionem deteriores aut meliores reddimur[b]. » Quocirca cum id omne in quod mutatione transitur, aut eo sit melius a quo receditur, aut sit deterius; « Mutatio quippe aut in pejus est aut in melius[4], » ait Augustinus; neutrum autem in Deum cadere possit, necesse est, quod idem monet Augustinus, ut « creatoris, hoc est summæ atque ineffabilis Trinitatis invisibilem, incommutabilemque naturam, et a mortalium carnalium sensibus et ab omni convertibilitate sive in melius, sive in deterius sive in quodlibet aliud atque aliud remotam atque discretam, vel sine ulla dubitatione credamus, vel qualicumque etiam intelligentia capiamus[5]. » Eleganter quoque Fulgentius in eodem insistens argumento, Deum ait « nec melioribus rebus nec deterioribus commutari. Neque enim habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est; et sicut est, ita est : non in se habet non esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non est. Et hoc quod sic est, non initio prævenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest quia totum in illo est, nihil ibi superest quia nihil præter illum est[6]. » His postremis verbis mutationum genera omnia complexus est Fulgentius a Deoque rejecit, quæ ex Aristotele et Hugone capitis hujus initio commemoravimus.

Sallustius idem gentilis philosophus, initio libri *de Diis et mundo,* Deum immutabilem esse probat sic : « Omne enim quod mutatur vel in melius vel in deterius mutatur. Si in deterius, fit pejus. Si in melius, jam antea malum erat[c]. »

XVII. Est apud Platonem exquisita de hac re disputatio[7] : quam Eusebius in decimo tertio *Præparationis evangelicæ* descripsit. « Deum *ibi* ac quæ Dei sunt quia quam optimo sunt in statu, commutari non posse refert.

μένη μὲν τῆς οὐσίας, προεπινοουμένη δὲ τῆς ἐνεργείας· καὶ πᾶσα ἐνέργεια τῷ κατ' αὐτὴν λόγῳ φυσικῶς περιγραφομένη· τέλος ἐστὶ τῆς πρὸ αὐτῆς κατ' ἐπίνοιαν θεωρουμένης οὐσιώδους κινήσεως· ὁ θεὸς οὔτε ἀρχή ἐστιν, οὔτε μεσότης, οὔτε τέλος· ταῦτα γὰρ τῶν χρόνῳ διαιρετῶν εἰσι γνωρίσματα.

a Cyr. dial. II. *de Trin.* Τί γὰρ δὴ τοῦτό ἐστι, ὦ τᾶν, ἡ τροπὴ, καὶ παχεῖά τις ὥσπερ ἐξαλλαγὴ, τὸ ἐκ τοῦ δυνάμει, φημὶ, μεταχωρεῖν εἰς ἐνέργειαν; τὸ μὲν γὰρ εἶναί τι δυνάμει τῇ κατὰ φύσιν ὑπειλημμένον, μὴ μὴν ἤδη τοῦτο ἐνεργείᾳ δειχθὲν (male in cusis δεχθὲν) ἕστηκεν ἐν τῇ δυνάμει τέως, εἰσδεδεγμένον μὲν οὔπω τὴν εἰς ἐνέργειαν κίνησιν, ἐμφιλοχωροῦν δὲ ἔτι τῷ ἐν ἀρχαῖς τε, καὶ πρώτῳ.

b Nyssen. Ὅτι μόνη κρείττων ἐστὶ τροπῆς, καὶ ἀλλοιώσεως ἡ θεία φύσις· οὐ γὰρ ἔχει πρὸς ὅ, τι χρήσηται τῇ τροπῇ, τοῦ μὲν κακοῦ ἀνεπίδεκτος οὖσα διόλου, πρὸς δὲ τὸ κρεῖττον τραπῆναι μὴ δυναμένη· οὐκ ἔστιν γὰρ πρὸς ὅ, τι δέξηται τὴν ἀλλοίωσιν· οὐ γὰρ ἔχει τὸ ἑαυτῆς κρεῖττον, πρὸς ὃ μεταβήσεται· ἡμεῖς δὲ οἱ ἄνθρωποι, ἐν τροπῇ τε καὶ ἀλλοιώσει κείμενοι, κατ' ἀμφότερα διὰ τῆς ἀλλοιωτικῆς ἐνεργείας ἢ χείρους, ἢ βελτίους γινόμεθα.

c Sallust. Πᾶν γὰρ τὸ μεταβαλλόμενον, ἢ ἐπὶ τὸ κρεῖττον, ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον· καὶ εἰ μὲν ἐπὶ τὸ χεῖρον, κακύνεται· εἰ δὲ ἐπὶ τὸ κρεῖττον, τὴν ἀρχὴν ἦν κακόν.

1 Lib. II. *de Libero arbitr.* cap. xvii. — 2 Cap. i. tex. 3. et 4. — 3 Cap. iv. in *Psal.* tom. I. — 4 Serm. 12. *de Diversis.* cap. xvi. — 5 Epist. 102. — 6 Epist. 6. *ad Theodor.* cap. iv. — 7 Lib. II. *de Rep.*

Sed neque a seipso mutatum variatumque iri. Alioquin utrum tandem in melius pulchriusque se ipse converteret, an in deterius turpiusque semetipso? Necesse, inquit, erit in id transire quod seipso deterius est, si quidem mutetur. Neque enim pulchritudinis egentem aut virtutis dicemus Deum. Quocirca cum ita se habeat, num se quispiam Deorum aut hominum usquam deteriorem sponte facturus videtur? Non potest hoc omnino fieri. Quare nec illud fieri potest ut seipsum mutare velit Deus. Sed, ut apparet cum sit optimus et pulcherrimus quantum in se est, ut suapte forma simpliciter manet [a]. »

Supra dicta in compendium rediguntur.

Denique Richardus Victorinus ea fere omnia quæ hucusque collecta sunt in summam contrahit [1], quam ad subsidium memoriæ hic adscribam: « Sciendum est, inquit, quia omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori æqualem. Ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. De singulis ergo quæ præmisimus, diligenter investigemus. Sed qui omnipotens est, quomodo deteriorari potest? Quid est enim deteriorari nisi corrumpi? Sed qui vere omnipotens imo ipsa omnipotentia est, nulla ei corruptio dominari potest. Sed videamus nunc si saltem possit crescere, quod jam constat non posse decrescere. Sed omne quod crescit, qualecumque boni augmentum suscipit, unde meliorari possit. Verum illud boni augmentum unde haberet, qui nihil nisi a seipso habet sed nec habere valet? Nam si prius habuit, quomodo ad illud crescendo pervenit? Si prius non habuit, certe nec sibi nec alteri dare potuit quod omnino non habuit. Ex his itaque potest colligi, quia non potest crescere vel minui. Sed nunc videndum si vel possit de statu in statum æqualem transmutari. Sed si de statu uno in alium etiam æqualem transeat, oportet ut qualitercumque deficiat ab aliquo quod prius habuit, et ut in ejusdem defectus recompensationem aliquid ei accedat quod prius non habuit, et tunc in una eademque alteratione prædictis duabus mutationibus subjacebit, quarum utramque superior ratio improbavit. Qui igitur deteriorari non potest, est incorruptibilis; qui meliorari vel alio quolibet modo variari non potest, omnino est incommutabilis. »

XVIII. Huc fortassis et illa causa referri potest quam Zacharias Mitylenæus indicat cur mutari nequeat Deus, nempe *Quod ipsissimum sit bonum et ipsius natura boni* [b]. Nam cum gentilis mundum ex eo nunquam interiturum esse concluderet quod illius conditor sit bonus, non esse autem boni quæ bona sunt a se facta destruere ne mutationis aliquid capere bonus ille videatur; ad hæc Christianus respondens mutationis suspicionem amolitur sic: « Minime vero respondi. Non id de bono ne per cogitationem quidem animo recipimus, quippe qui sit solus et unus et semper existens, ortum non habens ac constanter manens perpetuo, firmiterque, nec ullam mutationem capiens. Nam sola immutabilitas et stabilitas et firmitas et suprema felicitas et sine invidia copiosa ac sempiterna bonitas, ad quam omnis appetitio festinat, est ipsissimum bonum et ipsius natura boni. » Quod ergo summe bonum est, id mutari non potest, quia nullius ad ipsum boni in quo bonum inest omne fieri potest accessio. Nulla autem nisi voluntaria, si esse posset ulla, mutatio caderet in Deum; quæ autem est ejusmodi, fertur in bonum. Nam in malum voluntas inclinare non potest, cui ut et appetitioni omni, solum id quod bonum est objicitur. Atque hoc ex bono sumptum immutabilitatis argumentum apud Plotinum et Dionysium, ambos Platonicos occurrit. Ad quod et Cyrillus

Deus est immutabilis quia est ipsissimum bonum.

a Plato. Ἀλλὰ μὴν ὁ θεός γε καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει πῶς δὲ οὔ; ταύτῃ μὲν δὴ ἥκιστα· ἂν πολλὰς μορφὰς ἴσχοι ὁ θεός· ἥκιστα δῆτα· ἀλλ' ἄρα αὐτὸς αὑτὸν δηλονότι, ἔφη, εἴπερ ἀλλοιοῦται· πότερον οὖν ἐπὶ τὸ βέλτιόν τε, καὶ κάλλιον μεταβάλλει ἑαυτὸν, ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ αἴσχιον αὑτοῦ· ἀνάγκη, ἔφη, ἐπὶ τὸ χεῖρον ἑαυτοῦ, εἴπερ ἀλλοιοῦται· οὐ γάρ που ἐνδεᾶ γε φήσομεν τὸν θεὸν κάλλους, ἢ ἀρετῆς εἶναι· ὀρθότατα, ἦν δ' ἐγὼ, λέγεις· καὶ οὕτως ἔχοντος, δοκεῖ ἄν τίς σοι, ὦ Ἀδείμαντε, ἑκὼν αὑτὸν χείρω ποιεῖν ὁπηοῦν, ἢ θεῶν, ἢ ἀνθρώπων; ἀδύνατον ἔφη· ἀδύνατον ἄρα, ἔφην, καὶ θεὸν ἐθέλειν αὑτὸν ἀλλοιοῦν· ἀλλ' ὡς ἔοικε, κάλλιστος, καὶ ἄριστος ὢν, εἰς τὸ δυνατὸν ἕκαστος αὐτῶν μένει ἀεὶ ἁπλῶς ἐν τῇ αὑτοῦ μορφῇ.

b Zachar. tom. I. *Biblioth. Patrum.* Ἥκιστα, ἦν δ' ἐγώ· μὴ τοῦτο περὶ τἀγαθοῦ, μηδὲ μέχρι διανοήματος εἰσδεξώμεθα κατὰ τὴν ψυχὴν, τοῦ μόνου, καὶ ἑνὸς, καὶ ὄντος μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχοντος, ἀεί τε παγίως μένοντος, καὶ ἀραρότως, καὶ μηδέποτε δεξομένου μεταβολήν· ἡ μόνη γὰρ ἀτρεψία, καὶ τὸ μόνιμον, καὶ τὸ βέβαιον, καὶ τὸ ὄντως ὂν, καὶ αὐτὸ τὸ ἓν, καὶ ἡ πᾶσα ἐλευθερία, καὶ ἑδραιότης, καὶ ἡ ἄκρα μακαριότης καὶ ἡ ἄφθονος καὶ ἀΐδιος ἀγαθότης, εἰς ἣν πᾶσα ἔφεσις σπεύδει, τἀγαθὸν, καὶ ἡ φύσις τἀγαθοῦ.

1 Lib. I. *de Trinit.* cap. III.

Alexandrinus respexit cum ita scripsit : « Velut defixus et stabilitus est in bonis propriis, nullum in utramvis partem transitum sustinens, et est stabilitas illa essentialis, non ex electione manantis securitatis inventum [a]. » Quam ob causam Deum propria quadam ratione ἑστῶτα dici, hoc est *stantem* indicat Philo Judæus in libro *de Nominum commutatione*, ubi quod Abrahamus coram Deo stante procecidisse in faciem scribitur [1], *Cecidit*, inquit, *Abraham pronus in faciem*, sic Philo declarat : « Annon ex divinis promissis seipsum cogniturus erat et mortalis generis inanitatem, et procubiturus coram stante, ut ostenderet opinionem eam quam de se habebat ac de Deo? nimirum Deum in eodem statu consistentem id omne quod stat movere [b]. » Ac nescio an

Stans

non ἑστὼς ille quem Simoniani venerabantur, eodem spectet, de quo vide Clementem Alexandrinum in quinto *Stromateon* [c]. Cyrillus in tertio contra Julianum, Platonem scribit duos constituentem deos, « primum velle esse stantem, secundum vero semper moveri [d]. »

Porro Philonis illa verba rationem nobis aliam divinæ immutabilitatis in memoriam revocant, quam Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*, capite tertio suggerit : « Nisi enim inquit, naturaliter incommutabilis ipse esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo quidam consilii ac dispositionis ejus incommutabilis permaneret. » Etenim, quod Origenes in sexto *contra Celsum*, docet, « manens idem administrat ea quæ sunt, pro eo atque natura fert ipsorum, et illius ratio regi administrarique ista postulat [e], » tum idem ille Philo in libro *de Cherubim*, Deum solum proprie dici quiescere ac festum agere, pulchre et eleganter ostendit, quod solus * vicissitudinis expers ac mutationis « lætatur, ac solus gaudet et hilaritate paceque fruitur, ac soli ipsi convenit ut in pace degat quam nullum turbet interpelletque bellum [f]. » Ideo sabbatum Domini sæpius a Mose nominari dicit, quod solus vere quiescit, cum creatæ res omnes assiduo labore fatigentur. « Quippe omnia quæ mutantur, propter laborem fatigationemque mutantur. Idcirco Deus qui verti ac mutari nequit, natura est infatigabilis. Quod autem imbecillitatis est expers, etsi omnia faciat, in omnem æternitatem quiescere nunquam desinet [g]. »

a Cyr. dial. 1. Πέπηγε δὲ ὥσπερ καὶ ἐρήρεισται θεὸς ἐν ἰδίοις ἀγαθοῖς, τὴν ἐφ' ἑκάτερα μεταχώρησιν ὑπομένειν οὐκ ἀνεχόμενος· καὶ οὐσιώδης ἡ ἑδραιότης οὐ προαιρετικῆς ἀσφαλείας εὕρημα.

b Philo. Ἆρ' οὐκ ἔμελλεν ὑποσχέσεσι θείαις γνῶναί τε ἑαυτὸν, καὶ τὴν τοῦ θνητοῦ γένους οὐθένειαν, καὶ πεσεῖν παρὰ τὸν ἑστῶτα, εἰς ἔνδειξιν τῆς ὑπολήψεως, ἣν περὶ ἑαυτοῦ τε ἔσχε, καὶ θεοῦ, ὅτι ὁ μὲν, κατὰ αὐτὰ ἑστὼς κινεῖ τὴν σύμπασαν στάσιν;

c Clem. V. *Strom.* Οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Σίμωνα τῷ ἑστῶτι, ὃν σέβουσιν, ἐξομοιοῦσθαι τρόπον τινὰ βούλονται.

d Cyr. lib. III. *cont. Julian.* Δῆλον δὲ ὅτι ὁ πρῶτος θεὸς ἔσται ἑστὼς, ὁ δὲ δεύτερος ἔμπαλίν ἐστι κινούμενος.

e Orig. Μένων γὰρ ὁ αὐτὸς διοικεῖ τὰ μεταβλητὰ, ὡς πέφυκε, καὶ λόγος αὐτοῦ αἱρεῖ διοικεῖσθαι αὐτά.

f Philo p. 1054. edit. Græco-Lat. Patr. Μόνος ὁ θεὸς ἀψευδῶς ἑορτάζει· καὶ γὰρ μόνος γήθει, καὶ μόνος χαίρει, καὶ μόνος εὐφραίνεται, καὶ μόνῳ τὴν ἀμιγῆ πολέμου συμβέβηκεν εἰρήνην ἄγειν.

g Ibid. p. 123. Ἐπειδὴ τοίνυν τὰ μὲν τρεπόμενα καμάτῳ πέφυκε μεταβάλλειν, ἄτρεπτος δὲ, καὶ ἀμετάβλητος ὁ θεὸς, ἀκμὴς ἂν εἴη τῇ φύσει, τὸ δὲ ἀσθενείας ἀμέτοχον, κἂν πάντα ποιῇ, δι' αἰῶνος ἀναπαυόμενον οὔποτε λήξει.

* Articulis plerisque omnibus christianæ religionis nativum id est, ut non mentem duntaxat fide imbuant, cœlestique veritatis splendore collustrent, verum etiam pectus succendant, voluntatem excitent, vitamque totam moderentur. Quod autem cæteris commune est, id pariter ornamento convenit, quo Deum *immutabilem* reveremur. Si enim I. immutabilis creditur Deus, est cur ejusdem pollicitationis inniti (Hebr. vi, 18-19.) *solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis.* Si II. immutabilis creditur Deus, facile caduca et mutabilia aspernabimur, *thesaurizantes* (Matth. vi, 20.) *nobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Prœterit enim* (I Cor. vii. 31.) *figura hujus mundi,* ac *Id* (ii Cor. iv. 17-18.) *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Si III. immutabilis creditur Deus, cordi nobis erit ne simus (Matth. xi, 7.) *arundo vento agitata,* et (Ephes. iv. 14.) *tanquam parvuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Si IV. immutabilis creditur Deus, fixum nobis erit (i Johan, iv, 11.) non *omni spiritui credere,* sed Ecclesiæ adhærebimus, quæ (1.Tim. iii, 15.) *est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Denique V. si immutabilis creditur Deus, ac Deus est, ut Augustinus (*de Nat. boni con. Manich.* cap. xxiv.) loquitur « qui in uno eodemque statu optimo semper permanet, ut nihil illi accidere boni possit, nihil decedere : » ex ejusdem perenni firmitate vim roburque mutuabimur, quo voluntates nostræ ex sese licet mobiles ac fluxæ constantiam induant, stabilitatemque nanciscantur. *E. R.*

1 *Gen.* xvii. 3.

CAPUT II.

Quæ adversus Dei immutabilitatem facere videntur, exponuntur ac dissolvuntur. Non mutari Deum, cum creare incipit aut desinit. Error Origenis de mundi æternitate. Tertulliani eadem de re ambigua sententia. Ira Dei et pœnitentia quid sit. De ira, Tertulliani, Lactantii et aliorum error. Arnobii contrarium illis dogma.

Contra Dei immutabilitatem objiciuntur: 1° Quod mutari visus est cum creavit.

I. Immutabilitati Dei quam caput antecedens exposuit, obstrepere nonnulla videntur, quæ quo illa magis in sua luce ponatur, proponenda et explicanda sunt hoc capite. Horum primum illud et potissimum est quod ex Dei efficientia et manatione in res creatas bonitatis, providentiæ ac cæterarum ejus proprietatum ducitur. Vix enim capere istud animo possumus, quomodo non sit mutatus Deus cum res omnes voluntate sua condidit. Quippe mutatio tunc accidit cum ab uno statu transitus fit ad alterum, ut jam diximus [1] : « Quomodo ergo non variatio erit in Deo, ut ait Cyrillus, cum jam statum non servet, qui est secundum potentiam, sed experiatur quodammodo motionem ad actum [a]? » Qui enim per infinitam æternitatem nihil condidit cum creare utique posset, tunc cum reipsa cœpit agere, mutasse statum videri potest. « Si enim vacabat, inquiunt apud Augustinum aliqui, et non operabatur aliquid, cur non sic semper et deinceps quemadmodum retro, essavit ab opere [2]? Si enim ullus motus in Deo novus extitit et voluntas nova, ut conderet creaturam quam nunquam ante condiderat, quomodo jam vera æternitas ubi oritur voluntas quæ non erat? Neque enim voluntas Dei creatura est sed ante creaturam, quia non crearetur aliquid, nisi creatoris voluntas præcederet. » Simile aliquid pro mundi æternitate apud Zachariam Mitylenæum gentilis objicit philosophus [3].

II, Quem scrupulum etiam hac ex parte auget Petrus Abælardus, quod « videlicet aliqua modo faciat Deus, modo ab eisdem completis quiescat. Unde et de ipso scriptum est, quod completis operibus suis quæ sex diebus operatus est, septimo requievit, hoc est ab operando cessavit, Sicut ergo nos faciendo aliud et postmodum quiescendo, physica ratio etiam alterari demonstrat, ita etiam ipse hanc alterationis mutationem videtur incurrere [4]. » Addit et mutationem illam qua Verbum in Virginem descendisse et quasi loco se movisse dicitur, ut et Spiritus sanctus in eamdem illapsus est Virginem. « In qua etiam Virgine Deus homo factus adeo mutari videtur, ut aliud quam fuerit factus esse dicatur, quod ad illum substantiæ motum præcipuum quæ a philosophis generatio dicitur, pertinere videtur. »

Ad hæc quædam ex tempore Deo conveniunt, ut esse Dominum. Hoc enim « esse non sempiternum habet, ne cogamur etiam sempiternam creaturam dicere; quia ille sempiterne non dominaretur, nisi etiam ista sempiterne famularetur, » ait Augustinus in quinto *de Trinitate* [5], et in duodecimo *de Civitate Dei* [6]. Eamdemque dubitationem ponit Justinus in centesima decima tertia quæstione ad orthodoxos ubi quærit, quomodo perfectus sit Deus, cum ex quieto et cessante factus opifex, novæ rei appellationisque incrementum acceperit.

Hæc adversus immutabilitatem Dei non valde illa quidem perplexa sunt, neque tamen omittenda penitus. Non enim difficilia tantum cum de divinis rebus agimus, sed vera consectamur et utrisque falsa contraria, adeo ut ne ista quidem præterire velimus quæ alioqui sic expedita sunt, ut vel mediocriter his in studiis eruditi stridorem unum perferre vix possint, quæ ex ira Dei sumuntur, aut pœnitentia aut aliis motionibus, quarum non infrequens mentio est in sacris libris.

III. Sed ut his omnibus occurramus, quod primo est loco positum, videri mutationis aliquid incidere cum qui nihil infinito spatio molitus fuerat, creare aliquid incipit, erit cum subtilius hoc tractabimus quando de voluntate agemus et operatione Dei. Nunc breviter ac sola tantum ea quæ sunt necessaria percurremus. Sic igitur habendum est, non mutari idcirco Deum cum quod hactenus — Objectio diluitur.

a Cyril. dial. 2. Πῶς οὐ παρήλλακται τὰ τοῦ θεοῦ στάσιν μὲν οὐκέτι τὴν ἐν τῷ κατὰ δύναμιν ἀποσώζοντα, πεπονθότα δὲ ὥσπερ τὴν εἰς ἐνέργειαν κίνησιν.

1 Cap. antec. — 2 Lib. XI. *de Civitate Dei*, cap. x. — 3 Tom. I. *Bibl. Græco-Lat.* — 4 Lib. III. *Intr. theol.* c. vi. — 5 Lib. V. *de Trinit.* cap. xvi. — 6 Cap. xv.

nondum fecerat mundum aut rem quampiam creat, quoniam nulla est in eo δύναμις id est *potentia*, sed totum ἐνέργεια et *actus* occupavit. Motus autem et mutatio nonnisi ejus est quod est potentia, ut antecedenti capite ex Aristotele demonstravimus. Hanc rationem attigit Cyrillus in secundo dialogo *de Trinitate*, et pulcherrime sanctus Augustinus qui gentiles philosophos explodit istud ipsum verentes, ne mutabilis Deus sit si in tempore procreare aliquid cœperit, ob idque putantes ex æterno semper aliquid effecisse, quo intereunte aliud succederet, tum eadem nescio quos per circuitus ac revolutiones temporum redire iterum, ne « bonitas ejus unquam vacua fuerit, ne sit temporalis ejus operatio cujus retro fuerit æterna cessatio, quasi pœnituerit eum prioris sine initio vacationis, ac propterea sit operis aggressus initium [1]. » Quorum nugas has eleganter sic refellit, errare eos dicens « quod mentem divinam omnino immutabilem cujuslibet infinitatis capacem et innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana, mutabili angustaque metiuntur. Et fit illis quod ait Apostolus; comparantes enim semetipsos sibimetipsis, semetipsos non intelligunt [2]. Nam quia illis quidquid novi faciendum venit in mentem, novo consilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt; profecto non Deum quem cogitare non possunt, sed semetipsos pro illo cogitantes, non illum sed seipsos, nec illi sed sibi comparant. Nobis autem fas non est credere aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur, quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus naturam fiat aliquid quod non ante fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. Potest ad opus novum non novum sed sempiternum adhibere consilium, nec pœnitendo, quia prius cessaverat, cœpit facere quod non fecerat; sed etsi prius cessavit et posterius operatus est, (quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc procul dubio quod dicitur prius et posterius, in rebus prius non existentibus et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res quas condidit et ut prius non essent egit quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent quando esse cœperunt. » Sic in primo libro *de Genesi ad litteram* [3], « non temporalibus quasi animi sui, aut corporis motibus operari Deum asserit, sicut operatur homo vel angelus, sed æternis incommutabilibus et stabilibus rationibus coæterni sibi Verbi sui, et quodam ut ita dixerim flatu pariter coæterni sancti Spiritus sui. »

Ita Beda in caput Joannis primum ista verba declarans, *Omnia per ipsum facta sunt:* « Et ne quis, inquit, audiens factam per Dei Filium creaturam, mutabilem credat ejus voluntatem, quasi qui subito vellet facere creaturam quam ab æterno nunquam ante fecisset, manifeste docet Evangelista factam quidem in tempore creaturam, sed in æterna Creatoris sapientia quando et qualis crearetur fuisse dispositum. »

IV. Quamobrem, ut præclare Dionysius ait, « Divini principatus illa bonitas quæ supra omnia est, etsi divina bonitate ad rerum sacratarum quæ ipsius sunt participes communicationem procedit, non tamen immobilem secundum substantiam statum ac stabilitatem egreditur [a]. » Cyrillus vero Alexandrinus in dialogo secundo *de Trinitate* latissime demonstrat illam extra se Dei actionem ac rerum efficientiam nihil in ipsum mutationis refundere, at vero generationem et productionem omnem qua ex substantia producentis oritur aliquid, mutationem huic afferre. « Etenim quod ex seipso gignere aliquid dicitur et a potentia ad actum progredi, velut in natura propria concussum est. Non enim in aliis, sed in seipso motum illum secundum actum patitur. Quod autem cum nihil ageret ad aliquid agendum transit, non in seipso motum ullum sed in aliis habere ipsum et efficere reperiemus [b]. » Vide et librum *Thesauri* quartum.

Hujus rei causam erudite Petrus Abælardus reddidit [4]. « Quippe cum dicimus, inquit, eum aliquid facere, non aliquem in operando Optima Abælardi responsio.

a Dion. c. III. libri *Eccl. hier.* Ἥ τε γὰρ ὑπὲρ πάντα θεαρχικὴ μακαριότης, εἰ καὶ ἀγαθότητι θείᾳ πρόεισιν εἰς τὴν τῶν μετεχόντων αὐτῆς ἱερῶν κοινωνίαν· ἀλλ' οὐκ ἔξω τῆς κατ' οὐσίαν ἀκινήτου στάσεως, καὶ ἱδρύσεως γίνεται.

b Cyril. dial. 2. Τὸ μὲν γὰρ ἐξ ἑαυτοῦ τι τεκεῖν

1 Libro XII. *de Civit. Dei*, cap. XVII. vide et lib. XI. *de Civit. Dei*, cap. X. et XI. — 2 II. *Cor.* X. 12. — 3 Cap. XVIII. — 4 Lib. III. *Introd.* cap. VI.

motum illi inesse intelligimus, vel aliquam in laborando passionem, sicut nobis accidere solet; sed ejus sempiternæ voluntatis novum aliquem significamus effectum. Cum ergo dicimus eum aliquid facere, dicere est, juxta ejus voluntatem aliquid contingere, ut in ipso nihil novi contingat, sed novum aliquid sicut in ejus voluntate fixum permanet fiat. Unde bene est illud philosophicum :

— Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Quinetiam cum ab operando quiescere dicitur, consummationem operis ejus, non eum ab aliquo motu cessare significavimus. Nos autem modo operando, modo cessando, permutari dicimur, quia in hoc secundum quamdam agitationem membrorum vel passionem mentis, aliter quam prius nosmetipsos habemus et in nobismetipsis variamur. Eum vero facere aliquid non aliter intelligimus, quam eum quamdam esse causam eorum quæ fiunt; quamvis ea nulla sua agitatione faciat, ut actio proprie dici queat, cum videlicet omnis actio in motu consistat. Ipsa quippe ejus dispositio quam in mente habuit ab æterno, ejus actio dicitur cum ad effectum perducitur. Nec in ipsa novi aliquid accidit cum per eam novum aliquod opus contingit, nec ex ipsa variatur Deus quam in mente semper æqualiter habet. Ita etiam post rei completionem sicut ante in eodem proposito dispositionis consistens ut ita id velit completum, sicut ante voluerat complendum. Sicut ergo sol cum ex calore ejus aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipso vel in calore ejus mutatio fit, quamvis res inde calefacta sit mutata ; ita nec Deus cum aliqua ejus nova fuerit disponere, ideo mutari dicendus est, quamvis novi operis, vel mutationis rerum quædam ipse sit causa vel auctor. »

Cætera deinde dissolvit quæ mutabilitatem in Deo facere videntur ex locali motu et incarnatione sumpta, quæ proprias habent tractationes. Quatenus autem sola mutabilitas agitur, hæc ex illo pauca libabimus. Non mutari igitur nec moveri loco Deum asserit, quia est ubique per substantiam, quod nimirum per eamdem substantiam ubique operatur aliquid. Quare ut sine ulla commutatione operari quidvis dicitur, quod paulo ante docui, sic est ubique nulla sui mutatione, quod in illa operatione consistit. Jam cum homo vel caro factus est Deus, nihilo est mutatus magis : « Sic quippe assumpsit nostra, ut non dimitteret sua. Mutatio autem in aliud fieri non potest, nisi esse desinat quod prius fuerat. »

V. Proxima est illa quæstio, an sine mutatione aliqua Deus creator aut Dominus ac rex et hujus generis alia sit factus, quam ne quis nimium contemnat, sciat imprimis acutos et solertes viros partim ei succubuisse, ut ad absurda quædam illius evitandæ causa confugerint, partim assensum cohibuisse re in medio relicta cum nihil expedire possent. Quis majore vixit ingenii fama quam Origenes? At is difficultate fractus in eum impositus est opinionis errorem, ut ex omni æternitate Deum putaret hanc universitatem creasse. Refert hoc apud Photium sanctissimus ac doctissimus martyr Methodius qui Origenis portenta, quem et Centaurum appellabat, acriter ac solide refutavit. Inter hæc vero non minimum id fuit quod ita ratiocinabatur : « Si nullus est opifex sine opificiis, neque factor sine factis operibus, neque omnipotens sine iis in quæ potestatem habet; (nam et opificem propter opificia necesse est, et factorem propter facta, et omnipotentem propter ea in quæ potestatem exercet nominari) oportet ab initio hæc a Deo esse procreata, neque tempus ullum extare quo non ista fuerint. Nam si tempus fuit cum nondum essent opera illa facta, quandoquidem cum nulla sunt opera, ne factor quidem est ullus, vide cujusmodi sequatur absurdum. Nam et variari et mutari accidet immutabilem et invariabilem Deum. Si enim postea universum hoc molitus est, perspicuum est eum ab non faciente in facientem esse mutatum. Hoc autem præter ea quæ diximus, est absurdum. Dici itaque non potest, non carere principio mundum et non Deo esse coæternum [a]. »

Augustinus vero in duodecimo *de Civitate Dei* [1] hanc cum sibi quæstionem objecisset,

II° Objecti quod creator (Dominus tempore sit factu

Huic objectioi succumb Origene

Hæret anceps Augustin

λεγόμενον, καὶ ἐκ τοῦ κατὰ δύναμιν προβεβηκὸς εἰς ἐνέργειαν, ὡς ἐν ἰδίᾳ φύσει σεσάλευται· πάθοι γὰρ ἂν οὐκ ἐφ' ἑτέροις τισὶν, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῷ τὴν κατ' ἐνέργειαν κίνησιν· τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ μὴ δρᾶν ἐπὶ τὸ δεῖν ἐργάζεσθαι παρελθὸν, οὐκ ἐφ' ἑαυτῷ τὴν κίνησιν, ἀλλ' ἐφ' ἑτέροις ἔχον τε, καὶ ποιοῦν εὑρήσομεν.

a Method. apud Phot. cod. 235. Ἔφασκε γὰρ, εἰ οὐκ ἔστι δημιουργὸς ἄνευ δημιουργημάτων, ἢ ποιητὴς

1 Cap. xv.

variasque traxisset in partes, tanquam ejus difficultate superatus, demum hanc sine affirmatione relinquere maluit, « ut qui hæc legunt, inquit, videant a quibus quæstionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur. » At idem in libello ad commonitorium Orosii contra Origenistas capite VIII cum hoc eorum dogma proposuisset Orosius, « Omnia antequam facta apparerent, semper in Dei sapientia facta mansisse, Deus enim quæcumque fecit, faciendo non cœpit; » sine ulla hæsitatione respondit, « non sobrie ista dici. Facta enim quando essent antequam facta essent? Sed in Dei sapientia omnium faciendarum rerum rationes esse potuerunt, non tamen factæ, etc. » Et mox : « Noverat ergo ea facienda » non facta noverat, ut faceret non quia fecerat. Proinde quamvis jam nota essent, quia nisi a sciente non fierent, non tamen facta esse cœperunt, quæ ut fierent, sciebantur antequam fierent. » Cæterum Origenis falsum illud de rerum conditarum æternitate decretum hodieque in libro I *de Principiis*, cap. secundo legitur ubi ita ratiocinatur : « Quemadmodum pater non potest esse quis si filius non sit, neque dominus quis esse potest sine possessione, ita ne omnipotens quidem Deus dici potest si non sint in quos exerceat potestatem; et ideo ut omnipotens ostendatur Deus, omnia subsistere necesse est, etc. »

…ui alibi clare …spondet.

VI. Porro ante Origenem Hermogenes quidam hæreticus extitit qui propterea quod Deus nunquam non Dominus fuisset, « nullo autem modo potuisset semper Dominus haberi, sicut et semper Deus, si non fuisset aliquid retro semper cujus semper Dominus haberetur; fuisse materiam semper Deo Domino » asserebat, ut scribit Tertullianus qui hæresim istius libro integro confutavit.

…onnulli …e difficul- …ite victi …endum ab … …reatum …ruerunt

Sic et Proclus æternitatem mundi haud absimili argumento colligebat : « Nam si opifex, aiebat, rei est alicujus opifex, vel actu semper erit opifex, vel potentia aliquando non semper operans. Quod si actu semper opifex est opifex, etiam opus semper actu fiet. Cum enim causa est actu, ait Aristoteles, erit id quod a causa oritur similiter actu [a]. » Sin potentia tantum opifex fuit, cum quidquid potentia est aliquid, ad actum redigi debeat ab eo quod est actu, eodem auctore Aristotele, necesse erit esse aliud quod actu sit ante illud prius, ac de isto rursus eadem procedet inquisitio et in infinitum deinceps progressionem habebit. Hæc Proclus apud Philoponum. Qui et aliter rem eamdem aggreditur. Etenim causa omnis immobilis et immutabilis effectum perinde immobile et immutabile postulat atque adeo sempiternum. Nam si esse in tempore cœperit, causam necesse erit a potentia transitum ad actum fecisse, adeoque mutatam esse. Igitur quidquid est immobile vel nunquam aget vel semper. Idemque si semper est perfectum, nunquam agere incipiet, quia motus omnis actus est imperfecti ejusque quod est in potentia. Quod Procli argumentum jam supra posuimus. At Tertullianus in primo *contra Marcionem* nonnulla jacit quæ suadere possint, Deum nunquam sine opere aliquo reque procreata fuisse. Nam Deum Marcionis qui ab omni æternitate otiosus et vacans hactenus fuerat *, Deum non esse probat argumento isto præsertim quod, ut ait capite XII : « Sine causa esset qui rem non haberet : quia res omnis causa est ut sit aliquis, cujus res sit.

ἄνευ ποιημάτων, οὐδὲ παντοκράτωρ ἄνευ τῶν κρατουμένων· τὸν γὰρ δημιουργὸν διὰ τὰ δημιουργήματα ἀνάγκη, καὶ τὸν ποιητὴν διὰ τὰ ποιήματα, καὶ τὸν παντοκράτορα διὰ τὰ κρατούμενα λέγεσθαι· ἀνάγκη ἐξ ἀρχῆς αὐτὰ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γεγενῆσθαι, καὶ μὴ εἶναι χρόνον, ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα· εἰ γὰρ ἦν ὁ χρόνος, ὅτε οὐκ ἦν τὰ ποιήματα, ἐπεὶ τῶν ποιημάτων μὴ ὄντων, οὐδὲ ποιητής ἐστιν· ὅρα οἷον ἀσεβὲς ἀκολουθεῖ· ἀλλὰ καὶ ἀλλοιοῦσθαι καὶ μεταβάλλειν τὸν ἄτρεπτον, καὶ ἀναλλοίωτον συμβήσεται Θεόν· εἰ γὰρ ὕστερον πεποίηκε τὸ πᾶν, δηλονότι ἀπὸ τοῦ μὴ ποιεῖν εἰς τὸ ποιεῖν μετέβαλλε· τοῦτο δὲ ἄτοπον μετὰ τῶν προειρημένων· οὐκ ἄρα δυνατὸν λέγειν, μὴ εἶναι ἄναρχον, καὶ συναίδιον τῷ Θεῷ τὸ πᾶν.

a Proclus apud Philop. *de Ætern. mundi*, argum. 3. Εἰ ὁ δημιουργὸς τινός ἐστι δημιουργὸς, ἤτοι κατ' ἐνέργειαν ἔσται δημιουργὸς ἀεὶ, ἢ δυνάμει ποτὲ, μὴ ἀεὶ δημιουργῶν· εἰ μὲν οὖν κατ' ἐνέργειαν ὁ δημιουργὸς ἀεὶ δημιουργὸς, καὶ τὸ δημιουργούμενον ἀεὶ κατ' ἐνέργειαν ἔσται δημιουργούμενον· ὅταν γὰρ, φησὶν 'Αριστοτέλης, τὸ αἴτιον ᾖ κατ' ἐνέργειαν, ἔσται καὶ τὸ αἰτιατὸν ὡσαύτως κατ' ἐνέργειαν.

* Atqui nisi totus in transversum rapior, non probat Tertullianus Deum non esse qui nihil egerit, nulloque semel opere prodiderit; sed in id unum incumbit ut contra Marcionem efficiat, neque haberi neque coli tanquam Deum a nobis posse, qui suis se operibus non manifestavit. Quæstionem namque versat *non absolutam et ontologicam*, sed *comparatam, logicam et religiosam*, eoque pertinentem, explodendum esse ignotum Marcionis Deum, divinamque majestatem cui deferendam conditori, quem opera ostendunt et benefacta patefaciunt. Sane tota legatur disputatio, quam his verbis (*Con. Marcion.* lib. I. cap. X.) orditur : « Hinc itaque constantissime dirigam, Deum non esse qui sit hodie in-

Porro inquantum nihil oportet esse sine causa, id est sine re, quia si sine causa sit, perinde est atque si non sit, non habens rei causam, rem ipsam; in tantum Deum dignius credam non esse quam esse sine causa. Sine causa enim est qui rem non habendo, non habet causam. Deus autem sine causa, id est sine re, esse non debet. Ita quoties ostendo eum sine causa esse tanquam sit, hoc constituo non esse illum; quia si fuisset, omnino sine causa non fuisset. » Et in cap. XXII idipsum late persequitur : « Otium, inquit, sui natura non novit, hinc censetur si agat, si nec noluisse videbitur exercere bonitatem interim naturæ nomine. Natura enim se non potest nolle quæ se ita dirigit, ut si cessaverit non sit. Sed cessavit aliquando in Deo Marcionis de opere bonitas. Ergo non fuit naturalis bonitas quæ potuit aliquando cessasse, quod naturalibus non licet. Et si non erit naturalis, jam nec æterna credenda, etc. » Quæ nimium late profecto patent. Nam et de Deo vero similiter efficient, neque bonum illum neque omnipotentem neque Deum esse denique, quod infinitis sæculis ab opere vacationem habuerit. Quamobrem recte alioqui de hac re sentiens Tertullianus longius in disputando quam erat necesse provectus, ista parum firma neque ad negotium pertinentia subjecit.

VII. Sed superiora illa qualiacumque impiorum commenta facile est dissolvere, quod non uno modo veteres faciunt. Sunt qui appellationes istas et σχέσεις hoc est *habitudines* et *relationes* creatoris, Domini, cæterasque non ex æterno fuisse censent in Deo, sed ex tempore cœpisse. Tertullianus contra Hermogenem scribens in hanc sententiam sic loquitur : « Dei nomen dicimus semper fuisse apud semetipsum et in semetipso, Dominum vero non semper, diversa enim utriusque conditio. Deus substantiæ ipsius nomen id est divinitatis, Dominus vero non substantiæ sed potestatis : substantiam semper fuisse cum suo nomine quod est Deus, postea Dominus, accidentis scilicet rei mentio. Nam ex quo esse cœperunt in quæ potestas Domini ageret, ex illo per accessionem potestatis et factus et dictus est Dominus[1]. » Quod deinde probat ex eo quod initio quidem operum nonnisi Deus vocatur : « *In principio,* inquit, *creavit Deus cœlum et terram.* At ubi universa perfecit, ipsumque vel maxime hominem qui proprie Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Tunc etiam Dominus nomen adjunxit. Et accepit Deus Dominus hominem quem finxit. Et præcepit Dominus Deus[2]. » Sed hæc observatio Tertulliani nullius est momenti si fontem ipsum adeamus. Primum vox illa κύριος *Dominus*, quam Septuaginta posuerunt, respondet Hebraicæ non אדיני, quæ proprie est κύριος sed יהוה, quod est tetragrammaton et mysticum ac plenum nomen Dei. Idcirco nonnisi plene absoluto jam mundo usurpatum est a Mose. Cum enim hactenus solum Dei nomen adhibuisset, demum capite secundo *Genesis* versu IV uti cœpit et eximio illo arcanoque : *Istæ sunt generationes cœli et terræ quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, et terram.* Quem ad locum ex communi Magistrorum veterum placito hæc adnotat Aben Hezra : « Quam pretiosa, inquit, verba sunt majorum nostrorum qui ita dixerunt : appellatum est nomen plenum super mundo pleno, quia nondum hactenus ibi vis ulla fuerat tanti nominis capax.[a] » Igitur vocabulum illud יהוה non hoc significat quod Græcum κύριος, ut Tertulliani notatio illa procedat. Quamvis hac etiam Augustinus utitur in primo *de Genesi ad litteram* ubi hominis, primum causa Dominum cœpisse dici Deum scribit, ut admoneretur « quantum ei expediat habere Dominum Deum, hoc est sub ejus dominatione obedienter vivere[3]. »

VIII. Cæterum idem Augustinus existimat nomina illa σχετικὰ quæ ad creatas res comparantur, « quamvis temporaliter de Deo incipiant dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid, sed illi creaturæ ad quam Relativ

a Aben Hezra. ומה יקרי דברי קדמוננו ז"ל שאמרו נקרא שם מלא על עולם מלא כי לא היה שם כח מקבל זה השם:

certus, quia retro ignotus; quando quem constat esse, ex hoc ipso constat quod nunquam fuerit ignotus, ideo nec incertus. » Nimirum quas in nos rationes contorserunt, retorquebo, ostendamque luculenter eum duntaxat censeri a nobis Deum posse, officiisque religionis honorari, qui ab ipsis rerum primordiis innotuerit, proindeque nunquam fuerit ignotus atque incertus. « Siquidem, pergit, a primordio rerum, conditor earum cum ipsis pariter compertus est; ipsis ad hoc probatis, ut Deus cognosceretur. » Verum de his satis. *E. R.*

1 Cap. III. — 2 *Gen.* I. — 3 Cap. XI.

dicitur [1]. » Ac paulo post : « Quod ergo temporaliter dici incipit Deus quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici, non tamen secundum accidens Dei quod ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens ejus ad quod dici aliquid Deus incipit relative. » Accedere videtur et auctor *Quæstionum ad orthodoxos* qui est inter opera Justini, qui ex rebus conditis nullam in Deo perfectionis accessionem fieri dicit, sed tantummodo σχέσεως id est, *habitudinis* ac *relationis* [2]. Et in quæstione sequente, percontanti ecquid mutari Deus existimandus sit cum ex eo quod est creator factorque potentia, fit actu creator, respondet illa « quæ sic agendi potentia prædita sunt ut naturali quadam necessitate impellantur ad agendum, minui quodammodo cum in sola potentia remanent. Cujus autem potentia nulla naturali necessitate continetur, sed in voluntate sola posita est, cum nullam capere imminutionem [a], » ut in Deo evenit de quo ita scriptum est : *Cogitasti, et omnia tibi adsunt.* Quocirca relationes illas quæ ad res creatas ordinantur, nihil Deo mutationis afferre consequens est, quoniam nullam ex iis perfectionem majorem adipiscitur.

eus ab æterno ator, etsi ondum eaverit.

IX. Sunt qui Dominum et creatorem et hujusmodi alia fuisse Deum etiam ex æterno sentiant, quod etsi reipsa nondum creasset aliquid in quod dominatum teneret, vim tamen procreandi, dominandique habuit : quemadmodum architectus aut pictor aut citharœdus tum etiam dicitur, cum nondum opus artis suæ ullum edidit, quia simul libitum erit, eam exercere poterit. Ideo Cyrillus Alexandrinus libro VI *de Adoratione in Spiritu* « Divinitatem, inquit, quæ secundum naturam est dominatio consequitur, dominationem porro veram divinitatis gloria [b]. » Sic Hugo Etherianus in tertio *contra Græcos* libro : « Erat, inquit, omnitenens conditor et Dominus, sine habitudine habens omnium eorum rationes quæ circa ipsum perspiciuntur. Quæ habitudines cum circa substantiam sint, ipsæ nequaquam substantia sunt, nec tamen ab extrinsecis obveniunt [3]. » Ac subinde negat ex creatis rebus habitudinem capere Deum : « Nam si ex conditis et creatis acquisivisset habitudinem, fuisset potentia ejus indiga et per extrinsecam habitudinem condendi potentiam sortiri visum fuisset. At vero divinum per se sufficiens est et sui ipsius absque quolibet extrinseco completivum. Nefas enim est aliquod adjectum Deo attribuere, ut habent qui vicissim ex defectu copiam nanciscuntur. » Declarat hoc Nicolaus Cusanus in primo libro *de Docta ignorantia,* atque universe de affirmantibus nominibus ita pronuntiat : « Nomina, inquit, affirmativa si ei conveniunt, non nisi in respectu ad creaturas conveniunt, non quod creaturæ sint causa, quod ei conveniant, quoniam maximum a creaturis nihil habere potest; sed ei ex infinita potentia ad creaturas conveniunt. Nam ab æterno Deus potuit creare, quia nisi potuisset, summa potentia non fuisset. Igitur hoc nomen creator, quamvis ei in respectu ad creaturas conveniat, tamen etiam convenit antequam creatura esset, quoniam ab æterno creare potuit [4]. » Idem et de cæteris nominibus judicium esse putat quæ affirmantia dicuntur atque ex rebus creatis ducuntur, ut justitia.

Hæc Nicolai Cusani sententia minime aspernanda mihi videtur, quamvis aliter eruditissimus theologus nec sine laude commemorandus existimet [5], qui eam falsam nominat, quod ut creator appelletur Deus, non est satis ut creare possit, sed ut reipsa creaverit. Verum nominis hæc potius quam rei controversia est. Si quidem et medicus, ut paulo ante dixi, et architectus vocatur is qui nondum vel medicinam fecit vel domum extruxit, dum tamen uterque necessaria ad effectum operis facultate sit præditus, cujusmodi Deo nunquam defuit.

Ita Zacharias Mitylenæus in libro *de Mundi opificio*, ubi sciscitanti ethnico, « Quomodo conditor Deus nisi semper condat aliquid, respondet : Quoniam condendi rationes in seipso habet, semper esse conditorem, quemadmodum et medicus apud se habens medendi rationes, medicus est et dicitur [c]. » Quod

a Just. Ὧν ἡ δύναμις τῆς ἐνεργείας φυσικῇ τινι ἀνάγκῃ ὑφέστηκεν, τούτων ἡ δύναμις ἐλάττων τῆς ἐνεργείας καθέστηκεν, οὗ δὲ ἡ δύναμις τῆς ἐνεργείας οὐ φυσικῇ ἀνάγκῃ, ἀλλὰ ἰδίᾳ βουλῇ ὑφέστηκεν, οὗτος ἀνυπόβλητος τῷ τῆς ἐλαττώσεως ὀνόματι. Διενοήθης, φησὶ, καὶ πάντα σοι πάρεστιν.

b Cyril. Ἕψεται γὰρ θεότητι μὲν πάντως τῇ κατὰ φύσιν, ἡ κυριότης· κυριότητι δὲ αὖ τῇ κατ' ἀλήθειαν, ἡ τῆς θεότητος δόξα.

c Zacharias. Πῶς δημιουργὸς ὁ θεὸς, ὦ ἑταῖρε, εἰ

1 Lib. V. *de Trinit* cap. xv. — 2 Quæst. 113. — 3 Cap. iv. — 4 Cap. xxiv. — 5 Raynaldus in *Theol. natural.* dist. 7. quæst. 1. art. 5. num. 74.

deinceps pluribus confirmat. Vide et Cyrillum in *Thesauro*, Maximus quoque centuria IV *de Charitate,* numero tertio [1]. « Notitiam rerum quam ab æterno in seipso prius existentem habuit opifex, quando voluit subsistentem fecit atque produxit[a]. »

X. Neminem legi qui hoc et præstantius et ad propositum nostrum aptius * declararet quam Philoponus in confutatione Procli, cujus argumentum tertium ad mundi æternitatem probandam tale fuit ut supra posui. Cum enim, aiebat, opifex operis sit factor alicujus, si est actu opifex, opus etiam actu esse debet. Sin est potentia opifex, ad actum redigendus est ab alio, qui sit actu. Quare si mundi conditor non potentia sed actu fuit ejusmodi, necesse est ex æterno mundum quod opus est ejus extitisse. Ad hoc vero Philoponus ita respondet : sophisticam esse hanc calumniam hominis in potentiæ et actus vocabulis conflictantis. Quippe duobus modis utrumque dici, auctore Aristotele. Primum potentiam usurpari pro habilitate et capacitate naturali, qua vel infans esse potest grammaticus. Deinde cum jam grammaticam est adeptus, δυνάμει id est *potentia* grammaticum vocari, quæ a nobis *potentia proxima* vulgo nuncupatur, uti prior illa *remota*. Hæc autem *proxima*, actus itidem primus dicitur, secundus vero, cum jam reipsa grammaticam exercet. Quibus constitutis, quod a Proclo est objectum, causæ quæ est in actu, effectum in actu respondere, de secundo actu interpretatur Philoponus non de primo. Alterum illud autem, quidquid est potentia, ad actum vocari ab aliquo quod sit actu, de prima potentia non de secunda accipi. Nam et puer qui potentiam, id est habilitatem habet ad capescendam grammaticam, ab eo qui reipsa grammaticus est, talis efficitur. Grammaticus autem ab nullo alio docetur, ut artis suæ specimen præbeat. Ad hunc modum Deus creator ex æterno fuerit, hoc est creandi vi imo actu ipso quantum est ex sese præditus, quamvis nullum adhuc opus extaret.

XI. Huic quod de creatoris ac domini nominibus affirmamus, par est et affine quod de *doni* vocabulo scribit Augustinus, quod esse proprium Spiritus sancti asserit [2], et habitudinem ad res creatas obtinere quibus donatur. Verum idem esse donum quod donabile, hoc est aptum ut aliquando reipsa donetur, quæ res cum de Trinitate agemus explicabitur [3].

Quocirca creatoris nomen aut domini bifarium sumitur. Nam vel eum significat qui ut primum libuerit creare potest ac servum habere, qua ratione Deus utrumque fuit ex æterno, vel eum qui reipsa procreat habetque servum, quo sensu æterna Dei hæc esse nomina Patres aliqui negant, in eoque discrimen collocant inter hæc et alia σχετικὰ quæ secundum ἐνέργειαν ex omni æternitate conveniunt, ut esse Patrem, Filium, generare et ejusmodi cætera. Ita Cyrillus in secundo dialogo ubi adversus Arianos Anomœos contendit, non perinde Deum in tempore Patrem dici fuisse ac creator aut dominus in tempore fuit. Hoc enim citra mutationem illi tribui. Illud vero si non ex æterno competeret, prorsus mutationem arguere. Quippe generatio cujus comes est appellatio patris, ex ipsa substantia aliquid exprimit, quod creatio non facit. Ideo non potest accedere prior illa, nisi fiat aliqua in substantia mutatio. Itaque nisi Filius, itidem ut Pater, sit æternus, ne ipse quidem potest æternus esse Pater, ut Gregorius Nyssenus [4], Damascenus [5], aliique pluribus exponunt, quæ res postmodum in explicando Trinitatis dogmate declarabitur.

Relativ. Operati nem.

XII. Ex iis evidens est duplex in Deo relationis esse genus, alterum sempiternum quo

Duplex Deo relat nis gen

εἰ μὴ ἀεὶ δημιουργεῖ; ΧΡ. Ὡς ἔχων, ἦν δ' ἐγὼ, τοὺς δημιουργικοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ ἀεὶ δημιουργὸς ὁ Θεός· ὥσπερ καὶ ὁ ἰατρὸς ἔχων τοὺς ἰατρικοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ ἰατρός ἐστί τε καὶ λέγεται.

a Τὴν ἐξ ἀϊδίου ἐν ἑαυτῷ ὁ δημιουργὸς τῶν ὄντων προϋπάρχουσαν γνῶσιν ὅτε ἐβουλήθη οὐσίωσε, καὶ προεβάλετο.

* Clarescent ista nonnihil, si tria ab invicem sedulo distinguantur : I. voluntas ipsa Dei, ipsumque ex sese creandi propositum : II. objectum voluntatis ac res quæ creanda decernitur : III. habitus tandem propositum inter ac voluntatis objectum. Sicut enim Dei voluntas quæ consideratione solummodo ab essentia differt, immutabilis permanet : et sicut mutari objectum potest, immutabili permanente voluntate; ita habitus inter voluntatem ejusque objectum, qui præ objecto, *quod ex non esse transit ad esse*, realiter mutatur, præ ipsa voluntate non aliam subit mutationem nisi rationis, inde profectum, quod voluntas quæ ad objectum referebatur exstiturum, ad ipsum jam existens refertur. *E. R.*

1 Lib. IV. in fine.— 2 Lib. V. *de Trinit.* cap. IV. et V. — 3 Lib. VIII. cap. III. — 4 Lib. I. *contra Eun.* edit. Grets. — 5 Lib. I. *de Fide,* cap. VIII.

personarum divinarum hypostases constant, alterum quod in tempore accidit, ut est creatoris et domini ad ea quæ actu creata sunt, serviuntque comparatio, neutrum vero mutationem in Dei substantiam inferre. Non prius, quoniam ipsamet est Dei substantia, paternitas aut alia quælibet relatio quæ non mutant divinitatem sed modificant. Hinc minus proprie loquitur auctor libri *de Speculo* qui in appendice tomi noni operum Augustini legitur, cum scribit sic : « Natura quippe divinitatis tuæ immobilis est omnino et immutabilis, personæ vero mobiles sunt secundum relationem non juxta proprietatem. Sed ideo in relatione personarum trinitas, in naturæ vero substantia, unitas [1]. » Mobiles hic personas appellari arbitror numerabiles, quod ab unitate progressæ quodammodo moveantur. Neque vero posteriores eæ relationes quibus ad creata comparatur Deus, mutationem ei aliquam injiciunt. Quod Augustinus demonstrat in eo quem non longe ante citavimus loco quinti *de Trinitate* [2]. Ibi enim postquam illa proposuit de creatore ac domino quæ diximus, ista subjicit : « Quomodo igitur obtinebimus nihil secundum accidens dici Deum, nisi quia ipsius naturæ nihil accidit quo mutetur, ut ea sint accidentia relativa quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur accidunt, etc. Nummus autem cum dicitur pretium, relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse cœpit pretium, neque cum dicitur pignus et si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma qua nummus est, mutationis fiat, quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita relative dicatur aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur? »

Addit Joannes Cyparissiotus similitudinem alteram : « Sicut si una facies, inquit, maneat, cujus forma nulla parte et nullo modo varietur, et ponamus multas circum facies ex fulgore illius emicare, etc. Ad hunc modum recte quis dicat, non distribui, aut partiri aut multiplicari Deum, sed nos potius ab eo tanquam similitudines et imagines exemplarium ejus, distinctos ac variatos esse [3]. »

[illegible]

XIII. Ac Boetius de toto genere relationis idipsum commemorat in libro *de Trinitate*. « Non igitur dici potest, inquit, per prædicationem relativam quidquam rei de qua dicitur, secundum se addere vel minuere vel mutare, quæ tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere. Nec semper ad aliud, sed aliquoties ad idem. Age enim stet quisquam. Igitur si accedam dexter, ero ei sinister. Ille ad me comparatus, erit dexter, non quod ita sit per se dexter velut longus aut albus, sed quod ego dexter accesserim. Rursus ego sinister accedo, idem erit ille dexter, non quod ille sit per se dexter velut albus ac longus, sed quod me accedente sit dexter, atque id quod est, a me et ex me est, minime vero ex se. Quare quoniam secundum rei alicujus quæ in eo quod ipsa est, proprietatem non faciunt prædicationem, nihil alternare vel mutare queunt, nullamque omnino essentiam variare. » Quocirca relationem existimat Boetius vel creatis rebus ipsis sine mutatione ulla earum accidere, quod in creatorem multo magis convenire putandum est. Sic etiam Anselmus peculiare id accidentis ejus quod relatio est putat, nullam uti rebus varietatem inducat. « Omnium quippe quæ accidentia dicuntur, alia nonnisi cum aliqua participantis variatione adesse et abesse posse intelliguntur, ut omnes colores : alia omnino nullam vel accedendo vel recedendo mutationem circa id de quo dicuntur, efficere noscuntur, ut quædam relationes. Constat namque quia homini post annum præsentem nascituro nec minor nec æqualis sim nec similis. Omnes autem relationes has utique cum natus fuerit, sine omni mei mutatione ad illum habere potero et amittere secundum quod crescet vel per qualitates diversas mutabitur. Palam itaque fit, quia eorum quæ accidentia dicuntur, quædam aliquatenus attrahunt commutabilitatem, quædam vero nullatenus subtrahunt immutabilitatem. Sicut igitur summa natura accidentibus mutationem efficientibus nunquam in sua simplicitate locum tribuit; sic secundum ea quæ nullatenus summæ immutabilitati repugnant, aliquando dici aliquid non respuit, et tamen aliquid ejus essentiæ unde ipsa variabilis intelligi possit, non accidit [4]. »

At Zacharias Mitylenæus in libro *de Mundi opificio* relationes omnes quibus res invicem comparantur, corporum proprias esse significat. Mundum enim ideo non posse Deo

1 Cap. XXVII. — 2 Cap. XV. — 3 Joan. Cypar. dec. 3. cap. X. — 4 *Monol.* cap. XXIV.

συναΐδιον id est *coæternum* esse probat, quia non est simul cum Deo. « Atqui ea quæ simul esse dicuntur, relata sunt. Relata porro ad corpoream naturam implicata sunt. Deus autem res est corporis expers et intelligibilis. Quare non sunt simul Deus et mundus, quoniam Deus non est corpus quocum relata junguntur [a]. » Sed hæc Zachariæ ratio neutiquam probabilis est. Ac Cyrillus potius audiendus est qui usque adeo non putavit relationes istas corporum esse proprias ut etiam velut accidentia quædam inesse Deo crediderit, quatenus intelligentia nostra capitur, cum tamen reipsa non accidant. « Quid enim dicemus intelligentes ante productionem hujus mundi creatorem substantia Deum fuisse, sed nondum actu, quod nulla res adhuc existeret? Creato autem mundo, factus quoque velut creator est, idque modo quodam ei accidit, quod actu talis extitit [b]. » De hoc accidentium genere, et quemadmodum ἐπινοίᾳ id est, *ratione* et *cogitatione* Deo dicantur accidere, supra meminimus cum de simplicitate Dei ageremus.

Nec mutationibus ullis quæ ipsi in Scripturis tribui videntur.

XIV. Supersunt illi motus animi quos Scriptura nonnunquam affingit Deo. Atque hi facilem alioqui habent explicationem. Sed veterum extiterunt aliqui qui horum quædam revera inesse Deo sentirent, imprimis iram, quasi ea summo numini adempta, omnis interiret religio, cum qui eam peperit, timor esset Dei hominibus ereptus. Sic Lactantius in eo libro quem pulcherrimum appellat Hieronymus *de Ira Dei*. « Timor igitur, inquit, Dei solius est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferetur, si fuerit homini persuasum quod iræ sit expers Deus, quem moveri et indignari non modo cum injusta fiunt, communis utilitas sed etiam ratio ipsa et veritas persuadet [1]. » Et postea : « Cum igitur sint in rebus humanis bona et mala, quorum rationem declaravi, necesse est ad utramque partem moveri Deum, et ad gratiam cum justa fieri videt, et ad iram cum cernit injusta [2]. » Ac ne quis *effectu* solo, ut aiunt, non *affectu* hæc in Deo constitui ab illo putet, animadvertat cæteros affectus ab eodem segregari, velut timoris et cupiditatis, istos relinqui, lætitiæ, gratiæ, odii et iræ. Atqui si sola horum effecta tribueret Deo, ut irasci eatenus crederet quia vindictam exercet in malos, quod nos facimus irati; cur non et timorem adderet et cupiditatem, quorum quæ propria sunt tam factis exprimit Deus, quam istorum quæ inesse scribit? Etenim timoris hæc officia sunt cavere, prospicere in futurum ne quid mali accidat, deterrere minis inimicos. Cupiditatis item, blandiri, allicere, promissis ac precibus extorquere velle. Quæ omnia Deus in Scripturis præ se fert, ut non minus eorum unde proficisci ista solent, quam aliorum significationem præbeat. Quinetiam capite decimo sexto clarius opinionem exponit suam : « Inania, inquit, et falsa reperiuntur argumenta vel eorum qui cum irasci Deum nolunt, gratificari volunt, quia ne hoc quidem fieri sine ira potest, vel eorum qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, invidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus sunt; eos autem qui sunt virtutis, id est ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios et justos et veros habet. » Et capite decimo septimo motum iræ ab ultione distinguens utrumque vindicat Deo : « Nam sicuti nos potestati nostræ subjectos coercere debemus, ita etiam peccata universorum Deus coercere debet, quod ut faciat, irascatur necesse est : quia naturale est bono ad alterius peccatum moveri et incitari. » Denique cujusmodi iram confert in Deum, definit sic : « Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. »

Iram vere Deo inesse existimarunt nonnulli veteres.

XV. Non minus iram hoc est hujus commotionem et affectum Deo Tertullianus attribuit, neque signo tenus et efficientia, ut ad illum excusandum Pamelius asserit. Testantur hoc illius loca quædam in quibus iram a vindicta separans ambo affingit Deo. Ut in primo *contra Marcionem*, ubi sic scribit : « Stupidissimus ergo qui non offenditur facto quod non

a Zachar. tom. 1. *Biblioth. Patrum*. Græco-Lat. p. 351. Τὰ γὰρ ἅμα τῶν πρός τι· τὰ δὲ πρός τι τῇ σωματικῇ συνέζευκται φύσει· ὁ δὲ Θεὸς ἀσώματόν τι χρῆμα, καὶ νοερόν· οὐκ ἄρα ἅμα Θεὸς, ἅμα κόσμος· ἐπεὶ μηδὲ σῶμα ὁ Θεὸς, ᾧ τὰ πρός τι συνέζευκται.

b Cyril. lib. XXXI. *Thesaur*. Τί γὰρ ἐροῦμεν ἐννοοῦντες, ὅτι πρὸ μὲν τῆς διακοσμήσεως τοῦδε τοῦ παντὸς ἦν μὲν κατ' οὐσίαν δημιουργὸς, οὔπω δὲ τοῦτο τῇ ἐνεργείᾳ, διὰ τὸ μήπω τῶν ὄντων τι παρῆχθαι πρὸς γένεσιν; ἐπειδὴ δὲ ἐποίησε τὸ πᾶν, γέγονεν ὥσπερ καὶ δημιουργὸς, καὶ τρόπον τινὰ συμβέβηκε τοῦτο αὐτὸ, διὰ τοῦ καὶ ἐξ ἐνεργείας ὀφθῆναι τοιοῦτον.

1 Cap. XII. — 2 Cap. XV.

amat fieri, quando offensa comes sit frustratæ voluntatis. Aut si offenditur, debet irasci; si irascitur, debet ulcisci. Nam et ultio fructus est iræ, et ira debitum offensæ, et offensa, ut dixi, comes frustratæ voluntatis [1].» Idem in secundo libro : « Bona igitur et severitas, quia justa, si bonus judex, id est justus. Item cætera bona per quæ opus bonum currit bonæ severitatis, sive ira, sive æmulatio, sive sævitia. Debita enim omnia hæc severitati, sicut severitas debitum est justitiæ [2].» Hæc vero et id genus alia contra Marcionem disputans Tertullianus inculcat, quod hæreticus iste talem Deum fingeret qualis erat Epicureorum cujus natura esset ut ex eo grege canit poeta nobilis :

Semota a nostris rebus sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira [3].

Atque etiam aliis in rebus cum iram inesse Deo vult [4], tum eam porro quæ sit *rationalis ex affectu disciplinæ*. Itaque « indignabitur Deus, inquit, rationaliter, quibus scilicet debet, et concupiscet Deus rationaliter quæ digna sunt ipso. Nam et malo indignabitur, et bono concupiscet salutem [5].» Quamobrem non ut in nobis *passiones* et vitia sunt ista penes Deum, sed rationales affectus et motus, ut tam ambo affirmant isti quos recensui, quam auctor libri *de Trinitate* qui Novatianus inscribitur. Qui has in nobis esse passiones ait iisque nos corrumpi, in Deo vero aliter habere. « Corrumpi enim per hæc homo potest, quia corrumpi potest. Corrumpi per hæc Deus non potest, quia nec corrumpi potest. Habent igitur ista vim suam quam exerceant, sed ubi præcedit passibilis materia, non ubi præcedit impassibilis substantia. Nam et quod irascitur Deus, non ex vitio ejus, venit sed ad remedium nostri illud facit, etc. Et ideo omnes istæ vel iracundiæ Dei vel odia vel quæcumque sunt hujusmodi, dum ad medicinam nostram proferuntur, ut res docet, ex consilio non ex vitio venerunt, etc. Et ideo hæc quæ in hominibus vitiosa sunt et corrumpentia, dum ex corporis ipsius et materiæ corruptibilitate nascuntur, in Deo corruptibilitatis vim exercere non possunt, quandoquidem, ut diximus, non ex vitio sed ex ratione venerunt [6].»

Non obscure scriptor iste motus illos animi ex consilio et ratione profectos agnoscit in Deo, perturbationem et commotionem adimit, eoque sensu negat ita tangi divinum numen Arnobius, et gentiles qui christianis iratos esse Deos putabant redarguit, quod alioqui « immortales et perpetui non sunt, nec in divinitatis alicujus existimatione ponendi. Ubi enim est ullus (sicut sapientibus videtur) affectus, ibi necesse est esse passionem : ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi : ubi perturbatio est, ibi dolor et ægritudo est : ubi dolor et ægritudo est, imminutioni et corruptioni jam locus est, quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens et cunctis adimens sentientibus vitam [7].»

XVI. Verum non ea solum ratione qua perturbatio quædam est animi ac fervor ira, hanc a Deo catholica pietas rejicit, sed etiam ut est quamlibet pacatus ac tranquillus affectus, quod nihil in Deo novum, nihil non æternum est, nullus ex rerum occasione susceptus interior motus et impulsus. De quo rursus Arnobius in septimo libro *contra Gentiles* recte disputat, et multo quam ipsius discipulus Lactantius ad christianam fidem accommodatius : « Et si diffinitionem, inquit, teneamus illam quam pertinaciter meminisse convenit nos semper, universos animorum affectus ignotos diis esse, consentaneum est credere nunquam deos irasci, quinimmo nullum affectum magis esse ab iis longe quam qui feris et belluis proximus turbat tempestatibus patientes et ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicujus, e motu passibile esse constat et fragile; quod passioni fragilitatique subjectum est, id necesse est esse mortale. Ira autem vexat et patientes se solvit. Ergo esse mortale dicendum est quod passionibus subjectum est iræ.» Idem et uberrime sanctus Hilarius ad Psalmum secundum explicat, cujus verba quatenus immutabilem esse Deum significant supra posuimus. Ibidem vero nihil iram Dei esse aliud dicit nisi ultionem, pœnamque peccati ab illo constitutam. « Pœna, inquit, patientis, ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cum per pœnæ dolorem iram decreti in se sentiant esse puniti, quæ non per demutationem naturæ in iram ex placabilitate commota est, sed ex constitu-

1 Cap. xxvi. — 2 Cap. xvi. vide et supra, c. i. libri hujus. — 3 Lucret. lib. I. — 4 Libro *de Testim. an.* cap. ii. — 5 Libro *de Anima.* cap. xix. — 6 Cap. v. — 7 Lib. I.

tione pœnæ ira sit puniendis. Hanc autem pœnæ constitutionem iram nuncupari atque esse Joannes in Evangelio ostendit dicens : *Natio viperarum, quis monstravit vobis fugere a futura ira*[1]? » Vide Cyrillum Alexandrinum qui in libro quinto *contra Julianum* ostendit quemadmodum zelus, id est, indignatio adversus peccatores citra perfectæ divinitatis injuriam inesse Deo sacræ Litteræ testentur.

Augustinus vero partim ultionem ipsam pœnamque esse vult iram Dei, partim judicium ejusdem. In *Enchiridio* enim : « Ex humanis, ait, motibus translato vocabulo, vindicta ejus quæ nonnisi justa est, iræ nomen accepit[2]. » Et alibi : « Quoniam difficillimum est ut homo aliquid vindicet sine ira, vindictam Dei quæ sine perturbatione fit, iram tamen vocandam judicaverunt[3]. » Idem habet Eucherius libro *de Formulis spiritualis intelligentiæ*.

At in enarratione Psalmi secundi Augustinus idem « iram et furorem Domini Dei vim esse dicit, qua justissime vindicat subjectam sibi ad ministerium universam creaturam. » Item : « Ira Dei est motus qui fit in anima, quæ legem Dei novit, cum eamdem legem videt a peccatore præteriri. Per hunc enim motum justarum animarum multa vindicantur. Quanquam possit ira Dei recte intelligi etiam ipsa mentis obscuratio, quæ consequitur eos qui legem Dei transgrediuntur. » In quinto decimo vero *de Civitate Dei* iram Dei ait esse « judicium, quo irrogatur pœna peccato[4]. » Et alibi « potestatem vindicandi[5]. » Tum « rationem justæ vindictæ, tanquam si lex dicatur irasci, cum ministri ejus secundum eam commoti vindicant[6]. »

XVII. A quo non recedit Isidorus Hispalensis qui hanc esse dicit « æquitatem justitiæ, qua reos punit, quoniam quod judicantis æquum est, furor est et indignatio patientis[7]. » Quod posterius maxime convenit, ut sit ira Dei quasi lex æterna quæ sine ullo motu et affectu pœnas irrogat. « Cujus etiam judici sumendus est animus, ait Seneca, quæ non irascitur sed constituit[8]. » Ita novi nihil accedet Deo cum irasci dicitur aut ulcisci, uti neque cum creare aut aliud agere dicitur. *Tu autem dominator virtutis*, ait Sapiens, *cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi cum volueris, posse*[9]. Quod sapientiæ testimonium ad eamdem rem adhibet Augustinus[10] et Gregorius Magnus qui recte simplicitatem Dei causam esse ait, cur nec ira, nec ulla affectio alia cadat in Deum[11]. Ut hæretico Vorstio per sanctissimos illos Patres, imo per Scripturas ipsas et christianam omnino fidem muto esse liceat, qui voluntate Deum immutabilem esse negare ausus est, eoque maxime quod « Deus quædam in tempore reipsa vult quæ antea noluit. » Quo et illa referri possunt quæ Scriptura plerumque commemorat de Dei pœnitentia, mutationeque consilii.

Quæ dic[...] Scriptur[...] de Dei pœ[...]tentia enodantu[...]

Sed ista levissima sunt ac perfacilem habent exitum. Ad quem aptissimum illud est Isidori ex eo quem paulo ante citavimus loco, ubi post illa de Dei iracundia, universe sic concludit : « Ita ergo intelligere opus est et alias passiones quas de affectione humana ducit Scriptura ad Deum, ut et juxta se incommutabilis sit credendus, et tamen pro causarum effectibus ut facilius intelligatur, nostræ locutionis et mutationis genere appelletur. Tam clementer Deus humanæ infirmitati consulit, ut quia eum sicut est non possumus agnoscere, nostræ locutionis more seipsum insinuet. Unde et membrorum nostrorum qualitatem habere describitur, et passionum indigna dici de se voluit, quatenus ad sua per nostra nos traheret, et dum condescendit nobis, consurgeremus ei. » Quæ ex Augustino imitando sumpsit Isidorus, qui quidem hanc de affectibus humanis præsertim pœnitentiæ, quæstionem inter octoginta tres, secundam et quinquagesimam ad eumdem dissolvit modum[12]. Et in alio libro istud ipsum de pœnitentia Dei percontanti Simpliciano respondet, neque præscientiam proprie dici de Deo quasi futura cognoscat cum sint ei omnia præsentia neque « in omnia utcumque præsciente pœnitentiam esse posse. Quapropter cum legimus etiam Dominum dicentem, Pœnitet me, consideremus quid id esse soleat. In hominibus opus pœnitendi est cum procul dubio reperitur voluntas mutandi. Sed in homine cum dolore animi est, reprehendit enim in se quod temere fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle ut non ita sit aliquid quemadmodum erat. Sic potest aliquantulum intimari menti nostræ, qua regula intelligatur quod pœnitet Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid, sicut fecerat ut

1 Matth. III. — 2 Cap. XXXIII. — 3 Tom. IV. lib. LXXXIII. *Quæst.* 52. et lib. II. *Cont. advers. leg.* cap. XI. — 4 Cap. XXV. — 5 In *Psalm.* CV. — 6 In *Psal.* LXXXII. — 7 Lib. I. *Sent.* cap. V. — 8 Lib. I. *de Ira.* cap. XVI. — 9 *Sap.* XII. 18. — 10 In *Psal.* XI. — 11 *Moral.* lib. XII. c. VII. — 12 Lib. LXXXIII. *Quæst.* q. 53.

esset. Sed tamen et cum ita esset, ita debebat, et cum ita esse jam non sinitur, jam non debet ita esse, perpetuo quodam et tranquillo æquitatis judicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate disponit [1]. »

XVIII. Hinc recte sapere ac fari profanus discet Vorstius, nec non ex Eucherio libro *de Formulis spiritualis intelligentiæ*, qui « pœnitentiam Dei esse ait, statuta mutare, et quod prius aliter inchoatum fuerat, in aliud mutare. » A quo non abludit auctor *Quæstionum ad orthod.* sub Justini nomine [a]. Qui Deum et existentia et actione, quæ quidem majestate sua digna sit, prorsus immutabilem esse dicit, res autem pro eo ac convenit ab eo commutari. Tertullianus item adversus Marcionem agens de eadem Dei pœnitentia disserit : et « nihil aliud intelligi ait, quam simplicem conversionem sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti [2]. » Quæ conversionis vox non sic intelligenda tanquam in Deo fiat ulla mutatio, sed ita ut rebus commutatis, mutari Deus humano more dicatur.

Denique gentilis primum philosophus christiani utcumque professorem dogmatis pudore suffundet Maximus Tyrius, qui in dissertatione tricesima Deum probat hoc argumento non mutare sententiam. Quisquis enim hanc mutat, « si in melius a deteriore transfert animum, malum antea consilium ceperat. Sin ab optimo in pejus descivit, male utique a priore descivit. Improbitas autem in Deum non cadit [b]. » Deinde gentilis alter Sallustius in libro *de Diis*, qui hanc esse communem et a natura insitam notionem asserit. « Communes, inquit, notiones sunt quas omnes homines si interrogati fuerint confitebuntur, velut omnem Deum esse bonum, esse passionis expertem, esse immutabilem. Nam omne quod mutatur aut in melius, aut in pejus mutatur. Si in pejus, fit deterius. Si in melius, principio malum fuit [c]. » Tum Judæus homo sceleratissimum eumdem pronuntiabit Vorstium Philo in libro quo Deum immutabilem esse demonstrat. Ubi inter alia, sceleratissimos eos appellat qui quod in sacris Libris dicentem legerint Deum, pœnitere se quod hominem creasset, Deum pristinam mutasse sententiam judicant. Hos vero qui sic sentiunt priscorum illorum crimina quorum causa pœnituisse Deum dicitur, impietatis magnitudine superare. « Nam quæ major esse potest impietas quam eum qui mutari nequit mutabilem putare præsertim cum nonnulli ne homines quidem sententias variare permittant [d]? » Hæc Philo, qui toto illo libro de Dei immutabilitate copiose atque eleganter disputat. Quid quod etiam inter *Vulgaris philosophiæ* decreta unum hoc fuisse testis est Aristoteles in primo *de Cœlo*, « divinum omne ac primum summumque esse immutabile [e]. » Ut verissimum sit quod Proclus Constantinopolitanus scripsit in epistola ad Armenos, « mutabilitatem esse affectionem naturæ præterfluentis, sempiternæ vero et eodem modo semper habentis immutabilitatem [f]. » Vide Origenem homilia VIII in *Exodum* [3] et libro VI *contra Celsum;* Augustinum lib. *contra adversarium legis*, cap. VIII et *contra Adimantum*, cap. XI et XIII et lib. XXII *contra Faustum*, cap. XXI; Salvianum libro I *de Providentia;* Theodoretum quæst. LII in *Genesim* et libro IV *de Hæresibus, in Audianis;* Gregorium papam libro *Moralium* XX, cap. XXIII; Isidorum Hispalensem libro I *Sententiarum*, cap. V.

a JUST. quæst. 36. Ὁ δεσπότης θεὸς καὶ κατὰ τὸ ὑπάρχειν καὶ κατὰ τὸ πράττειν τὰς πρεπούσας αὐτῷ πράξεις, ἄτρεπτός ἐστι.

b MAXIM. Tyr. Εἰ μὲν εἰς τὸ βέλτιον ἐκ τοῦ φαυλοτέρου μετατίθεται, πονηρῶς ἐβουλεύσατο· εἰ δὲ εἰς τὸ χεῖρον ἐκ τοῦ βελτίστου, πονηρῶς μετετίθετο· τὸ δὲ θεῖον ἔξω πονηρίας.

c SALLUST. Κοιναὶ δέ εἰσιν ἔννοιαι, ὅσας πάντες ἄνθρωποι ἐρωτηθέντες ὁμολογήσουσιν· οἷον ὅτι πᾶς θεὸς ἀγαθός· ὅτι ἀπαθής· ὅτι ἀμετάβλητος· πᾶν γὰρ τὸ μεταβαλλόμενον ἢ ἐπὶ τὸ κρεῖττον, ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον· καὶ εἰ μὲν ἐπὶ τὸ χεῖρον, κακύνεται· εἰ δὲ ἐπὶ τὸ κρεῖττον, τὴν ἀρχὴν ἦν κακόν.

d PHILO, p. 200. edit. Turn. Ἴσως τινὲς τῶν ἐναγεστάτων ὑποτοπήσουσι τὸν νομοθέτην αἰνίττεσθαι, ὅτι ἐπὶ τῇ γενέσει τῶν ἀνθρώπων ὁ δημιουργὸς μετέγνω, κατιδὼν τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν· ἧς χάριν αἰτίας ἐβουλήθη σύμπαν διαφθεῖραι τὸ γένος· ἀλλ' ἴστωσαν ὅτι ταῦτα δοξάζοντες, ἐπελαφρίζουσι, καὶ ἐπικουφίζουσι τὰ τῶν παλαιῶν ἐκείνων ἁμαρτήματα, δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτοὺς ἀθεότητος· τί γὰρ ἂν ἀσέβημα μεῖζον γένοιτο τοῦ ὑπολαμβάνειν τὸ ἄτρεπτον τρέπεσθαι· καί τοι τινῶν ἀξιούντων μηδὲ ὄντας ἀνθρώπους, ταῖς γνώμαις ἐπαμφοτερίζειν.

e ARIST. lib. I. *de Cœlo*, c. IX, tex. 100. Καὶ γὰρ καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι, περὶ τὰ θεῖα πολλάκις προφαίνεται τοῖς λόγοις, ὅτι τὸ θεῖον ἀμετάβλητον ἀναγκαῖον εἶναι τὸ πρῶτον, καὶ ἀκρότατον.

f PROCLUS. Τὸ τρεπτὸν παραῤῥεούσης φύσεως πάθος· τῆς δὲ ἀϊδίου, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχούσης τὸ ἄτρεπτον.

1 Lib. II. *ad Simplic.* quæst. 2. — 2 Lib. II. *cont. Marc.* cap. XXIV. — 3 Pag. 53.

CAPUT III.

De æternitate Dei. Quæ sit natura illius et conditio, quatenus soli ipsi competat neque cum rebus creatis communicari possit. Quid sit αἰὼν *apud Græcos, apud Latinos* ævum. *Tres æternitatis divinæ conditiones proponuntur quarum prima declaratur, ut initio careat : qua ratione æternitas soli Patri tribuitur interdum. Creaturis minime competere, tametsi ab æterno extitisse fingantur.*

I. Ex illarum numero proprietatum quæ *negativa* dicuntur *attributa*, jure censenda est æternitas, ut quidem intelligentiæ nostræ subjicitur, ac docet inter alios rabbi Moses paulo post a nobis laudandus[1]. Ut enim Origenes scribit : « Sempiternum vel æternum proprie dicitur, quod neque initium ut esset habuit, neque cessare unquam potest esse[2]. »

Æternitas negativum aliquid sonat.

Qua definitione duplicem veluti partem attigit æternitatis, sive utriusque potius negationem termini, quorum alter initium, alter finis est rei. Itaque duplici quodammodo negatione septa est æternitas, quod Gregorius Nazianzenus oratione octava et tricesima verbis istis aperit, quæ naturam æternitatis graphice depingunt : « Jam vero cum infinitum bifariam spectetur, nempe ratione principii et finis (nam quod supra hæc est, ac non in his, infinitum est), cum in anterius profundum mens

Natura æternitatis exponitur.

respexit non habens ubi consistat, formisque illis quas de Deo fingit innitatur, infinitum hoc neque transmeabile, anarchum, hoc est carens initio nominavit : cum autem ad inferiora et posteriora, immortale atque interitus expers : cum vero totum illud contraxit, æternum. Æternitas enim neque tempus est neque pars ulla temporis (neque enim cadit in mensuram), sed quod nobis est tempus quod solis conversione metimur, hoc æternis rebus est ævum, nimirum ille quasi temporalis quidam motus et intervallum, quod simul cum æternis extenditur[a]. » Horum duorum prius quod est initio carens, ἀγένητον, id est *innatum* sive *infectum*, posterius ἄφθαρτον *incorruptum*, et utrumque scilicet negativum ait esse Basilius. « Nam cum in transacta jam sæcula respicimus, inquit, et omni superiorem initio Dei vitam invenimus, tunc ipsum affirmamus ingenitum. Cum vero per futura sæcula mentem extendimus, tunc infinitum et immensum nec ullo fine comprehensum, incorruptibilem appellamus[b]. » Quam a Basilio constitutam rationem æternitatis, ab Eunomii sophistica calumnia tuetur Gregorius Nyssenus, et Apostoli auctoritate firmat qui *neque initium dierum, neque finem vitæ habere*[3], quod est æternum significat.

II. Talis igitur divinitatis proprietas jure *immutabilitatis* quam exposuimus, comes est et socia, quoniam « motus omnis ac defectus æternitati repugnat, » ut ait sanctus Thomas[4], maxime illi quæ Dei est propria, quemadmodum paulo post constabit. Est autem eadem illa divinæ naturæ et excellentiæ imprimis conveniens quem propterea *censum Dei* Tertullianus vocat, simulque duas quas dixi partes illius vel negationes exprimit. « Quis enim alius Dei census, quam æternitas? quis alius æternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis[5]? » Atque hoc communis ipsius naturæ sensus per omnium ora mortalium impura licet ac profana personat. « Deum, inquit Boetius, æternum esse, cunctorum ratione degentium commune judicium est[6]. » Nam nemo est qui non æternum qualecumque tandem finxerit sibi numen agnoscat, et poetæ deos suos αἰὲν ἐόντας, *sempiternos*, et ἀφθίτους atque ἀθανάτους, hoc est *incorruptos, immortalesque* nominant. Quanquam apud poetas diis omnibus, ne summo quidem

a Naz. p. 616. B. Διχῇ δὲ τοῦ ἀπείρου θεωρουμένου, κατά τε ἀρχὴν, καὶ τέλος· τὸ γὰρ ὑπὲρ ταῦτα, καὶ μὴ ἐν τούτοις, ἄπειρον· ὅταν μὲν εἰς τὸν ἄνω βυθὸν ὁ νοῦς ἀποβλέψῃ, οὐκ ἔχων ὅποι στῇ, καὶ ἀπερείσηται ταῖς περὶ θεοῦ φαντασίαις, τὸ ἐνταῦθα ἄπειρον καὶ ἀνέκβατον, ἄναρχον προσηγόρευσεν· ὅταν δὲ εἰς τὰ κάτω, καὶ τὰ ἑξῆς, ἀθάνατον, καὶ ἀνώλεθρον· ὅταν δὲ συνέλῃ τὸ πᾶν, αἰώνιον· αἰὼν γὰρ οὔτε χρόνος, οὔτε χρόνου τι μέρος· οὐδὲ γὰρ μετρητόν· ἀλλ᾽ ὅπερ ἡμῖν ὁ χρόνος ἡλίου φορᾷ μετρούμενος, τοῦτο τοῖς ἀϊδίοις αἰὼν, τὸ συμπαρεκτεινόμενον τοῖς οὖσιν, οἷόν τι χρονικὸν κίνημα, καὶ διάστημα.

b Basil. lib. I. *con. Eun.* Ὅταν μὲν γὰρ εἰς τοὺς κατόπιν αἰῶνας ἀποβλέψωμεν, ὑπερεκπίπτουσαν πάσης ἀρχῆς εὑρίσκοντες τὴν ζωὴν τοῦ θεοῦ, ἀγένητον αὐτὸν λέγομεν· ὅταν δὲ τοῖς ἐπερχομένοις αἰῶσι τὸν νοῦν ἐπεκτείνωμεν, τὸν ἀόριστον, καὶ ἄπειρον, καὶ οὐδενὶ τέλει καταληπτὸν προσαγορεύομεν ἄφθαρτον.

1 Lib. I. *More Nebochim*, cap. LVII. — 2 Lib. I. *Periar.* cap. III. — 3 *Hebr.* VII. 3. — 4 Lib. *de Caus.* lect. 2. — 5 Lib. *cont. Herm.* cap. IV. — 6 Lib. V. *de Consid.* pro. 6.

excepto, manca duntaxat et claudicans æternitas tribuitur. Quæ si vera est ac Deo digna, tam nullum habet initium, quam fine careat oportet. At isti deos omnes satu editos anterioris alicujus, et tempore posteriores instituunt. Itaque Jovem illum optimum maximum ac divumque, hominumque parentem, Saturno genitum, Saturnum Cœli filium, Cœlum Terræ fuisse finxerunt[1]. Æternos igitur ea solum ex parte rebantur, quod nunquam essent interituri. Qui autem nugari desierunt, utramque partem Deo æternitatis addixerunt. Quo Thaletis illa philosophi responsio pertinet : qui *Quid esset antiquissimum* interroganti, *Deum esse dixit, ortu enim carere*[a]. Quod de solo eo qui sit verus intelligitur. Hic enim novus esse non potest. Nam « quis Deus novus, nisi falsus? ait Tertullianus. Ne Saturnum quidem tanta hodie antiquitas Deum probabit, quia et illum novitas aliquando produxerit, cum primum consecravit[2]. » Vere itaque Philo : « Nullum qui sit procreatus, revera esse Deum asserit, sed opinione duntaxat, ut qui, quod est in divinitate præcipuum, eo careat æternitate[b]. » Et Isidorus Pelusiota libro tertio, epistola LXIII et CXLIX τὸ ἀΐδιον, id est *æternum*, quod ab *immortali* distinguit, solius esse dicit proprium Dei, cujus verba postea referam. Quemadmodum et Ambrosius « nihil tam proprium Dei facit quam semper esse[3]. » Quem imitatus Cassianus in quinto *de Incarnatione*, capite octavo, « nihil de Deo tam conveniens dici potest, ait, quam ut semper esse dicatur. » Tum Gregorius Nyssenus, « quod non semper est, divinum, inquit, existimari non potest[c]. »

De nominibus quibus exprimitur. III. De hac igitur integra et solida et divini propria numinis æternitate dicturi, prius nomen ejus quale sit debemus inquirere. Græci quod æternum vel sempiternum dicimus, partim αἰώνιον, partim ἀΐδιον, partim ἀθάνατον vocant. Sed hoc proprie est *immortale*, quod ab æterno nonnihil distat. Tametsi si immortalitas vera et quæ optimo id jure sortita nomen est spectetur, ea ab æternitate non differt, de qua re postea. Nunc αἰώνιον ab eo quod est αἰὼν deflectitur. Αἰὼν autem quasi ἀεὶ ὢν, *quod semper sit*. Quam nominis interpretationem non solum grammatici referunt, sed summi etiam viri approbant[4]. Aristoteles in primo libro *de Cœlo* αἰῶνα vult significare proprie terminum ac finem ætatis cujusque, ac primo quidem « finem, qui uniuscujusque tempus ætatis complectitur, extra quem nihil est secundum naturam, æonem appellari cujusque. Deinde simili ratione, finem eum qui cœli totius finem, et immensum omnium tempus, atque immensitatem ipsam comprehendit, æonem esse, dictum ab eo quod est semper esse, immortalem ac divinum. Ex quo et cætera suspensum habent quædam accuratius, quædam obscurius, esse ac vivere[d]. » Quamobrem αἰὼν ille atque æternitas, quæ semper est, omne tempus et ætatem atque ævum omne comprehendit. Ac præclarum id est Aristotelis, quod illam ipsam æternitatem finem esse dixit ævi omnis, et infinitatem ipsam comprehendere temporis et amplecti, quod non multo post enarrabimus.

Dionysius item Deum esse docuit « essentiam eorum quæ sunt, tanquam principium eorum et causam[e], » et αἰῶνα τῶν αἰώνων, *ut qui sit semper magisque proprie quam æones universi.*

Plotinus quoque ab eo quod est ἀεὶ εἶναι dici αἰῶνα significat[5], nec non Proclus libro secundo in *Timæum* Platonis. Quos secutus Michael Psellus in libro *Quæstionum* nondum edito, quæstione vicesima, « æterna ait esse quæ semper sunt et immobilia, quæ autem sunt in tempore, fluentia sunt[f], » et Nicetas in commentariis ad orationem Gregorii Nazianzeni octavam et tricesimam, et Maximus ad quintum caput libri *de Divinis nominibus*. At *Semper esse æonem.*

a PLUTAR. in *Convivio*. Τί πρεσβύτατον; Θεὸς, ἔφη Θάλης· ἀγέννητον γάρ ἐστι.

b PHILO, lib. Περὶ φιλανθρ. Γενητὸς οὐδεὶς ἀληθείᾳ θεὸς, ἀλλὰ δόξῃ μόνον, τὸ ἀναγκαιότατον ἀφῃρημένος ἀϊδιότητα.

c NYSS. in prol. lib. *Catech*. Τὸ γὰρ μὴ ἀεὶ ὂν ἔξω τῆς περὶ τὸ θεῖόν ἐστιν ὑπολήψεως.

d ARISTOT. cap. IX. tex. 100. Τὸ γὰρ τέλος τὸ περιέχον τὸν τῆς ἑκάστου ζωῆς χρόνον, οὗ μηδὲν ἔξω κατὰ φύσιν, αἰὼν ἑκάστου κέκληται· κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον καὶ τὸ παντὸς οὐρανοῦ τέλος, καὶ τὸ τῶν πάντων ἄπειρον χρόνον, καὶ τὴν ἀπειρίαν περιέχον τέλος, αἰών ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, ἀθάνατος, καὶ θεῖος· ὅθεν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξήρτηται, τοῖς μὲν ἀκριβέστερον, τοῖς δ' ἀμαυρότερον τὸ εἶναί τε, καὶ ζῆν.

e DIONYS. apud Euth. *Pan*. par. I. tit. III. Ὁ θεὸς οὐσία ἐστὶ τῶν ὄντων, ὡς ἀρχὴ, καὶ αἰτία τούτων· αἰὼν δὲ τῶν αἰώνων, ὡς ἀεὶ ὢν, κυριωτέρως τῶν αἰώνων.

f PSELLUS. Τὰ αἰώνια ἀεὶ ὄντα, καὶ ἀκίνητα· τὰ δ' ἐν χρόνῳ ῥέοντα.

1 Hesiod. in *Theolog.* — 2 Lib. I. *cont. Marcion.* cap. VIII. — 3 Tom. II. in *Psal.* XLIII. — 4 *Etymol.* auctor. — 5 *Enn.* 3 lib. VII. cap. V.

Basilius notationem hanc nominis redarguit in secundo *adversus Eunomium,* quod nefas habeat rem ullam creatam fuisse semper æter-
Æones. namque credere. Nimirum αἰῶνας nescio quid a Deo conditum ac subsistens putavit esse, de quo mox. Nihil autem prohibet idem vocabulum diversis accommodari rebus, et crea-
Ens et Essentia. tori cum creatis esse commune, uti et τὸ ὂν et οὐσία et hujusmodi pleraque, quæ Deo nonnulli propterea detrahunt, alii e contrario soli vindicant ne quid cum infimis commercii tanta dignitas habeat, quod in superioribus late explicatum esse memini.

Merito itaque Gregorius Nazianzenus, «quod est nobis tempus solis motu definitum, hoc
Æonem. æternis αἰῶνα esse » tradit [a]. Et alibi, « intervallum illud quod cum rebus æternis adæquatur, *æonem* interpretatur, quod non motu ullo, solisve cursu dividitur ac velut mensura definitur, cujusmodi est tempus [b]. » Quæ Nazianzeni verba Joannes Damascenus mutuatus est initio secundi libri ubi de *æone* disserit, et varias ejus notiones explicat, ac primum cujusque vitæ spatium significare ait, quod et grammatici notarunt : tum mille annorum spatium, itemque totum præsentis vitæ tempus, nec non futurum sæculum, ac demum æternitatem.

IV. Græcorum *æoni* respondent apud Latinos *ævi, æternitatis* ac *sæculi* vocabula, quæ perinde ambigue ac multifariam sumuntur. Ævum quidem satis apparet ab eo quod est αἰὼν esse ductum. Quæ vox ætatem significat. Observatum est a Prisciano pro *ætate* et *æterno*, veteres *ævitatem* et *ævi'ternum* dixisse. Et Isidorus *ætatem* quasi *ævitatem* esse, id est *similitudinem ævi* [1]. Cui hoc addit: « Ævum esse ætatem perpetuam, cujus neque initium,
Æones. neque extremitas nascitur, quod Græci αἰῶνας vocant. » Hinc proprie Deo convenire grammatici docent, et Arnobius « longævas animas summi principis munere ac beneficio fieri [2] » dixit, cum sint ex sese morti obnoxiæ, hoc est æternas. Non desunt tamen qui ævum ab æternitate distinguant, atque hanc Dei propriam, illud cæterorum quæ immortalia sunt et sempiterna statuant. Quos redarguit sanctus Thomas, qui ævum et æternitatem perinde rem unam esse vult, ut est ἄνθρωπος et homo [3].

Sane *æternitatis* nomen interdum pro longo *Pro longo tempore sumitur.*
tempore accipitur, ut indicat Augustinus in vicesimo secundo *de Civitate Dei* [4], vel « cujus finis non constituitur [5].» Sic *æterna urbs* Roma, et *æterni imperatores*. Tametsi quidam et æternos hos adulando, et se illi adulatoribus fidem adhibendo vera et proprie dicta æternitate nominarunt. Sic Constantius, ut refert Ammianus, assentatorum blanditiis et secundarum cursu rerum inflatus, « immunem se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans, confestim a justitia declinavit ita intemperanter, ut æternitatem meam aliquoties subsereret ipse dictando [6]. » Quem ideo cum suis illis adulatoribus Arianis merito deridet Athanasius, « quod æternum illi imperatorem non dubitarent dicere, qui æternum esse Dei negarent Filium [c]. » Sed in ambiguo lusit Athanasius. Si quidem Ariani non illud æternitatis genus quod tribuebant Constantio, Dei Filio detrahebant. Nam et hunc æternum, id est nunquam desiturum esse fatebantur. Sed veram duntaxat ac summi Dei propriam, hoc est a nullo cœptam initio, ut qui *fuisse aliquando* dicerent *cum non esset Filius,* ac *de non extantibus esse productum.* Quamvis nonnulli ex illo grege dimidia ex parte insanientes, etiam ante tempus omne adeoque ex æterno extitisse putarent Filium, de quibus alias.

V. Solet et sæculi nomine vox αἰῶνος a Latinis explicari, ut observat Augustinus. « Sed non sunt ausi Latini [7], ait idem, hoc dicere sæculare, ne longe in aliud mitterent sensum [8]. » Quin vox ipsa *sæculi* quia minus aliquid sonat, sæpe *sæculum sæculi* vel *sæcula sæculorum* pro æternitate dici videas, ut a Græcis αἰῶνας τῶν αἰώνων, uti sæculum illud intelligatur, « quod post hujus finem futurum promittitur [9], » ut idem Augustinus scribit. Sive ut Anselmo placet, quia Dei æternitas « continet etiam ipsa sæcula temporum [10]. » Vi-

a Naz. orat. 33. Ἀλλ' ὅπερ ἡμῖν ὁ χρόνος ἡλίου φορᾷ μετρούμενος, τοῦτο τοῖς ἀϊδίοις αἰών.

b Idem orat. 35. Πλὴν εἰ τὸ συμπαρεκτεινόμενον τοῖς ἀϊδίοις διάστημα τὸν αἰῶνα λαμβάνοιμεν, τὸ μὴ κινήσει τινὶ μηδὲ ἡλίου φορᾷ μεριζόμενον, καὶ μετρούμενον· ὅπερ ὁ χρόνος.

c Athan. lib. *de Synod.* Πρὸς τούτοις περὶ τοῦ κυρίου προσποιούμενος γράφειν ἄλλον δεσπότην ὀνομάζουσι Κωνστάντιον· καὶ αἰώνιον δὲ αὐτὸν βασιλέα εἰρήκασιν οἱ τὸν υἱὸν ἀΐδιον ἀρνούμενοι.

1 Lib. V. *Origin.* cap. xxxviii. — 2 Lib. II. — 3 Lib. *de Caus.* lect. 2. — 4 Cap. I. — 5 Tom. IV. lib. I. *Quæst. in Gen.* 31. — 6 Init. lib. V. — 7 In *Psal.* lxxxix. et lib. I. *Quæst. in Gen.* 31. — 8 Lib. XVI. *de Civit. Dei,* cap. xxvi. vide et lib. *ad Oros. cont. Priscil.* cap. v. — 9 In *Psal.* lxxi. — 10 *Prosol.* cap. xxi.

deri potest Dionysius qui, in fine decimi capitis *de Divinis nominibus*, eas significationes τοῦ αἰῶνος persequitur. Hoc ipsum est עולם Hebræorum, quod similiter atque æternitas apud Latinos, vel pro non definito eodemque longiore spatio temporis, vel pro eo quod sæculum proprie vocatur, hoc est centenario annorum, vel denique pro infinita æternitate sumitur, quasi *occultum abstrusumque* dicas. Id enim radix ipsa significat. Appellatur et ab iisdem Hebræis alio nomine עד *æternitas*, addito nonnunquam et altero עולם, ut vis ad significationem major accedat.

Hieronymus in *Epistolæ ad Galatas* caput primum postquam Valentini fabulas irrisit, « qui triginta αἰῶνας suos, ex eo quod in Scripturis sæcula legantur affinxit dicens eos esse animalia, et per quadratas et ogdoadas, decadas quoque et duodecadas tot edidisse numeros sæculorum quot Æneia fœtus scropha generavit; quærit quid sit inter *sæculum* et *sæculum sæculi*, sive *sæcula sæculorum*. Tum adnotat, in Hebræo *sæculum*, id est עולם, ubi ו litteram positam habuerit, *æternitatem* significare, ubi vero sine ו scribitur, annum quinquagesimum quem illi Jobileum vocant. » Mox refert nonnullorum opinionem, *sæcula sæculorum* dici ut *sancta sanctorum*, *cœli cœlorum*, et sæculum præsens dici tempus usque ad occasum mundi, *sæcula sæculorum* deinceps consequentem æternitatem vocari, quam sententiam ex Augustino supra memoravi. Cicero in primo *de Natura deorum* : « Sæcula dicit esse quamdam ab infinito tempore æternitatem quam nulla temporum circumscriptio metiebatur, spatio tamen qualis ea fuerit intelligi non posse, quod ne in cogitationem quidem cadat ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. »

VI. Hæc illa est summa et immensa et cogitatione comprehensioneque omni potior æternitas, quam non modo cum notione divinitatis implicatam esse sentiunt omnes, sed etiam illius esse peculiarem ac propriam. » Æternitas, inquit Isidorus Pelusiota, velut sempiterna vitalitas est. Ideo de sola ea natura quæ initii est expers et eodem modo semper habet, usurpari consuevit. Etenim immortale de eo quoque quod cum ortum habuerit, minime tamen moritur, hoc est de angelo et anima pronuntiari potest, atque item incorruptibile de iis quæ facta sunt sed corruptione sunt omni potiora. At æternum proprie divinæ essentiæ convenit. Idcirco de adoranda duntaxat ac summe regia Trinitate quæ nec prius nec post, nec primum, secundum, et tertium admittit, solet accipi[a]. »

Quo in loco triplex dos æternitatis ejus quæ Dei propria est attingitur. Nam et initium excludit et successionem ac mutabilitatem et postremo finem. Quæ tria in veram æternitatem concurrere disertius exponit Richardus Victorinus, cujus verba, quod ad rem magnopere attinent, hic legi oportet. « Aliud, inquit, videtur sonare æternum, aliud autem sempiternum. Sempiternum namque esse videtur quod caret initio et fine, æternum quod caret utroque et omni mutabilitate, et quamvis forsitan neutrum sine altero invenitur, recte tamen inter nominum significationem distinguitur. Quid itaque aliud est æternitas quam diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate? Sed qui increatus et sempiternus est, caret initio et fine, et cujus status invariabilis est, manet absque omni mutabilitate. In his itaque tribus probatur esse æternus. Nam hæc tria absque ambiguitate dant æternitatem habere et æternum esse[1]. » His tribus conditionibus instruenda nobis definiendaque est æternitas, ut quidem singularis est proprietas Dei. Qua ratione primum illud e tribus maxime illi convenit, ut nonnunquam eo solo censeatur æternitas, quod initium habeat nullum, imo etiam principio et origine careat, ut in personalem transeat notam, et sit æternum idem plane atque *ingenitum*, quo quidem Patris persona continetur. Hoc sensu scriptum est ab Ambrosio : « Æternitas est in Patre, species in imagine, virtus est in munere, et hæc tamen tria unus est Deus non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitatis essentia[2]. » Quæ verba

a Isid. Pel. lib. III. epist. 149. Ἡ ἀϊδιότης, οἷον ἀειζωότης ἐστί· διὸ ἐπὶ μόνης τῆς ἀνάρχου φύσεως τῆς ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως ἐχούσης λαμβάνεσθαι εἴωθε· τὸ μὲν γὰρ ἀθάνατον, καὶ ἐπὶ τοῦ γενομένου μὲν, μὴ ἀποθνήσκοντος δὲ, οἷον ἐπὶ ἀγγέλου, καὶ ψυχῆς κατηγορεῖσθαι δύναται· καὶ τὸ ἄφθαρτον ἐπὶ τῶν πεποιημένων μὲν, κρειττόνων δὲ φθορᾶς γεγενημένων· τὸ δὲ ἀΐδιον κυρίως τῆς θείας οὐσίας ἴδιόν ἐστι· διὸ καὶ ἐπὶ τῆς προσκυνητῆς, καὶ βασιλικωτάτης τριάδος μόνον λαμβάνεσθαι πέφυκε, τῆς τοῦ πρὸ, καὶ μετὰ μὴ ἀνεχομένης· μηδὲ τὸ πρῶτον, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον καταδεχομένης.

1 Lib. II. *de Trinit.* cap. IV. — 2 In *Symb.* init.

non Ambrosio sed Hilario tribuit Augustinus. Verum paulo aliter concepta sunt apud Hilarium ipsum sub initium libri secundi *de Trinitate*, ubi sic loquitur : « Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur, intra quam sit in Patre et Filio et Spiritu sancto, infinitas in æterno, species in imagine, usus in munere [1], » quomodo referuntur ab auctore commentarii in Boetii libellum *de Trinitate*, qui Bedæ falso tribuitur; atque is queritur ab aliquo illa esse mutata qui ea « vel non intelligeret, vel nova de more suo vellet invenire [2]. » Sic etiam a Nicolao Cusano citantur in primo *de Docta ignorantia* [3]. Sed utcumque legentur, satis hoc demonstrant, æternitatem Patri tanquam propriam assignari : « quod scilicet Pater non habet Patrem de quo sit, Filius autem de Patre est ut sit atque ut illi coæternus sit, » ut illic ait Augustinus.

Infectum. Ingenitum.

Nam et ἀγένητον vel potius ἀγέννητον late sumptum pro eo quod originis est expers, Patri solet attribui. Hoc igitur idem erit atque æternum. Majori hæc subtilitate tum ab Nicolao Cusano, tum a Boetii scholiaste declarantur, quos consulere quisque potest.

VII. Ut igitur potentia et sapientia et charitas dupliciter usurpantur a theologis; atque ut absolute spectantur et secundum substantiam, communes sunt ex æquo personis tribus, ut autem relative et secundum producentis ac producti notiones accipiuntur, singularum sunt personarum propriæ singulæ; sic infinitas atque æternitas partim tribus communes sunt, partim uni congruunt qui solus « est in sese, non aliunde quod est sumens, sed id quod est, ex se atque in se continens, » ut ibidem Hilarius scribit. De qua æternitate loquens rabbi Moses Maiemonides in libro I *More Nebochim*, capite LVII definit eam, ut sit « æternum id quod nullam habet originem [a]. » Velut ejus scholiastes rabbi Aphodi melius sentit « quod existentiæ suæ causam non habet [b].»

Verum omissa notione et habitudine quæ communem tribus æternitatem addicit uni, sic eam deinceps contemplabimur tanquam omnibus ex æquo congruentem et cum essentia complexam. Quam quidem necessario cum divinitatis intelligentia conjunctam esse merito dictum est a Philone in libro *de Hominum dilectione*, hoc est περὶ φιλανθρωπίας sub initium : « Nullus qui factus sit, vere Deus est, ait, sed opinione sola, ut qui eo quod præcipuum maximeque necessarium est careat æternitate [c]. » Hoc igitur vix argumentatione probare attinet. Res est enim neque dubia, neque ad notitiam assensumque difficilis et a nobis scilicet iisdem ante rationibus confecta quibus Deum in rebus esse aliquem ostendimus. Non pigebit tamen unum alterumve hic argumentum reddere, quo sine ullo initio perpetuo Deum extitisse monstretur.

Variis de- monstrat argumen- Deum es- æternum

Horum primum ex communi quam a natura omnes habemus intelligentia Dei cum Tertulliano mutuabimur : « Quantum, inquit, humana conditio de Deo definire potest, id definio quod et omnium conscientia agnoscit : Deum summum esse magnum in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Hunc enim statum æternitati censendum, quæ summum magnum Deum efficiat, dum hoc est in Deo ipsa, atque ita et cætera; ut sit Deus summum magnum et forma et ratione et vi et potestate [4]. » Nam cum Deus id sit quo ne fingi quidem majus aliquid possit, aut perfectius, talis nequaquam esset si non ex æterno fuisset. Alterum ab Hugone Victorino [5] et Richardo ejusdem alumnis familiæ proditum ita se habet [6]. « Si enim aliquando non fuit Deus, a seipso initium non habuit, » inquit Hugo. Igitur ab alio originem cepit. Idque in infinitum usque procedet, nisi in aliquo sistat nostra cogitatio quod ex omni æternitate sic fuerit ut a nullo initium acceperit. Hoc autem Deus est. Præterea si Deus ex æterno non fuit, vel aliud quiddam ante hunc extitit vel nihil. Si aliquid aliud fuit, hoc erit Deo melius ac præstantius, quod cum Dei communi notione pugnat; si nihil omnino fuit, ne futurum quidem tunc aliquid fuit, ut ait Richardus, « quia qui sibi vel aliis initium existendi daret vel potuisset dare, tunc omnino non fuit. Quod quam falsum sit, ipsa evidentia ostendit et rerum existentium experientia convincit. »

a Ramb. שנאמר קדמון להורות על שהוא בלתי מחדש.

b Rabbi Aphodi ad cap. 58. *More*. וכשנתארהו בקדמון הכונה שאין למציאתו סבה.

c Philo. Περὶ φιλανθρωπίας page 476, edit. Turn. Γεννητὸς γὰρ οὐδεὶς ἀληθείᾳ θεὸς, ἀλλὰ δόξῃ μόνον, τὸ ἀναγκαιότατον ἀφῃρημένος ἀϊδιότητα.

1 Lib. VI. *de Trinit.* cap. X. — 2 Tom. 6. oper. Bed. — 3 Cap. XXVI. — 4 Lib. I. *con. Marcion.* cap. III. — 5 Lib. VII. *Erud. theolog.* cap. XVII. — 6 Lib. I. *de Trinit.* cap. VIII.

VIII. Tertium argumentum ex Mario Victorino petemus : « Quod a se vivit, inquit, ex æterno et in æternum vivit. Nunquam enim se deserit, quod sibi causa est ut hoc ipsum sit quod existit[1]. » Igitur quoniam a se est Deus, nunquam non esse potuit. « Quod enim a semetipso est, ait Hugo, non esse non potest. Quidquid enim a semetipso est, huic idem est esse et id quod est, et constat quia nulla res a semetipsa dividi et separari potest. Cui igitur idem est esse et id quod est, necessario semper est, quia a semetipso separari nihil potest. Si igitur quidquid a semetipso est, huic idem est esse et id quod est, qui aliunde esse non accepit, sequitur necessario ut semper sit, utque aliunde auferri non possit quod aliunde datum non sit. » Huc etiam refertur quod alibi demonstratum est, Deum esse id quod est : « Illius est autem esse qui semper est[2], » ait Ambrosius. Ideo tam hic quam cæteri Patres quos illic adduximus, ex iis verbis quibus Mosem allocutus est Dominus cum dixit : *Ego sum, qui sum*[3], Dei æternitatem colligunt. Quibus adjungendus est modo Cassianus qui in quinto libro *de Incarnatione* de iis ipsis verbis *Ego sum, qui sum,* scribit sic : « Admirabili utique divinæ naturæ æternitatem sermonis magnificentia prædicavit, quia nihil de Deo tam conveniens dici potest quam ut semper esse dicatur, quia esse nec præteriti initium nec futuri terminum habet. Et ideo aptissime hoc de æterni Dei natura dicitur, quod æternitati optime coaptatur[4]. »

Et Augustinus initio libri *de Natura boni contra Manichæos :* « Summum bonum quo superius non est, Deus est, ac per hoc incommutabile bonum est, et ideo vere æternum et vere immortale. » Cyrillus quoque τὸ ἀΐδιον interpretatur « id quod semper est et eodem modo se habet[a]. » Nec alio refer quod alii idcirco Deum æternum esse dicunt, quoniam est simplex, ut Zacharias Mitylenæus qui illum ait « incorruptum esse, immortalem et eodem modo semper habentem, utpote simplicem et non compositum et unum[b]. »

His egregie suffragatur Plotinus qui de ente, vero utique proprieque dicto agens negat « aliud esse ens, aliud semper ens, quemadmodum non est aliud philosophus, aliud philosophus verus. » Ideo « quod semper dicitur, sic accipiendum est, quasi vere ens dicatur[c]. »

IX. Etsi autem *æternitatis* nomen nondum acrius in illud inquirentibus hoc unum videatur exprimere, quod est ante tempus omne, atque adeo si quid ex æterno condidisset Deus (quod utrum creatæ rei natura patiatur paulo post videro) idipsum appellari possit æternum, plurimum tamen ab vera Deique propria, creata, ut ita dixerim æternitas illa distaret; quemadmodum eadem æternitas cum secundum id quod posterius est, cum angelis, aliisque communicetur, non eodem illis modo convenit ac Deo. Utriusque porro situm in eo discrimen est, imprimis quod licet creata quæpiam res ex æterno sit, non id habet ex sese sed alterius ex arbitrio, quasi contingens et adventitium. Quocirca uti Scripturæ ac Patres immortalitatem soli adscribunt Deo, tametsi pleraque alia nunquam interitura sciant, quod iste ipse finis expers status aliena ex voluntate pendet, a quo interimi extinguique possunt (ideo mortales absolute ab nonnullis angeli animæque dicuntur) sic quodcumque tandem erit illud quod ex æterno procrearit Deus, nequaquam æternum optimo illo et absoluto jure censebitur. Quare ut Boetius verissime scripsit, « Deus conditis rebus antiquior videri non debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ[5], » cui hoc insitum ac singulare est, ut necessario sit atque et ex æterno fuerit et non esse non possit. Hoc vero creata res non capit, quamvis eam ex omni fingamus æternitate constare. Hinc auctor libri *de Causis* « esse quod est ante æternitatem, appellat causam primam, quoniam est causa ei, » tanquam æternitatem quamlibet alteram divina illa quæ ejus est causa, superet et excellat, quemadmodum posteriorem ut ita dixerim ætornitatem, hoc est immortalitatem

a Cyril. dial. 4. Καὶ ἡ ἀεί τε, καὶ ὡσαύτως ἔχουσα δύναμις· τοῦτο γὰρ τὸ ἀΐδιον.

b Zachar. *de Mundi opif.* p. 475. edit. in-4. Ἔτι δὲ αὖ ἀνόλεθρον, καὶ ἀθάνατον, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχον, ὡς ἁπλοῦν, καὶ ἀσύνθετον, καὶ ἕν.

c Plotin. *Enn.* 3. lib. VII. c. v. Οὐ γὰρ ἄλλο μὲν ἐστιν ὄν, ἄλλο δὲ τὸ ἀεὶ ὄν· ὥσπερ οὐδ' ἄλλο μὲν φιλόσοφος, ἄλλο δὲ ὁ ἀληθινός, etc. διὸ ληπτέον τὸ ἀεί, οἷον ἀληθῶς ὂν λέγεσθαι.

1 Lib. IV. *con. Arium.* — 2 Lib. X. in *Luc.* cap. XXIII. — 3 *Exod.* III. 14. — 4 Cap. VIII. — 5 Lib. V. *de Consol.* pro. 6.

vincit immortalitas Dei, qui, ut Ambrosius ait, « omnem antiquitatem temporum antecedit æternitate, consumit longævitate[1]. »

CAPUT IV.

Duæ aliæ dotes æternitatis divinæ declarantur. Prior est ut tota simul sit sine omni temporis differentia, quæ variis antiquorum testimoniis illustratur tam gentilium, quam christianorum. Omnia in Dei æternitate esse præsentia. Cur verbo erat *usus sit evangelista. Posterior æternitatis conditio est immortalitas, Explicatur ergo Dei immortalitas: cur ei soli tributa sit, ut et æternitas. Anima quomodo mortalis dicitur. Vitam illius esse Deum.*

Æternitas successione caret.

I. Quantamlibet ævi perpetuitatem et infinitatem præcipua quadam dote Dei superat æternitas, quod successione caret omni neque per partes evolvitur. Non enim præteriti, præsentis ac futuri differentiam habet, sed in puncto ac momento consistens mutationem et vicissitudinem ignorat. Hæc ex tribus æternitatis divinæ conditionibus quas superiori mihi capite proposui, ordine est secunda. Cujus explanandæ initium a Boetii definitione capiam. « Æternitas, inquit, est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio[2]. » Quam consensu probatam omnium celebremque definitionem, comparatione cum tempore facta sic explicat. « Nam quidquid vivit in tempore, id præsens a præteritis in futura procedit, nihilque est in tempore constitutum quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit, hesternum vero jam perdidit, in hodierna quoque vita non amplius vivitis quam in illo mobili transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud (sicut de mundo censuit Aristoteles) nec cœperit unquam esse nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licet vitæ spatium comprehendit atque complectitur, sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui nec futuri quidquid absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur. Idque necesse est et sui compos præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde quidam non recte, qui cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium nec habiturum esse finem, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit, aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. »

Idque gentilium philosophorum placiti approbatur.

II. Huic æternitatis divinæ conditioni primum adstipulatores dabo exteros philosophos, orsus a Platone qui « id quod semper est neque ortum habet, eodem semper modo habere[a] » dicit, hoc est ut Proclus enarrat, « procul esse ab omni vicissitudine temporis[b]. » Præclarum et illud ejusdem est Platonis : « errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis erat et erit, in æternam substantiam imprudentes transferunt. Dicimus enim de illa erat, est et erit. Sed illi revera solum est competit, at erat et erit ad generationem quæ in tempore procedit, referri convenit. Motus enim sunt. Quod autem semper eodem modo se habet immobiliter, neque vetustius neque recentius esse unquam oportet, neque nunc fuisse, neque deinceps fore, ac nihil eorum penitus quæ generatio iis affinxit quæ sub sensus feruntur. Verum temporis æternitatem imitantis et secundum numerum circumvoluti species ista sunt[c]. »

Declarat hæc in secundo *Commentariorum*

a Plato in *Timæo*. Τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, etc. ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὄν.

b Procl. lib. II. in *Timæo*. Ὅτι δεῖ τὸ ἀεὶ ὂν ἐφ' ἑαυτοῦ νοεῖν πόῤῥω τῆς κατὰ χρόνον μεταβολῆς.

c Plato. Ταῦτα δὲ πάντα μέρος χρόνου, καὶ τὸ τ' ἦν, τὸ τ' ἔσται χρόνου γεγονότος εἴδη φέροντες λανθάνομεν ἐπὶ τὴν ἀΐδιον φύσιν, οὐκ ὀρθῶς· λέγομεν γὰρ δὴ, ὡς ἦν, ἔστι τε, καὶ ἔσται· τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον, κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον, προσήκει· τὸ δὲ ἦν, τὸ τε ἔσται περὶ τὴν ἐν χρόνῳ γένεσιν ἰοῦσαν πρέπει λέγεσθαι· κινήσεις γὰρ ἐστόν· τὸ δὲ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀκινήτως, οὔτε πρεσβύτερον, οὔτε νεώτερον προσήκει γίγνεσθαί ποτε, οὐδὲ γεγονέναι νῦν, οὐδ' εἰσαῦθις ἔσεσθαι· τὸ παράπαν τε οὐδὲν ὅσα γένεσις τοῖς ἐν αἰσθήσει φερομένοις προσῆψεν· ἀλλὰ χρόνου ταῦτα αἰῶνά τε μιμουμένου, καὶ κατ' ἀριθμὸν κυκλουμένου, γέγονεν εἴδη.

1 Lib. *de Sym.* cap. XII. — 2 Boet. lib. V. *de Consol.* prosa 6.

ad Timæum Proclus, ubi inter alia differre ait hoc quod dicitur *semper* temporale ab æterno : « Hoc enim simul et confertim est totum, illud vero cum tota perpetuitate temporis extenditur infinitumque est : atque hoc quidem in eo quod est nunc, consistit, alterum autem in quodam intervallo quod nunquam desinit et semper existit[a]. »

Plotinus sectæ Platonicæ coryphæus multis in locis de æternitate illa sive αἰῶνι qui Deo proprie convenit, imo Deus est, orationem instituit, quem etiam definit[b], ita ut « vita sit infinita eo ipso quod tota simul consistit nihilque amittit, cum nihil præterierit vel sit futurum, alioqui jam tota non esset[c]. » Sic paulo ante dixit αἰῶνα secundum στάσιν id est *statum* usurpari, quemadmodum tempus secundum motum, et in unitate consistere ac nullum spatium aut extensionem habere[d]. Et in secundo capite, *finem* illum vocat *individuum, cujus omnia sunt in puncto*[e]. Quod sane consentaneum est ei quod ex Aristotele supra commemoravimus, αἰῶνα finem esse qui infinitatem omnem complectitur[1]. Herennius item ex eadem Platonis secta : « Æonem ait partim infinitum esse, partim finem ac terminum. Nam quatenus nunquam deficiens est vitæ principium et vis perpetuitatem suppeditans, est infinitus. Ut autem mensura est intelligibilis omnis operationis ac terminus vitæ mentis ex alto eam terminans, finis est[f]. »

III. Rursus idem Plotinus quinto capite libri septimi quamplurima de eodem argumento et eximia pertexit, ostenditque cum in unitate positum esse, tum non habere aliud atque aliud, neque intervallum aliquod nec evolutionem aut extensionem, non prius aut posterius[2].

Plutarchus item in libro de Eἶ apud Delphos hunc locum illustrat, Deum esse dicens solum eum qui vere sit, hoc enim ejusmodi esse « quod æternum est, innatum et incorruptum[g], tempus vero proprie non existere, cujus partes sunt præteritum et futurum, quæ non sunt. Itaque non possunt hæc dici de Deo. « Sed est Deus, si ita loqui fas est, et est in nullo tempore, sed in æternitate immobili et indeclinabili, cujus nihil est prius, nihil posterius, neque futurum, neque præteritum, ac solum est per se revera ens quod neque fuit, neque futurum est, neque cœpit, neque desiturum est[h]. »

Est et Numenii Pythagorei pulcherrima de æternitate Dei sententia apud Eusebium his verbis : « Ens, inquit, de eo loquens quod est vere[3], neque erat aliquando neque erit aliquando, sed est semper in definito tempore, solo nempe præsenti. Hoc igitur præsens tempus si quis æonem appellare vult, me quidem auctore faciet[i]. » Rursus : « Et ens æternum est ac stabile, semper in eodem statu perseverans[k]. » Mox nullam in illud cadere mutationem ait : « quin potius consistet ac firmum erit et stabile, eodem modo semper habens[l]. » Quo sensu æternitatem paulo ante

a Proclus. Ἄλλο γὰρ τὸ ἀεὶ τὸ χρονικὸν, καὶ ἄλλο τὸ αἰώνιον· τὸ μὲν ἀθρόως πᾶν ὄν· τὸ δὲ τῇ ὅλῃ συνεχείᾳ τοῦ χρόνου συνεκτεινόμενον, καὶ ἄπειρον· καὶ τὸ μὲν ἐν τῷ νῦν, τὸ δὲ ἐν διαστάσει, τῆς διαστάσεως ἀκαταλήκτου τυγχανούσης, καὶ ἀεὶ γιγνομένης.

b Plotin. *Enn.* 3. lib. VII. cap. iv. Ὅθεν σεμνὸν ὁ αἰὼν, καὶ ταὐτὸν τῷ θεῷ ἡ ἔννοια λέγει· λέγει δὲ τούτῳ (for. ταὐτὸν) τῷ θεῷ· καὶ καλῶς ἂν λέγοιτο ὁ αἰὼν θεὸς, ἐμφαίνων, καὶ προφαίνων ἑαυτὸν, οἷός ἐστι τὸ εἶναι, ὡς ἀτρεμὲς, καὶ ταὐτόν.

c Mox : Καὶ εἴ τις οὕτως τὸν αἰῶνα λέγοι ζωὴν ἄπειρον ἤδη τῷ πᾶσαν εἶναι, καὶ μηδὲν ἀναλίσκειν αὐτῆς, τῷ μὴ παρεληλυθέναι, μηδ' αὖ μέλλειν· ἤδη γὰρ οὐκ ἂν εἴη πᾶσα· ἐγγὺς ἂν εἴη τοῦ ὁρίζεσθαι.

d Idem, cap. i. Τὸν αἰῶνα οὐ μόνον ἐν στάσει δεῖ νοεῖν, ἀλλὰ καὶ ἐν ἑνὶ, εἶτα καὶ ἀδιάστατον· ἵνα μὴ ταὐτὸν ᾖ χρόνῳ.

e Idem, cap. ii. Ἀλλὰ τέλος ἀμερὲς, οἷον ἐν σημείῳ ὁμοῦ πάντων ὄντων.

f Heren. Αἰὼν γὰρ ὁμοῦ καὶ ἄπειρός ἐστιν, ὡς εἴρηται, καὶ πέρας· καθὸ μὲν γὰρ ἀνέκλειπτος, ζωῆς ἐστιν αἴτιος, καὶ ὡς δύναμις τοῦ ἀεὶ χορηγὸς, ἄπειρός ἐστιν· καθὸ δὲ μέτρον ἐστὶ πάσης νοερᾶς ἐνεργείας, καὶ ὅρος τῆς νοῦ ζωῆς ἄνωθεν αὐτὸν ὁρίζων, πέρας ἐστί.

g Plutarch. Τί οὖν ὄντως ὄν ἐστι; τὸ ἀΐδιον, καὶ ἀγέννητον, καὶ ἄφθαρτον, ᾧ χρόνος οὐδεὶς μεταβολὴν ἐπάγει.

h Idem : Ἀλλ' ἔστιν ὁ θεὸς, εἰ χρὴ φάναι, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα χρόνον· ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν ἀκίνητον, καὶ ἄχρονον, καὶ ἀνέγκλιτον, καὶ οὗ πρότερον οὐδέν ἐστιν, οὐδὲ ὕστερον, οὐδὲ μέλλον, οὐδὲ παρῳχημένον, παὶ μόνον ἐστὶ τὸ κατ' αὐτὸ ὄντως ὂν, οὐδὲ γεγονὸς, οὐδὲ ἐσόμενον, οὐδὲ ἀρξάμενον, οὐδὲ παυσόμενον.

i Numen. Τὸ ὂν οὔτε ποτὲ ἦν, οὔτε ποτὲ μὴ γένηται· ἀλλ' ἔστιν ἀεὶ ἐν χρόνῳ ὡρισμένῳ, τῷ ἐνεστῶτι μόνῳ· τοῦτον μὲν οὖν τὸν ἐνεστῶτα εἴ τις ἐθέλει καλεῖν αἰῶνα, κἀγὼ συμβουλεύω.

k Mox : Τό τε ὂν ἀΐδιόν τε, βέβαιόν τέ ἐστιν ἀεὶ κατὰ ταὐτὸν, καὶ ταὐτόν.

l Idem. Ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἐστήξεται, καὶ ἀραρός τε, καὶ ἑστηκὸς ἔσται, κατὰ ταὐτὰ ἔχον ἀεὶ, καὶ ὡσαύτως.

1 In *Metaph.* nondum editus. — 2 Vide et *Enn.* 6. lib. V. cap. xi. — 3 Lib. XI. *de Præp. evang.*

citatus a nobis Herennius ἑστῶσαν ἀπειρίαν, id est, *stantem infinitatem* nominat.

Sic apud Ammonium Parmenides in versibus « nihil esse penes deos aiebat neque præteritum neque futurum, quod utrumque sit non ens, quoniam alterum non est amplius, alterum nondum est, ac prius mutatum est, posterius natura mutabile est. Ejusmodi autem iis quæ vere sunt et mutationem ne cogitatione quidem tenus admittunt, impossibile est affingere. Necesse est enim anterius id esse quod omnino immutabile est, eo quod utcumque mutatur, ut in mutatione perseveret. Quare in diis qui ad entia rationem habent principii, præteritum, futurumve contemplari non possumus, sed omnia quæ apud illos sunt, in uno nunc, videlicet æone, stabilita sunt. Quippe temporis mensuræ una cum universitatis existentia sese produnt, ac sola metiuntur illa quæ vel subsistunt vel operantur in tempore[a]. »

Philo Judæus in tractatu *de Immutabilitate Dei :* « Nihil, inquit, apud Deum est futurum, qui temporis extrema sub se habet. Etenim non tempus, sed archetypum temporis et exemplar æternitas est ipsorum vita. Porro in æternitate neque præteritum est aliquid neque futurum, sed solum est id quod existit[b]. »

IV. Hæc ex innumeris pauca Gentilium, vel minime Christianorum testimonia sufficiunt. Nostrorum autem non minor est copia, qui idem de æternitate sentientes definitionem ejus illam approbant, quam ex Boetio supra memoravi. Quæ æternitatem successione omni vacuam differentiaque temporis facit, ac nullas in ea partes constituit, sed simul esse universam et in puncto ac momento consistere docet. Sed ne longa et odiosa sit velut in judiciis sic in theologica hac tractatione tot testium appellatio, circumscripta multitudine, certos duntaxat qui mihi ad manum modo sunt, producemus in medium.

Quorum agmen ducet Tertullianus. Cujus de æternitate verba sunt ista : « Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus si est vetus, non erit; si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus ab initio et fine est, quam a tempore, arbitro, et metatore initii et finis[1]. » Item ex Patr[…] sentient[…]

Gregorius Nazianzenus oratione octava et tricesima : « Deus, inquit, et erat semper et est et erit, vel ut rectius loquar, semper est. Nam erat et erit, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat cum in monte Mosi oraculum dedit. Universum enim id quod est in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum[c]. » Hæc Nazianzenus, quæ totidem verbis repetit in oratione quadragesima secunda. Quem locum commentario suo declarat Nicetas[2].

V. Gregorius item Nyssenus de æternitatis divinæ proprietate ista longam et eruditam orationem explicat in primo adversus Eunomium, ac supra αἰῶνας omnes in infinitum porrigi ait intervalli omnis et extensionis expertem, de quo æonum genere postea disserendum erit, ac demum concludit sic : « At vero nullius egens illa et æterna et omnia quæ sunt complexa natura, neque in loco est neque in tempore. Sed ante hæc et super hæc inexplicabili quadam ratione, ipsa in se sola fide conspicitur neque sæculis circumscripta, neque cum temporibus decurrens, sed in seipsa consistens, et in seipsa fundata et stabilita, neque cum præterito neque cum Æona[…]

a Ammon. in lib. *de Interpret.* Οὐδέν ἐστι παρὰ τοῖς θεοῖς οὔτε παρεληλυθὸς, οὔτε μέλλον, οὔτε (for. ὅτι) τούτων μὲν ἑκάτερον οὐκ ὂν, τὸ μὲν, οὐκέτι· τὸ δὲ, οὔπω· καὶ τὸ μὲν μεταβεβληκὸς, τὸ δὲ πεφυκὸς μεταβάλλειν· τὰ δὲ τοιαῦτα τοῖς ὄντως οὖσι, καὶ μεταβολὴν οὐδὲ κατ' ἐπίνοιαν ἐπιδεχομένοις προσαρμόττειν ἀμήχανον· προηγεῖσται γὰρ ἀνάγκη τὸ παντελῶς ἀμετάβλητον τοῦ ὁπωσοῦν μεταβάλλοντος, ἵνα καὶ μένῃ μεταβάλλον· ὥστε ἐπὶ θεῶν ἀρχῆς ἐχόντων πρὸς τὰ ὄντα λόγον, τὸ παρεληλυθὸς, ἢ τὸ μέλλον θεωρεῖσθαι ἀδύνατον· ἀλλὰ πάντα παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ τῷ νῦν ἐστι τῷ αἰῶνι ἱδρυμένα· τῶν χρονικῶν μέτρων ἅμα τῇ ὑποστάσει τοῦ παντὸς ἀναφαινομένων, καὶ μόνα μετρούντων τὰ κατὰ χρόνον ἔχοντα ἢ τὴν ὑπόστασιν, ἢ τὴν ἐνέργειαν.

b Philo. Ὥστε οὐδὲν παρὰ θεῷ μέλλον, τῷ καὶ τὰ τῶν χρόνων ὑπηγμένῳ πέρατα· καὶ γὰρ οὐ χρόνος, ἀλλὰ τὸ ἀρχέτυπον τοῦ χρόνου, καὶ παράδειγμα αἰὼν, ὁ βίος ἐστὶν αὐτῶν· ἐν αἰῶνι δὲ, οὔτε παρελήλυθεν οὐδὲν, οὔτε μέλλει, ἀλλὰ μόνον ὑφέστηκεν.

c Greg. Θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται· μᾶλλον δέ ἐστιν ἀεί· τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔσται τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τμήματα, καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως· ὁ δὲ ὢν ἀεί· καὶ τοῦτο αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζει τῷ Μωϋσεῖ χρηματίζων ἐπὶ τοῦ ὄρους· ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον.

1 Lib. I. *con. Marcion.* cap. VIII. — 2 Ad orat. 38. n. 11.

uturo consideratur [a]. » Paulo post vero : « Illi autem sublimi et beatæ virtuti cui omnia secundum præsens semper adsunt, etiam id quod futurum est, ob infinitam illam comprehendendi vim inesse consideratur [b]. »

Dionysius vero passim idem de æternitate prædicat. Ut in quinto capite *de Divinis nominibus* : « Ac nec erat nec erit, inquit, neque factus est, neque fiet. Imo potius nec est quidem. Sed ipse est esse iis quæ sunt. Nec est solum entia, sed ipsum esse eorum quæ ex illo sunt, qui est ante sæcula. Ipse enim est sæculum sæculorum, qui ante sæcula existit [c]. » Dionysium Maximus ut solet sequitur in scholiis ad illum locum, ex quibus hic pauca seligam : « Quod enim ait *neque erat neque erit, sed est tantum*, hoc stans esse obtinens eo quod non mutetur in *erit*, neque mutatum est ab eo quod est, hoc ipsum est αἰών. Non enim ea tantummodo quæ sunt, adesse oportet universo ac toti, sed etiam nihil ejus quod aliquando non fuit. Non enim accessio facta est ad ipsum rei alicujus quæ antea non erat [d]. » Ac subinde æonem appellat « infinitam vitam, eo quod tota jam sit, neque quidpiam sui consumat prætereundo, neque porro futurum sit aliquid. Tum illud infinitum esse quod non deficit, neque aliquid consumit sui. »

Zacharias item Mitylenæus in dialogo *de Mundi opificio* « propriam divinitatis notam esse æternitatem, atque hoc præstantissimum maximeque consentaneum beatissimæ illi naturæ præconium, si eam prædicemus in æternum existere ac solum immutabiliter, nullius eorum quæ facta sunt, indigentem, eo quod perfecta sit ac sibi sufficiens et eodem modo semper habeat, simpliciter et uno modo, ac neque principium habeat ullum neque terminum [e]. »

VI. Augustinus quoque de æterna increataque sapientia : « Et ipsa, inquit, non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper, cum potius fuisse et futurum esse, non est in ea, sed esse solum quoniam æterna est. Nam fuisse et futurum esse, non est æternum [1]. » Et alibi : « Quis tenebit illud (cor humanum) et affiget illud, ut paululum stet et paululum rapiat splendorem semper stantis æternitatis, et comparet cum temporibus nunquam stantibus, et videat esse incomparabilem; et videat longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus qui simul extendi non possunt, longum non fieri, non tamen præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens, nullum vero tempus totum esse præsens : et videat omne præteritum propelli ex futuro, et omne futurum ex præterito consequi, et omne præteritum ac futurum ab eo quod semper est præsens, creari et excurrere [2] ? »

Et postea [3] : « Sed præcedis omnia tempora præterita celsitudine semper præsentis æternitatis, et superas omnia futura, quia et illa futura sunt, et cum venerint, præterita erunt : *Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* Anni tui nec eunt nec veniunt. Isti enim nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant quoniam stant, nec euntes a venientibus excluduntur quia non transeunt; isti autem nostri omnes erunt, non omnes non

a Nyss. lib. I. *con. Eunom.* Ἡ δὲ ἀπροσδεὴς, καὶ ἀΐδιος, καὶ τῶν ὄντων ἐμπεριεκτικὴ φύσις, οὔτ' ἐν τόπῳ ἐστὶν, οὔτε ἐν χρόνῳ· ἀλλὰ πρὸ τούτων, καὶ ὑπὲρ ταῦτα κατὰ τὸν ἄφραστον λόγον αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς διὰ μόνης πίστεως θεωρεῖται, οὔτε αἰῶσι παραμετρουμένη, οὔτε χρόνοις συμπαρατρέχουσα, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσα, καὶ ἐν ἑαυτῇ καθιδρυμένη, οὔτε παρῳχηκότι, οὔτε τῷ μέλλοντι συνθεωρουμένη.

b Mox : Ἐκείνῃ δὲ τῇ ὑψηλῇ, καὶ μακαρίᾳ δυνάμει, ᾗ πάντα κατὰ ἐνεστὼς ἀεὶ πάρεστιν ἐπίσης, καὶ τὸ προσδοκώμενον· ὑπὸ τῆς περιεκτικῆς πάντως δυνάμεως ἐγκρατούμενα καθορᾶται· for. ἐγκρατούμενον.

c Dion. Καὶ οὔτε ἦν, οὔτε ἔσται, οὔτε ἐγένετο, οὔτε γίνεται, οὔτε γενήσεται· μᾶλλον δὲ οὔτε ἐστίν· ἀλλ' αὐτός ἐστι τὸ εἶναι τοῖς οὖσι, καὶ οὐ τὰ ὄντα μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τῶν ὄντων ἐκ τοῦ προαιωνίως ὄντος· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ αἰὼν τῶν αἰώνων, ὁ ὑπάρχων πρὸ τῶν αἰώνων.

d Maxim. in lib. V. *de Divin. nom.* Ὅπερ γὰρ μήτε ἦν, μήτε ἔσται, ἀλλ' ἔστι μόνον, τοῦτο ἑστὼς ἔχον τὸ εἶναι, τῷ μὴ μεταβάλλειν εἰς τὸ ἔσται μήτ' αὖ μεταβεβληκέναι ἀπὸ τοῦ ἐστὶ, τοῦτό ἐστιν αἰών· οὐ γὰρ μόνον τὰ ὄντα πάντα δεῖ παρεῖναι τῷ παντὶ, καὶ ὅλῳ, ἀλλὰ καὶ τὸ μηδὲν τοῦ ποτε μὴ ὄντος, οὐδὲ γάρ τι προσγέγονεν αὐτῷ μὴ ὂν πρότερον, etc. Mox : Εἴ τις οὐ οὕτω τὸν αἰῶνα λέγοι ζωὴν ἄπειρον τῷ πᾶσαν ἤδη εἶναι, καὶ μηδὲν ἀναλίσκειν αὐτῆς τῷ παρεληλυθέναι, μηδ' αὖ μέλλειν, οὐκ ἂν εἴη πᾶσα· ἐγγὺς δὲ ἂν εἴη τοῦ ὁρίζεσθαι τί ἐστιν αἰών· ἐκεῖνο γοῦν ἐστιν ἄπειρον, τὸ μὴ ἐπιλεῖπον· καὶ τοῦτο κυρίως ὅτι μηδὲν ἑαυτοῦ ἀναλίσκει.

e Zachar. tom. I. Biblioth. Patrum. Τί δ' ἂν εἴη ἀξιάγαστον, καὶ πρέπον τῇ μακαρίᾳ φύσει, ἢ τὸ ἀϊδίως δοξάζειν αὐτὴν εἶναι καὶ μόνην ἐν ἀτρεψίᾳ, οὐδενὸς δεομένην τῶν γεγενημένων, διὰ τὸ τελείαν εἶναι, καὶ αὐτάρκη, ἀεί τε ὡσαύτως ἔχειν, ἁπλῶς καὶ ἑνοειδῶς, καὶ μήτε ἀρχὴν ἔχειν οὐδεμίαν, μηδὲ αὖ τελευτήν.

1 Lib. IX. *Confess.* cap. x. — 2 Lib. XI. *Confess.* cap. xi. — 3 Cap. xiii. ejusd. lib. et cap. vii. ejusd. lib. XI. *Confess.*

erunt. Anni tui dies unus, et dies tuus non quotidie sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino neque succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas. Ideo coæternum genuisti cui dixisti : *Ego hodie genui te*[1]. » Sic in tractatu ad eumdem Psalmum, secundum, vocem *hodie* ad æternitatem refert, quæ præsentiam significat. Tum in tractatu ad octogesimum nonum et in libro *Octoginta trium Quæstionum*, quæstione decima-septima ac decima-nona, nec non tractatu XCIX *in Joannem* et sermone XXIV *de Diversis*. Huic consentaneum est quod in *Catena Græca in Psalmos* legitur, vocem « *hodie* humanis in rebus præsens significare tempus. (Porro præsens apud nos ex eorum genere est quæ ad aliud dicuntur, quippe futurum et præteritum tacite exprimit.) At in Deo ubi tempus minime consideratur, tolluntur una tres significationes, præsentis, inquam, futuri et præteriti. Significat igitur in illo vox *hodie*, idem quod simul et coæternum ac prorsus inseparabile[a]. »

VII. Gregorius Magnus : « Dies quoque et anni hominis ait a diebus et annis discrepant æternitatis, quia vitam nostram quæ tempore incipitur, tempore finitur, dum intra sinus sui latitudinem format, æternitas devorat. Cujus nimirum immensitas quia ultra citraque super nos tenditur, sine inchoatione et termino ejus æternum esse dilatatur, eique nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura quasi quæ non appareant, desunt, quia is qui semper esse habet, cuncta sibi præsentia conspicit, cumque aspiciendo post et ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur[2]. » Et rursus libro XVI *Moralium*, capite XX : « Ibi quippe *est*, ait, quod nec initio incipitur nec fine terminatur, ubi neque expectatur quod veniet, neque percurrit quod debeat recordari, sed est unum quod semper esse est. » Et paulo post : « Æternitas semper esse habet, in qua nulla pars suæ longitudinis præterit ut pars alia succedat, sed totum simul esse est et nihil deest quod cernat. » Et libro XX capite XXIII : « In illo enim nec præterita nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quæ in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo præterit quod transit, quia in æternitate ejus modo quodam incomprehensibili cuncta volumina sæculorum transeuntia manent, currentia stant. » Quod Prosper epigrammate primo et quadragesimo ita cecinit :

Utque locis præsens simul est Deus omnibus [unus,
Sic rerum metas secum habet et numeros.
Nec serum aut properum sibi sentit in ordine [rerum,
Cui cuncta assistunt acta et agenda simul.

Et Isidorus in primo libro *Sententiarum :* « Omnia tempora præcedit divina æternitas, nec in Deo præteritum, præsens, futurumve aliquod creditur, sed omnia præsentia in eo dicuntur quia æternitate sua cuncta complectitur ; alioqui mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum adscribantur[3]. » Petrus Damiani *Opusc.* XXXVI, cap. VIII : « Omnipotenti itaque Deo, inquit, non est heri vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil defluit, nihil accedit, cui nihil est varium, nihil a se diversum. Illud hodie æternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui, et omnia quæ apud nos elabendo discurrunt aut per temporum vicissitudines se variant, apud illum hodie stant et immobiliter perseverant. In illo scilicet hodie dies ille adhuc immobilis est in quo mundus iste sumpsit originem, in illo jam et ille nihilominus est, quo judicandus est per æterni judicii æquitatem. Neque enim in eam lucem quæ sine accessu ea quæ elegit, et illustrat, et sine recessu ea quæ respuit, deserit, defectus mutabilitatis venit, quia in semetipso permanens immutabilis mutabilia cuncta disponit. Sicque in se transeuntia condidit, ut apud se quæ condita sunt transire nequaquam possint. Nec tempus intus in conspectu ejus defluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit. Unde fit ut in æternitate ejus omnia fixa permaneant, quæ non sita extrinsecus sæculorum volumina in-

a Cat. Græc. a P. Cord. edita. Τὸ δὲ σήμερον ἐπὶ μὲν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων τὸν ἐνεστῶτα μηνύει χρόνον (ἀλλ' ὁ παρ' ἡμῖν ἐνεστὼς τῶν πρός τί ἐστι· συσσημαίνει γὰρ καὶ μέλλοντα, καὶ παρελθόντα·) ἐπὶ δὲ γε τοῦ Θεοῦ, ἔνθα χρόνος οὐ θεωρεῖται, συναναιροῦνται καὶ αἱ τρεῖς σημασίαι, τοῦ ἐνεστῶτος, καὶ μέλλοντος, καὶ παρεληλυθότος φημί· σημαίνει οὖν ἐπ' αὐτοῦ τὸ σήμερον, τὸ ἅμα, καὶ τὸ συναΐδιον, καὶ τὸ παντελῶς ἀδιάζευκτον.

1 *Psal.* II. 7. — 2 Lib. IX. *Moral.* cap. XXVI. — 3 Cap. VIII

desinenter emanant. Deo quippe dies una est æternitas sua, etc. » Tum capite XV : « Ibi sane vera æternitas, vera est immortalitas. Ibi æternum illud hodie quod nunquam transit, ibi præsens sempiternum illudque hodiernum quod tanta jugiter stabilitate defigitur, ut transire nesciat nec se aliquando in præteritum vertat. » Sic Bernardus initio sermonis tricesimi primi in *Cantica*, et Anselmus in *Monologio*, ubi causam indicat cur « sine principio et sine fine sit, nec habeat præteritum et futurum, nempe quoniam ætas sive æternitas ejus nihil aliud est quam ipsa[1]. » Quam etiam Augustinus commendat in tractatu ad *Psalmum* primum et centesimum : « Non enim aliud, inquit, anni Dei et aliud ipse Deus, sed anni Dei æternitas est. Æternitas * ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. » Tum in *Prosologio* Anselmus idem : « Quomodo nec tu habes partes, nec tua æternitas quæ tu es, nusquam et nunquam est pars tua aut æternitatis tuæ. Sed ubique totus es, et æternitas tua tota est semper. » Et in libro *de Incarnatione Verbi*, « Deus non est aliud, quam ipsa simpliciter æternitas. » Quam etiam mox quasi « punctum ait esse simplex, id est sine partibus et indivisibile[2]. »

VIII. Hic oritur illa quæstio quam Maximus Dionysii interpres objicit sibi[3]. Cum enim Dionysius, aliique quos enumeravi, in Dei æternitate dicant non inesse τὸ ἦν, hoc est *erat*, quinam intelligendum illud est quod ab Joanne scriptum, *In principio erat Verbum*[4], tanto applausu veteres exceperunt qui adversus Arianos æternitatem propugnantes Filii, ad eam confirmandam imprimis pertinere putabant, quod infinito minimeque determinato tempore usus esset Evangelista, ut Hilarius, ut Ambrosius, ut Augustinus, aliique

Qua ratione Evangelista usus sit voce *erat*.

* Hæc Augustini verba occasionem nobis præbent tria statuendi, quæ ad illustrandam præsentem veritatem, erroresque opposítos profligandos non minimum conducent. Principio itaque statuimus, « Dei æternitatem ὄντως ipsam esse Dei substantiam. » Id præter Augustinum et Anselmum luculenter tradunt Bernardus (In *Cantic*. serm. LXXX.) et Gregorius (*Moral*. lib. XVI. cap. XXI.) inquiens : « Neque enim aliud ipse Deus, aliud dies ejus sunt. Deus namque hoc est quod habet, æternitatem quippe habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed lux sua ipse est. » Idipsum perspicua confirmat ratio, quæ efferri sic potest. Æternitas Dei ipsa est Dei duratio, duratio autem minime differt ab ejusdem exsistentia quæ durat et permanet, æternitas igitur Dei ipsa est ejusdem exsistentia quæ durat ac permanet. Atqui exsistentia Dei ipsa est illius essentia ac substantia, æternitas igitur Dei ὄντως ipsa est Dei substantia. — Statuimus deinde, « æternitatem Dei esse totam simul, indivisibilem, partibusque carentem quæ sibi succedant et e quibus sint aliæ præteritæ, aliæque futuræ. » Concors est de hac veritate Patrum juxta scholæque suffragium, neque splendidior esse potest ratio qua fides illi conciliatur. Essentia namque ac substantia Dei dubio procul est tota simul, indivisibilis, partiumque expers sibi succedentium, et quarum aliæ præterierint atque aliæ sint deinceps exstituræ. Æternitas autem ὄντως non differt ab essentia substantiaque divina. — Statuimus denique « eam esse rationem æternitatis, quæ cum omnibus temporum differentiis tota simul atque simplex coexsistat. » Nequeunt profecto secumipsis coexsistere partes temporis, quæ semet excludunt, neque præteritum, præsens et futurum simul esse ulla ratione possunt. Verum singulæ temporis partes dum exsistunt et quamdiu exsistunt cum æternitate coexsistunt, adeo ut pars temporis præteritidum præsto fuit cum æternitate coexstiterit, quæ nunc præsens est cum æternitate coexsistat, quæque futura est quando aderit cum æternitate coexsistet. Quum enim illæ fluant, hæc stat : quum illæ sibi succedant, hæc permanet : quum illæ plures sint, hæc est una : et quum illæ quantitati subjiciantur, hæc est simplex. Jure igitur monuit Lessius (*De perfectionibus divinis* lib. IV. cap. III. n. 17.). « Æternitatem simul esse et longissimam et brevissimam. *Longissimam* virtute et coextensione, quia infinitis temporum spatiis se exæquat ; *brevissimam* quia in puncto temporis habet omnia quæ per infinitum tempus habere potest. Itaque sicut tempus est *nunc volans*, nihil enim de tempore est nisi ipsum *nunc*, sed illud semper fluit, estque omni momento, aliud et aliud ; ita æternitas est *nunc stans*, nam in ea omnia sunt simul et semper in eodem consistunt statu. Sub ipsa volant omnia tempora, et prætereuntibus aliis succedunt alia, et omnis creata natura suos accessus et recessus patitur, amissis antiquis nova acquirens. Hinc tempus et temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima sub qua flumen raptim transit : omnes aquæ partes successive adlabentes rupem subeunt et transeunt nec unquam redeunt, rupes autem semper eodem loco manet. Sic omnia temporalia alia post alia succedunt et transeunt sub æternitate, nunquam reditura ut rursus fluant. Est enim æternitas similis puncto circa quod describitur circulus : sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiæ et singulis ejus punctis ; ita æternitas respondet et assistit toti tempori et singulis ejus momentis. » Jamvero horum nihil intellexere Sociniani, nihilque Arminiani, quos inter præcellunt Vorstius, Episcopius, Limborchius et Clericus. His enim si credimus, successioni subest æternitas, Deusque æternus temporum vicibus (*Videsis Zeltnerum in Breviario controversiar, cum remonstrantibus*, controv. VII pagg. 56. seqq. et *Weismanum in Schediasmat*. pagg. 463. seqq.) circumvolvitur. Quibus cum Augustino (*De Vera relig*. cap. XLIX.) reponendum est : « Mentis affectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æternum et nihil futurum est, ita quod præterit esse desinit, et quod futurum est nondum esse cœpit, æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi jam non sit, nec erit quasi jam non sit. » *E. R.*

1 Cap. XXVI. — 2 Cap. VIII. — 3 Ad cap. V. *de Divin. nomin.* — 4 *Joan.* I. 1.

quorum testimoniis usi sumus in secundo *de Trinitate* libro [1]. Tantum abest igitur ut *erat* de æternitate minime dicatur, ut ad eam significandam omnium sit aptissimum. Huic inquisitioni Maximus occurrit : propterea verbum *erat* usurpatum illic esse ab Joanne, ut in Patre tanquam in principio omnium Filius esse monstretur. Sed facilius accuratiusque dissolvit Augustinus tractatu illo quem paulo ante laudavimus ad *Psalmum* centesimum primum. « Ibi, inquit, nihil est præteritum quasi non sit, nihil est futurum quasi nondum sit. » Igitur substantivum verbum erat, si sic usurpatur ut esse desiisse quod erat dicatur, Deo non convenit; convenit autem si ad hoc tantum assumitur ut « præcedentem omnia sapientiam Dei [2], » quod ait Scriptura, significet, hoc est quamlibet infinitum retro spatium cogitando sibi humanus proponat animus, intelligat ante hoc ipsum extitisse Deum ejusque sapientiam. Nam ut loquitur Ambrosius, « indefinite tenditur *erat*. Quidquid excogitaveris, erat Filius [3]. » Et ut Hilarius ait, « Erat quod est, neque in tempore aliquo concluditur ut cœperit, quod erat potius in principio quam fiebat [4]. » Quamobrem ad superiora testimonia quibus æternitatis divinæ immobilem statum et initii expertem affirmavimus, etiam adjungenda illa sunt quæ ex Joannis verbis istis et proprietate imperfecti temporis *erat*, sempiternam Verbi hoc est Dei extantiam ostendunt, quæ suo loco referemus [5].

IX. Hinc Dionysius eodem illo capite quinto *de Divinis nominibus*, in quo dixerat in Deo nec *erat*, nec *erit*, locum habere, utrumque postea reperiri ait, idque proprie cujus etiam rationem indicat. « Est, inquit, ipse ejus quod est, æternitas et principium et mensura, cum prior sit essentia et ente et æone, omniumque substantificum principium et medium et finis. Ac propterea in sacris Litteris is qui vere prius existit, per omnem entium rationem multiplicatur, ac tam erat de ipso, quam est et erit et existit et existet proprie prædicatur [a]. » Ergo ideo temporis in Deum illæ differentiæ competunt, quod omnes temporis partes æternitate, vel ut Ambrosius loquitur, « longævitate consumit [6], » atque ut ubique esse profitemur Deum et in omnibus locorum spatiis, tametsi nullibi proprie sit, ita quovis in tempore fuisse et futurum esse dicimus eumdem quoniam æternitatis suæ infinito et tamen individuo spatio imo puncto immensitatem omnem temporum superat et absorbet. Denique « pro eo ac decorum est et consentaneum Deo, » ita tribuuntur hæc illi vel detrahuntur omnia, uti Georgius Pachymeres observat. Luculenta de hac re est Anselmi disputatio in libro *de Concordia præscientiæ et gratiæ cum libero arbitrio*. Ibi enim accurate demonstrat, quemadmodum in æternitate nihil sit præteritum aut futurum, « sed tantum præsens immutabile. Non est tamen illud præsens temporale sicut nostrum, sed æternum, in quo tempora cuncta continentur. Siquidem quemadmodum præsens tempus continet omnem locum et quæ in quolibet loco sunt, ita æterno præsenti simul clauditur omne tempus et quæ sunt in quolibet tempore [b]. » Ac subinde Apostolum ait *Romanorum* octavo capite usum esse præterito tempore cum dixit : « *Quos præscivit et prædestinavit*, propter indigentiam verbi significantis æternam præsentiam. Quoniam quæ tempore præterita sunt, nunquam possunt non esse præsentia, sicut temporis præterita non valent unquam præterita non esse, præsentia vero temporis omnia quæ transeunt, fiunt non præsentia. »

X. Tertia et postrema æternitatis divinæ conditio est ἀφθαρσία, quam *immortalitatem* Latini vocant, quæ nullo fine atque termino circumscribi Deum patitur, uti ab initio prior illum pars æternitatis asserebat. Quanquam ab immortali incorruptibilem Novatianus, in libro *de Trinitate*, distinguit his verbis : « Est ergo et immortalis et incorruptibilis, nec detrimenta sentiens omnino nec finem. Nam et quia incorruptibilis, ideo et immortalis, et quia immortalis, utique et incorruptibilis, Tertia s[...] æternita[...] Immo[...] talita[...]

a Dionys. Καὶ αὐτός ἐστι τοῦ εἶναι, καὶ αἰὼν, καὶ ἀρχὴ, καὶ μέτρον, πρὸ οὐσίας ὢν, καὶ ὄντος, καὶ αἰῶνος, καὶ πάντων οὐσιοποιὸς ἀρχὴ, καὶ μεσότης, καὶ τελευτή· καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τῶν λογίων ὁ ὄντως προὼν, κατὰ πᾶσαν τῶν ὄντων ἐπίνοιαν πολλαπλασιάζεται· καὶ τὸ ἦν ἐπ' αὐτοῦ, καὶ τὸ ἔστι, καὶ τὸ ἔσται, καὶ τὸ ἐγένετο, καὶ γίνεται, καὶ γένησεται, κυρίως ὑμνεῖται.

b Pachym. in cap. v. *de Divin. nom.* Αὐτὸς ὁ ἅγιος λύων τὴν ἀπορίαν φησὶν, ὅτι θεοπρεπῶς νοοῦνται ταῦτα ἐπὶ Θεοῦ.

1 Cap. viii. — 2 *Ecclesiastici*, i. 3. — 3 Lib. I. *de Fide*, cap. v. — 4 Lib. II. *de Trinit.* — 5 Lib. II. *de Trinit.* cap. ix. — 6 Lib. *de Sym.* cap. xii.

utroque invicem sibi et in se connexione mutua perplexa, et ad statum æternitatis vicaria concatenatione producta, et immortalitate de incorruptione descendente, et incorruptione de immortalitate veniente[1].» Nimirum corruptio via quædam est et progressio ad mortem : quod enim corrumpitur, tendit ad interitum extinctionemque sui. Neque tamen distingui admodum ista necesse est. Nam et mori ipsum via est ad mortem. Imo vero mors ipsa quamdam habet successionem. «Quemadmodum clepsydram, ait Seneca, epistola XXXVI, non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit; sic ultima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat.» Quare promiscue ambo ista sumantur, ut ab Rhabano factum est in primo de universitate. «Ille, inquit, nec dividi potest, nec interire, inde incorruptibilis est.» Ac tametsi hac solum posteriori parte, si pars est æternitatis ulla nominanda, cum rebus conditis communicari posse videtur; inest Deo nihilominus peculiari ac propria quadam ratione, cujus particeps esse creatura nulla potest. Non enim falso dictum illud est ab Apostolo : *Qui solus habet immortalitatem*[2]. Hoc vero duobus modis intelligitur. Aut enim solus idcirco immortalitatem habet, quoniam a seipso hanc habet, nec eam debet alteri qui sibi hanc si velit auferre possit. Cætera autem sic immortalitatem obtinent quæcumque demum hanc obtinent, ut ex Dei nutu et arbitrio pendeat. Ideo Theodoretus dialogo tertio Deum immortalem solum ait nominari, quoniam «οὐσίᾳ id est, *substantia*, est immortalis, non μετουσίᾳ *participatione*, eo quod immortalitatem aliunde non accepit[a].» Et auctor *Quæstionum ad Græcos* «incorruptum dici cœlum ait, non eadem ratione vel univoce cum Deo. Nam Deus sine ulla creatione e substantia sua et æterne incorruptionis illum habet statum. Cœlum vero per creationem, ex Dei voluntate habet ut sit incorruptum[b].» Unde nonnulli immortales dici vetant angelos aut hominum animas, eosque mortales esse volunt, quod eripi iis a Deo vita illa et immortalitas potest, uti alio in loco dicetur. Aut ideo immortalis solus est Deus, quia solus immutabilis est. «Vera namque et integra immortalitas,» ut Bernardi verbis utar sermone LXXXI in *Cantica*, «tam non recipit mutationem quam nec finem, quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes quot mutationes, ubi immortalitas?» Sic Novatianus in libro *de Trinitate* : «Hic semper sui est similis, nec se unquam in aliquas formas vertit aut mutat, ne per immutationem etiam mortalis esse videatur. Immutatio enim conversionis, portio cujusdam comprehenditur mortis[3].» Et Gregorius Magnus : «Quid enim mutabilitas nisi mors quædam est? Quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat ut incipiat esse quod non erat. Et de auctore omnium scriptum est. *Qui solus habet immortalitatem*, quia videlicet in semetipso solus immutabilis est[4].» Et in octavo-decimo libro, capite septimo et vicesimo : «Solus quippe veraciter est qui solus incommutabiliter permanet. Nam omne quod modo sic et modo aliter est, juxta non esse est. Permanere enim in statu suo non potest. Atque aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat semper ad aliud per momenta temporum ducitur.» Vide et librum XXV capite IV, et explanationem quarti Psalmi pœnitentialis ad hæc verba, *ipsi peribunt*.

XI. Augustinus hunc locum sæpius acute et eleganter ornavit. Ut in libro tertio *contra Maximinum* : «Immortalitatem autem Deus habere dicitur solus, inquit, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Proinde et ipsa anima humana quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque secundum modum suum nunquam desinit vivere, habet tamen pro ipso suo modo quamdam mortem suam, quia si juste vivebat et peccat, moritur justitiæ. Si peccatrix erat et justificatur, moritur peccato, ut alias ejus mutationes taceam de quibus longum est dispu-

a THEODORET. Οὐσίᾳ ἀθάνατος, οὐ μετουσίᾳ· οὐ γὰρ παρ' ἑτέρου ἀθανασίαν ἔχει λαβών.

b JUSTIN. p. 151. edit. Comc. Καὶ εἰ ἄφθαρτον λέγομεν τὸν οὐρανὸν τὸ νῦν, οὐ συνωνύμως αὐτὸν τῷ Θεῷ ὀνομάζομεν ἄφθαρτον· ὁ μὲν γὰρ Θεὸς ἀκτίστως ἐκ τῆς αὐτοῦ οὐσίας, καὶ ἀϊδίως τὸ ἄφθαρτον ἔχει· ὁ δὲ οὐρανὸς κτιστῶς ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ βουλήσεως ἔχει τὸ ἄφθαρτον.

1 Cap. IV. — 2 I. *Tim.* VI. 16. — 3 Cap. IV. — 4 Lib. XII. *Moral.* cap. XVII

tare. Et creaturarum natura cœlestium mori potuit, quia peccare potuit. Nam et angeli peccaverunt et dæmones facti sunt, quorum est diabolus princeps. Et qui non peccaverunt, peccare potuerunt[1]. » Et in sermone quodam de divino Verbo loquens : « In qua natura, inquit, etiam immortalis omnino, id est incommutabilis, omnino manet. Nam et anima humana secundum quemdam modum dicitur immortalis. Sed non est vera immortalitas, ubi tanta est mutabilitas per quam et deficere et proficere potest[2]. » Tum alibi : « Non invenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid quod aliter nunc est, aliter paulo ante fuerit. Nam ubi invenitur aliter et aliter, facta est ibi quædam mors. Mors enim est non esse quod fuit. Immortalis dicitur anima. Est quidem quia vivit semper anima et est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundum mutabilitatem vitæ hujus et mortalis dici potest[3]. » Ac paucis interjectis : « Quid est ergo quod ait Apostolus de Deo : *Qui solus habet immortalitatem*, nisi quia hoc aperte dixit : Solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem? » Idem docet et in epistola octava et vicesima et in secundo *de Trinitate*, capite nono et tractatu octavo et tricesimo *in Joannem* et sermone XIII *de Martyribus* capite tertio. Idem Augustinus ad *Psalmum* LXXXIX nonnulla habet ejusdem argumenti. Hilarius in libro tertio : « Non, opinor, demutabilis Deus est, inquit, neque in æternitatem cadit aut vitium aut emendatio aut profectus aut damnum, sed quod est, semper est. Hoc enim Deo est peculiare. Quod semper est, habere aliquando in natura non poterit ut non sit. »

XII. Prosper in *Sententiis* ex Augustino : « Vera æternitas Dei est, inquit, qui solus habet immortalitatem, quoniam ex nulla specie motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quæ alia et alia est[4]. »

Denique in libro *Octoginta trium quæstionum* Augustinus ita scribit : « Quod commutabile est, tempori obnoxium est. Non enim semper ejusdemmodi est, et ideo æternum non recte dicitur. Quod enim mutatur, non manet, quod non manet, non est æternum. Idque inter immortale et æternum interest, quod omne æternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur, quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie æternum appellatur, quia non semper ejusdemmodi est, quamvis immortale quia semper vivit, recte dici possit[5]. »

Sic Rhabanus Maurus cum immortalitatem solum habere dixisset Deum, quia in ejus natura nulla est commutatio, causam hanc subjicit : « Nam omnis mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, secundum quod et anima dicitur mori, non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur et vertitur, sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est aut fuit secundum id quod destitit esse quod erat, mortale utique deprehenditur, ac per hoc Deus solus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis incorruptibilisque appellatur[6]. » Ac demum de istis quatuor quæ sunt : æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis sic scribit : « Et hæc ista quatuor unum significant. Nam una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis. »

XIII. Ex his omnibus quæ de vera et propria Dei æternitate diximus, consentaneum illud efficitur, non modo æternum eumdem esse, sed etiam solum, quia solus mutatione omni vacuus est. Quidquid enim est creatum, eo ipso mutabile est, quod probat Joannes Damascenus, in primo libro *de Fide*[7]. E contrario omne increatum et quod Græci vocant ἀγένητον, incorruptum est et immutabile, hoc est æternum. Quod inter alios asserit Methodius apud Photium[8] : « Quod est innatum, ait, cum per se absolutum et immutabile visum sit, nullius indigens et corruptionis expers erit[a]. »

Jam quod de creatis rebus universe colligimus, potest de iis potissimum quæ ratione intelligentiaque præditæ sunt ex eadem argumentatione concludi. Ejusmodi enim omnes quæ quidem meræ sunt creaturæ, natura peccati capaces sunt adeoque mortales. « Mors enim animæ, ait Ephræmius Antiochenus, est peccatum quod ipsi supplicium et incorruptam corruptelam conciliat. *Timete enim*, ait Christus, *eum qui potest et animam et* Quo sen anima homini moriatu

a Method. Τὸ δὲ ἀγένητον, αὐτοτελὲς καὶ ἄτρεπτον φανθὲν, καὶ ἀπροσδεὲς, καὶ ἄφθορον ἔσται.

1 Cap. XII. — 2 Ser. 75. *de Diversis*. — 3 Tract. XXIII. in *Joan*. — 4 Sent. 183. — 5 Qu. 19. — 6 Lib. I. *de Univer*. p. 57. — 7 Cap. III. — 8 Cod. 235.

corpus perdere in gehennam[a]. » Itaque quod proxime ante dixerat, « immortalis licet et intelligibilis anima a Deo fabricata, ex transgressione morti tradita est non sensibili, sed quod molestius est intelligibili, » quod et Albinus Flaccus in epistola *de Animæ ratione* prodidit [1]. Et ante hos Augustinus cum alibi passim, tum in calce libri sexti *de Civitate Dei*, ubi tam de angelis hoc dicit quam de hominum animis : « Nam si anima, inquit, in pœnis vivit æternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est quam vita. Nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura per id quod immortalis creata est, sine qualicumque vita esse non potest, summa mors ejus est, alienatio a vita Dei in æternitate supplicii. »

Imo vero ante ultimam illam quæ spem amplius nullam atque exitum habet, præsentem incurrunt alteram mortem, cum a Deo deseruntur immortales alioqui spiritus, de qua morte sic Augustinus : « Dicam, inquit, audacter, fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus [2]. » Et alio in loco : « Sicut anima est vita corporis, sic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus cum animam emittit, ita expirat anima cum Deum amittit. Deus amissus mors animæ, anima amissa mors corporis [3]. » Tractatu XXIII in *Joannem* : « Ut quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est corpus facit vivere ; sic eamdem animam non facit bene vivere nisi quod ipsa anima est superius. Superior enim est anima quam corpus, et superior quam anima Deus. Anima ut præstet aliquid inferiori, præstatur illi a superiore. » Et paulo post : « Nec possunt vivere animæ nisi earum vita sit Deus, sicut ipsæ sunt vita corporum. » Sic et Gaudentius in præfatione : « Vere, inquit, moritur apud Deum qui ab apostolicæ fidei veritate discedit, cui Christus Deus qui vita est, amputatur. » De hoc luculentum extat Hieroclis Pythagorei dictum in commentario ad aurea carmina Pythagoræ dum illud explanat quod ἀθανάτους θεοὺς illa nominant, id est *immortales deos*. Hoc enim usurpari adnotat quod sint quidam mortales dii : « Merito, inquit, mortales dii vocari possunt humanæ animæ tanquam quæ aliquando beatum vitæ statum amittendo moriuntur, eo quod a Deo fugiant et denuo vitam recuperant sua ad Deum conversione, atque ita divinam vitam degunt : illo vero modo moriuntur, quatenus immortalis substantia mortis conditionem participare potest, non ut non sit omnino, sed ut bene esse desinat. Mors enim naturæ rationalis est impietas in Deum et stultitia, ex quibus sequitur immoderata circa vitam perturbationum rebellio[b]. »

XIV. Quamobrem solus æternus et immortalis merito Deus appellatur, nec ulla quamvis præstantissima res potest in consortium æternitatis illius uti nec divinitatis admitti, ne illa quidem si aut esset aut esse posset aliqua, quæ ex æterno extitisset a Deo procreata. Talem enim Deo minime coæternam, ac ne æternam quidem fore censet Boetius, cujus verba velut coronidem apponam huic capiti : « Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit unquam esse nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul infinitæ licet vitæ spatium comprehendit atque complectitur, sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquid absit nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur, idque necesse est et sui compos præsens sibi

Deus solus æternus.

a EPHRAEM. apud Phot. cod. 229. Ἡ ἁμαρτία γὰρ αὐτῆς ἐστιν ὁ θάνατος· ὡς κόλασιν αὐτῇ, καὶ φθορὰν προξενοῦσα ἄφθαρτον, Φοβήθητε γάρ, φησι, τὸν δυνάμενον καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. Proxime vero ante. Ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ἀθάνατον, καὶ νοητὴν δημιουργηθεῖσαν, ἐκ παραβάσεως ἴσμεν θανάτῳ παραδεδομένην, εἰ καὶ μὴ αἰσθητῷ, ἀλλά γε, τὸ χαλεπώτερον, νοητῷ.

b HIEROCL. Διὸ καὶ εἰκότως θεοὶ θνητοὶ λέγοιντο ἂν αἱ ἀνθρώπιναι ψυχαὶ, ὡς ἀποθνήσκουσαί ποτε τὴν θείαν εὐζωΐαν τῇ ἀπὸ θεοῦ φυγῇ, καὶ ἀναβιωσκόμεναι αὐτὴν πάλιν τῇ πρὸς θεὸν ἐπιστροφῇ, καὶ οὕτω μὲν ζῶσαι τὸν θεῖον βίον· ἐκείνως δὲ ἀποθνήσκουσαι, ὡς οἷόν τε ἀθανάτῳ οὐσίᾳ θανάτου μοίρας μεταλαχεῖν, οὐ τῇ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐκβάσει, ἀλλὰ τῇ τοῦ εὖ εἶναι ἀποπτώσει· θάνατος γὰρ λογικῆς οὐσίας ἀθεΐα, καὶ ἄνοια, οἷς ἕπεται καὶ ἡ περὶ τὸν βίον ἄμετρος τῶν παθῶν ἐπανάστασις.

1 Col. 774. — 2 Tract. in *Psal.* LXX. — 3 Serm. 6. *de Verbis Domini*, vide et ser. 28, et alio serm. qui est 13. ex 17. additis.

semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde quidam non recte, qui cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit, aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est[1]. » Hæc Boetius. Petrus vero Damiani angelicam virtutem, « licet immortalis sit suumque beatum vivere nullo fine concludat, tamen quia et loca mutat et tempora, non coæternam suo dicendam esse creatori vult, quia naturaliter atque essentialiter est ipsa potentia, ipsa immortalitas, ipsa æternitas[2]. » Sed utrum quemadmodum æternitatis posteriori ex parte creata res utcumque potest esse particeps, sic ab anteriori esse possit, adeo ut sine ullo temporis exordio ex omni æternitate procreata sit a Deo, id paulo attentius novo facto capitis initio placet inquirere.

CAPUT V.

An præter Deum res aliqua fuerit ab æterno. Græcorum Palamitarum et Eugubini notatus error, qui lucem nescio quam coæternam Deo statuunt. Hanc opinionem ad Manichæorum hæresim pertinere. Quid Plato de mundi æternitate ac creatione senserit. Basilium minime suffragari lucis illius æternitati, cujus locus illustratur. De æonibus quos nonnulli ante mundum conditos asserunt.

I. Æternitatis ut et cæterarum Dei proprietatum duplex in superiori capite ratio constitit. Nam aut Deo sic convenit ut præter ipsum communicari nequeat alteri, quæ prima et divina æternitas appellari potest, aut ejusmodi est ut in illius communionem res aliæ vocentur, quod ævum a quibusdam vel æviternitas potius quam æternitas dicitur, nos secundam æternitatem nominare possumus. Atque hæc quatenus in sequentia infinita spatia diffunditur, extra omnem controversiam est. Nemo enim christianus dubitat tum angelos, tum humanas animas, æternas id est immortales esse. Mundi quoque perpetuitas etsi non in eo qui nunc est rerum statu, eadem tamen natura partium et substantia non immerito futura conceditur. Totum in priorem, ut ita dixerim, partem æternitatis quæstionis pondus incumbit, eaque non uniusmodi proponitur ac trifariam, quo sit ejus disceptatio facilior, a nobis instituetur. Imprimis enim sitne res alia præter Deum quæritur, quæ ex æternitate omni fuerit. Deinde an creata res aliqua ex eadem æternitate ortum habuerit. Tertio ut ejusmodi nulla adhuc extiterit, an esse tamen potuerit ab æterno. Horum trium capitum priora duo inter christianos aut nullam aut perexiguam altercationem faciunt. Itaque paucis illa perstringenda sunt. De postremo et vehemens et digna commentatione nostra hac inter philosophos non minus quam theologos, sed illos magis, disputatio est.

Quinam mundum Deo coæter num finxe runt.

II. In prima controversiæ parte præter philosophos antiquos qui mundo adimunt ortum, eumque cum Deo pariter æternum statuunt, ut Aristoteles et si quis alius, ingens hæreticorum colluvies occurrit, qui mundi partem aliquam et imprimis *hylen* id est materiam ab nullo creatam, æternamque esse finxerunt, ut Manichæi et hujusmodi obscenæ ac nefariæ pestes. Quibus utrisque anathema dicit auctor opusculi illius ad Theophilum, quod in tomo secundo Athanasii legitur. « Væ vobis, inquit, qui hunc mundum a semetipso semper coæternum Deo fuisse adscribitis, ut a Deo factum esse negetis. Væ vobis qui mundum ex aliqua subjacenti materia factum esse defenditis[3]. » Quam etiam opinionem Socrati ac Platoni, aliisque philosophis Theodoretus assignat[4]. De quibus omnibus Basilius homilia I in *Hexaemeron*, et ex eo Ambrosius, Procopius in *Genesim* et alii complures disputant. Sed horum tenebræ quia jam christiana luce restinctæ sunt, longiorem operam non desiderant non modo refellendi sed ne percensendi quidem. Paululum eos quasi prætereundo respectabimus, qui christianæ professionis decus haud dissimili labe erroris infuscarunt. Hi fuere Græculi primum, quorum antesignanus fuit Gregorius Palamas, de quibus supra meminimus[5]. Hi enim lumen quoddam aspectabile esse prædicant a Deo diversum eique coæternum et minime creatum, quod ex illius majestate veluti radiorum e sole splendor emicat. Hanc esse Dei gloriam

Absur Græcor senten de lum Thabo increa

1 Lib. V. *de Cons. phil.* prosa 6. — 2 Opusc. 36. cap. VII. — 3 Lib. VI. col. 430. — 4 Lib. V. *de Hær.* cap. VI. — 5 Lib. I. cap. XI. et XII.

illam, regnum illud, quod Scripturæ sanctorumque Patrum libri frequenti sermone celebrant. Ita Græci præsules in conciliabulis aliquot decreverunt, quæ contra Barlaamum et Acindynum ac fautores eorum habuerunt, ut ex tomo synodico constat quem in capitibus illis primi libri memoravimus. Quo quidem in tomo continetur illud : « Cum quæsitum esset, uti ex sanctorum auctoritate Patrum approbaretur, lumen illud transfigurationis Domini increatum esse, neque tamen id esse substantiam Dei, universos fere pronuntiasse, hoc ipsum in quarta actione demonstratum fuisse, in qua præsentes Ecclesiæ adversarii modo creatum istud et phantasma et velamentum, et adumbratam speciem perspicue blasphemantes esse dicebant, modo hoc impie profitebantur increatum esse et ipsam Dei substantiam[a]. »

Easdem Græculorum ac Palamitarum indoctas imo sacrilegas fabulas refert et approbat in historia sua Joannes Cantacuzenus, ubi de illo Barlaami et Palamæ conflictu ac cæteris ejusmodi mentionem facit[1]. Nam monachos ita asseverasse, apostolos in monte Thabore « corporis oculis divinum et increatum lumen aspexisse[b]. » Et postea Palamam ait approbasse, « lumen illud quod in Thabore discipulos circumfulsit, fuisse gloriam Dei initio carentem et lumen divinitatis ac divinitatem et naturalem ac sempiternum Dei fulgorem[c]. » David quoque monachus quem in annotationibus ad Cantacuzenum citat Jacobus Pontanus, in relatione de dissidio Barlaami et Palamæ idem narrat : « divinum quippiam et increatum esse lumen illud, quod et deitas a sanctis appellatur. Non est tamen substantia Dei, sed operatio, gratia, gloria, splendor a divina substantia in sanctos emissus[d]. »

III. Huic insulso ac stuporis pleno delirio affinis est Augustinus Steuchus Eugubinus, qui in *Cosmopœia* et in libello *de Rebus incorporeis et invisibilibus* putat ex æterno lucem quamdam extitisse divinam et increatam, a Dei substantia diversam, ab eaque manantem quæ Dei sit habitatio, Deique regnum, quod cœlum empyreum vocatur. « Hoc autem non potest, inquit, esse creatum[2]. Nam quod creatum fuit, fuit locus et tempus, id est ipse mundus. Deinde cum illud sit regnum Dei, non videtur fas regnum Dei non semper fuisse. Est enim cœlum empyreum claritas divina quam semper fuisse cum Deo necesse est, ad quam claritatem admisit angelos incredibili humanitate sua, et homines pios. Regnum Dei est regnum omnium sæculorum[3], ait Psalmus. Semper sol ille lucem æternam suam habuit comitem. Nec potest aliud esse cœlum empyreum, id est igneum, nisi claritas illa manans a Deo circumquaque, extra mundum, extra rerum creatarum corruptibiliumque regnum. » Et sub finem libri *de Rebus incorporeis*, pluribus commentum illud explicat, hunc esse dicens Olympum illum poetarum quasi ὁλολαμπῆ, quod totus immenso fulgore collucet, et a Paulo vocatur *lux inaccessibilis quæ a Patre inhabitatur*. » Mox : « Hæc lux, ait, an corporea sit an incorporea quædam, non facile dixerim. Arbitrarer tamen talem esse, ut hæc corporea et nostra possit esse, et dici quasi simulacrum ejus, ut illa sit divinissima lux nota visibilisque et animo et oculis, qualem Christus ostendit in monte cum vestimenta ejus facta sunt alba ut nix, et facies ut sol enituit, et qualem ostendit Mosi in rubo. » Hæc Eugubinus et iis plura, quæ Græculorum Palamitarum nugis consentanea sunt. Quid autem fingi potest obtusius? quid indignius homine non theologo dicam sed vel christiano, quam et reipsa coæternum aliquid Deo ponere quod non sit Deus, et hoc corporeum et aspectabile, cujusmodi lux illa fuit quam aut in monte apostoli, aut Moses in rubo conspexisse dicuntur? Sane Manichæorum gerris ac nugis simillima est illa Steuchi et

a Tomus. Μετὰ τοῦτο ἐζητήθη δειχθῆναι παρὰ τῶν ἁγίων, ὅτι τε ἄκτιστόν ἐστι τὸ φῶς τῆς τοῦ κυρίου μεταμορφώσεως, καὶ ὅτι οὐκ ἔστι τοῦτο ἡ οὐσία θεοῦ· καὶ πάντες σχεδὸν εἶπον, ὅτι ἀπεδείχθη τοῦτο κατὰ τὴν τετάρτην συνέλευσιν, ἐν ᾗ παρόντες οἱ ἀντιλέγοντες τῇ ἐκκλησίᾳ, νῦν μὲν κτιστὸν εἶναι τοῦτο, καὶ φάντασμα, καὶ παραπέτασμα, καὶ ἴνδαλμα φανερῶς βλασφημοῦντες ἔλεγον· νῦν δὲ καὶ τοῦτο δυσσεβῶς ἔλεγον, ἄκτιστον, καὶ οὐσίαν εἶναι θεοῦ.

b Cantacuz. Τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς θεῖον, καὶ ἄκτιστον φῶς θεάσασθαι.

c Cap. xl. Ἀπεδείκνυ τε ἐκ πολλῶν τῶν λεγομένων τὸ κατὰ τὸ Θαβώριον τοὺς μαθητὰς περιαστράψαν φῶς, δόξαν ἄναρχον τοῦ θεοῦ, καὶ φῶς θεότητος, καὶ θεότητα, καὶ φυσικὸν, καὶ ἀΐδιον τοῦ θεοῦ φῶς.

d David. monach. apud Cantac. lat. Ὅτι θεῖον μέν ἐστι, καὶ ἄκτιστον τὸ φῶς ἐκεῖνο, καὶ θεότης παρὰ τῶν ἁγίων ὀνομάζεται, οὐκ ἔστι δὲ οὐσία θεοῦ, ἀλλ' ἐνέργεια, καὶ χάρις, καὶ δόξα, καὶ λαμπρότης ἐκ τῆς θείας οὐσίας εἰς τοὺς ἁγίους πεμπομένη.

1 Lib. II. cap. xxxix. et seq. — 2 In *Cosmop.* — 3 *Psal.* cxliv. 13.

Palamitarum opinio. Quas a Fausto commemoratas irridet Augustinus. « Patrem enim ille dicebat lucem incolere summam ac principalem, quam Paulus alias inaccessibilem vocat[1], etc. » Contra quem Augustinus : « De Patris (ait non minus istos quam Manichæos compellans) secreto lumine, quid vobis dicam nisi quia lumen cogitare non potestis, nisi quale videre consuestis? Hoc enim conspicuum et omni carni non tantum hominum verumetiam bestiarum et vermiculorum notissimum lumen intuentes, ex illo conceptam corde phantasiam in immensum soletis augere, et eam lucem dicere ubi Deus Pater habitat cum regnicolis suis. »

IV. Procul igitur absit a fidelium animis et auribus tam impia detestandaque vox, quæ gentilium ipsorum superstitionem veterem redolet, imo etiam longe est absurdior quam philosophorum illa quorumdam, quibus sic ab æterno mundum extitisse placuit, ut a Deo conditum esse procreatumque dicerent. Quam fuisse Platonis mentem complures opinati sunt, uti Proclus[2], Simplicius[3], Apuleius[4], Censorinus[5], Macrobius[6], et ex nostris Augustinus[7] et Boetius[8]. Quanquam huic a nonnullis contradicitur, qui perinde in tempore cœpisse atque a Deo factum esse mundum dici a Platone sentiunt, quod et Eugubino placet[9], et ante hunc Ambrosio initio operis *in Hexaemeron*, nec non Zachariæ Mitylenæo in disputatione *de Mundi opificio*, qui ex Platonis hoc Timæo probat; quanquam hunc sibi contradicere ejusque discipulos demonstrat, ac solam materiam Deo συναΐδιον revera statuisse, quod et Theophilus docet in secundo *ad Autolycum*. Atticus item Platonicus apud Æneam Gazæum posteriorem istam sententiam anteponit alteri. Vide Philonem libro *de Mundo*. Verum prior illa sententia Platonica mihi magis videtur, quam et Origenem amplexum esse Methodius martyr affirmabat, uti supra demonstravimus. Hæc vero sententia secundum ad caput quæstionis refertur ex tribus iis quæ paulo ante distinximus, quatenus creatum aliquid a Deo ex omni retro æternitate statuit. Quod etsi falsissime defenditur, minus tamen præ se fert impietatis ac temeritatis, quam Palamitarum et Eugubini fabula, quæ id quod sensu oculisque discernitur, increatum facit ac Deo coæternum, quasi alterum numen aut idolum potius. Atqui nemo est tam hebes qui non intelligat, nihil inter Deum sive creatorem et creaturam interjectum ac medium esse, ut quidquid increatum est, id non sit aliud quam Deus, ac vicissim quidquid Deus non est, hoc esse creaturam sit necesse. « Omnis substantia, quæ Deus non est, ait Augustinus, creatura est, et quæ creatura non est, Deus est[10]. » Idem in *Psalmum* LXXX⁻ :« Excepto Deo, quidquid aliud est in natura rerum, factum est a Deo. » Et Alcimus Avitus : « Nihil omnino esse præter duo, inquit, id est creatorem, creaturamque sæpe definitum est[11]. » Gregorius item Nyssenus in duodecimo *contra Eunomium* : « Nihil, ait, increatum præter divinam naturam[a]. » Nam nihil a seipso, id est a nullo est alio, præterquam Deus. Cujus autem ingenii est corporeum aliquid et quod sub sensus cadat, a nullo creatum ac Deo coæternum hoc est Deum esse credere? Hæc sane flagitia sunt quæ iisdem prorsus argumentis convincenda sunt, quibus unum Deum esse christiani scriptores adversus ethnicos ostendunt, qualia nos in superioribus ad duximus.

An aliquid a Deo ab æternitate creatum.

V. Nam quod Eugubinus Basilium suffragari opinioni putat isti, vehementer errat. « Erat, inquit Basilius, ante mundi constitutionem quidam antiquior status, supermundanis virtutibus congruens, ante tempora, æternus, perpetuus, in quo creator et opifex creaturas absolvit : lucem intelligibilem eorum beatitudini accommodam qui amant Dominum, naturas ratione præditas et invisibiles et omnem intelligibilium ordinationem, quæcumque mentis nostræ captum superant, quorum ne appellationes quidem investigare possumus. Hæc enim invisibilis mundi substantiam complent[b], etc. » Qui locus Basilii* nihil minus suadet quam quod suspicatur

Locus Basilii de quodam statu antiquiore quam mundus hic aspectabilis, illustratur.

a Nyss. Ἄκτιστον δὲ πλὴν τῆς θείας φύσεως ἔστιν οὐδέν.

b Basil. hom. 1. in *Hexaem.* Ἦν τις πρεσβυτέρα τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως κατάστασις ταῖς ὑπερκοσμίοις δυνάμεσι πρέπουσα, ἡ ὑπέρχρονος, ἡ αἰωνία, ἡ ἀΐδιος· δημιουργήματα δὲ ἐν αὐτῇ ὁ τῶν ὅλων κτίστης, καὶ δημιουργὸς ἀπετέλεσε, φῶς νοητὸν πρέπον τῇ μακαριότητι τῶν φιλούντων τὸν κύριον, τὰς λογικὰς, καὶ ἀοράτους

* Visum est Basilio antea angelos fuisse conditos, quam conspicua rerum universitas exstiterit, proindeque scripsit (in *Hexaemer*. hom. I. n. 5. et hom. II. n. 5.) : « Nam et ante hunc mundum, ut verisimile est, erat aliquid quod

1 Lib. XX. *con. Faust.* cap. VII. — 2 In lib. *de Mundi æter.* et in *Tim.* — 3 Com. in 8. phys. — 4 Lib. *de Deo Socra.* — 5 Cap. IV. — 6 Lib. II. in *Som. Scip.* cap. X. — 7 Lib. X. *de Civit. Dei.* cap. XXXI. — 8 Lib. V. *de Cons.*, prosa 6. — 9 Lib. VII. *de Per. phil.* cap. V. — 10 Lib. VI. *de Trinit.* cap. VI. — 11 Ep. 1. pag. 4.

Eugubinus. Quippe status ille mundo ac creatis omnibus rebus antiquior, lux illa quam arcanam et inaccessam habitat Deus, ipsemet Deus est qui cœlestes deinde spiritus velut secundam lucem condidit. Quam lucem cum Basilius intelligibilem appellet, eique congruentem esse dicat illum statum creatis rebus antiquiorem, manifestum est hunc ipsum statum non putasse corporeum et aspectabile esse quippiam, ut Palamitæ et Eugubinus existimant. Neque enim secretis ab sensu et corpore mentibus lux ista congruit quæ oculis cernitur. Quod autem increatum illum nescio quem fulgorem ab ipso Deo manare, ac divinitatis esse lucem Eugubinus ait, id vanissimum et imperitissimum est, atque ab Philone Judæo refellitur in libro *de Cherubim*. « Ipse, inquit, cum sit archetypus splendor, infinitos radios emittit, quorum nullus est sensibilis sed omnes intelligibiles. Quomodo enim incorporei luminis splendor possit esse corporeus[a]? » ut Ambrosii verbis utar, qui quam lucem Dei Scriptura nominet, sic deinceps explicat : « Sed si quæris splendorem Dei, Filius est imago Dei invisibilis. Qualis ergo Deus est, talis imago. Invisibilis Deus, etiam imago invisibilis. Est etiam splendor gloriæ paternæ atque ejus imago substantiæ[1]. » Paulo etiam ante Ambrosius idem philosophorum illorum confutavit « errorem, qui coæternum Deo mundum volunt esse quasi adumbrationem virtutis divinæ, asserunt etiam sua sponte subsistere, et quamvis causam ejus esse fateantur, causam tamen volunt non ex voluntate et dispositione sua, sed ita ut causa umbræ corpus est. » Quos eo argumento refellit, quia « incorporei Dei adumbratio corporea esse non potest. » Fulgentius vero in *Responsionibus ad Arianorum objectiones* privatim istud de luce sempiterna commentum Eugubini redarguit[2], solum Filium æternam esse lucem asserens de qua scriptum est in libro *Sapientiæ : Vapor est virtutis Dei et manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*, etc. *Candor est enim lucis æternæ*[3]. » Quibus verbis lux illa splendòrque declaratur, quem a divina majestate diffundi Eugubinus affirmat. Atqui nefas putat esse Fulgentius id aliud putare esse quam Deum Deique sapientiam. « Sed ipsi noverint, inquit tanquam Eugubinum appellans, quomodo possint aut lucem quæ Deus non sit, aut alteram lucem præter sapientiam quæ Deo coæterna sit, invenire. » Ad hæc cum quidquid extra Deum est, ab eo sit factum idque per Verbum, ut Joannes ait, *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt ;* lumen illud qualecumque tandem est, si a Deo diversum est, increatum esse non potest. Cui quidem argumento ex Joannis verbis confecto magnum pondus addunt Athanasius, Augustinus, aliique Patres qui adversus Arianos Verbum ac Spiritum sanctum eumdem cum Patre Deum esse contendunt, quod per Verbum minime sunt facti. Factos autem et creatos fuisse consequens esset, si non essent Deus. Siquidem nihil ab æterno cum Deo extitit quod Deus non esset, ut ait Methodius in libro *de Libero arbitrio*[b]. Sed missos illos faciamus qui de divinis rebus tam absurde indocteque disserunt. Contra quos copiose disserit Joannes Cyparissiotus, decade sexta, capite IV et V.

VI. Illud potius videamus quid sit quod veteres quidam αἰῶνας nescio quos commemorant, qui ante angelos ac beatas illas mentes extiterunt. Magis enim ea res ad propositum spectat, quoniam αἰὼν *æternitatem* significat. An igitur αἰὼν id est æternum aliquid ante beatos illos spiritus, ante mundum, ante creatas res omnes ortum accepit? Non enim ab sese αἰῶνας istos extare, sed a Deo per Verbum productos esse tum sacræ litteræ, tum Patres affirmant *Per quem*, inquit Apostolus de Filio loquens, *fecit et sæcula*[c]. Et « fide intelli-

Æones.

Æones quidnam sint expenditur.

Æones.

φύσεις, καὶ πᾶσαν τὴν τῶν νοητῶν διακόσμησιν, ὅσα τὴν ἡμετέραν διάνοιαν ὑπερβαίνει, ὧν οὐδὲ τὰς ὀνομασίας ἐξευρεῖν δυνατόν· ταῦτα γὰρ τοῦ ἀοράτου κόσμου συμπληροῖ τὴν οὐσίαν.

a Philo, *de Cherub.* Αὐτὸς δ' ὢν ἀρχέτυπος αὐγὴ, μυρίας ἀκτῖνας ἐκβάλλει, ὧν οὐδεμία ἐστὶν αἰσθητὴ, νοηταὶ δ' ἅπασαι.

b Methodius. Καὶ ὁμοίως ἀληθῶς ἐδόκει, μηδὲν λέγειν ἀεὶ συνεῖναι τῷ Θεῷ, ἕτερόν τι παρ' αὐτόν.

c Paul. *ad Hebr.* I, II. Δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.

nostra quidem cogitatione possumus assequi, sed narrationem ideo effugit, quod id his qui instituuntur, suntque adhuc in cognitione infantes, nequaquam congruebat. » Penes ipsum itaque πρεσβυτέρα τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως κατάστασις, ἡ ὑπέρχρονος, ἡ αἰωνία, ἡ ἀΐδιος cujus continuo meminit, locus est veluti angelorum proprius, in quo omnium conditor illos perfecit. *E. R.*

1 Lib. I. in *Hexaem.* cap. V. — 2 *Resp.* 6. — 3 *Sap.* VII. 25.

gimus aptata esse sæcula verbo Dei[a]. » De his Gregorius Nyssenus ita scribit, ut eos prius condidisse videatur Deus quam creatas res cæteras, quarum illa conceptacula vocat. « Puto enim cuivis, inquit, qui vel obiter animum ad hæc advertere velit manifestum esse, universi hujus conditorem, sæcula et qui in iis est locum, velut quoddam conceptaculum eorum quæ fiunt antea constituisse, in iisque deinceps omnia procreasse. Neque enim fieri potest ut aliquid quod creatione productum est aut fit, non omnino vel in loco vel in tempore esse suum habeat[b]. »

Basilius vero contra eumdem Eunomium Filii æternitatem adstruens : « At si sæcula, inquit, omnia cum Filii opera sint, infra Unigeniti generationem intelliguntur; vanus est qui antiquius aliquid subsistentia Filii quærit[c]. » Ac subinde αἰῶνας æternos hoc est ἀϊδίους esse negat, aut ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι nomen accepisse, cujus loci capite superiori meminimus.

Æones.
A semper esse.

Dionysius quoque de æonibus agens in libro *de Divinis nominibus*[1], ab æternitate separat id quod αἰώνιον appellatur, et hoc esse dicit id quod æternitatis in futurum ita particeps est ut initium acceperit, ut interpretatur Maximus[2]. Qui et αἰὼν quidquid sit hoc modo declarat. « Est igitur æon non subjecta ipsa res, sed id quod ex re subjecta elucescit. Quare intelligibilia et ea quæ non videntur, αἰώνια id est *æterna* sunt secundum apostolum : αἰώνιον vero non idem est atque αἰών. Sed quod æonis particeps est, hoc est ejus vitæ quæ intervallo carens infinitaque est. Deus itaque tanquam eorum conditor, quæ æonem hoc est id quod semper est participant et æones quadam similitudine dicuntur, æonas condidisse dicitur, nempe intelligibilia[d]. »

VII. Ergo αἰῶνες proprie * spatia sunt sive intervalla, hoc est ætates intelligibilium ac spiritualium rerum, velut tempus mensura est mutabilium corruptionique subjectarum; metonymice autem substantiæ ipsæ vocantur αἰῶνες, quarum ætas est αἰών, quod a nonnullis *ævum* appellari jam diximus. *Æones.*

Sic Theodoretus in *Epitome divinorum dogmatum adversus hæreticos* illos qui æonas in modum spiritualium substantiarum fabricabant[3], ut Valentini, docet id quod a Paulo scriptum est, *sæcula per Filium esse facta*, non efficere ut sit aliquid subsistens αἰών, sed quodlibet spatium eo vocabulo significari, ac sensum hunc esse : « nihil esse Deo universorum antiquius[e]. » Quod et plenius in commentariis ad Epistolam Pauli ad *Hebræos* adnotavit : « Sæculum, ait, non est aliqua substantia, sed res est quæ minime subsistit, comes et assecla eorum quæ genitam habent naturam. Appellatur enim sæculum intervallum seu dimensio ac distantia, quæ est a constitutione mundi usque ad consummationem[f]. » Vel universe ut mox subjicit, « est dimensio quæ creatæ naturæ adjuncta est[g], » *Æon.*

a Id. cap. xi. *ad Hebr.* vers. 3. Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ.

b Gregor. Nyss. lib. I. *contr. Eunom.* Παντὶ γὰρ οἶμαι τοῦτο γνώριμον εἶναι τῷ καὶ μετρίως ἐπεσκεμμένῳ τὰ ὄντα, ὅτι τοὺς αἰῶνας, καὶ τὸν ἐν τούτοις τόπον, οἷόν τι χώρημα δεκτικὸν τῶν γινομένων προκαταβαλλόμενος ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς, ἐν τούτοις κτίζει τὰ πάντα· οὐ γὰρ ἐνδέχεταί τι τῶν διὰ κτίσεως γεγονότων, ἢ γινομένων μὴ πάντως ἢ ἐν τόπῳ, ἢ χρόνῳ τὸ εἶναι ἔχειν.

c Basil. lib. II. *contr. Eun.* Ἀλλ' εἴπερ αἰῶνες πάντες κάτω που τῆς γενέσεως τοῦ μονογενοῦς νοοῦνται, αὐτοῦ ἐκείνου ὄντες ποιήματα, μάταιος ὁ ἐπιζητῶν τῆς ὑποστάσεως τοῦ υἱοῦ τὰ πρεσβύτερα.

d Maxim. in lib. V. *de Div. nom.* Αἰὼν τοίνυν ἐστὶν, οὐ τὸ ὑποκείμενον, ἀλλὰ τὸ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὑποκειμένου ἐκλάμπον· τὰ οὖν νοητὰ, καὶ τὰ μὴ ὁρώμενα, κατὰ τὸν ἀπόστολον, αἰώνια· αἰώνιον δὲ οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ αἰὼν, ἀλλὰ τὸ αἰῶνος μετέχον, τουτέστι τῆς ἀδιαστάτου, καὶ ἀπείρου ζωῆς· ὡς οὖν καὶ τῶν αἰῶνος, τουτέστι τοῦ ἀεὶ ὄντος μετεχόντων καθ' ὁμοιότητα αἰώνων λεγομένων ποιητὴς ὁ θεὸς, πεποιηκέναι τοὺς αἰῶνας λέγεται· ἀντὶ τοῦ τὰ νοητά.

e Theodoret. Τὸ δὲ ἐποίησεν, οὐκ οὐσίαν τῶν αἰώνων δηλοῖ· ἀλλ' ὅτι οὐδεὶς τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων πρεσβύτερος. Ib. Οὐκ ἐνυποστάτους δή τινας εἶναι διδάσκων αἰῶνας, ἀλλ' αἰώνιον τοῦ θεοῦ κηρύττων τὴν βασιλείαν.

f Theodoret. in cap. i. *ad Hebr.* Ὁ γὰρ αἰὼν οὐκ οὐσία τις ἐστὶν, ἀλλ' ἀνυπόστατον χρῆμα, συμπαρομαρτοῦν τοῖς γεννητὴν ἔχουσι φύσιν· καλεῖται γὰρ αἰὼν καὶ τὸ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως μέχρι τῆς συντελείας διάστημα.

g Ib. Αἰὼν τοίνυν ἐστὶ τὸ τῇ κτιστῇ φύσει παρεζευγμένον διάστημα.

* In utroque Pauli testimonio (*Hebr.* i. 2; xi, 3.) οἱ αἰῶνες ipsam metonymice exprimunt rerum universitatem. Hanc enim interpretationem suadet contextus, eaque insigniter cohæret cum usu loquendi, quo penes Chaldæos כולי עלמא est *totus mundus*, et penes Arabes, Syros atque Hebræos רב עולמים *magister mundi. E. R.*

1 Cap. v. et x. — 2 In *Com.* ad cap. x. sub fin. vide et *Com.* ad cap. ix. — 3 Lib. V. *cont. Hær.* cap. vii.

ut non solum corporeis rebus et sub sensum cadentibus quarum proprium est tempus, sed etiam spiritualibus congruat. Sed legendus hac de re Damascenus[1], qui αἰῶνος notiones varias exponit, et hanc inter alias ex Nazianzeno Gregorio, ut sit spatium illud quod cum sempiternis rebus adæquatur. Minus ergo proprie accurateque loquitur Gregorius Nyssenus, qui αἰῶνας velut a substantiis creatis avulsum aliquid ac per se cohærens a Deo conditos esse declarat, sic ut spatium et conceptaculum ac locus re quæ in eo collocatur anterius esse debet. Nam ne αἰῶνας ipsammet æternitatem Dei, qui « rerum omnium locus » a Dionysio dicitur appellasse videatur, facit quod in eodem loco Nyssenus αἰῶνας solis rebus creatis attribuit et ab divina ac nullius egente natura segregat, utpote quam nec sæcula neque tempora metiantur.

.Ionis.

CAPUT VI.

An aliquid ab æterno creare potuerit Deus, uti mundum. Non potuisse probatur ex Patrum decretis, quod omnis creata res ex nihilo sit, et ex initio aliquo. Zachariæ Mitylenæi locus insignis quo variæ illius causæ traduntur, maxime quod creaturam ab æterno esse ejus essentiæ repugnet.

An aliquid ab æterno Deus creare potuerit.

I. Postquam ita constituimus, reipsa nihil hactenus ex æterno condidisse Deum, videamus modo utrum saltem creare aliquid ejusmodi potuerit, an vero creatarum ab rerum natura et conditione id sit alienum. Hoc enim e tribus quæ initio capitis antecedentis attulimus superest postremum. Quam quidem quæstionem theologorum hodie scholis ereptam ad suas philosophi transtulerunt. Sed nos ei locum proprium inter theologicas istas velut postliminio reddemus. Non enim aut obscura sunt aut silentio premenda de illa Patrum antiquorum placita, quæ qui ad id solum spectare putant quid reipsa factum sit a Deo non quid facere potuerit, ac rerum natura quid per se ferat (complures autem ita dictitant), multum aberrant a vero, atque a nobis dedocti suum hic deponent errorem.

Nulla res a Deo creari ab æterno, etiam de absoluta potestate, potest.

Sic igitur habeant, rem nullam a Deo creari ex æterno potuisse, communem esse veterum illorum qui de eo tractarunt sententiam, eoque adversus Arianos argumento sæpe ac libenter usos esse. Horum qui sic diserte sentiunt ordinem ducet is qui princeps oppugnandæ Arianæ perfidiæ ac fons cæterorum, Photii judicio fuit Athanasius[2]. Cujus in secunda *contra Arianos* disputatione expressa sunt ista[a]. « Quod si curiosius inquirant, cur Deus cum semper facere possit non semper faciat, furentium hæc quidem est audacia. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius ejus fuit*[3]? aut *quomodo dicet figmentum figulo : Cur me ita fecisti?* Sed ut ne vel tenui aliqua inventa ratione sileamus, audiant : tametsi Deus possit semper facere, at res creatas æternas esse non posse. Quippe ex non extantibus sunt, et non erant antequam fierent. Quæ autem non sunt antequam fiant, quinam poterant cum Deo qui semper est existere? » Hæc Athanasius, cujus argumentatio non de eo solum quod reipsa factum est, sed de eo quod absolute potest fieri procedit.

II. Ac ratio ejusdem imprimis observanda theologo est : proprium hoc et insitum esse creatis omnibus ut ex nihilo fiant ac nihil fuerint antequam fierent. Qua una creaturarum nota cum Dei Filium impius Arius afficere ausus esset, in catholicorum præsulum qui apud Nicæam convenerunt execrationem incidit, hac formula conceptam : « Eos autem qui dicunt : Erat quando non erat, aut non erat antequam fieret, et quia ex non extantibus factus est, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. »

Hoc enim nativo charactere insigniri creatura et a creatore discerni solet. Quem in eadem oratione commendat his verbis Athanasius : « Ex quibus verbis si voluissent, intelligere possent alium esse opificem, alia esse opera, atque illum quidem esse Deum, hæc autem res creatas ex non extantibus factas. Nam quod dicitur, ipsi peribunt, non sic dic-

[a] ATHAN. Ἐὰν δὲ περιεργάζωνται διὰ τί ὁ Θεὸς ἀεὶ δυνάμενος ποιεῖν, οὐκ ἀεὶ ποιεῖ, μαινομένων μὲν καὶ αὕτη τόλμα· τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου; ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; ἢ πῶς ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ κεραμεῖ, τι με οὕτως ἐποίησας; ἵνα δὲ κἂν ἀμυδρόν τινα λογισμὸν εὑρόντες μὴ σιωπήσωμεν, ἀκουέτωσαν, ὅτι εἰ καὶ τῷ Θεῷ δυνατὸν ἀεὶ ποιεῖν, ἀλλ' οὐκ ἠδύνατο τὰ γενητὰ ἀΐδια εἶναι· ἐξ οὐκ ὄντων γάρ ἐστι, καὶ οὐκ ἦν πρὶν γένηται· τὰ δὲ οὐκ ὄντα πρὶν γένηται, πῶς ἠδύνατο συνυπάρχειν τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ;

1 Lib. II. cap. II. — 2 Cod. 140. — 3 *Rom.* XI. 34.

tum est, quasi in exitium concessura creatura sit, sed ut ex fine creatarum rerum naturam demonstret. Etenim quæ interire possunt etsi non intereant beneficio conditoris, ea tamen ex non extantibus facta sunt, ac non fuisse aliquando testimonio comprobatur [a]. » Vides ut naturam esse rerum creatarum hanc asserat, uti aliquando non fuerint. Et alibi : « Proprium est creaturarum et operum non esse antequam fiant, et ex non extantibus subsistere [b]. »

Item in epistola *ad Africanos* Filium Dei non esse creaturam probat, quod divinitatis notæ ac proprietates in eo sint cujusmodi in creatura esse nequeunt, inter quas et τὸ ἀΐδιον *æternitatem* recenset. « Habet, inquit, ille vim creandi, condendi, æternitatem, ut sit omnipotens, immutabilis; contra quæ creata sunt creare non possunt; quippe quæ ipsa creaturæ sunt, neque æterna esse possunt quoniam ab initio aliquo incipiunt esse; neque omnipotentia et immutabilia esse queunt. Nam alterius potestate continentur et naturæ sunt mutabilis, ut sacræ Litteræ testantur [c]. » Quapropter ut omnipotentia immutabilitas, creandi potestas neque reipsa creaturis communicatæ sunt, neque communicari omnino possunt, ne absoluta quidem ut loqui solent Dei potentia. Sic æternitas et existendi sine ullo initio perpetuitas quæ illis adjungitur nota divinitatis, in creaturam transferri nullo modo potest. Quippe ut Amphilochius scribit, « quidquid temporis expers est, id est increatum, quod est increatum caret principio, quod caret principio, est æternum, æternus autem est solus Deus [d]. » Ubi principium intelligit quod efficienter aliquid procreat.

III. Eamdem rationem ex creatarum rerum natura petitam pulcherrime Gregorius Nyssenus explicat in primo libro *adversus Eunomium* [e]. Hoc enim Deum inter et creaturam interesse ait, quod divinitas increata sit et ab nullo cœpta primordio omnium sæculorum spatia transcendat, creatura autem omnis cum intervallo aliquo ævique spatio consideretur, quem αἰῶνα nominat, quo cum implicata est creaturæ notio atque conditio. Divinitas autem est προαιώνιος id est « *omnia antegressa sæcula,* et antiquioris ac recentioris diversitatem effugit, eo quod in divina beataque vita nihil eorum spectari potest quæ in creatura proprie ratio nostra contemplatur. Si quidem omnis creatura, sicut dictum est, secundum ordinem quemdam ac seriem producta sæculorum spatiis exæquatur, etc. » Igitur creaturæ est illud insitum omni uti definito circumscribatur spatio et ab aliquo initio procedat, in eaque sit prioris posteriorisque successio, quam Nyssenus « antiquioris ac recentioris seriem et temporis ordinem successionemque » nominat. At in Deo nihil est hujusmodi, nulla inquam spatii ac temporis est productio, sed *solum causæ et ejus quod ex causa est*, hoc est originis discrimen, *sine ulla dimensione et extensione,* in qua prius sit ac posterius unum altero. Quod cum dicit Gregorius, ad divinarum personarum origines et processiones respicit, quæ simul ex æterno sunt, etsi unius altera sit causa vel principium. Hinc autem perspicuum est, non posse creaturam aliquam ex æterno produci, quemadmodum ex æterno procreatum a Patre esse Filium ex Ariana factione quidam existimarunt, ut Psathyriani de quibus suo loco [1]. Quippe cum rerum crea-

a Athan. Ἐξ ὧν καὶ αὐτοὶ συνιδεῖν ἠδύναντο, εἴπερ ἤθελον, ὅτι ἄλλος μὲν ἐστιν ὁ δημιουργῶν, ἄλλα δὲ τὰ δημιουργήματα, καὶ ὁ μὲν θεὸς ἐστι, τὰ δὲ γενητά ἐστιν ἐξ οὐκ ὄντων πεποιημένα· τὸ γὰρ λεγόμενον νῦν· αὐτοὶ ἀπολοῦνται, οὐκ εἰς ἀπώλειαν ἐσομένης τῆς κτίσεως φησίν· ἀλλ' ἵνα ἀπὸ τοῦ τέλους τὴν τῶν γενητῶν δειξῃ φύσιν· τὰ γὰρ δυνάμενα ἀπολέσθαι, κἂν μὴ ἀπόληται διὰ τὴν χάριν τοῦ πεποιηκότος, ταῦτα ὅμως ἐξ οὐκ ὄντων γέγονε, καὶ τὸ μὴ εἶναί ποτε αὐτὰ μαρτυρεῖται.

b Idem, orat. III. Ἴδιον γὰρ τῶν κτισμάτων καὶ ποιημάτων τὸ μὴ εἶναι πρὶν γενέσθαι, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ὑφίστασθαι.

c Idem, *ad Afric.* Ἔχει δὲ τὸ κτίζειν, τὸ δημιουργεῖν, τὸ ἀΐδιον, τὸ εἶναι παντοκράτωρ, τὸ ἄτρεπτον· τὰ δὲ γενητὰ οὐ δύναται ἔχειν τὸ δημιουργεῖν· κτιστὰ γὰρ ἐστιν· οὐδὲ τὸ ἀΐδιον, ἀρχὴν γὰρ ἔχει τοῦ εἶναι· οὐδὲ τὸ παντοκράτωρ, καὶ ἄτρεπτον· κρατούμενα γὰρ, καὶ τρεπτῆς φύσεώς ἐστιν, ὥσπερ αἱ Γραφαὶ λέγουσιν.

d Amphil. apud Damasc. in *Eclog.* Τὸ ἄχρονον, ἄκτιστον· τὸ δὲ ἄκτιστον, ἄναρχον· τὸ δὲ ἄναρχον, ἀΐδιον· ἀΐδιος δὲ μόνος ὁ θεός.

e Nyssen. edit. Grets. Πάντων τῶν ὄντων, τὸ μὲν, διὰ τῆς κτίσεώς ἐστι· τὸ δὲ πρὸ τῆς κτίσεως· καὶ ὅτι ἡ μὲν θεία φύσις ἄκτιστος εἶναι πεπίστευται, ἐν ᾗ τὸ μὲν αἴτιον, τὸ δὲ ἐξ αἰτίου τὴν ὑπόστασιν ἀδιαστάτως ἔχειν ὁ τῆς εὐσεβείας διδάσκει λόγος· τῆς δὲ κτίσεως ἐν παρατάσει τινὶ διαστηματικῇ θεωρουμένης, πᾶσα χρονικὴ τάξις, καὶ ἀκολουθία τῶν γεγονότων διὰ τῶν αἰώνων καταλαμβάνεται· ἡ δὲ προαιώνιος φύσις ἐκπέφευγε τὰς κατὰ τὸ πρεσβύτερόν τε, καὶ νεώτερον διαφορὰς, τῷ μὴ συνθεωρεῖσθαι τῇ θείᾳ, καὶ μακαρίᾳ ζωῇ ὅσα περὶ τὴν κτίσιν ἰδίως ὁ λόγος βλέπει· ἡ μὲν γὰρ κτίσις πᾶσα, καθὼς εἴρηται, κατὰ τινὰ τάξεως ἀκολουθίαν γεγενημένη, τῷ τῶν αἰώνων διαστήματι παραμετρεῖται, etc.

1 Theodor. libro IV. *de Hær.*

tarum natura complexa est initii et successionis notio, uti prius non fuerint et ab anteriore aliqua causa procreatæ sint.

Brevius hoc sed magno cum pondere Basilius adversus eumdem Eunomium intorquet. « Nos autem, ait, ejusdem insaniæ esse putamus tum creaturæ æternitatem adscribere, tum creaturæ dominum hoc testimonio privare [a]. »

Methodii disputatio.

IV. Sed his omnibus antiquior Methodius martyr idipsum egregie confirmat cum adversus Origenem contendit mundum ex æterno creatum a Deo minime fuisse. Nam non potuisse demonstrat, quia « impossibile est id quod initio productionis est circumscriptum, simul cum eo quod finem ac terminum nullum habet, fine itidem ac termino carere [b]. » Ac proxime ante dixerat γενητὸν, id est, *factum et creatum*, nihil esse quod non γενέσεως principium haberet, ex quo ἀπέραντον, id est, *expertem termini*, non posse esse concludit : quare συναπέραντον idem est quod συναΐδιον, quod expressis subinde verbis aperit. « Quod simul interminatum est, ait, cum ortus initium non habeat, una ingenitum et æqualis virtutis esse necesse est [c]. »

Ortus.

Cæterum Methodii tota illa disputatio plus idcirco momenti habet ad propositam quæstionem, quod cum rebus creatis æternitatem detrahit, non sic interpretari licet ut eam solam adimat quæ Dei est propria ac neque participata neque mutabilis est, qualem Boetius in eorum etiam opinione qui mundum ex æterno factum aiebant, in eum negabat congruere, adeo ut ne sic quidem Deo συναΐδιος haberi posset. Methodius vero de hac ipsa quam oppugnamus necessario intelligendus est, participata videlicet ac secunda, quam mundo assignabat Origenes qui auctorem utique ac conditorem illius fassus est Deum. Ita majorem vim ad id quod volumus, Methodii locus ille continet.

Coæternus.

V. Zacharias Mitylenæus [1] in disputatione *de Mundi opificio* polita imprimis et eleganti fuse idem argumentum exequitur [d]. Probat enim neque mundum neque rem aliam creatam ex æterno potuisse fieri, quoniam id proprium Dei sit ejusque nota singularis ac nulli communicabilis, ab æterno existere. Et quamvis æternitatem ejusmodi describat Dei quæ mutationem excludat adeoque successionem, ut ex ejus verbis constat quæ antecedenti capite descripsi; tamen universe, absoluteque negat ex æterno potuisse esse mundum, tanquam non aliter communicari cum rebus creatis æternitas illa expers initii queat nisi cujusmodi est in Deo. Quinetiam duplex ejus rei argumentum indicat, alterum quod et alii Patres ut supra meminimus inculcant : Creaturam omnem in natura et essentia sua insitam, et implicatam habere proprietatem hanc « ut in tempore esse cœperit sitque mutabilis, ut sit Dei solius proprium æternum esse; ita ut annexum et implicatum sit illi uno modo ut semper ipse sit et solus et immutabiliter existat. Nihil igitur eorum quæ natura sua verti mutarique possunt, omninoque moveri ac quiescere, coæternum esse Deo suspiceris. Ita enim quod solum proprium est ipsius, et solum et semper ac dignitatum ejus velut colophon quidam non subtrahemus, fingentes communicare cum ipso aliquid eorum quæ natura sunt mutabilia ac revera non sunt [e]. » Nimirum quia res omnis creata, ut substantiam existentiamque finibus certis ac terminis circumscriptam habet, ita mensuram existendi quam *durationem* vocant. Tum quod mutabilis est omnis ac motus et quietis capax. Neque enim otiosa et actione vacua esse omnino potest. Itaque agit semper aliquid, et actio illa motio quædam est ac mutatio, quam intervallum aliquod metitur temporis aut ævi. Quod argumentum paulo post iterum tractabitur.

a Basil. libro II. *contra Eunom.* Ἡμεῖς δὲ τῆς αὐτῆς λογιζόμεθα παρανοίας, καὶ τῇ κτίσει προσμαρτυρεῖν τὸ ἀΐδιον, καὶ τὸν δεσπότην τῆς κτίσεως τῆς ὁμολογίας ταύτης ἀποστερεῖν.

b Method. apud Phot. cod. 235. Ἀδύνατον γὰρ τὸ γενέσεως ἀρχῇ περιορισθὲν συναπέραντον εἶναι τῷ ἀπεράντῳ.

c Ib. Τὸ γὰρ συναπέραντον μηδαμῶς ἀρχὴν γενέσεως ἔχον, καὶ συναγένητον, καὶ ἰσοδύναμον ἀνάγκη τυγχάνειν.

d Zachar. Οὐκοῦν ἀνάγκη ζητεῖν, τί ἂν εἴη Θεοῦ ἰδιώτατον γνώρισμα, ὃ μόνῳ καὶ μόνως αὐτῷ πρόσεστι, καὶ ἀεὶ, et cætera, quæ capite antec. citata sunt.

e Idem. Τἄλλα δὲ γενητὰ, καὶ τρεπτὰ, χρονικὴν ἔχοντα τὴν ἀρχὴν καταφάσκειν· ἵν' ᾖ μόνου Θεοῦ τὸ ἀΐδιον συμπλεκομένου περὶ αὐτὸν ἑνοειδῶς τοῦ ἀεί τε αὐτὸν εἶναι, καὶ μόνον, καὶ ἀτρέπτως εἶναι· μηδὲν οὖν τῶν πεφυκότων τρέπεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ὅλως κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν τῷ Θεῷ συναΐδιον ὑποτοπήσῃς· οὕτω γὰρ ἂν τὸ μόνον ἴδιον αὐτοῦ, καὶ μόνως, καὶ ἀεὶ κολοφῶνα ὄντα τῶν ἀξιωμάτων τῶν αὐτοῦ, οὐ περιαιρήσομεν, κοινωνὸν αὐτοσχεδιάζοντες αὐτῷ τῶν πεφυκότων τρέπεσθαι, καὶ μὴ ὄντως ὄντων.

1 Tom. I. *Biblioth. Patrum Græco-Lat.*

Alterum argumentum.

VI. Alterum argumentum[1] : « Si coæternus esset mundus Deo, cum ea quæ sunt coæterna, simul sint, quæ vero sunt simul, ex se mutuo causam efficientem habere nequeant; consequens erit mundum causam ex Deo efficientem habere non posse, nisi forte id quod fit umbræ instar esse oporteat, aut velut complementum quoddam substantiæ id quod oritur ad id unde oritur assumi, quemadmodum in sole et splendore accidit, vel consubstantiale certe illi esse, uti in Patre et Filio cernimus. Sed si causa ipsa sit efficiens, et mente ac voluntate prædita, et diversæ a se substantiæ sit efficax [a]. » Non putat hic Zacharias effectum ullum ab causa sempiterna produci ex æterno posse, quod quidem libere et cum electione non necessario propagetur, eo modo quo ab naturis proprietates fluere dicuntur, aut a sole fulgor. Nihil igitur non modo reipsa creatum esse, sed ne creari quidem ab æterno potuisse Zacharias arbitratus est. Quod et diserte antea his verbis significaverat : « Non enim ex æterno mundum condidit. Propria quippe Dei solius æternitas, neque mundus ejus potest esse particeps [b]. » Qui quidem quod mundum proprie factum a Deo esse memorat, non ut umbra e corpore sponte sua manasse, ex Ambrosio potest illustrius reddi, qui illa[2] Davidis verba perpendens, *Omnia in sapientia fecisti*, ita scribit : « Nec otiose utique factum legimus, quia plerique qui coæternum Deo mundum volunt esse, quasi adumbrationem virtutis divinæ, asserunt etiam sua sponte subsistere, et quamvis causam ejus Deum esse fateantur, causam tamen volunt non ex voluntate et dispositione sua, sed ita ut causa umbræ corpus est. Adhæret enim umbra corpori et fulgor lumini, naturali magis societate quam voluntate arbitra[3]. »

Sic idem Zacharias : « Oportet, inquit, antiquiorem esse opificem opere suo et conditorem conditis rebus si quidem quod facit re facta posterius est causa et tempore, nisi forte non voluntaria causa debet esse minimeque considerata, quemadmodum umbræ corpus et splendoris id quod lucidum est. Quinam enim opifex erit opifex, si non volens ejus quod fecit, opifex fuerit? aut si velut umbra corpus, ita simpliciter opificem secutum est casu quodam simul existens cum illo istud universum [c]? »

VII. Cyrillus item Alexandrinus sæpius inculcat quod factum et creatum est, æternum esse non posse. Ut in *Thesauri* libro XXXII Filium, quod æterna sit vita, non esse factum concludit : « Quidquid enim omnino factum est, non est æternum [d]. » Et postea ex eo quod Verbum *in principio* fuit, probat non esse creatum : « Quod enim omnino per creationem ad hoc ut esset deductum est, non potest intelligi a principio extitisse [e]. » Ergo ne absoluta quidem potentia fieri potuit ab æterno, quoniam ne intelligi quidem potest. Eodem argumento utitur etiam in fine dialogi secundi *de Trinitate*. Et in quarto ante omnem existentis creaturæ notionem necessario ait cogitari non esse ipsam. Maximus martyr libro *de Charitate* capite VI. « Quidam, ait, asserunt ex æterno cum Deo creaturas existere, quod fieri non potest. Quomodo enim cum eo quod omnino est infinitum, simul existere possunt ex æterno quæ omnino definita sunt? Aut quinam proprie opera sunt, si opifici coæterna? Atqui Græcorum propria est hæc oratio, qui substantiarum nullo modo, qualitatum vero duntaxat molitorem esse Deum affirmant. Nos autem omnipotentem agnoscentes Deum, non qualitatum sed affectarum qualitatibus substan-

a Zachar. Εἰ γὰρ συναΐδιος ὁ κόσμος θεῷ, τὰ δὲ συναΐδια τῶν ἅμα ἐστί· τὰ δὲ ἅμα ὄντα ἐξ ἀλλήλων αἰτίαν ἔχειν οὐ δύναται ποιητικήν· ὁ ἄρα κόσμος ἐκ θεοῦ ἔχειν αἰτίαν οὐ δύναται ποητικὴν, εἰ μέλλοι τὸ γινόμενον μὴ σκιά τις εἶναι· μηδὲ εἰς τὸν τοῦ εἶναι λόγον, καὶ ὡς συμπληρωτικὸν τῆς οὐσίας τὸ αἰτιατὸν τῷ αἰτίῳ παραλαμβάνεσθαι καθάπερ ἐπὶ τοῦ ἡλίου, καὶ τοῦ ἀπαυγάσματος· ἢ ὡς ὁμοούσιον αὐτῷ, ὡς ἐπὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ· ἀλλ' ἡ αἰτία ποιητική τις εἶναι, καὶ ἔμφρων, καὶ προαιρετικὴ, καὶ οὐσίας παρηλλαγμένης ποιητική.

b Οὐ γὰρ δὴ ἐξ ἀϊδίου· ἴδιον γὰρ μόνον τοῦ θεοῦ τὸ ἀΐδιον, καὶ οὐκ ἂν ὁ κόσμος αὐτῷ τοῦτο συνεπιμερίσαιτο.

c Zachar. ibid. Δεῖ γὰρ πρεσβύτερον εἶναι τοῦ ποιήματος τὸν ποιητὴν, καὶ τῶν δημιουργημάτων τὸν δημιουργὸν, εἴπερ τὸ ποιούμενον δεύτερόν ἐστι τοῦ ποιοῦντος αἰτίᾳ, καὶ χρόνῳ· εἰ μέλλει μὴ ἀβούλητος αἰτία τυγχάνειν, καὶ οὐ λελογισμένη· ὥσπερ τῆς σκιᾶς τὸ σῶμα, καὶ τῆς λαμπηδόνος τὸ ἀπαυγάζον· πῶς γὰρ ἂν εἴη δημιουργὸς ὁ δημιουργὸς, εἰ μὴ βουλόμενος ὃ πεποίηκεν (for. οὗ πεποίηκεν) εἴη δημιουργός; ἢ εἰ ὥσπερ τῷ σώματι ἡ σκιὰ, οὕτως ἁπλῶς καὶ τῷ δημιουργῷ παρηκολούθησεν ἐκ ταὐτομάτου παρυποστὰν τόδε τὸ πᾶν;

d Cyril. Τὸ γὰρ ὅλως γενηθὲν, οὐκ αἰώνιον.

e Ibid. Τὸ γὰρ ὅλως διὰ τοῦ πεποιῆσθαι πρὸς τὸ εἶναι κεκλημένον οὐκ ἂν ὑπάρχειν ἐν ἀρχῇ νοοῖτό ποτε. Vide et librum nonum *Thes.* p. 67.

1 Zach. ib. vide et antea. — 2 *Psal.* CIII. 24. — 3 Lib. I. *Hexa.* cap. 5.

tiarum artificem eum esse dicimus. Quod si ita est, non ab æterno simul existunt cum Deo creaturæ [a]. » Idem apud Euthymium æternitatem solius esse Dei propriam neque communicari cum re altera quæ Deus non est, ex eo probat quod solus proprie sit. « Unus, inquit, solusque natura semper est proprie Deus, qui totum esse proprie omnimodo in seipso complectitur, tanquam ipso esse proprie superior. Quod si ita est, nihil penitus eorum quæ esse dicuntur, ullo modo habet ut proprie sit. Quare nihil omnino cum ipso consideratur existens ab æterno, quod sit essentia diversum, non sæculum, non tempus, non aliquid ex iis quæ in illo degunt. Non enim unquam quadrare invicem queunt proprie esse et non proprie [b]. » Hic Maximus nullam omnino formam æternitatis derivari in creaturam posse perhibet, quia nihil aliud ex æterno potest esse nisi quod a se est, hoc est Deus, sive quod ex nihilo non est, ut et Joannes Damascenus ratiocinatur [1], cujus cum superiore illa Zachariæ consentanea est oratio. « Creatura, inquit, cum voluntatis Dei sit opus, non est Deo coæterna. Non enim natura fert ut quod ex nihilo ad esse provectum est, coæternum sit ei qui principio caret estque semper [c]. » Nec aliter Anselmus in *Monologio* [2]. « Nam vel hoc solo veram æternitatem soli inesse illi substantiæ quæ sola non facta sed factrix esse inventa est, aperte percipitur; quoniam vera æternitas principii finisque meta carere intelligitur, quod nulli rerum creatarum convenire eo ipso quod de nihilo factæ sunt, convincitur. »

VIII. Sane Tertullianus Hermogenem qui materiam Deo coæternam esse fingebat, non alio refellit argumento nisi quod æternitas in solum Deum natura convenit [3]. « Quis enim alius Dei census, ait, quam æternitas? quis alius æternitatis census, quam semper fuisse et futurum esse, ex prærogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit cujus est proprium. » Et in primo *contra Marcionem* capite XXII : « Omnia, inquit, in Deo naturalia et ingenita esse debebunt, ut sint æterna secundum statum ipsius ne obvenientia et extranea reputentur, ac per hoc temporalia et æternitatis aliena. » Quidquid ergo non ingenitum, hoc est, infectum est, et extraneum adventitiumque Deo, id æternum esse non potest.

Augustinus vero cum idem asserit, tum ejus causam acute imprimis eruditeque affert ejusmodi. Etenim creaturam omnem tempus consequitur. Nam « ubi nulla creatura est cujus mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt. Ac per hoc et si semper fuerunt (de angelis loquitur quos Deo coæternos negat fuisse) creati sunt, nec si semper fuerunt, ideo creatori coæterni sunt. Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt. Sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt. Tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas angelorum non transit in tempore, nec præterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt, et ideo creatori in cujus motu dicendum non est vel fuisse quod jam non sit, vel futurum esse quod nondum sit, coæterni esse non possunt [4]. »

Quæ Augustini disputatio in pauciora contrahi sic potest. Quidquid enim est, id actionem aliquam, et operationem habet. « Nam quod nullam neque vim, neque operationem habet, ait Dionysius, id neque est, neque est

a MAXIM. Τινές φασι συνυπάρχειν ἐξ ἀϊδίου τῷ Θεῷ τὰ δημιουργήματα· ὅπερ ἀμήχανον· πῶς γὰρ τῷ πάντη ἀπείρῳ τὰ κατὰ πάντα πεπερασμένα συνυπάρχειν δύναται ἐξ ἀϊδίου; ἢ πῶς κυρίως δημιουργήματα, εἰ συναΐδια τῷ δημιουργῷ; ἀλλ' οὗτος ὁ λόγος τῶν ἑλλήνων ἐστὶν, οἵ τινες οὐσίαν μὲν οὐδαμῶς, ποιοτήτων δὲ μόνον δημιουργὸν τὸν Θεὸν εἰσάγουσιν· ἡμεῖς δὲ τὸν παντοδύναμον ἐγνωκότες Θεὸν οὐ ποιοτήτων, ἀλλ' οὐσιῶν πεποιωμένων δημιουργὸν αὐτὸν εἶναί φαμεν· εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ ἐξ ἀϊδίου συνύπαρκτα τῷ Θεῷ τὰ δημιουργήματα.

b MAXIM. apud Euth. *Panop.* par. I. tit. III. Εἷς καὶ μόνος κατὰ φύσιν ἀεὶ κυρίως ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὅλον τὸ κυρίως εἶναι κατὰ πάντα τρόπον ἑαυτῷ περικλείων, ὡς καὶ αὐτοῦ τοῦ εἶναι κυρίως ὑπέρτερος· εἰ δὲ τοῦτο, οὐδαμῶς οὐδὲν οὐδαμοῦ τῶν εἶναι λεγομένων τὸ σύνολον ἔχει τὸ κυρίως εἶναι· οὐκοῦν οὐδὲν αὐτῷ τὸ παράπαν ἐξ ἀϊδίου συνθεωρεῖται κατ' οὐσίαν διάφορον, οὐκ αἰών, οὐ χρόνος, οὐδέ τι τῶν τούτοις ἐνδιαιτωμένων· οὐ γὰρ συμβαίνουσιν ἀλλήλοις ποτὲ τὸ κυρίως εἶναι, καὶ οὐ κυρίως.

c DAMASC. Ἡ δὲ κτίσις ἐπὶ Θεοῦ θελήσεως ἔργον οὖσα, οὐ συναΐδιός ἐστι τῷ Θεῷ· ἐπειδὴ οὐ πέφυκε τὸ ἐκ μὴ ὄντος, εἰς τὸ εἶναι παραγόμενον συναΐδιον εἶναι τῷ ἀνάρχῳ, καὶ ἀεὶ ὄντι.

1 Lib. I. cap. VIII. — 2 Cap. XXVII. — 3 Libro *contra Hermog.* cap. IV. — 4. Lib. XII. *de Civit. Dei.* cap. XV.

aliquid, nec ejus fieri ulla potest aut positio, aut ablatio [a]. » At omnis operatio creaturæ cum motu conjuncta est, habetque prioris posteriorisque discrimen, adeoque tempus, quod Augustinus luculenter exponit in tractatu octavo et tricesimo in *Joannem*. « Nam in omnibus, inquit, actionibus et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturæ duo tempora invenio, præteritum et futurum. » Et mox : « Præteritum et futurum invenio in omni motu rerum, in veritate quæ manet, præteritum et futurum non invenio, sed solum præsens et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. » Porro tempus ex æterno esse non potuit, quod totum ex præterito et futuro constat. Hæc Augustinus quæ in philosophorum præcipue scholis diligentius enarrantur. Fulgentius quoque in primo libro *ad Monimum* capite XII æternitatem creatis rebus non posse communicari his verbis asseverat : « Sicut omne creatoris opus sine initio non potuit nec potest fieri, sic illa sempiterna voluntas ejus nunquam mutabilitati subjacet, quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est ut esse non cœperit, procul dubio sic est ut id quod est non esse non possit. Vera igitur immutabilitas digne vera vocatur æternitas. »

IX. Eodem etiam et complurium antiquorum ratiocinatio illa spectat, qui adversus Arianos Dei Filium æternum esse contendunt, quia Deus est; quod non esset consequens si æternum posset aliquid esse præter Deum, præsertim cum in promptu essent qui aut mundum ab æterno creatum a Deo dicerent, ut Origenes, aut ipsum etiam Dei Verbum, ut Ariani quidam quos Psathyrianos appellatos esse testis est Theodoretus [1]. Qui igitur nihilominus ex eo contendebant Deum esse Filium Dei, quod extiterit ab æterno, tacite utique sumebant, nullam rem alteram non solum ex æterno non fuisse, sed ne esse quidem potuisse. Ac nos alibi quidem de hoc argumenti genere plenius agemus [2]. Nunc unius Augustini loco qui cum superioribus maxime congruit contenti erimus. Scribit is adversus Felicianum qui Filium Dei creaturam profiteri non dubitabat in hunc modum : « Nihil quod credulitate dignum videatur opponis. Creatura namque est ex eo quod aut adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cujuslibet corruptibilis quantum in se est per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia [3]. » Tum longe hoc abhorrere a filii Dei natura et conditione demonstrat. Nam « ille non ex eo quod non est in id quod est, et propterea nunquam in id quod non est, ex eo quod est. Illa ex eo quod non est in id quod est, et propterea quantum ad se attinet, ex eo quod est in id quod non est sui ortus conditione revertitur. » Quibus posterioribus verbis rursus aliud continetur argumentum, quo nulla ex æterno posse esse creatura monstratur. Quod enim ex æterno est, id ex sese ac natura sua perire ac desinere non potest, ut veteribus theologis placet; quemadmodum e contrario quidquid ortum et initium habuit, ex sese capax est interitus, ut in *Timæo* Plato docuit, apud quem summus Deus inferiores a seque ortos deos compellans. « Quoniam, inquit, orti estis immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis [b]. » Itaque mox Augustinus plenius : « Dixi, inquam, de Filio, cum eum a creaturæ definitione discernerem, quoniam is non ex eo quod non est in id quod est, quod tale est ac si dicerem, non ex nihilo factus est. Et propterea nunquam in id quod non est ex eo quod est, id est nunquam in nihilum ex eo ipso quod est, naturæ suæ proprietate solvendus est. Creatura vero ex eo quod non est in id quod est, quo ostenditur quia ex nihilo prolata est, et propterea quantum ad se attinet, ex eo quod est in id quod non est, id est in nihilum, nisi perpetua gratia fecerit, naturæ suæ qualitate vertenda est. Ergo nunquam non erit Filius, qui substantialiter docetur esse perpetuus. » Quocirca cum omnis creatura natura sua et substantialiter, ut cum Augustino loquar, desinere possit et in nihilum redigi, fieri nequit ut ex æterno et non ex nihilo aliquando fuerit. Quod enim est ab æterno, id necessario semper est, nec in potestate est cujusquam illius extinctio, quod in creaturam cadere non potest, sed solius est Dei proprium, quem sic merito compellat Hilarius, unaque id quod volumus affirmat in carmine *de Genesi ad Leonem papam :*

Semper eris, quia semper eras, non mortis
[egenus

a DION. Τὸ μηδεμίαν δύναμιν ἢ ἐνέργειαν ἔχον, οὔτε ἐστὶν, οὔτε τι ἐστὶν, οὔτε ἔστι παντελῶς αὐτοῦ θέσις, ἢ ἀφαίρεσις.

b Διὸ ἐπείπερ ἐγένεσθε, οὐκ ἀθάνατοι μὲν ἐστε, οὐδὲ ἄλυτοι τὸ πάμπαν.

1 Lib. IV. *contra Hæret.* — 2 Lib. II. *de Trinit.* — 3 Tom. VI. cap. VII.

Qui natalis inops, nec finem noverit ævi.
Ex se principium cui contigit, haud manet [alter
Auctorem casus, nascentia terminus urget.

X. Ad extremum, christiani scriptores, qui Aristotelis de mundi æternitate sententiam oppugnarunt, in hoc potissimum loco constiterunt quem supra posui : quodcumque fit, id antequam fieret nondum extitisse, adeoque non ab æterno fuisse, maxime illa quæ successione constant ut tempus ac motus. Sic Justinus in confutatione dogmatum Aristotelicorum, cujus ista sunt verba : « Si id omne quod fit antequam fieret non erat, non igitur æternum et principii expers tempus est. Quare neque motus est æternus expersque principii, cujus numerus est tempus[a]. » Plura ad idem argumentum in eo loco disputantur, quæ philosophorum lucubrationibus magis congruunt quam theologorum, quemadmodum et illa quæ late Philoponus in libro contra mundi æternitatem ejusque propugnatorem Proclum exposuit. Ubi trita illa sed firmissima adversus Aristotelem objicit, quod et infinitum actu ac reipsa ponitur si mundus extitit ab æterno, contraquam ipsi visum est Aristoteli, quippe cum infinita numero individua rerum omnium extiterint, quæ ex infinito intervallo ortum habuerunt. Et infinitum transiri exhauririque potuit, quoniam infinitarum generationum quocumque in tempore postrema designari potest. Adde infinitum illud temporis spatium quod ex æterno fluxit, finita singulorum exempli causa hominum vitæ intervalla componere : finitum autem finito addictum non potest infinitum aliquid facere.

Est et aliud argumentum quo Anastasius Antiochenus mundum ab æterno non fuisse probat in oratione *de Evangelismo Beatæ Mariæ Virginis*, quam annuntiationem dicimus. « Etenim id cujus partes corrumpuntur, inquit, totum ipsum corruptelæ est capax. Quare cum partes mundi corrumpantur, nempe totus etiam corrumpetur ipse. Non est igitur æternus[b]. » Inter articulos damnatos a Stephano Parisiensi episcopo unus est quo dicitur, « Quod mundus est æternus quantum ad omnes species in eo contentas[1]. » Et VIII : « Quod impossibile est solvere rationes philosophi de æternitate mundi. » Et XI : « Quod mundus est æternus, quia omne quod habet naturam per quam possit esse in futuro toto, habet naturam per quam potuit esse in toto præterito. » Sed aliud est mundum ab æterno creari potuisse, aliud reipsa extitisse. Horum enim prius citra errorem propugnari potest ut a plerisque defenditur, et inter alios a Nicolao Cusano[2], posterius falsum ac merito ab Stephano damnatum est pluribus in articulis capitis illius.

CAPUT VII.

De Dei immensitate secundum locum. Eorum error qui non ubique esse Deum substantia putarunt, tam hæreticorum, quam cæterorum, et imprimis Eugubini ac Vorstii, quibus Scripturarum imprimis auctoritas opponitur sanctorum Patrum interpretatione firmata, nec non Gentilium ipsorum suffragio probata. Cyrilli opinio de veteribus Patriarchis, qui immensitatem Dei non intellexerint. Commune Judæorum duntaxat ea inscitia laborasse. Veteres quidam Patres, qui itidem ut isti sensisse videntur, commodum ad sensum referentur.

I. De æternitate dixi, quæ est ævi ac temporis immensitas. Huic comes adjungenda est immensitas altera, quæ in spatio ac loco spectatur. Nam duplex affectio rem omnem existentem naturaliter sequitur, locus et ætas, quam *durationem* nostrates philosophi vocant. Quippe tum alicubi esse id quod est oportet, tum aliquando. Quod enim vel nusquam, vel nunquam esse dicitur, id est nihil. Ut autem rei est esse sive essentia, sic ista, quæ dixi, duo sunt. Etenim quorum finita circumscriptaque est substantia, eorum tam definitum est spatium in quo existunt, quam tempus in quo sunt, esseve cœperunt. Nam quod cœpit, antequam inciperet non fuit. Itaque certo in

a Justin. confut. XXXI. Εἰ πᾶν τὸ γιγνόμενον πρὸ τοῦ γενέσθαι οὐκ ἦν, οὐκ ἄρα ἀΐδιός τε, καὶ ἄναρχος ὁ χρόνος· διὸ οὔτε ἡ κίνησίς ἐστιν ἀΐδιός τε, καὶ ἄναρχος, ἧς ὁ χρόνος ἐστὶν ἀριθμός.

b Anast. in Meursii edit. Lugdun. Bat. Ἀλλὰ πάντως οὗ τὰ μέρη φθείρονται, τοῦτο καὶ τὸ ὅλον φθορᾶς δεκτικόν· εἰ δὲ τὰ μέρη τοῦ κόσμου φθείρονται, δηλονότι καὶ τὸ ὅλον φθαρήσεται· οὐκοῦν οὐκ ἀΐδιος.

1 Tom. IV. *Biblioth. Patrum* cap. IV. art. 6. — 2 Lib. I. *de Doc. ignor.* cap. XXIV. pag. 19.

temporis ævique spatio initium habuit, et in eodem certo, quoad manet, perseverat; quod idem et de loco ubi sit dici convenit. Si quidem non potest non esse alicubi si est aliquid, ac si natura continetur, quam « causam et principium movendi et quiescendi[a] » definit Aristoteles, quod utrumque determinatum et tempus et locum requirit. At vero quod immensum est et infinitum, id certum ac definitum neutrum habet amborum, sed omnem et loci et temporis immensitatem exhaurit. Ejusmodi quem vera et christiana colit religio Deus est, de quo proinde verissime Prosper ista cecinit infinitatem utriusque commendans:

Ille manet simul acta tenens et agenda, futuris
Ulterior, tum præteritis prior, omnibus unus
Præsens, et solus sine tempore tempora condens
Utque ævi spatia ac numeros præcedit et exit,
Sic nullo immensus cohibetur fine locorum[1].

Ut quod Fulgentius contra Fastidiosum ait: « Divinitas ita sit naturaliter immensa, ut sit naturaliter sempiterna. »

Ubique esse Deum naturalis ratio dictat.

II. Præclare igitur ac pene christiane non christianus dixit auctor Plotinus, « Constare apud omnes homines qui de diis aliquid cogitant, non illum solum Deum (maximum scilicet omnium) verum etiam deos omnes ubique præsentes esse, ipsamque rationem ita esse concludere[b]. » Tum « id omni humanæ insitum esse naturæ dicit, ut simul esse Deum existimat, etiam ubique esse totum arbitretur[c]. »

Eugubini stupor Deum non ubique esse asserentis.

Quod ethnici hominis dictum pudore nonnullos afficere potest, qui sub christianæ professionis nomine tanto abjectius de Deo sentire ausi sunt, ut vel certis eum sedibus affixum, vel non ubique esse nisi sola efficientia et potestate, crederent. Inter quos neminem prius commemorandum arbitror quam Augustinum Steuchum Eugubinum, quod neminem incredibilius sit usque eo desipuisse, ut cum et catholicus et theologiæ minime rudis et in Romanæ gremio Ecclesiæ, hoc est arce fidei ac religionis institutus esset, in tanto stupore versari potuerit opinionis, Deum ut inesse negaret omnibus rebus, et iis hoc verbis testatum relinqueret, in commentario ad Psalmum centesimum tricesimum octavum ad hunc versum: *Intellexisti cogitationes meas de longe.* « Quod si inquit, altero modo placuerit intelligere *de longe*, id est e cœlo, quo non est a terris remotior locus, id quoque mirabilissimum est, maximumque divinæ scientiæ testimonium. Nam id quoque prorsus est incredibile maximeque stupendum, ut cum Deus cujus statio longius distat a terris quam ortus ab occasu, ibi tamen consistens, ut omnium gentium, vetustissimorumque hominum, ut ait Aristoteles, est consensus, videat quidquid geritur cœlo et terris. » Mox item: « Ac quanquam sit ab omnibus remotissimus, sedem enim habet celsissimam, perinde tamen omnia cernit ac si præsens sit. Ac videbatur pariter mirabile ipsi Prophetæ, ut qui in oriente esset, videret quæ fierent in occasu, atque Deus regnans in altissima regione, videat subjectas terras. » Subjicit iis Aristotelis in libro *de Mundo* consentaneam huic sententiam, de qua postea. Ac demum concludit *præsentiam illam*, qua Deus ubique esse dicitur, « non substantiæ esse sed potentiæ, tanquam radiorum, tanquam lucis ab eo manantis, omniaque implentis. » Post hæc versum illum explicans *Si ascendero in cœlum, tu illic es,* etc. hoc inter alia scribit: « Ut igitur sol est in cœlo corpore ac situ et statione sua, terras autem luminibus lustrat, omnia prospiciens; talem necesse est nos cogitare Deum, qui quidem essentia et præsentia sit in cœlo, spiritus ejus et cognitio et scientia usquequaque pertineat. » Hæc Eugubinus, ante quem partim gentiles, partim hæretici eodem in errore fuerunt, quos omnes quam potero brevissime complectar.

Gentiles in eodem errore versati.

III. Scribit Justinus martyr in *Parænetico,* Platonem « in primo supremi cœli eoque immobili orbe principem Deum et ideas collocare. Aristotelem vero non ideas post summum illum Deum, sed quosdam intelligibiles ibi deos constituisse. Ad hunc modum illi de

a Aristot. lib. I *Phys.* cap. I. Ὡς οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινος, καὶ αἰτίας· τοῦ κινεῖσθαι, καὶ ἠρεμεῖν.

b Plotin. *Enn.* 6. lib. V, c. IV. Ἔστι γὰρ ἀξιούμενόν τε παρὰ πᾶσι τοῖς ἔννοιαν ἔχουσι θεῶν, οὐ μόνον περὶ ἐκείνου, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων λέγειν θεῶν, ὡς πανταχοῦ πάρεισι· καὶ ὁ λόγος δέ φησι δεῖν οὕτω τίθεσθαι.

c Ἐν πάσῃ φύσει ἀνθρώπου ὁμοῦ θεὸν νομίζειν, καὶ πανταχοῦ τὸ αὐτὸ ἅμα ὅλον εἶναι.

1 Sent. 289.

iis quæ in cœlo sunt, inter se dissentiunt [a]. » Et sub finem ejusdem libri : « Aristoteles certe tanquam ea quæ sunt in cœlo, accuratius quam Plato vidisset, non ut iste Deum in ignea esse substantia dixit, sed in quinto quodam elemento æthereo versari illum asseruit [b]. « Quæ ab Aristotele contra Platonem scripta in libro *de Mundo* ad Alexandrum Justinus refert [1]. Sed hic liber non est Aristotelis. Quicumque porro est illius auctor, Deum affirmat in summo cœli vertice manentem moderari omnia et pro potestate continere, prorsus ut Homerus, aliique poetæ cecinerunt. Quem locum summa orationis elegantia ac rhetorico prope more depinxit sexto capite, unde totus pendet Eugubinus. In octavo vero *Physicorum* libro [2] primum illum ac summum agitatorem sempiternorum orbium, in ejus medio qui supremus omnium est residere asserit, ubi incitatissima est conversio. Et alibi extra cœlum, ubi nullum corpus est, iis quæ divina et immutabilia sunt stationem sedemque velut propriam assignat [3]. De Platonicis ac Stoicis ita Tertullianus in *Apologetico*: « Positum, inquit, extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc, intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat. »

Necnon veteres hæretici.

Ab iis ut cæteras commentorum nugas, ita fixam in summo rerum apice definitamque supremo numini sedem expressere veteres illi hæretici, qui inextricabilem illam deorum quos *æonas* nominabant seriem quasi gradatim extruxerunt, ut Valentiniani et Gnostici, de quibus Irenæus, Tertullianus, Epiphanius. Quibus adjungendi sunt Manichæi, qui quamvis Deum « infinita mole diffusum putarent [4], non tamen undique, sed tribus quadris infinitum atque immensum [5] ex una determinatum » esse finxerunt, ut narrat Augustinus. Titus etiam Bostrensis libro primo contra Manichæos horum decretum refellit istud : « Erat Deus et materia, lumen et tenebræ, bonum et malum in omnibus summe contraria, ut in nulla re alterum cum altero communionem et societatem haberet, ambo ingenita et viventia. » Ex quo id absurdum sequi dicit, ut ambo circumscripta fuerint, quod de Deo sentire sit nefas. Tatianus et ipse hæreticus ac sectæ propriæ conditor Deo certos limites constituit, dum illum negat *permeare materiam* [c], quæ utique res est aliqua. Ac tam ipse quam antiquiores alii nondum enucleata et subtilius limata dogmatis veritate, de Verbo Dei ac Filio tale aliquid opinati sunt. Nam Patrem immensum esse ac nullo spatio definiri posse credebant, ideo nulli unquam conspectum esse hominum. Verbum autem apparuisse solum, quod unum illud comprehendi certo loco posset. Quam sententiam neque paucorum, neque vulgarium ex antiquitatis memoria fuisse alibi constabit [6].

Et Ariani.

IV. Sed ut istis danda venia est, quorum prisca illa ætate velut sub ipsum fidei crepusculum caligabant oculi; sic Arianis ac cæteris, qui *jam sole infuso, jam rebus luce retectis*, similiter atque illi tamen occæcati sunt, ignosci omnino non debet, postquam simplicem ad veritatis inscitiam culpa insuper voluntarii erroris, hoc est hæresis, accessit. Nam pro hæresi opinionem hanc habet Anastasius Sinaita, contra quam toto in secundo libro disputat. « Porro, inquit, istorum dogma ineptum prorsus ac suppurulentum, ne per ignorationem imprudentibus imponat, noverimus qualia ausint de Deo pronuntiare. Aiunt enim, Deus in omnibus est efficacia operandi, essentia vero nusquam. Vim hanc operatoriam dicunt effectum qui procedit ex ea efficacia, perinde atque si navis compingendæ peritus in ipsa jam a se adornata navi, et textor in suo a se pertexto habitu conspiciantur [7]. » Nec dissentit Hugo Victorinus, qui *calumniatores* eos *veritatis* appellat, dicentes Deum « per potentiam et non per essentiam ubique esse, quia cum contingere possent inquinationes sordium si ubique esset essentialiter. Quod ita frivolum est, ut nec responsione dignum sit [8]. » Atque hoc alio etiam in libro repetit [9]. Quocirca non potest

An hic error sit hæresis.

a Justin. *Paræn.* 4. p. 5 edit. comm. Καὶ αὖθις τοῦ Πλάτωνος ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἀνωτάτω τοῦ οὐρανοῦ ἀπλανεῖ σφαίρᾳ τόν τε πρῶτον Θεὸν, καὶ τὰς ἰδέας εἶναι λέγοντος. Ἀριστοτέλης μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν, οὐ τὰς ἰδέας, ἀλλά τινας νοητοὺς Θεοὺς εἶναι λέγει· οὕτω μὲν οὖν περὶ τῶν ἐν οὐρανοῖς πρὸς ἀλλήλους διαφέρονται πραγμάτων.

b Id. Ὁ γοῦν Ἀριστοτέλης, ὡς ἀκριβέστερον Πλάτωνος τὰ ἐν οὐρανοῖς ἑωρακὼς, οὐχ ὥσπερ ὁ Πλάτων ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ τὸν Θεὸν εἶναι λέγει, οὕτω καὶ αὐτὸς ἔφη· ἀλλ' ἐν τῷ αἰθεριώδει πέμπτῳ στοιχείῳ εἶναι αὐτὸν ἀπεφήνατο.

c Tatian. in lib. *cont. Gra.* Πνεῦμα ὁ Θεὸς, οὐ διῆκον διὰ τῆς ὕλης.

1 Sent. — 2 Cap. x. tex. 84. — 3 Lib. I. *de Cœlo.* c. ix. tex. 10. — 4 Aug. lib. *con. Epist. Fund.* cap. xxiii. — 5 Ibid. cap. xix. — 6 Cap. iii. lib. I. *de Trin.* — 7 Lib. II. *de Incircumscripta Dei essent.* — 8 Tract. i. *Sum. Sent.* cap. iv. — 9 Lib. I. *de Sacram.* part. III. cap. xvii.

hoc sæculo ab hæreticæ impietatis infamia vindicari opinio illa, quam Eugubinus amplexus est, necnon Calvinianus Vorstius (cujus pueriles hoc in genere nugas refert ac discutit Martinus Becanus[1] et Theophilus Raynaudus[2] in eruditissimo opere *de Naturali theologia*), tum etiam Erasmus qui, teste eodem Vorstio, dubitavit, sitne Deus in antro scarabæi, aliisve obscenioribus locis. Vorstii porro meminit etiam Jacobus Britanniæ rex[3] in protestatione Antivorstia.

Quo sensu negent aliqui Deum ubique præsentem.

V. Quanquam ut ne temere statim hæresis inscribatur iis qui Deum ubique esse negent, videndum prius quo id sensu faciant. Potest enim subesse duplex. Nam si eo illud affirmant quod rem nullam spiritualem substantia sua esse in loco putant, sed actione sola: quod de angelis ac spiritibus etiam creatis theologi veteres ac post eos sanctus Thomas ejusque disciputi sentiunt, ut alibi dicemus[4]: reprehendendi non sunt, certe fidei ad causam trahenda res non erit. Sin ideo defendunt, quod vel totam quam late patet universitatem rerum occupari ab illius substantia non credunt, vel ab quibusdam ob fœditatem ac turpitudinem eximunt, atque ut verbo dicam, si alicubi esse substantiam Dei, velut in cœlo statuunt, alibi non esse docent, quæ Vorstii et eorum quos paulo ante notavi sententia fuit, manifestæ hæresis tenentur. Tametsi quosdam ex antiquioribus, ut dixi, iisque catholicis theologis, ut quidem prima specie videtur, vel auctores vel fautores certe nominare possunt, e quibus tres mihi sunt ad manum. Primus est Clemens Alexandrinus qui *Stromateon* secundo, substantia nullibi, potentia ubique Deum esse confirmat. « *Deus*, ait, *appropinquans ego sum, inquit Dominus*[5]: procul quidem substantia. Quomodo enim quod est genitum appropinquaret ingenito? proxime autem est potestate, qua universa sinu suo complectitur[a]. » Quod et manifestius exponit in quinto libro ubi Stoicos refutat, Deum aientes esse substantia corpus, ac spiritum. « Illi, inquit, Deum omnem permeare substantiam asserunt, nos autem eum solum dicimus effectorem[b]. » Jam quod in libro *Sapientiæ* scriptum est, unde philosophi isti sententiam suam sumpsisse putantur a Clemente, *Attingit autem ubique propter suam munditiam*[6], negat ille ad divinam increatamque sapientiam referri, sed ad eam quæ primo creata est a Deo, hoc est divinæ illius opus et efficientiam quæ manavit in res creatas et in singulis elucet. Ita Clemens, qui propterea videri potest iis adversari qui pervadere ac penetrare omnia Dei substantiam affirmant. Alter est auctor *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos* inter opera Justini (non enim Justinus est) qui « res alias quæ continere aliquid dicuntur, hoc essentia continere scribit, solum vero Deum voluntate sua continere hanc rerum universitatem[c]. »

Verum neuter illorum eo sensu quem cum hæresi implicatum ostendimus, Deum ubique esse substantia negavit, nempe ut in certo aliquo definitoque loco ejus substantia consisteret, in reliquis sola potestate inesset et efficientia. Itaque sic eorum interpretanda mens est, ut substantiam Dei corporum modo permisceri nolint cum rebus a se conditis communicarive cum iis, sed ita inesse omnibus ut extra omnia sit, quod postea verum esse docebitur.

Expenditur Lactantii sententia

VI. Tertius est Lactantius, qui in libro *de Opificio Dei* capite XVI videtur Deum cœlo circumscribere. Nam de mente hominis et ejus sede disputans eorum sententiam approbat, « qui sedem ejus in cerebro esse dixerunt, et sane argumentis probabilibus usi sunt. Oportuisse scilicet quod totius corporis regimen haberet, potius in summo tanquam in arce habitare, nec quidquam esse sublimius quam id quod universum ratione moderetur; sicut ipse mundi dominus et rector in summo est. » Et subinde: « Videtur enim mens quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta tanquam in cœlo Deus, sed quando in aliqua sit cogitatione, commeare ad pectus et quasi ad secretum aliquod penetrale cedere,

a Clem. Alex. Θεὸς ἐγγίζων ἐγὼ, φησὶ κύριος· πόῤῥω μὲν κατ' οὐσίαν. Πῶς γὰρ ἂν συνεγγίσαι ποτὲ τὸ γενητὸν ἀγεννήτῳ; ἐγγυτάτω δὲ, δυνάμει, ᾗ τὰ πάντα ἐγκεκόλπισται.

b Id. p. 431. 'Αλλ' οἱ μὲν διήκειν διὰ πάσης τῆς οὐσίας τὸν Θεόν φασιν, ἡμεῖς δὲ, ποιητὴν μόνον αὐτὸν καλοῦμεν.

c Justin. *Respons. ad quæst.* XI. Ἔτι δὲ τὰ λεχθέντα; περιεκτικὰ, τῷ εἶναι περιέχει τὰ περιέχοντα. (Imo τὰ περιεχόμενα) μόνος δὲ ὁ Θεὸς περιέχει τῇ βουλήσει τὸ πᾶν.

1 In *Sum. theol. schol.* cap. VI. *de Inan. Dei*, q. 1. — 2 Disp. 7. qu. 1. art. 6. num. 76. — 3 Oper. Jacobi regis. — 4 Lib. I. *de Ang.* cap. X. — 5 Hier. XXIII. — 6 *Sap.* VII. 24.

ut consilium tanquam ex thesauro recondito eliciat ac proferat. Ideoque cum intenti ad cogitandum sumus, et cum mens occupata in altum se abdiderit, neque audire quæ circumsonant, neque videre quæ obstant solemus. » Sic eleganti oratione putidam ac ridiculam fabulam ornavit Lactantius, ut hoc etiam valde admirandum diceret, « quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat. » Itane nullum iter est ad pectus ex cerebro commeanti animæ, hoc est spiritui, cum pituitæ ac crassissimis humoribus tam sit patens et apertum ? Quod de animæ cursitatione dictum etsi non pro certo constitutum habeat, probabile tamen judicat, de quo sit ne dubitare quidem atque hæsitare sapientis. Multo vero minus Deum arbitrari cœlo esse definitum, eumque sola vi ac virtute per mundi spatia esse diffusum, quod ipsum asseverantius pronuntiasse videtur, cum hoc exemplo tanquam exploratæ rei ac cognitæ ad illud alterum de anima probandum, de quo dubitabat, usus fuerit. Itaque ad eamdem opinionis falsitatem implicata videri possunt quæ eodem illo capite subjecit. « Et miratur aliquis si divina mens Dei per universas mundi partes intenta discurrit et omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa? cum tanta sit vis ac potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ. » Sic et illa ambigue ab eodem scripta Lactantio in septimo *Divinarum institutionum*, capite tertio cum « divinum ait spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri, non tamen ita ut Deus ipse qui est incorruptus gravibus et corruptibilibus elementis misceatur. » Sed hæc commode licet interpretari, ut id solum evertere studeat quod asserebant Stoici, Dei velut corpus esse mundum, ejusque membra elementa partesque cæteras universi. Sed Lactantium omittamus, patiamurque cum duobus aliis ad sanum ac salubrem de Deo sensum revocari.

VII. Est quidem summa in eo concordia Patrum ac theologorum omnium, nullo certo loco definiri Dei substantiam sive personas tres, veluti cœlo, cœlive parte quapiam, unde vim suam ac providentiam longe lateque diffundat in res etiam remotissimas a quibus abest ejus essentia, quemadmodum sol unam cœli particulam occupans præsentia sua, reliquas luce et actione comprehendit. Nimis enim anguste de infinita et immensa illa majestate sentiunt et *communes notiones* evertunt, ut eas vocat Titus Bostrenus[1], cujus paulo post verba reddemus, qui ubique illum esse denegant implereque omnia substantia sua. Ac talem esse communem insitamque natura notionem, argumento sit quod plerique gentiles adeoque poetæ non obscuris eam sententiis testatam reliquerunt. Extant hac de re Orphei, sive ut apud Clementem Alexandrinum aliqui suspicantur, Onomacriti versus, in quibus immensitas Dei iisdem fere quibus in Scriptura prædicatur sententiis, est expressa. Eos de primo contra Julianum Cyrilli libro describemus : Immensitas Dei probatur ex gentilibus.

Ipse in cœlo aheneo stabilis sedet
Aureo in solio, terræ autem pedibus insistit.
Et manum dexteram ad fines Oceani
Undique extendit, circum tremunt alti montes
Et flumina et profunditas cani ac cærulei
[maris.

Αὐτὸς γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται
Χρυσέῳ ἐνὶ θρόνῳ, γαίῃ δ' ἐπὶ ποσσὶ βέβηκε.
Χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματα Ὠκεανοῖο
Πάντοθεν ἐκτέτακεν· περὶ γὰρ τρέμει οὔρεα μακρὰ,
Καὶ ποταμοὶ, πολιῆς τε βάθος χαροποῖο θαλάσσης.

Quæ Cyrillus declarans ait, « significare nullis finibus circumscriptam immortalem illam esse naturam, atque omnia pervadere et omnia implere[a]. »

Idem et Pythagoræ decretum a Clemente Alexandrino proditum primo hujus operis in libro retulimus, quod « unum esse Deum, ait, eumque non extra hanc universitatem positum, sed totum in ipsa et in toto circulo[b]. » Quam fuisse Pythagoræ mentem testis est Minucius Felix : « Pythagoræ, inquit, Deus est animus, per universam rerum naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. » Neque contrarium huic est quod ex libro *de Vita Pytha-*

a Cyr. Τὸ ἀπεριόριστον, οἶμαι, τούτῳ τῆς ἀκηράτου φύσεως κατασημῆναι θέλων καὶ τὸ διὰ πάντων ἥκειν αὐτὴν, καὶ πάντα πληροῦν.

b Pythagor. c. ii. Ὁ μὲν θεὸς εἷς· χ' οὗτος δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τὰς διακοσμήσεως, ἀλλ' ἐν αὐτᾷ ὅλος, ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ.

1 Lib. I. *contra Manich.*

goræ Photius narrat : « In illa sphæra, quæ dicitur fixa, residere primum Deum et intelligibiles Deos[a]. » Non enim tale fuisse dogma Pythagoræ vitæ illius scriptor prodidit, sed Aristotelis. Sed et Salvianus in libro primo *de Gubernatione Dei*, sub initium, « Pythagoras, inquit, philosophus quem quasi magistrum suum philosophia ipsa suscepit, de natura ac beneficiis Dei disserens sic locutus est: Animus per omnes mundi partes commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiunt. »

VIII. Eodem spectant et illa quorumdam dicta, ut Thaletis qui *diis plena esse* dixit *omnia* [b], ut scribit Aristoteles, ut Heracliti apud eumdem Aristotelem, qui ad caminum sedens ut se calefaceret, adeuntes se peregrinos hortatus est ingredi audacter, *quoniam et hic*, inquit, *præsentes adsunt dii* [c]. Trita sunt et illa poetæ nobilis, quæ a Minucio citantur et Salviano :

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque
[profundum [1]

Et Arati, qui plena esse Jovis omnia, mundi etiam infima et terrena præfatur[d]. Quanquam ejus scholiastes vel de aere Jovem interpretatur, vel de Dei providentia, quod eo plena esse dicuntur omnia. Ut et Apuleius libro *de Mundo* quod magnifice prædicaverat, « Deum per omnia permeare et ad nos et ad ultra potestatem sui nominis tendere, » mox angustius ac jejunius exponit de sola rectione ac providentia, quippe *rectius atque honestius* putat « sic arbitrari, summam illam potestatem sacratam cœli penetralibus, etc., neque penetrantem atque adeuntem specialiter singula, nec indecore attrectantem cominus cuncta. Talis quippe humilitas dejecta est et minus sublimis officiis. » Melius Plotinus quam aut iste aut magister utriusque Plato, qui Deum ubique esse et substantia sua complere omnia passim asserit, ut in illo loco quem capitis initio posuimus [e], ante quem in eo quod antecedit capite docuit ita ubique esse Deum nec ulli deesse operum suorum, ut non pars ejus ibi, pars illic altera sit, sed ut totus et indivisus insit omnibus. Sic alibi et *ubique* Deum esse vult et *nullibi*, quia loco non continetur [f]. Item : « Nihil extra illum quæri oportere, sed intra ipsum omnia esse quæ sunt post ipsum. Quod enim extra est, ipse Deus existit, comprehensio omnium et mensura [g]. » Omitto cæteros ne longum faciam, et in his Trismegistum illum Mercurium impostorem ex quo multa proferri solent generis ejusdem. Sed profanorum testium satis est, cujusmodi prorsus contemptos esse non oportuit, cum simili in argumento Paulus apostolus eos adhibuerit cum in Areopagitarum curia adversus idola quibus circumscribi divinitatem putabant, orationem haberet.

IX. Nunc ut rationibus iis quæ theologicæ disputationi magis congruunt, quod propositum est absolvam, primum divini verbi clara de eo et liquida est auctoritas. Nam apud Jeremiam prophetam Dominus cum se omnia videre neque sibi occultum esse quidquam et abstrusum dixisset, causam ejus mox aperit quod omnia repleat, hoc est ubique præsens adsit : *Si occultabitur*, inquit, *vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus. Numquid non cœlum et terram ego impleo ? dicit Dominus* [2]. Non igitur sola efficientia, neque sola cognitione inspectioneque universa Deus occupat, sed *substantia est in omnibus*, ut inde colligit Anastasius [3]. Hoc enim *replendi* vox significat, quæ ad mentis aut voluntatis actionem restringi non potest. Rursus in Psalmo centesimo tricesimo octavo : *Quo ibo a Spiritu tuo et quo a facie tua fugiam ? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in*

Dei imme sitas pr batur e Scripturi

a Phot. Τὴν ἀπλανῆ σφαῖραν, ἐν ᾗ ἔστιν ὅ, τε πρῶτος θεὸς, καὶ οἱ νοητοὶ θεοὶ, ὡς Ἀριστοτέλει δοκεῖ· κατὰ δὲ Πλάτωνα, αἱ ἰδέαι.

b Arist. lib. I, *de Anima* c. v. tex. 85. Ὅθεν ἴσως καὶ Θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι.

c Arist. Ἐκέλευσε γὰρ αὐτοὺς εἰσιέναι θαῤῥοῦντας· εἶναι γὰρ καὶ ἐνταῦθα θεούς.

d Aratus. — Μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί.
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες.

e Plot. *Enn*. 6. lib. c. iii. Μὴ μεμερισμένον, ἀλλὰ ὅλον ὂν, τῶν ἄλλων τῶν παρ' αὐτὸ μηδενὸς ἀποστατεῖν, οὐδὲν τοῦ χεῖσθαι δεηθέν, etc.

f Id. *Enn*. 6. lib. VIII. c. xvi. Πανταχοῦ τε εἶναι, τοῦτο καὶ αὖ εἶναι οὐδαμοῦ.

g Id. eod. lib. c. xviii. Καὶ σὺ ζητῶν μηδὲν ἔξω ζήτει αὐτοῦ· ἀλλ' εἴσω πάντα τὰ μετ' αὐτὸν, αὐτὸν δὲ ἔα· τὸ γὰρ ἔξω, αὐτός ἐστι περίληψις πάντων, καὶ μέτρον.

1 Virg. *Georg*, IV. 221, 222. — 2 *Jer*. xxiii. 24. — 3 Lib. II. *de Incircumscr*.

infernum, ades, etc. Quæ verba de ipsa Dei Substantia. οὐσία necessario intelligenda sunt, ut recte idem ait Anastasius. « Sermo hic, inquit ille, ubi significationem ullam reddidit naturæ ab efficacia operandi separatæ? Numen etenim illud omnia permeat ac pertendit, universa adimplens magnitudine suæ naturæ. » Sic *Esaiæ* sexagesimo sexto : *Hæc dicit Dominus, cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum : quæ est ista domus quam ædificabitis mihi, et quis est iste locus quietis meæ?* Hunc locum imitatus est Onomacritus poeta, cujus supra verba descripsimus. Itidem ut Davidem Seneca philosophus expressit in quarto *de Beneficiis*, capite octavo: « Quocumque te flexeris, inquit, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet. » Tum Symmachus urbis præfectus in relatione de Ara Victoriæ, *omnia Deo plena sunt*, inquit. Esaias vero illo in loco Dei immensitatem graphice, ut captus est hominum, depingit, atque illud præsertim docet, haudquaquam cœlo contineri Deum, ut Eugubinus ac Vorstius putant. Cui et illud consonat a Salomone dictum : *Si enim cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi*[1]? Item apud Jobum Sophar Naamathites: *Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces*[2]? *Longior terra mensura ejus, et latior mari.* Et in libro *Deuteronomii : Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum*[3]. Ac de spiritu Dei *Sapientiæ* primo: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Cujusmodi Scripturæ loca cum illis compensanda sunt in quibus manere, habitareque Deus in cœlo dicitur, ac sedem illic et domicilium habere, ex quibus ii quos paulo ante nominavi concludere ausi sunt, cœlo esse definitam Dei substantiam. Sed non esse imo longius in immensum patere, non minus persuadent illa quæ produximus, ex quibus explicanda sunt alia, uti postea faciemus.

Sane Philo Judæus iisdem Scripturæ testimoniis edoctus non dubitavit ubique Deum esse et in omnibus rebus existere et implere omnia denique, quod in secundo *de Allegoriis* hac aurea sententia testatus est : « Omnia Deus implevit ac per omnia penetravit, neque se vacuum quidquam ac destitutum reliquit. Ecquem vero locum aliquis occupabit, in quo non inest Deus[a]? » Et alio in libro : « Homo vero, aut aliud quippiam creatarum rerum num latere possit Deum? Ubi vero tandem illum qui usquequaque permeat? qui usque ad extrema pervidet? qui implevit omnia? quo nihil eorum quæ sunt, etiam minimum, vacuum est[b]? » Sunt et alia ejusdem loca quibus ultra hunc mundum porrigi Dei immensitatem et complecti universa dicit, quorum postea meminerimus.

X. Eamdem arbitror et Judæorum veterum mentem fuisse, priscis adeo atque heroicis illis imo patriarchicis sæculis. Nec enim Cyrillo facile consenserim qui ante Jacobum patriarcham ignotam fuisse Dei immensitatem existimat[c]. Quippe antiquos illos Patres exiguam de Deo opinionem ait habuisse, ratosque esse, reliqua omni neglecta terra, solam eam ad quam vocati erant et in qua degebant, ab illo curari, ut qui ab idolorum superstitione recentes erant, in qua persuasum hoc erat sua cuique religioni attributa esse numina, nullum autem ubique dominari. « Quocirca beati etiam patriarchæ qui recens ab idolorum cultu et ab errore de pluralitate deorum erant abducti, Deumque naturaliter ac vere existentem adorare docti erant, non in omni terra nec in omni loco adesse sibi opitularique ipsum putabant, pusillam adhuc de Deo cognitionem adepti. Docetur itaque beatus Jacob, peregrinationisque suæ fructum percipit id quod deerat fidei suæ. Didicit enim in omni loco et in omni regione divinum adesse numen, atque in cœlo quidem habitare, universam vero terram amplecti et orbem terrarum implere[d]. » Hanc Cyrillo opinionem

An veteres Patriarchæ eam agnoverint.

leg : regioni

a Philo, lib. II. *Alleg.* Πάντα γὰρ πεπλήρωκεν ὁ θεὸς, καὶ διὰ πάντων διελήλυθε, καὶ κενὸν οὐδὲν, οὐδὲ ἔρημον ἀπολέλοιπεν ἑαυτοῦ· ποῖον δέ τις τόπον ἐφέξει, ἐν ᾧ οὐχὶ θεός ἐστι;

b Id. lib. *Quod deterius invadat id quod melius est.* Ἄνθρωπος δ' ἂν ἤ τι τῶν γενομένων κρύπτεσθαι δυνηθείη θεόν; ποῦ, τὸν ἐφθακότα πάντῃ; τὸν ἄχρι περάτων ἀποβλέποντα; τὸν πεπληρωκότα τὸ πᾶν; οὗ τῶν ὄντων οὐδὲ τὸ βραχύτατον ἔρημον;

c Cyr. Glaphyr. in *Gen.* lib. IV. Μικρὰς κομιδῇ τὰς δόξας περὶ θεοῦ ἐν τοῖς ἀρχαιοτέροις εὑρήσομεν· ᾤοντο γὰρ, ὅτι τὴν μὲν ἄλλην ἅπασαν γῆν ἠφίει τὸ θεῖον· συνεστέλλετο δὲ ὥσπερ εἰς μόνην ἐκείνην, εἰς ἣν καὶ κέκληνται παρ' αὐτοῦ τὰ οἴκοι μεθέντες, καὶ τῆς χαλδαίων ἀπαίροντες.

d Id. Τοί γάρ τοι καὶ οἱ μακάριοι πατριάρχαι ἄρτι

1 III. *Reg.* VIII. 27 : II. *Paral.* VI. 18. — 2 *Job.* XI. 8. — 3 Cap. IV. 39.

obtulit ille *Geneseos* locus in quo sic Jacob loquitur, *Dominus est in loco isto, et ego nesciebam* [1], quasi de substantiali præsentia Dei sermo istic sit, non autem de peculiari aliqua demonstratione providentiæ virtutisque divinæ, quales sunt quas Græci vocant ἐπιφανείας, quod multo est probabilius intellexisse Jacobum, quam aut ipsum hactenus aut majores ejus omnes, præsertim Abraamum, Deum ubique esse nescisse, ut de Adamo taceam, cui rerum omnium naturalium divinarumque perfectam scientiam vulgo solent concedere. Sic quod idem Cyrillus [2] alibi, atque etiam Hieronymus [3] Judaicum hunc errorem fuisse censent, « invisibilem et incorporalem et incomprehensibilem Deum templo Hierusalem posse concludi, » non equidem Judæorum arbitror omnium fuisse, sed rudium, si forte, et imperitorum * quorumdam, quemadmodum sentit et Origenes [4], cujus verba postea reddemus. Vide et Cyrillum libro V *in Joannem*, ubi et falsam illam opinionem confutat, ubique esse Deum e Scripturis adstruens. Et Hilarium, qui sub finem secundi libri *de Trinitate* Judæos et Samaritanos Christi tempore illud ipsum suspicatos esse putat. « Quorum utrorumque præsumptio, inquit, aut collis edito aut extructæ domus concavo Deum, intra quem omnia et extra quem nihil ejus capax est, continebat. »

Manifestationes.

XI. Verum ut prisca illa seponamus tempora mosaicæ legis et ad christianum dogma veniamus, non minus ex Novo Testamento quam ex Vetere colligitur ubique et quidem substantia esse Deum, non in cœlo duntaxat vel hujus aliqua parte. Primum enim Christus *cœlum* esse *Dei thronum* ait, *terram* autem *scabellum pedum ejus* [5], ad Isaiæ locum respiciens quem superius attuli : cujusmodi figura verborum quam synecdochen vocant, tota rerum universitas extremarum mentione partium exprimitur. Utitur eodem Isaiæ loco *Actorum* septimo Stephanus [6]. Et Paulus apud Areopagitas disserens *non longe ab unoquoque nostrum esse,* Deum ait. *In ipso enim vivimus, movemur et sumus* [7]. Quem locum pulchre [a] Joannes Chrysostomus explicat, nihil ut ad propositum nostrum afferri possit aptius. « Papæ, inquit, propinquum esse (Deum) dicit his qui sunt ubique terrarum. Quid hoc esse majus potest? Vide ut illos qui in parte aliqua collocant Deum, refellit. Quid dico longe? Adeo prope est ut sine ipso vivi nequeat. In ipso enim vivimus et movemur et sumus. » Ac sub corporum exemplo tale aliquid indicat : « Quemadmodum ignorari non potest aer ubi-

τῶν τῆς εἰδωλολατρείας ἠθῶν, καὶ πολυθέου πλάνης ἀπηλλαγμένοι, καὶ θεὸν τὸν φύσει καὶ ἀληθῶς ἀναπεπεισμένοι προσκυνεῖν, οὐκ ἐν πάσῃ γῇ, καὶ ἐν παντὶ τόπῳ παρεῖναί τε σφίσι, καὶ ἐπαμύνειν ᾤοντο, μικρὰ κομιδῇ φρονοῦντες ἔτι· παιδεύεται τοίνυν ὁ μακάριος Ἰακὼβ, καὶ τῆς ἀποδημίας ἐπλούτει καρπὸν, τὸ λεῖπον ἐν πίστει· ἐμάνθανε γὰρ ὡς ἐν παντὶ τόπῳ, καὶ ἐν πάσῃ χώρᾳ τὸ θεῖόν ἐστι· καὶ κατοικεῖ μὲν ἐν οὐρανῷ, περιέπει δὲ τὴν σύμπασαν γῆν, καὶ πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην.

a Chrys. hom. 38. in *Acta*. Βαϐαί· πᾶσιν ἐγγὺς εἶναι λέγει τοῖς πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης· τί τούτου μεῖζον; ὅρα πῶς καὶ καθαιρεῖ τοὺς μερικούς· τί λέγω μακράν; οὕτως ἐγγύς ἐστιν, ὡς χωρὶς αὐτοῦ μὴ ζῆν· ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν· ὡς ἐν σωματικῷ ὑποδείγματι τοιοῦτόν τι λέγει, ὥσπερ ἀδύνατον ἀγνοῆσαι τὸν ἀέρα πανταχοῦ κεχυμένον, καὶ οὐ μακρὰν ἀφ' ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα, μᾶλλον δὲ ἐν ἡμῖν ὄντα· οὕτω δὴ καὶ τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν.

* Si de Judæis sermo sit paulo cultioribus, illorum de divina immensitate doctrina ac fides nullis inficitur nævis, nullisque maculis deturpatur. Auctor namque operis *de Fundamentis* (Lib. II. cap. XXVII.) principii instar ponit : « Nomen loci tribui rei, quæ ambit corpora, eaque terminat. Quod vero non est corpus, non dicitur esse in loco; nec enim tribuitur nomen loci nisi rei, quæ impletur corpore aliquo dimensionem habente, quod in ea conquiescat et quod ea ambiat, ideoque neque de Deo, neque de intelligentiis separatis dici potest eas esse in loco, quia non sunt corpus quantum, quod ambiat locus. Hoc docet (I. *Reg.* VIII, 27.) Scriptura : *Ecce cœli et cœli cœlorum te non capient*, id est non indiges loco in quo consistas.» Quo principio constituto, mox subdit : « Anima etiamsi non sit corpus, est tamen alicubi determinate, verbi gratia in corpore; quum enim non sit extra corpus, etsi non sit in loco, ipsa tamen addicta est loco determinato. Deus solus benedictus sic non potest dici esse alicubi, sicut nec esse in loco. » Sed cur unus Deus neque est in loco, ut aiunt, *circumscriptive*, nec est alicubi *definitive*? Quod sit ubique, quemadmodum testatur David Kimchi (*Comm. ad Ps.* CXXXVIII. 7.) scribens : *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Si dixero, inquit, me id facturum, non potero. Tu enim es in omni loco, et locus te non capit. » Est autem ubique Deus non per potentiam modo, operationem atque scientiam, verum etiam per naturam, perque substantiam, quod Maiemonides (*Summ. talmud.* tract. *de Fundamentis legis*, cap. II.), ejusque scholiastes (Ad caput I, *de Fundamentis legis*) disertis testimoniis confirmant. *E. R.*

1 *Gen.* XXVIII. 16. — 2 Lib. II. *contra Julian.* — 3 In cap. LXVI. *Esai.* — 4 Hom. 12. in *Gen.* — 5 *Matth.* V. 34. — 6 *Act.* VII. 48. — 7 *Act.* XVII. 28.

que diffusus qui non longe ab unoquoque nostrum est, vel potius in nobis inest, ita neque opifex omnium. » Mox recte illud etiam observat, non dixisse Apostolum, *per ipsum*, sed *in ipso* nos moveri, ut magis intimam illius præsentiam ostenderet[a]. Videtur autem, nisi me conjectura fallit, μερικοὺς appellare certos homines qui peculiari loco divinitatem addicebant, quod Eugubinus ac Vorstius fecerunt, ad quos redarguendos nihil istis Chrysostomi verbis expressius est. Ita enim Deum in omnibus inesse nobis asserit, uti est aer in singulis, sine quo vita ista non ducitur. Quam similitudinem adhibet etiam Anastasius Sinaita in secundo *Contemplationum anagogicarum in Hexaemeron.* « Quomodo aer, inquit, implet omnia et nullus est locus eo vacuus, etc., ita etiam universorum Deus implet omnia et nullus est locus eo vacuus. » Sed Chrysostomo et Anastasio suus iterum locus dabitur inter Patres cæteros, quorum auctoritatibus divinam immensitatem deinceps approbabimus. Vis autem argumentationis hujus bifariam patebit. Tum enim ubique esse Deum omniaque complere substantia sua non vero actione sola et virtute, ex illis efficiemus, tum quis ille modus sit exponemus quo inest in rebus omnibus Deus, quantum ad ista suspicanda humani se ingenii tenuitas attollit.

Partitos.

CAPUT VIII.

Deum ubique esse ac nullo definiri spatio ex antiquorum theologorum auctoritate convincitur, qui non solum efficientia, sed etiam substantia ubique illum esse docent. Varia ex iisdem argumenta ad probandam ejus immensitatem. Cur in cœlo præcipue esse dicatur.

I. Deum certo spatio minime definiri sed ubique præsentem esse, testabitur ante omnes ille ipse qui contrariæ opinionis speciem quamdam præ se ferre visus est paulo ante Clemens Alexandrinus. Hic in sexto *Stromateon* verum quem christiani colimus Deum ita describit ex libro *Prædicationum Petri :* « Scitote igitur unum esse Deum, qui omnium rerum initium est molitus ac finem habet in potestate, quique minime aspectabilis aspicit omnia, non comprehensus omnia comprehendit, et cum nullius egeat eo indigent omnia ac per eum existunt[b]. » Tum septimo ejusdem operis de bono ac sancto viro sermonem faciens : « Ejusmodi, inquit, est, cui persuasum est Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum, ut cum se absque eo esse aliquando existimaverit, noctu et interdiu intemperantiæ se dedat et libidini. Toto ergo vitæ tempore festum agentes, ubique et omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus[c], etc. »

Clemens Alex.

Clementis discipulus Origenes in homilia duodecima *in Genesim* non solum ubique præsentem adstare Deum diserte asserit[1], sed ita etiam Jacobo superiores existimasse patriarchas, cui Cyrillum refragari supra vidimus. Sic autem scribit illud exponens quod Scriptura narrat, Rebeccam abiisse ut interrogaret Dominum : « Nunc interim videamus quid est quod dicitur, abiit Rebecca interrogare ad Dominum. Abiit. Quo abiit? Ex eo loco in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum in quo erat? Hoc enim videtur indicare cum dicitur, abiit interrogare Dominum. Nonne ubique est Deus? Nonne ipse dixit, cœlum et terram ego repleo, dicit Dominus? Quo ergo abiit Rebecca? Ego puto quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam[2], etc. » Post contra ac Cyrillus putavit, de patriarchis illis antiquioribus scribit sic : « Absurdum namque est si ita putemus imperitam fuisse Rebeccam et indoctam, quæ in domo sapientis Abrahæ sub viro eruditissimo Isaac fuerat instituta, ut intra aliquem locum Dominum putaverit esse conclusum, et illuc iret interrogare, etc. »

Origenes.

II. Antiquior utroque Theophilus Antio-

Theophilus Ant.

a Chrys. Mox : Καὶ οὐκ εἶπε δι' αὐτοῦ· ἀλλ' ὃ ἐγγύτερον ἦν, ἐν αὐτῷ.

b Clem. Alex. Γινώσκετε οὖν ὅτι εἷς θεός ἐστιν, ὃς ἀρχὴν πάντων ἐποίησεν, καὶ τέλους ἐξουσίαν ἔχων· καὶ ὁ ἀόρατος, ὃς τὰ πάντα ὁρᾷ· ἀχώρητος, ὃς τὰ πάντα χωρεῖ· ἀνεπιδεὴς, οὗ τὰ πάντα ἐπιδέεται, καὶ δι' ὃν ἐστι.

c Idem : Τοιοῦτος ὁ πάντῃ παρεῖναι τὸν θεὸν πεπεισμένος, οὐχὶ δὲ ἐν τόποις τισὶν ὡρισμένοις κατακεκλεισμένον ὑπολαβὼν, ἵνα δὴ χωρὶς αὐτοῦ ποτε οἰηθεὶς εἶναι, καὶ νύκτα, καὶ μεθ' ἡμέραν ἀκολασταίνῃ· πάντα τοίνυν τὸν βίον ἑορτὴν ἄγοντες, πάντῃ πάντοθεν παρεῖναι τὸν θεὸν πεπεισμένοι, γεωργοῦμεν αἰνοῦντες, etc.

1 Hom. 12. in *Gen.* — 2 *Gen.* xxv.

chenus in secundo libro *ad Autolycum* egregie idipsum approbat, cum gentiles arguit qui Deos suos et eorum supremum Jovem certis affixos sedibus putabant, cum « Dei altissimi, omnipotentis ac veri Dei proprium hoc sit, non solum ubique esse, sed etiam intueri omnia et audire[a]. » Ubi Deum ubique esse non solum providentia et actione significat, sed etiam præsentia.

Arnobius. Arnobius in sexto *adversus Gentes* : « Hoc est, inquit, proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam sed ubique esse totos, non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopias pergere, et post dies bissenos privatum ad domicilium redire. »

Eusebius Cæs. Eusebius Cæsariensis in quarto *de Demonstratione evangelica* Verbum Dei permeare corpora et elementa omnia dicit, neque tamen illorum commercio labe ulla contaminari. « Quid enim? inquit, nonne absque illo in quo factus homo versabatur corpore, etiam omnia pervadens, totamque adeo elementorum et ipsorum corporum materiam, velut quoddam Dei verbum opifex, sapientiæ suæ rationes tanquam sigillo in eam imprimit[b]? » Cum ita de Verbo Dei sentiat Eusebius, quod summo Deo ac Patre multo inferius esse statuit, ut illud omnibus inesse rebus corporibusque fateatur; quidnam de supremo illo veroque Deo judicasse credimus? Athanasius. Athanasius vero in libro contra Sabelli gregales : « Ne quærite loci magnitudinem tanquam, ait, ut Dei magnitudinem capere possit. Non enim quod immensum est, in eo est quod mensura constat[c]. » Nimirum definiri negat ullo spatio Deum, sic ut extra istud nullibi sit, quoniam ut ibidem pluribus disputat, « ita complet omnia, ut non cum exigua creatura extensus adæquetur[d]. »

Quamobrem alio in loco stultum et impium esse dicit sciscitari *ubi sit Deus*[e]. Non esset autem impium, si alicubi esset velut in cœlo. Si quidem vox *ubi* determinatum aliquem locum indicat, sive loci speciem ac differentiam aliquam. Sicut *qualis est* definitam qualitatis speciem. Et in calce orationis V Deum ait non mutare locum. « Nam qui tandem hoc faceret ille qui cœlum implet ac terram[f]? » Habet et nonnulla sub finem libri *contra Sabellianos*, quibus non esse circumscriptum cœlo Deum demonstrat, quæ postea referam. Origenes libro primo *in Job* de his verbis agens, *Venerunt angeli Dei ut starent ante Deum*, humana usum ait consuetudine ut diceret, « venerunt ante Deum qui omnia replet, qui ubique præsens est, et non est locus neque in cœlo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos, ubi non sit præsens Deus*. » At qui ejusdem nomine est inscriptus commentarius Græcus in Job ad illa ipsa verba quibus diabolus inter angelos adstitisse Deo dicitur, adnotat Satanam in cœlum ascendere permissum[g]. *Non enim Dominus propter illum descendit in terram.* Quod eo spectare videtur, uti Deum certo loco circumscriptum putaverit. Quod tamen non est ita. Nam paulo ante scripsit, « Deum in loco non esse defixum[1]. Quippe nullus locus est quietis ipsius. Nam omnis locus perinde ipsi est ac si nullus sit, qui est ante locum omnem creatum[h]. » Eustathius quoque apud Damascenum in *Eclogis* sive *Parallelis*: « Deus, inquit, implet omnia ab nullo circumscriptus. Qui enim loco non circumscribitur,

a Theoph. Θεοῦ δὲ τοῦ ὑψίστου, καὶ παντοκράτορος, καὶ τοῦ ὄντως θεοῦ τοῦτό ἐστι, μὴ μόνον τὸ πανταχόσε εἶναι, ἀλλὰ καὶ πάντα ἐφορᾷν, καὶ πάντων ἀκούειν.

b Euseb. c. iv. Τί γάρ; οὐχὶ καὶ δίχα τοῦ καθ' ὃ ἐνηνθρώπει σώματος, ἀεὶ, καὶ διὰ παντὸς ἥκων δι' ὅλης τῆς τῶν στοιχείων, καὶ αὐτῶν δὴ τῶν σωμάτων ὕλης, οἷά τις θεοῦ λόγος ὢν δημιουργὸς, τῆς ἐξ αὐτοῦ σοφίας ἐν αὐτῇ τοὺς λόγους ἀποσφραγίζεται;

c Athan. Μὴ ζητεῖτε μέγεθος τόπου τοσοῦτον, ὃ δυνήσεται χωρῆσαι μέγεθος θεοῦ, οὐ γάρ ἐστι τὸ ἀμέτρητον ἐπὶ τῷ μεμετρημένῳ.

d Mox : Οὐ συμπαρεκτεινόμενος τοῖς πᾶσι, πεπλήρωκε τὰ πάντα θεός.

e Athan. orat. 3. *Arian.* Ἴσον γάρ ἐστι τοὺς τοιούτους ζητεῖν, ποῦ ὁ θεὸς, καὶ πῶς ἐστιν ὁ θεός.

f Athan. Πῶς γὰρ ὁ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν πληρῶν;

g Origen. in *Job.* Οὐ γὰρ ὁ κύριος ἐπὶ γῆς κατῆλθε δι' αὐτόν.

h Ib. Οὐ γὰρ ἐν τόπῳ ὁ θεὸς ἵδρυται· οὐδεὶς γὰρ τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ· πᾶς γὰρ τόπος αὐτῷ ὡς οὐκ ὢν ὑπάρχει πρὸ παντὸς ὄντι τόπου ποιητοῦ.

* Laudat Petavius tum Origenis commentarium in Job, tum Athanasii orationem contra gregales Sabellii. Sed neutrum opus est genuinum, deque priore conferri possunt quæ Maurini notant tomo secundo operum Origenis, de posteriore vero quæ iidem habent tomo altero operum Athanasii. *E. R.*

1 *Isa.* lxvi. 1.

prorsus in omni loco erit uti David confitetur. Si enim dicatur esse extra locum quempiam, necesse est ub ab eo circumscribatur a quo abesse dicitur. Totus igitur in omni loco existens, nusquam ex aliis in alia loca transmigrat cum impleat omnia [a]. » Qui locus quantivis est adversus Eugubini, Vorstii, aliorumque falsam opinionem. Cyrillus Alexandrinus de Dei immensitate agens eum vocat ἄτοπον, id est *illocalem, magnitudinis et circumscriptionis penitus expertem* [b]. Sed vox ἄτοπος subabsurdum et ἄτοπον quiddam sonat. Quemadmodum et ἀσεβής vocabulum [c] ab Eudoxio Constantinopolitano episcopo Arianæ partis usurpatum, cum in concione dixit Patrem esse ἀσεβῆ, hoc est *irreligiosum*, filium εὐσεβῆ, id est *religiosum*, quod ille neminem religiose coleret, hic erga Patrem pius et religiosus esset. De eadem immensitate Dei et quemadmodum locum non mutet, legendus Origenes in IV *contra Celsum* paulo post initium.

Cyrillus Alexandrinus.

III. Et in epistola quadam ad Serapionem : « Ubique, ait, est Filius, cum sit in Patre et Pater in ipso, etc. Creaturæ vero sunt in locis distinctis, veluti sol et luna, reliquaque luminaria in firmamento, in cœlo autem angeli, et homines in terra. Quod si Filius eo quod non est in distinctis locis, sed dum in Patre est, ubique est et est extra omnia, non est creatura, consequenter nec Spiritus sanctus erit creatura, cum non sit in distinctis locis, sed impleat omnia manens extra omnia. Sic enim scriptum est : Spiritus Domini replevit orbem terrarum [d]. »

Hoc in loco de substantiæ agitur præsentia et existentia, non de vi et potestate duntaxat. Ejusmodi est enim illa quam affert solis ac stellarum in firmamento, angelorum in cœlo et hominum in terra, quæ omnia definitam habent certo in loco substantiam. Quare quæ iis ex adverso respondet divinarum personarum præsentia et ubique esse dicitur, οὐσιώδης et ipsa sit oportet. Atque hoc immensitatis argumento ad Filii et Spiritus sancti divinitatem probandam sæpius usi sunt veteres, et hanc esse propriam notam judicarunt, nullo loco definiri sed ubique præsentem assistere, sicut e contrario creatarum rerum, determinato esse in loco. Ita Hilarius [1], Didymus [2], Ambrosius [3], Basilius [4], Paschasius [5] Deum esse demonstrant Spiritum sanctum, ut suo loco videbimus. Nunc Hilarii unius verba repræsentabimus. Ergo « quia Deus, inquit, invisibilis, incomprehensibilis, immensus est, ait Dominus venisse tempus ut non in monte, vel in templo Deus sit adorandus, quia Deus spiritus est. Et Spiritus nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturæ suæ virtutem ubique est, neque usquam abest, in omnibus omnis exuberans. »

Substantialis.

Immensitas propria divinitatis nota.

Hilarius.

IV. Quod ne quis de sola potentia et efficientia putet intelligendum, alibi mentem suam plenius explicat [6], atque intra et extra omnia illum esse pluribus asserit : quem locum postea producam, hic autem pauca tantummodo describam. Cum igitur e Psalmo centesimo tricesimo octavo hæc adduxisset : *Quo abibo a spiritu tuo?* etc. statim subjicit : « Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est. In cœlis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet atque habetur, neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est. » Et in libro secundo, « Deus autem et ubique est, et totus ubique est. Ita religionem intelligentiæ excedit, et extra quem nihil est, et cui est semper ut semper sit. » Item in octavo : « Deus autem immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit nec desit usquam, se omnem per sua edocet, et sua non aliud quam se esse

a EUSTATH. apud Dam. lib. I. tit. 47. col. Ὁ θεὸς τὰ πάντα πληροῖ, ὑπ' οὐδενὸς περιοριζόμενος· ὁ γὰρ ὑπὸ τόπου μὴ περιοριζόμενος, πάντως ἐν παντὶ τόπῳ κατὰ τὴν τοῦ Δαβὶδ ὁμολογίαν ἔσται· εἰ γὰρ ἔξω λέγοιτο τόπου τινὸς ἀνάγκη περιορίζεσθαι αὐτὸν ὑπ' ἐκείνου, οὗπερ στερίσκεται· ὅλος οὖν ἐν παντὶ γενόμενος, οὐδαμοῦ ἐξ ἑτέρων εἰς ἑτέρους μεθίσταται τόπους τὰ πάντα πληρῶν.

b CYR. 4. *contr. Julian.* Τὸ ἄτοπον, καὶ ἀμέγεθες, καὶ ἠμοιρηκὸς ὁλοτρόπως τοῦ περιορίζεσθαι δεῖν.

c NICEPH. lib. IX. c. XLVI. Ὁ πατὴρ ἀσεβής· ὁ δὲ υἱὸς, εὐσεβής.

d ATHAN. tom. II. Πανταχοῦ τοίνυν ἐστὶν ὁ υἱός· ἐν πατρὶ γὰρ ὢν, καὶ τοῦ πατρὸς ὄντος ἐν αὐτῷ, etc. τὰ δὲ κτίσματα ἐν μεμερισμένοις τόποις εἰσιν· ἥλιος μὲν, καὶ σελήνη, καὶ οἱ ἄλλοι φωστῆρες ἐν τῷ στερεώματι, ἐν οὐρανῷ δὲ ἄγγελοι, καὶ ἄνθρωποι ἐπὶ τῆς γῆς· εἰ δὲ ὁ υἱὸς οὐκ ὢν ἐν μεμερισμένοις τόποις, ἀλλὰ ἐν πατρὶ ὢν πανταχοῦ ἐστι, καὶ ἔξω τῶν πάντων ὢν οὐκ ἔστι κτίσμα· ἀκολούθως οὐκ ἂν εἴη οὐδὲ τὸ πνεῦμα κτίσμα, μὴ ὂν ἐν μεμερισμένοις τόποις, ἀλλὰ πάντα πληροῦν, καὶ ἔξω τῶν πάντων ὄν· οὕτω γὰρ καὶ γέγραπται· πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην.

1 Lib. II, *de Trinit.* — 2 Lib. I. *de Spirit. sanct.* — 3 Lib. I. *de Spirit. sanct.* cap. VII, et epist. 33. — 4 Lib. *de Spirit. sanct.* cap. XXII. — 5 Lib. I. *de Spirit. sanct.* cap. XII. — 6 Lib. I. init.

significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur, non autem corporali modo cum alicubi insint, non et ubique esse credatur, cum per sua in omnibus esse non desinat; non aliud autem sint quam quod est ipse, quæ sua sunt. » Hic adversus illos pugnat Hilarius, qui Deum ubique esse potentia non autem substantia defendunt. Exempli causa in *cœlo esse substantialiter, in mundo autem potentialiter,* ut loquitur auctor libri de *Cognitione veræ vitæ*[1]. Quos ea ratione confutat : quam et idem auctor habet : quia « Dei potentia nihil aliud est quam ejus essentia. Ideo Deus non alicubi est determinate, sed ubique essentialiter est. » Et ut in libro I *ad Constantinum* idem scribit Hilarius, « Deus et ubique est, et totus ubique est. » Cyrillus Hierosolymitanus : « In loco, inquit, minime definitus, sed locorum opifex, in omnibus existens et a nullo circumscriptus. Thronus ipsi cœlum est, sed exsuperat et transcendit qui sedet. Et terra scabellum pedum, sed pervenit ad subterranea usque virtus illius. Unus est ubique præsens[a]. »

Basilius.

Basilius quoque in Evangelii Joannis initium : « Neque Pater in loco, ait, neque Filius in circumsepta aliqua vel definita regione continetur. Sed immensus est Pater, immensus item Filius. Totum illud quodcumque mente intellexeris et quocumque spiritu pervaseris, idipsum reperies Deo plenum, ubique simul extensam Filii hypostasim reperies[b]. » Quæ postrema Basilii verba ad rem magnopere spectant, quoniam non actionem duntaxat et gubernationem Dei totum implere mundum, sed hypostasim quoque hoc est substantiam demonstrant.

Didymus.

V. Hanc ipsam existentis ubique substantiæ proprietatem Deo pulcherrime defendit Didymus libro tertio *de Spiritu sancto,* ubi ita disputat : « Animam vel mentem hominis nullam creaturam juxta substantiam implere posse, nisi solam Trinitatem, quia tantummodo secundum operationem et voluntatis errorem sive veritatem animus de iis quæ creata sunt, impletur. » Itaque Satanam qui intrasse in cor Judæ dicitur, non substantia sed sola operatione eo penetrasse putat Didymus. Proinde substantia inest in omnibus Deus, ex quo et divinitatem colligi Spiritus sancti ab eodem Didymo superius animadvertimus.

Gregorius Naz. *Substantialem.*

Sic etiam Gregorius Nazianzenus eamdem οὐσιώδη præsentiam aperte confirmat. Nam Deum non esse corpus inde probat, quod alioqui « non posset omnia permeare et implere omnia, quemadmodum Scriptura testatur dicens : *Nonne cœlum et terram impleo? dicit Dominus.* Et, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*[c]. » Quæ ratio nihil prorsus efficeret, si non de substantiæ ipsius existentia Gregorius loqui vellet. Etenim operatione sola et virtute potest mundum universum occupare corpus aliquod uti sol, tametsi certo ac definito spatio contineatur. Non minus et alio in loco substantiam ipsam Dei replere omnia significat. Homines enim a Deo creatos in eum finem dicit postquam angeli conditi sunt, « ut non cœlestibus tantummodo domiciliis Dei adoratio circumscriberetur, sed essent etiam inferiores quidam adoratores, ut implerentur omnia gloria Dei, quoniam Deo ipsa repleta sunt. Ob id creatus est homo divina manu et imagine decoratus[d]. » Ita prorsus Gregorii intelligenda verba sunt ἐπεὶ καὶ θεοῦ, non ut eruditus interpres reddidit, *quandoquidem Dei omnia sunt.*

Gregorius Nyssenus.

VI. Gregorius item Nyssenus substantivam existentiam Dei in rebus omnibus sine ulla ambiguitate declarat in libro catechetico, ubi incarnationem Verbi qua Deus inest in natura nostra, nihil novum et insolens habere demonstrat. « Quis enim ita puerili est ingenio ut ad universitatem aspiciens, in universitate

a Cyr. *Catech.* vi. Οὐκ ἐν τόπῳ περιωρισμένος· ἀλλὰ τῶν τόπων ποιητής· ἐν πᾶσιν ὢν, καὶ ὑπ' οὐδενὸς περιγραφόμενος· θρόνος αὐτῷ ὁ οὐρανός· ἀλλ' ὑπερβαίνει ὁ καθεζόμενος· καὶ ὑποπόδιον ἡ γῆ· ἀλλὰ φθάνει ἡ δύναμις μέχρι καταχθονίων· εἷς ἐστι πανταχοῦ παρών, etc.

b Basil. Οὔτε ὁ πατὴρ ἐν τόπῳ, οὔτε ὁ υἱὸς ἐν περιοχῇ τινι, καὶ περιγραφῇ ὁμολογουμένῃ κατειλημμένος· ἀλλ' ἄπειρος μὲν ὁ πατὴρ, ἄπειρος δὲ ὁ υἱός· πᾶν ὅπερ ἂν νοήσῃς, καὶ ὅπου περ ἂν πορευθῇς τῷ πνεύματί σου, τοῦ θεοῦ εὑρήσεις πεπληρωμένον· πανταχοῦ συμπαρεκτεινομένην εὑρήσεις τοῦ υἱοῦ τὴν ὑπόστασιν.

c Naz. orat. 34. Πῶς δὲ καὶ σωθήσεται τὸ διὰ πάντων διήκειν, καὶ πληροῦν τὰ πάντα θεόν; κατὰ τὸ οὐχὶ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει κύριος· καὶ πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, εἰ τὸ μὲν περιγράφοι, τὸ δὲ περιγράφοιτο.

d Id. orat. 39. B. Ἔδει δὲ μὴ τοῖς ἄνω μόνον τὴν προσκύνησιν περιγράφεσθαι, ἀλλ' εἶναί τινας καὶ κάτω προσκυνητὰς, ἵνα πληρωθῇ τὰ πάντα δόξῃ θεοῦ, ἐπεὶ καὶ θεοῦ· καὶ διὰ τοῦτο κτίζεται ἄνθρωπος χειρὶ θεοῦ τιμηθεὶς, καὶ εἰκόνι.

1 Cap. xxviii. in append. oper. Aug.

non credat esse Deum, in eam subeuntem et continentem et ei insidentem[a]? » Cujus mox eruditam rationem affert. « Ab eo enim quod est, pendent omnia, neque fieri potest ut sit aliquid, quod in eo quod est, esse non habeat. » Nimirum res nulla creata esse ac consistere posset, nisi intime Dei cum illa conjuncta foret, substantia. « Quare, addit subinde, si in eo sunt omnia, et illud est in omnibus, cur eos pudet mysterii illius quod in incarnatione positum est, quodque Deus docet inter homines esse versatum, qui ne nunc quidem extra hominem esse creditur? Quamvis enim non idem modus est præsentiæ quo Deus in nobis est cum illo, tamen hoc ipsum, in nobis inesse, et nunc et tunc ex æquo confitentur omnes. Ac nunc quidem contemperatus est nobis, qui naturam in eo ut sit continet, tunc autem cum eo quod est nostrum, commistus fuit. » Memorabilis in paucis hic locus est. Nam divinam præsentiam in omnibus rebus non actione solum sed etiam substantia apertissime demonstrat, dum Verbi in carne hominis existentiam nihil habere pudendum aut novum ex illius similitudine probat. *Substantialis.* Quod nisi utrobique præsentia οὐσιώδης ageretur, sed in uno vera et propria, in altero metaphorica, inepta esset omnino collectio. Sed non est. Itaque Deus in hominibus rebusque cæteris inest κατ' ἔγκρασιν, hoc est *temperationem* quamdam substantiæ suæ cum rebus conditis, sicut duæ perfectæ et integræ substantiæ sive hypostases inter se temperantur : in Verbo autem per κατάμιξιν *admistionem*, in qua videlicet non perfectæ sunt hypostases duæ, sed una duntaxat manet in quam altera res assumitur.

Chrysostomus. Substantialem. VII. Cum his copulandus est Chrysostomus, qui passim οὐσιώδη præsentiam Dei et immensitatem adstruit. Ut[1] ad psalmum centesimum duodecimum, verba illa Davidis explicans : « *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra?* Ostendens, inquit, ubique illum esse, et illic et hic. Non enim tanquam aliquis in cœlo conclusus, eminus videt quæ sunt in terra, sed ubique præsens et omnibus assistens[b]. » Quid aliud usurparet Chrysostomus, si Eugubini aut Vorstii detestandam christianis fabulam nominatim refelleret? Rursus ad illa Psalmi centesimi tricesimi octavi : *Quo ibo a spiritu tuo?* etc, hoc est, « Quo ibo a te? Omnia reples, præsens ades omnibus, non per partes, sed simul omnibus totus[c]. » Atque homilia decima septima in *Genesim* illud exponens quod scriptum est, *Deum ambulasse in Paradiso*[2] : non ambulat Deus, inquit, absit. Quomodo enim qui ubique præsens est et implet omnia[d]? »

Titus Bostrensis. Vixit eodem sæculo sed paulo Chrysostomo superior[3] Titus Bostrensis. Is autem in primo *contra Manichæos* horum de duobus et contrariis principiis confutat errorem, quod alioqui circumscripta et definita Dei esset substantia. « Quod quidem, ait, extra communes notiones est, quæ menti suggerunt ut eum ubique esse noscat et natura incomprehensum. »

Rursus Theodoretus in commentariis ad psalmum centesimum tricesimum octavum et ista prophetæ verba : *Si ascendero in cælum*[4], etc. « Omnia, inquit, imples et suprema et infima[e]. » Mox : « Ubique autem adest et in omnibus præsto est, et *in ipso vivimus*[5] (secundum divinum Apostolum) *et movemur*, *et sumus*[f]. » Et in libro decimo *de Providentia* : « Naturam ejus, inquit, minime circumscriptam esse dicimus et credimus. Audivimus enim dicentem ipsum, *Nonne cælum et terram ego impleo? dicit Dominus,* etc. » Et paulo post de Christo : « Fugit hominum more in Ægyptum, cum tanquam Deus ubique sit

a Nyssen. cap. 25. Τὸ δὲ ἐν φύσει ἡμῶν γενέσθαι τὴν θεότητα, τοῖς μὴ λίαν μικροψύχοις κατανοοῦσι τὰ ὄντα, οὐδένα ἂν ἐκ τοῦ εὐλόγου ξενισμὸν ἐπαγάγοι· τίς γὰρ οὕτω νήπιος τὴν ψυχὴν, ὃς εἰς τὸ πᾶν ἀποβλέπων, μὴ ἐν παντὶ πιστεύειν εἶναι τὸ θεῖον, καὶ ἐνδύον μὲν, καὶ περιέχον, καὶ ἐγκαθήμενον; τοῦ γὰρ ὄντος ἐξῆπται τὰ πάντα, καὶ οὐκ ἔνεστιν εἶναί τι, μὴ ἐν τῷ ὄντι εἶναι ἔχον· εἰ οὖν ἐν αὐτῷ τὰ πάντα, καὶ ἐν πᾶσιν ἐκεῖνο· τί ἐπαισχύνονται ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τοῦ μυστηρίου, τὸν θεὸν ἐν ἀνθρώποις γεγενῆσθαι διδάσκοντος, τὸν οὐδὲ νῦν ἔξω τῶν ἀνθρώπων εἶναι πεπιστευμένον; εἰ γὰρ καὶ ὁ τρόπος τῆς ἐν ἡμῖν τοῦ θεοῦ παρουσίας οὐκ αὐτὸς οὗτος ἐκείνῳ, ἀλλ' οὖν τὸ ἐν ἡμῖν εἶναι, καὶ νῦν, καὶ τότε κατὰ τὸ ἴσον διωμολόγηται· νῦν μὲν οὖν ἐγκέκραται ἡμῖν ὁ συνέχων ἐν τῷ εἶναι τὴν φύσιν· τότε δὲ κατεμίχθη πρὸς τὸ ἡμέτερον.

b Chrys. Δεικνὺς ὅτι πανταχοῦ ἐστι, κἀκεῖ καὶ ἐνταῦθα· οὐ γὰρ ὡς ἄν τις ἐν οὐρανῷ συγκεκλεισμένος, πόῤῥωθεν βλέπει τὰ ἐν τῇ γῇ· ἀλλὰ πανταχοῦ παρὼν, καὶ πᾶσι παριστάμενος.

c Id. Τουτέστι ποῦ πορευθῶ ἀπὸ σοῦ; πάντα πληροῖς, πᾶσι πάρει, οὐ κατὰ μέρος, ἀλλ' ὁμοῦ πᾶσιν ὅλος.

d Id. Οὐ περιπατεῖ ὁ θεός· μὴ γένοιτο· πῶς γὰρ ἂν ὁ πανταχοῦ παρὼν, καὶ τὰ πάντα πληρῶν;

e Theodoret. Ἅπαντα, φησὶ, πληροῖς, καὶ τὰ ἄνω, καὶ τὰ κάτω.

f Ibid. Πανταχοῦ δὲ πάρεστι, καὶ τοῖς πᾶσι παρίσταται, καὶ ἐν αὐτῷ ζῶμεν, etc.

1 *Psal.* cxii. 5. — 2 *Gen.* iii. — 3 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* — 4 *Psal.* cxxxviii. 8. — 5 *Act.* xvii. 28.

præsens et omnibus adsit, ut ait divina Scriptura[a].» Vide ejusdem caput primum lib. V *de Hæresibus*.

Cyrillus Alexandrinus. VIII. Cyrillus Alexandrinus libro secundo *contra Julianum* Judæos ait adeo hebetes fuisse ac rudes omnium rerum, ut Deum crederent Hierosolymitana urbe ac templo circumscribi, nec usquam alibi residere. Ideo prophetam Esaiam capite XLI ut hunc illis errorem executeret, dixisse *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* « Oportebat, inquit, iis qui contractam et circumscriptam locis naturam ipsius arbitrabantur, manifeste declarare illum ubique esse ac nihil ipsum capere, quin potius eum omnia pervadere ac plenum ipso esse cœlum ac terram[b]. » Idem in primo libro *Commentariorum in Joannem* capite IX locum illum Psalmi CXXXVIII : *Quo ibo a Spiritu tuo*, etc., multa de eadem Dei immensitate disserit qua implet omnia, ac nominatim Verbum ipsum Dei et unigenitum cœlum, terram et inferos ipsos implere divinitate sua scribit[c]. Item in libro VI capite I : « Cum sit verus Deus, inquit, non cœlos tantum et quæ supra firmamentum sunt, sed etiam nostrum hunc orbem terrarum implet ac fovet[d]. » Et in libro XI : « Non est, inquit, divinum numen in loco, nec ab ulla re abest omnino. Implet enim omnia et omnia permeans, extra omnia est et in omnibus[e]. »

Hieronymus. Hieronymus in commentario ad Esaiæ caput LXVI prophetæ illa verba, *cœlum sedes mea*, etc., perinde atque Cyrillus libro illo *contra Julianum* citato, dici putat, ut *Judaicum convincat errorem* Deum certo loco defigentem. Idemque in *Commentariis in epistolam ad Ephesios*[1] : « Deus ubique est, ait, et totus ubique est, a quo quis potest separari cum in eo sint omnia ? »

Ambrosius. IX. Ambrosius in tractatu *de Symbolo Apostolorum* capite XXII : Si enim sol, inquit, qui creatura est cui præcipitur ut oriatur, in omni orbe terrarum videtur ac radios suos ostendit, quanto magis creator et omnipotens Deus omnem credendus est penetrare et implere locum? Hinc Propheta dicit : *Quo ibo a facie tua? Si descendero in infernum ades.* » Quod disertius alio in loco scribit sic : « Complens omnia, nusquam ipse confusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus, ubique totus, eodemque tempore vel in cœlo, vel in terris, vel in novissimo mari præsens[2]. » Et in libro *de Dignitate conditionis humanæ*, præsentiam illam divinæ substantiæ demonstrat exemplo animæ : « Quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans sicut Apostolus confirmat, quod in eo vivimus, movemur et sumus ; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans[3]. » Vide et enarrationem Psalmi CXVIII octonario XX[4], ubi fuse id explicat.

Augustinus. Omnium copiosissime sanctus Augustinus epistola septima et quinquagesima Dei immensitatem exposuit, quæ epistola tota est de hoc argumento. Ibi inter alia : « Est ergo Deus per cuncta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetam, *Cœlum et terram ego impleo*, etc. » Tum : « Substantialiter Deus ubique diffusus. » Et : « Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam. » Item : « Ideo enim ubique esse dicitur quia nulli parti rerum absens est, ideo totus quia non parti rerum partem suam præsentem præbet et alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori vero minorem, majorique majorem. Sed non solum universitati creaturæ, verum

a THEODORET. orat. 1. *de Prov.* Ἀπεριόριστον αὐτοῦ τὴν φύσιν εἶναι καὶ φαμὲν, καὶ πιστεύομεν· ἠκούσαμεν γὰρ αὐτοῦ λέγοντος· μὴ οὐχὶ τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει Κύριος. Mox de Christo. Φεύγει δὲ καὶ ἀνθρωπίνως εἰς Αἴγυπτον, πανταχοῦ παρὼν ὡς θεὸς, καὶ τοῖς πᾶσι παριστάμενος, ὥς φησὶν ἡ θεία γραφή.

b CYRIL. Ἔδει γὰρ, ἔδει τοῖς συνεστάλθαι, καὶ περιωρίσθαι τόποις τὴν αὐτοῦ φύσιν ὑπειληφόσι, καταδεῖξαι σαφῶς, ὅτι τε εἴη πανταχῆ, καὶ χωρεῖ μὲν αὐτὸν οὐδὲν, ἥκει δὲ μᾶλλον διὰ πάντων αὐτὸς, καὶ πλήρης μὲν ὁ οὐρανὸς αὐτοῦ, μεστὴ δὲ ἡ γῆ.

c Idem *in Joan.* Ὅς δὴ καὶ ἀῤῥήτῳ τῆς θεότητος δυνάμει τὰ πάντα πληροῖ καὶ συμπάρεστι μὲν ἀγγέλοις ἐν οὐρανῷ· σύνεστι δὲ τοῖς ἐπὶ γῆς· κενὸν δὲ τῆς ἑαυτοῦ θεότητος οὐδὲ αὐτὸν ἀφίησι τὸν ᾅδην· καὶ πανταχῆ τοῖς πᾶσιν ἐπιδημῶν οὐδενὸς ἀπανίσταται.

d Id. lib. VI. Καὶ τοι θεὸς ὑπάρχων ἀληθινὸς οὐχ ὅπως οὐρανοὺς, καὶ τὰ ἐπέκεινα τοῦ στερεώματος μόνον· ἀλλὰ καὶ τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκουμένην πληροῖ τε, καὶ περιέπει.

e Id. lib. XI. Οὐ γὰρ ἐν τόπῳ τὸ θεῖον· ἄπεστι δὲ παντελῶς τῶν ὄντων οὐδενός· πληροῖ γὰρ τὰ πάντα, καὶ διὰ πάντων ἐρχόμενον, ἔξω τε πάντων, καὶ ἐν πᾶσίν ἐστιν.

1 Ad cap. II, vers. 3. — 2 Lib. I. *de Fide*, cap. IV. et VII; vide et lib. VIII. *in Luc.* — 3 Cap. II.

etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. » Agit eadem de re et epistola tertia nec non LVII ad Dardanum, quem Fulgentius librum vocat *de Præsentia Dei*, in responsione ad quæstionem tertiam Ferrandi. Qua etiam ex epistola verba illa describit : « Deus igitur ubique præsens est et ubique totus præsens, nec ubique habitans sed in templo suo, cui per gratiam suam benignus est et propitius. » Idem Augustinus epistola CXII capite XII : « Nusquam absens est qui cœlum et terram implet, nec spatiis includitur parvis, magnisque diffunditur, sed ubique totus est et nullo continetur loco. » Epistola quoque CCXXI verba illa declarans, *Pater noster qui es in cœlis:* « Non quia ibi est, inquit, et hic non est, qui præsentia incorporea ubique est totus. » Et in sermone XVI *de Diversis*, capite XII ac sermone XXI, et sermone LXXXIV, ubi de Verbi immensitate pulchre disserit. Et serm. CII capite XIII. Consentius quoque in *epistola ad Augustinum* quæ est inter hujus epistolas ducentesima vicesima prima. Sic *Manualis* auctor, quod in appendice tomi noni operum Augustini legitur capite I, auctor item libri *de Cognitione veræ vitæ* [1], quæ duo opuscula falso quondam Augustino tributa sunt. Quorum in posteriore uberius hoc ipsum pertractat, docetque *substantialiter* simul et *potentialiter* ubique esse Deum. Quippe « si Deus, inquit, aliquando est in cœlo et non in mundo, tunc ibi tantum aliquid est ubi ipse est alibi autem nihil est. Ubi enim Deus non est, ibi nihil est. » Quod Anselmus imitatus *Monologii* capite XIII : « Consequitur, inquit, ut ubi ipsa non est, nihil sit. Ubique igitur est, et per omnia et in omnibus [2]. »

X. Quocirca paribus modulis procedunt Dei æternitas et immensitas * :

Utque ævi spatia ac numeros præcedit et exit,
Sic nullo immensus cohibetur fine locorum,

ait Prosper in *Sententiis* [3], cujus et ista memoranda sunt ex libro *de Providentia :*

Sed nusquam non esse Dei est, quia totus [ubique,
Et penetrat mundi membra omnia liber, et [ambit.

Petrus Chrysologus

Petrus item Chrysologus hæc verba dominicæ Orationis enarrans, *Pater noster qui es in cœlis* : « Hoc cum dicis, ait, non sic habeas, quasi non sit in terris, quasi sit loco clausus qui claudit omnia [4]. » Cui similia quædam ad eamdem orationem affert Chrysostomus [5]. Vigilius libro I *contra Eutychem* de Filio loquens : « Cum Patre, inquit, ubique est totus pari divinitate, quem nullus continet locus. Plena sunt quippe omnia Filio, nec est aliquis locus præsentia divinitatis ejus vacuus [6]. »

Fulgentius.

Fulgentius libro *contra sermonem Fastidiosi*, capite IV : « A Deo enim nostro, id est ab ipsa Trinitate sancta nihil potest localiter separari, quia idem Deus summus verus et bonus sicut omnia fecit, sic omnia continet et replet immensus. » Et : « Deus enim sic nullo continetur loco, ut ipse contineat omnem locum, in quo moles est nulla et cujus est virtus immensa. » Et capite VI : « Trinitas autem unus Deus, sicut est æternus et nulla illi coæterna sunt tempora, sic est immensus quem nulla potest concludere creatura : et quia immensus, ubique totus, quia nec continetur loco nec distenditur, aut contrahitur spatio. » Idem Fulgentius in secundo libro *ad Monimum*, ubi neque moveri loco divinas personas probat, quia immensitate sua cuncta replent, et Filium ac Spiritum sanctum unum cum Patre esse Deum argumento eodem asserit [7].

Maximus martyr.

XI. Cujusmodi habet et Maximus martyr in dialogo primo *de Trinitate*. Huic enim, non Athanasio, tribuuntur a Græcis dialogi illi,

* Hanc immensitatis æternitatisque analogiam scite edisserit Franciscus Suarius (*Metaphysic.* disput. XXX. sect. VII. n. 38.) inquiens : « Ita comparatur Deus per immensitatem suam ad corpora, sicut per æternitatem ad tempora ; nam æque infinita est immensitas in ratione sua ac æternitas in sua. Sicut ergo æternitas est in omnibus finitis temporibus et infinite excedit illa, ita immensitas est in omnibus finitis locis et infinite superat illa. Sicut igitur Dei æternitas comprehendi non potest finitis temporibus, sed est etiam extra illa, id est, ante illa et post illa; ita etiam se habet immensitas ad finita loca. Rursus hac ratione vere dicitur Deus extitisse ante reale tempus in omni tempore imaginario, etiamsi cum infinita successione apprehendatur; in quo non fingitur imaginarium tempus esse aliquid reale, aut Deum esse in illo per aliquam realem coexsistentiam aut habitudinem, sed solum utimur illa comparatione et apprehensione ad declarandam infinitatem divinæ durationis, quia nos non possumus illam infinitatem nisi per ordinem ad quantitatem et successionem declarare, et quia revera ante quodlibet tempus intelligimus potuisse esse aliud, et tunc jam extitisse Deum, semperque idem esse, etiamsi in infinitum procedatur. Idem ergo eadem proportione et ratione in spatiis veris vel imaginariis intelligendum erit. » *E. R.*

1 Ibid. cap. XXVIII. — 2 Cap. XIII. — 3 Sent. 289. — 4 Serm. 67. — 5 Hom. 19. *in Matth.* — 6 Tom. IV. *Biblioth. Patrum.* — 7 Cap. VI; vide et lib. *de Fide ad Petr.* cap. III.

qui in tomo secundo operum Athanasii leguntur. Ibi discrimen inter creatas res, uti angelos, et divinas personas hoc affert : « Quod Gabrielem, verbi causa, ibi intelligere possum ubi non est Raphael, Patrem vero et Filium et Spiritum sanctum ubique, et in omnibus et per omnia intelligo [a]. » Ubi de οὐσιώδει existentia perspicuum est agere Maximum. Quod apertius enarrat in altero dialogo *contra Macedonianos*. Illic enim « Diabolum, ait, non ubique esse *substantia*, velut in cœlo, ac ne in terra quidem universa. Sed quemadmodum tyrannus aliquis certo in loco consistens, mandatis suis subjectos sibi mittens, ubique dominari dicitur ubicumque potentiæ suæ ministros habet, et quod ad personam quidem attinet, uno in loco est, sed operatione voluntatis ubicumque dominatur, ibi esse dicitur; sic et diabolus hypostasi quidem sua de loco in locum transit, operatione autem voluntatis ubique terrarum est, voluntate ejus operante in filiis diffidentiæ per principatus et potestates et mundi rectores tenebrarum. Pater autem et Filius et Spiritus sanctus substantia et virtute et gloria ubique et in omnibus et per omnia sunt [b]. » Quibus verbis distinctissime qualis sit immensitas Dei ad mentem nostram et institutum explicat, eamque tribus personis pro indiviso communem esse defendit, quemadmodum auctor ille qui sub Athanasii nomine editus est in libro quinto *de Unita substantia Trinitatis* [1]. « Sed et ubique præsens est, inquit, ista natura Trinitatis, quæ omnia implet interius et exterius a summitate cœlorum usque ad profundum infernorum [c]. » Bernardus item : « Ubique, inquit, æqualiter totus est per suam simplicem substantiam [2]. » Et alibi : « Quæris ubi non sit? Ne hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus [3]? » Petrus quoque Abælardus « ubique Deum esse per substantiam et essentialiter [4] » affirmat. Quod idem et alii complures testantur, ut Gregorius Magnus [5], Alcuinus [6], Petrus Damiani [7], Joannes Damascenus [8] et alii, qui rationem illam, qua ubique et in locis omnibus inest Deus clarius explicant. Ideo in caput sequens in quo exponendum illud erit, illorum testimonia rejicimus.

Substantiva

XII. Scripsit Anastasius * patriarcha Antiochenus librum unum *de Incircumscripta Dei essentia*, qui est secundus e quinque qui de variis fidei rebus editi sunt. In eo libro multo tolerabiliorem sententiam quam est illa, quam Eugubinus, Vorstius, aliique partim amplexi sunt, partim approbarunt, pro hæresi habet ac blasphemia, et eadem quibus illi permoti sunt argumenta proponit ac diluit. « Aiunt, inquit, Deus in omnibus est efficacia operandi, essentia vero nusquam. Vim hanc operatoriam dicunt effectum qui procedit ex ea efficacia, perinde atque si navis compingendæ peritus in ipsa jam a se adornata navi, et textor in suo a se pertexto habitu conspiciantur [d]. » Hæc illi. Anastasius vero Deum

a Maxim. tom. II. Ath. Δύναμαι γὰρ νοῆσαι τὸν Γαβριὴλ, ἔνθα οὐκ ἔστιν ὁ Ῥαφαήλ· πατέρα δὲ, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, πανταχοῦ καὶ ἐν πᾶσι, καὶ διὰ πάντων νοῶ.

b Id. dial. I. *cont. Maced.* Οὐκ ἔστι πανταχοῦ ὁ διάβολος· οὔτε γὰρ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐστιν· οὔτε ἐν πάσῃ τῇ γῇ. Ἀλλ' ὥσπερ τις τύραννος ἐν τόπῳ τινὶ ὢν διὰ τῶν προσταγμάτων ἑαυτοῦ ἀποστέλλων ὑπηκόους, πανταχοῦ κρατεῖν λέγεται, ἔνθα εἰσὶν αἱ ὑπηρετούμεναι αὐτῷ δυνάμεις· καὶ τῇ μὲν ὑποστάσει ἐν ἑνὶ τόπῳ ἐστί· τῇ δὲ ἐνεργείᾳ τοῦ θελήματος πανταχοῦ, ὅπου δ' ἂν κρατῇ, εἶναι λέγεται· οὕτω καὶ ὁ διάβολος τῇ μὲν ὑποστάσει περιέρχεται ἀπὸ τόπου εἰς τόπον· τῇ δὲ ἐνεργείᾳ τοῦ θελήματος πανταχοῦ γῆς ἐνεργουμένου τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, διὰ τῶν ἀρχῶν, καὶ τῶν ἐξουσιῶν, καὶ τῶν κοσμοκρατόρων τοῦ σκότους· πατὴρ δὲ, καὶ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὐσίᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ δόξῃ πανταχοῦ, καὶ ἐν πᾶσι, καὶ διὰ πάντων ἐστί.

c Anast. Τῇ ἐνεργείᾳ, φασὶν, ἐν πᾶσίν ἐστιν ὁ Θεός· τῇ οὐσίᾳ δὲ οὐδαμοῦ· ἐνέργειαν λέγοντες τὸ προϊὸν ἐκ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα.

d Id. Φαίην δ' ἂν ἔγωγε τῆς τοῦ Θεοῦ φύσεως ἀχώριστον εἶναι τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ.

* Anastasii Sinaitæ vel Antiocheni librum exhibet Gallandius, (*Biblioth. Patrum*, t. XII. pagg. 244-246.), penes quem hunc titulum præfert : *Oratio de Circumscripto*. Eo autem pluris ducta ex hoc libro testimonia æstimari debent, quo illum vir sanctus absolvens, commemoratis (*Ibid.* §. IX.) non sine laude Patribus, *qui recte tractarunt Verbum veritatis, super quos aspexit Dominus propter rectum cor eorum*, de semetipso subdit : « Quos ipsi insecuti, sententiam puram et undique limatam exposuimus, nihil proprium expromentes, sed potius Sanctorum verba tanquam flores colligentes, hæc nunc tanquam favos finximus, usi adjutrice vel potius causa et principio sapiente ape, cujus labores reges et privati ad sanitatem adhibent. » *E. R.*

1 Tom. II. Ath. sub. fin. lib. V. — 2 Hom. 3. *de Adventu*. — 3 Lib. V. *de Cons.* cap. VI. — 4 Lib. III. *Introd.* cap. VI. — 5 Lib. II. *Moral.* cap. VIII. — 6 Lib. II. *de Trinit.* cap. IV. et VII. — 7 Opusc. 36. *de Omnipot.* cap. VI. — 8 Lib. I. *de Fide*, cap. VIII. et XIV.

non solum actione sed etiam substantia præsentem esse et ubique inesse demonstrat, primum ex eo quod « efficacia ista divinæ operationis a Dei natura separari non potest[a]. » Hoc enim inter creatas res ac Deum interesse dicit, quod illæ quia finitæ, ac circumscriptæ sunt, « solam rem a se confectam transmittunt ad posteros suo interim destitutam opifice, » neque necessario præsentes adsunt iis quæ efficiunt. « Divina autem natura quandoquidem vivit ac vivas habet actiones suas, sine substantia vero impossibile est actionem procedere, ubicumque apparebit actio, una cum ea et substantia consideratur a qua illa procedit. Utrumque enim, pergit idem, incircumscriptum, quo fit ut neutrum ab altero prorsus possit secerni. Ipsum enim opus latentem in se substantiam prædicat. Attenditur enim cum affectrice substantia præsens actio, sine qua esse non posset[b]. » Sic Anselmus, in libro *de Incarnatione*, capite IV, Deum ubique esse probat non solum potestate sed etiam essentia eodem quo Anastasius argumento, quia « Idem est esse Dei et potestas ejus. Sicut itaque potestas Dei est semper et ubique, ita quidquid est Deus, ubique et semper est. »

[margin: (D)eus creata conservat.]

XIII. Cæterum Dei hæc actio quam ab substantia sejungi non posse ait Anastasius, non sola rerum est e nihilo productio, sed etiam conservatio quam ἀνακαινισμὸν, hoc est *renovationem* idem appellat; quod inveterare et quodam veluti situ ac senio corrumpi res conditas idem ille qui condidit, et eadem qua condidit efficientia prohibeat. « Renovationem, inquit, voco conservationem. Conservat enim ea per quod condita sunt Verbum. Si quidem ut feliciter succedat. » (Credo Græce scriptum fuisse, ἵνα εὐοδωθῇ, hoc est *ut recte ac prospere se habeant*) « credere debemus vim hanc operatoriam esse ipsam conservationem. » Ex quo concludit Anastasius, quoniam quidem continenter agit conservando hanc rerum universitatem Deus, neque ab ejus substantia separari potest actio, in hac ipsa inesse universitate conservatricem ejus Dei substantiam. « Si enim circa hoc universum efficientia ipsa versatur, inquit, ab hac autem disjungi non potest substantia, circa idem universum et in hoc universo inest Dei substantia. » Hæc Anastasius, quæ Theodoro presbytero Raithu ab Joanne Becco tribuuntur in libro quem contra Græcos populares suos *de Processione sancti Spiritus* edidit, a quo Græca verba descripsimus [1]. Scripsit autem Theodorus iste *Isagogen* in illos Anastasii quinque libros, quæ Græce est excusa [2]. Ex quo accidisse puto, ut cujus *Isagoge* præfixum erat nomen, iis etiam sequentium librorum auctor haberetur.

[margin: Primum Dei immensitatis argumentum.]

XIV. Apparet autem Anastasium existimasse Dei actionem et efficientiam, qua creatas res molitur et conservat, ipsam esse Dei substantiam. Nam nihil incircumscriptum est præter Deum, cujusmodi actionem illam esse dicit. Neque enim tam male de nobis meruit eruditissimus ac sanctissimus ille vir, ut affinem eum fuisse credamus Græculorum opinioni illi quam supra confutavimus [3], qui a Dei substantia diversam reipsa ejus ἐνέργειαν esse nugantur, ac similiter æternam. Nihil eum sensisse aliud reor nisi quod in scholis theologi nostri prædicant, actionem Dei liberam qua externa suis temporibus edit opera, ipsammet esse substantiam Dei, quatenus σχέσιν et comparationem habet ad effecta. Itaque merito ab substantia Dei separari non posse dicit ἐνέργειαν. Ideo cum res omnes perpetua quadam effectione producat ac foveat, præsens omnibus adesse debet illius substantia, ne in nihilum unde ortum acceperunt, dilapsæ creaturæ recidant.

[margin: *Efficientiam*]

Huic vero Anastasii decreto favet magnus Basilius in quinto adversus Eunomium. Nam « in simplici et corporis experte natura eamdem esse rationem ait substantiæ, et actionis[c]. » Nec aliter sentire potuit Fulgentius in secundo *ad Monimum*, qui ubique esse Filium ea ratione concludit, quod omnia procrearit atque conservet. « Quid ergo est, inquit, quod implere sua præsentia nequeat, in quo Apostolus universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia constare pronuntiat [4]? » Ita Anselmus in *Monologio* : « Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil viget nisi per ejusdem servatricem potentiam [5]. » Quam quidem potentiam a Dei

a Anast. Ἐπειδὴ δὲ ζῶσα ἡ θεία φύσις ζώσας ἔχουσα καὶ τὰς ἐνεργείας· χωρὶς δὲ οὐσίας ἀδύνατον προελθεῖν ἐνέργειαν, ἔνθα ἂν ἡ ἐνέργεια φανῇ, συνθεωρεῖται ταύτῃ καὶ ἡ οὐσία, ἐξ ἧς προέρχεται.

b Idem. Εἰ περὶ τὸ πᾶν ἐστιν ἡ ἐνέργεια, ταύτης δὲ ἀχώριστος ἡ οὐσία καθέστηκεν, περὶ τὸ πᾶν, καὶ ἐν τῷ παντί ἐστιν ἡ τοῦ Θεοῦ οὐσία.

c Basil. C. Ὅτι ἐπὶ ἁπλῆς, καὶ ἀσωμάτου φύσεως τὸν αὐτὸν τῆς οὐσίας λόγον ἐπιδέχεται ἡ ἐνέργεια.

1 Cap. VII. — 2 Tom. I. *Biblioth. Patrum*. Græco-Lat. — 3 Lib. I. cap. XI. et seq. — 4 Cap. VI. — 5 Cap. XII.

substantia nihil differre asserit in libro *de Incarnatione Verbi*, dum eos redarguit qui Deum potestate non substantia ubique esse dicerent. Ergo « idem est, inquit, esse Dei et potestas ejus. Sicut itaque potestas Dei est semper et ubique, ita quidquid est Deus, ubique et semper est [1]. » Similis est Hugonis Victorini ratio, cujus hæc sunt verba : « Si autem Dei virtus ubique est, cum alia non sit Dei virtus quam Deus, constat quod nusquam Deus deest [2]. » Item : « Deus qui per semetipsum cuncta propria virtute facit, ubicumque præsens est opere, præsens etiam necesse est ut sit deitate. » Sed de hoc alias rursum.

Alterum arg. XV. Alterum argumentum ad Dei immensitatem probandam affert Anastasius, quod alioqui certo aliquo spatio terminata ac definita illius esset substantia. « Si enim ab uno aliquo vel solo quod vel minimum sit omnium submoveatur, hic jam locum habet circumscriptio. Per hoc enim quod ab alio terminatur, declarat substantiam ejus qui ambitur, esse circumscriptam. » Sic Petrus Damiani opusculo sexto et tricesimo, capite sexto : « Ubi ergo sit aliquid absque eo, qui cum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? » Hoc vero imprimis valet contra Eugubinum et Vorstium, qui divinam substantiam cœlesti domicilio concludunt. Nam si extra cœlum nusquam est, cœlo utique circumscripta est illius existentia, quemadmodum humano corpore circumscripta est anima, quamvis proprio quodam modo ac spirituum proprio insit illic, hoc est non pars parti respondeat loci, sed in toto pariter ac totius partibus singulis tota consistat. Sic etiam sapientia, scientia, virtus ac reliqua ejusdem generis tametsi proprie non sunt in loco, circumscribuntur tamen iisdem quibus eæ res quas afficiunt et in quibus insunt, spatiis et angustiis. Quippe virtus, exempli causa, Petri propria extra Petrum nusquam est. Quare si Deus alicubi οὐσιωδῶς non sit, sed in certo duntaxat loco, quamvis non eo corporis modo comprehendatur, quia tamen intra illum includitur nec extra patet ejus substantia, sine dubio circumscriptus est.

Substantialiter.

Tertium arg. XVI. Hinc autem tertium argumentum adstruendæ immensitati Dei velut consectarium deducitur. Nisi enim ubique Deus est substantia sua, sed in quibusdam rebus inest, abest ab aliis, duo quædam colligentur impia et absurda, quorum est primum, moveri Deum loco posse et ab uno transitum facere ad alterum in quo antea non erat. Etenim cujuscumque rei substantia spatium aliquod vel corpus implet et inest in eo, quod cum existeret antea non implebat (implendi enim verbo licet uti sine ullo calumniæ metu, quod usurpari in Scripturis meminimus), illud profecto moveri loco potest, siquidem pristinum quod obtinebat spatium potest relinquere. Neque enim vel cogitando fingi ratio potest ulla verisimilis, cur spiritus aliquis huic potius quam illi sit adjunctus, affixusque corpori, et omisso priore ad posterius applicare se nequeat. Nisi forte certis ab locis et corporibus affici, et eorum vi quadam foveri ac conservari necesse est immortalem præsertim et increatum Spiritum, ut ab iis quæ occuparit sine sui detrimento migrare haud queat seque ad alia transferre, quod in elementis, corporibusque cæteris usuvenire cernimus. Sed non est ejusmodi Deus. Itaque si in uno tantummodo corpore, puta cœlo, residet, potest eo destituto sedem alibi capere atque in terram descendere. Ut cum hominem se fecit, erat utique in homine Deus *reconcilians sibi mundum*, et in terra ubi hactenus non erat, ex falsa illa sententia. Quid igitur prohibebat, quin aut cœlum desereret, aut si id faceret, locum revera mutasse diceretur? « Moveri quippe localiter, ut cum Petro Abælardo dicam, est de loco ad locum transire, cum unum deserendo locum, migrat ad alium [3]. » Quod iis etiam convenit quæ alioqui in loco proprie, hoc est more corporum non sunt, ut angelis, quos quidem moveri ac mutare loca sua postea demonstrabimus. Ut igitur Gabriel, cum ad beatam Virginem devolavit e cœlo, hoc ipsum deseruit, in terramque migravit, ita Dei Filius cum in ejusdem sanctissimæ Matris descendit uterum in quo antea non erat, cœlum utique potuit relinquere. Moveri ergo loco potuit similiter ac creatus quispiam spiritus, quod dictu fœdum ac detestandum piorum offendit aures.

XVII. Quocirca veteres omnes hoc idem quod citato loco Abælardus subjicit, uno ore pronuntiant : « Nullum deserere locum motu locali Deum, qui semper substantiæ suæ præsentia in omnibus est locis. » Ut hæc sit unica et certissima causa cur moveri non possit loco Deus, quod in omni sit loco. « Localem mutationem, ait Hugo Victorinus, facile ab eo re-

1 Cap. IV. — 2 Lib. VII, *Erud. theol.* cap. XIX. — 3 Lib. III. *Introd.* cap. VI.

movemus, si eum ubique esse ostendimus. Quod enim ubique est, in omni loco est. Quod autem in omni loco est, de loco ad locum transire non potest. » Huc etiam fortasse pertinet quod Maximus martyr apud Euthymium dicit : « Infinitum esse Deum eo quod sit immobilis[1], » quæ quidem enuntiatio pars est gradationis cujusdam quam illic facit non indignam, quæ hic quoque referatur. « Expers, inquit, partium Deus est, quia et quantitatis; expers autem quantitatis, quia nec qualitatem habet; qualitatem non habet, quia simplex est; simplex vero est, quia dimensione caret; dimensione caret, quia infinitus est; infinitus est, quia immobilis; immobilis est, quia principio caret[a], etc. » Hic infinitum arbitror idem atque immensum esse et ad locum spectare. Quamobrem ratio ista quæ immensum esse probat Deum quod sit immobilis, non ab antecedente causa, sed ab eo quod posterius est ducitur, ut recte beatus Theophilus Raynaudus observat[2].

Probatur Dei immensitas ex absurdis.

XVIII. Alterum quod ex eo dixi esse consequens absurdum, si Deus ubique non sit, est ejusmodi. Etenim si certo aliquo spatio definiatur, propius ab eo distare vel longius, accedere item aut recedere creatura dicetur, idque proprie ac ratione loci non metaphorice. Quo enim terræ propinquius est aliquid, eo magis a cœlo remotum est et a Deo, si ibi tantum est; tum autem appropinquabit Deo, cum procul a terra discesserit. Cujusmodi stulta nimium est ac Dei majestate indigna cogitatio. Quam ethnicus homo castigat Epictetus apud Arrianum, ubi quocumque in loco versemur, pari intercapedine nos a Deo distare dicit his verbis : « Nonne undecumque pari intervallo distant dii? Nonne undecumque similiter vident ea quæ fiunt[b]? » Hanc vero cum illa Eugubini ac Vorstii opinione conjunctam esse Gregorius Magnus indicat, qui nullam aliam causam attulit cur exire a Deo nemo possit, quam quod ubique incircumscripta sit illius substantia[3]. Ita enim ad illa Jobi primo capite : « Egressusque est Satan a facie Domini. Quo igitur ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest? » Quinetiam loci omnes differentiæ in Deum cadent, ac supra vel infra, ad dexteram aut sinistram esse dicetur, quæ omnia ut sunt revera, sic a Philone Judæo falsa et nefaria judicantur[4], cum illud explicat quod Scriptura refert, descendisse Deum ut videret turrim quam ædificabant Adami posteri[5]. Hoc enim dici humano more scribit, non ex rei veritate. « Quis enim ignorat eum qui descendat, oportere locum alium relinquere, alium occupare? Porro Deus implet omnia circumdans non circumdatus, cui accidit ut ubique sit ac nullibi[c]. » Postea vero : « Nominum igitur quæ progressionem ac motum significant, nullum Deo convenit, velut supra, infra, ad dextram, ad sinistram, ante, retro. Nam in nullo eorum quæ dicta sunt cogitatur, ut qui nunquam mutatus locum vertit[d]. »

XIX. Quapropter erudiendi generis humani gratia in sacris Litteris talia de Deo narrari asserit, ut nos doceant non temere de quoquam ferre judicium; sed in rem præsentem venire ante, causaque cognita et explorata proferre sententiam. Augustinus item de hoc ipso loquendi in Scriptura modo disserens : « Vide, inquit, ne ascensionem et descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea et ubique tota sentire substantia, sed descendere dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur[6]. » Et libro contra Adimantum capite XIII : « Nam qui descendit, locum superiorem deserere et inferiorem petere videtur. Dei autem sapientia cum tota ubique præsto sit, nullo pacto migrare de loco in locum potest. » Ac subinde modos illos dicendi tropicos explanat.

Sic et illa tropice dici putanda sunt de Dei sede ac domicilio in cœlo constituto, quæ iis

a MAXIM. Ἀμερὲς μὲν τὸ Θεῖον, ὅτι καὶ ἄποσον· ἄποσον δὲ, ὅτι καὶ ἄποιον· ἄποιον δὲ, ὅτι καὶ ἁπλοῦν· ἁπλοῦν δὲ, ὅτι καὶ ἀδιάστατον· ἀδιάστατον δὲ, ὅτι καὶ ἄπειρον· ἄπειρον δὲ, ὅτι καὶ ἀκίνητον· ἀκίνητον δὲ, ὅτι καὶ ἄναρχον.

b ARRIAN. lib. IV. cap. IV. Οὐ πανταχόθεν τὸ ἴσον ἀπέχουσιν; οὐ πανταχόθεν ὁμοίως ὁρῶσι τὰ γινόμενα;

c PHILO. Ταῦτα δὲ ἀνθρωπολογεῖται παρὰ τῷ νομοθέτῃ περὶ τοῦ μὴ ἀνθρωπομόρφου Θεοῦ, διὰ τὰς τῶν παιδευομένων ἡμῶν, ὡς πολλάκις ἐν ἑτέροις εἶπον, ὠφελείας· ἐπεὶ τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι τῷ κατιόντι, τὸν μὲν ἀπολείπειν, τὸν δὲ ἐπιλαμβάνειν τόπον ἀναγκαῖον; ὑπὸ δὲ τοῦ Θεοῦ πεπλήρωται τὰ πάντα περιέχοντος, οὐ περιεχομένου· ᾧ πανταχοῦ τε, καὶ οὐδαμοῦ συμβέβηκεν εἶναι.

d MOX. Τῶν οὖν μεταβατικῆς κινήσεως ὀνομάτων οὐδὲν ἐφαρμόττει τῷ καθὸ εἶναι Θεῷ, τὸ ἄνω, τὸ κάτω, τὸ ἐπὶ δεξιὰ, τὸ ἐπ' εὐώνυμα, τὸ πρόσω, τὸ κατόπιν· ἐν οὐδενὶ γὰρ τῶν λεχθέντων ἐπινοεῖται, ὃς οὐδ' ἂν μετατρεπόμενος ἐναλλάττοι χώραν.

1 Part. I, tit. I. — 2 *Theo. nat.* disp. 7. qu. 1, art. 6, num. 86. — 3 Lib. II *Moral.*, cap. VIII. — 4 Lib. *de Confus. ling.* p. 229, et seq. — 5 *Gen.* XI, 5. — 6 Serm. 70. *de Temp.*

quos attigi supra occasionem erroris tanti dederunt. Justinus martyr, sive quis alius in[a] *Quæstionibus et responsionibus ad Græcos* : « Cœlum ait domum ac solium appellari Dei, non quod opus illo Deus ad habitandum vel sedendum habeat, ut qui minime circumscriptus sit ac nulla re indigeat, sed ne ad illius amplitudinem substantiæ et incorruptam essentiam respicientes, Deum ipsum aut honore parem esse Deo suspicemur. » Athanasius vero cœlum Deo, terram hominibus idcirco attributam ait, ut et sublimitas illius ac magnificentia et istorum humilitas ex usu loquendi significetur [1]. Chrysostomus hanc causam reddit [b], ut Judæorum animi idolorum assueti cultui ac numinum illorum quæ certis addicta locis erant, paulatim erigerentur ad veri ac supremi notitiam, ideo se ad eorum usum captumque demisisse Spiritum sanctum, et in certa sed celsissima omnium sede collocasse Deum. Potest et illa Theodoreti adhiberi ratio : « In cœlis habitare dici non veluti loco circumscriptum, sed veluti lætantem cœlestibus Virtutibus quæ cœlos incolunt [2]. » Nempe quod illic prætorium ac velut palatium suum habeat, in quo versantur aulæ proceres et palatini, hoc est administri officialesque Spiritus et Sanctorum animæ : et « quia major cognitio est in cœlis illius summæ majestatis et essentiæ in angelis, vel in sanctis animabus Sanctorum, quam in terra habitantibus sanctis [3], » ut ait Alcuinus, qui et cœlorum nomine significari Sanctos putat, Augustinum [4] imitatus et Cyprianum [5] et Ambrosium [6] et Cyrillum [7] Hierosolymitanum. Damascenus vero libro I, capite XVI, Deum in cœlo magis habitare dici asserit : « Quod ille locus magis particeps sit operationis ipsius et gratiæ. Ideo cœlum ipsius est thronus. In eo sunt enim facientes ipsius voluntatem angeli [c]. » Ambrosii *commentarius*, in cap. V secundæ *ad Corinthios* : « quia illic semper videtur. » Mitto varias ejusdem dicti interpretationes aliorum quæ omnes hoc vel sumunt vel nominatim declarant, non sic intelligenda illa esse verba tanquam in cœlo duntaxat locatus sit Deus, sed figuratam esse sententiam. Sed hæc perfacilem habent explicationem. Vide Bernardum sermone I in Psalmum XC.

Explicatur quomodo domicilium Dei dicatur in cœlo esse.

XX. Ne illud quidem est impedimentum quod istos commovit qui Deo immensitatem detrahunt, ut ab certis locis substantiam illius excluderent, quod sunt quædam adeo fœda et abominanda, ut Dei præsentia prorsus indigna videantur. Quo illa apud Macarium sciscitatio pertinet, an sit in Satana Deus [8]. Cui ille respondet sic : « Quandoquidem sol etsi creatura sit, lutulenta loca sua luce perfundit neque quidquam læditur, multo magis divinum numen ita cum Satana versari, ut neque commaculetur, neque labis aliquid inde concipiat, etc. Quod si quis asserit proprium locum occupare Satanam, et Deum proprium, circumscriptum hunc facit illo loco [d], etc. » Latius hæc Anastasius prosequitur in libro *de Incircumscripto Deo*, ac solis itidem similitudine utitur. Legendus etiam Guillelmus Parisiensis, qui erudite de hoc argumento scribit in libro *de Universo* [9].

CAPUT IX.

Explicatur modus, quo Deus ubique, id est omni in loco esse dicitur, quemadmodum intra et extra omnia sit et omnia complectatur : cur veterum alii ubique, alii nusquam illum esse dixerunt.

Status quæstionis exponitur.

I. Gregorius Nazianzenus adversus Eunomianos disputans ut eorum castigaret insci-

a Justin. qu. 5. Οἶκον δὲ, καὶ θρόνον λέγομεν τοῦ θεοῦ τὸν οὐρανὸν οὐχ ὡς τοῦ θεοῦ τούτου πρὸς οἴκησιν, ἢ πρὸς καθέδραν χρῄζοντος· ἀπεριγράπτου, καὶ ἀνενδεοῦς παντελῶς ὑπάρχοντος· ἀλλ' ἵνα μὴ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς αὐτοῦ ὑποστάσεως, καὶ τὸ ἄφθαρτον τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀφορῶντες, θεὸν τοῦτον, ἢ ἰσότιμον θεῷ ὑπολάβωμεν.

b Chrysost. in *Psal.* CXII, vers. 5. Διὰ γὰρ τὴν ἀσθένειαν τὴν Ἰουδαϊκὴν, τὴν πρὸς τὰ εἴδωλα ἐπτοημένην, καὶ θεοὺς προσκυνοῦσαν τοὺς ἐν τόποις, καὶ ναοῖς συγκεκλεισμένους, διὰ δὴ τοῦτο κατὰ μικρὸν τὴν σύγκρισιν ποιεῖται, etc.

c Damasc. Λέγεται τοιγαροῦν θεοῦ τόπος ὁ πλέον μετέχων τῆς ἐνεργείας, καὶ τῆς χάριτος αὐτοῦ· διὰ τοῦτο ὁ οὐρανὸς αὐτοῦ θρόνος· ἐν αὐτῷ γάρ εἰσιν οἱ ποιοῦντες τὸ θέλημα αὐτοῦ ἄγγελοι.

d Macar. hom. 7. Εἰ ὁ ἥλιος οὗτος κτίσμα ὢν, καταλάμπει εἰς τόπους βορβορώδεις, οὐ βλάπτεται, πόσῳ μᾶλλον τὸ θεῖον συνὸν τῷ σατανᾷ οὔτε ῥυποῦται, οὔτε μιαίνεται, etc. ; εἰ δὲ λέγει τις, ἴδιον τόπον ἔχειν τὸν σατανᾶν, καὶ ἴδιον τὸν θεὸν, ποιεῖ αὐτὸν καὶ περίγραπτον εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον.

1 Lib. *cont. Sabell.* in fine. — 2 In *Psal.* CXXII. — 3 Lib. II *de Trinit.* cap. V. — 4 Serm. 182. *de Temp.* et ep. 222. — 5 Lib. *de Orat. Dom.* — 6. Lib. V *de Sacr.* cap. IV. — 7 *Catec.* V *myst.* vid. et Tert. *Contr. Prax.* c. XXIII. — 8 Hom. 7, et hom. 15. — 9 In 2. 2. *de Univer.* cap. LXVIII ; vide et lib. VI *de Trin.* cap. I, infra.

tiam qui se Deum perfecte ac penitus nosse dicebant, hanc ipsam quam ingredimur quæstionem, quasi tentandi convincendique gratia objicit his verbis, quæ quia statum et argumentum susceptæ disputationis continent, in ipso capitis exordio describam. « Nusquamne ille est, inquit, an alicubi? Si enim nusquam, quæret fortasse aliquis ex iis qui inquirendi ac disputandi subtilitate impensius gaudent, quo modo esse quoque possit. Nam si id quod non est nusquam est, id quoque quod nusquam est, ne est quidem fortasse. Quod si alicubi esse dixeris, procul dubio quandoquidem est, vel in universo est, vel supra universum. Si in universo, vel in quadam ejus parte est, vel ubique. Si quadam in parte, ergo a minori hac parte circumscribetur. Sin ubique, ergo ab alio multo majore continebitur, si quidem futurum est ut Deus totus universi complexu teneatur, nec ulla ex parte circumscriptionis expers sit. In has absurditates incidant necesse est qui eum in universo esse dixerint. Ac præterea, ubinam erat antequam universa hæc rerum machina extitisset? Nam hoc quoque non levem difficultatem affert. Quod si eum supra universum esse dixerint, quid? nihil ne erat quod eum ab universo dirimeret? Ubinam porro erat quod supra universum erat? aut quomodo internosci poterat id quod sublimius erat ab eo quod inferius, cum nullus limes esset qui hæc secerneret ac distingueret? An necesse est omnino medium esse quoddam, quo velut termino dirimatur universum ab eo quod supra universum est? Quid autem aliud hoc fuerit quam locus, quod ipsum evitabamus [a]? »

Ita etiam Chrysostomus in epistolam *ad Colossenses* idem ἄπορον proponit, ut eorum quæ fidei nostræ sunt objecta, difficultatem ostendat. « Nusquam est, inquit, Deus, et tamen ubique est. Quid hoc ratione alienius? Nam horum singula per se dubitatione plena sunt. Quippe non est in loco, neque locus aliquis est in quo sit [b]. » *Dubium.*

II. Ac fuere nonnulli, qui substantia nusquam esse Deum asseverarunt, ut Clemens Alexandrinus qui a rebus omnibus « procul abesse Deum ait substantia, proximum autem esse vi ac potentia, qua universa tanquam sinu suo complectitur. » Tum paulo post, « in loco non esse Deum, sed superiorem esse loco ac tempore. Ideo neque continere, neque contineri [c]. » Quam opinionem acriter impugnat, ac severiore nota afficit Anastasius Sinaita[1], ut antecedente capite dixi, eorum scilicet qui « Deum in omnibus esse volebant efficacia operandi, substantia vero nusquam. » Hanc ille vero impiam et hæreticam judicat. Sed si hoc tantum asserebant illi contra quos agit Anastasius, idcirco nusquam esse Deum quod in loco res sit nulla spiritualis, ac ne angelus quidem ratione substantiæ, sed solum *actionis* et ἐνεργείας, non erat quod usque adeo in illos exardesceret. Idem enim et complures defendunt alii, et imprimis sanctus Thomas [2], quos nemo propterea in crimen hæresis vocet. De quo plenius alias cum de angelis agemus. Hic autem quod ad Deum privatim attinet, Damasceni idem sentientis verba referam. « Deus igitur, ait, cum sit expers materiæ neque circumscriptus, in loco non est. Ipse enim sibiipsi locus est, implens omnia et supra omnia consistens atque ipse continens universa. Dicitur autem et in loco esse, ac

a Naz. orat. 34. Πότερον οὐδαμοῦ τοῦτο, ἢ ἔστιν ὅπου; εἰ μὲν γὰρ οὐδαμοῦ, ζητήσαι τις ἂν τῶν ἄγαν ἐξεταστικῶν, πῶς ἂν καὶ εἴη· εἰ γὰρ τὸ μὴ ὂν, οὐδαμοῦ, τὸ μηδαμοῦ, τυχὸν οὐδὲ ὄν· εἰ δέ ἐστί που· πάντως ἐπεί περ ἔστι, ἢ ἐν τῷ παντὶ, ἢ ὑπὲρ τὸ πᾶν· καὶ εἰ μὲν ἔν τινι, ὑπ᾽ ἐλάττονος περιγραφήσεται τοῦ τινός· εἰ δὲ πανταχοῦ, ὑπὸ πλείονος καὶ ἄλλου πολλοῦ· λέγω δὲ τὸ περιεχόμενον τοῦ περιέχοντος, εἰ τὸ πᾶν ὑπὸ τοῦ παντὸς μέλλει περισχεθήσεσθαι, καὶ μηδένα τόπον εἶναι περιγραφῆς ἐλεύθερον· ταῦτα μὲν εἰ ἐν τῷ παντὶ, καὶ ποῦ, πρὶν γενέσθαι τὸ πᾶν; οὐδὲ γὰρ τοῦτο μικρὸν εἰς ἀπορίαν· εἰ δὲ ὑπὲρ τὸ πᾶν, ἆρ᾽ οὐδὲν ἦν διορίζον αὐτὸ τοῦ παντός; ποῦ δὲ ὑπὲρ τοῦτο, καὶ πῶς ἐνοήθη τὸ ὑπεραῖρον, καὶ τὸ ὑπεραιρόμενον, οὐκ ὄντος ὅρου τινὸς τοῦ τέμνοντος ταῦτα, καὶ διορίζοντος; ἢ χρὴ πάντως εἶναι τὸ μέσον, καὶ ᾧ περατοῦται τὸ πᾶν, καὶ τὸ ὑπὲρ τὸ πᾶν; καὶ τί ἄλλο τοῦτο, ἢ τόπος ἐστὶν, ὅπερ ἐφύγομεν;

b Chrys. hom. 5. Οὐκ ἔστιν οὐδαμοῦ ὁ Θεὸς, καὶ πανταχοῦ ἐστι· τί τούτου ἀλογώτερον; ἕκαστον καθ᾽ ἑαυτὸ ἀπορίας γέμει· οὐ γὰρ δὴ ἐν τόπῳ ἐστίν· οὐδὲ τόπος ἐστί τις, ἐν ᾧ ἐστιν.

c Clem. Alex. II *Strom.* sub init. Ὁ δὲ αὐτὸς, μακρὰν ὢν, ἐγγυτάτω βέβηκεν, θαῦμα ἄῤῥητον. Θεὸς ἐγγίζων ἐγὼ, φησὶ κύριος· πόῤῥω μὲν, κατ᾽ οὐσίαν, πῶς γὰρ ἂν συνεγγίσαι ποτὲ τὸ γεννητὸν τῷ ἀγεννήτῳ; ἐγγυτάτω δὲ, δυνάμει, ᾗ τὰ πάντα ἐγκεκόλπισται. Mox: Οὐ γὰρ ἐν γνόφῳ, ἢ τόπῳ ὁ Θεός· ἀλλ᾽ ὑπεράνω καὶ τόπου, καὶ χρόνου, καὶ τῆς τῶν γεγονότων ἰδιότητος· διὸ οὐδ᾽ ἐν μέρει καταγίνεταί ποτε· οὔτε περιέχον, οὔτε περιεχόμενος.

1 In lib. *de Incircums.* — 2 In 1 part. quæst. 8. ar. 2. ad. 1, et quæst. 52. art. 1.

locus dicitur Dei, ubi manifesta fit illius efficientia [a]. » Sin esse nusquam ita Deum intellexerunt, ut extra mundum, non in mundo sit illius substantia, unde quasi ex arce potestatem exercet suam, sola vi et efficientia rebus omnibus assistens, in Eugubini et Vorstii commenta revolvitur, estque ab Anastasio jure reprehensus hic error. Postquam autem incredibiliter in eo consentire veteres animadvertimus in eo quod præcessit capite, Dei substantiam ubique esse et implere omnia non solum effectione sed etiam præsentia, quis sit illius præsentiæ modus deinceps dicendum videtur.

Deus etsi ubique, tamen in loco non est.

III. De quo primum universe affirmari potest illud, sic esse Deum ubique ut tamen in loco non sit. « Ipsa, inquit Dionysius de Trinitate loquens, neque in loco est, ut absit ab aliquo, vel ex aliis in alia transmigret, et vero in omnibus quæ sunt, ipsam esse dicere, minus est quam pro illius infinitate, quæ omnia et excedit et amplectitur [b]. » Est autem res in loco dupliciter. Aut enim sic uti in loco sunt corpora, quod *circumscripte* esse dicitur in scholis, cum et totum toti et partes loci partibus respondent. Aut ita ut tam in toto sit quam in partibus singulis totum, neque extra sit usquam, quomodo in corpore inest hominis anima, quod *definite* esse in loco nominant. Horum neutro modo Deus in loco versatur.

Priorem removet Augustinus in epistola quinquagesima septima. « Quanquam in eo ipso, ait, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur (omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto); sed ita potius, sicut est magna sapientia etiam in homine, cujus est corpus parvum. » Idem et aliis in locis inculcat [1]. Et « quamdam idololatriam esse dicit, quam in corde nostro ex consuetudine visibilium constituere conatur humanæ cogitationis infirmitas, ut spatiis propriis terminatas [2] personas tres fingamus animo, » quod in septimo quoque *Confessionum* explicat, ex eoque Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum* [3] et Isidorus Hispalensis [4] et Alcuinus [5], qui Isidori verba ista descripsit : « Nec particulatim Deus implet omnia, nec ullatenus ita putandum est in omnibus esse Deum, ut unaquæque res per magnitudinem positionis [c] suæ capiat eum, id est maxima majus, minima minus, dum sit potius ipse totus in omnibus sive omnia in ipso, cujus omnipotentia omnia concludit [d]. »

IV. Posteriorem modum occupandi loci a Deo Boetius excludit [6]. « Nam quod ubique est, inquit, ita dici videtur, non quod in omni sit loco. Omnino enim in loco esse non potest, sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum, cum ipse non suscipiatur in loco. Atque ideo nusquam in loco esse dicitur, quoniam ubique est sed non in loco. » Hoc enim de angelo vel anima dici non potest, cujus exemplo utitur Ambrosius [7], nec de sapientia quam adhibet Augustinus [8]. Nam non ubique sunt ista, sed definita locis et spatiis minime extra illa consistunt. Est tamen modus hic superiore præstantior et ad immensitatem Dei propius accedit, quæ hoc ex eo capit ut ubi est, est autem ubique, totus sit, non solum in toto, sed etiam in singulis particulis.

Qui super omne quod est, et in omni totus
[ubique,

ait Paulinus [9]. Et Ambrosius in illo quem proxime nominavi loco, imaginem Dei qua prædita esse dicitur anima, constituit in eo « quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens et gubernans, sicut Apostolus confirmat quod *in eo vivimus, movemur et sumus* [10] ; sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens et gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major, et in minoribus minor, sed in minimis tota et in maximis tota. » Tum

a Damasc. lib. I. *de Fide,* cap. xiv. Ὁ μὲν οὖν Θεὸς, ἄϋλος ὢν, καὶ ἀπερίγραπτος, ἐν τόπῳ οὐκ ἔστιν· αὐτὸς γὰρ ἑαυτῷ τόπος ἐστὶ, τὰ πάντα πληρῶν, καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ὢν, καὶ αὐτὸς συνέχων τὰ πάντα· λέγεται δὲ καὶ ἐν τόπῳ εἶναι, καὶ λέγεται τόπος Θεοῦ, ἔνθα ἔκδηλος ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ γίνεται.

b Dion. lib. *de Divin. nom.* cap. iii. Αὐτὴ γὰρ οὔτε ἐν τόπῳ ἐστὶν, ἵνα καὶ ἀπῇ τινος, ἢ ἐξ ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταβῇ· ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσιν αὐτὴν εἶναι λέγειν, ἀπολείπεται τῆς ὑπὲρ πάντα, καὶ πάντων περιληπτικῆς ἀπειρίας.

c Isidorus habet : *portionis.*

1 Ep. 4. et 56. et lib. VII *Conf.* cap. i. — 2 Epist. 222. — 3 Cap. iii. — 4 Lib. I *de Summ. bono,* cap. ii. — 5 Lib. II *de Trinit.* cap. iv. — 6 Lib. *de Trinit.* — 7 Lib. *de Dig. hom.* cap. ii. — 8 Ep. 57. — 9 Poem. xii. *ad Auson.* — 10 *Act.* xvii. 28.

Augustinus : « Qui ubique es, et ubique totus [1]. »

Damascenus item : « Sciendum est divinum numen nullas habere partes, et totum ex toto esse ubique, non partem in parte ita ut corporum more dividatur, sed totum in omnibus et super omne totum [a]. » Auctor tamen libri *de Cognitione veræ vitæ*, qui est inter Augustini opera [2], Deum neque in singulis locis divisum neque totum esse confirmat, quia « si in singulis locis est totus, inquit, tunc tot sunt tota quot loca. Omne enim quod uni loco totum includitur, ejus nulla pars in alio loco esse convincitur. » Sed id paulo post explicabitur.

Duo divinæ immensitatis declarandæ modi.

V. Duo sunt autem veterum usu contriti divinæ immensitatis declarandæ modi. Nam aut asserunt sic intra omnia esse Deum et implere omnia, ut etiam extra omnia sit; aut non contineri locis omnibus ac substantiis, sed ea continere amplectique omnia, quorum singillatim auctores aliquot dabimus.

Athanasius Filium (quod universe de personis omnibus intelligit) et *ubique esse* ait et *extra omnia* [b]. Hieronymus Deum et *forinsecus* et *extrinsecus esse* [3] dicit. Et Ambrosius sive quis alius in commentariis ad epistolam Pauli *ad Ephesios* : « Deus, inquit, non solum implet omnia, sed et excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet [4]. » Augustinus vero in sermone primo *de Verbis apostoli:* « Quid est omnipotens Deus? Quid nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia? » Quæ verba descripsit Isidorus in primo *de Summo bono*, et Alcuinus, lib. II *de Trin.* cap. v. Recte etiam Consentius in epistola *ad Augustinum:* « Deus intra omnia, trans omnia, ultima includit, media implet, summa transcendit, ultra universa, et per universa diffunditur [5]. » Paucis hoc Prudentius conclusit ita :

Extraque et intus implet ac superfluit.

« Cœlum, ait Maximus, et terram et omnia implet ipse, et extra hæc est [c]. » Et auctor libri *de Cognitione veræ vitæ:* « Ubique, ait, in omnibus et extra omnia est totus [6]. » Gregorius item papa in secundo *Moralium* [7] cujus verba transcripsit Petrus Damiani in opusculo sexto et tricesimo *de Divina omnipotentia* [8]. « Quia enim, inquit, ipse manet intra omnia, ipse super omnia, ipse infra omnia, et superior est per potentiam, et inferior est per substentationem, et exterior per magnitudinem, et interior per subtilitatem. » Vide et XVI *Moral.* cap. IV.

Et Paschasius diaconus *de Spiritu sancto:* « Quem præsto esse per omnia, id est intra extraque non ambigo [9]. » Mox vero : « Cujus ineffabilis magnitudo profunda inferorum, diffusa fluctuum, extensa terrarum, excelsa cœlorum, intrat, implet, excedit. » Leo papa homilia tertia *de Nativitate:* « Universitatis creator Dominus, totus ubique præsens et universa excedens. » Auctor *Quæstionum ad orthodoxos*, quæ Justino tribuuntur, quæstione CXLIV : « Deum ait totum ubique esse, totum in unoquoque, totum in seipso [d]. »

VI. Jam alterum, continere, ambire, circumplecti omnia Deum, vulgatissimum est apud eosdem Patres, quod et Philo docuit in libro *de Confusione linguarum.* « A Deo, inquit, implentur omnia circumdante et non circumdato, cui soli contigit ut et ubique sit et nusquam [e]. » Quæ videtur imitatus Athanasius in lib. *de Incarnatione:* « Circumdans, inquit, omnia, et non circumdatus [f]. » Et Damascenus divinitatem eamdem « implentem omnia vocat et a nullo comprehensam, sed ipsam potius amplectentem omnia et continentem et supra eminentem sine ulla inquinatione substantiis insistentem et ultra omnia [g]. »

Clemens item Alexandrinus in quinto *Stromateon* Deum *comprehendentem* dicit *omnia et sinu suo complexum* [h] quomodo et Philo in

a DAMASC. lib. I. cap. XIV. Ἰστέον δὲ, ὅτι τὸ θεῖον ἀμερές ἐστιν, ὅλον ὁλικῶς πανταχοῦ ὄν, καὶ οὐ μέρος ἐν μέρει σωματικῶς διαιρούμενον· ἀλλ' ὅλον ἐν πᾶσι, καὶ ὅλον ὑπὲρ τὸ πᾶν.

b *Ep. ad Serap.* Πανταχοῦ ἐστι, καὶ ἔξω πάντων ὤν.

c MAXIM. com. in cap. *de Divin. nom.* Τὸν γὰρ οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ πάντα αὐτὸς πληροῖ, καὶ ἔξω τούτων ἐστί.

d JUSTIN. Ὅλος ἐστὶ πανταχοῦ, καὶ ὅλος ἐν ἑκάστῳ, καὶ ὅλος ἐφ' ἑαυτοῦ.

e PHILO : Ὑπὸ δὲ τοῦ θεοῦ πεπλήρωται τὰ πάντα, περιέχοντος, οὐ περιεχομένου· ᾧ πανταχοῦ τε, καὶ οὐδαμοῦ συμβέβηκεν εἶναι μόνῳ.

f ATHAN. Περιέχων τὰ ὅλα, καὶ οὐ περιεχόμενος.

g DAM. I. *de Fide*, cap. VIII. Πάντα πληροῦσαν, ὑπ' οὐδενὸς περιεχομένην, αὐτὴν δὲ μᾶλλον περιέχουσαν τὰ σύμπαντα, καὶ συνέχουσαν καὶ προέχουσαν, ἀχράντως ταῖς οὐσίαις ἐπιβατεύουσαν, καὶ πάντων ἐπέκεινα.

h CLEM. ALEX. V *Strom.* Περιειληφότα, καὶ ἐγκολπισάμενον τὰ πάντα. Vide et initio libri II.

1 In *Manu.* cap. I. — 2 Cap. XXVIII. tom. IX Aug. — 3 In *Esai.* cap. LXVI. — 4 Ibid. — 5 Quæ est inter Aug. ep. 221. — 6 Append. oper. Aug. c. XXIX. — 7 Cap. VIII. — 8 Cap. VI. — 9 Lib. I *de Spirit. sanct.* cap. XII. tom. IX *Biblioth. Patrum.*

citato loco, « sinu complecti suo ait omnia et per omnes meare universi partes [a]. » Auctor libri *de Trinitate*, qui inter opera Tertulliani sub Novatiani titulo ponitur : « Quod si idem Moyses ubique introducit Deum Patrem immensum atque sine fine, non qui loco cludatur, sed qui omnem locum cludat, nec eum qui in loco sit, sed potius in quo omnis locus sit, omnia continentem et cuncta complexum, ut merito nec descendat nec ascendat, quoniam ipse omnia et continet et implet ? » Et in secundo capite : « Super quæ omnia ipse continens cuncta, nihil extra se vacuum deserens.» Hilarius, lib. *de Trinitate* tertio : « Ipse extra omnia, in omnibusque, capiens universa et capiendus a nemine. » Hinc Dionysius [b] Deum appellat *comprehendentem omnia infinitatem*. Et pulcherrime Prudentius in *Apotheosi :*

At Deus ingens
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, ut claudi valeat sensuve teneri.
Imcomprensa manet virtus, cui linea desit
Ultima, quam spatium non mensurabile [tendit.

« Deus enim, ait contra Fastidiosum Fulgentius, sic nullo continetur loco ut ipse contineat omnem locum, in quo moles est nulla et cujus est virtus immensa [1]. » Et alibi : « Omnia igitur quæ fecit, id est spiritus et corpora, summa et ima, cœlestia atque terrestria, viventia et quibus vivendi facultatem non dedit, ineffabiliter ubique totus Dominus et implet et continet [2]. »

Accedat his et Zacharias Mitylenæus in disputatione *de Mundi opificio* [3], cujus hæc verba sunt : « Nonne omnia quæ sunt, tam superiora quam inferiora et quæ in medio sita circumplexa est, comprehenditque divina natura, estque extra universum, et in universo et supra universum, et nihil est vacuum ab divina virtute et supersubstantiali substantia, quæ sola infinita est et circumscribi se non patitur [c]. » Gregorius Nyssenus libro *de Professione christiana*, hoc ipsum quod Scripturæ docent Deum in cœlo residere, non sic intelligendum esse dicit tanquam peculiaris ille locus attributus sit Deo. « Siquidem divinum numen ex æquo in omnibus est et omnem similiter creaturam pervadit, ac nihil ab ente separatum in eo permanere potest ut sit, sed æquabiliter unamquamque rem natura divina contingit, quæ omnia comprehendente vi intra seipsam amplectitur [d]. » Ac mox e *Psalmo* CXXXVIII verba illa declarans, *Si ascendero in cœlum, tu illic es*, etc., significari ait quascumque cœli ac terræ regiones cogitatione peragraveris, « omnia videri divina comprehendi dextera [e]. » Quo in loco notandum etiam illud est, nisi Deus reipsa et substantia sua præsens rebus inesset omnibus, non eas existere conservarique posse, contra quam recentiores quidem opinati sunt theologi. Clemens papa loco eodem Davidis commemorato, « quo, inquit, abibit aliquis aut quo fugiet ab eo qui omnia amplectitur [f] ? »

VII. Sic auctor libri *de Speculo* in appendice tomi noni operum Augustini [4] : « Et ideo interior es ut omnia contineas, ideo exterior es ut incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia circumcludendo, omnia regas. Per id ergo quod exterior es, ostenderis esse creator : per id vero quod interior es, omnia regere et gubernare demonstraris. Ac ne ea quæ creata sunt, sine te essent, tu intra omnia es : verum ne extra te essent, tu exterior es : ut omnia concludantur a te non locali magnitudine, sed potentiali præsentia, quia ubique es præsens et omnia tibi præsentia. » Quæ verba descripsit Alcuinus in secundo *de Trinitate*, capite quarto, nec non Isidorus

a PHILO. Ἐγκεκόλπισται δὲ τὰ ὅλα, καὶ διὰ τῶν τοῦ παντὸς μερῶν διελήλυθε.

b DION. cap. III. *de Divin. nom.* Πάντων περιληπτικὴν ἀπειρίαν.

c ZACHARIAS. Ἢ οὐχὶ πάντα τὰ ὄντα, τά τε ἄνω, καὶ κάτω, καὶ τὰ ἐν μέσῳ περιδέδρακται ἡ θεία φύσις, καὶ περιείληφε, καὶ ἔξω τοῦ παντός ἐστι, καὶ ἐν τῷ παντὶ, καὶ ὑπὲρ τὸ πᾶν, καὶ οὐδὲν κενὸν τῆς θείας δυνάμεως, καὶ τῆς ὑπερουσίου οὐσίας, τῆς μόνης ἀπεράντου, καὶ περιορισμὸν οὐκ ἀνεχομένης.

d GREG. NYSSEN. lib. *de Prof. chr.* Διότι τὸ θεῖον κατὰ τὸ ἴσον ἐν πᾶσίν ἐστι, καὶ διὰ πάσης ὡσαύτως διήκει τῆς κτίσεως· καὶ οὐδὲν χωρισθὲν τοῦ ὄντος ἐν τῷ εἶναι μένοι, ἀλλ' ὁμοτίμως ἑκάστου τῶν ὄντων ἡ θεία φύσις ἐφάπτεται, πάντα τῇ περιεκτικῇ δυνάμει ἐντὸς ἑαυτῆς περιείργουσα.

e Ibid. Πάντα ὁρῶ τῇ δεξιᾷ σου περικρατούμενα.

f CLEM. *in Ep. ad Cor.* Ποῖ οὖν τις ἀπέλθῃ, ἢ ποῦ ἀποδράσῃ ἀπὸ τοῦ τὰ πάντα ἐμπεριέχοντος;

1 Cap. IV. — 2 Lib. *de Fide ad Pet.* cap. III. — 3 Tom. I *Biblioth. Patrum* Græco-Lat. — 4 Cap. XXIII.

in primo libro *de Summo bono* capite secundo, et Petrus Damiani in opusculo *de Fide catholica*[1]. Auctor quoque *Manualis* qui eidem Augustino tribuitur[2] : « Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia, etc. In te manens quietus ubique circumis totum. »

Cyrillus Alexandrinus libro primo *Commentariorum in Joannem :* « Omnem, inquit, locum et omnem creaturam divina manus complectitur[a]. » Ac paulo post : « Implere ait creaturam, tanquam Deum, non loco circumscriptum, non intervallis dimensum, non quantitate comprehensum, neque ab ullo penitus inclusum[b]. »

Ambrosius in libro *de Filii divinitate*, capite VI : « Qui cœlum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. » Quæ totidem verbis apud Augustinum leguntur sermone CXC *de Tempore*, et in oratione XLIX Gregorio Nazianzeno inscripta. Prosper in carmine *de Providentia:*

Sed nusquam non esse Dei est, qui totus [ubique
Et penetrat mundi membra omnia liber et [ambit.

« Incircumscriptus namque spiritus, ait Gregorius papa, omnia intra semetipsum habet, quæ tamen et implendo circumdat, et circumdando implet, et sustinendo transcendit, et transcendendo sustinet[3]. »

VIII. Eadem divinæ immensitatis proprietas multiplici similitudine qua in sacris Litteris, qua ab antiquis Patribus adumbrata legitur, e quibus trita est illa maxime qua Deus pugillo vel palmo continere omnia dicitur, ut apud Isaiam : « Quis mensus est pugillo aquas et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ[4] ? etc. » Hac enim figura verborum « ostenditur quod ipse sit circumquaque cunctis rebus quas creavit exterior, » ait secundo *Moralium* cap. VIII Gregorius papa. « Id namque quod interius concluditur, a concludente exterius continetur. » Et homilia XVII *in Ezechielem* eodem sensu Esaiæ locum illum et alterum qui est in capite LXVI declarat : « Cœlum mihi sedes est. » Ac deinde ista subjicit : « Ut ergo indicaret omnipotens Deus interiorem se esse et superiorem omnibus, cœlum ipse sibi sedem esse perhibuit. Ut vero se ostenderet omnia circumdare, cœlum metiri palmo et terram se asserit pugillo concludere. Ipse est interior, et exterior, ipse inferior et superior, regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior. Sicque est intus ut portet, sic circumdat ut penetret, sic præsidet ut portet, sic portat ut præsideat. » Quem locum imitatus Agobardus in sermone *de Trinitate :* Est enim, ait, cunctis mentibus inferior, cunctis corporibus interior, ipse intus replet, exterius circumdat, inferius portat, superius protegit. » Sic Athanasius in libro *contra Sabellianos* ex tantilla creatarum rerum omnium mole quam palmo complecti dicitur Deus, colligit minime hunc illarum modulo definiri, cum eas tamen impleat[c]. Et Hilarius initio libri primi tum hanc ipsam figuratam descriptionem, tum alteram iisdem in Scripturis celebrem ad Dei immensitatem accommodat, qua *cœlum sedes* Dei, *terra autem scabellum pedum ejus* dicitur. « Nam conclusum palmo cœlum, ait rursum, Deo thronus est, et terra quæ pugillo continetur, eadem et scabellum pedum ejus est, ne in throno et scabello secundum habitum considentis protensio speciei corporeæ possit intelligi, cum id quod sibi thronus et scabellum est, rursum ipsa illa infinitas potens palmo ac pugillo apprehendente concluderet. Sed ut in his cunctis originibus creaturarum Deus intra et extra et supereminens et internus, idem circumfusus et infusus in omnia nosceretur, cum et palmo pugilloque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet, ac thronus et scabellum substrata esse, ut in throno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interna concluderet, atque ita totus ipse intra extraque se continens, neque infinitus abesset a cunctis, neque cuncta ei qui infinitus est non inessent. » Tertullianus in secundo *contra Marcionem :* « Cæterum qui

a CYRIL. Παντὸς γὰρ τόπου καὶ πάσης κτίσεως ἡ θεία περιδράττεται χείρ.

b Id. Πληροῦντα τὴν κτίσιν, ὡς Θεὸν, οὐ τόπῳ περίγραπτόν, οὐ διαστήμασι μετρητὸν, οὐ ποσότητι καταληπτὸν, οὐδὲ ὑπό τινος ἐμπεριεχόμενον.

c ATHAN. Ὧ δ' οὕτως ἐλάχιστα πάντα, ὡς ἡ προφητικὴ παραβολὴ μετρίως παραδείκνυσι, πῶς ἂν τῇ μικρᾷ, καὶ ἐλαχίστῃ κτίσει συμπαρεκτείνεσθαι δόξειεν; οὐ συμπαρεκτεινόμενος τοῖς πᾶσι πεπλήρωκε τὰ πάντα θεός.

1 Cap. v; vide et opusc. 26. cap. VI. — 2 Tom. IX Aug. cap. I. — 3 Lib. XIV *Moral.* cap. XV. — 4 *Isa.* XL. 12.

totum orbem comprehendit manu velut nidum, cujus cœlum thronus et terra scabellum, nimirum hujus oculos aliqua paradisi portio evaserat[1], etc. » Sic Theophilus Antiochenus in primo *ad Autolycum* παντοκράτορα, id est *omnitenentem* nominari Deum asserit quod in manu sua omnia continet tam sublimia quam profunda, nec locus est ullus in quo velut acquiescat.

Hieronymus quoque ad Isaiæ caput sextum et sexagesimum : « Ac ne arbitremur, inquit, cœlo quoque et terra Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus : Qui tenet cœlum palmo et terram pugillo. Per quæ ostenditur Deus et forinsecus et intrinsecus, et infusus et circumfusus, dum et solio ambiente non concluditur et pugillo concludit ac palmo. » Tum Gregorius papa : « Per sedem cui præsidet, intelligitur esse interius supraque, per pugillum quo continet, exterius subterque signatur[2]. »

IX. Alia similitudine et quidem eleganti idem Theophilus in primo *ad Autolycum* utitur, ut illum rerum omnium circumplexum ac comprehensionem explicet. « Quemadmodum, inquit, punicum malum corticem habens quo comprehenditur, intus habet mansiunculas, loculosque plures membranis interceptos, ac multa grana in seipso locata continet; sic universa creatura a Dei spiritu comprehenditur, et spiritus qui comprehendit, cum creatura comprehenditur a manu Dei[a]. » Plus etiam aliquid exprimit auctor libri *de Cognitione veræ vitæ* cum ait Deum « omnem creaturam instar puncti continere[3]. »

Hanc esse vero causam interpretor cur inter alia quæ Deo solent tribui, locus appelletur, quod observat Maximus *in Scholiis* ad caput primum Dionysii *de Divinis nominibus:* « Si Deus, inquit, omnium est locus, non corporeo modo sed tanquam opifex, quippe cœlum et terram et omnia implet ipse et extra hæc est, perspicuum est, eumdem esse infinitatem, hoc est vim terminum nullum habentem[b]. » Quinetiam Dionysius ipse eodem capite Deum vocat ἑστίαν, hoc est *domicilium omnium.* Quod ex Scripturis confirmat Petrus Damiani. Nam Apostolus dicit, *Quia in ipso constant omnia*[4]; et, *quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*[5]. Unde sic concludit : « Est enim, ut ita dixerim, locus illocalis, qui sic in se continet omnia loca, ut non moveatur ipse per loca. » Et paulo ante eodem in capite : « Sicut intra se sine transitu cohibet omnia tempora, ita nihilominus intra se sine spatiis universa continet loca. »

X. Porro locus esse dicitur Deus duplici ratione. Vel enim rerum aliarum omnium, vel ipse sui locus est. Rerum quidem cæterarum locum esse præter illos quos adduxi, etiam Arnobius indicat : qui *locum rerum ac spatium* nominat Deum, et *fundamentum cunctorum quæcumque sunt*[6]. Tertullianus item in libro *contra Praxeam :* « Deus totum orbem apprehendit velut nidum, cui cœlum thronus, et terra scabellum, in quo omnis locus non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est[7]. » Eleganter id Marius Victor in præfatione ita complexus est :

Deus *locu* esse dicitu duplici ratione.

Tu spatium rerum, mentis quocumque recessus
Tenditur, excedis, spatio neque cingeris ullo.

Hoc est quod ait Bernardus : « Loca omnia continet et quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum » divina illa majestas[8]. Sed et Theophilus paulo ante citatus Deum universorum ait esse locum[c].

Porro ipsum sibi locum esse declarat imprimis Philo Judæus, idque passim, ut in *Allegoriis:* « Deo quippe ne totus quidem mundus dignus locus fuerit ac diversorium, quandoquidem ipse sibi locus et sufficiens est Deus, qui et cætera egentia ac solitaria et vacua implet et continet, ipse autem a nullo alio continetur, ut qui ipse sit unus et universum[d]. » Et in libro *de Somniis:* « Ipse sua sibi sedes est, semetipsum capiens et qui in seipso

a Theoph. Ὃν τρόπον γὰρ ῥοὰ ἔχουσα φλοιὸν τὸν περιέχοντα αὐτὴν, ἔνδον ἔχει μονὰς, καὶ θήκας πολλὰς διαχωριζομένας διὰ ὑμένων, καὶ πολλοὺς κόκκους ἔχει τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας· οὕτως ἡ πᾶσα κτίσις περιέχεται ὑπὸ πνεύματος Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον σὺν τῇ κτίσει περιέχεται ὑπὸ χειρὸς Θεοῦ.

b Maxim. Εἰ δὲ ὁ Θεὸς τῶν ἁπάντων ἐστὶ τόπος, οὐ σωματικῶς, ἀλλὰ δημιουργικῶς· τὸν γὰρ οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ πάντα αὐτὸς πληροῖ, καὶ ἔξω τούτων ἐστί· δῆλον ὅτι ἀπειρία ἐστὶ, τουτέστι, πέρας οὐκ ἔχουσα δύναμις.

c Theoph. lib. II. Θεὸς γὰρ οὐ χωρεῖται, ἀλλ' αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων.

d Philo : Θεοῦ γὰρ οὐδὲ ὁ σύμπας κόσμος ἄξιον ἂν

1 Cap. xxv.— 2 Loco cit.— 3 Cap. vii. in append. tom. IX Aug.— 4 Opusc. 36. *de Dei omnip.* cap. vi.— 5 *ad Coloss.* 1. 16.— Lib. I *cont. Gent.* — 7 Cap. xvi. — 8 Serm. 80. in *Cant.*

solo fertur. Sane ego non sum locus sed in loco, atque ita unumquodque eorum quæ sunt. Quod enim continetur, a continente differt. Divinum vero numen a nullo comprehensum necessario ipsum sibi locus est[a]. » Ubi pulcherrima ratio redditur cur sui ipse locus dicatur, nempe quod a nullo alio, id quod loci proprium est, contineri possit, quemadmodum et a se esse dicitur quia ab nullo est alio.

IX. Sic Tertullianus *adversus Praxeam* : « Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia[1]. » Et Antiochenus Theophilus in secundo *ad Autolycum* : « Nihil enim cum Deo floruit, sed cum ipse locus suus esset ac nullius indigens[b], etc. » Et Minucius Felix : « Qui ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo. »

Quod Bernardus sic enarrat : « Alias vero ubi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultra ubi erat, præter ipsum nihil erat. Ergo in seipso erat[2]. » Cui concors est et Augustinus epist. LXVII. « Quomodo, inquit, ubique si in seipso? Ubique scilicet, quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit. » Postremo ad illud idem significandum attinet quod a Platonicis maxime frequentatum esse scimus, Deum initium, medium ac finem continere omnium rerum. Quanquam hoc Platone ipso antiquius est dictum, ut fatetur ipse scribens : « Deus porro (sicut antiquus sermo testatur) principium ac finem et media rerum omnium continens recta peragit[c], etc. » Sic enim Platonicam hanc sententiam interpretatur Clemens Alexandrinus in *Protreptico*, qui ad hoc illam profert ut probet[3] Deum « omnia ad mensum et pensum exigere suapte justitia, velut trutina, universorum naturam in æquilibrio continentem et sustinentem[d]. » In quo ad Esaiæ locum illum respexit capitis quadragesimi quem paulo antea descripsimus : *Quis mensus est pugillo aquas et cœlos palmo ponderavit?* Quibus verbis contineri a Deo universa significat, et ita contineri ut supra et extra illa in immensum pateat. Et apparet triplici rerum illa parte earum universitatem exprimi, ut Aristoteles initio libri primi *de Cœlo* testis est, qui *tria* dicit *esse omnia.* « Quippe ut Pythagoreis placet, ipsum omne et omnia ternario definita sunt. Nam finis et medium et initium numerum habent, qui ipsius omnis est[e]. »

XII. Ex iis veterum placitis de Dei immensitate quæ hactenus recensui, si quis inter se comparare voluerit omnia, cognosceret quo sensu Deum alii ubique esse dixerint, alii nusquam, alii et nusquam et ubique, ut inter alios Plotinus[4]. Etenim quoniam id quod alicubi est, in loco est, quod autem est in loco, eo continetur et ambitur neque latius diffunditur quam illius est intervallum, ut paulo ante Philo dicebat, idcirco nusquam esse Deum pronuntiarunt aliqui. Alii sola *potentia* ubique esse dixerunt ac δυνάμει, quæ illorum locutio diligenter animadvertenda est, ne quis similiter aberret atque auctor libri *de Mundo ad Alexandrum,* atque Eugubinus et cæteri quos supra confutavimus, qui Dei substantiam negarunt implere omnia, sed soli hoc ejus virtuti ac potentiæ tribuerunt, quemadmodum rex toto in regno versari dicitur, gubernator in navi. Quibus præsertim Clemens Alexandrinus occasionem dare potest, qui Deum affirmat substantia procul esse ab rebus omnibus, δυνάμει vero omnia complecti[5]. Verum *Potentia.*
non sic explicanda mens illius est, ut absentem et procul distantem ab rebus creatis illius esse substantiam putaverit, sed ita ut quia cor-

εἴη χωρίον, καὶ ἐνδιαίτημα· ἐπεὶ αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος, καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης, καὶ ἱκανὸς ὁ Θεὸς, τὰ μὲν ἄλλα ἐπιδεᾶ, καὶ ἔρημα, καὶ κενὰ ὄντα πληρῶν, καὶ περιέχων, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου περιεχόμενος, ἅτε εἷς, καὶ τὸ πᾶν αὐτὸς ὤν.

a Philo : Ἐπειδή περ αὐτός ἐστι χώρα αὐτοῦ, κεχωρηκὼς ἑαυτὸν, καὶ ἐμφερόμενος μόνῳ ἑαυτῷ· ἐγὼ μὲν οὐκ εἰμὶ τόπος, ἀλλ' ἐν τόπῳ, καὶ ἕκαστον τῶν ὄντων ὁμοίως· τὸ γὰρ περιεχόμενον διαφέρει τοῦ περιέχοντος· τὸ δὲ Θεῖον ὑπ' οὐδενὸς περιεχόμενον, ἀναγκαίως ἐστὶν αὐτὸ τόπος ἑαυτοῦ.

b Theoph. in-2. *ad. Autol.* Οὐ γάρ τι τῷ Θεῷ συνήκμασεν· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτοῦ τόπος ὤν, καὶ ἀνενδεὴς ὤν, etc.

c Plato lib. IV. *de Legib.* Ὁ μὲν δὴ Θεὸς (ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος) ἀρχήν τε, καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθεῖαν περαίνει.

d Clem. Alex. Ὁ μόνος ὄντως Θεὸς, ἴσος ἀεὶ, κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως ἔχων, μετρεῖται πάντα, καὶ σταθμᾶται, οἱονεὶ τρυτάνῃ τῇ δικαιοσύνῃ, τὴν τῶν ὅλων ἀῤῥεπῶς περιλαμβάνων, καὶ ἀνέχων φύσιν.

e Arist. lib. I *de Cœlo,* c. I. Διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ· καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν, καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται· τελευτὴ γὰρ, καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός.

1 Cap. V. — 2 Lib. V. *de Cons.* cap. VI. — 3 Pag. 34. edit. Hein. utitur et Synes. orat. *de Reg.* — 4 Plot. *Enn.* VI. lib. VIII, cap. XVI. — 5 Lib. II *Strom.*

poreæ est molis expers, loca excedat omnia perinde atque tempora, quod ibidem Clemens subjicit, neque corporibus infimisque substantiis divina illius admisceatur substantia. Quod apposite Cyrillus in *Thesauro* sic exponit, ut ad Clementis locum illum respexisse videatur : « Quod, inquit, existit in omnibus et cuncta permeat, connecti omnibus necesse est. Ita enim in omnibus fuerit. Cæterum nequaquam fatebimur Dei substantiam variis mundi corporibus connexam esse. Manet enim illa in se pura et naturalis cum altero connexionis expers[a]. » Ob id sola δυνάμει occupare omnia dicitur Deus, quoniam eatenus alicubi esse cognoscitur, quod ibidem agit aliquid et vim suam exercet. Cæterum vis ipsa atque δύναμις eadem est atque οὐσία. Quod Athanasius declarat ac totum hoc argumentum pulcherrime pertractat in libro *adversus Sabellianos* : « Non cum omnibus extensus complet omnia Deus, inquit, hoc enim corporeum est. Ut si quis aerem dixerit implevisse quidquid inter cœlum ac terram interjacet. Verum tanquam vis omnia continet. Est enim vis corporis expers, sub aspectum non cadens, non ambiens, nec ambita[b]. » Et Maximus Dionysii scholiastes Deum, ut paulo antea diximus[c], appellat δύναμιν, id est *vim nullo termino definitam*.

Potentia.

Potentia. Substantia.

XIII. Anastasius item Sinaita libro *de Incircumscripta Dei substantia* cum dixisset, « Deum qui est substantia, omnia quæ sunt divina sua implere substantia et esse in omnibus quæ sunt, » mox istud enarrans : « Divina, inquit, sua virtute contrahit ad se universa et continet. » Tantumdem est igitur dicere Deum substantia ubique esse et δυνάμει. Hoc sensu Tertulliani ista debent accipi : « Cæterum scimus Deum etiam intra abyssos esse et ubique consistere, sed vi et potestate[1]. » Tum illa Fulgentii quæ antea commemoravi, ubi cum dixisset « Deum continere omnem locum, » statim quomodo id fiat exponens : « in quo, inquit, moles est nulla, et cujus est virtus immensa[2]. » Quod ne quis intelligere sic velit ut absque substantiæ suæ præsentia, sola potestate universa Deus obtineat, primum et antea scripsit Fulgentius idem : « A Deo nostro, id est, ab ipsa Trinitate sancta, nihil potest localiter separari, quia idem Deus summus, verus et bonus, sicut omnia fecit, sic omnia continet et replet immensus. Non est autem corporalis, neque localis, et ideo nec ipsa corporalia possunt a Deo localiter separari, quia in loco est omne corpus, et sine Deo nullus est locus. » Et postea : « Omnis enim spiritus quem creavit Deus in quocumque loco sit, ibi est Deus, etc. » Itaque quod subjicit : « Per potentiam tamen naturalem in omnibus creaturis suis sic semper est, ut nulla creatura vel particula creaturæ inveniri possit, in qua Deus per potentiam non sit. » Item illud : « Sicut totam creaturam implet Pater, utique virtute non mole, sic totam implet Filius, sic totam implet Spiritus sanctus[3], » eamdem habet vim, ut virtus et potentia nihil ab ipsa substantia distet, et idcirco ad existentiam in omni loco Dei potissimum adhibeatur, ne mole quapiam immensa et corporum instar occupare credatur omnia. Id quod statim indicat dum personas tres ex æquo omnia implere demonstrat : « Cum virtus Dei atque divinitas necesse est ita sit naturaliter immensa, sicut est naturaliter sempiterna. » Est ergo idem virtus et potentia quod divinitas sive substantia, quod Richardus Victorinus probat in primo *de Trinitate*[4].

Virtute.

XIV. Photius in dissertatione prima quam edidit Henricus Canisius demonstrat Deum non solum κατ' ἐνέργειαν, id est, *secundum actum*, sed etiam *secundum substantiam* esse in omnibus, ita tamen ut non fiat συνουσίωσις, id est, *substantiarum permistio* vel *consubstantiatio*, cujus affert ille rationem[5]. Ac « sicut est Deus sapiens simul et supra sapientes, substantia et supra substantiam, sic dicitur esse in omni et supra omne. In sola enim natura quæ supra naturam est et quæ dici non potest, forma nominum affirmantium significationem habet consentientem cum forma vocum ne-

a Cyril. lib. VI. Τὸ ἐν πᾶσιν ὂν, καὶ διὰ πάντων διῆκον, συμπλέκεσθαι τοῖς πᾶσιν ἀναγκαῖον· οὕτω γὰρ ἂν εἴη καὶ ἐν πᾶσιν· ἀλλ' οὐ συμπεπλέχθαι μὲν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ τῇ ποικιλίᾳ τῶν ἐν κόσμῳ σωμάτων ὁμολογήσομεν· μένει γὰρ ἐφ' ἑαυτῆς καθαρά τε, καὶ τῆς πρὸς ἕτερον κοινωνίας ἀσύμπλοκος φυσικῶς.

b Athan. Οὐ συμπαρεκτεινόμενος τοῖς πᾶσι πεπλήρωκε τὰ πάντα Θεός· σωματικὸν γὰρ τοῦτο· ὥσπερ εἰ τὸν ἀέρα φαίη πεπληρωκέναι τις τὸ μεταξὺ γῆς, καὶ οὐρανοῦ· ἀλλ' ὡς δύναμις συνέχει τὰ πάντα· δύναμις γὰρ ἀσώματος, ἀόρατος, οὐ κυκλοῦσα, οὐ κυκλουμένη.

c Maxim. Δῆλον ὅτι ἀπειρία ἐστί· τουτέστι πέρας οὐκ ἔχουσα δύναμις.

1 Lib. *cont. Prax.* cap. XXIII. — 2 Lib. *cont. ser. Fast.* cap. IV. — 3 Cap. V. — 4 Cap. XIII. — 5 Lib. V ant. lect. pag. 189.

gantium vel privantium. Ex quo fit ut esse in omni non neget esse supra omne, sed potius confirmet. »

Citatur a Joanne Cyparissioto in decade VII capite I Photius in *Quæstionibus ad Amphilochium,* capite LXXV, ubi Deum esse docet in omnibus « secundum operationem simul et substantiam. » Quod et aliis sanctorum Patrum testimoniis Cyparissiotus affirmat capite illo primo et secundo, « eo quod non est aliud per se operatio, et aliud per se substantia. » De quo postea agemus. Ac tanto ante Cyrillus Alexandrinus in libro XI *Commentariorum in Joannem :* « Operatio ac virtus, inquit, Deo conveniens est esse ubique, et inexplicabili modo implere cœlum, implere terram, capere omnia, a nullo capi. Non enim comprehendi loco potest Deus, neque spatiis circumscribi [a]. »

CAPUT X.

An Deus in infinitis illis spatiis sit quæ extra cœlum tenduntur et imaginaria vulgo nominantur. Qua ratione ibi esse dici debeat, quod et ex Aristotele deducitur.

I. Est superioris de immensitate disputationis velut appendix illa quæstio, an in mundo sit solum Deus neque extra ejus ambitum existat in infinita illa vacuitate, cujus partem ille ipse mundus a Deo conditus occupavit, quæ vulgo in scholis imaginaria dicuntur spatia, quod revera nihil sint nec existant, sed nos tanquam existentia cogitatione depingimus. Qua de re theologi nostri non minus altercantur inter se quam philosophi. Atque horum quidem aliqui supra cœlum esse inane quoddam arbitrati sunt, ut Pythagorei et Stoici, qui hoc infinitum esse voluerunt. Posidonius vero negavit esse infinitum, ut Plutarchus scribit in libro *de Philosophorum placitis,* ex eoque Eusebius, qui hoc addunt, tam Aristotelem quam Platonem vacuum esse putasse nullum [1]. Certe Aristoteles in primo libro *de Cœlo,* « neque corpus extra cœlum posse esse dicit, neque locum, neque vacuum, neque tempus [b]. » Quod Alexander Aphrodisiensis et Simplicius ad hunc locum contra Stoicos disputant. Plato vero supra cœlum quamdam esse regionem amœnissimam, cujus pulchritudo verbis explicari nequeat, narrantem inducit Stesichorum in Phædro. At Cleomedes secta ut apparet Stoicus illud idem vacuum extra mundi esse spatium argumentis aliquot ostendit quæ nos missa facimus quoniam hæc inquisitio magis ad philosophorum scholas pertinet quam theologorum, sitne illic inanis quædam capacitas et immensa. Quod autem potissimum interest propositi nostri, Deum extra cœlum esse eodem in illo loco scripsit Aristoteles dum ait : « Cœli totius terminum et finem, qui cœli totius finem et infinitum tempus universorum, atque ipsam adeo infinitatem continet, αἰῶνα vocari ab eo quod est ἀεὶ εἶναι, hoc est *esse semper,* cumque immortalem esse ac divinum [c]. » Tum paulo supra significavit esse extra cœlum aliquid « quod neque in loco versetur, neque in tempore, neque mutationem experiatur ullam ex iis quæ rebus accidunt extimæ conversioni subjectis. Itaque mutationis et passionis expertia quæ ibi sunt, quam optimam vitam agere ac per se sufficientissimam per ævum omne [d]. » Quamvis autem Alexander Aphrodisiensis existimet Aristotelem de supremo loqui omnium cœlo, tamen ex ipso contextu sermonis evidens est, aliquid præter cœlum indicari quod extra cœlum esse dicitur, ut animadvertit Simplicius.

Deum extra cœlum ponit Aristoteles.

Æona.

II. Deum igitur extra cœlum collocavit Aristoteles, quod et Atticus vidit philosophus Platonicus apud Eusebium, qui cum Epicuro

a CYRIL. Ἐνέργεια δὲ, καὶ δύναμις θεοπρεπὴς τὸ εἶναι πανταχῇ, καὶ πληροῦν μὲν ἀῤῥήτως τὸν οὐρανὸν, πληροῦν δὲ αὖ πάλιν τὴν γῆν, καὶ χωρεῖν μὲν ἐν πᾶσι, χωρεῖσθαι δὲ ὑπὸ μηδενός· οὐ γὰρ τόπῳ περιληπτὸς ὁ θεὸς, ἢ διαστήμασι περιωρισμένος.

b ARISTOT. cap. IX. tex. 100. Ἔξω δὲ τοῦ οὐρανοῦ δέδεικται ὅτι οὔτ' ἔστιν, οὔτ' ἐνδέχεται γενέσθαι σῶμα· φανερὸν ἄρα ὅτι οὔτε τόπος, οὔτε κενὸν, οὔτε χρόνος ἐστὶν ἔξωθεν.

c Id. Τὸ γὰρ τέλος τὸ περιέχον τὸν τῆς ἑκάστου ζωῆς χρόνον, οὗ μηδὲν ἔξω κατὰ φύσιν, αἰὼν ἑκάστου κέκληται, κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ λόγον, καὶ τὸ τοῦ παντὸς οὐρανοῦ τέλος, καὶ τὸ τῶν πάντων ἄπειρον χρόνον, καὶ τὴν ἀπειρίαν περιέχον τέλος, αἰών ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, ἀθάνατος, καὶ θεῖος.

d Ib. paulo ante : Διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν, οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, οὐδ' ἔστιν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὸ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν· ἀλλ' ἀναλλοίωτα, καὶ ἀπαθῆ, τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα.

1 Lib. XV *de Præp.*

confert eumdem, neque tolerabiliorem illius quam hujus opinionem judicat. « Quid enim nostra interest, ait, sive extra mundum ablegare Deum, (quod Aristoteles faciebat) neque quidquam cum eo nobis commune relinquere, sive in mundum includentem deos, ab terrenarum procuratione rerum illos abducere [a]? » Quinetiam Sextus Empiricus in libro nono *contra Mathematicos* ex Aristotelis sententia dicit « primum Deum esse terminum cœli [b], » quod sane in illo quem citavimus loco diserte proditum est ab Aristotele. Et vero Dionysius consentaneum quiddam huic loquitur, dum appellat Deum *infinitatem universa comprehendentem*, ut superiori capite dixi. Sed et Philo disertissime in libro *de Divinorum hærede* : « Cœlum ait non circumdari ab vacuo ex Mosis sententia, neque ab ullo corpore sive æquali cum eo magnitudine prædito, neque infinito, etc. Est autem illius terminus Deus [c]. » Synesius in hymno primo ait :

Super cœli cacumina
Immortali gloria exultantem
Deum constanter sedere.

Ὑπὲρ οὐρανοῦ καρήνων
Ἀλύτῳ κύδεϊ γαίων
Θεὸς ἔμπεδος θαάσσει.

Christianum dogma. Ad illam philosophorum sententiam quæ extra hanc universitatem Deum esse statuit, si hoc adjeceris etiam in mundo ipso eum existere, ac substantia sua totum occupare, sic ut in immensum sine ulla tamen exporrectione tam intra quam extra mundum diffusus sit, verum conficies et christiana dignum theologia dogma, quod superiori capite luculentis Patrum testimoniis asseruimus, qui de infinito illo inanique spatio fere tacuerunt. Sed hujus insuper mentionem communem ad sententiam addidit Augustinus in undecimo libro *de Civitate Dei*[1], ubi illa ipsa vacua extra mundum spatia ab ipso adstrui vulgo omnes arbitrantur. Potest tamen non tam quid ipse sentiret, quam quid ex aliorum dictis contra quos disputabat consequens foret, attigisse videri.

III. Erant enim qui Deum mundi conditorem fatebantur, sed de tempore quærebant cur hoc potius quo creatus est quam alio Deus illum produxerit. Quod cum dicerent, immensum aliquod temporis spatium antequam mundus ac tempus extitissent cogitatione fingebant sua, cujus partem aliquam conditus mundus occuparet. Atqui eodem modo et infinita extra illud quod mundus occupat spatia cogitare debent, ut proinde respondere vicissim debeant cur in hac parte potius immensi spatii quam in altera Deus universum condiderit. « Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, ait Augustinus, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur? etc. An forte substantiam Dei quam nec includunt nec determinant nec distendunt loco, sed eam sicut de Deo sentire dignum est fatentur incorporea præsentia ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantum atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Cum igitur unum mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen et loco suo determinatum et operante Deo factum esse dicant; quod respondent de infinitis extra mundum locis cur in eis ab opere Deus cesset, hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus cur in eis ab opere mundus cessaverit, etc. » Postremo disputationem hanc concludit ita : « Quod si dicunt inanes esse hominum cogitationes quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum, respondetur eis isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum. »

IV. Non ergo videtur absolute sanctus Augustinus vacua ista spatia constituere extra

a Atticus apud Euseb. lib. XV. *de Præp. evang.* Τί γὰρ διαφέρει πρὸς ἡμᾶς, ἢ τοῦ κόσμου τὸ θεῖον ἐξοικίσασθαι, καὶ μηδεμίαν ἡμῖν πρὸς αὐτὸ κοινωνίαν ἀπολιπεῖν, ἢ ἐν κόσμῳ τοὺς θεοὺς καθείρξαντα, τῶν ἐπὶ γῆς πραγμάτων ἀποστῆσαι;

b Sext. Empir. Κατὰ γὰρ Ἀριστοτέλην, ὁ πρῶτος θεὸς ἦν τὸ πέρας τοῦ οὐρανοῦ.

c Philo. Ὁ δ' οὐρανὸς, οὗ σύμβολόν ἐστιν ἡ λυχνία, ἀπειρομεγέθης ἐστί· περιέχεται γὰρ, ἀλλ' οὐχ ὑπὸ κενοῦ, κατὰ Μωσῆν, οὔτε ὑπ' οὐδενὸς σώματος, οὔτε ἰσομεγέθους αὐτῷ, οὔτε ἀπείρου, etc.; ἔστι δὲ ὅρος αὐτοῦ ὁ θεός.

1 Cap.

cœlum, sed tanquam ex eorum sermone sequentia proferre, ut perinde illa cogitanda sint si quis quærat cur in illo in quo est spatio mundus sit conditus non in altero, ac temporis ante mundi conditum infinita spatia in quibus cur non sit procreatus mundus, illi requirebant.

Nos vero seposita illa quæstione quæ ad philosophiam pertinet, cujusmodi sint* ea spatia, illo sumus uno contenti quod ex anti-

* Neque nobis consilium est hanc prolixius agitare quæstionem, de qua propterea non alia delibabimus, nisi quæ vehementius opportunitate commendentur. Novimus itaque duas apud veteres *de Spatio* opiniones præ cæteris obtinuisse ab Aristotele et Simplicio commemoratas, et quarum prior hæc erat : *spatium esse corpus indivisibile, immateriale adeoque penetrabile et immobile*. Huic autem suffragari nefas est, quum probari illa nequeat, quin idem corpus *infinitum, æternum, increatumque* admittatur : *infinitum*, quippe ex sese capax, ut corporibus pluribus ac sine fine pluribus repleatur : *æternum*, quippe nullum mente præcipi tempus possit, ante quod non valuerit Deus corpora in spatio condere : et *increatum*, quippe ejusmodi quod nequeat in nihilum redigi. Istud enim si finxeris, adhuc dum reliquum erit, spatiumque vacuum intelligetur. Altera eaque vetus de ratione spatii opinio huc redibat : *spatium quantitate contineri, eaque tribus instructa dimensionibus in longum, latum atque profundum*. Verum cum hac opinione alterutrum ex duobus consertum est, aut ejusmodi quantitatem esse increatam et æternam, quod fides et ratio damnant, aut imparem prorsus esse repræsentando spatio, quod ante illius effectionem necessario apprehenditur, positaque ejusdem destructione, necessario apprehenderetur. Ab his porro victis absonisque de spatio opinionibus non admodum ea discedunt quæ Gassendo, Moro, Clarkio, Beausobrio et Lockio placuerunt. Gassendo namque (*Physic.* sect. I. lib. II. cap. I.) auctore censeri spatium debet *positivum, reale, æternum et increatum*; quod ne te deterreat, abunde erit si recolueris quod passim *de essentiis* perhibetur, esse illas reales, increatas et sempiternas. Quare interrogationi, utrum spatium substantia sit vel substantiæ modus atque accidens, Gassendus reponit : « Nobis quia videtur, etiamsi nulla essent corpora, superfore tamen et locum constantem, et tempus decurrens, ideo videntur et locus et tempus non pendere a corporibus, corporeaque adeo accidentia non esse. Neque vero idcirco sunt accidentia incorporea, quasi incorporeæ cuipiam substantiæ accidentium more inhæreant; sed incorporea quædam sunt genere diversa ab iis, quæ substantiæ dici aut accidentia solent. Unde et efficitur, ut ens generalissime acceptum non adæquate dividatur in substantiam et accidens, sed adjici oportere locum et tempus, ut duo quædam membra divisioni desint. » Similia, ni dicere malis audaciora tradit Henricus Morus (*Enchirid.* P. II. cap. VIII.) scribens : « Neque enim reale duntaxat, sed divinum quoddam videbitur hoc extensum infinitum, immobile, quod tam certo in natura deprehenditur. Non pauciores quam viginti tituli sunt, quibus insigniri solet divinum Numen, qui infinito huic loco aptissime conveniunt : esse illum rudem quamdam delineationem essentiæ divinæ, cui tantum operationes vitales addendæ remaneant. » Eadem premit vestigia Samuel Clarkius tum in opere de existentia divinisque attributis, tum in epistolis ad Leibnitium, qui propterea spatium festive dictitavit *idolum Anglorum*. Certe ex Clarkii doctrina « spatium substantia non est, neque ens æternum et infinitum, sed proprietas entis æterni et infiniti. » Accedit Beausobrius (*Hist. Manich.* lib. V. § III.) qui aperte profitetur « extra Deum esse spatium æternum, necessarium, destructionis incapax, quanquam vita, intelligentia, voluntate ac virtute destitutum. » Lockius vero (*de Intellect. hum.* lib. II. cap. XIII.) etsi neget scire se quid sit spatium, substantiane an accidens, corpusne an spiritus; nihilominus propriam eidem essentiam tribuit, realemque naturam luculenter vindicat. Atqui plura quum sint quæ hisce refragantur, omnia et singula hoc uno dilemmate refelluntur. Vel enim *reale et positivum* quod spatio asseritur, increatum est ac divinum, et tum nequit profecto in partes esse dividuum, quod tamen a ratione spatii sejungi nequit : vel creatum est, et tum illud prævertit cogitatio spatii, in quo fuerit conditum, et cujus vim naturamque investigamus. Succedunt placita Isaaci Newtoni, qui (*Princip.*, lib. III. in schol. general.) sic orditur : « Deus æternus est, infinitus, omnipotens, omniscius, non est æternitas et infinitas, non est duratio vel spatium, sed durat et adest ubique, et existendo semper et ubique, durationem et spatium, æternitatem et infinitatem constituit. » Quibus non uno errore infectis addit : « Cum unaquæque spatii particula sit semper, et unumquodque durationis indivisibile momentum sit ubique, impossibile est Deum esse nunquam, nusquam. » Tum docet, *spatium esse sensorium Dei*, quemadmodum oculi auresque sensoria sunt animæ. Quæ adeo sunt abnormia, ut ipsis quoque Anglis (*Biblioth. angl.* t. XIV. p. II. art. II.) displicuerint, ansamque Leibnitio dederint (Epist. CCXIX. *ad Bernoulium*) scribendi : « Cum accepissem, Newtonum mira quædam de Deo dicere in Optices suæ editione latina quam hactenus nondum videram, inspexi et risi *spatium esse sensorium Dei*, quasi Deus a quo cuncta procedunt, sensorio opus habeat. Atque ita metaphysica huic viro parum succedunt. » Quæ forte minus iis sinistre succedent, qui in antecessum animadverterint, originem fontemque errorum prope omnium ex eo dimanasse, « quod spatium animo conciperetur veluti reale nescio quid a corporibus secretum, ipsa recipiens corpora, atque hisce præfulgens dotibus, ut esset undequaque infinitum, æternum, necessarium, immobile atque in majores minoresve partes dividuum. » Hæc enim in summam collecta secum ipsis pugnant, in nullum coire subjectum possunt, eamque spatii rationem exhibent quæ foret aut circuli quadrati, aut numeri neque paris neque imparis. Quapropter statui debet I « fas non esse quidquam admittere sive reale sive possibile a corporibus secretum, in quo corpora locentur, quodque iis polleat dotibus qua recensuimus. » Ecquid enim istud foret? Deusne? sed Deus non est dividuus, neque secari in partes potest. Creaturane? sed monstri instar est creatura æterna, infinita quaquaversus, necessaria, immobilis. Statui II debet, « admitti oportere reale aliquid a corporibus secretum, in quo corpora locari valeant, quodque hisce splendeat ornamentis ut sit quaquaversus infinitum, æternum, necessarium, immobile, et capax minorave corpora continendi. » Sane nonnisi quod postremum est, creare difficultatem valet. Sed hæc ipsa difficultas evanescet, nullaque videbitur considerantibus, divinam immensitatem, eamque indivisibilem, et quæ non est in majoribus major, in minoribus minor, sed in minimis tota et in maximis tota, capacem imprimis esse ut in se majora minorave corpora contineat, suaque magnitudine complectatur. Quapropter statui III ceu corollarium debet, « spatii nomine significari non posse infinitum aliquid, æternum, necessarium et in majores minoresve partes

quorum placitis superiori confectum est capite, Deum cœli mundive ambitu minime contineri, sed intra extraque in immensum existere, quod Dionysius paucis vocibus exprimit cum illum ait esse *immundanum*, *circummundanum*, *supermundanum*, *supercœlestem* [a]. Licebit enim Dionysii imitatione nova minusque Latina, sed necessaria comminisci vocabula. Est quidem difficile crassis ac corporatis rebus assuefactam et irretitam hominis mentem revocare ab earum formis et imaginibus cum se ad cœlestia et spiritualia cogitanda transfert, ut cum in mundo extraque mundum esse Deum dicimus, non eum fingamus « per infinita spatia undique penetrare totam mundi molem, et extra eam quaquaversum per immensa sine termino, ut illum habeat terra, habeat cœlum, habeant omnia, et illa finiantur in ipso, ipse autem nusquam. Sicut autem luci solis non obsistit aeris corpus, aeris hujus qui supra terram est, quominus per eum trajiciatur penetrans eum non dirumpendo aut concidendo sed implendo eum totum, sic Deo putemus non solum cœli et aeris et maris, sed etiam terræ corpus pervium et ex omnibus maximis minimisque partibus penetrabile ad capiendam illius præsentiam » quod de se testatur Augustinus [1]. Sed hæc vana cogitatio est, cui ratio et solida de Deo persuasio contradicere debet, quam dupliciter adjuvare possumus, minime ut circumscribi mundo Deum existimet cum intra eum esse dicitur, aut circumfusum illi esse, cum extra esse vel continere mundum dicitur. Primum enim ad anteriorem illam mundo ac rebus conditis æternitatem revocandus est animus, ut Deum cogitemus in eodem in quo vastissima sita est moles universi extitisse spatio, imo in infinitum ampliore, non quod res esset ulla spatium illud, sed quod in seipso potius extiterit Deus et in se velut punctum quoddam creatas res omnes produxerit. Neque vero post eas procreatas veluti contractus in illud confluxit individuum punctum, sed eadem qua tunc erat immensitate diffunditur. Quare extra mundum, id est punctum illud, existit Deus.

V. Deinde sic istud explicari potest quomodo Guillelmus Parisiensis declarat [2], cujus verba etsi minus nitoris habent quam succi, hoc loco describam. « Mirabile, inquit, videtur unde opinantur aliqui creatorem finitum, et qualiter etiam hoc intelligant, puto eos non intelligere. Puto autem eos illud cogitare, quia creator totus est in mundo et nihil sui habet extra, videtur quasi esse in mundo inclusus, mundique terminis circumclusus atque terminatus. Dico igitur quia nec ipsum intelligere videntur. Si enim intelligunt creatorem esse in mundo localiter, quemadmodum aqua vel vinum in vase quod replet, et hoc est vere localiter esse in aliquo, quo-

a Dion. cap. i. *de Divin. nom.* Τὸν αὐτὸν, ἐγκόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, ὑπερουράνιον.

dividuum, quin ejusmodi spatium judicetur absurdum, funditusque negetur vel corpora esse in hoc spatio, vel divinam cum eo immensitatem posse confundi : sin autem spatii nomine aliquid exprimatur, quod infinitum quaquaversus sit, æternum, necessarium, immobile et continendis quibuscumque corporibus par, nihil impedire quominus divina immensitas totam spatii amplitudinem explere censeatur. » Statui tandem IV debet, « appellationem spatii increati, eo quem præfinivimus sensu, divinæ immensitati factam neque novam esse, neque talem quæ merito improbetur. » Nova enim dici appellatio nequit, quam majores nostri non infrequenter usurparint. Ejusmodi porro esse appellationem qua de loquimur, præclare ostendunt quæ Petavius retulit, quæque judicatis a nobis superius locis Thomassinus adjecit. Quisque autem videt, neque damnari neque rejici appellationem posse suffragio christianæ antiquitatis commendatam, quamque sapientissime deinceps theologi adoptarint. Præ cæteris vero appellatione *spatii* increati ad divinam immensitatem adumbrandam usi sunt Franciscus Suarius (*Metaphysic.* disput. XXX) et Leonardus Lessius qui (*De perfecti. div.*, lib. II. cap. ii. n. 12.) principio ait : « Sicut essentia divina est primæva essentia, origo et fundamentum omnis essentiæ et entis conceptibilis; ita immensitas divina est primum et intimum intervallum seu spatium, origo omnis intervalli, et spatium omnium spatiorum, locus omnium locorum, sedes et basis primordialis omnis loci et spatii. » Tum (Ibid. n. 13.) pergit : « Quando dicimus Deum esse extra mundum per infinita spatia diffusum, aut esse in spatiis imaginariis, non volumus dicere Deum esse in aliqua re fictitia velut in chimæra, vel esse in aliquo spatio re a se distincto; sed esse in spatio quod ipsius immensitas formaliter extendit, cui infinitum spatium creatum potest coextendi. Sicut enim mundus non est in aliquo spatio creato præterquam in sua intrinseca quantitate et extensione, ita Deus non est in aliquo spatio reali præterquam in eo quod ipsius immensitas constituit, in quo etiam veluti priore et intimo spatio est ipse mundus et tota ejus extensio. Quare triplex spatium distingui potest, creatum, increatum et imaginarium. *Creatum* constat extensione corporali, quali extenditur quaquaversum mundus. *Increatum* est ipsa Dei immensitas : hæc est primum, intimum et fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur. *Imaginarium* est quod mens nostra non valens aliter concipere Dei immensitatem, imaginatur. Sicut enim non possumus concipere Dei æternitatem, nisi imaginando tempus infinitum; ita nec Dei immensitatem, nisi concipiendo spatium infinitum. » *E. R.*

1 Lib. VII *Confess.* cap. i. — 2. In secunda sect. par. II *de Univer.* cap. lxviii.

niam interior superficies vasis hujusmodi est ambiens et circumcludens ipsam aquam vel vinum, intolerabiliter absurde intelligunt creatorem esse in mundo. De nulla enim substantia spirituali nedum de creatore hoc cogitare fas est. Sapientes autem et præcipue doctores gentis christianorum potius dicunt dicendum esse, mundum esse in creatore quam creatorem in mundo, et creatorem continere mundum quam creatorem contineri a mundo. In hoc vero quod dicunt creatorem nihil sui habere extra mundum, non verum dicere videntur, cum extra unamquamque partem mundi se totum habeat. Non enim est in cœlo partem aliquam designare extra quam se totum creator non habeat. Quemadmodum enim in una parte cœli est, sic et in qualibet alia, etc.

Quid sit Deum esse extra mundum.

VI. Ad summam Deum extra mundum esse, nihil est aliud quam non definiri ejus ambitu quomodo angelus certo illo in quo est loco, vel anima nostra corpore, neque sic ibi esse ut perinde non sit extra cœlum, non ullum sit illic spatium, hoc est locus ullus. Recte enim Philo Judæus observat « Deum ubique esse ac nusquam. Nusquam, quoniam regionem ac locum ipse cum corporibus una produxit. Id autem quod fecit, in nullo eorum quæ facta sunt contineri fas est dicere. Ubique vero, quoniam vires suas per terram et aquam et aerem ac cœlum diffundens, nullam mundi partem destitutam relinquit[a].» Deus itaque antequam locum crearet, in loco esse non potuit. Verum ut bene Guillelmus Parisiensis in illo quem attulimus loco admonet, duo sunt cogitanda in Dei immensitate quæ aciem nostræ mentis hebetant ac retundunt, alterum quod dicimus (neque enim aliter loqui aut intelligere ista possumus) Deum esse *in* mundo, alterum quod *totum* ibi ubi est. Neutrum vero proprie de Deo dicitur. Siquidem non solum Deus, sed nec spiritus ullus proprie existit in corpore sed in seipso, præsertim Deus citra ullam σχέσιν aut *habitudinem* ad locum. Ad hunc modum perinde est habetque se Deus, cum in mundo esse dicitur vel in ipso potius mundus, atque in infinita retro æternitate habuit cum in nullo alio sed in seipso solus existeret.

VII. Postremo de vacuis illis et inanibus extra mundum spatiis unum hoc adnotare volumus, tametsi ea negasse videtur Aristoteles, hac tamen de causa negasse quæ christianis hominibus persuadere possit negari minime debuisse. Quippe vacuum idcirco negavit quod extra cœlum esse nullum postea scripsit [1], quia « vacuum est in quo nullum est corpus, sed esse potest[b]. » Quare cum præter mundum mundique partes et quæ ex illis constant, nullum amplius putaret posse corpus esse, adeoque extra mundum, consentaneum erat ut quod reipsa docuit concluderet, nullum extra mundum vacuum consistere. Christiani vero qui extra mundum innumerabilia produci a Deo posse corpora non dubitant, vacuum illic esse confiteri debent, si vere definitum est ab Aristotele vacuum. De quo amplius imitatores Aristotelis philosophi cogitabunt.

Gregorius quidem Nyssenus in duodecimo libro adversus Eunomium, vacuum illud extra cœlum spatium impugnat magis ut rerum percipiendarum difficultate Eunomianos perfecte se Deum nosse jactantes convinceret, quam ut falsum illud ac præcipua quæstione dignum esse judicaret [2].

Auctor commentarii in *Hexaemeron* qui Eustathius Antiochenus inscribitur, « supra cœlum ait esse lumen quod obscurari non potest, estque incorruptum et æternum in quo degunt angeli[c]. » Cui succinit et Methodius presbyter Hierosolymitanus, sive Timotheus oratione *in Hypapanten*. Qui et beatorum cum Christo regnantium sedem illic esse, perinde ut ille, confirmat.

a Philo, *de Confus. ling.* Ὢ πανταχοῦ τε, καὶ οὐδαμοῦ συμβέβηκεν εἶναι μόνῳ· οὐδαμοῦ μὲν, ὅτι καὶ χώραν καὶ τόπον αὐτὸς τοῖς σώμασι συγγεγέννηκε· τὸ δὲ πεποιηκὸς ἐν οὐδενὶ τῶν γεγονότων θέμις εἰπεῖν περιέχεσθαι· πανταχοῦ δὲ, ὅτι τὰς δυνάμεις αὐτοῦ διὰ γῆς, καὶ ὕδατος, ἀέρος τε, καὶ οὐρανοῦ τείνας, μέρος οὐδὲν ἔρημον ἀπολέλοιπε τοῦ κόσμου.

b Arist. text. 100. Κενὸν δὲ εἶναί φασιν, ἐν ᾧ μὴ ὑπάρχει σῶμα, δυνατὸν δὲ γενέσθαι.

c Eustath. Ἔξωθεν δὲ τοῦ οὐρανοῦ φῶς εἶναι ἀσκίαστον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ αἰώνιον, ἐν ᾧ ἄγγελοι διαιτῶνται.

1 Lib. I *de Cœlo*, cap. ix. tex. 99. — 2 Lib. XII.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER QUARTUS

IN QUO DE DIVINIS PROPRIETATIBUS AGITUR QUÆ AFFIRMANTES VOCANTUR ET AD DEI SCIENTIAM SPECTANT.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ

Ex duplici genere divinarum proprietatum quod supra posui, primum illud quod negantes, ut appellant, continet, superioribus duobus libris complexi sumus. Succedit huic alterum, quod *affirmantes*, hoc est, ut Græci nominant, θετικὰς continet, quibus non meræ negationes subjectæ sunt, sed aliquid quod qualitatis affectionisque more cogitando describimus. Ac cum innumerabiles recenseri possint ejusmodi, ne præter modum excurrat hic noster labor, idipsum quod in prioribus instituimus, in his etiam faciendum duximus, ut præcipuas seligeremus ex omni copia, latiusque patentes cæteris, ac veterum Patrum usu tractationeque contritas. Erunt autem istæ fere, scientia Dei sive sapientia, voluntas, omnipotentia, bonitas, providentia, pulchritudo, perfectio, et vis intelligibilis, hoc est, qua intelligi potest et creatarum mentium cognitione perstringi.

CAPUT PRIMUM

De intelligentia Dei sive scientia aut sapientia. Eam Dei maxime esse propriam. Cujusmodi illa sit. Quinque illius dotes proponuntur, quarum prima hoc in capite declaratur, nempe non esse aliquid divinæ additum substantiæ, sed ipsammet substantiam.

I. Proprietatum illarum, quas de Deo affirmando dicimus, explicandarum initium merito ab intelligentia ducemus et scientia, quod hæc divinitatis nota præcipua maximeque Deo congruens judicio sapientum habetur. Scitum illud est Synesii, tametsi poeticis adumbratum fabulis, in libro *de Insomniis*, ipsam veluti substantiam divinitatis in intelligentia esse sitam, ac Jovem idcirco diis antelatum esse cæteris et eorum esse factum regem, quod ut ætate illos anteibat, ita etiam scientia. « Hinc apud Homerum, inquit, deorum res Jovis ex arbitrio pendent, quod

— Natu sit major, pluraque norit.

Nempe ideo quod natu sit grandior. Ad hoc enim ætatis mentionem arbitror pertinere his in versibus, quod pro temporis diuturnitate nosse plura contingat, quare cognitio ipsa facile cæteris omnibus antecellit [a]. » Mox addit : « Propterea et sapiens cum Deo necessitudine quadam conjunctus est, quod cognitione proxime ad eum conatur accedere et circa intelligentiam occupatur, quæ est ipsa Dei substantia. » Hæc Synesius, e quibus illud est potissimum, quod intelligentia ait οὐσιῶσθαι, hoc est, *substantiari*, ut sic loquar, Deum. Est et hoc præclarum quod paulo ante scripsit : « Scientia ipsa et universe cognoscendi facultate Deum ab homine, et hominem a bellua discrepare. Verum Deo quidem ad cognitionem, naturam sufficere [b]. » In quo Aristoteli consonat, qui majus quiddam et divinius, quam pro hominis captu, summam esse sapientiam docet, hoc est rerum ex supremis causis ac principiis deductam scientiam, quam peculiarem Dei possessionem et ejus sine competitore proprium decus appellat, Simonide fretus auctore [c]. Quem locum sic enarrat in *Scholiis* Asclepius interpres : « Quod, inquit, hoc eximium decus solus habet Deus, summam eorum quæ ad se pertinent, scientiam, ei proportione respondentem [d]. » Ac subinde *cognitionem* vocat *perfectionem* [e].

II. Nec minus ad rem facit quod in decimo *Nicomachiorum* idem Aristoteles explicat [1]. Nam Dei vitam et felicitatem adeo ipsam in actione docet consistere, non virtutis alicujus moralis, sed mentis contemplationisque perpetuæ. « Quamobrem, ait in octavo capite, Dei actio cum beatitudine præstet, contemplativa erit et ex humanis ea erit felicissima quæ huic maxime est cognata [f]. » Tum in sequenti capite : « Qui mente operatur et eam excolit, is cum optime affectus, tum Deo charissimus videtur esse. Nam si qua cura rerum humanarum penes deos est, cujusmodi apparet esse, etiam rationi consentaneum est eo ipso delectari illos quod optimum sit, imprimisque sibi cognatum : talis vero mens est, necnon qui illud maxime amant et in honore habent, beneficio vicissim afficere, tanquam eos qui quæ ipsis amica sunt, eorum cum primis curam gerunt [g]. »

Hanc vero scientiam ac sui rerumque cæterarum notitiam nemo nisi extreme amens denegandam esse Deo sentiat. Facilius est enim ut divinitatem funditus omnem negare aliquis audeat, quam ut eam intelligentem ac

a SYNES. init. lib. *de Insomn.* Καὶ Ὁμήρῳ δὲ ἄρα διὰ τοῦτο τῆς τοῦ Διὸς γνώμης ἐξῆπται τὰ τῶν θεῶν πράγματα, ὅτι

—πρότερος γέγονεν,
καὶ πλείονα οἶδεν.

αὐτῷ δήπου τῷ πρεσβύτερος εἶναι· καὶ γὰρ τὴν ἡλικίαν εἰς τοῦτο οἶμαι συντείνειν τοῖς ἔπεσιν, ὅτι συμβαίνει διὰ τὸν χρόνον πλείω γινώσκειν· ᾗ ἄρα τὸ τιμιώτατον. Mox : Διὰ τοῦτο καὶ ὁ σοφὸς οἰκεῖος θεῷ, ὅτι πειρᾶται σύνεγγυς εἶναι τῇ γνώσει, καὶ πραγματεύεται περὶ νόησιν, ᾗ τὸ θεῖον οὐσίωται.

b Id. Τῷ μὲν γὰρ εἰδέναι, καὶ ὅλως τῷ γνωστικῷ τῆς δυνάμεως, θεός τε ἀνθρώπου, καὶ ἄνθρωπος διαφέρει θηρίου· ἀλλὰ θεῷ μὲν εἰς τὸ γινώσκειν ἡ φύσις ἀρκεῖ.

c ARIST. lib. 1. *Metaph.* Διὸ καὶ δικαίως ἂν οὐκ ἀνθρωπίνη νομίζοιτο αὐτῆς ἡ κτίσις· ὥστε κατὰ Σιμωνίδην, θεὸς ἂν μόνος τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας.

d ASCLEP. Ὅτι τοῦτο τὸ γέρας ὁ θεὸς μόνος ἔχει τὴν ἄκραν ἐπιστήμην τὴν καθ' αὑτὸν, σύμμετρον αὐτῷ.

e MOX. Ἡ γνῶσις τελειότης ἐστί.

f ARIST. Ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα, θεωρητικὴ ἂν εἴη· καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δὲ ἡ ταύτῃ συγγενεστάτη, εὐδαιμονικωτάτη.

g Ibid. Ὁ δὲ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν, καὶ τοῦτον θερα-

1 Cap. VIII. et IX.

scientem non esse suspicetur. Recteque Cyrillus libro XI *Commentariorum in Joannem*, illud « proprie ac soli principi omnium naturæ tribuendum esse dicit, tum omnia scire docente nullo, ac præ oculis habere nuda et aperta, tum efficere posse, idque facillime, quidquid libitum fuerit [a]. » Et in *Thesauri* libro XXXII : « Divinitatis id esse proprium ait, ut nihil ignoret [b]. » Atque ut gentiles non modo philosophos, sed cujusvis etiam generis scriptores omittam, quorum illius rei testimoniis pleni sunt omnes libri, nostris certe, hoc est christianis in litteris, infinita Dei scientia et comprehendens ac penetrans universa cognitio passim extat, idque per omnes Testamenti utriusque paginas declaratum expressumque legitur. Ex quibus pauca quædam velut dicis causa delibabimus.

Testimonia Scripturæ de Dei sapientia.

III. Primum *Jobi* toto fere capite octavo et vicesimo sapientia tanquam solius Dei vera et solida possessio describitur, quod paulo ante dicentem Aristotelem audiebamus. *Sapientia*, inquit, *ubi invenitur? et quis est locus intelligentiæ* [1] *?* Postea multis interjectis : *Deus*, ait, *intelligit viam ejus, et ipse novit locum illius. Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit.* Cui similia quædam Baruch propheta refert [2]. Qui cum sapientiam dixisset nusquam terrarum ac gentium reperiri, demum ubi sit d eclara ita : *Sed qui scit universa, novit eamdem, et adinvenit eam prudentia sua*. Rursus Job capite duodecimo : *Apud ipsum est sapientia. Ipse habet consilium et intelligentiam.* Et capite ultimo : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.* Sic in *Psalmis : Et sapientiæ ejus non est numerus* [3]. Et alibi : *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua* [4]. Tum libro primo *Regum : Deus scientiarum Dominus, et ipsi præparantur cogitationes.* Est ejusdem rei plena et luculenta significatio in *Proverbiis Salomonis,* toto præsertim octavo capite, ubi de se sapientia prædicat : *Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio* [5], etc. Sic in libro *Sapientiæ*, præsertim septimo capite : *Quoniam ipse sapientiæ dux, et sapientium emendator* [6]. Et cum omnia quæ sciri possunt, breviter enumerasset : *Omnium*, inquit, *artifex docuit me sapientia. Est enim in illa spiritus intelligentiæ*, etc. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia. Attingit autem ubique propter suam munditiam.* Ac cætera deinceps et in isto et in sequenti capite, ubi Deum ipsum ac Dei potissimum Verbum Sapientiæ vocabulo designat. Quod multo clarius in Novo Testamento passim exprimitur, in quo Dei Filius appellatur *Dei sapientia* [7]. Et in eo dicuntur *esse omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* [8]. Quæ et *altitudo* vocatur *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei* [9]. Neque vero pluribus testimoniis opus est. Nam eo fere Scriptura omnis pertinet, quæ et verbis scire ac nosse Deum omnia, neque quidquam eum latere testatur et reipsa demonstrat, cum per se, perque prophetas suos fidem illius facientem inducit Deum.

Sed nec Patrum hoc loco necesse est proferre sententias, quod ipsum non magis infinitum quam odiosum, et supervacaneum esset. Tum pleræque aliis argumentis serviunt, velut cum de prædestinatione ac sancta Trinitate agitur, Verbique productione, quod ipsum et intelligentia cognitioneque gignitur et Sapientia, ut jam dictum est, nominatur. Quæ quidem, ut et alia innumera Deo inesse sapientiam, ac tum sui, tum rerum omnium intelligentiam ostendunt.

IV. Sed cum latissime pateat ista quæstio et in immensum progressura sit, nisi certis eam finibus circumscribamus, tria placet in ea pertractanda capita distinguere : ut primum quæ et qualis sit Dei scientia dicamus : deinde quarum rerum sit : tertio denique cujusmodi sint exemplaria divinæ cognitionis, quas ἰδέας appellant. Igitur divinæ scientiæ natura et conditio ad hanc primum formulam exigi debet quam præscribit Augustinus in secundo

Divina scientia quæ et qualis.

πεύων, καὶ διακείμενος ἄριστα, καὶ θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι· εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον, χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ, καὶ τῷ συγγενεστάτῳ· τοῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νοῦς· καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο, καὶ τιμῶντας ἀντευποιεῖν, ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς ἐπιμελουμένους.

a Cyr. 'Αναθετέον γὰρ μόνῃ τῇ τῶν ὅλων βασιλίδι φύσει πάντα εἰδέναι διδάσκοντος οὐδενὸς, καὶ ἔχειν ἐν ὀφθαλμοῖς γυμνά τε, καὶ τετραχηλισμένα· κατορθοῦν τε δύνασθαι καὶ λίαν εὐπετῶς, πᾶν ὅπερ ἂν βούλοιτο.

b Id. *Thes.* lib. XXXII. Θεότητος γὰρ ὄντως ἴδιον τὸ μηδὲν ἀγνοεῖν. Vide et libro X. *in Joan.* p. 915.

1 *Job.* XXVIII. 12. — 2 *Baruch.* III. 32. — 3 *Psal.* CXLVI. 5 — 4 *Psal.* CXXXVIII. 5. — 5 Cap. VIII, 22. — 6 *Sap.* VII. 15, 21, 22, 24. — 7 I *Cor.* I. 21. 24. — 8 *Col.* II. 5. — 9 *Rom.* XI. 33.

libro *ad Simplicianum*[1], ubi non solum scientiam, sed etiam cætera quæ ab rebus creatis ad Deum translata sunt, quemadmodum intelligi oporteat pulchre et erudite sic explicat : « Non enim scientiam, inquit, solemus dicere in nobis, nisi cum sensa et intellecta memoria retinemus, id est, cum meminimus aliquid sensisse nos vel intellexisse, ut id cum volumus, recolimus. Quod si ita in Deo est, ut possit proprie dici, intelligit et intellexit, sentit et sensit; admittit tempus et subrepit nihilominus illa mutabilitas quæ longe a Dei substantia removenda est. Et tamen et scit Deus et præscit ineffabili modo. Sic eum et pœnitet ineffabili modo. Cum enim scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur, etc. » Ac paucis interjectis de iis affectionibus quæ affinguntur Deo : « Longum est, ait, percurrere cætera et sunt innumerabilia, quibus ostenditur multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana cum incomparabili diversitate sejuncta sint, nec tamen frustra eadem sunt rebus utrisque indita vocabula, nisi quia hæc cognita quæ in quotidiana consuetudine versantur et experimentis usitatioribus innotescunt, nonnullam ad intelligenda illa sublimia præbent viam. Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus ut cernamus animo quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus, unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam : cum ergo hæc cuncta detraxero et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta collustrantis, imo non reliquero (non enim hoc habet humana scientia), sed pro viribus cogitavero, insinuatur mihi utcumque scientia Dei. Quod tamen nomen ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune. » Mox autem in hominibus scientiam a sapientia distingui cum ex Apostolo dixisset, eoque differre quod « sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia vero ad ea quæ sensibus corporis experimur, » subjicit : « Aliam esse scientiam Dei et non ejusdem generis cujus ista est, quæ hominum dicitur[2], » sed eamdem esse ac sapientiam.

V. Cæterum partes illas conditionesque quibus divina scientia creatis antecellit omnibus, in quinque redigemus capita ex antiquorum confecta placitis. Quorum primum est, scientiam Dei non esse qualitatem vel accidens aliquod adveniens substantiæ, sed ipsam Dei substantiam. Secundum, nequaquam ex rebus ipsis hauriri ducique scientiam illam, sed ex sese ac natura sua et in ipsa Deum omnia cognoscere. Tertium, unam et simplicem esse nec multiplicem, qualis est nostra. Nec enim unica perceptione complecti omnia possumus. Quartum, mutabilem ac variabilem non esse. Quintum, esse causam omnium rerum. Hæc fusius ab eruditis quibusdam theologis, ac libris integris exposita leguntur. Sed nos modum adhibebimus delectu necessariarum rerum ex infinita illa copia. Et ut ab eo quod primum posui dicere ordiar : *Quinque scientiæ divinæ capita.*

In Deo non esse scientiam et intelligentiam advenientem sive actionem intelligendi, vel superfusum aliquid divinæ substantiæ, non prius nostri quam philosophi gentiles animadverterunt. Attigit hoc certe in duodecimo *Metaphysicorum* Aristoteles[3], ubi de mente et quidem suprema disserens, ostendit neque unquam ab intelligendi actione cessare, et esse νόησιν ipsius οὐσίαν, hoc est ipsammet quam diximus actionem, sive perceptionem. Neque enim δύναμιν, hoc est, *facultatem et potentiam* intelligendi in ea reperiri, quoniam si hæc inesset, laboriosa illi foret intelligendi perpetuitas[a]. Quare cum semetipsam intelligit mens illa, « intellectionem istam intellectionis esse dicit intellectionem[b]. » *Scientia Dei non est qualitas adveniens substantiæ ejus.* *Intellectionem ipsius substantiam*

Plotinus quoque de summa illa et simplicissima unitate ac mente quæ est Deus, agens, negat eam intelligentem esse atque in intelligentium numero reponendam, sed potius esse ipsum intelligentiæ actum[c]. Porro intelligentiam ipsam non intelligere, sed intelligendi

a Arist. Πρῶτον μὲν οὖν εἰ μὴ νόησίς ἐστιν, ἀλλὰ δύναμις, εὔλογον ἐπίπονον εἶναι τὸ συνεχὲς αὐτῷ τῆς νοήσεως.

b Ib. Αὑτὸν ἄρα νοεῖ, εἴπερ ἐστὶ τὸ κράτιστον· καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις.

c Plot. *Enn.* 6. lib. IX. Οὐ γὰρ κατὰ τὸ νοοῦν δεῖ τάττειν αὐτὸν, ἀλλὰ μᾶλλον κατὰ τὴν νόησιν· νόησις δὲ οὐ νοεῖ· ἀλλ' αἰτία τοῦ νοεῖν ἄλλῳ· τὸ δὲ αἴτιον οὐ ταὐτὸν τῷ αἰτιατῷ. Vide et *Enn.* 5. lib. IX. cap. v.

1 Qu. 2. — 2 I *Cor.* xii. — 3 Cap. ix.

esse causam asserit. At causa differt ab eo cujus est causa.

Maximus quoque Tyrius in prima dissertatione, cum Deum mentem esse docuisset, quandoquidem dupliciter mens dicitur, et quædam est quæ potest intelligere, etiamsi non intelligat reipsa; ejusmodi illum esse mentem asserit, quæ et semper et simul omnia cognoscit [a]. Vide et Alcinoum, cap. x.

VI. Sed hoc nostri longe præstantius distinctiusque tradiderunt, præsertim Augustinus qui sæpius *mirabilem* illam Dei *simplicitatem* commendat, ubi non *aliud est esse, aliud intelligere.* « Anima vero quia est, etiam dum non intelligit, aliud est quod est, aliud quod intelligit, » ait epistola centesima secunda. Et enucleatius in quinto decimo *de Trinitate.* Quo in loco scientiam Dei eamdem ait et sapientiam esse, et ipsam ejus essentiam sive substantiam[1]. Quem locum alibi referam cum de Trinitate ac divino Verbo agendum erit. Sic in primo *de Genesi ad litteram:* « Non habet, inquit, informem vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est ei vivere quod est sapienter et beate vivere[2]. » Sed frequentiora sunt Augustini hac de re dicta quam ut percenseri queant, et cum de simplicitate disputavimus, complura eorum allata sunt. Nunc Cyrillus adhibendus est, qui in fine libri tricesimi primi *Thesaurorum* eximiam de eo sententiam exprimit et dignam quæ hic quoque descripta lectorem oblectet. « Simplex, inquit, et minime compositus omnium prædicatione celebrabitur Deus. Quamobrem absurdum est ipsum de se talem habere cognitionem dicere, qualem nos habemus. Nam si ipse aliud quiddam est, alia vero ac diversa est ab eo quæ inest ipsi cognitio, compositus erit et non simplex. Cum vero confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum illius cognitio. Nostra autem est alia causa. Nam propria quadam ratione sumus secundum substantiam, in substantia vero sitam habemus cognitionem, velut colorem in corpore. Igitur non similiter et eodem modo sciemus quippiam ac Deus, qui non eodem atque ille modo nos habemus. Sed ipse quidem, tanquam hoc ipsum mens omnium suprema, itidem ut Deo convenit, tum ea quæ sunt, tum se ipse contemplabitur. Nos autem qui datam nobis mensuram transgredi nequimus, velut in speculo et ænigmate incomprehensibilem cernimus Deum [b]. » Quem locum Joannes Cyparissiotus attulit ex libro *Thesaurorum* tertio et tricesimo. Qui et Maximi locum hunc ad idem institutum refert ex centuriæ tertiæ cap. v. «Omnis, inquit, cognitio earum rerum quæ sunt habitudo est, quæ extrema quædam colligat, eos dico qui cognoscunt et ea quæ cognoscuntur, etc. Deus autem secundum essentiam suam quodcumque est secundum substantiam, cognitio est ineffabilis, quæ in mente et Verbo et Spiritu per se existit[3]. » Sed et alterum ejusdem Maximi testimonium refert ex centuria prima capitulo LXXXIII, quod ad rem valde pertinet. « Deus, inquit, sive substantiam dicamus, non habet potestatem intelligendi quæ naturaliter cum eo intelligatur, ne habeatur compositus. Sive dicamus cognitionem, non habet subjectam substantiam quæ naturaliter recipiat cognitionem. Sed idipsum quod secundum substantiam est, cognitio est Deus et totus Deus et solum, et ipsa cognitio substantia, et totus substantia et solum, et supra substantiam totus, et supra cognitionem solus, quia unitas est individua, expers partis et simplex. »

VII. Nemesius christianus philosophus de providentia disputans adversus ejus impugnatores, hac de causa negari non posse ait, quod alioqui penes Deum ejus quod expediat, inscitia sit: quippe « ignorantia et imperitia prorsus aliena est a beata illa substantia. Ip-

a MAXIM. Τοῦ γὰρ νοῦ, ὁ μὲν νοεῖν πέφυκε καὶ μὴ νοῶν· ὁ δὲ καὶ πέφυκεν· ἀλλὰ καὶ οὗτος οὔπω τέλεος, ἂν μὴ προσθῇς αὐτῷ τὸ καὶ νοεῖν ἀεὶ, καὶ πάντα νοεῖν, καὶ μὴ ἄλλοτε ἄλλα· ὥστε εἴη ἂν ἐντελέστατος ὁ νοῶν ἀεὶ, καὶ πάντα, καὶ ἅμα.

b CYRILL. p. edit. Græco-Lat. 267. Ἁπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος ὢν ὁ θεὸς πρὸς ἁπάντων ὁμολογηθήσεται· οὐκοῦν ἄτοπον τὸ λέγειν τοιαύτην ἔχειν αὐτὸν περὶ ἑαυτοῦ τὴν γνῶσιν, ὁποίαν ἂν καὶ ἡμεῖς· εἰ γὰρ αὐτὸς ἕτερόν τί ἐστιν, ἑτέρα δέ τις παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις, σύνθετος ἔσται, καὶ οὐχ ἁπλοῦς· ἐπειδὴ δὲ ἁπλοῦς ὁμολογουμένως· οὐχ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις· ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἐσμὲν γὰρ κατ' οὐσίαν ἰδίως· ἐν δὲ τῇ οὐσίᾳ κειμένην ἔχομεν τὴν γνῶσιν, ὥσπερ χρῶμα ἐν σώματι· οὐκ ἄρα παραπλήσιον εἰσόμεθά τι τῷ θεῷ οἱ μὴ οὕτως ὄντες ὡς αὐτός· ἀλλ' αὐτὸς μὲν ὡς αὐτὸ δὴ τοῦτο νοῦς ὁ πάντων ἀνωτάτω, θεωρήσει θεοπρεπῶς τά τε ὄντα, καὶ ἑαυτόν· ἡμεῖς δὲ τὸ δοθὲν ἡμῖν μέτρον ὑπερβαίνειν οὐ δυνάμενοι ὡς ἐν ἐσόπτρῳ, καὶ αἰνίγματι τὸν ἀκατάληπτον ὁρῶμεν θεόν.

1 Cap. XIII. — 2 Cap. V; vide et lib. XI *de Civit. Dei,* cap. X. — 3 Joan. Cypar. dec. 10. cap. IX.

sum enim est cognitio et sapientia et scientia[a]. » Synesius item in libro *de Insomniis:* « Deo, inquit, sola ad cognoscendum natura satis est[b]. » Nimirum quia nihil adventitium accipit, nullam qualitatem, habitum nullum; sed sibi instar est omnium divina substantia. Irenæus in secundo libro: « Deus, inquit, cum sit totus mens, totus ratio et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem, et similiter existens[1]. » Et in sequenti capite demonstrat mentem Dei et ejus actionem ipsum esse Deum, alioqui compositum fore Deum. Didymus item in enarratione epistolæ canonicæ Joannis capite tertio: « Igitur Trinitatis, inquit, scientia substantialis est, creaturarum vero, affectus quidam suscipiens magis et minus[2]. » Et subinde: « Cum Deus mens sit, intellectu naturali et substantiali novit ea quæ novit. Creaturæ vero licet habeant ut sint mens, attamen et scientiam habent quæ est factura, dum mens eorum sit facta. » Quod Joannes Damascenus perinde ut Didymus cum universe de omnibus quæ Deo attribuuntur, tum de scientia et sapientia prædicat his verbis: « In nobis prudentia et sapientia et consilium tanquam habitus accidit et abscedit. Non autem in Deo. In ipso enim nihil oritur et desinit. Est enim variationis et mutationis expers, neque de ipso dici accidens oportet. Porro bonum Deus habet cum substantia sua concurrens[c]. » Hac de causa Maximus idem ille citatus a me sæpius apud Euthymium *in Panoplia*, Deum neque intelligentem proprie, neque intellectionem dici patitur, etsi hoc posterius satius esse putat illi concedere. Qui locus illustris est atque ideo minime prætermittendus. « Deus, ait, neque intelligens dicitur proprie neque intellectus, ne compositus existimetur. Nam et quod intelligens est, secum una consideratam habet intelligendi facultatem; et quod intelligitur, ad hoc ipsum ut intelligatur eamdem habet facultatem. Sed neque intellectio dici potest. Nam intellectio natura sua subjectam habet capacem sui substantiam. Quare superest ut supra hæc omnia constituatur. Nisi forte sic illum intellectionem esse dicamus, ut sit ipsum intellectio secundum substantiam, ac totum intellectio, et solum intellectio, et intellectio supra intellectionem[d]. » Vide eumdem in *Scholiis* ad caput V Dionysii *de Divinis nominibus,* necnon Cyrillum Alexandrinum libro primo *in Joannem*[3]. Verum plura ad idem argumentum habes a nobis veterum citata testimonia libro primo, ubi de divinæ naturæ simplicitate agimus, quominus in his conquirendis elaborare debemus.

CAPUT II.

De reliquis divinæ scientiæ proprietatibus velut quod omnia in se et in natura sua cognoscit. Id quod ex gentilibus philosophis ostenditur, tum ex christianis. Demonstratur ideo illa nosse Deum, quia causa est eorum efficiens. Tum quomodo Deus illa norit. Aliter Deum seipsum cognoscere, aliter creatas res; has enim in decretis suis, se vero in natura sua nosse, id esse, dicere. Quomodo creaturæ in Deo contineantur. Videri ab eo absolute et ut in se sunt, etsi dicantur non videri in seipsis. De simplicitate divinæ scientiæ; ullam in ea compositionem inesse. Idque et ex gentilibus philosophis adstruitur. Esse etiam immutabilem ac denique rerum omnium causam. Augustini locus exponitur haud recte ab Vive in scholiis acceptus. In sapientia Deum omnia fecisse, in qua omnium causæ rationesque continentur. Ideo in ea Deum illa dixisse.

I. Proxima divinæ scientiæ dos est, quod

a Nemes. lib. *de Prov.* cap. XLIV. Ἀλλ' ἄγνοια μὲν, καὶ ἀμαθία παντάπασιν ἀλλοτριώτατον τῆς μακαρίας οὐσίας· αὐτὸ γὰρ γνῶσίς ἐστι, καὶ σοφία, καὶ ἐπιστήμη.

b Syn. Ἀλλὰ θεῷ μὲν εἰς τὸ γινώσκειν ἡ φύσις ἀρκεῖ.

c Damasc. lib. I. *de Fide*, cap. XVIII. Ἐπὶ ἡμῖν φρόνησις, καὶ σοφία, καὶ βουλὴ, ὡς ἕξις συμβαίνει, καὶ ἀποχωρεῖ· οὐ μὴν ἐπὶ θεοῦ, ἐπὶ αὐτοῦ γὰρ οὐδὲν γίνεται, καὶ ἀπογίνεται· ἀναλλοίωτος γάρ ἐστι, καὶ ἄτρεπτος· καὶ οὐ χρὴ συμβεβηκὸς ἐπὶ αὐτοῦ λέγειν· τὸ δὲ ἀγαθὸν ὁ θεὸς σύνδρομον ἔχει τῇ οὐσίᾳ.

d Maxim. part. I. tit. III. p. 80. Ὁ θεὸς οὔτε νοῶν λέγεται κυρίως, οὔτε νοούμενος, ἵνα μὴ σύνθετος λογισθείη· τό τε γὰρ νοοῦν συνεπιθεωρουμένην ἔχει τὴν τοῦ νοεῖν δύναμιν, τό τε νοούμενον τὴν τοῦ νοεῖσθαι· ἀλλ' οὐδὲ νόησις· ἡ γὰρ νόησις φυσικῶς ἔχει ὑποκειμένην δεκτικὴν αὐτῆς οὐσίαν· λοιπὸν οὖν ὑπὲρ ταῦτα πάντα· εἰ μή που νόησιν αὐτὸν εἴπομεν, αὐτὸ κατ' οὐσίαν νόησιν, καὶ ὅλον νόησιν, καὶ μόνον νόησιν, καὶ νόησιν ὑπὲρ νόησιν.

1 Cap. XLVII. — 2 Tom. IX. *Biblioth. Patrum.* — 3 Cyr. lib. I. *in Joan.*

omnia in sese et in natura sua cognoscit, non autem extra se et in rebus ipsis, tanquam ex iis collecta ducatur.

Huic Platonicorum schola subscribit, cujus antesignanus Plotinus Deum illa esse ipsa quæ cognoscit, affirmat, quoniam omnia in se continet, eaque sunt in ipso antequam ab eo procreentur. « Mentem, ait de summa et divina loquens, debemus accipere (si modo vera ipsius appellatione simus usuri) non eam quæ potentia est, atque ex amentia pervenit ad mentem (alioqui alteram rursus superiorem investigare cogemur), sed mentem ejusmodi quæ actu sit et perpetuo mens. Quod nisi est ita, adventitiam habet intelligentiam. Itaque si quid intelligit, a seipsa intelligit : si quid habet, a seipsa habet. Quod si a seipsa et ex seipsa intelligit, ipsamet est ea quæ intelligit. Nam substantia quidem ipsius alia est; quæ autem intelligit, ab ipsa diversa : ista ejus substantia mentis erit expers, ac rursus potentia, non actu. Neutrum ergo separandum est ab altero. Solemus autem ex iis quæ penes nos sunt, etiam illa cogitationibus secernere. Quidnam igitur agit? et quid intelligit, ut illa ipsum quæ intelligit esse ponamus? Nonne perspicuum est illam quæ sit mens, vere ea quæ sunt intelligere, et subsistentiam illis dare? Est igitur ea quæ sunt. Aut enim alibi existentia illa intelligit, aut in seipsa, ut quæ idem atque ipsa sunt. Alibi porro ut sint, fieri non potest. Ubi enim erunt? Quare et seipsum et in seipso oportet esse. Non enim in sensibilibus erunt, ut illi putant. Nam unumquodque primum, non sensibile est. Quæ enim in his forma, in materia simulacrum est entis[a]. »

II. Quocirca ex Plotini sententia, divina mens et intelligentia non potentia est sed actu, imo actus ipse, « ne adventitiam habeat intelligentiam, » ut idem ait. Quod recte summæ illius simplicitati tribuit, quæ hoc postulat ut sit hoc ipsum quod habet et inest ipsi. Porro etiam illa quæ intelligit, divinam esse mentem asserit, hoc est, ut in Deo et in ideis illius continentur, non ut in se ipsis existunt. Quod ex eo colligit, quia quod sub sensus cadit, non est primum in cujusque rei genere neque præcipuum ac perfectum ens, sed entis idolum ac simulacrum. Deus autem cognoscit id quod est primum ac perfectissimum. Proinde in seipso ac per seipsum illa cognoscit, nimirum per eorum species et ideas quas in se complectitur, adeoque idem atque ipse sunt. Subjicit mox rationem alteram cognitionis illius divinæ, quam theologi nostri frequenter usurpant, quod causa sit efficiens omnium rerum. Quo fit ut eas in se continere debeat, et earum archetypa vel ideas. « Præterea si necesse est, inquit, mentem esse universi hujus artificem, illa certe, non ista quæ in eo quod nondum est, existunt, intelliget ut ipsum producat. Igitur ante mundum illa sint oportet, non tanquam figuræ impressæ ab aliis, sed ut archetypa et prima et ut ipsa mentis substantia[b]. » Quæ ratio paulo post ex nostrorum dictis illustrabitur. Alcinous item in libro *de Dogmatibus Platonicis*, cap. x eadem scribit : « Cum sit, inquit, prima mens omnium præstantissima, oportet præstantissimum etiam intelligibile illi esse propositum. Nihil autem potest habere seipsa præstantius. Seipsam igitur et suiipsius notiones semper intelligit[c]. »

Deus omnia in se cognoscit quia est omnium causa efficiens.

Ammonius gentilis et ipse philosophus in commentariis ad librum Aristotelis *de Interpretatione*, simili ac Plotinus ratione usus ostendit, Deos omnia nosse eo quod omnium auctores procreatoresque sint. « Omnino, inquit, si prorsus est necesse eorum quæ sunt, omnium causas esse Deos saltem concurrentes, quinam convenit aut ipsos ignorare proprios fetus, aut fetuum propriorum effecta, vel quæ ab illis quocumque modo facta fuerint[d]? »

a Plot. *Enn.* 5. lib. IX. cap. v. Δεῖ δὲ νοῦν λαμβάνειν, εἴπερ ἐπαληθεύσομεν τῷ ὀνόματι, μὴ τὸν δυνάμει, μηδὲ τὸν ἐξ ἀφροσύνης εἰς νοῦν ἐλθόντα; εἰ δὲ μὴ, ἄλλον πάλιν πρὸ αὐτοῦ ζητήσομεν· ἀλλὰ τὸν ἐνεργείᾳ, καὶ ἀεὶ νοῦν ὄντα· εἰ δὲ μὴ, ἐπακτὸν τὸ φρονεῖν ἔχει· εἴ τι νοεῖ παρ' αὐτοῦ νοεῖ· καὶ εἴ τι ἔχει, παρ' αὐτοῦ ἔχει· εἰ δὲ παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐξ αὐτοῦ νοεῖ, αὐτός ἐστιν ἃ νοεῖ· εἰ γὰρ ἡ μὲν οὐσία αὐτοῦ ἄλλη, ἃ δὲ νοεῖ ἕτερα αὐτοῦ, αὕτη ἡ οὐσία αὐτοῦ ἀνόητος ἔσται· καὶ δυνάμει, οὐκ ἐνεργείᾳ αὖ· οὐ χωριστέον οὖν οὐδέτερον ἀπὸ θατέρου· ἔθος δὲ ἡμῖν, ἀπὸ τῶν παρ' ἡμῖν κἀκεῖνα ταῖς ἐπινοίαις χωρίζειν· τί οὖν ἐνεργεῖ; καὶ τί νοεῖ, ἵνα ἐκεῖνα αὐτὸν ἃ νοεῖ θώμεθα; ἢ δῆλον ὅτι νοῦς ὢν ὄντως νοεῖ τὰ ὄντα, καὶ ὑφίστησιν· ἔστιν ἄρα τὰ ὄντα· ἢ γὰρ ἑτέρωθι ὄντα αὐτὰ νοήσει, ἢ ἐν αὐτῷ ὡς αὐτὸν ὄντα· ἑτέρωθι μὲν οὖν, ἀδύνατον· ποῦ γάρ; αὐτὸν ἄρα, καὶ ἐν αὐτῷ· οὐ γὰρ δὴ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, ὥσπερ οἴονται· τὸ γὰρ πρῶτον ἕκαστον, οὐ τὸ αἰσθητόν· τὸ γὰρ ἐν αὐτοῖς εἶδος, ἐπὶ ὕλῃ εἴδωλον ὄντος.

b Idem. Εἰ δὲ καὶ ποιητὴν δεῖ εἶναι τοῦδε τοῦ παντὸς, οὐ τὰ ἐν τῷ μήπω ὄντι οὗτος νοήσει ἵνα αὐτὸ ποιῇ· πρὸ τοῦ κόσμου ἄρα δεῖ εἶναι ἐκεῖνα, οὐ τύπους ἀφ' ἑτέρων, ἀλλὰ καὶ ἀρχέτυπα, καὶ πρῶτα, καὶ νοῦ οὐσίαν.

c Alcin. Ἐπεὶ δὲ ὁ πρῶτος νοῦς κάλλιστος, δεῖ καὶ κάλλιστον αὐτῷ νοητὸν ὑποκεῖσθαι· οὐδὲν δὲ ἑαυτοῦ κάλλιον· ἑαυτὸν ἂν οὖν καὶ τὰ ἑαυτοῦ νοήματα ἀεὶ νοοίη.

d Ammon. Ὅλως δὲ, εἰ πᾶσα ἀνάγκη τῶν ὄντων

III. Jam nostri eadem illa præstantius ac divinius ut intellexerunt, ita scriptis explicarunt suis, imprimisque Dionysius, cujus e septimo capite libri *de Divinis nominibus*, hic verba describam. « Divina mens, ait, omnia continet, antecellente omnibus cognitione, ratione illa quæ causa est omnium, scientiam in se omnium ante complectens, quæ et angelos priusquam essent noverat, et angelos produxit ac cætera omnia ex intestino et ab ipso, ut ita dicam, principio habens perspecta, et ad subsistendum perducens. Atque hoc, ut opinor, Scriptura docere nos voluit cum ait : *Qui novit omnia antequam fiant*[1]. Non enim ex iis quæ sunt, ea quæ sunt addiscens novit divina mens, sed ex seipsa et in seipsa, secundum eam scientiam quæ omnium est causa, et cognitionem et substantiam prius habet et collecta tenet omnia, non secundum exemplar intentus singulis, sed secundum unicam causæ præstantiam omnia cognoscens et continens[a]. » Mox illud expressiori sermone declarans : « Igitur, inquit, divina sapientia semetipsam cognoscens, omnia cognoscet, sine materia materiata cognoscens, et indivisibiliter quæ divisa sunt, ac multa singulariter, ipso suo esse et cognoscens et producens universa. Nam si secundum unicam causam Deus omnibus quæ sunt esse communicat, secundum eamdem singularem causam sciet omnia tanquam a seipso existentia, et quæ in seipso antea substiterint, neque ex iis quæ sunt cognitionem ipsorum accipiet, sed et his singulis ipsorummet, et aliis aliorum notitiam impertiet. Quamobrem Deus non habet propriam ac separatam suiipsius notitiam, alteram autem communiter omnia quæ sunt complexam. Etenim semetipsa quæ causa est omnium, cognoscens, non utique quæ a se profecta sunt et quorum causa est, ignorare poterit. Ad hunc itaque modum Deus ea quæ sunt cognoscit, non eorum scientia sed suimetipsius[b]. » Quin idem in libro *de Mystica theologia*, capite quinto ait « Deum non nosse entia ut entia sunt[c]. »

IV. Maximus martyr in *Scholiis* ad caput quintum libri *de Divinis nominibus* eadem quæ ex Plotino retulimus atque iisdem fere verbis enarrat, Deum mentem esse actu intelligentem non potentia, « neque adventitiam habentem scientiam, sed ex seipsa penitus sapere. Nam si alia est ipsius substantia, quæ autem intelligit, diversa sunt ab ipsa, erit per se insipiens ipse, hoc est ejus substantia[d] » ac cætera, quæ totidem, ut dixi, verbis ex Plotino transtulit. Tum in *Scholiis* ad caput quintum libri *de Mystica theologia*, divinæ illius scientiæ cognitionisque modum clarius explicans : « Quæcumque sunt, inquit, hoc est creatæ res, supra naturam suam extendi notionibus nequeunt. Quamobrem consentaneum est, illa in seipsa respicientia divinam ignorare naturam, secundum id quod est ipsa. Sic igitur et natura divina seipsam intuens, non novit in seipsa esse entia secundum rationem essentiæ. Hoc enim significavit iis verbis, quatenus entia sunt : quoniam super omnia entia, et ipsum esse possidet supra

ἁπάντων αἰτίους εἶναι τοὺς θεοὺς, ἢ προσαιτίους, πῶς ἂν ἔχοι λόγον, ἢ ἀγνοεῖν αὐτοὺς τὰ οἰκεῖα γεννήματα, ἢ τὰ τῶν οἰκείων γεννημάτων ἀποτελέσματα, ἢ τὰ ὑπ' ἐκείνων καθ' οἷον δή ποτε τρόπον γινόμενα; etc.

a Dionys. Ὥστε ὁ θεῖος νοῦς πάντα συνέχει τῇ πάντων ἐξῃρημένῃ γνώσει, κατὰ τὴν πάντων αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τὴν πάντων εἴδησιν προειληφὼς, πρὶν ἀγγέλους γενέσθαι εἰδὼς, καὶ παράγων ἀγγέλους· καὶ πάντα τὰ ἄλλα, ἔνδοθεν, καὶ ἀπ' αὐτῆς ἵν' οὕτως εἴπω, τῆς ἀρχῆς εἰδὼς, καὶ εἰς οὐσίαν ἄγων· καὶ τοῦτο οἶμαι παραδιδόναι τὸ λόγιον, ὁπόταν φησίν· ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν· οὐ γὰρ ἐκ τῶν ὄντων τὰ ὄντα μανθάνων, οἶδεν ὁ θεῖος νοῦς, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ κατὰ αἰτίαν τὴν πάντων εἴδησιν καὶ γνῶσιν, καὶ οὐσίαν προέχει, καὶ προσυνείληφεν· οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας ὑπεροχὴν τὰ πάντα εἰδὼς, καὶ συνέχων.

b Id. Ἑαυτὴν οὖν ἡ θεία σοφία γινώσκουσα, γνώσεται πάντα, ἀΰλως τὰ ὑλικὰ, καὶ ἀμερίστως τὰ μεριστὰ, καὶ τὰ πολλὰ ἑνιαίως, αὐτῷ τῷ εἶναι τὰ πάντα καὶ γινώσκουσα, καὶ παράγουσα· καὶ γὰρ εἰ κατὰ μίαν αἰτίαν ὁ θεὸς πᾶσι τοῖς οὖσι τοῦ εἶναι μεταδίδωσι, κατὰ τὴν αὐτὴν ἑνικὴν αἰτίαν, εἴσεται πάντα, ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ὄντα, καὶ ἐν ἑαυτῷ προϋφεστηκότα· καὶ οὐκ ἐκ τῶν ὄντων λήψεται τὴν αὐτῶν γνῶσιν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς ἑκάστοις τῆς αὐτῶν, καὶ ἄλλοις τῆς ἄλλων γνώσεως ἔσται χορηγός· οὐκ ἄρα ὁ θεὸς ἰδίαν ἔχει τὴν ἑαυτοῦ γνῶσιν, ἑτέραν δὲ τὴν κοινῇ τὰ ὄντα πάντα συλλαμβάνουσαν· αὐτὴ γὰρ ἑαυτὴν ἡ πάντων αἰτία γινώσκουσα, σχολῇ που τὰ ἀπ' αὐτῆς, καὶ ὧν ἐστιν αἰτία, ἀγνοήσει· ταύτῃ γοῦν ὁ θεὸς τὰ ὄντα γινώσκει οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ.

c Id. cap. v. *de Myst. theol.* Οὐδὲ αὐτὴ γινώσκει τὰ ὄντα, ᾗ ὄντα ἐστί.

d Maxim. in cap. v. Dionysii. Ὅθεν καί ἐστι νοῦς μόνον καθαρὸς, οὐκ ἐπείσακτον ἔχων τὸ φρονεῖν· ἀλλὰ παρ' ἑαυτοῦ πάντως νοεῖ· εἰ γὰρ ἡ μὲν οὐσία αὐτοῦ ἄλλη ἐστὶν, ἃ δὲ νοεῖ ἕτερα αὐτοῦ, αὐτὸς ἀνόητος ἔσται, ἤγουν ἡ οὐσία αὐτοῦ, etc.

1 *Dan.* XIII, 41.

omnem essentiam [a]. » Quocirca quia Deus nihil est eorum quæ sunt, hoc est entium, cum hæc in seipso contuetur, non videt entia ut sunt in sese. Sicut nec illa Deum, ut est in se, cognoscunt, cum ipsum in se vident et intelligunt, ut paulo post declarat.

eus in se anquam ausa effi-ente om-nia ognoscit.

Ex his concluditur, Deum tam seipsum quam creatas res omnes per se et in se atque in natura sua et substantia cognoscere, tanquam causa efficiente rerum omnium. Est tamen nonnihil discriminis fictione cogitationeque nostra inter eam cognitionem qua se Deus cognoscit, et eam qua res cæteras intelligit. Quod Maximus in *Capitulis de charitate* sic explicat. « Deus quidem semetipsum cognoscit ex beata sua substantia, quæ vero ab ipso producta sunt, ex sapientia sua, per quam et in qua fecit omnia [b]. » Cum enim sapientia Dei omnium sit artifex, idem est Deum in sapientia sua cognoscere omnia, atque in se naturaque sua, quatenus est causa rerum omnium. Hæc in scholis decreta nominantur, in quibus creatas res omnes Deus nosse dicitur. Quæ Maximus idem alibi θελήματα, id est, *voluntates* appellat, apud Euthymium sic scribens : « Deus neque intelligibiliter intelligibilia cognoscit, neque sensibilia sensibiliter. Fieri enim non potest ut qui omnia quæ sunt excedit, secundum ea quæ sunt, hæc ipsa percipiat. Restat igitur ut tanquam proprias voluntates ista cognoscat, quandoquidem et volens omnia molitus est [c]. » Propterea, ut ait Ambrosius capite primo tractatus *in Symbolum* : « Licet omnia cœlestia et terrestria ac minima quæque perspiciat Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur. » Et auctor *Commentarii in epistolam ad Romanos* qui inter opera illius extat, in fine capitis XI : « Ipse, inquit, scit omnia, quia in ipso sunt cuncta. »

V. Huc spectat quod Augustinus exponit [1] in undecimo libro *de Civitate Dei*, ubi duplicem cognitionem distinguit matutinam et vespertinam. » Cognitio, inquit, creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est. » Et capite nono ac vicesimo de angelis loquens : « Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tanquam in arte qua facta est, quam in ea ipsa sciunt, ac per hoc et seipsos ibi melius quam in seipsis. » Tum postea : « Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in seipsis : illic clariore, hic obscuriore cognitione, velut artis atque operum. » Atque idem alio loco Verbum Dei nominat « artem quamdam omnipotentis atque sapientis Dei plenam omnium rationum viventium incommutabilium, et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum. Ibi novit omnia Deus quæ fecit per ipsam, et ideo cum decedant et succedant tempora, non decedit aliquid vel succedit scientiæ Dei [2]. »

Cæterum ut angelorum illa cognitio qua res creatas in Verbo vident, ab ea differt qua res easdem in seipsis intuentur : et eatenus in Verbo videre dicuntur, quatenus in arte efficienteque causa eas intelligunt ; ita Deum illas ipsas creatas res in Verbo suo cognoscere, est eas tanquam in causa et efficiente principio *videre*, sive quod idem est, *dicere* : ut loquuntur Augustinus [3] et Anselmus [4]. « Illa autem forma rerum, ait hic, quæ in ejus ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quam rerum quædam in ipsa ratione locutio ? Veluti cum faber facturus aliquod suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione. » Et alibi esse dicit « summam sapientiam et summam rationem, in qua sunt omnia quæ facta sunt, quemadmodum opus quod fit secundum aliquam artem, non solum quando fit, verum et antequam fiat et postquam dissolvitur, semper est in ipsa arte, non aliud quam quod est ars ipsa. Idcirco cum ipse

a Max. in cap. v. *de Myst. theol.* Τὰ ὄντα, ἤγουν τὰ κτίσματα, ὑπὲρ τὴν ἑαυτῶν φύσιν ἐκταθῆναι ταῖς νοήσεσιν οὐ δύναται· εἰκότως οὖν εἰς ἑαυτὰ βλέποντα ἀγνοεῖ τὴν θείαν φύσιν, καθ' ὃ αὐτή ἐστιν· οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις ἑαυτὴν βλέπουσα, οὐκ εἶδεν ἐν ἑαυτῇ εἶναι τὰ ὄντα κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον· τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπὼν, ᾗ ὄντα ἐστίν· ἐπειδὴ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι κέκτηται ὑπερουσίως.

b Maxim. cent. 4. cap. xxii. Ὁ μὲν θεὸς ἑαυτὸν γινώσκει ἐκ τῆς μακαρίας οὐσίας αὐτοῦ· τὰ δὲ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότα ἐκ τῆς σοφίας αὐτοῦ, δι' ἧς, καὶ ἐν ᾗ τὰ πάντα ἐποίησεν.

c Id. *Panop.* par. I. tit. III. Ὁ θεὸς οὔτε νοερῶς τὰ νοερὰ γινώσκει, οὔτε αἰσθητῶς τὰ αἰσθητά· ἀδύνατον γὰρ τὸν ὑπὲρ τὰ ὄντα, κατὰ τὰ ὄντα, τῶν ὄντων ἀντιλαμβάνεσθαι· λοιπὸν οὖν ὡς τὰ ἴδια θελήματα γινώσκει αὐτά· ἐπεὶ καὶ θέλων πάντα πεποίηκεν.

1 Cap. vii. — 2 Lib. VI. *de Trinit.* cap. x. — 3 Lib. I. *de Gen. ad. lit.* cap. ii, iii et iv. — 4 *Monol.* cap. ix et xxxiii.

summus Spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt. Nam et antequam fierent, et cum jam facta sunt, et cum corrumpuntur seu aliquo modo variantur, semper in ipso sunt, non quod sunt in seipsis, sed quod est idem ipse. Etenim in seipsis sunt essentia mutabilis secundum mutabilem rationem creata, in ipso vero sunt ipsa prima essentia et prima existendi veritas, cui prout magis utcumque illa similia sint, ita verius et præstantius existunt. Hoc itaque modo non irrationabiliter asseri potest, quia cum seipsum dicit summus ille Spiritus, dicit etiam quidquid factum est uno eodemque verbo. » Tum capite sequenti pleraque alia eodem spectantia pertexit, et illud imprimis quod nostra interest : « Idem esse summo Spiritui scire quod intelligere sive dicere : itaque necesse esse quod eodem modo sciat omnia quæ scit, quo ea dicit aut intelligit. » Hoc vero ad divinam illam percipiendam scientiam ejusque comprehendendas utcumque dotes et conditiones, quod hoc loco agitur, non parum utilitatis affert, ut ex iis quæ deinceps sunt proponenda constabit.

VI. Sed illud etiam atque etiam observari volumus, quod eodem quarto et vicesimo *Monologii* capite ac sequenti prosequitur Anselmus, quemadmodum creaturæ in seipsis et in nostra cognitione atque in Deo sint et intelligantur. « In seipsis namque sunt per ipsam suam essentiam, in nostra vero scientia non sunt earum essentia, sed earum similitudines. Restat igitur ut tanto verius sint in seipsis quam in nostra scientia, quanto verius sunt alicubi per suam essentiam quam per suam similitudinem. Cum ergo et hoc constet, quia omnis creata substantia tanto verius est in verbo et intelligentia creatoris quam in seipsa, quanto verius existit creatrix quam creata essentia; quomodo comprehendat humana mens, cujusmodi sit illud dicere et illa scientia, quæ sic longe superior et verior est creatis substantiis, si nostra scientia tantum superatur ab illis, quantum earum similitudo distat ab earum essentia. »

Præstantissima Dei scientia.

Porro istud ipsum quod Anselmus scribit, didicit ab Augustino non solum in illis locis quos adduximus, sed in aliis etiam quos cum de ideis agetur, in medium afferemus, præsertim in libro quinto *de Genesi ad litteram* capite decimo quinto, ubi id quod factum est, vitam in Deo fuisse ex Joannis capite primo disserit. « In qua vita vidit omnia quando fecit, et sicut vidit ea, ita fecit, non præter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quæ fecit. » Et in libro *Octoginta trium quæstionum*, quæstione sexta et quadragesima, ubi cum dixisset « singula propriis creata esse rationibus, quæ rationes in ipsa mente sunt creatoris, » mox, quod ad institutum refert, ista subjicit : « Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat, etc. » Quibus verbis ostendit Deum res omnes in seipso contemplatum esse ex æterno, neque quidquam extra se contuitum, hoc est ita ut illius notitiam ab eo quasi objecto et ut in se est derivatam acciperet. Nam eo modo res omnes intelligit quo eas in seipso continet, ut ex Maximo supra didicimus. Cui Psellus subscribit[a] in libro *Quæstionum*. Ait enim, « Deum non sic res cognoscere quomodo sunt in seipsis, sed quomodo est ipse secundum substantiam. » Quod ne quis fortasse dictum sic existimet, tanquam res illas non penitus ac perfecte cognoscat Deus cujusmodi in se sunt, sed tantum secundum rationem illam qua ipsas continet; sciat nihil non a Deo absolute percipi et ut in sese est, quatenus de objecta re loquimur. Videt enim naturas omnium, eorumque differentias et proprietates, sed excellenti quodam modo, ita ut nihil omnino quamlibet imperfectum illius se cognitioni subtrahat, tametsi perfectissima sit ejus intelligendi ratio. Quemadmodum mens nostra « lapidem cognoscit secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu, in quantum cognoscit se intelligere, sed nihilominus cognoscit lapidem in propria natura » ait sanctus Thomas, qui plenius de eo disputat in prima parte *Summæ theologicæ*[1].

Sed enim quoniam una et simplici et a materia sejuncta cognitione universa perspicit, idcirco negant illi quos citavi veteres theologi Deum res creatas ut sunt in seipsis intelligere; sed eas dicunt sic ab illo videri quomodo in ipsius natura, tanquam in causa comprehenduntur. Quod rursus sancti Thomæ verbis explicare libet[2], quæ simillima sunt iis, quæ ex sancto Maximo supra deprompsimus[3].

a Psellus libro nondum edito, q. 78. Οὐχ ὡς ἔχει τὰ πράγματα γινώσκει ὁ Θεὸς ταῦτα· ἀλλ' ὡς ἐστὶν κατ' οὐσίαν.

1 In I part. q. 14. art. 6. ad. 1. — 2 Ibid. art. 5. — 3 Cent. 4. *de Char.* cap. XXII.

«Deus, inquit sanctus Thomas, seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non in ipsis sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.»

VII. Jam divinæ scientiæ proprietates reliquæ tres, quas initio proposui, ex iis quæ dixi, perspicue colliguntur, velut simplicitas et singularitas, quæ hoc efficit uti unica cognitione Deus omnia et quidem infinita percipiat. Quippe cum Dei cognitio et scientia sit ipsamet illius natura et essentia, quæ, ut superiore libro demonstravi, simplicissima est, neque partitionem aut compositionem habet ullam; necesse est perinde ejus esse simplicem et numero singularem scientiam. Declaravit hoc Dionysius in iis locis quos supra retuli, præsertim in septimo capite libri *de Divinis nominibus*, ubi Deum asserit ita res intelligere, ut «non per speciem in unamquamque sit intentus, sed secundum singularem causæ præstantiam universa cognoscat et contineat[a].» Quibus in verbis suspecta mihi Græca vox est, κατ' ἰδέαν, quæ hoc exprimit, Deum «non secundum ideam et exemplar singula cognoscere.» Atque haud scio an satius sit κατ' ἰδίαν rescribere, quod est *singillatim*. Id enim sententia postulat. Et alioqui falsum est Deum singulas res non in idea exemplarique suo cernere. Sed hanc conjecturam meam non plane κυρίαν esse δόξαν volo. Nam et alteram lectionem Græci ac Latini interpretes retinent*, et potest commodus illi sensus tribui. Sic ibidem Dionysius affirmat, Deum[b] *indivisibiliter* quæ sunt divisa cognoscere, ac multa *singulariter*. Quod ex eo probat, quia Deus una et simplex est causa rerum omnium, quæ perinde una omnes actione per Verbum suum producit, actione, inquam, non extrinsecus forasque prodeunte, quæ ab re ipsa non discrepat, sed primigenia et æterna, qua Verbum suum et cum ipso ac per ipsum creata omnia dixit, hoc est jussit suis quodque prodire temporibus. Quare cum hac ipsa simplici et unica prolatione res omnes intelligat, non est in Deo multiplex, sed uniusmodi ac simplex rerum notitia. Quam Dionysii argumentationem dilucide Georgius Pachymeres in

Divinæ scientiæ simplicitas et singularitas

Ratæ auctoritatis esse opinionem.

a DION. Οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας ὑπεροχὴν τὰ πάντα εἰδὼς, καὶ συνέχων.

b Id. Καὶ ἀμερίστως τὰ μεριστὰ, καὶ τὰ πολλὰ ἑνιαίως.

* Non modo lectionem, οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, retinent Latini Græcique interpretes, quos inter excellunt Maximus in *Scholiis* et Pachymeres in *Paraphrasi*; verum etiam nulla nobis suppetit ratio, ob quam ea tentanda videatur. Aperte enim eidem suffragatur orationis contextus, qui est (*De Div. nom.* cap. VII. §. II.) hujusmodi : « Itaque mens divina comprehendit omnia cognitione quadam eminenti, qua secundum ipsammet omnium causam in se omnium cognitionem anticipat, priusquam angeli fuerint, cognoscens angelos eosque creans, cæteraque omnia intus et ab ipso, ut ita dicam, exordio noscens et in rerum naturam proferens; idque arbitror Scripturam (*Daniel.* XIII, 42.) significare cum ait, *Qui novit omnia priusquam fiant.* Non enim ex rebus ipsis res discens novit eas divina mens, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ, κατ' αἰτίαν τὴν πάντων εἴδησιν καὶ γνῶσιν καὶ οὐσίαν προέχει καὶ προσυνείληφεν, οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας περιοχὴν τὰ πάντα εἰδὼς καὶ συνέχων, « sed ex seipsa et in seipsa secundum causam omnium scientiam et notionem et essentiam præhabet et ante comprehendit, non singulis secundum cujusque speciem intendens, sed secundum unicam causæ complexionem cuncta sciens et continens. » Sicut et lux secundum causam tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quam ex luce tenebras noscens. Seipsam igitur divina sapientia noscens sciet omnia, materialia sine materia, et indivise divisibilia, et unice multa, ipso uno omnia et cognoscens et producens, καὶ γὰρ εἰ κατὰ μίαν αἰτίαν ὁ Θεὸς πᾶσι τοῖς οὖσι τοῦ εἶναι μεταδίδωσι, κατὰ τὴν αὐτὴν ἑνικὴν αἰτίαν εἴσεται πάντα, ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ὄντα, καὶ ἐν αὐτῷ προϋφεστηκότα, καὶ οὐκ ἐκ τῶν ὄντων λήψεται τὴν αὐτῶν γνῶσιν, ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς ἑκάστοις τῆς αὐτῶν, καὶ ἄλλοις τῆς ἄλλων γνώσεως ἔσται χορηγός· οὐκ ἄρα ὁ Θεὸς ἰδίαν ἔχει τὴν ἑαυτοῦ γνῶσιν, ἑτέραν δὲ τὴν κοινῇ τὰ ὄντα πάντα συλλαμβάνουσαν· αὐτὴ γὰρ ἑαυτὴν ἡ πάντων αἰτία γινώσκουσα, σχολῇ που τὰ ἀπ' αὐτῆς, καὶ ὧν ἐστιν αἰτία, ἀγνοήσει. Etenim si secundum unam causam Deus omnibus esse impertit, secundum eamdem unicam causam sciet omnia tanquam ex se exsistentia et in seipso præexsistentia, et non ex rebus rerum accipiet notionem, sed et ipsis singulis ipsarum aliisque aliarum notitiam largietur. Non habet itaque Deus peculiarem scientiam sui, aliam vero communem res omnes complectentem : ipsa enim omnium causa seipsam cognoscens, nullo modo ea quæ ab ipsa et quorum causa est ignorabit. » Hac igitur Deus res cognoscens, οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ γινώσκει, « non scientia rerum sed scientia suimetipsius easdem novit.» Etenim angelos quoque Scriptura testatur ea scire quæ in terra sunt, non secundum sensus illa cognoscentes quæ sensibilia sunt, sed secundum virtutem ac naturam θεοειδοῦς νοῦ *mentis Deiformis.* » Postulant itaque orationis ductus seriesque ut servetur locutio, οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων, quæ præclaram *significationem adsignificationemque* complectitur. Præclaram complectitur significationem illamque negantem, quæ hæc est : creaturas a Deo non cognosci τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων *scientia ipsarum creaturarum*, ac si illæ essent motivum et formale objectum divinæ cognitionis; et præclaram complectitur adsignificationem illamque aientem, quæque huc redit : creaturas a Deo cognosci τῇ ἑαυτοῦ ἐπιστήμῃ *scientia suimetipsius. E. R.*

paraphrasi exponit sic : «Est enim a materia secreta et indivisibilis et singularis ac simplex divina cognitio. Atque, uti dicebamus, in uno videlicet una et simplici notitia, diversa cognoscit[a].» Hilarius in duodecimo *de Trinitate* uberrimam de eo orationem explicat, atque ex eo quod divina sapientia *Proverbiorum* octavo præparasse dicitur omnia quæ a Deo sunt condita, concludit universa ex æterno una et simplici cognitione, hoc est præparatione comprehensa fuisse. «Non patitur, inquit, hoc existimari minutarum in Deo rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum præparatio Deo est coæterna.»

VIII. Egregie sanctus Augustinus in quinto decimo *de Trinitate* de hoc ipso disserens, postquam docuit Verbum Dei esse sapientiam de sapientia, et « nosse atque esse illi unum esse, » tum Patrem et Filium mutuo se et in se omnia cognoscere, cujusmodi ista sit scientia, his verbis aperit[1] : « Sciunt ergo invicem Pater et Filius, sed ille gignendo, ille nascendo. Et omnia quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim aut singillatim, velut alternante conspectu, hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns alia; sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est quod non semper videt. » Et in libro undecimo *de Civitate Dei:* « Cæterum dictus est in Scripturis sanctis Spiritus sapientiæ multiplex, eo quod multa in se habeat, sed quæ habet, hæc et est, et ea omnia unus est. Neque enim multæ, sed una sapientia est[2], etc. » Accedat et Petrus Damiani[3], qui Deum affirmat sic omnia tempora « intra suæ provisionis arcana complecti, ut nec novum aliquid sibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per cursus momenta recedat. Sed nec diversis obtutibus diversa considerat, ut cum intendit præteritis, vacet a præsentibus vel futuris, vel rursus cum præsentia sive futura considerat, oculos a præsentibus avertat ; sed uno duntaxat ac simplici præsentissimæ majestatis intuitu simul omnia comprehendit, neque hoc confuse atque inexplicate, sed omnia discernit atque juxta proprietatem suam quæque distinguit. » Ac paulo post : « Enimvero quia in supremo rerum vertice ineffabiliter supereminens quasi quodam profunditatis et æterni consillii sui circulo non modo cuncta temporum spatia, sed et loca et universas amplectitur creaturas, et hæc omnia uno contemplationis ictu ac simplici semper aspectat intuitu, non immerito solus potens, solus dicitur immortalis. » Et capite antecedente : « In illa igitur ineffabili suæ majestatis arce persistens sic omnia in præsentiæ suæ constituta conspectu uno ac simplici contemplatur intuitu, ut sibi nunquam penitus vel præterita transeant, vel futura succedant. » Agnovit hoc etiam gentilis philosophus Ammonius in *commentariis* in librum Aristotelis *de Interpretatione*, ubi « Deos ait omnia cognoscere præterita, præsentia et futura, sed eo modo qui diis consentaneus est, hoc est, una et determinata et immutabili cognitione[b]. » Tum sic loquitur : « Nam et eas res quæ divisibiles sunt, indivisibiliter ac sine ullo intervallo nosse illos necesse est, et quæ multiplicia sunt, singulariter, et quæ temporalia sunt, æterno modo, et quæ facta sunt, infecto. Non enim dicere possumus, deorum cognitionem cum rerum fluxione pari transitu decurrere[c]. » Hæc Ammonius. Quæ postrema ad divinæ scientiæ immutabilitatem spectant, quæ quarta est illius conditio de quinque sub initium capitis hujus propositis.

IX. Hanc vero immutabilitatem scientiæ divinæ eodem in illo loco pulchre asseverat Ammonius ejusque causam affert elegantem. Nam cum docuisset in deorum scientia nihil præteritum, futurumve reperiri, neque mutabile inesse quidquam, idque Parmenidem versibus suis cecinisse dixisset, ejus rei rationem sic edisserit : « Ejusmodi enim, inquit, in eos minime congruunt qui vere sunt, et mutationem ne cogitatione quidem tenus ad- Divinæ scientiæ immutabilitas

a Pachym. Ἄϋλος γὰρ, καὶ ἀμέριστος, καὶ ἑνιαία, καὶ ἁπλῆ ἡ γνῶσις ἡ θεία· εἴπερ ἐλέγομεν ὅτι ἐν τῷ ἑνὶ, δηλονότι ἐν τῇ μιᾷ, καὶ ἁπλῇ δημιουργικῇ δυνάμει ὑπέστησε τὰ διάφορα· οὕτω καὶ ἐν ἑνὶ, ἤγουν ἐν ἑνιαίᾳ, καὶ ἁπλῇ γνώσει τὰ διάφορα γινώσκει.

b Amm. Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων, ῥητέον αὐτοὺς γινώσκειν μὲν πάντα τὰ γεγονότα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, ἢ μέλλοντα, τοῖς θεοῖς προσήκοντα τρόπον· τοῦτο δέ ἐστι, μιᾷ, καὶ ὡρισμένῃ, καὶ ἀμεταβάτῳ γνώσει.

c Mox : Καὶ γὰρ τὰ μεριστὰ τῶν πραγμάτων, ἀμερίστως, καὶ ἀδιαστάτως γινώσκειν αὐτοὺς ἀναγκαῖον, καὶ τὰ πεπληθυσμένα ἑνοειδῶς, καὶ τὰ ἔγχρονα αἰωνίως, καὶ τὰ γενητὰ, ἀγενήτως· οὐ γὰρ δὴ συμπαραθεῖν τῇ ῥύσει τῶν πραγμάτων τὴν τῶν θεῶν γνῶσιν ἀνεξόμεθα λέγειν, etc.

1 Cap. xiv. — 2 Cap. x. — 3 Opusc. 36. cap. vii.

mittunt. Quippe prorsus immutabile aliquid præcedat oportet illud quod utcumque mutatur, ut vel mutando maneat. Quamobrem in diis qui principii rationem habent ad ea quæ sunt, præteritum, futurumve spectari non potest[a]. » Hæc Ammonii ratio præstantissima est, quæ et ab nostris theologis adhiberi solet, qui sic disputant : cognitionem itidem, ut esse ipsum, habere se. Quare cum Dei essentia, sive τὸ εἶναι prorsus immutabile sit, ut libro superiore patefactum est; non potest illius scientia, cognitiove esse dissimilis. Proinde nihil in ea varium esse potest ac multiplex. Hanc eamdem causam attigit Augustinus in libro decimo tertio *Confessionum* his verbis : « Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et scis incommutabiliter, et vis incommutabiliter. Et essentia tua scit et vult incommutabiliter, et scientia tua est et vult incommutabiliter, et voluntas tua est et scit incommutabiliter[1]. » Gregorius papa homilia XVII in *Ezechielem :* « Omnipotens, inquit, Deus in semetipso habet sine immutatione mutabilia disponere, sine diversitate sui diversa agere, sine cogitationum vicissitudine dissimilia formare[2]. » Vide Philonem in libro *de Immutabilitate Dei.*

[Sc]ientia divina [omnium ca]usa efficiens.

X. Postrema divinæ scientiæ dos est, quod rerum omnium causa sit. « Universas enim creaturas suas et spirituales et corporales non quia sunt, ideo novit; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit quæ fuerat creaturus, nec aliter ea scivit creata quam creanda. Non enim ejus sapientiæ aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, et quando oportebat, illa mansit ut erat, » ait Augustinus; quo in loco etiam immutabilitatem ejusdem Dei scientiæ complectitur[3]. Quem imitatus Gregorius Magnus libro vicesimo *Moralium*, capite XXIII : « Nam et quæque sunt, ait, non ab æternitate ejus ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur. » Sic in undecimo libro *de Civitate Dei*[4], de sapientia Dei loquens : « In qua sunt, inquit, immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mutabilium, quæ per istam factæ sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset nisi esset, Deo autem nisi notus esset, esse non posset. » Quæ postrema verba non eo tantum dicta sunt, ut Ludovicus Vives existimat, « quod cura Dei stat mundus, alioqui statim ruiturus. Atqui quod neutiquam Deus nosset, curare non posset. » Tanquam de sola Dei providentia sit intelligendum quod ait mundum esse non posse, nisi notus sit Deo. Verum quod ne existere quidem procrearique potuerit absque illa scientia, quæ causa et artifex est rerum omnium, ut duobus illis in locis prædicat Augustinus. Causa, inquam, efficiens, quemadmodum artificis scientia opus artis efficit : tum *exemplaris*, ut vocant, quatenus rationes, et ἰδέας operum omnium in sese continet. *Omnia enim in sapientia fecisse Deum*[5], asserit Propheta. Et *omnium artifex*[6] divina sapientia in libro *Sapientiæ* dicitur, quemadmodum et humana, operum suorum[7]. Sic et *præparare orbem in sapientia ; et prudentia sua extendisse cœlos* eumdem scribit Jeremias[8]. Idque insigniter de se ipsa profitetur in octavo *Proverbiorum* capite. Tum, quod eamdem vim habet, *cœlos in intellectu fecisse*[9] in *Psalmis* canitur, ut innumera alia prætermittam.

Augustini locus ab Vive haud bene acceptus.

XI. Idcirco contra philosophos veteres disputans Ambrosius, qui vel ex atomorum concursione coïsse mundum, vel ex materia quadam a Deo minime producta putabant, auctorem esse defendit Deum « quod visibilium atque invisibilium substantias, origines, et causas rerum mens sola divina contineat[10]. » Dionysius vero in libro *de Divinis nominibus :* « Tum sapientiæ, ait, ipsius universæ, tum mentis universæ et rationis et sensus universi, divina sapientia et principium et causa et

[a] AMM. Οὐδέν ἐστι παρὰ τοῖς θεοῖς οὔτε παρεληλυθὸς, οὔτε μέλλον, οὔτε τούτων μὲν ἑκάτερον οὐκ ὂν, (for. ὅτι τούτων) τὸ μὲν οὐκέτι, τὸ δὲ, οὔπω, καὶ τὸ μὲν μεταβεβληκὸς, τὸ δὲ πεφυκὸς μεταβάλλειν· τὰ δὲ τοιαῦτα τοῖς ὄντως οὖσι, καὶ μεταβολὴν οὐδὲ κατ' ἐπίνοιαν ἐπιδεχομένοις προσαρμόττειν ἀμήχανον· προηγεῖσθαι γὰρ ἀνάγκη τὸ παντελῶς ἀμετάβλητον τοῦ ὁποσοῦν μεταβάλλοντος, ἵνα καὶ μένῃ μεταβάλλον· ὥστε ἐπὶ θεῶν ἀρχῆς ἐχόντων πρὸς τὰ ὄντα λόγον, τὸ παρεληλυθὸς, ἢ τὸ μέλλον θεωρεῖσθαι, ἀδύνατον.

1 Cap. XVI. — 2 Col. 163. — 3 Lib. XV. *de Trinit.* cap. XIII. — 4 Cap. X. — 5 *Psal.* CIII. 24. — 6 Cap. VII. 21. — 7 *Sap.* XIV. 2. — 8 Cap. X. 12. — 9 *Psal.* CXXXV. 5. — 10 Lib. I. *Hexaem.* cap. II.

productrix et perfectio et præsidium et terminus dicitur[a]. » Quod Maximus interpres expressius affirmat *in Scholiis* ad caput quintum ejusdem libri sic scribens : « Igitur notiones ipsius sunt entia. Entia porro sunt species. Notiones autem non sic intelligendæ sunt, tanquam ex eo quod hoc intellexit, consequens sit fuisse hoc vel esse hoc. Hujusmodi enim notione anterius id esse quod noscitur, oportet, ut hoc intelligens efficiat. Sed eatenus intelligit entia, quatenus seipsum intelligit, et cum iis quæ insunt, conjungitur. Ipsa enim ejus notio eorum quæ sunt, est productio[b]. » Quo in loco præclare Maximus ostendit, Dei sapientiam causam esse res omnes antecedentem, neque ab illis originem capere, sed eas potius ab illa, tanquam ab causa, proficisci. Verum subobscurum est quod hic ait Maximus, non ex eo quod hoc vel illud intellexit Deus, sequi hoc vel illud existere. Id enim sane consequens videtur, si quidem causa rerum est omnium Dei scientia. Quod etiam Augustinus significat iis verbis, quæ paulo ante citavimus : « Universas creaturas suas et spirituales non quia sunt ideo novit, sed ideo sunt quia novit. » Et alibi : « Non enim hæc quæ creata sunt, ideo sciuntur a Deo quia facta sunt, ac non potius ideo facta sunt, vel mutabilia, quia immutabiliter a Deo sciuntur[1]. » Tum Dionysius sapientiam Dei « omnium, ut Scriptura dicit, efficientem esse dicit, quæ coagmentat omnia, et indissolubilis omnium commissuræ ordinisque causa est, semper priorum fines posteriorum aptat initiis, unamque totius universi conspirationem et concentum egregio artificio molitur[c]. »

XII. Verum hoc sibi velle Maximus videtur, futurorum operum descriptionem non aliunde sumpsisse Deum, neque ex similibus aliis, quæ jam viderat, eorum quæ facturus erat, species informasse, quemadmodum architectus domus illius quam fabricaturus est, imaginem et exemplar ex aliis quas jam vidit, animo depingit ac delineat. Observavit hoc Anselmus *in Monologio*[2], cujus verba quia institutam orationem plurimum illustrant, præterire nullo modo possum. « Sed quamvis, inquit, summam substantiam constet prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem ac per eamdem suam intimam locutionem conderet, quemadmodum faber prius mente concipit quod postea secundum mentis conceptionem opere perficit ; multam tamen in hac similitudine intueor dissimilitudinem. Illa namque nihil omnino aliunde assumpsit, unde vel eorum quæ factura erat, formam in seipsa compingeret, vel ea ipsa id quod sunt perficeret. Faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul, aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit, » et cætera quæ toto capite ejusdemmodi pertexit. Hic autem diserte indicat, scientiam Dei ac notionem causam esse rerum omnium creatarum, non solum exemplarem, quemadmodum species illa domus in architecti mente externi operis causa dicitur, sed etiam efficientem, hoc est ἐνεργητικὴν, præsertim si de expressa scientia sive sapientia sermo sit, quam locutionem ibidem post Augustinum vocat. Et « quidquid, inquit, fecit, per intimam locutionem fecit, sive singula singulis verbis, sive potius uno verbo simul omnia dicendo[3]. » Nam cum in superiore loco dicit, Deum *secundum intimam locutionem* omnia condidisse, exemplar et ideam demonstrat; cum autem *per eamdem locutionem* ait illa eadem condidisse, efficientiam, productionemque designat, quæ divinæ illi locutioni, hoc est Verbo tribuitur, per quod *omnia esse facta* Scriptura testatur[4] : ut propterea *Dei virtus* ab Apostolo nominetur ac *Dei sapientia*[5]. Ita sanctus Augustinus tractatu primo *in Joannem :* « Si ergo, inquit, Christus est sapientia Dei, et Psalmus dicit : *Omnia in sapientia fecisti*[6] ; omnia sicut per illum facta, ita in illo facta sunt. » Ac paulo post : « Sa-

a Dion. cap. vii. 'Αλλ' ὅτι μὲν σοφίας αὐτῆς καὶ πάσης καὶ νοῦ παντὸς, καὶ λόγου, καὶ αἰσθήσεως πάσης ἡ θεία σοφία, καὶ ἀρχὴ, καὶ αἰτία, καὶ ὑποστάτις, καὶ τελείωσις, καὶ φρουρὰ, καὶ πέρας εἴρηται.

b Maxim. Αἱ τοίνυν νοήσεις αὐτοῦ εἰσὶ τὰ ὄντα· τὰ δὲ ὄντα εἰσὶ τὰ εἴδη· νοήσεις δὲ οὐχ οὕτως ἀκουστέον, ὅτι ἐπειδὴ τόδε ἐνόησεν, ἐγένετο τόδε, ἤ ἐστι τόδε· ταύτης γὰρ τῆς νοήσεως προηγεῖσθαι δεῖ νοούμενόν τι, ἵνα αὐτὸ νοήσας ποιήσῃ· ἀλλὰ νοεῖ τὰ ὄντα, ἅτε ἑαυτὸν νοῶν· καὶ τοῖς ἐνοῦσι συναπτόμενος· αὐτὴ γὰρ αὐτοῦ ἡ νόησις γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι.

c Dion. lib. *de Div. nom.* cap. vii. Αὕτη γάρ ἐστι κατὰ τὸ λόγιον, ἡ πάντων ποιητικὴ, καὶ ἀεὶ πάντα ἁρμόζουσα, καὶ τῆς ἀλύτου τῶν πάντων ἐφαρμογῆς, καὶ τάξεως αἰτία, καὶ ἀεὶ τὰ τέλη τῶν προτέρων συνάπτουσα ταῖς ἀρχαῖς τῶν δευτέρων, καὶ τὴν μίαν τοῦ παντὸς σύμπνοιαν καὶ ἁρμονίαν καλλιεργοῦσα.

1 Lib. VI. *de Trinit.* cap. x.—2 Cap. x.—3 Ansel. *Monol.* cap. xi.—4 *Joan.* i. et *ad Hebr.* i.—5 I *Cor.* i. 24.—6 *Psal.* civ. 24.

pientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia, etc. »

Sic Maximus paulo ante laudatus a nobis, « inesse ait in Deo rationes omnium, secundum quas e nihilo cuncta produxit[a]. » Unde etiam et λόγου appellatio profluxit, « quod causas omnium uniformiter anticipavit[b], » ait Dionysius, ex eoque Joannes Cyparissiotus[1]. De quo pluribus et paulo post agemus cum de ideis et cum de sacrosancta Trinitate verba faciemus[2].

Λόγου, id est, rationis.

CAPUT III.

De rebus quæ divinæ scientiæ subjectæ sunt. Deum perfecte se ac reliqua omnia cognoscere, nec id negare Aristotelem : tum distincte, ac singillatim, quod utrum Aristoteles crediderit, haud satis constat. Hieronymi locus ambiguus. Probatur e Scripturis et Patribus Deum singula nosse, tum ex infinita scientia, et omnipotentia, et ex eo quod causa sit omnium.

Deus perfecte se cognoscit.

I. Scientiæ omni cognitionique res ex adverso cognita respondet, hoc est τῇ ἐπιστήμῃ τὸ ἐπιστητόν. Quare post explicatam Dei scientiam, consentaneum est de iis rebus agere circa quas scientia ista versatur. Est autem perfacilis ac simplex ad eam inquisitionem responsio. Nam Deum et se et omnia quæ sunt, futurave sunt, aut fuerunt, tum quæ esse possunt, cognoscere, nemo dubitat qui quid Deus sit, eique voci quæ subjecta notio sit, utcumque perceptum habet.

Ac sui primum intelligentia Deum esse præditum, pulcherrima eademque necessaria collectione concludunt Platonici, quorum interpres est Alcinous. Is sic loquitur : « Quoniam autem prima mens præstantissima est, necesse est præstantissimum ei intelligibile propositum esse. Nihil autem seipsa præstantius habet. Quare semetipsam, notionesque suas semper intelliget[c]. » Subscribit ex eadem familia Plotinus, qui « hoc ait proprie esse intelligere, seipsum cognoscere[d]. » Hoc qui negare videtur Aristoteles in secundo *Magnorum moralium*, non negat, sed quod ab imperitis jactari audierat refert, et cujusmodi sit pronuntiare non vult, sed funditus omitti jubet. « Est nimirum jactatus de Deo, inquit, hujusmodi sermo. Nam quoniam bona cuncta obtinet Deus ac sibi sufficiens est, quid faciet? Non enim dormiet. Quid autem contemplabitur? inquiunt. Hoc enim præstantissimum est et imprimis cognatum. Quidnam ergo contemplabitur? Nam si quid aliud contemplabitur, melius aliquid seipso considerabit. Atqui est hoc absurdum, Deo esse melius aliquid. Igitur semetipsum ille considerabit. Atqui istud est etiam absurdum. Si quidem homo qui se ipse contemplatur, tanquam stupidus arguitur. Est igitur absonum, inquiunt, Deum semetipsum contemplari. Verum quid tandem contempletur Deus, omittamus[e]. » Hæc Philosophus, excepta, ut apparet, ex imperitorum sermonibus. Horum priora, quibus se ipsum contemplari Deum asserit, invicta sunt et necessaria, quæ et hoc persuadent, quod capite superiori definitum est, cætera a se diversa Deum in seipso ac per seipsum cognoscere. Quippe qui ut perfectissimus est, sic perfectissimo modo ac ratione cognoscit. Quæ autem populariter ex adverso disputantur, ea levissima sunt, et de hominibus, creatisque cæteris intelligi debent, quæ cum manca et imperfecta sint, sola ad intelligendum proposita esse sine tædio ac stultitia nequeunt. In Deo res aliter se habet, qui et solum, et omne bonum, omneque pulchrum, et omne intelligibile est. Quare nihil aliud præter ipsum, aut nisi per ipsum, ab intelli-

Neque negat Aristoteles.

a MAXIM. apud. Euth. *Pan.* tit. 3. Τοιγαροῦν ἐν τῷ Θεῷ πάντων οἱ λόγοι πεπήγασι, καθ' οὓς ταῦτα ἐκ μὴ ὄντων ἐποίησε.

b DION. cap. VII. lib. *de Div. nom.* Ὅτι καὶ τὰς πάντων αἰτίας ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς προείληφε.

c ALCINOUS, cap. X. Ἐπεὶ δὲ ὁ πρῶτος νοῦς κάλλιστος, δεῖ καὶ κάλλιστον αὐτῷ νοητὸν ὑποκεῖσθαι· οὐδὲν δὲ ἑαυτοῦ κάλλιον· ἑαυτὸν ἂν οὖν, καὶ τὰ ἑαυτοῦ νοήματα ἀεὶ νοοίη.

d PLOTIN. *Enn.* 5. lib. III. cap. XIII. Ὅταν αὐτό τι ἑαυτὸ νοῇ· ὃ δὴ καὶ κυρίως ἐστὶ νοεῖν.

e ARIST. cap. XV. Ἔστι γὰρ καὶ τοιοῦτός τις λόγος ἐπὶ τοῦ Θεοῦ λεγόμενος· ἐπεὶ γὰρ, φησί, πάντα ἔχει τἀγαθὰ ὁ Θεὸς, καί ἐστιν αὐτάρκης, τί ποιήσει; οὐ γὰρ καθευδήσει· θεάσεται δὲ τί, φησίν· τοῦτο γὰρ κάλλιστον, καὶ οἰκειότατον· τί οὖν θεάσεται; εἰ μὲν γὰρ ἄλλο τι θεάσεται, βέλτιον θεάσεταί τι αὐτοῦ· ἀλλὰ τοῦτ' ἄτοπον, τὸ, τοῦ Θεοῦ ἄλλο τι εἶναι βέλτιον· αὐτὸς ἑαυτὸν ἄρα θεάσεται· ἀλλ' ἄτοπον· καὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος, ὃς ἂν αὐτὸς ἑαυτὸν κατασκοπῆται, ὡς ἀναισθήτῳ ἐπιτιμῶμεν· ἄτοπον οὖν ἔστιν εἰ ὁ Θεὸς (φησὶν) ἔσται αὐτὸς ἑαυτὸν θεώμενος· τί μὲν οὖν ὁ Θεὸς θεάσεται, ἀφείσθω.

1 Dec. VIII cap. V. — 2 Lib. IV. cap. VIII.

gente perfectissimo cognosci comprehendique potest.

Et in se universa cognoscit.

II. Sed gentilibus omissis, apud christianos res est exploratissima, Deum perfecte se et in se universa cognoscere. Quod quemadmodum faciat, nemo melius ac subtilius potest declarare quam Augustinus, cujus verba describam. « Novit, inquit, omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio. Sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit et Filius, in se scilicet, tanquam ea quæ nata sunt de iis quæ Pater novit in seipso. In Patre autem, tanquam ea de quibus nata sunt quæ ipse Filius novit in seipso [1]. » Huc spectant illa Dionysii quæ in antecedenti capite habes, in quibus qualis illa cognitio sit exponitur : nimirum cum seipsam divina mens intuetur, simul omnia quorum causa est, intelligere non ordine ac progressione quadam, sed una et simplici notitia. Neque vero confuse, universeque duntaxat, sed distincte ac singillatim perspicit et contemplatur omnia, etiam minutissima quæque. Quod inter Ethnicos vetus poeta pene christiane cecinit his versibus :

Oculum ingentem formidemus, qui et subter [terram
Respicit, et maris magnum profundum, et [quæcumque tegit
Mens hominum : nihil autem abscindit tempus, [sed adsunt
Omnia Deo.

Ὄμμα μέγα τρομέωμεν, ὃ καὶ γαίης ὑπένερθεν
Λεύσσει, καὶ πόντοιο μέγαν βυθὸν, ὅσσα τε κεύθει
Νοῦς μερόπων· τέμνει δ' οὐδὲν χρόνος, ἀλλὰ πάρεστι
Πάντα θεῷ.

Quibus consentientes Ægyptii, ut ait Clemens Alexandrinus, « aures, oculosque exquisita ex materia fingentes diis consecrare solebant, in templis appendentes, ut hoc significarent, Deum omnia videre et audire [a]. » Sic et Thales apud Clementem Alexandrinum, « interroganti cuidam, an quippiam agens latere Deum homo possit : Et quomodo, inquit, qui ne cogitans quidem [b] ? » Addam et Philonis locum elegantem ex libro *de Immutabilitate Dei*. « Deo, inquit, tanquam in puro lumine manifesta sunt omnia. Nam et ad intima usque animæ penetrans, quæ minime aspectabilia sunt cæteris, natura sua perspicue videt, ac prudentia et providentia utens, propriis virtutibus, nihil evagari liberius et comprehensionem suam effugere patitur. Quandoquidem ne futurorum quidem obscuritas ad illum pertinet. Non enim incertum aut futurum est Deo quidquam [c]. »

Etiam singularia.

III. Clemens vero Alexandrinus luculenta oratione totum id fere quod de Dei scientia jam diximus, dicturique sumus, complexus est ita scribens : « Qui ergo dicunt philosophiam non huc a Deo venisse, videntur omnino dicere, fieri non posse ut Deus singularia omnia videat, ac non esse causam bonorum omnium, etsi particularia ista omnia sint. Porro nihil penitus constiterit eorum quæ sunt, si Deus nolit. Quod si volente illo sunt omnia, est a Deo philosophia, qui ejusmodi illam esse voluit qualis est, in eorum gratiam qui alia ratione neutiquam a malis abstinerent. Etenim Deus omnia novit, non solum quæ sunt, sed etiam futura et quemadmodum erit unumquodque, ac particulares motiones prævidens, omnia prospicit et audit omnia, nudam intrinsecus animam videns uniuscujusque etiam e singularibus æternam habet intelligentiam. Et quod in theatris usuvenit, et in partibus cujusque, inspiciendo, circumspiciendo et simul aspiciendo, hoc ipsum et in Deo evenit. Nam simul confertimque omnia et particulatim singula, applicatione una contemplatur [d]. »

a Clem. Alex. lib. V. *Stromat.* Τά τε ὦτα, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς οἱ δημιουργοῦντες ἐξ ὕλης τιμίας καθιεροῦσιν, τοῖς θεοῖς ἀνατιθέντες εἰς τοὺς νεώς· τοῦτο δήπου αἰνισσόμενοι, ὡς πάντα θεὸς ὁρᾷ, καὶ ἀκούει.

b Idem, p. 434. edit. Hein. Πυθομένου δ' ἑτέρου εἰ λανθάνει τὸ θεῖον πράσσων τι ἄνθρωπος, καὶ πῶς, εἶπεν, ὅς γε οὐδὲ διανοούμενος;

c Philo. Τῷ δὲ θεῷ, ὡς ἐν αὐγῇ καθαρᾷ πάντα ἀρίδηλα· καὶ γὰρ ἄχρι τῶν ψυχῆς μυχῶν φθάσας, ἃ τοῖς ἄλλοις ἐστὶν ἀόρατα, τηλαυγῶς πέφυκε καθορᾷν, καὶ προμηθείᾳ, καὶ προνοίᾳ χρώμενος, οἰκείαις ἀρεταῖς, οὐδὲν ἀπελευθεριάζειν, καὶ ἔξω τῆς ἑαυτοῦ καταλήψεως βαίνειν ἐᾷ· ἐπειδήπερ οὐδ' ἡ τῶν μελλόντων ἀδηλότης αὐτῷ συμβατή· οὔτε γὰρ ἄδηλον, οὔτε μέλλον ἐστὶ θεῷ οὐδέν.

d Clem. Alex. lib. VI *Strom.* sub fin. Κινδυνεύουσι τοίνυν οἱ φάσκοντες μὴ θεόθεν φιλοσοφίαν δεῦρο ἥκειν, ἀδύνατον εἶναι λέγειν πάντα τὰ ἐπὶ μέρους γινώσκειν τὸν θεὸν, μηδὲ τῶν πάντων εἶναι τῶν καλῶν αἴτιον, κἂν τῶν ἐπὶ μέρους ἕκαστον αὐτῶν τυγχάνῃ· οὐκ ἂν δὲ τὴν ἀρχὴν ὑπέστη τι τῶν ὄντων ἀβουλήτως ἔχοντος τοῦ θεοῦ· εἰ δὲ βουλομένου, θεόθεν ἡ φιλοσοφία, τοιαύτην εἶναι βουληθέντος αὐτὴν, οἷα ἐστὶν, διὰ τοὺς μὴ ἄλλως ἢ

1 Lib. XV *de Trinit.* cap. XIV.

Quæ de theatri similitudine Clemens hic inserit, iis gemina sunt quæ Petrus Damiani in opusculo sexto et tricesimo [1] posuit : « Plane, inquit, qui in theatro residet non simul omnia videt, quia cum intendit aciem ante se, non videt post se : qui autem non in theatro, sed super theatrum excelsior supereminet, totius undique interiorem theatri ambitum uno comprehendit aspectu. Ita omnipotens Deus, quia omnibus quæ volvuntur, incomparabiliter supereminet, omnia simul suis subjecta conspectibus præsentialiter videt. »

IV. Redeo ad Clementem Alexandrinum, qui de Dei scientia tria quædam disserit, quæ ad illius rationem intelligendam proposita nobis esse debent. Horum primum est, Deum singula minutatim cognoscere, nec universe tantum et secundum genera, quæ confusa est particularium rerum minimeque distincta cognitio. Alterum, idcirco ea nosse, quia nihil eorum non illo volente constitutum est. Tertium denique, non singillatim omnia et unum post alterum cognoscere, sed simul et una simplicique notitia complecti. Hanc exactam et minimas rerum particulas assequentem scientiam Deo tribuerunt philosophi veteres omnes, qui providentiam adstruxerunt. Hæc enim sine accurata singulorum notitia consistere non potest. Quod cum de providentia disputabimus, plenius exponetur. Sunt qui Platonem singularum rerum intelligentiam Deo concessisse probant ex eo, quod ideas omnium constituerit [2]. Sed non est consequens. Nam ideas nullas particularium rerum putavit esse, nec eorum quæ arte constant, neque vilium et abjectorum, ut Alcinous affirmat [3]. Itaque contrarium potius argumentatio ista concludit. Nam si ideæ, ut idem ille postea demonstrat [4], notiones sunt Dei, communium autem rerum et universi tantummodo generis sunt species istæ; sequi hoc videtur, nullam rerum particularium notitiam habere Deum, ac neque contemptarum, neque artificiosarum, nec earum denique quarum exemplaribus caret. Verum aliunde quam ex ideis quædam nosse Deum ex Platonis sententia necesse est, si quidem providentiam ad omnia etiam minima descendentem in mundo constituit, ut ex libro decimo *de Legibus* apparet, de quo postea.

An Plato singularum rerum intelligentiam Deo concesserit.

V. Plotinus quoque nobilis Platonicus eamdem Dei providentiam a summis ad ima ordine progredientem prædicat [a]. Ac de eo sanctus Augustinus sic scribit : « De providentia certe Plotinus Platonicus disputat, eamque a summo Deo, cujus est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena et ima pertingere flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobat [5]. » Non potest autem rerum omnium curam hanc gerere Deus, nisi eas perfectissime norit.

De mente Aristotelis non constat.

De Aristotele non tam liquido constat, cujus est de providentia non omnino explorata sententia, ut alibi demonstrabitur. Quanquam etsi prospicere Deum humanis rebus existimaverit, ut plerique sentiunt; non statim de cognitione omnium argumentari licet. Potest enim fieri, uti quispiam perinde cognitionem Dei ac providentiam et curam præcipuis maximisque circumscribat mundi partibus, quarum ex administratione cætera etiam ignota per sese, naturali ac necessario nexu pendeant. Sed Aristotelem, cæterosque profanos scriptores, imprimis autem interpretem illius Averroem, de cujus opinione litigant philosophi, missos faciamus.

Locus Hieronymi difficilis.

Ex nostris maxime conturbare nos solet Hieronymus, qui in *Commentariis* ad primum caput *Habacuc* « absurdum esse dicit, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascantur culices, quotve moriantur, quæ cimicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. » Verum non de scientia cognitioneque mera iste locus intelligendus est, sed de peculiari illa scientia, quæ providentia dicitur, ut ex iis quæ ante postve scripsit, apparet. Itaque tum cum de provi-

οὕτως ἀφεξομένους τῶν κακῶν· ὁ γάρ τοι θεὸς πάντα οἶδεν, οὐ μόνον τὰ ὄντα, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐσόμενα, καὶ ὡς ἔσται ἕκαστον, τάς τε ἐπὶ μέρους κινήσεις προορῶν, πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει, γυμνὴν ἔσωθεν τὴν ψυχὴν βλέπων, καὶ τὴν ἐπίνοιαν τὴν ἑκάστου τῶν κατὰ μέρος ἔχει δι' αἰῶνος· καὶ ὅπερ ἐπὶ τῶν θεάτρων γίνεται, καὶ ἐπὶ τῶν ἑκάστου μερῶν κατὰ τὴν ἐνόρασίν τε, καὶ περιόρασιν, καὶ συνόρασιν, τοῦτο ἐπὶ τοῦ θεοῦ γίνεται· ἀθρόως τε γὰρ πάντα, καὶ ἕκαστον ἐν μέρει, μιᾷ προσβολῇ προσβλέπει.

a Plotin. velut *Enn.* 3. lib. II. cap. v. Γίνεται τοίνυν ἡ πρόνοια ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος κατιοῦσα ἄνωθεν οὐκ ἴση, etc.

1 Cap. vii.—2 Ruiz, lib. *de Scient. Dei*, disp. ix, sect. 1. num. 15.—3 Cap. ix.—4 Cap. x.—5 Lib. X. *de Civit. Dei*, cap. xiv.

dentia disseremus, Hieronymi dictum illud * in disceptationem vocabitur.

VI. Nunc quod ad scientiam attinet, certissimum id esse debet, omnia quamvis exigua et abjecta sub Dei cognitionem cadere. Quod sacræ Litteræ passim ac luculenta prædicatione commendant.

Probatur e Scripturis Deum omnia etiam singularia cognoscere.

Imprimis enim *Geneseos* capite primo, in ipsa rerum origine ac molitione singillatim opera sua contemplatus esse dicitur Deus, ac vidisse unumquodque esse bonum. Iisdem perfectis, *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Qui quidem contuitus Dei exactam rei cujusque notitiam, approbationemque significat. Item Jobi capite octavo et vicesimo præclare scientia hæc eadem illustratur : *Tempus*, ait, *posuit tenebris, et universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis et umbram mortis* [1]. Et postea : *Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt respicit* [2]. Psalmo nono et quadragesimo : *Meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli*, etc. Et alibi : *Excelsus Dominus et humilia respicit*, *et alta a longe cognoscit* [3]. Pressius hoc et subtilius *Ecclesiastici* liber explicat : *Omnis*, inquit, *sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum. Arenam maris et pluviæ guttas et dies sæculi quis dinumeravit? Altitudinem cœli et latitudinem terræ et profundum abyssi quis dimensus est* [4]? Quæ omnia pervestigari ab sapientia docet, cujus sapientiæ auctor conditorque est Deus. Itaque subjicit : *Unus est altissimus creator omnipotens et rex potens et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, et vidit et dinumeravit et mensus est.* Sic *Estheris* XIV, 14 : *Domine, qui habes omnium scientiam.*

VII. Nominatim vero de hominibus, eorumque corporibus ac membris et cogitationibus atque actionibus et verbis, innumerabilia sunt Scripturæ testimonia, quæ horum singula cognosci a Deo dijudicarique confirmant. Velut *Psalmo* CXXXVIII. *Domine, probasti me et cognovisti me*, *tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti*, etc. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua*, etc. *Jobi* quoque XXXI, 4 : *Non ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat? Proverbiorum*, XV. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos*. Sic in Novo Testamento complura sunt loca quæ idem persuadent. Præcipua sunt autem ea, quæ Dei curam ac providentiam ad minuta quæque pertinere significant. Ut apud Matthæum [5] et Lucam [6], passeres et quæ iis accidunt curare Deus dicitur : tum agri lilia vestire ac volatilia pascere apud eumdem Matthæum [7] : et alia sexcenta quæ per omnes sparsa sunt Scripturæ libros, neque referre hic attinet. Ex quibus impietatis voces ejusmodi ac perfidiæ convincuntur : *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso* [8]? Quod de humanis potissimum rebus usurpatur in Psalmo : dum « qui se existimat ab eo qui omnia videt, non videri, inquit Ambrosius, et tenebris credit commissa sua posse celari, umbram prætendit. Sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, et intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta et profunda descendat [9]. » Respexit autem Ambrosius ad verba illa Jesu filii Sirach, quibus planissime hoc quod agimus modo declarat [10]. Nam impium, peccatoremque redarguens, qui se impune ac nemine conscio, ne Deo quidem ipso, scelus facere putabat : « Et non intelligit, inquit, quoniam omnia videt oculus illius, quo-

* Hoc Hieronymi dictum non modo vocatum in disceptationem fuit a recentioribus passim theologis, verum etiam ab antiquioribus, quos inter excellunt Hugo Victorinus (*Sent.* tract. cap. XII.) et Magister (*Sent.* lib. I. dist. XIX.), qui illud apte et ad præscriptum catholicæ veritatis interpretantur. Sed nobis non tam interpretatione quam accuratiore notitia usus loquendi opus esse videtur, quæ nisi desit, facile intelligemus Hieronymo idem esse *scire* et *adprobare*, eaque notitia circa res versari, quæ cum providentia et cura rerum propter seipsas jungitur, et ad quam idem respicit cum hæc enarrans Jeremiæ (cap. XXXII.) verba : *Numquid mihi difficile sive impossibile erit, aut abscondetur a me omne verbum?* ait : « Sunt qui providentiam Creatoris usque ad rationalia confiteantur, bruta autem fortuitis casibus asserant vel perire vel vivere, propheticusque sermo declarat nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei, quia alia propter se, alia in usum hominum sunt creata. » Et mox : « Quia curæ meæ est omnia regere, universa disponere, et reddere singulis juxta vias suas. » Hac autem *sciendi* potestate animadversa, non major ex Hieronymi verbis oritur difficultas, quam hisce subsit quæ Paulus (I *Cor.* IX.) « *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. E. R.*

1 *Job*, XXVIII. 3.—2 Ibid. 24.—3 *Psal.* CXXXVII.—4 Cap. I. 1-9.—5 *Matth.* X. 29.—6 *Luc.* XII. 6.—7 *Matth.* VI.—8 *Psal.* LXXII. 11.—9 Lib. *de Interpellat.* cap. II ; vide eumd. lib. I. *de Offic.* cap. XIV. — 10 *Ecclesiast.* XXIII. 25 ; vide et *Prov.* XV, 3.

niam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum, et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam omnia crearentur, sunt agnita. Sic et post perfectum respicit omnia. »

Item ex Patribus.

VIII. Quocirca « superbæ et insolentes cogitationes, ait Hilarius[1], Deum non fallunt. Agnoscit omnia, et nihil scientiæ ejus impenetrabile est. » Quod et ejusdem *Ecclesiastici* capite nono et tricesimo Scriptura sic asserit : *Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu ejus*[2]. Apostolus item ad *Hebræos* scribens : *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*[3]. Ephræm Syrus in tractatu *de Vita spirituali* : « Quod si subdole ab adversario nolis in re aliqua supplantari, crede nihil te agere vel cogitare, quod lateat Deum. » Idque ubi Elisæi prophetæ exemplo probavit, qui Syriæ regis arcana consilia, insidiasque Israelitico regi patefaciebat[4], ita concludit : « Si ergo nihil eorum quæ clam fiebant, latebat prophetam, nonne aliquid rerum universarum creatorem latere poterit? Minime vero. Hinc etiam in occulto orare jubemur, etc. »

Est pulcherrimus de hac singularium rerum notitia Cyrilli locus *Thesaurorum* libro XV (ita enim potius Latine reddiderim hoc quod est λόγος, quam *assertionis* vocabulo). Ibi enim Arianos refellens asserentes Deum patrem Verbum suum produxisse velut instrumentum, quo ad res cæteras procreandas uteretur, eo quod non poterant istæ meram et primigeniam, ut ita dicam, vim et efficientiam summi illius auctoris principiique ferre; contra pertendit Cyrillus, nequaquam indignum esse Deo ad hæc minuta et infima descendere. Verba ipsa cum de providentia disputabimus, commodius adscribentur. In quibus et aves et fœnum agri et lilia recenset ex Evangelio, quæ singillatim novit, iisque prospicit divina bonitas.

Cyrillus alter Hierosolymitanus ad idem argumentum locum illum e *Psalmo* CXLVI, 4, merito transfert : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus iis nomina vocat.* Tum ex eo magnitudinem et omnipotentiam illius æstimari jubet, quod singulas etiam pluviæ guttas quæ per totum orbem terrarum decidunt, imo quæ ab orbe condito distillarunt, habet in numerato. Augustinus item in duodecimo *de Civitate Dei*[5], Deum probat omnia quamlibet exilia et incomprehensa, infinita sua cognitione complecti, veluti numeros omnes quamvis infinitos. « Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus. Quapropter si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est[a]. »

IX. Quo ex loco duci argumentatio potest qua istud probetur, Deum singulas res omnes cognoscere. Nam cum sit infinita illius scientia, hoc est infinitas res comprehendat, nihil est quod illam effugiat. Si quid enim esset ejusmodi, jam hoc ipso terminus ei constitueretur aliquis : quippe hoc excepto, reliqua scire diceretur. Ac profecto minime Deus *omniscius* haberetur, falsoque de eo scriptum esset : *omnium hunc habere scientiam*[6] : vel, *omnia quæ sub cœlo sunt, respicere*[7], si vel ulla rerum particula ei esset ignota. Quemadmodum omnipotens non esset, si res esset aliqua quam facere non posset. Hæc enim inter se connexa et conjuncta sunt in Deo, ac pari modulo procedunt, sapientia et potentia : ut utraque infinita sit, ac nihil excludat eorum quæ ad ambas utcumque pertinent. Porro cum individua et singularia, etiam qua singularia sunt, intelligi cognoscique possint (neque enim nihil sunt, sed res aliquæ, et ad genus τοῦ ὄντος pertinent) sub Dei notitiam necessario cadere debent. *Entis.*

Idem probatur ex potentia et efficientia divina.

Frequens apud antiquos theologos ac celebris est illa ratio, quæ ex Dei potentia efficientiaque ducitur, uti singula Deo cognita esse monstretur. Nam ex eo quod auctor omnium et fabricator est, sequitur omnium penes illum esse notitiam. Ita Philo Judæus argu-

[a] CYRIL. HIEROS. cat. VI. Ἠρίθμηνται γὰρ αὐτῷ σταγόνες ὑετοῦ αἱ κατὰ πάσης τῆς οἰκουμένης, οὐ νῦν χυθεῖσαι μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πάντοτε.

1 In *Psal.* CXXXVII. — 2 *Eccli.* XXXIX, 24. — 3 Cap. IV. 13. — 4 Lib. IV. *Reg.* V. — 5 Cap. XVIII. — 6 *Esth.* XIV. — 7 *Job* XXVIII

mentatur in libro, quo immutabilem ostendit esse Deum, nec tantum ex efficientia, sed etiam ex providentia idipsum approbat. « Manifestum igitur est, inquit, et eorum quæ genita sunt, satorem et fabricatorem, artificem et curatorem, eorum quæ in tutela sua habet, necessario scientem esse oportere. At vero pater ille et artifex et curator revera est eorum, quæ in cœlo sunt ac mundo [a]. » Eamdem rationem indicat et Cyrillus Alexandrinus in eo loco cujus paulo ante memini [1]. Et Zacharias Mitylenæus, qui « Deum ait omnia vel antequam existant, cognoscere, ut quæ in ipso sint etiam antequam oriantur. Quippe omnia comprehendit præscia facultate sua quæ producenda sunt [b]. »

X. Sed et Clemens Alexandrinus idem argumentum significat in insigni illo loco quem adduximus, idque secundum est e tribus divinæ scientiæ proprietatibus quas ex illius verbis colligi diximus : nimirum quod cum nihil, nisi eo volente, oriatur et existat, necesse sit perinde ipsum omnia cognoscere, non universe solum, sed etiam singillatim et distincte, eoque magis per singula, quod non aliter a Deo producantur et in rerum natura ponantur quam qua singularia sunt. « Actiones enim circa singularia versantur [c], » ait Aristoteles. Ex quo necessario infertur, res singulas a Deo cognosci. Itaque « sufficere debet, ait Augustinus ut quisque noverit, vel inconcusse credat, quod Deus hæc omnia fecerit. Non enim opinor eum esse tam excordem, ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur [2]. »

Huc illud referri debet quod capite superiori docuimus, Dei scientiam causam esse rerum omnium, tum cognitionem ac scientiam, ipsam illius esse substantiam. Ad hæc, omnia quæ ab se procreantur in sua sapientia cognoscere. Ex his enim sequi necesse est Deum nosse omnia quæcumque molitur, quoniam efficiens causa est hujusmodi, quæ secundum mentem et intelligentiam agit. Adde et ex voluntate ac libertate producere illum universa, quæ extra se profundit. Nihil autem libere voluntas efficit, nisi intelligentia prius cognitum, a qua etiam regitur et ad agendum impellitur.

Quapropter cum nihil sit esseve possit nisi a Deo, et ex ejus scientia elaboratum ac conditum; nihil est omnino quod non ille cognoscat, sive præteritum, sive præsens, sive aliquando futurum, sive quod potest esse, tametsi nunquam sit futurum. Neque tamen sic illa quæ apud nos differentiis sunt distracta temporis intuetur, ut eodem modo atque ut iisdem, sunt implicata differentiis intelligat. Quin potius omnia sive præterita, sive futura, tanquam præsentia considerat. Quæ res ab antiquis theologis decantata, nonnullorum testimoniis illustrabitur sequenti capite ne hoc ipsum longius quam sit necesse producatur.

CAPUT IV.

Deum ita omnia nosse ut ex æterno præsentia illa habeat, non præterita vel futura, demonstratur aliquot veterum Patrum sententiis, quarum nonnullæ velut præterita eadem illa esse significant. Idem et ex gentilibus philosophis adstruitur. Eumdem et privationes ac mala nosse, et quonam modo. Explicatur Dionysii locus. Cur in Deo mala esse non dicuntur, cum sint in ejus præscientia.

I. Divinæ cognitioni ac scientiæ nihil vel præteritum esse vel futurum, sæpe quidem antiqui theologi significant, nonnunquam tamen ut illius firmitatem ac certitudinem exprimant, sic de illis tanquam sint præterita loquuntur, præsentia vero eadem esse, frequentius usurpant, quam duabus illis differentiis affecta temporis : quod eadem de causa eos arbitror fecisse, propter quam rerum notitiam quæ in Deo est etiam postea futurarum, visionem et contuitum nominarunt, ut earum perceptionem claram ac distinctam, sic tanquam rei præsentis, ostenderent. Itaque cum duo sint in illa notione præstantissima, quod et certo omnia, et sine ulla confusione vel

Deo ab æterno omnia præsentia, nihilque præteritum vel futurum.

a Philo. Δῆλον μὲν οὖν ὅτι καὶ τῶν γεννηθέντων τὸν φυτεύσαντα, καὶ τῶν δημιουργηθέντων τὸν τεχνίτην, καὶ τὸν ἐπίτροπον τῶν ἐπιτροπευομένων ἐπιστήμονα ἀναγκαῖον εἶναι δεῖ· ὁ δὲ πατὴρ, καὶ τεχνίτης, καὶ ἐπίτροπος τῶν ἐν οὐρανῷ τε, καὶ κόσμῳ πρὸς ἀλήθειάν ἐστι.

b Zachar. tom. I. *Biblioth. Patrum, Græco-Lat.* Οὕτω καὶ ὁ θεὸς τῶν μηδέπω γεγονότων ὡς ὄντων ἐν αὐτῷ καὶ πρὸ γενέσεως· ἅπαντα γὰρ περιείληφε τῇ προγνωστικῇ δυνάμει τὰ πρὸς γένεσιν παράγεσθαι μέλλοντα.

c Aristot. lib. II. *Ethic.* cap. VII. Περὶ γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα αἱ πράξεις.

1 Lib. XV. *Thesaur.* — 2 Lib. V. *de Genesi ad litt.* c. XV.

obscuritate cognoscat, ut hoc declararent, duo illa tempora sumpserunt. Nam præteritum, extra omnem dubitationis evasit aleam, nec potest aliter habere, sed potest obscurum esse minusque distinctum, ut si oblivione aliqua fuscetur. Quod vero coram est præsensque cernitur, id perspicuum est et evidens. Utriusque igitur et præteriti et præsentis in divina scientia temporis mixtim testes dabo ex ingenti copia paucos duntaxat, e quibus Tertullianus primus prodibit, cujus in tertio [1] *contra Marcionem* illustria sunt ista : « Nam et divinitati competit quæcumque decreverit ut perfecta reputare, quia non sit apud illam differentia temporis, apud quam uniformem statum temporum dirigit æternitas ipsa, et divinationi propheticæ magis familiare est id quod prospiciat, dum prospicit, jam visum, atque ita jam expunctum, id est, omni modo futurum demonstrare. » Hieronymus item initio *Commentariorum in Hieremiam :* « Cui needum facta, inquit, jam facta sunt, secundum illud quod Apostolus loquitur : *Qui vocavit ea quæ non erant, quasi ea quæ essent* [2]. » Basilius in Isaiam apud Damascenum : « Quod apud nos dicitur, nunc, momentaneum, inquit, et individuum temporis significat. In Deo autem omnia secundum sensum instantis quod nunc dicitur, proposita sunt. Nihil enim ipsius præteriit, neque futurum est. Sed omnia præsentia sunt, et quæ a nobis e longinquo expectantur, velut jam præsentia divino oculo prospiciuntur [a]. » Et Diadochus apud eumdem : « Quæ nondum sunt, velut præsentia Deus intuetur. Si enim in aliqua specie divina illa et inexplicabilis esset natura, non ea quæ nondum existunt, velut jam existentia contemplaretur [b]. » Vide Fulgentium libro *de Prædestinatione et gratia*, capite v.

Idque approbatur ex Patribus.

II. Egregius est et Ambrosii locus in libro quinto *de Fide*, capite VII., in quo Christum probat diem nosse judicii, quod futura perinde videt ac præsentia, et pro factis habet ac præteritis. « Sed dicis, inquit, quia præsentem novit, nescit futurum. Licet inepta sit propositio, tamen ut de Scripturis satisfaciam tibi, disce quod non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt, sicut scriptum est : *Qui fecit quæ adventura sunt* [3]. Et alibi ait Scriptura : *Per quem et facta sunt sæcula. Splendor est gloriæ et character substantiæ ejus. Sæcula enim et præterita et præsentia et futura sunt.*

Theodoretus in quæstione XXXVII *in Genesim :* « Universorum, inquit, Deus natura quidem est immutabili : novit autem ea quæ nondum facta sunt, tanquam jam facta sint [c]. »

Gregorius vero Nyssenus hujus quoque rei causam affert, cur scilicet Deo sint omnia præsentia. Hoc enim distare ait creaturam a creatore suo, quod illa tam loco quam tempore definita sit. « At vero illa nullius indigens rei et æterna, et ea quæ sunt complexa natura neque in loco est, neque in tempore [d]. » Mox consentaneam naturali huic proprietati scientiam illius esse confirmat, cui adsint omnia præsentia. Quem Gregorii Nysseni locum superiore libro jam retuli, ubi de Dei æternitate agitur [4].

Hilarius in duodecimo libro *de Trinitate* copiose hunc locum exornat : « Quid ergo est, inquit, præparanti Deo cœlum genitam ab eo adesse sapientiam, cum nec creatio cœli ex præparatione consistat, neque naturæ Dei sit, in apparatu cogitandi operis commorari? Nihil enim non semper cum Deo fuit quidquid in rebus est, quæ etsi ad creationem sui cœpta sunt, non sunt tamen a Dei vel præscientia vel potestate inchoata. Et testis est nobis Propheta dicens : *Deus, qui fecisti omnia quæ futura sunt* [5]. Quæ enim futura sunt, licet in eo quod creanda sunt, adhuc fient, Deo tamen cui in creandis rebus nihil novum ac recens est, jam facta sunt, dum et temporum dispensatio est ut creentur, et jam in divina virtutis et præscientiæ efficientia sint creata. Et ideo nunc sapientia natam se ante sæcula docens,

a Basil., apud Damasc. *in Eclog.* tit. 47. Τὸ νῦν ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἀκαριαῖον, καὶ τὸ ἀδιαίρετον τοῦ χρόνου σημαίνει· ἐπὶ δὲ Θεοῦ πάντα κατὰ τὴν τοῦ νῦν αἴσθησιν παράκειται· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ παρῆλθεν, οὐδὲ μέλλει· ἀλλὰ πάντα ἐνέστηκε, καὶ τὰ πόῤῥωθεν ἡμῖν προσδοκώμενα ὡς ἤδη παρόντα ὑπὸ τοῦ θείου ὀφθαλμοῦ καθορᾶται.

b Diadoch. ibid. Τὰ μηδέπω ὄντα ὡς παρόντα μόνος ὁ Θεὸς καθορᾷ· εἰ γὰρ ἐν εἴδει ἦν ἡ θεία ἐκείνη, καὶ ἄφραστος φύσις, οὐκ ἂν τὰ μηδέπω ὄντα ἐθεώρει ὡς ὄντα.

c Theod. Ὁ δὲ τῶν ὅλων Θεὸς ἄτρεπτον μὲν ἔχει τὴν φύσιν· οἶδε δὲ ὡς ἤδη γεγενημένα τὰ μήπω γεγενημένα.

d Greg. Nyssen. lib. I. *cont Eun.* Οὐ γὰρ ἐνδέχεται τι τῶν διὰ κτίσεως γεγονότων ἢ γινομένων μὴ πάντως ἢ ἐν τόπῳ, ἢ ἐν χρόνῳ τὸ εἶναι ἔχειν· ἡ δὲ ἀπροσδεὴς, καὶ ἀΐδιος, καὶ τῶν ὄντων ἐμπεριεκτικὴ φύσις οὔτ' ἐν τόπῳ ἐστὶν, οὔτε ἐν χρόνῳ, etc.

1 Cap. v. — 2 *Rom.* iv. — 3 *Isa.* xlv. — 4 Cap. iv. — 5 *Isa.* xlv. 11.

anteriorem se non solum his quæ creata sunt docet, sed æternis coæternam, præparationi scilicet cœli et discretioni sedis Dei. » Ac mox : « Perpetua enim et æterna rerum creandarum est præparatio : neque partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum est. » Hæc igitur in præparatione de qua Salomon *in Proverbiis* loquitur [1], hoc est in Dei cognitione et idea, quæ in tempore condita sunt, ex æterno extiterunt.

III. Hinc morem illum Scripturæ de quo initio capitis dixi, natum esse testis est Ambrosius « ut quæ futura sunt, vel quasi præsentia, vel quasi facta dicantur, etc. Deo enim quæ sunt futura, præsentia sunt, et ei cui præcognita sunt omnia, ventura perfecta sunt, sicut scriptum est : *Qui fecit quæ ventura sunt* [2]. Qui locus ex Esaiæ quinto et quadragesimo capite sumptus est ex LXX seniorum editione, etsi aliter habeat Hebraica Latinaque versio : *Hæc dicit Dominus sanctus Israel plastes ejus : Ventura interrogate me* [a]. Quod non minus ad propositum nostrum attinet. Nam ex eo quod futura Deus intuetur, efficitur hæc ab eo tanquam præsentia cognosci. Cæterum illo Esaiæ loco complures veterum usi sunt ad affirmandam Dei præscientiam, de qua mox. Idem porro Ambrosius alibi : « Deus tanquam æstimator universitatis prævidens quæ futura sunt, quasi perfecta jam laudat ; quæ adhuc in primi operis exordio sunt, finem operis cognitione præveniens. Nec mirum si apud quem rerum perfectio non in consummatione operis, sed in suæ prædestinatione est voluntatis, laudat singula [3], etc. »

Augustinus in quinto libro *de Genesi ad litteram* [4] : « Nihil horum, inquit, quæ fecit existens et omnia primitus habens, sicut ipse est. Neque enim ea faceret nisi ea nosset antequam faceret, nec nosset nisi videret, nec videret nisi haberet, nec haberet ea quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus. » Et capite octavo decimo : « Hæc igitur antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant, quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota enim fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, et erant et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura. » Sic in undecimo *de Civitate Dei* [5], quem locum antea citavimus. Et in decimo quinto *de Trinitate* [6] : « Quis ergo hominum potest istam sapientiam qua novit Deus omnia, ita ut nec ea quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant, sed et præterita et futura cum præsentibus sint cuncta præsentia, nec singula cogitentur et ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint universa? »

IV. Habet igitur apud se Deus omnia præsentia *non in natura sua sed in præscientia sua* [7], ut et alio loco dicit auctor libri *de Prædestinatione et gratia* [8]. « Mundus, inquit, quamvis pro tempore ex quo factus est cœperit, in illa divina præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium. Et quanticumque vel ex Adam usque in hodiernum diem homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis sunt propagine nascituri, apud Deum nati sunt jam, et decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo nihilominus divini obtutus lumine permanentes. » Dionysius item in libro *de Divinis nominibus* eidem dogmati suffragatur [9], ut ex illius verbis intelliges quæ supra reddidi.

Gregorius Magnus « omne, inquit, quod nobis fuit et erit, in ejus prospectu præsto est [10]. » Idcirco præscientiam proprie in Deo esse non putat, quod postea dicetur.

Accedat et Boetius, qui in libro quinto *de Consolatione philosophica*, postquam Dei æternitatem constituit, quæ nullam temporis differentiam habet, sed omnia simul uno et individuo modo complectitur, similem ejus esse scientiam his verbis declarat : « Est autem, inquit, Deo semper æternus ac præsentarius status. Scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præscientiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat [11]. » Paucis hoc, sed acute conclusit Marius Victor initio libri primi *Cosmopœiæ*.

Et quidquid tempora volvunt,
Præsens semper habet.

Petrus item Damiani in opusculo *de Divina*

a Isa. Ὅτι οὕτως λέγει κύριος ὁ θεὸς ὁ ἅγιος Ἰσραὴλ, ὁ ποιήσας τὰ ἐπερχόμενα.

1 Cap. VIII. — 2 Lib. I. *de Fide*, cap. VII. — 3 Lib. II. *Hexaem.* cap. V. — 4 Cap. XV. — 5 Cap. X. — 6 Cap. VII. — 7 Serm. 11. *de Verb. Apost.* cap. IV. — 8 In appen. tom. VI. Aug. cap. V. — 9 Cap. VII ; vide sup., cap. I. — 10 Lib. XX. *Moral.* cap. XXIII. — 11 Lib. V. *de Consol.* prosa 5.

omnipotentia : « Sed ille non solum in æternum, ait, sed in æternum regnat et ultra, qui cuncta sæculorum volumina intra provisionis suæ continet sinum, et non tanquam præterita vel futura, sed ut revera præsentia suoque subjecta conspectui, perspicacissimo comprehendit intuitu[1]. » Et postea : « Creatori omnium Deo omnia posse coæternum est, sicut et omnia nosse, quodque intra sapientiæ suæ sinum sic omnia tempora, præterita scilicet, præsentia et futura concludit, figit ac perenniter sistit, ut neque novum aliquid ad se patiatur accedere, nec a se quidquam prætereundo transire[2]. » Plura de iis sequenti capite trademus, quod de futurorum præscientia nominatim instituimus.

V. His omnibus christianis theologis quos e multis paucos attulimus, addi possunt et minime christiani philosophi, qui æternitatis Dei hanc esse rationem prædicant, omnia ut ei sint præsentia, nec futurum quidquam dici debeat. Hinc enim sequitur, nihil a Deo nisi tanquam præsens intelligi. Habes autem complura de hac re testimonia veterum in libro superiore, ubi de æternitate agitur[3].

Ex ipsa natura æternitatis.

Quæ si tota simul esse debet, neque per partes priores posterioresque diffusa, etiam illud, quod in ea, imo per eam cognoscitur, sine ulla successione capitur. Etenim cognitio itidem habet ut natura ipsa vel substantia cognoscentis. Ea si actionem habet multiplicem, eamque certo spatio dimensam et a se distinctam, cognitas res sub illa qua continentur differentia temporis intelligit. Sin divisionis omnis ac compositionis est expers, atque in perfecta et individua monade consistit, totumque illud est quod habet in sese, cujusmodi Deum esse in secundo libro demonstravimus; nihil ab ea nisi qua præsens est atque omni caret temporis differentia percipitur.

Quam rationem expressit Gregorius Nyssenus in eo loco quem superius hoc in capite retulimus, et ante hunc Irenæus antiquos illos hæreticos refellens qui in Deo prolationem nescio quam et cogitationem sive intelligentiam ab ipsius substantia separabant, ex quo fiebat ut ordo quidam in cogitando et successio locum haberet apud Deum. Quos ille confutat sic : « Deus autem cum sit totus mens, totus ratio et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem, et similiter existens, sicut et utile est nobis sapere de Deo, et sicut ex Scripturis discimus; non jam hujusmodi affectus et divisiones decenter erga eum subsequentur[4]. » Et in capite sequenti : « Deus autem totus existens mens, et totus existens logos, quod cogitat, hoc et loquitur, et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim logos, et logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater. Qui ergo dicit mentem Dei, et prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens. » Quæ Irenæi verba de λόγῳ, id est, *Verbo* accipienda sunt secundum οὐσίαν, non autem secundum personalem proprietatem et habitudinem. Cæterum λόγος, si οὐσιωδῶς spectetur, ipsa Dei est essentia, et notitia vel intellectio substantialis, quæ ab ipsa substantia non differt, atque adeo perinde atque ipsa successionem omnem rejicit, ac tota in sese collecta sine ulla divisione consistit.

Substantiam. Verbum si substantialiter.

Quocirca, ut recte Ammonius in commentario ad librum Aristotelis *de Interpretatione* docet : « In divinitate præteritum aut futurum considerari non potest. Sed omnia in ipsa in uno nunc, videlicet æternitate, stabilita sunt[a]. » Quod ipsum multo magis Platonicorum decreto consentaneum est, qui ideas et exemplaria rerum statuunt, æterna et immutabilia, quorum in contemplatione Deus acquiescit. Quare omnia necesse est ab illo tanquam præsentia cognosci.

An Deus peccata cognoscat.

VI. Postremum illud ad complendam quæstionem istam superest, idque perbrevi oratione perstringendum, utrum Deus non ea tantum quæ revera dicuntur existere, hoc est τὰ ὄντα, cognoscat, sed etiam ea quæ nudæ sunt illorum privationes, maxime peccata. Neque enim satis expeditum hoc videtur, quemadmodum ea quæ nihil sunt, neque in ipsius natura continentur, imo vero quæ maxime odit ac detestatur, in seipso videre possit, qui nihil nisi in se ac per suam substantiam intelligit, et quidem per eam qua est causa rerum illarum efficiens, cujusmodi Deus malorum causa non est. Hunc nodum implicat Maximus martyr apud Euthymium. « Deus, inquit, cum sit cognitio secundum

a Ammon. Ἐπὶ θεῶν ἀρχῆς ἐχόντων πρὸς τὰ ὄντα λόγον, τὸ παρεληλυθὸς, ἢ τὸ μέλλον θεωρεῖσθαι, ἀδύνατον· ἀλλὰ πάντα παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ τῷ νῦν ἐστι τῷ αἰῶνι ἱδρυμένα.

1 Opuscul. 36. cap. vii. — 2 Cap. xv. — 3 Cap. iv. — 4 Iren. lib. II, cap. xlvii.

substantiam, solam boni notitiam habet, ut qui solius boni natura sit. Omnis vero rationalis post Deum natura habere simul et eodem tempore in simplici intelligentiæ motu boni ac mali cognitionem non potest, quandoquidem ita natura comparatum est, ut istorum quæ sibi opposita sunt, alterius cognitio alterius ignorationem afferat. Nam neque oculus sursum ac deorsum eodem tempore aspicere potest, vel ad dextram et sinistram [a]. » Verum ex natura ipsa divinæ cognitionis potest quæstio illa dissolvi. Deum enim jam diximus tam se quam creata omnia in semetipso cognoscere, sed paulo diversa ratione. Se ipsum enim per substantiam suam absolute novit, cætera vero per eamdem substantiam quatenus causa est eorum efficiens, vel quod idem esse monstravimus, in sapientia sua quæ omnium est artifex. Pro eo igitur ac singulorum causa est effectrixque Dei sapientia, ita omnia illa cognoscit. Ac per se quidem et directe causa est eorum quæ sunt, imprimis autem honestorum, malorum autem et privationum nonnisi ex obliquo et quasi ex accidenti, quod alibi fusius exponetur. Quamobrem bonorum et eorum omnium quæ sunt notitiam capit ex sese, et ex ideis, sive exemplaribus illorum propriis, de quibus paulo post, eaque cognitio directa dici potest. Malorum autem et eorum quæ nihil sunt, tanquam ex obliquo; dum ens ac bonum iis contrarium intelligens, privationem ejus una comprehendit. Hujus responsionis ansam nobis præbet Dionysius in illo loco quem supra retuli, in quo Deum aiebat omnia in seipso et in substantia sua tanquam eorum causa cognoscere, non ita tamen ut per propriam cujusque speciem et ideam in unumquodque sit intentus, sed ut secundum unicam causæ præstantiam omnia norit et contineat [b]. »

VII. Quo in loco suspicabamur κατ' ἰδίαν pro κατ' ἰδέαν scripsisse Dionysium, ut sensus sit, Deum non ita res cognoscere, ut a singulis earum speciem hauriat atque ita singillatim cognoscat. Verum quoniam interpretes omnes, ut Maximus et Pachymeres, necnon Latini pristinam lectionem retinent; sic eam exponimus ut asserat, Deum in se suaque substantia, tanquam causa efficiente, continenteque, res omnes intueri, sic ut ipsas unica et singulari substantiæ suæ contemplatione simul intelligat, quod in sequentibus verbis clarius exponit, quæ in primo hujus libri capite posui. Sed idem Dionysius hoc quod dixerat, Deum in se velut in causa, cætera cognoscere, exemplo quodam approbat, quod et præsentem ad rem facere docui, et interpretes nonnulla ambiguitate distrahit. Subjicit enim mox ista : « Quemadmodum lux secundum causæ rationem in seipsa tenebrarum notitiam ante complectitur, non aliunde tenebras quam ex luce cognoscens [c]. » Ibi quoniam privationem luminis in lumine cognosci ait, adeo ut si rationis compos esset lumen, non per speciem propriam, sed per semetipsum tanquam causam, tenebras intelligeret; ideo videri potest de peccati notitia privatim loqui voluisse. Verum Maximus id unum significari putat, quemadmodum Deus in se tanquam in causa, universa percipiat, tenebras porro in lumine perinde atque in causa contineri, quatenus si se lumen contrahat et subducat, existunt repente tenebræ, ac lumen ipsum hoc modo tenebras cognosceret si rationem et intelligentiam haberet. Licet tamen ex iisdem Dionysii verbis colligere, qua ratione Deus ea quæ negantia vel privantia dicuntur, ac mala ipsa et peccata noverit. Non enim ea per se ac propriam speciem intuetur, sed per ea quibus opposita sunt, et in quibus velut causis ex accidente continetur, ut Maximus, Georgius Pachymeres ac cæteri Dionysii interpretes affirmant.

VIII. Hinc illa dissolvi quæstio potest quam Petrus Lombardus accurate disputat [1], cur in Deo mala non esse dicantur cum utique in Dei præscientia sint quæ ab ipso Deo ejusque

Cur in Deo mala non esse dicantur, licet in ejus præscientia sint.

a Maxim. *Panop.* par. I. tit. 3. Ὁ θεὸς γνῶσις ὢν κατ' οὐσίαν, τὴν γνῶσιν τοῦ καλοῦ μόνην ἔχει, ἅτε μόνου τοῦ καλοῦ φύσις ὤν· πᾶσα δὲ λογικὴ μετὰ θεὸν φύσις ἔχειν ὁμοῦ, καὶ κατὰ ταὐτὸν ἐν τῷ τῆς διανοίας ἁπλῷ κινήματι καλοῦ, καὶ κακοῦ γνῶσιν οὐ δύναται· διότι πέφυκεν ἡ θατέρου τῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις γνῶσις ποιεῖν τῆς τοῦ ἑτέρου γνώσεως ἄγνοιαν· καὶ γὰρ οὐδ' ὀφθαλμὸς ἄνω καὶ κάτω δύναται κατὰ ταὐτὸν ἰδεῖν, ἢ δεξιὰ, καὶ ἀριστερά.

b Dion. c. I. *de Divin. nom.* Οὐ κατ' ἰδέαν ἑκάστοις ἐπιβάλλων· ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας ὑπεροχὴν τὰ πάντα εἰδὼς, καὶ συνέχων.

c Ib. Ὥσπερ καὶ τὸ φῶς κατ' αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τὴν εἴδησιν τοῦ σκότους προείληφεν, οὐκ ἄλλοθεν εἰδὼς τὸ σκότος, ἢ ἀπὸ τοῦ φωτός.

1 Lib. I. dist. 36.

substantia minime differt. Responderi enim potest, etsi in Dei scientia adeoque substantia, tanquam objecta contineantur, non tamen sic tanquam in subjecto, quomodo nos ista capimus; quoniam non in idea exemplarique suo ac proprio comprehenduntur. Quæ ratio multo aptior est quam quæ ab aliis affertur, ut ab Lombardo ipso : ideo non esse in Deo mala, quia non ea Deus approbat. Minus enim istud ad rem pertinet. At illi consentaneum est quod Augustinus ab eodem Lombardo citatus ait : Cum audimus « omnia ex ipso et per ipsum et in ipso, omnes utique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter sunt. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturam non servant sed vitiant [1]. » Etenim nihil in Deo inesse dicitur nisi quod ab illo, velut causa, oritur. Nihil autem oritur et fit a Deo, nisi quod naturam habet, quæ in malis est nulla. Porro Lombardus in illis Apostoli verbis quæ ab Augustino citantur, existimat, *in ipso*, id significare quod in proposita quæstione agitur, ut sit contineri in Deo ac Verbo[2]. Sed aliud Græca vulgata præferunt, nempe εἰς αὐτόν, *in ipsum*, ut finis omnium creatarum rerum dicatur esse Christus. Videtur tamen Latinus noster interpres legisse ἐν αὐτῷ, quod eo sensu quem Lombardus adstruit, intelligi potest. Nisi quis præpositionem ἐν, Hebraica consuetudine, vim ipsam virtutemque significare velit per quam agit primaria causa. Neque enim ad divini Verbi majestatem instrumenti est adhibenda notio, quæ plurimum eadem illa præpositione continetur. Sic in epistola *ad Colossenses: Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra* [3], quæ idem valent ac si diceret, per Filium universa esse condita. Nec perinde sonant ac quæ mox subjicit : *In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter*[4]. Hic enim *in ipso* non est *per ipsum*, sed inesse revera in Christo divinitatem omnem significat. Quocirca Lombardus hallucinatus est qui ad illum Augustini locum, qui ad negotium attinere potest, adjunxit et Ambrosii alterum qui est penitus alienus. Ambrosius enim asserit « hæc tria in Christo unum esse, cum ipso et per ipsum et in ipso. [5] » Lombardus vero credidit *in ipso* idem esse atque inesse in Christo omnia. Sed non est. Si quidem Apostoli verba illa declarat Ambrosius quæ in epistola *ad Colossenses* leguntur. *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt* [6]. Ubi *in ipso* non potest eo sensu accipi quo Lombardus existimat. Sed plane τὸ συναίτιον et communem cum patre efficientiam ostendit, et idem est, Ambrosio interpretante, quod *per ipsum*.

CAPUT V.

Explicatur illius præsentiæ modus, quo res omnes ab æterno Deo præsentes esse dicuntur. Duæ hac de re explicatæ sententiæ. Ostenditur ex Patrum sententia non videri reipsa, sive reali coexistentia, præsentes esse. Easdem res dici aliquando præteritas, idque quo sensu, aut etiam cur præsentes dicantur, exponitur. Neutrum proprie usurpari, nec aliter quam potestate et ut in idea contineri in Deo.

I. Sed oritur ex iis quæ tam hoc quam superiori capite, sed et antecedente libro diximus, ubi de æternitate Dei actum est, perdifficilis quæstio. Nam sæpe hoc usurpatum a Græcis Latinisque Patribus illic ostendimus, nihil esse futurum Deo, sed ei omnia esse præsentia. Quod tamen absurdum dictu videri possit. Hoc enim posito tam antichristus, quam quidquid in omni deinceps temporis æternitate futurum est, Deo jam præsens erit. Atqui quod nondum est, nihil est, neque cum eo quod est existit, aut ei præsens est. Nisi enim est, non est præsens, uti nihil album aut calidum est, si omnino non est. Hic status est perplexæ ancipitisque controversiæ quæ magnis in schola pugnis et clamoribus agitata nobilissimas in ea factiones invicem commisit, cum quidem bifariam de illa sint sententiæ. Etenim sanctus Thomas[7], et qui ab eo magistro nomen sumpserunt, res omnes « quæ sunt in tempore, *Deo ab æterno præsentes esse* volunt, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate*. » Porro *præsentialitas* illa quam dicit, ipsa

Quomodo res omnes Deo ab æterno sint præsentes.

Duæ de illa quæstione sententiæ.

* Inter assertores hujus opinionis (quæ duplici coalescit parte, quarum prior est, omnia quæ fuerunt aut erunt adesse Deo atque cum Deo in æternitate coexsistere non modo secundum esse objectivum, verum etiam secundum

1 Lib. *de Nat. boni*, cap. XXVIII. — 2 *Rom.* XI, 36. — 3 *Coloss.* I. 16. — 4 Ibid. 19. — 5 Lib. III. *de Spiritu sancto*, cap. XII. — 6 *Coloss.* I. 16. — 7 In 1. par. q. 14. art. 13. et 1. *cont. Gent.* cap. LXVI. ad 6.

creatarum rerum præsentia est, non Dei. Nam eodem loco, hoc est in prima parte, statim ista subjicit : « Unde manifestum est quod contingentia, et infallibiliter a Deo cognoscuntur, inquantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialitatem, et tamen sunt futura contingentia suis causis comparata. » Et in primo *contra Gentes*, æternitatem quæ puncti instar est, nullam habens extensionem, *cuilibet tempori vel instanti temporis præsentialiter adesse* scribit, idque circuli exemplo utcumque declarat, in quo punctum quodlibet quod est in ambitu, etsi individuum est, non tamen *cuivis alteri puncto situ proximum est ut existat cum eo.* At centrum quod in medio positum est, cuilibet puncto, quodcumque tandem designatum fuerit in ambitu, ex adverso respondet. Ita « quidquid in quacumque parte temporis est, coexistit æterno, ait S. Thomas, quasi præsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum vel futurum. » Et in Compendio theologiæ cap. CXXXIII : « Contingentia dicit, licet prout sunt in suis causis, virtute futura existentia, non sint determinata ad unum, ut de eis certa cognitio haberi possit ; tamen prout sunt actu in suo esse, jam esse determinata ad unum, et posse de eis certam haberi cognitionem. » Ac Deum proxime ante dixit futura cognoscere *prout sunt actu in suo esse.* Quod etiam in primo *Sententiarum* distinct. XXXVIII quæstione secunda docuit. Hunc plerique theologi sequuntur, aliis * ex adverso pugnantibus, qui non reipsa præsentes esse Deo res futuras existimant, sed objici tantummodo illius cognitioni, cum non actu sed potestate adhuc existant, quod *esse objective* nominant, non *reali coexistentia.* Cujusmodi et sancti Thomæ mentem fuisse, non qualem hujus discipuli complures prædicant, interpretando suadent.

II. Credo neminem a me hic expectaturum esse ut eam litem tanquam cognitor arbiterque disceptem, aut alterutri parti suffragator accedam. Non enim scholarum me concertationibus interponere debeo, qui antiquioris tantummodo theologiæ, non recentioris istius et in controversiis occupatæ scita et decreta persequor. Nihil autem quæstione de ista traditum extat in scriptis veterum, quod liquido et diserte rem definiat. Sed in utramvis partem trahi possunt omnes illæ de æternitate sententiæ, quas hoc et antecedente in libro congessimus. Quanquam hoc præcipuum habent argumentum qui ad priorem sectam adhærescunt, quod aperte sentire ita Patres antiquos asserunt. Sed si quis præjudicatam ad illos legendos opinionem non afferat, nullum in iis satis idoneum firmamentum reperiet. Etenim plerique veterum illorum futuras res non præsentes æternitati vel Deo, sed præteritas jam esse dicunt. Quare uti cum præsentes easdem esse legunt apud illos, satis hoc sibi esse ducunt, ut *realiter coexistere* Deo (sic enim loquuntur) affirment ; ita cum præteritas audiunt, non jam existere sed extitisse et esse desiisse suspicari debent. Hæc enim præteriti conditio est ut non sit amplius, sed ante fuerit. Atque hæc præteriti pro futuro ponendi temporis consuetudo familiaris est prophetis, cujus causam attulimus paulo ante, ut certo rem fore et omnino id quod prædictum sit, eventurum esse demonstrent. Quod inter cæteros Novatianus libro *de Trinitate,* cap. XXVIII ita declarat : « Sæpe enim Scriptura divina quæ nondum facta sunt, pro factis adnuntiat, quia sic futura sunt : et quæ omnibus modis fieri habent, non quasi futura sint prædicat, sed quasi facta sint narrat. » Quod variis exemplis adstruit. Ut cum Esaiæ IX dicitur : *Puer natus est nobis.* Et capite LIII : *Oblatus est quia ipse*

De hac quæstione Patres silent.

realem præsentiam et actualitatem quam suis quæque temporibus sortiuntur ; altera est, ejusmodi reali coexsistentia rationem contineri ; qua futura a Deo certissima sciuntur) numerari maxime debent tum Bannes (In I. p. q. XIV. art. 13), Zumel (Tom. III. *Variar. dub.* I.), Alvarez (*De auxiliis*, lib. II. disputat. VIII, IX), Ledesma (*De auxiliis* disput. II) et plerique recentiores Thomistæ, tum rex antiquioribus Capreolus (In I. dist. XXXVI, XXXVII, XXXVIII.), Richardus (In I. dist. XXXIX. art. 1. q. I.) Marsilius (In I. q. XL. art. 2) et Abulensis (In *Josue* qq. LXVIII-LXXVI). Quapropter non satis assequimur quid sibi Cajetanus (In I. q. XIV. art. 13.) voluerit inquiens, sibi omnium primo spiritus non defuisse vindicandi Thomæ, cujus mentem sibi quoque pluribus annis imperviam profunda tandem meditatione perspexerit. *E. R.*

* Qui ex adverso pugnant, numero sunt plurimi et auctoritate gravissimi : ex adverso namque cum Scoto (In I. dist. XXXIX. q. I.) pugnant omnes scotistæ : pugnant Sorbonici, quemadmodum ex iis patet quæ Philippus Gamachæus (In I. p. q. XIV. cap. III) et Nicolaus Ysambertus (In I. p. ad q. XIV. disputat. VII. art. 3. *seqq.*) tradunt : pugnant e nostratibus plerique omnes cum Lessio (*De auxiliis* cap. XX. et *De div. perfect.* lib. VI. cap. II. n. 20.), Vasquio (In I. p. disput. LXIV), Suario (Opusc. *De scient. Dei* lib. I. cap. VII), Ripalda (*Quæstt. theolog.* opusc. II. prælud. IV. nn. 82 seqq.) et Antonio Perez (*De scientia Dei*, disput. III. cap. IV. et *De Intellegent. Dei*, disput. VI. art. 13. cap. VIII) : neque e Thomistis desunt qui ex adverso pugnent, uti iis planum erit qui Dezam (In I. dist. XXXVIII. q. II. art. 2) et Lezanam (Tract. IV, disput. III. q. II.) diligenter consulant.

oluit, et cætera capitis ejusdem de Christo prædicta, quemadmodum et in toto Psalmo XXI; *Super vestem meam miserunt sortem. Dinumeraverunt omnia ossa mea*, etc.

III. Sic Apostolus in epistola *ad Ephesios: Conresuscitavit* (nos) *et consedere fecit in cœlestibus*[1], etc. Quod de futuro statu resurrectionis interpretatur Chrysostomus et alii vulgo. Hieronymus vero[2], itidem ut Novatianus, morem illum Scripturæ adnotat : « Quod juxta præscientiam Dei id quod futurum est, quasi factum esse jam dixerit; et quia mos iste sit Scripturarum ut interdum futura tempore præterito declarentur. » Cujus rationem hanc subjicit : « Hoc autem ideo, ne quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet et vacillet, ea quæ Deus futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi jam facta memorantur. Ut quia præterita secundum philosophos quoque fieri infecta non possunt, quia audierunt (*corr.* qui audierunt) quasi jam facta habeant quæ futura sunt. » Nec Anselmi locus ille prætereundus est ex libro *de Concordia præscientiæ Dei et liberi arbitrii :* « Quoniam, inquit, quæ tempore præterita sunt, ad similitudinem æterni præsentis omnino immutabilia sunt. In hoc siquidem magis similia sunt æterno præsenti temporaliter præterita quam præsentia, quoniam quæ ibi sunt, nunquam possunt non esse præsentia, sicut temporis præterita non valent unquam præterita non esse, præsentia vero temporis omnia quæ transeunt, fiunt non præsentia. » Luculentus hic locus est in quo præteritum tempus ad æternitatem et ejus immutabilem declarandum statum aptius esse demonstratur quam futurum. Unde et communis etiam usus obtinuit ut quæ certo fore pollicemur, jam esse facta dicantur. Unde illud *factum puta*. Et Seneca Hercule furente :

Lycus Creonti debitas pœnas dabit.
Lentum est, dabit, dat, hoc quoque est [lentum, dedit.

Ut certo res futura monstretur.

Ex Patrum sententia non videtur res omnes reali coexistentia Deo esse præsentes.

IV. Quocirca cum nemo sit qui ab æterno res futuras, esse præteritas serio defendat, aut istiusmodi in Scripturis lecta, vel Patribus, proprie dici ac non tropice figurateque sibi persuadeat; ita non debet ex eo quisquam præsentes ab æterno res easdem et æternitati *coexistentes* putare, quod præsentes dici apud illos animadvertat; præsertim[3] cum nonnulli veterum tam præsens quam futurum ac præteritum tempus abjudicent ab æternitate. Itaque si præcise ac proprie nos loqui delectat, non magis sunt omnia Deo præsentia quam præterita vel futura. Si quidem præsens, qua præsens est, præteritum non est neque futurum. Ut minus proprie loqui constet eos qui *realem præsentiam* vel *coexistentiam* cum Deo et æternitate futuris rebus assignant. Non enim ἐνεργείᾳ, id est *actu*, sed δυνάμει sunt ac *potentia*. Atque ita Theophylactus et Œcumenius quæ ab Apostolo in secundo capite ad Ephesios scripta memoravi, συνήγειρε καὶ συνεκάθισε[a], adnotat *nunc quidem potentia, olim vero actu ipso fieri*. Nimirum quamdiu futura sunt nec existunt reipsa, neque *coexistunt* aut *præsentiam realem* habent ullam. Sed ideo vel esse vel fuisse, id est facta esse dicuntur, quia necessario futura sunt, non autem quia necessario vel existunt vel, quod nisi hoc posito constare non potest, simul existunt cum Deo.

Animadvertit hoc insigniter Ambrosius et illustri sententia controversiæ nostrum modum adhibet in primo *de Fide*[4], cujus verba jam antea majori ex parte descripsimus. Nunc illa restant quæ ad institutam disputationem faciunt. « Quomodo ergo facta sunt, inquit, quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus et scientia comprehendit numerum omnium sæculorum? Sicut enim vocat quæ non sunt tanquam quæ sint, sic et fecit quæ futura sunt tanquam quæ sint, quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt futura quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere quo sunt futura, cognovit. » Quamobrem sola cognitione jam facta sunt et transacta dicuntur, quia necessario futura sunt. At eodem nec alio modo præsentia dici debent quo jam facta, nempe quia in Dei omnipotentia et scientia comprehenduntur. Quod nihil aliud est quam *potentia* sola non *actu* existere, adeoque nulli *coexistere*.

Dabo ei quod dicimus simillimum quiddam in rebus creatis omnibus quæ cum in se mutabiles sint, ac pleræque materia constent et sua dimensione porrigantur, aliæ in fluxu et continua successione partium positæ sint, in

a THEOPH. et Œcumen. Νῦν μὲν δυνάμει· τότε δὲ ἐνεργείᾳ.

1 *Eph.* II. 5. — 2 In 2. *Ephes.* — 3 Vide lib. antec. cap. IV. — 4 Cap. VII.

Deo tamen aliter contineri dicuntur. Nam et constantes ibi sunt, et mutationis ut et materiæ ac vicissitudinis aut successionis expertes, et tanquam in monade, sic in Deo sine ulla divisione ac partium varietate consistunt. Atqui nullus idcirco iisdem illis creatis rebus ὕπαρξιν, id est *existentiam* hujusmodi quampiam assignet, aut συνύπαρξιν, quam *coexistentiam* vocant. Quæ quidem vox non unicam tantum ac rei unius extantiam significat, sed duas res ac totidem earum existentias. Ex quo fit consequens creaturas, si *coexistunt* Deo, etiam antequam ortæ sint, propriam nescio quam existentiam ex omni æternitate, antequam existerent, adeptas fuisse. Propriam, inquam; non enim Dei hæc esse potest existentia, quoniam Deus non *coexistit* sibi. Itaque si *reali* quadam *præsentia coexistunt* ab æterno creaturæ, existentiam propriam habent ab æterno qua existunt reipsa et coexistunt. Quod utcumque dici ac sermone pronuntiari potest, intelligi vero, cum dictum ac pronuntiatum sit, omnino non potest.

V. Cæterum iidem illi Patres quorum testimoniis *realem* istam *coexistentiam* asseverant aliqui, cum de hac re accuratius ac limatius quiddam explicant, nonnunquam aperte docent, creaturas omnes antequam productæ fuerint, nonnisi potentia aut in divinis rationibus, quas ideas nominant, extitisse, et quod factum jam esse alias dicunt, quo sensu intelligi velint, manifestum faciunt. Sic Augustinus in libro *ad Orosium contra Priscillianistas et Origenistas*, capite VIII. Cujus verba quia divinam scientiam cum rebus illi subjectis accommodate ad id quod agimus modo conferunt, hic adscribi melius sit : « Unde illud, inquit, quod aiunt, in ejus sapientia jam fuisse facta omnia antequam in istas formas et modos proprios proferrentur, atque in suis ordinibus apparerent, non sobrie dicitur. Facta enim quando essent antequam facta essent? Sed in Dei sapientia omnium faciendarum rerum rationes esse potuerunt, non tamen factæ. Omnia enim per ipsam facta sunt, non et ipsa facta est, quia et ipsa est Verbum de quo dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*. Noverat ergo Deus omnia quæ fecit antequam faceret. Non enim possumus eum dicere ignorata fecisse, et ea nonnisi facta didicisse : nescisse quid faceret, sed scisse quod fecit. Hoc enim si de aliquo artifice homine diceremus, insipientissime saperemus. Noverat ergo ea facienda, non facta noverat, ut faceret, non quia fecerat. Proinde quamvis jam nota essent, quia nisi a sciente non fierent, non tamen facta esse cœperunt, quæ ut fierent sciebantur antequam fierent. » Non igitur extiterunt reipsa creatæ res antequam fierent, neque coextiterunt. Quippe, ut paulo ante argumentati sumus, existentia illa creaturæ sit existentia necesse est. Alioqui *coexistentia* dici non potest. At omnis existentia creaturæ qua creaturæ est, facta creataque est. Nondum ergo fuit cum creata nondum esset, nec in se neque cum alio. Quod si nullam habebant existentiam res illæ antequam fierent, ne præsentiam quidem habebant ullam, sed eo modo præsentes quo existentes ab Augustino constituuntur catenus, quod a Deo cognoscuntur, et ut in artifice futurum opus, sic in eo continentur, non utique *coexistentes*, sed notitiæ intelligentiæque illius objectæ.

VI. Ita rem totam luculenter declarat Augustinus in tractatu *in Joannem*, et hac quam dixi similitudine artificis illustrat, qui futurum opus in mente habet et arte sua : « Sic ergo, inquit, quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia, etc. » Quem imitatus Beda in commentariis ad illa Joannis verba : *Quod factum est, in ipso vita erat*, hæc adnotat : « Id est quod factum in tempore, sive vivum, sive vita carens apparuit, omne hoc in spirituali factoris ratione quasi semper vixerat et vivit, non quia coæternum est creatori quod creavit, sed quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua ab æterno habuit et habet quid et quando crearet, qualiter creatum gubernet ut maneat, ad quem finem singula quæ creavit perducat. » Est igitur, seu mavis existit, ab æterno creatura hoc duntaxat modo quod in causa sua, hoc est idea et vi ac potentia continetur. Non autem coexistit, quoniam existentia illa qua existere dicitur, non est ἐνεργείᾳ sed δυνάμει. Atque hoc, nisi fallor, una illa cuivis persuadere Augustini ac Bedæ sententia potest, dum opera Dei, id est creatas res etiam vita carentes et anima, vivere asserunt in Deo, ut in artificis mente arca vivit. « Arca in opere, ait Augustinus, non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis ubi sunt ista omnia antequam proferantur. » Hinc autem concludi neutiquam potest, arcam συζῆν, id est *convivere*, ut ita loquar, Deo. Quid ita? Nimirum quod cum ita dicimus, *convivere*, vitas duas et distinctas invicem significamus, quarum una alteri sit adjuncta. Atqui nullam in se arca vitam habet,

Non *actu sed potentia.*

ac propterea convivere non potest. Hinc ergo argumentum ducitur, id quod futurum est, reipsa non *coexistere* Deo; quoniam existentia illa qua est in Deo, non est ista ipsa qua existit in sese. Deberet autem esse eadem ut *coexistere* merito dici posset, sicut vivere in se arcam oporteret ut Deo *convivere* diceretur.

Cyrillus item Alexandrinus in quinto *Thesauri* creaturas nonnisi potentia in Deo inesse scribit, dum hæreticos arguit qui Filium eo solo coæternum Patri esse volebant, quod gigni ab eo poterat etsi nondum ἐνεργείᾳ genitus esset. Quibus illud objicit, id si verum esset, nihil obstare quin coæternæ res omnes creatæ videri possint Deo [a]. Sed non sunt, nec esse possunt. Ita neque præsentes reipsa, neque coexistentes, sed in solo Deo tanquam in causa, idque δυνάμει, id est, *potentia* continentur : atque hoc modo divinæ scientiæ dicuntur objici et assistere, quæ et visionis vocabulo censetur. Ut a Gregorio papa nominatur, cujus in XXXII *Moralium* capite VI verba sunt ista : « Quomodo ergo Deus præteritorum reminiscitur, cum ipsa quæ in semetipsis prætereunt, ejus nutui semper præsentia assistunt? Aut quomodo absentium recordatur, dum omne quod est, per hoc illi præsto est quod in ipso est? Quod si præsto non esset, omnino non esset. Nam non existentia videndo creat, existentia videndo continet.

VII. Ad summam divina scientia res omnes eodem intelligens modo, nullam proprie differentiam temporis admittit, neque magis præsentes illas quam futuras præteritasve cognoscit, sed omnes simul. « Æterna est et incommutabilis voluntas ejus, ait Prosper [1], nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis vel ordinandis aut præcessit aut sequitur. » Hæc neque divisa per tempora, neque mutabilis et in unum simulque contracta rerum omnium cognitio, præsentiæ notione ac vocabulo solet exprimi. Non enim aliter aut eloqui sermone, aut animo capere possumus quomodo omnia simul Deus videat, nisi præsentia et coram eo posita humano more cogitemus. Tum eo valet, ut fixam ac sine ulla varietate stabilem et immotam scientiam istam esse monstremus. Hinc Honorius Augustodunensis [2] : « Deus, inquit, omnia præscit, et hoc æternitati ejus congruit qui nihil futurum quasi fiendum, nec aliquid præteritum quasi transactum novit. Sed omnia fienda et transacta immutabili intuitu præsentia prospicit. » Vide omnino quæ ex Ammonio supra descripsimus [3]. Hæc enim præclare rem istam explicant, præsertim dum scribit Deum una et simplici et non variata notitia cuncta complecti in qualibet temporis constituta differentia.

CAPUT VI.

De futurorum cognitione quæ præscientia dicitur. Esse hanc in Deo. Quo sensu quidam veterum illam negaverunt : non dubiam aut probabilem inesse illi, sed certam et tanquam præsentes sint res cognitæ.

I. Quanquam universe constitutum est, omnium rerum penes Deum esse notitiam, est tamen propria quædam de futuris inquisitio, quæ ad illam de qua post agemus prædestinationem explicandam præmunire nos debet. Quamobrem de præscientia futurorum, præsertim quæ minime necessariis e causis existunt, et propterea *fortuita* vel *contingentia* nominantur, hoc loco disputabimus.

Hanc qui Deo detraxerunt (fuerunt enim aliqui) duarum ii causarum habuerunt alteram. Aut enim sciri hæc a Deo non putarunt omnino, quia per se cognosci ista nequeunt : aut ita scientiam eorum illi concesserunt, ut præscientiam appellari nollent. Horum priores illi impii et ab vera numinis alieni pietate, isti verbo tenus ab reliquis discordes, reipsa consentiunt. Ex illorum numero insignis est maxime Cicero, qui in secundo *de Divinatione*, fortuitorum quæ sunt futura notitiam adimit Deo, quoniam si hic illa scit, certo eventura sint, atque ita desinant esse fortuita. « Nihil enim est, ait, tam contrarium rationi et constantiæ, quam fortuna, ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est.

Actu.

Quibus rationibus permoti, nonnulli gentiles et hæretici præscientiam futurorum contingentium Deo negaverunt.

a CYRIL. V. *Thes.* Εἰ γὰρ τὸ δύνασθαι μόνον τὸ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀποτέλεσμα φορεῖ, ἦν ἄρα καὶ πρὶν γένηται τὰ ποιήματα· ἦν γὰρ ἐν τῷ ποιητῇ τὸ δύνασθαι ποιεῖν αὐτά.

1 Prosp. sent. 145. — 2 Lib. *de Præd. et lib. arb.* — 3 Libri hujus cap. II. § 8.

Est autem fortuna, rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio. » Itaque divinationem funditus sustulit, quæ est præsensio prædictioque futurorum, non eorum utique quæ sunt necessaria, sed quæ ita evenient ut non evenire possint. Commotus est autem ad hoc sentiendum ea re maxime, quod « utrumque arbitrabatur esse non posse, ut ait Augustinus[1], sed si alterum confirmatur, alterum tolli. Si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium. Si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque, ut vir magnus et doctus et vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos. »

II. Aliter Deo conditori universitatis hujus minimeque bono præscientiam denegandam esse pugnabat impius Marcio apud Tertullianum [2]. « Si Deus bonus, inquit, et præscius futuri et avertendi mali potens, cur hominem et quidem imaginem et similitudinem suam, imo et substantiam suam, per animæ scilicet censum, passus est labi de obsequio legis in mortem, circumventum a diabolo ? Si enim et bonus qui evenire tale quid nollet, et præscius qui eventurum non ignoraret, et potens qui depellere valeret, nullo modo evenisset quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenit, absolutum est e contrario Deum neque bonum credendum, neque præscium, neque potentem. » Meminit et Hieronymus libro tertio *contra Pelagianos* istius Marcionis calumniæ.

Alii, iique catholici, verbo tenus negantes reipsa admiserunt.

Alii porro iidemque pii et catholici præscientiam in Deo solo tenus vocabulo negantes, futurorum scientiam minime sustulerunt, quam ideo præscientiam nominare cunctabantur, quod, ut superiori capite definitum est, Deo sunt omnia præsentia, neque quidquam est futurum. Ita in libro secundo *Quæstionum ad Simplicianum* Augustinus : « Quid est, inquit, præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt ei futuræ sed præsentes, ac per hoc non jam præscientia sed scientia dici potest. » Adjungit et istius dicti rationem hanc, quod nisi Deus tanquam præsentia quæ futura sunt intelligit, « bis ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum præscientiam, altero vero modo secundum præsentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei, quod absurdissimum atque falsissimum est. Nec enim potest quæ ventura prænoscit nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et prænoscendo antequam sint, et cognoscendo cum jam sunt. » Quocirca eo delabitur, ut non dicendam putet præscientiam Dei sed scientiam. Nisi quod respectu ad nos habito, uti futuræ sunt res, sic earum quoque cognitio præscientia nominatur. At cum Deo res eædem et in ejus æternitate sint præsentes, earumdem scientia dicitur. Ad hunc modum quæstionem hanc proponit ac dissolvit Gregorius Magnus : « Præscire, inquit, dicitur qui unamquamque rem antequam veniat videt, et id quod futurum est, priusquam præsens fiat, prævidet [3], etc. Deus autem quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt præsciantur? Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cujus oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne quod nobis fuit et erit, in ejus prospectu præsto est, et omne quod præsens est, scire potest potius quam præscire. » Mox autem : « Et quia ea quæ nobis futura sunt videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat quod præsens videt. » Cui et Boetius accedit ita scribens : « Est autem Deo semper æternus ac præsentarius status. Scientia quoque ejus omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præscientiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præscientiam pensare velis quæ cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius existimabis [4]. »

Res ip- sine sac- legio ne- non pot-

III. Sed hi omnes de solo nomine controversiam faciunt, rem ipsam, hoc est futuri quocumque dictam nomine cognitionem attribuunt Deo, quæ sine scelere et, ut Augustini verbo utar, sine sacrilegio eripi non potest. Ac quisquis Dei qualemcumque notitiam informare potest, is profecto non aliter illum sibi cogitatione depingit quam omnia scientem, maxime vero futura, ut ille apud poetam qui noverat.

1 Lib. V. *de Civit. Dei,* cap. IX. — 2 Lib. II. *ad con. Marc.* cap. V. — 3 Lib. XX. *Moral.* cap. XXIII. — 4 Lib. V. *de Cons. phil.* prosa 6.

Quæ sunt, quæ fuerant et quæ ventura se-
[quentur [a].

« Nam et confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum (ait idem Augustinus in quinto *de Civitate Dei* capite nono) apertissima insania est. » Unde Ciceronem ait, ut præscientiam tolleret, divinitatem sub aliena persona negasse. Et : « Qui non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus. Est enim nota ista divinitatis et character, futurorum prædictio, ait Origenes [1], quæ in naturam humanam non cadit, et judicatur ex eventibus, quando evidens fit divini spiritus prænuntiatio [b]. » Et Tertullianus in *Apologetico :* « Idoneum testimonium divinitatis veritas divinationis [2]. » Quin apud Eusebium Origenes idem et copiose et ad mentem nostram aptissime declarat sic ex eleganti Vigeri nostri interpretatione : « Jam vero quidquid aliquando futurum est, id omne Deum multo ante futurum prænosse, ut Scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam et excellentiam divinæ mentis intelligit. Si tamen sacrarum quoque Litterarum testimoniis eam in rem opus est, plenæ sunt exemplorum id genus prophetarum voces [c]. » Tum locum illum Danielis affert, qui frequenter a Patribus adhibetur, apud quem Susanna sic loquitur : *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* [3], etc. Exinde futurorum aliquod prædictiones subjicit, quæ in Scripturis expressæ certissimum exitum habuerunt. Cujusmodi argumentorum per utriusque Testamenti paginas perpetua copia est. Hinc apud Isaiam Dominus ad falsos convincendos Deos istam ipsam divinitatis notam objicit : *Accedant et nuntient nobis quæcumque ventura sunt*, etc. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos* [4]. Et alibi : *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet et annuntiet, et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum : ventura et quæ futura sunt annuntient eis* [5]. Tum *Ecclesiastici*, capite tertio et vicesimo : *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic et post perfectum respicit omnia* [6]. Quam præscientiam *tantos habere testes* merito scribit Tertullianus, *quantos fecit prophetas* [7]. Veros utique prophetas non falsiloquos aut temere divinantes, quales inter ethnicos non pauci fuerunt. Sed, ut Justinus vel alius auctor *Quæstionum ad orthodoxos* asserit : « Quorum dii non sunt dii, horum neque vates veritatis sunt prophetæ, nec illorum prædictiones inevitabiles sunt, aut verum habent exitum. Ut enim longe distant a vera divinitate, ita etiam a vera præsensione [d]. » Quam rationem egregie Cyrillus Alexandrinus illustrat, superiora illa Isaiæ verba declarans ex capite quadragesimo primo : « Deo, inquit, natura convenit omnem habere et jam præteritorum et futurorum notitiam. Quod si nemo reperiatur in falso nuncupatis diis qui hoc sit consecutus, qui cognitione divina præditi non sunt, dii utique non erunt [e]. » Et subinde : « Etenim tanquam natura Deus, et futura omnia ac jam præterita cognoscens, prænuntiavi vobis per sanctos prophetas [f]. » Inter articulos a Stephano Parisiensi episcopo damnatos, iste continetur : « Quod prima causa non habet cognitionem aut scientiam futurorum contingentium. Primo quia futura contingentia sunt, non entia. Secundo quia futura contingentia sunt particularia, Deus autem cognoscit virtute intellectiva quæ non potest cognoscere particularia. Tertio propter ordinem causæ ad causatum. Præscientia enim divina est necessaria causa

uod probaur e Scripturis.

a Virgilius, ex illo versu Homeri :
Ὃς τ' ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

b Orig. Τὸ γὰρ χαρακτηριστικὸν τῆς θεότητος ἡ περὶ μελλόντων ἐστὶν ἀπαγγελία, οὐ κατ' ἀνθρωπίνην φύσιν λεγομένων, καὶ ταῖς ἐκβάσεσι κρινομένων, ὅτι θεῖον πνεῦμα ἦν τὸ ταῦτα ἀπαγγέλλον.

c Orig. lib. VI. *de Præparat.* Ὅτι μὲν οὖν ἕκαστον τῶν ἐσομένων πρὸ πολλοῦ οἶδεν ὁ Θεὸς γενησόμενον, καὶ χωρὶς μὲν γραφῆς, αὐτόθεν ἐκ τῆς ἐννοίας τῆς περὶ Θεοῦ δῆλον τῷ συνιέντι ἀξίωμα δυνάμεως νοῦ Θεοῦ· εἰ δὲ δεῖ καὶ ἀπὸ τῶν γραφῶν τοῦτο παραστῆσαι, πλήρεις μέν εἰσιν αἱ προφητεῖαι τοιούτων παραδειγμάτων, etc.

d Justin. qu. 146. Ὧν δὲ οὐκ εἰσὶν οἱ θεοὶ θεοὶ, τούτων οὐδ' οἱ μάντεις εἰσὶν ἀληθείας προφῆται· οὐδ' ἡ αὐτῶν πρόῤῥησις ἀναπόδραστόν τε, καὶ ἀληθῆ ἔχει τὴν ἔκβασιν· ὥσπερ γάρ εἰσι μακρὰν τῆς ἀληθινῆς θεότητος, οὕτω καὶ τῆς τῶν μελλόντων προγνώσεως.

e Cyril. lib. IV. *in Isa.* orat. II. Θεῷ γὰρ κατὰ φύσιν πρέποι ἂν τὸ πᾶσαν ἔχειν τὴν γνῶσιν τῶν τε ἤδη παρῳχηκότων, καὶ τῶν ἐσομένων· εἰ δὲ οὐδεὶς ἐν τοῖς ψευδωνύμοις θεοῖς τοῦτο λαχὼν εὑρίσκεται, ἀσυμφανὲς ὅτι οἱ τὴν Θεοῦ γνῶσιν οὐκ ἔχοντες, οὐκ ἂν εἶεν θεοί, etc.

f Ac mox : Ὡς γὰρ ὑπάρχων φύσει Θεὸς, καὶ πάντα εἰδὼς τὰ ἐσόμενα, καὶ τὰ ἤδη προγεγενημένα, προαπήγγειλα ὑμῖν διὰ τῶν προφητῶν ἁγίων.

1 Lib. VI. *cont. Cels.* — 2 Cap. xx. — 3 *Dan.* xiii. 42. — 4 *Is.* xli. 22. — 5 Cap. xliv. 7. — 6 *Ibid.* 29. — 7 Lib. II. *cont. Marc.* cap. v.

præscitorum [1], etc. » Quæ argumenta facile ex hac nostra disputatione solvuntur.

IV. Quoniam autem futura ista sic Deus contemplatur, ut ex omni æternitate præsentia et quasi coram posita habeat; ideo præscientiam non esse quidam quos superius commemoravi, asserunt. Quo ille Scripturis familiaris loquendi usus pertinet, ut quæ futura prævidentur a Deo, jam pro factis habeantur, ac præsenti verbo temporis exprimantur. Quare quod in *Proverbiis* scriptum est de Sapientia, eam ab æterno ordinatam esse antequam terra fieret [2], et hujus generis alia, nonnulli veterum qui de assumpta carne interpretati sunt, ad divinam præscientiam retulerunt, cui futura præsentia sunt. « Antea itaque nobis fundamenti loco ponitur Christus, » ait Cyrillus illum exponens locum, « atque in ipso nos omnes superædificamur, et quidem ante creationem mundi juxta prænotionem Dei omnia præscientis, ut quemadmodum modo diximus, antiquior in nobis sit benedictio quam maledictio, antiquior promissio ad vitam quam condemnatio ad mortem [a]. » Quo et illa spectant quæ de prædestinatione passim dicuntur ab iisdem sanctis Patribus, quæ nos suo loco referemus.

Et ex eo quod omnia a Deo producantur.

Est autem causa illa ratioque propter quam futura necesse est a Deo cognosci, eadem quam supra reddidimus; quod eorum auctor sit et effector et quidem talis, ut per intelligentiam ac notitiam, hoc est per Verbum suum moliatur ac designet omnia, idque ex æterno. Hinc enim et *fecisse jam* dicitur *quæ futura sunt*, ut ibidem ostendimus : et ab æterno fundasse, creasse, ordinasse, ut in illo *Proverbiorum* capite, ex multorum sententia. Tum rerum omnium etiam contingentium æternæ et incommutabiles rationes in divina insunt sapientia, ut inter alios ait Augustinus, quas beati Angeli contemplantes *mutationes temporum prævident* [3].

V. Hanc rationem profani etiam scriptores approbant, ut Ammonius in commentariis ad librum Aristotelis *de Interpretatione* : « Ignorare, inquit, rem nullam possunt earum quæ sunt, cum omnes produxerint et ordinent. [b] » Tum illud egregie : « Non enim fortuitam esse dicemus naturam illorum quæ sunt, vel ordinem, neque rationi consentaneum est, deos aut ignorare quæ producunt, aut delicatorum more quorumdam eorum fastidire notitiam ac gubernationem [c]. » Item : « Dicendum est, ait, deos nosse omnia quæ fuerunt et sunt et futura sunt eo modo qui diis convenit, hoc est, unica et definita et immutabili cognitione. Propterea contingentium quoque notitiam esse complexos, tanquam qui omnia quæ sunt in mundo producant [d]. » Addit insuper, deos « contingentia ista præstantiore quodam modo quam pro ipsorum natura cognoscere. Quippe cum illa minime definitam naturam habeant, ac possint evenire vel non evenire, ipsi autem ut qui præstantius quam pro eorum natura cognitionem ipsorum anticipatam habent, definite illa noverint [e]. »

Ita Plotinus futurorum scientiam sine ulla ratiocinatione cogitationeque laboriosa, et ex uno alterum colligente convenire dicit Deo : Futurorum, inquit, cognitio si ipsi adesse conceditur, non talis est cujusmodi inest vatibus, sed qualis est in iis qui faciunt et certo fore credunt. Id vero est omnia in potestate habentibus, quibus nihil dubium est aut obscurum. Quamobrem quibus fixa sententia est, iis permanet. Eadem igitur et de futuris sapientia est, qualis est et de præteritis secundum stabilitatem [f]. » Est et Philonis Judæi de eadem re pulcherrimus locus in libro *de*

a Cyril. lib. XV. *Thes.* Προθεμελιοῦται τοίνυν ἡμῶν ὁ χριστὸς, καὶ ἐν αὐτῷ πάντες ἡμεῖς ἐποικοδομούμεθα· καὶ τοῦτο πρὸ καταβολῆς κόσμου κατὰ πρόγνωσιν τοῦ πάντα εἰδότος θεοῦ· ἵνα καθάπερ ἤδη προείπομεν, ἀρχαιοτέραν ἔχωμεν τῆς κατάρας τὴν εὐλογίαν, καὶ τῆς εἰς τὸν θάνατον καταδίκης τὴν εἰς ζωὴν ὑπόσχεσιν.

b Ammon. Ἀλλ' ἀγνοεῖν μὲν οὐδὲν τῶν ὄντων αὐτοὺς ἐνδέχεται, τὰ πάντα παραγαγόντας τε, καὶ διακοσμοῦντας.

c Mox : Οὔτε γὰρ αὐτόματον ἐροῦμεν εἶναι τῶν ὄντων τὴν φύσιν τε, καὶ τάξιν· οὔτε τοὺς θεοὺς εὔλογον, ἢ ἀγνοεῖν ἅπερ παράγουσιν, ἢ ὥς τινας ἀφερεπόνους κατολιγωρεῖν τῆς τε γνώσεως αὐτῶν, καὶ τῆς διακοσμήσεως.

d Ibid. Ῥητέον τοὺς θεοὺς γινώσκειν μὲν πάντα τὰ γεγονότα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα, ἢ μέλλοντα, τοῖς θεοῖς προσήκοντα τρόπον· τοῦτο δέ ἐστι μιᾷ, καὶ ὡρισμένῃ, καὶ ἀμεταβάτῳ γνώσει· διόπερ καὶ τῶν ἐνδεχομένων περιειληφέναι τὴν εἴδησιν, ἅτε καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ παράγοντας.

e Ibid. Γινώσκειν μέν τοι τὰ ἐνδεχόμενα κρειττόνως τῆς αὐτῶν ἐκείνων φύσεως· διόπερ ταῦτα μὲν, ἀόριστον ἔχοντα τὴν φύσιν δύνασθαί τε καὶ ἐκβαίνειν, καὶ μὴ ἐκβαίνειν· ἐκείνους δὲ, ἅτε κρειττόνως τῆς φύσεως αὐτῶν τὴν γνῶσιν προειληφότας ὡρισμένως καὶ ταῦτα εἰδέναι.

f Plot. *Enn.* 4. lib. IV. cap. xii. Καὶ ἡ γνῶσις δὲ τῶν μελλόντων εἴπερ αὐτῷ συγχωρεῖται παρεῖναι, οὐ τοιαύτη ἂν εἴη, οἷα τοῖς μάντεσι πάρεστιν, ἀλλ' οἷα

1 Tom. IV. *Biblioth. Patrum*, col. 917. art. 13. — 2 Cap. viii. — 3 Lib. IX. *de Civit. Dei*, cap. xxii.

Immutabilitate Dei, quem libro superiore cum de æternitate ageremus adnotavimus.

Jam quod Plotinus ait, cognitionem illam qua Deus futura novit, non ejusmodi esse qualem divini ac vates habent, duo quædam indicat : alterum non eam esse talem ut res futuras, tanquam futuras, sed potius ut præsentes intelligat, de quo jam satis diximus : alterum non esse conjecturam quæ quasi in incerto fluctuet, quod a divinitate procul rejicit Ammonius loco jam citato. Et Boetius in quinto *de Consolatione philosophiæ* [1], ubi et absurdum fore dixit, si divinam futurorum notitiam nihil differre velimus vaticinio illo ridiculo Tiresiæ :

O Laertiade, quidquid dicam, aut erit aut non[2].

Sed ut obiter dicam, non eo sensu hoc de Tiresia dictum est ab Horatio quem Boetius aliique putant, sed isto potius, ut quodcumque responderit futurum sive affirmando sive negando, id perinde ac dixerit eventurum sit.

VI. Ad eamdem argumentationem, quæ a Deo futura sciri colligit, quoniam ab ipso fiunt et quidem ex æterno, cum in Verbo tum omnia dixerit, hoc est condiderit Pater, spectat illa ratio qua adversus Arianos utuntur veteres, dum probant Christum judicii diem non ignorasse quamvis id de se profiteri videtur [3]. Sic enim ratiocinantur : Cum per Filium creata sint omnia, inter quæ illa ipsa dies est judicii, non potest eam ignorare Filius. Ita Cyrillus [4], Athanasius [5], Ambrosius [6], et alii passim. Ambrosii autem verba, quia et universe et ad id quod agimus apposite imprimis dicta sunt, aliqua ex parte describam. « Nam quomodo potest, inquit, nescire partem qui fecit omnia, cum minus sit scire quam facere ? » Mox : « Quomodo enim vultis hæc fecisse Dei Filium ? Numquid quasi annulum qui non sentit, quod exprimit ? Sed omnia in sapientia Pater facit, id est omnia per Filium fecit, qui est virtus Dei et sapientia. Sapientiæ autem id convenit, ut suorum operum et virtutes norit et causam. Et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod donavit. Novit ergo diem qui fecit. Sed dicis quia præsentem novit, nescit futurum. Licet inepta sit propositio, tamen ut de Scripturis satisfaciam tibi, disce quod non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura sunt, sicut scriptum est : *Qui fecit quæ adventura sunt* [7]. Et alibi ait Scriptura : *Per quem et facta sunt sæcula, splendor est gloriæ et character substantiæ ejus*. Sæcula enim et præterita et præsentia et futura sunt. Quomodo ergo facta sunt quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus et scientia comprehendit numerum omnium sæculorum ? Sicut enim vocat quæ non sunt tanquam quæ sint, sic et fecit quæ futura sunt tanquam quæ sint, quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt futura quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere quo sunt futura cognovit. » Hæc Ambrosius, ubi quod ait futura illa necessario fore quæ esse præcepit, non sic accipiendum est, tanquam de solis necessariis, non autem contingentibus ac liberis loquatur, ac putet hæc a Deo nesciri. Verum utraque complectitur et contingentia, quatenus in Dei præscientia, voluntatisque decreto continentur, necessario dicit fieri. Quæ res deinceps hic a nobis exponenda videtur. Est enim præcipua pars propositæ disputationis investigare quemadmodum cum libertate nostra, et fortuitarum conditione rerum divina præscientia concordet.

CAPUT VII.

Quomodo cum futurorum contingentium præscientia cohæreat libertas hominis. Ciceronis opinio negantis conciliari posse ab Augustino refutata, a quo et illa quæstio deciditur. Boetii itidem de ea re sententia. Necessitas duplex, absoluta et conditionalis. Origenis, Anselmi, Guillelmi Parisiensis loca insignia quibus argumentum illud explicatur. Item philosophorum gentilium, ut Plotini et Ammonii. An res contingentes causæ sint scientiæ Dei. Varia de eo veterum placita conciliantur. Duplex Dei scientia, altera simplicis intelligentiæ, altera visionis ; illam causam

αὐτοῖς τοῖς ποιοῦσι τοῖς πεπιστευκόσιν ὅτι ἔσται· τοῦτο δὲ ταὐτὸν τοῖς πάντα κυρίοις, οἷς οὐδὲν ἀμφίβολον, οὐδὲ ἀμφιγνοούμενον· οἷς ἄρα ἄραρεν ἡ δόξα, τούτοις παραμένει· ἡ αὐτὴ ἄρα καὶ περὶ μελλόντων φρόνησις, οἵα καὶ ἡ περὶ παρόντων κατὰ τὸ ἑστάναι.

1 Prosa 3. — 2 Horat. sat. v. lib. II. — 3 *Matth.* 24; *Marc.* 13. — 4 Lib. XXII. *Thesaur.* — 5 Orat. IV. — 6 Lib. V. *de Fide*, cap. VII. — 7 *Isa.* XLV.

esse rerum, non hanc posteriorem. De veritate propositionum de futuris contingentibus. Eas in Deo veras esse, in se nec falsas nec veras.

I. Perdifficilis * ea semper est visa quæstio de consensu divinæ præscientiæ cum libero motu voluntatis, ac multum humana perturbavit ingenia non solum imperitorum sed etiam doctissimorum, quorum nonnullos impulit ut vel præscientiam ac providentiam eriperent Deo, vel, quod non multo est perversius, imo vero eodem recidit fitque ex illo consequens, divinitatem omnem funditus negarent. Nam sublata præscientia, nullum jam esse concludi Deum affirmat Augustinus, ut initio capitis superioris ostendimus. Atqui si Deus futura certo scit ante quam fiant, ea necesse esse videtur fieri. Nam si non esse fierive possunt, potest falsa esse Dei scientia; quod non minus impium est dictu, quam omnino nullum esse Deum.

Hanc controversiam bene multi veteres pertractarunt, non solum christiani, sed etiam ethnici. Atque ut ab illis ordiar, fuse illam explicavit Augustinus cum adversus Ciceronem Stoicosque disputat[1]. Cujus omnis ratio duo ad capita revocari potest. Primum enim necessitatem omnem negat libertati voluntatis obstare. Est enim altera « quæ non est in nostra potestate, sed etiam si nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis[2], » quæ quidem cum libertate pugnat. Altera est « secundum quam dicimus necesse esse ut fiat aliquid vel ita fiat, ut si dicamus necesse esse Deum semper vivere et cuncta præscire,» atque hæc necessitas non tollit libertatem. « Sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic etiam cum dicimus necesse esse ut cum volumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem. » Hæc Augustinus cujus in verbis necessitas illa libertati contraria esse monstratur, quæ ad unum aliquid definita est ac determinata tam ratione facultatis sive potestatis, quam actionis ipsius. Sic moriendi necessitas ejusmodi est ut neque mori vivens non possit, neque non sit moriturus. Nam et causas habet in se moriendi necessarias, et reipsa aliquando morietur. At est alia necessitas quæ in facultate ipsa et potentia est absoluta et uno aliquo circumscripta, in actione vero minime determinata. Ut necesse est homini voluntate velle vel nolle, quia naturalis et insita est facultas ista, non est tamen volendi actio ipsa vel nolendi necessaria. Quod Pelagius apud Augustinum ita concipiebat: *Posse in natura,*

Præscientiæ divinæ et libertatis humanæ concordia ex Augustino.

* Hæc difficultas tantopere commovit eos scholæ theologos, quos dicere *nominales* solemus, ut Ochamus (In I. dist. XXXVIII. q. unic.) Gabriel Biel (Ibid. q. unic. art. 2.), Gregorius Ariminensis (Ibid. q. II. art. 2.) et Marsilius (P. I. q. XL.) confirmare non dubitaverint, impervium sibi modum esse, quo divina præscientia creataque libertas mutuo concilientur. Profecto si mens nobis esset omnem penitus difficultatem infitiari, tum rei ipsius evidentiæ, communique suffragationi, tum persuasioni quoque nostræ non levissime adversaremur. Difficultatem igitur fatemur, sed non ejusmodi quæ omnes explicandi nodi rationes præcludat, quæque nullum luci aditum permittat. Quapropter ultro patrocinamur Didaco Ruiz, theologo sane erudito ac prudenti, qui ex ordine (*De scientia Dei* disput. XXX. sect. II.) statuit : I « Quamvis non exacte atque perfecte sicut in patria per claram visionem, imo neque tanta claritate, quantam de quibusdam veritatibus inferioribus ac sensibilibus habemus; nihilominus quantum sufficit ut quiescat et sibi satisfaciat animus theologi qui novit sapere ad sobrietatem, possumus in hac vita penetrare discursu et verbis exponere modum quo Deus certo præscit ab æterno futura, licet illa possint non esse propter libertatis indifferentiam, quam præscientia servat illæsam. » II « Tanquam perniciosa parumque tuta fidei dogmatibus evitari debet illa nimia demissio animi vel potius ignavia, quæ modestiæ humilitatisque prætextu fallit aliquos theologos, et eos potissimum quibus minus placet regia via devitans præcipitia. Succumbunt enim difficultatibus, quas Dei et aliorum doctorum auxilio superare potuissent. Hæc autem pusillanimitas et ignavia vituperabilior erit circa veritates quæ naturæ lumine demonstrantur, sicut evidentissime probatur divina præscientia futurorum et libertatis indifferentia potens operari et non operari. » III « Circa supernaturalia mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ et his similia potissimum exigitur in Scriptura et Patribus humilitas, quæ captivet intellectum in obsequium fidei. Hæc igitur sunt in primo gradu. Nam in secundo gradu sunt occulta Dei judicia circa prædestinationem et reprobationem et liberam administrationem universi. In tertio gradu constituere possumus attributa Dei naturali lumine nota, de quibus tamen non potest a nobis obtineri cognitio valde perspicua et exacta. Quomodo circa divinam scientiam futurorum semper erit in hac vita difficile, quomodo manens eadem immutabiliter essentia divina, potuerit esse scientia alterius mundi producendi, sicut modo est scientia hujus mundi : et potuerit esse scientia Judæ prædestinati, sicut modo est scientia Judæ reprobati : quomodo simplicissima essentia simul sit cognitio et amor sui et omnium aliorum discrimine differentium. » Postremo IV « Tardiores ingenio et illitterati credere debent licet non intelligant, acriores autem et litterati doctores servare tenentur animi præparationem ut crederent licet non intelligerent; nihilominus tenentur graviter et strenue cum Dei auxilio laborare ut intelligant modo superius explicato. » *E. R.*

1 Lib. V. *de Civit. Dei,* cap. IX. et X. — 2 Lib. V. *de Civit. Dei,* cap. X.

velle in arbitrio [1] situm esse. Recte id quidem, nisi ad volendi actionem minime necessariam putasset Christi gratiam.

II. Verum de actione ipsa liberæ potestatis rursus inquiritur cur necessaria non sit, si necessario prævidetur ac præscitur a Deo. Ac necessarium quidem illud et a Cicerone contra quem disputat Augustinus, et ab aliis vulgo censetur quod certum habet ordinem causarum, in quo *fati* ratio consistit, ut Stoici asserebant teste Nemesio in libro *de Natura hominis* capite XXXVII : « Fatum, inquit, series quædam est causarum, quam nihil transgredi potest [a]. Si ergo præscita sunt omnia futura, aiebat Cicero, hoc ordine venient quo ventura esse præscita sunt. Et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo. Et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum. Non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa præcesserit. Si autem certus est ordo causarum quo fit omne quod fit, fato, inquit, fiunt, omnia quæ fiunt. » Hæc ita nectenti Ciceroni Augustinus occurrens, « Non esse consequens ait ut si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostræ voluntatis arbitrio. Et ipsæ quippe nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo ejusque præscientia continetur, quoniam et humanæ voluntates humanorum operum causæ sunt. Atque ita omnes qui rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam voluntates nostras ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse præscivit. » Quocirca non fiunt propterea necessario quæ libere nos agimus, etsi Deus illa necessario prævidit, quia prævidendo voluntates nostras, præscivit ea sponte esse facturas. Sicut et nos cum libere aliquid facimus, id necessario mente intelligentiaque cognoscimus, etsi necessario non facimus.

Altera Augustini ratio [2]. Non necessario peccare hominem, exempli causa, etsi Deus necessario præsciverit, si quidem peccaturus est. « Neque enim ideo peccat homo quia Deus illum peccaturum præscivit. Imo ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit, quia si nolit, utique non peccat. Sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit. » Quæ Augustini sententia eo pertinet, ut præscientia rerum quæ in libertate nostra positæ sunt, non earum causa sit, sed istæ potius illius causa sint, quod non aliter ea futura videt, quam quia voluntatem libere facturam esse cognoscit. At necessarias res et necessariis ex causis ortum habentes fore idcirco videt, quia futuras illas ipse decrevit, esseque absolute voluit. Ideo causa illarum est Dei præscientia, quæ ab nulla alia subjecta inferioreque causa determinatur. Sed ea res postea retractabitur.

III. Nunc quod ad priorem rationem attinet, eam clarius exponit Augustinus idem in libro tertio *de Libero arbitrio*, ac libertati nostræ nihil obesse Dei præscientiam ostendit [3]. Quippe cum dicimus præscisse Deum voluntatem meam liberam, eo ipso consequens esse dicit, ut libere velim non necessario : « Quomodo enim non potest aliud fieri quam præscivit Deus, si voluntas non erit, (libere utique non necessario agens), quam voluntatem futuram ille præsciverit ? » Ac subinde : « Cum enim sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo et potestatis est præscius. Non igitur per ejus præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cujus præscientia non fallitur, adfuturam mihi esse præscivit. » Ac paulo post. Si præscientia Dei necessitatem rebus afferret, ut ideo peccaturus necessario sit aliquis quoniam peccaturum eum certo præscivit [4] ; id consequens fore statuit, non eo quia Dei, sed quia præscientia sit. Nam si ego certo præsciam peccaturum aliquem, tam necessarium videbitur peccare illum, quam si Deum præscire dicam. Atqui « sicut non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris quod alius sua voluntate facturus est, ita Deus neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. » Rursus : « Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. »

IV. Multus est in ea disceptanda quæstione Boetius in quinto libro *de Consolatione philosophiæ* [5]. Cujus disputationis eo summa redigitur, ut aliter a Deo cognosci res dicat atque in seipsis existunt. In se enim temporis habent

a Nemes. Ἐι δὲ ἡ εἱμαρμένη εἱρμός τις οὖσα αἰτιῶν ἀπαράβατος, etc.

1 Lib. 1 *de Grat. Christ.* cap. III. — 2 Ibid. in fine, cap. X. — 3 Cap. III et IV. — 4 Cap. IV. — 5 Prosa 3. 4. 5 et 6.

differentias, ac vel fuerunt, vel sunt, vel erunt aliquando. Scientia vero Dei itidem est ut æternus illius substantiæ status, atque « omnem temporis supergressa notionem, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. » Quo constituto controversiam exponit sic : « Quod eventurum Deus videt, id non evenire non potest : quod autem non potest non evenire, id ex necessitate contingit. » Cui mox respondet : « Idem futurum cum ad divinam notionem refertur, necessarium, cum vero in sui natura perpenditur, liberum prorsus atque absolutum videri. Duæ sunt enim necessitates, simplex una, veluti quod necesse est omnes homines esse mortales : altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter ac notum est nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen cum graditur incedere necessarium sit. Eodem igitur modo si quid providentia præsens videt, id esse necesse est, tametsi nullam habeat naturæ necessitatem. Atqui Deus ea futura quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum necessaria fiunt per conditionem divinæ notionis, per se vero considerata ab absoluta naturæ suæ libertate non deficiunt. » Hæc Boetius, in quibus utilis ac præclara est illa notatio divinæ scientiæ, quam ait omnia tam præterita quam futura tanquam præsentia contueri. Ita enim facile istud intelligimus, quod et Augustinus paulo ante a nobis adductus in medium asserit, quemadmodum præscientia Dei nullam vim rebus ac necessitatem consciscat. « Nam sicut scientia præsentium, ait idem Boetius[1], nihil his quæ fiunt, ita præscientia futurorum nihil his quæ ventura sunt necessitatis importat. » Est tamen quædam futurorum necessitas ex Dei præscientia, quam ὑποθετικὴν, id est *conditionalem* nominant sive complexam. Est enim necesse cras, exempli causa, peccare Petrum, si quidem Deus ita fore prævidit, non aliter ac peccare necesse est eumdem si peccat. Quæ necessitas vulgo *consequens* appellari solet, vel *composita*, sive *in sensu composito* ; sicut altera *simplex*, *absoluta*, *antecedens* et *divisa*, sive *in sensu diviso* ab scholis nominatur.

Præclara Boetii disputatio et difficultatis solutio.

Duplex genus necessitatis.

V. Eumdem hunc locum erudite copioseque Origenes explicavit in commentariis ad librum Genesis, cujus verba Eusebius in sexto *de Præparatione* posuit [2]. Ibi similiter atque Augustinus et Boetius, Dei præscientiam nihilo magis necessitatem importare liberis hominum voluntatibus docet, quam præsentium notitiam. Cum enim hoc sibi argumentum objecisset quo vulgo præscientia impugnari solet, quod paulo antea proposuimus, ita ille respondet : « Deum mundi hujus opificium molientem nulla existente causa, mente percurrisse futuras res singulas, atque vidisse : quandoquidem illud factum est, istud est consequens. Quod si hoc fiat, quod sequitur, illud existet, quo posito, illud erit alterum. Et sic ad finem usque res omnes obiens, novit quæ futura sunt, non ita tamen ut omnino unicuique eorum quæ novit causa sit cur accidant[a]. » Declarat hoc deinde hominis exemplo, qui alterum ex alto prospicit in lubrico labentem, neque lapsus ei causa sit eo ipso quod gradientem illum intuetur. Quæ oratio superiori illi argumentationi consentanea est : nullam idcirco vim rebus afferre Dei præscientiam, quod futura tanquam præsentia contemplatur. Sic etiam antea idem illud exemplo altero comprobavit. Nihilo enim magis præscientem aut prædicentem Deum causam esse cur necessario res accidat, quam propheticus aliquis liber futura illa continens, necessitatem eorum efficit.

Sic Gaudentius Brixianus de Christo ab Judæis interfecto loquens : « Synagoga quippe Judæorum, inquit, quod erat crudeliter factura prædictum est, non ut fieret jussum est ;

a Orig. Πρὸς οὓς λεκτέον, ὅτι ἐπιβάλλων ὁ θεὸς τῇ ἀρχῇ τῆς κοσμοποιΐας, οὐδενὸς ἀναιτίου γινομένου (for. ἂν αἰτίου) ἐπιπορεύεται τῷ νῷ ἕκαστον τῶν ἐσομένων ὁρῶν ἐπεὶ τόδε γέγονε, τόδε ἕπεται· ἐὰν δὲ γένηται τόδε τὸ ἑπόμενον, τόδε ἀκολουθεῖ, οὗ ὑποστάντος τόδε ἔσται· καὶ οὕτω μέχρι τέλους τῶν πραγμάτων ἐπιπορευθεὶς, οἶδεν ἃ ἔσται, οὐ πάντως ἑκάστῳ τῶν γινωσκομένων αἴτιος τοῦ αὐτὸ συμβῆναι τυγχάνων. ὥσπερ γὰρ εἴ τις ὁρῶν τινα διὰ μὲν ἀμαθίαν προπετῆ, διὰ δὲ τὴν προπέτειαν ἀλογίστως ἐπιβαίνοντα ὁδοῦ ὀλισθηρᾶς, καὶ καταλάβοι πεσεῖσθαι ὀλισθήσαντα, οὐχὶ αἴτιος τοῦ ὀλίσθου ἐκείνῳ γίνεται· οὕτω νοητέον τὸν θεὸν προεωρακότα ὁποῖος ἔσται ἕκαστος, καὶ τὰς αἰτίας τοῦ τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι καθορᾷν καὶ ὅτι ἁμαρτήσεται τάδε, ἢ κατορθώσει τάδε.

1 Prosa 4. lib. V. — 2 Cap. ult.

nec ideo factum est quia prædictum erat, sed ideo prædictum est quia erat futurum, ut præscientiam suam Deus in his quæ per libertatem arbitrii hominum futura erant ostenderet. Libertatem dicimus arbitrii, quia voluerunt Judæi facere quod fecerunt, et utique si noluissent, non fecissent [1]. » Mox : « Præscientia quidem Dei non fallitur, sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur. » Simillima sunt hæc Hieronymi in commentariis ad secundum caput *Ezechielis* ad illa verba : *Si forte vel ipsi audiant*, cujusmodi et ista sunt Hieremiæ capite XXVI : *Si forte audiant et agant pœnitentiam*, quæ sic Hieronymus declarat : « Loquitur hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monstret arbitrium; ne præscientia futurorum mali vel boni, immutabile faciat quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille ventura cognoscit, necesse est nos facere quod ille præscivit; sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus. »

Anselmi disputatio.

VI. Anselmus vero in libro *de Concordia præscientiæ Dei cum libertate*, ubi quæstionem istam uberrime disputat, tum ad eam acute multa et exquisite, tum illud exponit : « Si quis intellectum verbi proprie considerat, hoc ipso quod præscire aliquid dicitur, futurum esse pronuntiari. Non enim nisi quod futurum est præscitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico, quia si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam, si erit, ex necessitate erit. » Vere id quidem Anselmus. Nam eo ipso quod dicimus, Deum præscire Petrum esse peccaturum, significamus illum peccaturum, quia præscientia rei est veræ, falsæ autem esse non potest nisi et illa sit falsa. Quamobrem necessitas illa quæ cum enuntiationibus ejusmodi implicata videtur, « rei positionem non præcedit, ut idem loquitur, et idem valet ac si sic pronuntietur : Quod erit, ex necessitate erit. Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod erit, non poterit simul non esse. » Itaque necessitas ista *sequens* ab eodem Anselmo vocatur, quæ quidem alteri ex adverso respondet, quam *antecedentem* nominant. Cujusmodi in causa inest et rei extantiam antegreditur, hæc vero consequens rem ipsam certo existentem tempore comitatur ex eaque sequitur. Ac paulo post, illam ipsam Dei præscientiam ideo certam et immutabilem esse dicit, quia cum æternitate Dei conjuncta est, « in qua non est præteritum, vel futurum, sed tantum præsens. Porro sicut quamvis in æternitate non fuit, aut erit aliquid, sed tantum est, et tamen in tempore fuit et erit aliquid sine repugnantia ; ita quod in æternitate mutari nequit, in tempore aliquando per liberam voluntatem, antequam fit, esse mutabile probatur absque inconvenientia. » Tum addit : « Vim illam æternitatis quæ claudit omne tempus et quæ sunt in quolibet tempore, facere ut præscientia Dei et liberum arbitrium nequaquam invicem repugnent. » Quippe « quod in tempore antequam sit mutabile dicitur, id in æternitate manere immutabiliter non antequam sit vel postquam est, sed indesinenter, quia nihil est ibi secundum tempus. »

Guillelmi Parisiensis disputatio.

VII. Hanc etiam controversiam plene ac subtiliter enodavit Guillelmus Parisiensis [2]. Cujus ad propositam argumentationem hæc responsio est : necessitatem illam qua dico, necesse est evenire quod evenit vel quod Deus præsciverit, dupliciter intelligi, vel composite vel divisim : quod vulgo dicere solent *in sensu composito* vel *diviso*. Verum aliter illud Guillelmus accipit quam istud usurpari solet. Nam composite sic explicat ut sit universe et in totum, divisim autem ut sit per singula. Est igitur universe verum id accidere quod futurum prævidit Deus, quamvis multa singillatim spectata non necessario accidant. Atque hanc distinctionem sic ab sophistis Italicis vel Latinis appellari dicit, ut enuntiatio ista : *Quod Deus fore præscivit, necessarium est fieri*, vel *secundum dictum* intelligatur vel *secundum rem*. Priore modo necessarium est illud accidere, hoc est composite : at secundum rem, quod est divisim, non est necesse. Sed eas appellationes tanquam pueriles deridet ac late refellit. Videtur autem, nisi fallor, sanctum Thomam perstringere qui et Italus et Latinus, hoc est apud Aquinates in Latio natus est. Hic enim distinctione illa, *in re et in dicto* utitur [3]. Verum haud multo est expeditior illa Guillelmi ratio. Itaque amplectendum id potius quod eodem in capite tradidit, necessitatem aliam esse conditionalem sive *consequentem*, aliam absolutam sive *antecedentem* : priori modo necesse esse ut si hoc Deus præscivit, eveniat : non autem posteriore, ut supra declaravimus. Plura et quidem erudita ac scitu digna apud eumdem Guillelmum leges, nec non apud sanctum Thomam, aliosque tam

1 Tract. III *de Pasch.* — 2 In I par. *de Univer.* parte III, cap. XV, et XVI.— 3 In I. par. qu. XIII, ad 3.

philosophos quam theologos, quæ nostro instituto aliena sunt. Facere tamen non possum quin ex Guillelmo pauca insuper adtexam de eo quod objici solet interdum, ac minus peritos movere potest. Nam si contingens est aliquid quod Deum certo scire dicimus, est autem contingens id quod ita est ut esse non potuerit, potuit ergo non esse, adeoque non sciri a Deo, ac tam enuntiatio illa quam ab æterno veram et a Deo cognitam fuisse volumus, falsa esse potuit, quam ipsa Dei scientia. Cui sic ille respondet: Quemadmodum id quod contingens est, sic existit reipsa ut non existere potuerit; sic etiam non sciri ac videri a Deo potuisse. « Comitantur enim se, ait, semper veritas in unoquoque dicibilium et scientia creatoris, ita ut si est verum, sit scitum a creatore, et si non est verum, non sit scitum ab eodem, et si fuit verum, quandocumque fuit verum, est scitum, et e converso. » An vero propterea mutatio ulla in divinam scientiam cadere poterit, inquiretur postea. Latius enim patet hæc quæstio, et ad divinam voluntatem et efficientiam proprie spectat.

De hac difficultate gentilium philosophorum placita.

VIII. Ad hæc veterum Patrum theologorumque placita, quibus cum hominis voluntate libera Dei præscientia conciliatur, possunt suffragatores adjungi gentiles aliquot philosophi, qui in easdem cum illis rationes incurrunt. Sed imprimis Plotinus qui Deum futura ante nosse scribit: « Non quemadmodum vates, sed ejusmodi inesse illorum notitiam, qualis in eis est qui ipsi faciunt et credunt ea futura. Hoc vero idem est atque omnium dominos esse dicere, quibus nihil ambiguum est ac dubium. Itaque quorum certa est sententia, in his ea permanet. Quare eadem est et futurorum sagax scientia quæ et præsentium, quod ad stabilitatem attinet [a]. » Hic ille philosophus futura omnia et nosse Deum asserit tanquam præsentia contempletur, et ideo nosse, quia singula efficit. Quinetiam alibi divinam providentiam quod in nobis est situm nequaquam excludere docet [1].

Verum de hoc argumento plenius et imprimis erudite disserit Ammonius in commentariis ad librum Aristotelis *de Interpretatione*, ac proposito enucleatoque controversiæ statu, demum ex Jamblichi auctoritate sic eam dissolvit: Res omnes ait tripliciter cognosci, aut ea notitia quæ rei cognitæ modum ac dignitatem superet, aut ejusmodi quæ deterior inferiorque sit, aut æquali denique. Nam cum mens nostra particulares res et sensibus objectas intelligit, præstantiore quam sunt ipsæ cognitione eas percipit. Cum autem seipsam intuetur, æqualem sibi cognitionem exprimit. Demum cum divina contemplatur, inferior est rebus cognitis earum notitia. Ad hunc modum deos respondet, cum futura prævident, multo ea nobiliori quam est illorum conditio cognitione comprehendere. Si quidem ista ut in seipsis considerantur, minime definita sunt, ac fieri vel non fieri possunt. Deus autem hæc eadem definito modo ac sine ulla divisione et singulariter cognoscit, neque tanquam futura, sed ut præsentia considerat. Non tamen ex eo consequi putat, necessario eventura illa quoniam certo cognoscit Deus [b]. Quippe res ut in se sunt, minime determinatum habent existendi modum, sed utrinque cadere possunt, atque hunc vel illum habere exitum. Sed quatenus sub divinam notitiam incidunt, definita sunt. Novit enim ille utcumque sese habitura sunt, eaque tametsi natura sua incerta sunt et contingentia, in Dei cognitione fixa sunt. Cætera apud auctorem ipsum non sine fructu leges. Nolo enim in istis esse longior.

IX. Superest * posterior Augustini responsio [2] quam supra posui: Non ideo peccare

a Plot. *Enn.* 4. lib. IV. cap. xii. Καὶ ἡ γνῶσις δὲ τῶν μελλόντων, εἴπερ αὐτῷ συγχωρεῖται παρεῖναι, οὐ τοιαύτη ἂν εἴη, οἵα τοῖς μάντεσι πάρεστιν, ἀλλ' οἵα αὐτοῖς τοῖς ποιοῦσι τοῖς πεπιστευκόσιν ὅτι ἔσται· τοῦτο δὲ ταὐτὸν τοῖς πάντα κυρίοις, οἷς οὐδὲν ἀμφίβολον, οὐδ' ἀμφιγνοούμενον. οἷς ἄρα ἄραρεν ἡ δόξα τούτοις παραμένει ἡ αὐτὴ ἄρα καὶ περὶ μελλόντων φρόνησις, οἵα καὶ περὶ παρόντων κατὰ τὸ ἑστάναι.

b Ammon. Καὶ οὐ χρὴ νομίζειν ὅτι ἀναγκαίαν ἕξει τὴν ἔκβασιν ἃ λέγομεν ἐνδεχόμενα, διὰ τὸ ὑπὸ θεῶν γινώσκεσθαι ὡρισμένως· οὐ γὰρ διότι γινώσκουσιν αὐτὰ οἱ θεοὶ, διὰ τοῦτο ἀναγκαίως ἐκβήσεται· ἀλλ' ἐπειδὴ φύσιν ἔχοντα ἐνδεχομένην, καὶ ἀμφίβολον, πέρας ἕξει πάντως ἢ τοῖον, ἢ τοῖον· διὰ τοῦτο τοὺς θεοὺς εἰδέναι ἀναγκαῖον ὅπως ἐκβήσεται· καὶ ἔστι τὸ αὐτὸ τῇ μὲν φύσει τῇ ἑαυτοῦ, ἐνδεχόμενον, τῇ δὲ γνώσει τῶν θεῶν, οὐκέτι ἀόριστον, ἀλλ' ὡρισμένον.

* Propositionem hisce conceptam verbis, « bonum malumve hominis actum ideo futurum non quia illum Deus præsciverit, sed ideo Deum præscivisse quia ille futurus esset » improbari nullatenus posse, luculenter efficitur; I suffragio majorum qui eadem usi sunt, et e quibus modo succurrunt Origenes (*Cont. Celsum*, lib. II. n. 20. et *de*

1 Ut *Ennead.* 3. lib. II. cap. ii. — 2 Lib. V. *de Civit. Dei.* cap. x.

hominem aut aliquid aliud contingere quod ex libertate oritur, quia futurum hoc præscivit Deus, sed ideo præscire Deum quia libere est ille peccaturus. Ex quo sequi videtur, quod est ipsum quæstione dignum, futura contingentia causas esse scientiæ Dei. Qua de re non eadem saltem in speciem videtur antiquorum opinio fuisse. Origenes quidem apud Eusebium plane asserit, res ipsas futuras causas esse præscientiæ divinæ. Cum enim docere vellet non ideo peccare homines necessario quia Deus peccaturos illos esse novit, hoc probat sic : « Ac, si ita loqui fas est, non est præscientia causa rerum quæ fiunt. Non enim illum qui peccatum admissurus esse præscitur, attingit Deus cum peccat, sed (ut quod dictu quidem magis est mirabile sed tamen verius, eloquar) quod futurum est, causa est cur talis sit ipsius præscientia. Non enim ex eo quod cognitum est, fit illud, sed quoniam futurum erat, est cognitum [c]. » Quibus expositis, mox totam quæstionem dilucide sic explicat : « Distinctione illic opus esse. Nam si quod dicitur omnino esse futurum sic interpretatur aliquis, ut necesse sit fieri quod præscitum sit, hoc illi non concedimus. Neque enim dicemus, quandoquidem præscitum erat, proditorem fore Judam, prorsus necesse fuisse uti Judas esset proditor [b]. » Quod ubi ex Scriptura demonstravit, reliquam partem orationis adtexit : « Sin ita quispiam narrat, omnino istud fore, hoc ipsum significans, ista ipsa sic futura ut tamen aliter habere potuerint, id nos tanquam verum admittimus. Nam Deus mentiri nullo modo potest, potest de iis quæ contingentia sunt, ut fieri vel non fieri possint, cognoscere futura ipsa vel non futura. » Ac denique concludit itidem ut Ammonius, Deum certo scire de duobus contingentibus utrum futurum sit, velut Judam proditorem fore : rem autem ipsam, ut in se consideratur, incertam esse, ac vel futuram vel non futuram. Huic et Gaudentius assentiri videtur eo in loco quem superius attulimus : « Nec ideo factum est quia prædictum erat, sed ideo prædictum quia futurum erat. » Et Anselmus dum, ut paulo ante memoravimus, asserit idem esse si dicatur : « Si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum, ac si dicam : Si erit, ex neces-

a Orig.. lib VI. *de Præpar.* Καὶ εἰ χρὴ λέγειν, οὐ τὴν πρόγνωσιν αἰτίαν τῶν γινομένων· οὐ γὰρ ἐφάπτεται τοῦ προεγνωσμένου ἁμαρτησομένου ὁ θεὸς, ὅταν ἁμαρτάνῃ. ἀλλὰ (παραδοξότερον μὲν, ἀληθέστερον δὲ ἐροῦμεν) τὸ ἐσόμενον αἴτιον τοῦ τοιάνδε εἶναι τὴν περὶ αὐτοῦ πρόγνωσιν· οὐ γὰρ ἐπεὶ ἔγνωσται γίνεται, ἀλλ' ἐπεὶ γίνεσθαι ἔμελλεν ἔγνωσται· διαστολῆς δὲ δεῖται· εἰ μὲν γὰρ τὸ πάντως ἔσται, οὕτω τις ἑρμηνεύει, ὡς ἀνάγκην εἶναι γενέσθαι τὸ προεγνωσμένον, οὐ δίδομεν αὐτῷ· οὐ γὰρ ἐροῦμεν ἐπεὶ προέγνωσται Ἰούδαν προδότην γενέσθαι, ὅτι πᾶσα ἀνάγκη ἦν Ἰούδαν προδότην γενέσθαι, etc.

b Mox : Εἰ δέ τις διηγήσεται τὸ πάντως ἔσται, κατὰ τὸ σημαίνειν αὐτὸ λέγων ὅτι ἔσται μὲν τάδε τινὰ, ἐνεδέχετο δὲ καὶ ἑτέρως γενέσθαι, τοῦτο ὡς ἀληθὲς συγχωροῦμεν· τὸν μὲν γὰρ θεὸν οὐκ ἐνδέχεται ψεύσασθαι· ἐνδέχεται δὲ περὶ τῶν ἐνδεχομένων γενέσθαι, καὶ μὴ γενέσθαι φρονῆσαι τὸ γενέσθαι αὐτὰ, καὶ μὴ γενέσθαι.

Principiis, lib. III. cap. I. n. 22, cap. III. n. 4.); Chrysostomus (*De Prophet. obscur.* hom. I. n. 4.); Theodoretus (*In Rom.* VIII, 30); Augustinus (*De Lib. arbitr.* lib. III. cap. III. n. 8. et *de Civit. Dei*, lib. V. cap. IX. n. 4.); Boetius (*De Consolat.* lib. V. prosis III-VI.) et Hildebertus (*Tract. theolog* , cap. IX.) Efficitur II suffragio scholasticorum, cujusmodi sunt Alexander Alensis (S. I. p. q. XXIV. membr. II.); Albertus (S. I. p. q. LXI. membr. II.); Gregorius Ariminensis (in I. dist. XXXVIII. q. II. art. 3.). atque ex recentioribus Bellarminus (*De Grat. et lib. arbitr.*, lib. IV. cap. XIII.); Lessius (*de Grat. effic.* cap. III.) et Vasquius (in I. p. disput. LXVIII. cap. VI. et disput. LXIX. cap. II.), qui superiorem propositionem aut illi geminas repetierunt. Efficitur III exploratissimo theoremate quo constat, abortam ex præscientia necessitatem esse consequentem non antecedentem. Cum enim sit necessitas consequens, ab electione voluntatis omnino dependet, adeoque quod præscitur, eatenus quæritur quatenus futurum est. Efficitur denique IV hac apertissima veritate, actum libere futurum *conditionem* esse *sine qua* præsciri illi a Deo non posset. Ejusmodi namque habitus *conditionis sine qua non* effertur cum dicitur, « ideo aliquid præsciri quia futurum sit. » Nihilominus multo forte commodius fuerit propositionem paulo inflexam temperatamque his verbis complecti : « non propterea bonum malumve hominis actum futurum, quia Deus illum præsciverit. » Huic enim propositioni tum veteris mediæque ætatis, tum recentioris scriptores uno ore patrocinantur, illaque funditus sejuncta est a quovis præposteræ fallacisque interpretationis periculo. Sane particulæ *propterea*, *quia*, *ideo* causales ex sese sunt, ac pressius acceptæ causam demónstrant. Cum ergo dicitur, « bonum malumve hominis actum idcirco a Deo præsciri, quia ille futurus est, » oboriri suspicio potest, ejusmodi actum « veluti causam divinæ præcognitionis exhiberi. » Atqui divinæ scientiæ nullam admitti posse creatam causam, unanime est theologorum dogma, quibus proinde neque ipse Magister omnino placuit etsi duntaxat scripserit (*Sent.* lib. I. dist. XXXVIII.), futuram rei exsistentiam esse non quidem « absolute simpliciterque causam , » sed « causam sine qua non divinæ præscientiæ. » Quare Alexander Alensis (S. I. p. q. XXIV. membr. III.) et Albertus (S. I p. q. LXI. membr. III.) censuerunt dicendum esse, « quia res futura est, ideo apta est ut sciatur esse futura. » Quæ quidem licet subtiliora, sunt tamen verissima. *E. R.*

sitate erit. » Si quidem « hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. »

X. Verum Boetius contra sensisse videtur, qui cum illud loquenti secum philosophiæ objecisset[1] : « Quam præposterum est ut æternæ præscientiæ temporalium rerum eventus causa esse dicatur ! Quid est autem aliud arbitrari ideo Deum futura quoniam sunt eventura providere, quam putare quæ olim acciderunt, causam summæ illius esse providentiæ[2] ? » post ita respondentem sibi eamdem philosophiam inducit : Deum uno intuitu futura omnia, liberasque voluntates et earum mutationes tanquam præsentes inspicere. « Quam comprehendendi omnia visendique præsentiam, non ex futurarum proventu rerum sed ex propria Deus simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque solvitur quod paulo ante posuisti, indignum esse si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientiæ vis præsentaria notione cuncta complectens, rebus modum omnibus ipsa constituit, nihil vero posterioribus debet. » Quæ Boetii ratio non satis cohærere videtur cum eo quod eadem in prosa sexta sub philosophiæ persona tradidit, Deum omnia futura et contingentia tanquam præsentia prospicere. Ideo nihilo magis illius præscientiam rebus vim ac necessitatem habere, quam aspectus noster rebus iis quas coram fieri cernimus. Certe enim qui currentem hominem aspicit, modum illius cursui minime aspectu suo constituit. Quocirca Boetium apparet, Dei scientiam laxius et confusius usurpasse, tum quatenus res omnes absolute neque ut certo extantes tempore cognoscit, tum ut easdem certæ affixas temporis differentiæ contemplatur. Quarum duarum cognitionum priorem nominant in scholis *scientiam simplicis intelligentiæ*, posteriorem *visionis*. Illius est ordinare res ac disponere, ac voluntatem divinam et efficientiam quodammodo gubernare, quemadmodum architectandi usum et operis institutionem ars illa quæ est in artificis mente moderatur ac dirigit. Posterior autem res easdem voluntate jam divina designatas et constitutas et in aliqua temporis parte producendas, quasi existentes ac præsentes intuetur propter illam quam et supra demonstravimus et superiore in libro, vim æternitatis, quæ omne præteriti ac futuri discrimen excludit.

Neque vero sic est habendum, duas illas et distinctas in Deo esse cognitiones. Est enim unica simplexque, *habitudine* tantum ac σχέσει discrepans, quod illa quæ *visionis* dicitur, ad rerum existentiam respectum habet quo caret altera. Quare possunt futuræ res hoc sensu dici causæ divinæ scientiæ quod ipsa illarum existentia tanquam objectum definit ac determinat notitiam Dei. Neque enim alio modo quam quo existunt reipsa, videntur a Deo, cujus ut vera sit, consentanea debet rebus esse cognitio. At prior scientia cum res diversas variosque modos quibus constare illæ possunt præ se habeat, efficiendi potestatem ac voluntatem divinam regendo ad unam aliquam ex omnibus accommodat. Ita vero de hac scientia dictum est a Boetio, *rebus eam omnibus modum constituere*, quod de posteriore minime dici potest ; quoniam, ut ait Augustinus, « si non contigisset id quod contigit, nullo modo id præscisset futurum, quia non erat futurum. » Unde necesse est prius rem cogitari futuram, quam futura prævideatur. Ac Boetius ipse in Commentario ad librum Aristotelis *de Interpretatione* editionis secundæ, communi favet sententiæ. Cum enim illam sibi quæstionem proposuisset : « An si Deus omnia futura noverit, hinc eveniat ut omnia ex necessitate fiant, » ita respondet : « Sed si quis hoc dicat, illi videndum est quod Deum dum omnia scire conatur efficere, omnia nescire contendit. Binarium enim numerum esse imparem si quis se scire proponat, non ille noverit, sed potius nescit. Ita quoque non est potentiæ nosse, sed id arbitrari nosse, potius impotentiæ est. Qui ergo dicit Deum cuncta nosse, et ob hoc cuncta ex necessitate esse futura, is Deum dicit ex necessitate cuncta ventura credere quæcumque ex necessitate non eveniunt. Nam si omnia ex necessitate ventura novit Deus, in notione sua fallitur ; non enim omnia ex necessitate eveniunt, sed aliqua contingenter, etc. » Mox futurorum contingentium scientiam ex rebus ipsis hauriri ita demonstrat : « Novit enim futura Deus non ut ex necessitate evenientia sed ut contingenter, ita ut etiam aliud posse fieri non ignoret, quod tamen fiat, ex ipsorum hominum et actuum ratione persciscat.»

An enunti tiones de futuris co tingentibu sint defini veritatis

XI. Postremo ex his velut corollarium deduci potest, quod ad illud respondeatur de quo quæri vulgo solet, an sint enuntiationes quæ de futuris contingentibus proferuntur

1 Lib. V. *de Consol. phil.* — 2 Pro. 3.

definitæ veritatis, an hæc in incerto pendeat. Qui locus etsi dialecticorum proprius est, atque ab illis ad librum Aristotelis *de Interpretatione* tractari consueverit, quia tamen majori ex parte sic affectus est ut de eo non præjudicium sed plane judicium in superiori omni disputatione factum sit, hic eum breviter attingam. Est enim de futurorum illorum veritate prorsus eadem existimatio ac de necessitate, ut quemadmodum res istas per se et in causis suis nequaquam esse necessarias ostendimus, sed posse esse vel secus, in Dei vero scientia et propter illam jam necessario definitas; sic et veras easdem ex omni æternitate ac defixas esse statuamus in Dei notitia, in se autem et respectu ad earum causas habito, pendentes adhuc et incertas. Etenim esse rem ac veram esse prorsus est idem, sic etiam fore eamdem ac veram fore. Quare uti res futura contingens, si in se ac suapte causa consideretur, potest esse vel non esse, sin ad divinam scientiam referatur, necesse est illam esse : quod ex veterum opinione paulo ante confectum est. Ita in se neque vera est neque falsa, in Dei autem scientia vera est, siquidem est futura. Quod inter alios recte Ammonius iis verbis indicat, quæ supra descripsimus.

Nec alio sensu idipsum pronuntiavit Anselmus tam in *Monologio*[1] quam in dialogo *de Veritate*[2]. Quorum librorum in priore sic scribit : « Deinde cogitet qui potest, quando incepit, aut quando non fuit hoc verum, scilicet quia futurum erat aliquid : aut quando desinet, et non erit hoc verum, scilicet, quia præteritum erit aliquid. Quod si neutrum horum cogitari potest, et utrumque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est vel cogitare, quod veritas principium vel finem habeat. Denique si veritas habuit principium, vel habebit finem, antequam ipsa inciperet, verum erat tunc quia non erat veritas, et postquam finita erit, verum erit quia non erit veritas. At quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas antequam esset veritas, et erit veritas postquam finita erit veritas, quod inconvenientissimum est. » Hæc, inquam, argute de veritate ab Anselmo excogitata, probant ante rerum omnium procreationem vera in Deo Deique scientia fuisse quæcumque erant futura. Nam extra illam et in sese, neque vera *actu*, neque falsa fuerunt, sed esse vera pôterant. Atque hoc plenius in dialogo *de Veritate* idem exsequitur.

Commode item Augustinus ad hoc ipsum argumentum in sexto et vicesimo libro *contra Faustum Manichæum*[3], ubi tum de præteritis, tum de futuris eorumque veritate scribit ita : « Non ergo est quod vere dicimus fuisse, sed ideo verum est illud fuisse, quod in nostra sententia verum est, non in ea re quæ jam non est. Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est quia illud de quo dicimus jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quod si quæras ubi sit hæc vera sententia, prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus et dicimus. Sed si et de animo nostro ablata fuerit, cum id quod scimus obliti fuerimus, manet in ipsa veritate. Semper enim verum erit fuisse illud quod erat et non est, et ibi verum erit jam fuisse quod erat, ubi verum erat antequam fieret, futurum esse quod non erat. » Verum uberius ac subtilius hæc, ut dixi, dialecticorum in scholis agitantur.

CAPUT VIII.

De contingentibus non reipsa futuris sed quæ futura erant, certa conditione posita, quæ nunquam ponenda sit. Ea cognosci a Deo, idque certa scientia tam e Scripturis quam ex Patribus ostenditur Græcis ac Latinis et imprimis Augustino. Explicantur tam hujus quam Fulgentii loca, quæ talem præscientiam negare videntur.

I. Rerum divinæ scientiæ subjectarum genus est omnino duplex. Nam aliæ sunt quæ suo existunt tempore, aliæ nullo prorsus existunt, sed in *possibilium*, ut vocant, serie consistunt. Utraque porro certa quæque falli nullo modo potest notitia Deo esse cognita, nemo nisi qui quid sit Deus ignoret, ambigere potest, ut ex antecedentibus capitibus constare arbitror. Jam una eademque Dei scientia, prout suo quæque res genere censentur, ita nomen habet diversum. Itaque alia *simplicis intelligentiæ* vocatur in scholis, quæ res nunquam orituras simplici velut notitia complectitur, hoc est nullo eas optantis nutu voluntatis implicitas. Alia *visionis* scientia dicitur, qua res aliquo tempore futuras, jamque veluti deliberatas ac decretas contemplatur

Rerum divinæ scientiæ subjectarum genus duplex.

1 Cap. XVII. — 2 Cap. I. — 3 Cap. V.

Deus. Sunt qui tertiam adjiciunt, sive potius priore latius porrecta, in ea ipsa collocant quam *præcisionis* appellant, cui res etiam aliquando futuræ proponuntur, sed absolute, hoc est non ut futuræ determinatæque sunt, verum ut in seipsis considerantur ac nonnisi possibiles sunt. Hanc postremam qui a duabus aliis separant, *præcisionis*, ut dixi vocant, quod a rebus etiam futuris existentiam ejusque tempus intelligendo præcidit. Ut si Antichristum antequam Deus procreare vellet, simplici intelligentia percepisse dicatur. De iis duabus tribusve notitiis nulla theologorum in scholis est controversia.

II. Verum præter illas duas, tertia quædam (placet enim istam ipsam quæ præcisionis dicitur ad primam revocare, et huic *possibiles* res omnes assignare quatenus ut possibiles spectantur, licet aliquando reipsa sint) præter duas igitur quarum una res nunquam futuras, altera res solas futuras propositas habet, mediam quamdam plerique constituunt, quæ sit rerum contingentium ac nunquam futurarum, quæ si certa conditio poneretur essent aliquando futuræ, tametsi neque conditio ipsa neque quod ex ea nexum est et consequens, ullo modo sit futurum. Ejusmodi sunt ista, Ceilanorum proditio qua Davidem in Saulis manus tradidissent, si eo venisset[1]. Tum Tyriorum et Sidoniorum pœnitentia, quam futuram pronuntiat Christus si apud illos eadem quæ in Galilæa portenta fecisset[2]. De hoc genere scientiæ vehemens in scholis altercatio hoc fere sæculo est exorta, quæ bifariam theologos divisit : aliis magno ardore pro illa certantibus : aliis non minore conatu eamdem oppugnantibus. Quo ex conflictu innumeri iique prægrandes libri prodierunt de hoc uno argumento conscripti, qui quæstionem hanc totam ejusque latebras omnes ac recessus ita perscrutati sunt, nihil ut fere dicendum supersit quod illorum jam non occuparit industria. Quamobrem potuit hæc a nobis omitti controversia, quæ et tam accurate aliorum opera profligata sit, nec ad institutum nostrum pertinere videatur. Nullam enim de hoc argumento litteram antiqui Patres fecerunt. Itaque tota scholarum est ita quæstio, nisi quod implicatam et obscuram illius mentionem scientiæ veteres interdum facere videntur. Ac non facile quæstionem in tota theologia quam litigiosam, id est scholasticam vocant, ullam invenias, in quam major ex antiquitate testium et auctorum arcessita sit copia cum ex adverso nonnullorum sententia notatam ac damnatam esse qui illi adversantur objiciant. Quamobrem facere non potui, quin caput hoc attingerem saltem leviter ac delibarem, quatenus nostra interest, hoc est ad antiquorum Patrum decreta et sententias pertinet, quod sum equidem, ut dixi, qua potero brevitate facturus.

Deum futura contingentia nunquam extitura nosse probatur ex Scripturis.

III. Ac Deum quidem eventa illa nosse quæ sub aliqua conditione futura erant, et ideo non sunt facta quia conditio illa defuit, pluribus exemplis ac sententiis Scriptura persuadet. E quibus insigne est illud, præter ea quæ posui duo Ceilanorum ac Tyriorum, quod ex capite IV libri *Sapientiæ* Augustinus contra Pelagianos sæpe commemorat: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quibus ex verbis colligit Augustinus, quosdam singulari Dei beneficio ex hac vita immatura morte

* Impense cavendum est ne cum *reali* controversia *nominalis* purisque contenta verbis confundatur. Controversia namque realis est, utrum Deo illorum asseri scientia debeat, quæ essent libere futura, si certa quædam conditio exsisteret, quæ tamen nuspiam exstitura sit. Hanc porro nominalis excipit controversia, qua potissimum appellatione ejusmodi scientia insigniri debeat. Et quidem inter ipsos quoque illius vindices non omnino defuisse novimus qui cogitatione in eas proprietates intenti, quibus illa cum scientia cohæret *simplicis intelligentiæ* et *a scientia visionis* secernitur, putaverint prioris ambitu scite illam comprehendi, *scientiamque simplicis intelligentiæ* aptissime nuncupari. Ad hunc album præ aliis spectant Nicolaus Ysambertus (In I. p. ad q. XIV. disput. II. art. 1-103.), Robertus Bellarminus (*De amiss. grat. et statu peccati* lib. II. cap. XVII.), Alphonsus Salmeron (*In epistt. Pauli* lib. I. p. II. disput. I.), Gregorius de Valentia (In I. p q XIV. punct. 5.) et Gabriel Vasquius (In I. p. disput. LXVII. cap. IV.), qui partitionem in scientiam simplicis intelligentiæ ac visionis plenam suisque absolutam numeris arbitrantur. Prævaluit tamen appellatio *scientiæ mediæ*, eaque, ut nonnullos duntaxat nominemus, usi sunt præter Fonsecam (Metaphysic. lib. VI. cap. II. q. IV. sect. 8.) et Molinam (In I. p. q. XIV. art. 13. disputatt. XVII-XVIII.), Lessius (*Apolog. pro grat. effic.* cap. XIX.), Suarius (*De scient. Dei* lib. II. cap. III.), Didacus Ruiz (*De scient. Dei* disput. LXXVI.) et Johannes Martinez de Ripalda (*Quæstt. theologic.* opusc. II. q. I. lect. I.), qui eam appellationem frequentant ac frequentandam tuentur. Neque immerito, quum scientia qua de loquimur, consors ex æquo sit proprietatum aliquot tum scientiæ simplicis intelligentiæ, tum scientiæ visionis, proindeque interjecta veluti incedat, atque *mediæ* titulo præclare designetur. *E. R.*

1 I. *Reg.* XXIII, 13. — 2 *Matth.* XI. 21.

subtrahi, quos si diutius viverent, gratia et salute multandos esse præscivit. Hoc enim « donum Dei esse dicit, ut finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum. Cur autem aliis donetur, aliis non donetur ignorari [1]. » Oportet ergo Deo notum id fuisse quod revera non contigit, contigisset autem si vitam longius produxisset. Ejusmodi sunt alia passim loca sacris in libris quæ fuse ac diligenter selecta et exposita sunt ab iis, qui de hac controversia longos ut jam dixi commentarios explicarunt, præsertim a Didaco Ruiz in libro *de Scientia Dei* [2] : quæ omnia certam minimeque dubiam exprimunt notitiam rerum haud absolute futurarum, sed quæ revera fuissent, si id unde pendebant in rebus extitisset. Nam quod ad Patres attinet, ingens ab iisdem illis citatus est numerus Græcorum Latinorumque scientiæ isti suffragantium, e quibus paucos in medium afferam.

Item ex Patribus. IV. Est autem cumprimis disertus Gregorii Nysseni locus ex oratione de infantibus qui acerba morte ex hac vita subtrahuntur, de quibus eadem expromit quæ in illo *Sapientiæ* loco Scriptura docuit : nimirum « divinæ esse providentiæ ejusque perfectæ non solum contractos sanare morbos, sed etiam ne omnino quispiam in illicitis versetur prospicere [a]. » Cujus rationem sic reddit, ut certissime dicat scire Deum quid futurum esset si longius ætatem duceret. « Est enim consentaneum, ab illo qui peræque futurum novit ac præteritum, prohiberi parvuli progressionem ad perfectam ætatem, ne malum illud quod præsciens illa vis et facultas cognoverit, in eo qui victurus esset ita, perficiatur, atque ei qui ea voluntate arbitrioque victurus fuisset, materia nequitiæ vita fiat. » Hic sane Gregorius ostendit, non probabilem nec incerto velut exitu suspensam ac dubiam in Dei notitia versari animi ac voluntatis inductionem, non modo quæ potuit esse, sed quæ reipsa fuisset si diutius vixissent. Tam enim nota esse futura hujusmodi dicit, quam sunt ea quæ præterita sunt. At hæc perfecte, distincte, certoque cognita Deum habere nemo diffitetur. Prorsus ergo etiam illa futura sine ambiguitate novit. Deinceps similitudine quadam hoc declarat Gregorius ab convivii magistro sumpta, qui certos prævidens crapula et ebrietate lædendos esse, arcet a convivio. Tum sic colligit : « Hoc ipsum est quod dico, perfectæ providentiæ opus esse ut non solum conflatæ jam affectiones curentur, sed etiam antequam sunt conflatæ prohibeantur. Quod et nos de infantium morte opinati sumus, nempe illum qui ratione omnia gubernat, pro sua benignitate materiam improbitati subtrahere, dum ei voluntati quam præsciente omnia vi sua cognovit, tempus non tribuit ut reipsa factisque se suis in summa illa improbitate monstraret [b]. »

V. Quemadmodum de futuris illis non futuris absolute docet Gregorius Nyssenus certam eorum penes Deum esse notitiam, propter quam nonnulla facit quæ alioqui non faceret, ac tam liquido sciri illa quam præterita; ita etiam Nemesius christianus philosophus et scriptor disertus in XLIV capite libri *de Natura hominis* dum providentiam Dei contra ejus oppugnatores approbat et causam explicat, cur interdum boni viri calamitosi sint et egestate atque aliis incommodis oppressi, postquam eadem illa dixit quæ Gregorius Nyssenus, scire Deum opes et fortunas bonis illis viris si eas obtinerent obfuturas, ideoque sinere ipsos paupertate confici aut orbitate si liberos habeant, ne horum incolumitas istorum obsit saluti, demum hanc esse certissimam scientiam ac similem ei qua res præteritas cognoscit, his verbis ostendit : « Nos enim, inquit, futurorum nihil omnino scientes et in præsentia duntaxat intuentes perperam

a GREG. NYSSEN. Ὅτι τελείας ἐστὶ προνοίας, οὐ μόνον γεγονότα θεραπεύειν τὰ πάθη, ἀλλ' ὅπως ἂν μηδὲ τὴν ἀρχήν τις τοῖς ἀπηγορευμένοις ἐγγένοιτο προνοεῖν· τὸν γὰρ ἐγνωκότα ἐπίσης τῷ παρεληλυθότι τὸ μέλλον, ἐπικωλύειν εἰκὸς τὴν ἐπὶ τὸ τέλειον τῆς ζωῆς τοῦ νηπίου πρόοδον, ὡς ἂν μὴ τῇ προγνωστικῇ δυνάμει τὸ κατανοηθὲν κακὸν ἐπὶ τοῦ μέλλοντος οὕτω βιώσεσθαι τελειωθείη, καὶ γένηται τῷ τοιαύτῃ προαιρέσει συζήσεσθαι μέλλοντι, ὕλη κακίας ὁ βίος.

b GREG. NYSS. Τοῦτό ἐστιν, ὅ φημι τελείας εἶναι προνοίας κατόρθωμα, τὸ μὴ μόνον συστάντα θεραπεύειν τὰ πάθη· ἀλλὰ καὶ κωλύειν πρὸ τῆς συστάσεως· ὃ δὴ καὶ περὶ τοῦ θανάτου τῶν ἀρτιτόκων ὑπενοήσαμεν, ὅτι ὁ λόγῳ τὰ πάντα ποιῶν, ὑπὸ φιλανθρωπίας ἀφαιρεῖται τῆς κακίας τὴν ὕλην, μὴ διδοὺς καιρὸν τῇ προαιρέσει τῇ διὰ τῆς προγνωστικῆς δυνάμεως γνωρισθείσῃ, διὰ τῶν ἔργων ἐν κακίας ἐξοχῇ δειχθῆναι.

1 Aug. *de Cor. et gr.* c. VIII. — 2 Ruiz, disp. LXII. et seq.

eventa dijudicamus. Deo vero etiam futura perinde sunt ac præsentia [a]. » Sic etiam Chrysostomus libro primo *ad Stagirium* rationes edisserit cur Deus Adamum, admisso peccato, statim e Paradiso proturbarit, atque inter alias hanc habet, quod sciret illum multo fore deteriorem : « Ideo, inquit, e Paradiso primum parentem initio statim ejecit, quoniam honor iste tributus illi deteriorem eum fecisset si immotus et stabilis ille maneret violato præcepto [b]. » Rursus in eodem libro in quo pleraque dissolvit quæ contra divinam providentiam opponi solent, inter alia sibi istud objicit : « Quid igitur, ait, cum antequam ad eam pervenerint ætatem in qua bona discernere possint a malis, tanquam magna scelera commiserint, aliqui puniuntur [c] ? » Huic vero respondet : « Multos illorum nosse Deum malos alioqui futuros, atque ideo velut pedicis quibusdam, sic eos pœnis istis coercere [d]. »

Cyrillus item Alexandrinus libro tertio *contra Julianum*, de Adami lapsu, et mox subsecuta pœna disserens, Porphyrii sententiam laudat in qua idem quod Gregorius Nyssenus, aliique Patres de iis qui immaturo exitu rapiuntur e medio, tradidit. « Porphyrius, inquit, sic in libro *ad Nemertium* scribit. Deus autem qui futura novit, alios propter pietatem adhuc juvenes e vita præripit, alios ob detrimenta quæ per illos erant necessariis suis importanda, alios item ob ingentes quæ futuræ erant calamitates ante subtrahit [e]. »

VI. Augustinus vero non dubiam neque ex prudenti ac probabili conjectura tantummodo ductam, sed certissimam futurorum istorum scientiam inesse Deo confirmat, cum plerisque non esse miraculorum ac prædicationis factam ab illo copiam asserit, quos, si data hæc esset, conversum iri liquido cognoverat. Velut in libro *de Dono perseverantiæ* capite XI scribit Deum « his quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed juste aliud judicavit. » Itaque perspicue certoque scivit, hoc est, *prævidit*, illos credituros fuisse, si miracula ista vidissent quæ nec viderunt, et propterea reipsa minime crediderunt. Quod et toto capite nono ejusdem libri et decimo de Tyriis et Sidoniis uberrime disputat. Sic alibi sæpe reprobos et vocationi divinæ adversatos et gratiæ sic a Deo vocari ac moveri potuisse censet, ut sine dubio vocanti parerent, et quod minime fecerunt, gratiam et salutem assequerentur. Ut in libro primo *Quæstionum ad Simplicianum* quæstione secunda : « Quis audeat, inquit, dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est ? » Sic in libro *de Prædestinatione sanctorum*, capite XIV, reprobum ait, « si tunc esset mortuus quando erat justus, » salvum fuisse futurum. Quod ut certo asseverare possumus, ita certo sciri a Deo negare non debemus. Item in libro *de Correptione et gratia*, in fine capitis XI ait primo nostro parenti, si non peccasset, mercedem meriti futurum fuisse non posse peccare. Quem illius ejusque posterorum statum quis certo Deum prævidisse dubitet ? Ad hæc in libro *de Dono perseverantiæ*, capite XI, de reprobis agens quibus perseverantia non datur, potuisse Deum ait « in eorum cordibus operari, ut nullis adversitatibus cederent, nec ab ipso aliqua superati tentatione discederent, cum posset et, quod ait Apostolus, facere ut non eos permitteret tentari super id quod poterant. Certe poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita. » Hæc igitur omnia quæ iis quæ facta sunt, contraria contigissent, certo prævidisse Deum oportet.

Prosper in responsione VIII *ad excerpta Genuensium :* « Cum aliqui pereunt, inquit, non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt, quos utique posset Deus juste libe-

a NEMES. cap. XLIV. Ἡμεῖς μὲν γὰρ οὐδὲν τῶν ἐσομένων εἰδότες, πρὸς τὰ παρόντα δὲ μόνον βλέποντες, οὐκ ὀρθῶς τὰ συμβαίνοντα κρίνομεν· τῷ δὲ Θεῷ καὶ τὰ μέλλοντα ὡς παρόντα ἐστί.

b CHRYSOST. Διὰ τοῦτο καὶ τοῦ παραδείσου τὴν ἀρχὴν ἐξέβαλε τὸν πρωτόπλαστον, ὅτι ἡ παρασχεθεῖσα αὐτῷ τιμὴ χείρονα αὐτὸν ἀπειργάζετο ἂν, εἴπερ ἔμενεν ἀσάλευτος, καὶ βεβαία ἐκείνη, τῆς ἐντολῆς κινηθείσης.

c Idem. ibid. Τί οὖν, φησὶν, ὅταν πρὶν ἐλθεῖν εἰς τὴν ἡλικίαν τὴν διαγνωστικὴν τῶν καλῶν, καὶ τῶν οὐ τοιούτων, ὡς μεγάλα ἠδικηκότες τινὲς κολάζονται;

d Ibid. Πρὸς δὲ τούτοις, πολλοὺς αὐτῶν οἶδεν ὁ Θεὸς ἐσομένους πονηρούς· εἶτα, ὥσπερ τισὶ πέδαις, προκατέχει ταῖς τιμωρίαις ταύταις αὐτούς.

e CYRIL. lib. III *cont. Jul.* Ἔφη γὰρ οὕτως ἐν τῷ πρὸς Νημέρτιον λόγῳ· Θεὸς δὲ εἰδὼς τὸ μέλλον, φθάνει πολλάκις, τοὺς μὲν δι' εὐσέβειαν ἔτι νέους τοῦ βίου προδιεξάγων· τοὺς δὲ, διὰ τὰς μελλούσας ἀπ' αὐτῶν ἔσεσθαι βλάβας τοῖς οἰκειοτάτοις· τοὺς δὲ ἐλεῶν, μελλουσῶν ἕνεκα ἀνηκέστων συμφορῶν προεξαιρῶν.

rare si vellet. Et cum aliqui liberantur, non audeamus definire quod digni fuerint liberari, quos utique posset Deus juste damnare si vellet, etc. De Tyriis autem et Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, signa vidissent? » Ac mox dicit, « non solum Tyrios et Sidonios, sed etiam Corozain et Bethsaida potuisse converti, et fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. »

Sunt et illa in usu veterum Patrum sane frequentissima, Deum justos et electos suos variis modis tentari vexarique permittere, quod alioqui depravatum iri illos animadvertat. Ita Gregorius Magnus libro XXXIII *Moralium,* cap. XVII : « Quia mira potentia prævidet, inquit, quod si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent. » Quam præsensionem Dei non dubiam nec pendentem ex incerto vel probabilem esse satis indicat, quod eam cognitionem summæ potentiæ Dei imputat ac *prævisionem* nominat. Non esset autem tanta potentia digna, si prudenter duntaxat ita judicaret Deus, non certo etiam videret quid absque illis reipsa futurum esset. Vide Bernardum in sermone *de Innocentibus*[1]. Augustinus item, in libro primo *contra Julianum,* operis imperfecti, ait Deum « multos, ne malitia mutet eorum intellectum, de hac vita rapere, quos malos futuros non potest ignorare.»

Diluuntur e Patribus objecta.

VII. Hic nonnulla solent objici loca veterum, quibus præscientia illa non absolute futurorum tolli videtur e medio. Nam Augustinus quorumdam e Pelagii secta vanissimum commentum redarguens, qui dicebant parvulorum animas illas duntaxat sine baptismate ex hac vita subtrahi, « quas præscivit si ad ætatem pervenissent in qua libero uterentur arbitrio, male fuisse victuras, » sic inter alia disserit in primo libro *de Anima et ejus origine, ad Renatum,* cap. XII : « Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum quod non est futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata quæ nulla sunt, id est quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem? » Verum nihil hoc adversari palam est scientiæ illius fautoribus. Nam præscientiam illic Augustinus absolutam intelligit, talem certe ex qua repræsentari jure pœna possit, cujusmodi non debet esse conditionalis illa ob quam juste nemo plectitur. Quare Pelagiani isti secum ipsi turpiter dissidentes cum præscientiam illam verbotenus conditionalem facerent, re tamen et usu absolutam esse monstrabant : quod nemo nisi ex rei aliquando futuræ scientia pœnas destinare potest, nedum antequam quod prævisum est reipsa commissum sit, eas infligere. Ut duplici absurdo stolida illa fabula teneretur, cum et eas ob culpas quæ nunquam essent futuræ, reos infantes constituerent, et ob easdem illas præsente mulctari pœna dicerent : quasi non et verum esse crimen oporteat cui supplicium decernatur, et admissum ante quam reipsa plectatur. Ejusdemmodi est et illud quod in libro *de Prædestinatione sanctorum*, capite XIV, scribit Augustinus, ubi eamdem fabulam refutat, ac postquam locum illum e libro *Sapientiæ* retulit, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*, sic deinde loquitur : « Dictum est enim secundum pericula vitæ hujus, non secundum, præscientiam Dei qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est quod ei immaturam mortem fuerat largiturus ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset qui mansurus in tentatione non esset. » Perspicuum est etiam ibi pelagianam ejusmodi præscientiam negari, quæ cum rerum ponatur esse non futurarum, re tamen et usu futurarum adeoque absoluta statuitur. Quod ipsum et ad locum alium valet, quem ex libro *de Dono Perseverantiæ*, cap. IX passim proferunt.

Fulgentius præterea in libro primo *de Veritate prædestinationis* dum easdem Pelagianorum nugas evertit, similiter de præscientiæ illius falsitate præscribit. « Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda præscisset quæ facienda non essent. Scimus namque præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, vere futura sint. » Manifestum est in his et sequentibus non prorsus notitiam rerum istiusmodi quæ conditione posita forent negare Fulgentium, sed absolutam scientiam ex qua sola id possit fieri, quod Deum ex illa præscientia facere Pelagiani putabant.

Ad extremum si quem præscientiæ nomen offendit, quod nonnisi rerum solidarum et

1 Cap. CXVII.

extantium dici consueverit, appelletur sane quovis ea nomine cognitio, dum de re ipsa nobiscum sentiant qui Scripturis, et antiquis Patribus consentire utique debent, a quibus certa minimeque dubia aut probabilis tantum Deo tribuitur eventorum ejusmodi perceptio. Sed de hac scientia plura fortasse quam necesse fuit aut initio proposueram, hactenus dicta sunt. Nihil enim nobis quod afferre de illa novi possemus, tot scriptorum diligentiam reliqui fecisse, initio professi sumus.

CAPUT IX.

De ideis divinis. Quid universe sit idea, maxime ex Platonis sententia ; ostenditur ab eo substantias quasdam separatas constitui et eas universales. Aristotelem recte id refellisse. Non putasse Platonem, ideam esse notionem ipsam Dei sed aliquid ab eo diversum, ac discipulos illius prius illud commentos videri ut se a Peripateticorum argumentis defenderent. Philonis Judæi de ideis istis ineptum absurdumque dictum.

Quid universe sit idea ex Platonis sententia.

I. Omnis artifex ratione intelligentiaque utens ad agendum, operis in mente insidentem habet speciem quam contuens et in eam intentus, illius in opere similitudinem conatur exprimere. Hanc impressam in animo figuram ac formam aut exemplar Græci primum ἰδέαν, tum Latini vocare a Platone didicerunt. *Ideam.* Quod ita testatur in *Bruto* Tullius : « Nec vero ille artifex, ait de Phidia loquens, cum faceret Jovis formam aut Minervæ, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species quam contuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat [1], et cætera. Has rerum formas appellat ideas * ille non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato, easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri : cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. » Quibus verbis totum fere de ideis Platonicorum dogma complexus est.

Quod Atticus apud Eusebium Platonicæ philosophiæ caput ac summam nominat, ad quod asserendum ac propugnandum tota illius doctrina conspirat [a]. Eas vero ab rebus abstractas peculiaresque naturas vel substantias, male reprehensas et ludibrio habitas esse ab Aristotele queritur. Qua ex omni Attici disputatione perspicuum est, Platonem ideas istas et substantias esse putasse sejunctas a rebus et a divina mente productas, quas et νοήματα, hoc est, *notiones* divinas appellat : « Cum enim intelligeret, ait de Platone loquens, Deum tanquam omnium parentem et opificem ac dominum et curatorem, cognosceretque ex operibus artificem prius illud quod fabricaturus est animo percipere, tum re ita percepta, similitudinem istam ad res applicare, has ipsas Dei notiones rebus antiquiores, quæ sunt eorum exemplaria quæ fiunt, corporis expertia et intelligibilia, eodem modo semper ac similiter habentia, quæ maxime quidem primo ipsa sunt, cæteris autem ex parte causa sunt ut ejusmodi sint qualia sunt, pro similitudine quam cum illis habent : hæc, inquam, cum Plato perspexisset [b], et cætera. »

II. Hanc Platonis sententiam, et idearum

a Atticus apud Euseb. lib XV. *de Præp. evan.* p. 476. Τὸ δὲ κεφάλαιον, καὶ τὸ κῦρος τῆς Πλάτωνος αἱρέσεως ἡ περὶ τῶν νοητῶν διάταξις ἠτίμασται, καὶ προπεπηλάκισται, καὶ παντοίως, τό γε ἐξὸν ἐπ' Ἀριστοτέλει, περιύβρισται. Mox : Τὸ μὲν οὖν ἄκρον τε, καὶ ἔσχατον τῶν Πλάτωνος φιλοσοφημάτων ἐστὶ, τὸ περὶ τὴν νοητὴν ταύτην, καὶ ἀΐδιον οὐσίαν τὴν τῶν ἰδεῶν.

b Ibid. Νοήσας γὰρ θεὸν αὐτὸς ὡς τῶν ἁπάντων πατέρα, καὶ δεσπότην, καὶ δημιουργὸν, καὶ κηδεμόνα, καὶ γνωρίζων ἐκ τῶν ἔργων τὸν τεχνίτην πρότερον νοῆσαι τοῦτο ὃ μέλλει δημιουργήσειν, εἶθ' οὕτω τῷ νοηθέντι κατόπιν ἐπὶ τῶν πραγμάτων προσάγειν τὴν ὁμοιότητα ταὐτὸν (cor. ταῦτα) δὴ τὰ τοῦ θεοῦ νοήματα πρεσβύτερα τῶν πραγμάτων, τὰ τῶν γενομένων παραδείγματα, ἀσώματα, καὶ νοητὰ κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως ἔχοντα ἀεὶ, καὶ μάλιστα μὲν πρώτως αὐτὰ ὄντα, παραίτια δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῦ εἶναι τοιαῦτα ἕκαστα, οἷά πέρ ἐστι κατὰ τὴν πρὸς αὐτὰ ὁμοιότητα, συνιδὼν ὁ Πλάτων.

* Quænam fuerit *de ideis* sententia Platonis, quidve ille Socratis doctrinæ cujus Xenophon (*Mem.* lib. IV. capp. V-VI.) meminit, suo marte adjecerit, neque priscis fuit liquidum, neque multo est recentioribus exploratius. Diuturnas pugnas, insigilioresque dissidiorum actores exhibent Radulphus Cudworthus (*System. intellect.* cap. IV. §. 36.), Jacobus Bruckerus (*Hist. doctrinæ de ideis*, sect. I. §. 3.), Laurentius Moshemius (*In subjectis ad Cudworthum adnotatt.*) et Henricus Ritterus (*Hist. philosoph.* lib. VIII, cap. III.), qui nostra ætate de hoc controversiæ capite pluribus disseruit. *E. R.*

1 Cic. in *Bruto*, et in *Acad. quæst.* lib. I.

rationem omnem plane accurateque prodit[1] Alcinous his verbis : « Est autem idea quod ad Deum attinet, notio Dei : ad nos vero, primum intelligibile : ad materiam, modus : ad mundum hunc qui in sensus cadit, exemplar : ad seipsum vero, essentia. Quidquid enim adhibito fit intellectu, ad aliquid referri necesse est. Quemadmodum si aliquid ab aliquo fiat, ut a me meiipsius imago, ejus exemplar poni prius oportet. Et si externum nullum sit, unusquisque artifex in seipso id primo concipiens, ejus deinde formam in materiam transfert. Definiunt autem ideam, exemplar æternum eorum quæ sunt secundum naturam[a].» Addit præterea ex plurimorum sectæ illius opinione, neque artificiosarum rerum ideas esse, velut clypei vel lyræ, neque eorum quæ præter naturam sunt, ut febris, neque singularium, ut Platonis vel Socratis, neque vilium abjectarumque rerum, ut stipulæ. Hinc evidens est, Platonis ideam naturam esse generalem et οὐσίαν a singularibus remotam per seque subsistentem, ad cujus similitudinem singulæ res producuntur, uti domus ad exemplar formæ illius ac speciei quam architectus in mente gerit. Itaque Plato *in Parmenide*, ait esse « genus aliquod uniuscujusque, et substantiam ipsam per se consistentem[b]. » Nam quæ sub sensus cadunt, ea partim esse dicit, partim non esse, quoniam mutabilia sunt et oriuntur atque occidunt. Quare « necesse est, ait idem *in Timæo*, esse speciem quæ semper eadem sit, sine ortu atque interitu, quæ nec in se accipiat quidquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quidquam, sensuque corporis nullo percipiatur, atque hoc est quod ad solam intelligentiam pertinet[c].»

III. Declarat ista passim Plotinus, præsertim[2] *Enneade* quinta, ubi Deum tum actu ipso intelligentem ait esse, tum aliunde non sumere quod intelligit, sed habere in se rerum omnium intelligibiles formas et notiones quæ solæ revera sunt. Siquidem ea quæ sensu percipiuntur, non res sunt, sed idola rerum et effigies adumbratæ non expressæ. « Quod si opificem, addit subinde, oportet esse hujus universitatis, non ille certe intelliget ea quæ in eo quod nondum est existant, ut ipsum efficiat. Igitur ante mundum species illas oportet existere, non tanquam figuras impressas ab aliis, sed ut archetypa et prima, mentisque substantiam. » Rursus[d] capite octavo ejusdem libri de ideis agens cum singulas tum universas, ipsum esse νοῦν, id est *mentem* affirmat[e]. Ex quo illud sequitur, non putasse Platonem ideas ab divina mente, hoc est ipsomet Deo, esse diversas, neque substantias quasdam abductas et abstractas a rebus existimasse illas esse, quarum istæ participatione constarent, quemadmodum Platonis mentem interpretatus est[3] Aristoteles permultis in locis, præsertim *in Metaphysicis*. Quorum in decimo tertio libro Socratem ait ab Heraclito occasionem idearum introducendarum accepisse, cum ille res sub sensum cadentes fluxas et inconstantes esse dixisset, neque prudentiam aut scientiam ullam posse illas assequi. Proinde alias quasdam adhibendas esse naturas, quæ et communes essent et definitione continerentur. Verum Socratem ait universalia ista minime separata

An Aristoteles Platonis mentem male sit interpretatus.

a Alcino. cap. ix. Ἔστι δὲ καὶ ἡ ἰδέα ὡς μὲν πρὸς θεὸν νόησις αὐτοῦ· ὡς δὲ πρὸς ἡμᾶς, νοητὸν πρῶτον· ὡς δὲ πρὸς τὴν ὕλην, μέτρον· ὡς δὲ πρὸς τὸν αἰσθητὸν κόσμον, παράδειγμα· ὡς δὲ πρὸς αὐτὴν ἐξεταζομένη, οὐσία· καθόλου γὰρ πᾶν τὸ γινόμενον κατ' ἐπίνοιαν, πρός τι ὀφείλει γίνεσθαι, ὥσπερ εἰ ἀπό τινός τι γένοιτο, ὡς ἀπ' ἐμοῦ ἡ ἐμὴ εἰκὼν, δεῖ τὸ παράδειγμα προϋποκεῖσθαι· εἴ τε καὶ μὴ εἴη ἔξω τὸ παράδειγμα· πάντη πάντως ἕκαστον ἐν αὑτῷ τὸ παράδειγμα ἴσχων τῶν τεχνιτῶν τὴν τούτου μορφὴν τῇ ὕλῃ περιτίθησιν· ὁρίζονται δὲ τὴν ἰδέαν παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν αἰώνιων.

b Plato, *in Parmen.* Ὡς ἔστι γένος τι ἑκάστου, καὶ οὐσία αὐτὴ καθ' αὑτήν.

c Idem, *in Tim.* Ὁμολογητέον μὲν εἶναι τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον εἶδος, ἀγέννητον, καὶ ἀνώλεθρον, οὐδὲ εἰς ἑαυτὸ εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοθεν, οὔτε αὐτὸ εἰς ἄλλο ποι ἰὸν, ἀόρατον δὲ, καὶ ἄλλως ἀναίσθητον· τοῦτο, ὃ δὴ νόησις εἴληχεν ἐπισκοπεῖν. Vide et librum VI. *de Repub.* sub finem.

d Plotin. Εἰ δὲ καὶ ποιητὴν δεῖ εἶναι τοῦδε τοῦ παντὸς, οὐ τὰ ἐν τῷ μήπω ὄντι οὗτος νοήσει ἵνα αὐτὸ ποιῇ· πρὸ τοῦ κόσμου ἄρα δεῖ εἶναι ἐκεῖνα· οὐ τύπους ἀφ' ἑτέρων, ἀλλὰ καὶ ἀρχέτυπα, καὶ πρῶτα, καὶ νοῦ οὐσίαν.

e Idem, cap. viii. Εἰ οὖν ἡ νόησις ἓν ὄντως, ἐκεῖνο τὸ εἶδος τὸ ἓν ὂν, καὶ ἡ ἰδέα αὕτη· τί οὖν τοῦτο; νοῦς, καὶ ἡ νοερὰ οὐσία οὐχ ἑτέρα τοῦ νοῦ ἑκάστη ἰδέα· ἀλλ' ἑκάστη νοῦς· καὶ ὅλως μὲν ὁ νοῦς, τὰ πάντα εἴδη ἕκαστον δὲ εἶδος, νοῦς ἕκαστος· ὡς ἡ ὅλη ἐπιστήμη, τὰ πάντα θεωρήματα.

1 Alcin. cap. ix. vide et Diog. Laer. — 2 Lib. IX. cap. v. — 3 Lib. I. met. cap. vi. et lib. XIII. cap. iv. et in 1. post. xix. et in 1. Eth. cap. iv.

posuisse, sed id ejus discipulos (Platonem autem intelligit) fecisse [a]. Hujusmodi rerum species et ideas passim, ut dixi, oppugnat Aristoteles, easque in primo *Posteriorum* « nugas canoras et inanes cantiones, » appellat [b] : quo nomine vapulavit a Platonicis, qui etiam calumniæ dicam illi impegerunt, tanquam præceptoris sui sententiam perperam et fraudulenter interpretatus esset.

IV. Verum Philoponus in secundo libro *adversus Proclum, de Mundi æternitate*, copiosa disputatione Aristotelem tuetur*. Et Ammonius in præfationem *Isagoges* Porphyrii, asserit Platonem eo sensu quo ab Aristotele intellectæ sunt, ideas invexisse. Nam cum de generibus ac formis, id est universalibus naturis ageret, docuit « eas non posse separatas ab individuis existere, *quales* eas formas, id est, *ideas*, ponebat Plato, quæ ante individua extabant. Non enim simpliciter notiones, illas esse formas artificis putabat, sed omnino substantias quasdam intelligibiles, in quas intuentem opificem, velut archetypas imagines, hæc inferiora moliri [c]. » Hæ sunt ideæ, quas non solum νοητάς, id est, *intelligibiles*, sive non sensu sed mente perceptas, sed etiam νοερὰς esse Plato credidit, hoc est *mente* et *ratione* præditas substantias, ut ex Eustratio postea probabitur. Inde ergo constat Aristotelem recte Platonis mentem accepisse, ac *naturas* quasdam communes et οὐσίας a Deo diversas Platonem constituisse, quarum participatione sensibiles existunt. Quod ex Alcinoo facile colligi potest, et eorum Platonicorum sententia qui certarum rerum ideas esse nullas asserunt, velut artificiosarum aut vilium ac demum singularium : qua distinctione usi non essent, si nihil a divina mente differre ideas magistrum suum credidisse putarent. Quin idem Alcinous et Justinus [1] martyr affirmant Platonem tria rerum principia posuisse, materiam, Deum et ideam, quæ posteriora duo invicem separant, ac Justinus ambo supra cœlestes orbes collocari ab illo scribit. Est igitur idea distinctum aliquid a Deo ac mente divina ex Platonis sententia, et idcirco jure ab discipulo reprehensus est Aristotele, quod οὐσίας nescio quas communes et separatas, quasi rerum quæ sub sensus cadunt exemplaria finxisset.

Substantia.

Quod ut absurdum vitarent aliqui eadem ex disciplina, eo confugerunt ut ideas a Platone dicerent non separatim ab singularibus existentes οὐσίας, sed ipsummet esse Deum, vel ipsam potius Dei notionem et intelligentiam in ipso residentem. Qua in re cavendum est theologis nostris qui apud Platonicos ista legunt, ne sic Dei *notionem*, hoc est, νόησιν, ab illis usurpari putent, quo modo interpretari ipsi solent, ut sit una et simplex divinæ mentis notitia, idemque prorsus cum Dei substantia, adeoque increata res et infinita et æqualis summo omnium parenti Deo, imo ipsa, uti dixi, dicendumque christianis est, Dei οὐσία et natura vel *substantia*. Verum et multiplices ac distinctas et a se invicem et ab auctore suo notiones istas sive species esse voluerunt, et ab eo constructas et fabricatas, inferioresque ipso.

Substantia.

V. Ac nonnulli Platonicorum qui sacros Libros attigerant, et λόγου, hoc est, *Verbi divini*, crebro illic mentionem fieri viderant, λόγον ipsum divinam esse ideam rati sunt, ut Philo Judæus ** qui in libro *de Mundi opificio* luculenta disputatione idearum naturam, pro-

a Arist. lib. XIII *Metaph.* c. iv. Ἀλλ' ὁ μὲν Σωκράτης τὰ καθόλου οὐ χωριστὰ ἐποίει, οὐδὲ τοὺς ὁρισμούς, οἱ δ' ἐχώρισαν, καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσαν.

b Idem in I post. cap. xix. Τὰ γὰρ εἴδη χαιρέτω, τερετίσματα γάρ ἐστι.

c Ammon. Οὐδὲ γὰρ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ χωρίζεσθαι δύναται· οἷα τὰ πρὸ τῶν πολλῶν εἴδη ὑποτίθεται ὁ Πλάτων· οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς νοήσεις αὐτὰ εἶναι τοῦ δημιουργοῦ βούλεται· ἀλλὰ πάντως οὐσίας τινὰς νοητάς, πρὸς ἃς ἀφορῶντα τὸν δημιουργὸν, ὡς πρὸς ἀρχετύπους εἰκόνας τὰ τῇδε ποιεῖν.

* Fidendum necne sit Aristoteli mentem Platonis *de ideis* enarranti, anceps est atque in disceptatione situm. Licet enim adsint qui tanto arbitro litem diremptam censeant, non desunt tamen qui illum vel errore deceptum vel invidentia in transversum actum existiment. E re fuerit ob oculos habere quæ Eusebius Cæsariensis aliquot continenter capitibus erudite disserit (*Evangelic. præparat.* lib. XI. capp. xxiii-xxv) περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἰδεῶν, *de Platonicis ideis*, Φίλωνος περὶ τῶν παρὰ Μωσεῖ ἰδεῶν, *de Mosaicis ideis ex Philone*, et Κλήμεντος περὶ τοῦ αὐτοῦ, *de iisdem ex Clemente. E. R.*

** Accidere mirum non debet, quod Philonis *de ideis* doctrinam non uno omnes sensu, neque una omnes ratione intellexerint atque explanarint. Impeditus enim frequenter est Philo, salebrosus, obscurus, quique non tam fixa certaque tradere, quam divinare et probabilia eaque splendida sectari videtur. Ab re non fuerit legisse Prudentium Maranum (*Divinit. Dom. nostri Jesu Christi*, lib. IV. cap. i.) qui in Philonis mentem accurate inquisivit. *E. R.*

1 In *Paræn. ad Græc.*

prietatemque declarat, et architecti exemplum adhibet, qui ingentem urbem et magnificam conditurus per vicos, fora, gymnasia, templa, cæterasque partes distributam, prius in mente sua totam futuri operis speciem formamque delineat, atque intelligibilem quodammodo describit urbem, qua subinde, velut exemplari, utitur ad quod externæ et aspectabilis urbis ædificationem dirigit. « Eodem, inquit, modo de Deo sentiendum est, qui cum de amplissima urbe condenda consilium cepisset, prius illius species figurasque concepit animo, ex quibus intelligibilem cum mundum composuisset, sensibilem efficit, utens illo tanquam exemplari. Quemadmodum ergo urbs illa in architecti mente prius designata locum extra eam non habebat, sed in artificis animo velut impressa erat; ita neque mundus iste ex ideis coagmentatus alium locum habere potest, quam divinum Verbum a quo hæc ordinata sunt [a]. » Ac nonnullis interjectis : « Quod si quis, inquit, apertioribus uti vocabulis velit, nihil aliud intelligibilem esse mundum dixerit, quam Dei Verbum sive rationem jam mundum fabricantis. Nam nec intelligibilis urbs aliud quiddam est quam architecti ratio et cogitatio intelligibilem (*forte* sensibilem) urbem ædificare cogitantis [b]. » Probat hoc deinde Mosis auctoritate qui scribit *Hominem ad imaginem Dei esse factum* [1], quod ille sic exponit, ut imago ad quam factus dicitur, sit Dei Verbum cujus homo est imago, adeoque imago imaginis. « Quod si pars una mundi, id est *homo*, imago est imaginis, nimirum et ipsa tota species, qui est totus iste sensibilis mundus, quæ major est quam humana divinæ imaginis imitatio. Sed et archetypum ipsum sigillum, quem intelligibilem esse mundum dicimus, archetypum videtur exemplar esse, idearum idea, nempe Dei Verbum [c]. » Sic postea « corporis expertes et intelligibiles species, sensibilium effectorum sigilla [d] » vocat. De quibus et in libro *de Vita Mosis*. Ac denique ob nimium in ideas istas studium notatus est a Photio.

VI. Cæterum illum ipsum λόγον quem Dei vel rationem vel sermonem aut Verbum ex mente Philonis interpretari licet, multo ille supremo Deo minorem ac secundi ordinis Deum esse credidit, ut alio in loco dicemus. Quæ res Arianis occasionem attulit nefandi erroris, ut Filium Dei ac Verbum dicerent a Patre ac supremo Deo factum esse, velut archetypum et exemplar rerum omnium quas deinceps procreavit. Sane Eusebius in libro undecimo *de Præparatione evangelica* postquam Numenii et Didymi philosophorum sententias super Platonis ideis ad Verbum descripsit, qui eodem ac supra demonstravimus modo illas explicant, statim ita subjicit, olim a Mose species ejusmodi et exemplaria significata, cum ante lucem et sidera velut solem ac diem atque noctem, aliud lumen ac solem et diem alium a Deo facta esse prodidit : solem, inquam, corporis expertem neque aspectabilem, eumdemque justitiæ solem, qui est Dei Verbum. Hæc Eusebius, qui Platonicis ideis auctoritatem e sacris Scripturis ita conciliat, ut Verbum Dei tum ideam ipsam esse doceat, tum a Deo factum (ita enim loquitur) earum rerum gratia quas moliri decreverat : quæ germana fuit Arianorum hæresis, de qua pluribus agemus in primo libro *de Trinitate*, nec non de profani et hæretici Eusebii flagitiis. Nunc illud nobis est satis, Verbum Dei ab nonnullis habitum esse illud ipsum exemplar et ideam, cujus Plato patrocinium suscepit. Cujus etiam opinionis Clemens fuit Alexan-

Logon. (*Verbum*) Deo summo minorem asserens Plato ansam Arianis præbuit.

a PHILO initio libri *de Mundi opific.* Τὰ παραπλήσια δὴ καὶ περὶ Θεοῦ δοξαστέον, ὃς ἄρα τὴν μεγαλόπολιν κτίζειν διανοηθεὶς, ἐνενόησε πρότερον τοὺς τύπους αὐτῆς, ἐξ ὧν κόσμον νοητὸν συστησάμενος, ἀποτελεῖ τὸν αἰσθητὸν, παραδείγματι χρώμενος ἐκείνῳ· καθάπερ οὖν ἡ ἐν τῷ ἀρχιτεκτονικῷ προδιατυπωθεῖσα πόλις, χώραν ἐκτὸς οὐκ εἶχεν, ἀλλ' ἐνεσφράγιστο τῇ τοῦ τεχνίτου ψυχῇ· τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδ' ὁ ἐκ τῶν ἰδεῶν κόσμος ἄλλον ἂν ἔχοι τόπον, ἢ τὸν θεῖον λόγον τὸν ταῦτα διακοσμήσαντα.

b MOX : Εἰ δέ τις ἐθελήσειε γυμνοτέροις χρήσασθαι τοῖς ὀνόμασιν, οὐδὲν ἂν ἕτερον εἴποι τὸν νοητὸν εἶναι κόσμον, ἢ Θεοῦ λόγον ἤδη κοσμοποιοῦντος· οὐδὲ γὰρ ἡ νοητὴ πόλις ἕτερόν τί ἐστιν, ἢ ὁ τοῦ ἀρχιτέκτονος λογισμὸς ἤδη τὴν νοητὴν πόλιν κτίζειν διανοουμένου. Forte τὴν αἰσθητὴν πόλιν.

c PHILO. Εἰ δὲ τὸ μέρος εἰκὼν εἰκόνος, δηλονότι καὶ τὸ ὅλον εἶδος ὁ σύμπας αἰσθητὸς οὑτοσὶ κόσμος ὃ μεῖζόν ἐστι τῆς ἀνθρωπίνης μίμημα θείας εἰκόνος· δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἀρχέτυπος σφραγὶς, ὅν φαμεν εἶναι κόσμον νοητὸν, αὐτὸς ἂν εἴη τὸ ἀρχέτυπον παράδειγμα, ἰδέα τῶν ἰδεῶν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος.

d Id. Ἆρ' οὐκ ἐμφανῶς τὰς ἀσωμάτους, καὶ νοητὰς ἰδέας παρίστησιν, ἃς τῶν αἰσθητῶν ἀποτελεσμάτων σφραγῖδας εἶναι συμβέβηκε;

1 *Gen.* I, 26.

drinus in quarto *Stromateon*. Neque vero damnanda est, si Eusebianæ et Arianæ illud perfidiæ virus absit, neque exemplar istud creatarum rerum gratia factum esse dicatur.

VII. Atque ut Platonis idearum liquidius nobis ratio constet, quod et ad multas alias instituti nostri partes, et ad præsentem maxime disputationem interest; revocanda illa sunt in memoriam quæ sub finem libri sexti *de Republica* paulo de iis pressius sed obscure disseruit. Ibi cum de bono disputaret (quem utrum summum Deum intelligat an eo aliquid inferius, Platonici inter se certant) comparationem quamdam inter visum oculorum et mentem, res aspectabiles et intelligibiles instituit. Etenim in visione quatuor ista considerantur, oculus seu videndi facultas, id quod videtur et lux cujus ope omnia cernuntur, tum sol lucis auctor ac parens. Nam quæ in alio quam illius splendore conspiciuntur, ea tenebris admista non dilucide videntur. Sic in altera serie mens est, deinde res percepta, tum veritas, ac demum idea boni, quam a veritate discernit, uti lux a sole distat. Ac paulo ante inter τἀγαθὸν et τἀγαθοῦ ἔγγονον discrimen esse significavit, id est inter *bonum* et *boni fetum*, ut appareat τἀγαθὸν a Platone Deum intelligi, *natum* vero *ex bono*, ideam boni. Ex quo consequens sit, solem qui principatum tenet in ordine aspectabilium non respondere summo *Nato.* Deo, vel *bono,* id est τἀγαθῷ, sed hujus ἐγγόνῳ, quæ est idea boni.

VIII. Jam Proclus in commentariis ad locum illum sexti libri *de Republica* perobscuram esse demonstrat Platonis illam de bono disputationem[1]. Siquidem videri statim τἀγαθὸν illud *Bonum.* cum sole comparare, et idem constituere cum ideis quas vocat τὸ αὐτοκαλὸν, τὸ αὐτοαγαθὸν, τὸ αὐτοδίκαιον, quæ sunt *pulchritudo ipsa, ipsa bonitas, ipsa justitia*. Verum quoniam eodem in loco ideas illas a bono collustrari dicit, videri supra ideas consistens aliquod earum intellexisse principium, cui nullum augustius quam *boni* nomen imponere potuit. Ut bifariam videatur usurpasse *boni* vocabulum, ac tam pro idea boni, quam pro summo rerum omnium et idearum simul ipsarum principio sumpsisse.

Ad hæc Proclus idearum genera duo statuit. Nam alias esse vult quæ rerum substantias et exstantias continent, ut est idea hominis, equi ac cæterorum quæ *subjecta* vocantur[a]. Alias eorum quæ subjecta perficiunt, cujusmodi sunt ideæ boni, pulchri, justi, reliquarumque virtutum. Ac priorum principem docet esse τὴν οὐσίαν, id est *substantiam*, posterioris generis, τἀγαθὸν, *bonum*. Denique triplex ibidem *bonum* Proclus cognoscit: « Unum et principale quod participari nequit et est supersubstantiale: alterum quod est substantivum et participari non potest: tertium quod potest participari: quod postremum in nobis inest. Porro substantivum est ideale vel formale, supersubstantivum quod ultra substantiam est[b]. » Addit insuper quod ad rem nostram cumprimis spectat: « Ideam boni nuncupari tam formam quæ participatur et est intelligibilis ac separata, quam id quod antecedit intelligibilia omnia, ipsumque separatum est. » Quod et deinceps sæpius inculcat. Ex quibus apparet, ideas ex mente Platonis non ipsum Deum esse, neque *intellectionem*, id est νόησιν ipsam Dei, quam velut immanentem in eo actionem cogitavit, sed aliquid ab illa productum et ejus effectum, nempe formas intelligibiles et universales, quarum participatione singula formantur.

IX. De Platonicis istis ideis accurate disserit Eustratius, *Nicomacheorum ethicorum* Aristotelis interpres, ad initium capitis quarti libri primi, ubi de illis agit philosophus. Et erit operæ pretium quæ Eustratius ad eum locum adnotavit, summatim excerpere. Id enim ad Græcorum Palamitarum de quibus in primo libro dixi intelligendam opinionem non parum conducet, nec non Dionysii, quam sequenti capite proponemus. « Platonem, ait Eustratius[d], summum rerum principium indagantem, De ideis Platonicis accurate Eustratius disputat.

a Proclus. Διττῶν γὰρ ὄντων τῶν εἰδῶν καὶ μόνως τῶν μὲν τὰς ὑπάρξεις τῶν εἰδοποιουμένων ἀφοριζόντων, τῶν δὲ, τὰς τελειώσεις, etc.

Mox: Καὶ τῶν μὲν ἡ οὐσία πάντων ἡγεῖται· τῶν δὲ τὸ ἀγαθόν.

b Id. Τὸ μὲν ἀμέθεκτον, καὶ ὑπερούσιον· τὸ δὲ οὐσιῶδες ἀμέθεκτον· τὸ δὲ μεθεκτόν· τοιοῦτον γὰρ τὸ ἐν ἡμῖν· οὐσιῶδες δὲ τὸ εἰδητικόν· ὑπερούσιον δὲ τὸ οὐσίας ἐπέκεινα ῥηθέν.

c Proclus circa med. Ἰδέα γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τὸ μετεχόμενόν ἐστιν εἶδος, καὶ τὸ νοητὸν, ὅ ἐστι χωριστὸν καὶ τὸ πρὸ τῶν νοητῶν, ὅ ἐστι χωριστόν.

d Eustrat. in I. *Eth.* Ὁ γὰρ Πλάτων περὶ τῆς ἀρχῆς τῶν ὄντων ζητήσας, τὸ ἓν ἐκείνην, καὶ ἄῤῥητον εἶναι, καὶ τἀγαθὸν ἀπεφήνατο· πᾶν δὲ ὂν αὐτῆς ἀπέφησεν, ὡς ὑπερούσης μὲν, καὶ ὑπερεχούσης, πάντα δὲ περιεχούσης ἐν αὐτῇ ἀνεννοήτως καὶ ὑπερουσίως, τὰς προόδους δὲ ποιουμένης πρὸς ἅπαντα ἀνεκφοιτήτως ἑαυτῆς, καὶ

1 Proclus, pag. 427.

unum illud et inexplicabile ac bonum pronuntiasse, et omne ens ei detraxisse, quod excellenti modo quodam esset et emineret et in se omnia contineret supra quam cogitari posset, et supra omnem substantiam. Idipsum porro processus in omnia facere, ita ut a seipso non migret, et universa producere tam quæ intelligentia capiuntur, quam quæ intelligendi vim habent, ratione item prædita et rationis expertia, tam quoquo modo viventia quam vita carentia, tum quæ vel tenuem aliquam notionem entis habent, idque propter suam bonitatem. Id autem facere non electione aliqua vel voluntate quam circa creationem habeat, sed eo ipso duntaxat quod est. Veluti sol præsentia sola, non eligens aut volens illuminat. » Hæc de primo omnium principio ex Platonis opinione vere ab Eustratio traduntur. Jam de ideis ejusdem decreta sic exponit, cum quidem Aristoteles τὸ καθόλου ideam ejusmodi nominasset, quod *universale* vocant : « Hic universale, inquit Eustratius, non sic dicitur ut in logicis contemplationibus. Ibi enim ita nominatur quod est in multis et posterius, hic autem quod est ante multa velut ante ipsa subsistens, ita ut illa ad ipsum comparata exstantiam accipiant. Sic enim Plato dicebat rationes quasdam introducens subsistentes, divinas, intelligentes, ad quas et esse et fieri volebant omnia quæ materia constant, quas etiam formas et ideas appellabant, nec non tota et universalia. Quas quidem rationes subsistere putabat ante formas illas quæ insunt corporibus, et ab iis ipsis exemptas, atque in Dei cogitatione existere, qui alias quasdam ad illarum exemplar in materia delinearet [a]. »

X. Post hæc cur totum aliquod idea nominetur exponit. Nempe quod ab ipsa et ad ejus imitationem expressa plurima in materia et corporibus existant, « ad quæ comparata idea, universale ac totum quiddam dicitur [b], » non ἐννοηματικῶς, ἀλλὰ νοερῶς, hoc est, *non cogitatione tenus*, ut sunt quæ a singulis consideratione semota, universalia dicuntur, *sed intelligenter ;* quod sic accipio ut ideæ intelligentes sint, id est, ut paulo ante dixit, νοεραὶ, et ad *Intelligentes*
earum instar ab intelligente artifice multa fiant in rebus singulis: quæ proinde partes illius τοῦ ὅλου vocantur ad idque referuntur; *Totius.*
quo fit ut totum earum sit νοερῶς, ut statim *Intelligenter.*
explicat. Etenim τὸ ὅλον, id est *totum*, tripliciter dicitur. « Aliud est ante partes, aliud ex partibus, aliud in partibus. Totum ante partes formæ illæ sunt et ideæ, quod harum unaquæque ante partes subsistit quæ ad eam factæ sunt, et sunt simplicissimæ ac materia carent. Totum ex partibus est, ut quæ sunt composita et in plura dividuntur, etc. Totum in partibus est, ut quæ ἐννοηματικὰ dicuntur, hoc est *sola notione cogitationeque constant*, quæ et in multis sunt et posteriora sunt [c]. » Talia sunt universalia quæ per se neutiquam in rebus existunt, sed in sola intelligentia versantur, quæ ab singulis individuisque rebus generales notiones cogitando secernit.

Porro ideas, addit idem Eustratius, « aiebant exemplaria esse artifici proposita, ut in illa intuens, tanquam typos ac delineatas effigies, quæ sunt materiata perficiat, cum sint artifices rationes ac velut notiones agentis et theoremata, non velut qualitates quædam aut scientiæ extrinsecus advenientes, sed quæ entia proprie sint et subsistentes, actuosæ et intelligentes, et eorum archetypa quæ in materia consistunt. Rationes enim divinas

πάντα παραγούσης τὰ νοητὰ, καὶ νοερὰ, λογικά τε, καὶ ἄλογα, ζῶντά τε, ὁπωσοῦν, καὶ τὰ παντελῶς ἄζωα, καὶ αὐτὰ τὰ ἀμυδράν τινα ἔννοιαν τοῦ εἶναι ἔχοντα, διὰ τὴν αὐτῆς ἀγαθότητα· οὐ τῷ προαιρεῖσθαι, καὶ βούλεσθαι (for. βουλεύεσθαι) περὶ τῆς ποιήσεως, ἀλλὰ αὐτῷ τῷ εἶναι· ὡς καὶ ὁ ἥλιος φωτίζει τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, οὐ προαιρούμενος, οὐδὲ βουλόμενος.

a EUSTRAT. ibid. Νῦν τὸ καθόλου, οὐχ ὡς ἐν ταῖς λογικαῖς θεωρίαις λέγεται· ἐκεῖ μὲν γὰρ τὸ ἐπὶ τοῖς πολλοῖς, καὶ ὑστερογενές· ἐνταῦθα δὲ τὸ πρὸ τῶν πολλῶν, ὡς προϋφεστηκὸς αὐτῶν, κἀκείνων πρὸς αὐτὸ δεχομένων τὴν ὕπαρξιν. Οὕτω γὰρ οἱ περὶ Πλάτωνα ἔλεγον, λόγους τινὰς ἐπεισαγαγόντες ἐνυποστάτους, θείους, νοερούς, πρὸς οὓς ἔλεγον πάντα τὰ ἔνυλα εἶναι, καὶ γίνεσθαι· οὓς καὶ εἴδη, καὶ ἰδέας ἐκάλουν, καὶ ὅλα, καὶ καθόλου· προϋφεστηκότας μὲν τῶνδε τῶν ἐν σώμασιν εἰδῶν, ἐξῃρημένους δὲ τούτων ἁπάντων, ἐν τῇ τοῦ δημιουργοῦ θεοῦ διανοίᾳ, ὄντας, ἕτερά τινα κατ' αὐτοὺς ἐν τῇ ὕλῃ χαράττοντος.

b Ibid. Καθόλου δὲ, καὶ ὅλα ταῦτα ἐλέγετο, ὅτι ἕκαστον ἐκείνων ἓν ὂν, ἔχει πολλὰ ἐξ ἐκείνου, καὶ κατ' ἐκεῖνο γινόμενα ἐν σώματι, καὶ ἔνυλα· πρὸς ἃ ἐκεῖνο καθόλου, καὶ ὅλον ἐλέγετο, οὐκ ἐννοηματικῶς, ἀλλὰ νοερῶς.

c Idem : Τρισσῶς γάρ φασι λέγεσθαι τὸ ὅλον· πρὸ τῶν μερῶν· ἐκ τῶν μερῶν· ἐν τοῖς μέρεσι· πρὸ τῶν μερῶν μὲν, ἐκεῖνα τὰ εἴδη, ὅτι πρὸ τῶν πολλῶν ἕκαστον ἐκείνων ὑφέστηκεν, ἃ πρὸς ἐκεῖνο γέγονεν, ἁπλούστατα ὄντα, καὶ ἄϋλα, ἐκ τῶν μερῶν δὲ, τὰ σύνθετα, καὶ εἰς πολλὰ μεριζόμενα, etc. ἐν τοῖς μέρεσι δὲ, ὡς τὰ ἐννοηματικά· ἃ καὶ ἐπὶ τοῖς πολλοῖς καὶ ὑστερογενῆ λέγεται.

aiunt esse ideas omnes[a]. » Hactenus de ideis Eustratius. Qui neque Platonem asserit ideas facere unum et idem cum Deo (nam diversas penitus esse demonstrat, cum et plures eas constituit et subsistentes) neque pro Platone contra Aristotelem disputat, ut quidam arbitrati sunt. Quin potius Platonicam de ideis sententiam prorsus itidem describit ut ab Aristotele posita est, qua ratione merito in hujus reprehensionem incurrit, a qua illum non vindicat Eustratius. Docet enim Plato formas esse per se cohærentes et subsistentes ac νοεράς, id est *intelligentia præditas*, non autem *intelligibiles* solum, quod esset, νοητάς : tum a Deo ex æterno productas et in divina mente subsistentes, ac demum universales, quæ prorsus absona sunt ac minime consentanea.

XI. Psellus in *Quæstione* X *physica* : « Idea secundum Platonem, ait, prima est artificis notio, velut operis futuri descriptio quædam ac delineatio. Idem porro ante sensibilem hunc mundum, Deus asserit exemplar condidisse rationes universales et a corporibus separabiles. Velut universalem hominis rationem et equi nec non bovis, ideam nominat[b], etc. » Aristotelem vero mox ait « extantiam quidem ideis concedere, non tamen per se illas putare subsistere, sed a corporibus separari non posse[c]. » Duplicem ibi Psellus ideam a Platone constitutam esse significat, quarum prior est ipsa Dei notio et cogitatio quæ inest in ipso Deo, posterior est universalis quædam ac per se nihilominus seorsim ab individuis subsistens, velut horum effigies et exemplar. Quod genus ideæ posterius magis platonicum esse puto quam illud alterum. Ac, nisi me conjectura fallit, verum id reor esse quod supra dixi Platonem nullam aliam ideæ rationem instituisse quam posteriorem et ab Aristotele merito convictam. Est enim, quod fatendum est, illepidum, indignumque sapiente commentum. Cujus cum illius discipulos puderet, ad priorem, tanquam ad asylum, receptum habuisse ipsos arbitror, atque ideas dixisse nihil aliud videri quam ipsammet Dei et hærentem in Deo notionem. Quod christiani deinceps cupide complexi sunt, tanquam affine nostro dogmati, et in quo divini Verbi arcana illa generatio reluceret. Omnino Platonis ideæ naturæ quædam et substantiæ sunt ab singularibus diversæ perseque subsistentes, quibus individua quæque formantur, et iis similia fiunt, utique secundam formam : « Si enim, ut Asclepius disputat, ipsissimus homo forma quædam est simplex, manifestum est, id quod simile sit ipsi, secundum formam simile fieri[d]. » Porro utrum illas ipsas formas in Deo esse putaverit Plato, hoc est in ejus substantia collocaverit, dubitari potest. Philo quidem Judæus in libro *de Cherubim*, « Deum vocat domicilium et idearum corpore carentium expertem corporis sedem[e]. » Tum easdem appellat « immortales et incorruptas potentias, quæ particularia formant et figurant[f]. » Sed sic ille Deum idearum sedem ac domicilium nominasse videtur, quomodo et rerum locus omnium dici potest, quia nihil extra Deum est, unde et Hebræi מקום id est *locum* inter Dei nomina recensent. At Justinus martyr in *Parænetico*, ut supra memini, ideas a Platone supra cœlum collocari scribit.

De ideis Platonicis auctoris sententia.

XII. Cæterum idem alibi Philo ideas istas *potestates* ac δυνάμεις vocat, quæ Deum stipatu quodam et satellitio cingunt. Ubi et ineptissimam de illis orationem explicat, quam melius fuerit hic adscribere.

Mosem Philo dicit in libro primo *de Monarchia*, Dei fruentem consortio et alloquio, audacter ab eo postulasse, sui ut sibi palam et aperte contuendi, hoc est substantiæ natu-

Philo inep disput

a Eustrat. Ἔλεγον δὲ τὰ εἴδη οἱ λέγοντες παραδείγματα προκεῖσθαι τῷ δημιουργῷ, ἵνα ἀφορῶν πρὸς αὐτὰ, ὡς προκεντήματα, καὶ προχαράγματα, κατασκευάζῃ τὰ ἔνυλα· λόγους ὄντας ἐκεῖνα δημιουργοὺς, καὶ οἱονεὶ νοήματα τοῦ ποιοῦντος, καὶ θεωρήματα· οὐχ ὡς ποιότητάς τινας, ἢ ἐπιστήμας ἐπιγινομένας ἔξωθεν, ἀλλ' ὡς κυρίως ὄντα, καὶ ὑφεστηκότα, δραστικά τε, καὶ νοερὰ, καὶ τῶν ἐν ὕλῃ ἀρχέτυπα· λόγους γὰρ θείους πάντα τὰ εἴδη φασί, etc.

b Psel. Ἰδέα κατὰ Πλάτωνά ἐστι καὶ ἡ πρώτη τοῦ δημιουργοῦ ἔννοια, οἷον ἀνατύπωσίς τις οὖσα, καὶ διαμόρφωσις τοῦ δημιουργήματος· ὁ δὲ αὐτὸς ἀνὴρ πρὸ τοῦ αἰσθητοῦ κόσμου παράδειγμά φησι συστήσασθαι τοὺς καθόλου λόγους, καὶ χωριστοὺς τῶν σωμάτων· οἷον τὸν τοῦ ἀνθρώπου λόγον τὸν καθόλου, καὶ τοῦ ἵππου, καὶ τὸν τοῦ βοὸς, ἰδέαν καλεῖ, etc.

c Mox : Ὁ δέ γε Ἀριστοτέλης τὰ μὲν δέχεται τοῦ Πλάτωνος· τὰ δὲ οὐ προσίεται· ὕπαρξιν μὲν γὰρ δίδωσι ταῖς ἰδέαις· οὐ μὴν καθ' ἑαυτὰς ὑφεστάναι ταύτας φησίν· ἀλλ' ἀχωρίστους τῶν σωμάτων εἶναι.

d Asclep. in lib. I. *Metaph.* cap. VI. Εἰ γὰρ ὁ αὐτοάνθρωπος εἶδός τι ἁπλοῦν ἐστι, φανερόν ἐστιν ὅτι τὸ ὁμοιούμενον αὐτῷ κατὰ τὸ εἶδος ἂν ὁμοιωθείη.

e Philo. Ὅτι ὁ θεὸς καὶ οἶκός ἐστιν, ἀσωμάτων ἰδεῶν ἀσώματος χώρα.

f Ibid. Γένεσιν γὰρ καὶ φθορὰν ἐνδεχομένων φύσει τῶν θνητῶν, ἄφθαρτον αἱ τυποῦσαι δυνάμεις τῶν ἐν μέρει κλήρων (for. κλῆρον) εἰλήφασι.

ræque suæ, potestatem faceret. Sed cum respondisset Deus id nemini posse concedi, quod *comprehensionem*, id est κατάληψιν suam res creata nulla caperet, Mosem enixe rogasse uti saltem gloriam suam ostenderet. « Gloriam porro tuam, dixit Moses, esse arbitror potestates, quarum satellitio stiparis, quæ nondum hactenus comprehensæ miro me torquent cognitionis desiderio [a]. » Ad hæc Deum respon-
testates. disse, ne istas quidem δυνάμεις intueri ac perfecte nosse licere cuiquam. « Quas tu, inquit, potestates requiris non sunt aspectabiles sed intelligibiles, sicut ipse sum invisibilis et intelligibilis. Dico autem intelligibiles, non quod jam intelligentia comprehendantur, sed quod licet comprehendi possent, non eas tamen sensus sed sincerissima mens natura sua comprehendere potest. At eædem quamvis essentia sua sint incomprehensibiles, tamen efficaciæ suæ expressam quamdam imaginem et effigiem ostentant, quemadmodum apud vos sigilla cum vel cera vel similis aliqua materia admota fuerit, innumerabiles figuras imprimunt, nulla sui parte mutilatæ sed in eodem statu manentes,[b] etc.» «Porro non temere quidam e vobis ideas illas nominarunt, quoniam unamquamque rem sua proprietate constantem efficiunt, incomposita componentes, et infinita et indeterminata et informia definientes et circumscribentes [c]. » Hæc Philo sane ridicule. Nam Deum mere Platonicum facit, ac de nugis istis parum opportune garrientem. Quinam vero isti sunt qui tanto ante Platonem et Socratem ac Mosis ipsius tempore, imo ante Mosem, ideas illas aut nominarunt aut earum omnino mentionem attigerunt ? Certe Socratem occasione ab Heraclito accepta primum illas qualescumque fabricasse formas, non tamen ab singularibus separatas, Platonem vero easdem per se consistentes ac sejunctas postea constituisse, gravis auctor scribit Aristoteles, ut supra meminimus. Quid igitur huic ineptiæ simile, cum Deum introducit Philo tanquam Platonis discipulum quempiam, falsa et absona de ideis quasi jam usu tritis et appellatione ista cognitis proferentem ? Omitto nominis τῆς ἰδέας etymon, Ideæ.
quod Græcæ linguæ ac formationis ratio et analogia ipsa refellit. Sed homo Platonicis somniis ac deliriis assuefactus solemne suum illic obtinuit, ut ad divina interpretanda, ludicra illa et anilia transferret.

De Platone postremo non id prætereundum est quod Cyrillus Alexandrinus in secundo *contra Julianum* perhibet, ancipitem et perplexum in illis tradendis hominem fuisse, ac modo hoc modo illud dixisse. « Interdum, ait, substantias illas esse ac per se subsistentes affirmat Plato, alias Dei notiones esse definit. Verum quo modo se res habet, etiam illius discipulos non approbasse dicunt ejus rei periti [d]. » Sed non tam Platonem quam ejus discipulos hæsitasse ac de magistri sententia dubitasse istos existimo, quod et Aristoteles mox a Cyrillo citatus ostendit, qui id quod res erat sine ulla tergiversatione professus est. Quam nostram de Platone sententiam, præter illa quæ hactenus posui, etiam illud quod a Nemesio præstante philosopho scriptum est, firmiorem facit. Hic enim in capite XLIV libri *de Natura hominis*, cum de divina providentia disputat, Platonem commemorat qui Deum aiebat providere rebus omnibus « ac primum ideis, deinde toti huic universo [e]. »

a PHILO. Δόξαν δὲ σὴν εἶναι νομίζω τάς τε δορυφορούσας δυνάμεις, ὧν διαφεύγουσα ἡ κατάληψις ἄχρι τοῦ παρόντος, οὐ μικρὸν ἐργάζεται πόθον τῆς διαγνώσεως.

b Ibid. Ὁ δὲ ἀμείβεται, καί φησιν· ἃς ἐπιζητεῖς δυνάμεις, εἰσὶν ἀόρατοι, καὶ νοηταὶ πάντως ἐμοῦ τοῦ ἀοράτου, καὶ νοητοῦ· λέγω δὲ νοητὰς, οὐχὶ τὰς ἤδη ὑπὸ τοῦ νοῦ καταλαμβανομένας· ἀλλ' ὅτι εἰ καὶ καταλαμβάνεσθαι οἷαί τε εἶεν, οὐκ ἂν αἴσθησις αὐτὰς, ἀλλ' ἀκραιφνέστατος νοῦς καταλαμβάνειν πέφυκεν· αἱ δὲ ἀκατάληπτοι κατὰ τὴν οὐσίαν, ὅμως περιφαίνουσιν ἐκμαγεῖόν τι, καὶ ἀπεικόνισμα τῆς αὐτῶν ἐνεργείας· οἷαι παρ' ὑμῖν σφραγῖδες, ὅταν προσενεχθῇ κηρὸς, ἤ τις ὁμοιότροπος ὕλη μυρίους ὅσους τύπους ἐναπομάττονται, μηδὲν ἀκρωτηριασθεῖσαι μέρος, ἀλλ' ἐν ὁμοίῳ μένουσαι, etc.

c MOX : Ὀνομάζουσι δ' αὐτὰς οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τινες τῶν παρ' ὑμῖν ἰδέας, ἐπειδὴ ἕκαστον τῶν ὄντων ἰδιοποιοῦσι, τὰ ἄτακτα τάττουσαι καὶ τὰ ἄπειρα, καὶ ἀόριστα, καὶ ἀσχημάτιστα περατοῦσαι, καὶ περιορίζουσαι.

d CYRIL. lib. II. *cont. Jul.* Ἃς ποτὲ μὲν οὐσίας, καὶ ὑφεστάναι καθ' ἑαυτὰς διϊσχυρίζεται Πλάτων, ποτὲ δὲ καὶ ἐννοίας εἶναι θεοῦ διορίζεται· πλὴν ὅπως περ ἂν ἔχοι, καὶ τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς ἀπαράδεκτον εἶναί φασι τὸν ἐπὶ τῷδε λόγον οἱ ταῦτα τεχνῖται.

e NEMES. cap. IV. Προνοεῖν δὲ τοῦτον προηγουμένως μὲν τῶν ἰδεῶν· ἔπειτα δὲ ξύμπαντος τοῦ καθόλου κόσμου.

CAPUT X.

De formis quibusdam abstractis et universalibus exponitur opinio Dionysii, quæ Platonicæ speciem habet. Duo ab eodem constitui idearum genera. Maximus et Pachymeres interpretes notati, qui ideas illas apud Dionysium ipsam putant esse Dei naturam, tum Maximi mirificus de iisdem locus. Omnem processionem divinam in aliquid a producente distinctum progredi. Ideo non esse proprie dictum a Dionysio et aliis, ideas divinas a Deo produci ex æterno. Dionysium Platonis studiosissimum fuisse. Explicatur demum Dionysii sententia et cum catholica fide conciliatur. Ammonii locus insignis.

I. Cujusmodi a Platone ideæ fabricatæ sint, satis hucusque declaratum existimo. Ex iis autem evidens est quod initio posui, Græcorum recentiorum, quorum Palamas coryphæus fuit, commentum illud de ἐνεργείαις ac notionibus Dei ex omni æternitate productis et in ipso residentibus, quod libro primo descripsimus, non alienum esse Platonico hoc invento, nisi quod actiones illas Dei non universale quiddam et tamen a singulis abstractum esse censent, sed singulare. Cæterum dum a Deo productas ex æterno et subsistentes in ipso faciunt, et ab eo interim diversas, tam ad Platonicas istas nugas illorum ratio relabitur, quam a christiana fide ac professione longius abscedit. Sed stertentes illos et otiosos nugatores missos faciamus.

De Dionysio proxime nobis agendum est, qui Platonica quoad potuit decreta persecutus, christianis ea dogmatibus illigare contendit. Præsertim vero formas nescio quas a Deo productas * Platonico pene more constituit. Hujus est enim hæc sententia, præter Deum ac divinitatis personas tres et illius proprietates sive attributa, quæ sunt vita, sapientia, bonitas et cætera, sive potius αὐτοζωή, αὐτοσοφία, *Ipsa-vi[ta], ipsa-sapi[en]tia, ips[a]-bonitas*
αὐτοαγαθότης, ut adjecto pronomine αὐτὸ primigeniæ quædam proprietates ac principes intelligantur, esse alias ab rebus singulis abductas et sejunctas, quæ eodem adjuncto pronomine αὐτό, velut exemplaria sint et species quarum participatione creatæ res sint ipsum quod dicuntur, viventes, bonæ, sapientes. *Ipsum.. se.* Has autem formas sive species et abstractas a singulis proprietates a Deo esse factas ab æterno significat. Quæ Dionysii plane singularis opinio ab ejus interpretibus ac theologis non penitus est animadversa, et est digna profecto quam ex illius scriptis accuratius ac limatius enodemus.

II. Imprimis in libro *de Divinis nominibus*, capite v demonstrat τὸ εἶναι, hoc est, *esse* sive *essentiam*, id esse quod primo et ante omnia communicatur a Deo et in res creatas manat ac diffunditur. Itaque Deum asserit principalem esse causam omnium et iis anteriorem, quatenus est ὁ ὤν, eamque primariam illius esse participationem qua res esse dicuntur : *Ens.* « Quippe cum hoc ante habeat ut prius sit et super omnia sit et esse superet, omne ipsum-esse per sese prius condidit, ac per esse ipsum omne quod quoquomodo est produxit[a]. » Quæ Dionysii verba obscurissima sunt et sic debent intelligi. Deum asserit cum sit ὁ ὤν, id est, *ens*, sive αὐτοών, *ipsum-ens* et αὐτοσοφία, αὐτοζωή, id est, *ipsa-sapientia, ipsa-vita*, secundum hæc omnia communicare seipsum ac participari, ita tamen ut omnium prima sit illa communicatio quæ est κατὰ τὸ εἶναι, vel quatenus est ὁ ὤν. *Secund[um] esse. Qui es[t].* Natura enim prius res est et existit, quam hoc vel illo sit affecta modo. Cæterum proprietates illæ Dei vel attributa quæ cum pronomine αὐτὸ enuntiari solent, dupliciter spectantur, aut ut in ipso Deo sunt

a DION. Πάντων οὖν εἰκότως τῶν ἄλλων ἀρχηγικώτερον, ὡς ὤν, ὁ Θεὸς ἐκ τῆς πρεσβυτέρας τῶν ἄλλων αὐτοῦ δωρεῶν ὑμνεῖται· καὶ γὰρ τὸ προεῖναι, καὶ ὑπερεῖναι προέχων, καὶ ὑπερέχων τὸ εἶναι, πᾶν αὐτό φημι καθ᾽ αὐτὸ τὸ εἶναι προϋπεστήσατο, καὶ τῷ εἶναι αὐτῷ πᾶν τὸ ὁπωσοῦν ὂν ὑπεστήσατο.

* Quæ de ideis tradit docetque Dionysius neque impedita admodum, neque Platonicis ultra quam deceat imbuta coloribus existimabimus, si I animadverterimus discrimen, quo mundus αἰσθητὸς et νοητὸς discrepant. Si II animadverterimus, mundum νοητὸν divina contineri creandorum idea, quæ τύπος sit mundique sensibilis exemplum. Si III animadverterimus mundi ideam ad ea relatam, quæ in physico rerum ordine producenda sunt, non una absolvi cognitione, sed habitum quoque ad voluntatem complecti, proindeque mentis conceptu voluntatisque decreto propemodum coalescere. Si postremo IV animadverterimus, horum nihil aut extrinsecum Deo esse, aut per se cohærens atque subsistens. Hisce enim semel intellectis probatisque, doctrina de ideis neque obscuritate laborat, neque nimia Platonis imitatione corrumpitur. Huc autem ea redire quæ Dionysius affirmat, haud ægre concedent qui ejusdem orationem (*De div. nominibus*, capp. VII. seqq.) qua par est diligentia consideraverint. *E. R.*

idemque cum ejus natura et substantia, aut ut ab illo derivantur; quo posteriori modo consideratæ proprietates sive qualitates istæ inter Deum et singulares interjectæ res, utrumque habent ut et participent et participentur. Nam et ab cognominibus sibi qualitatibus quas in Deo inesse cogitamus, quodammodo propagantur easque participant, et vicissim ab inferioribus et individuis naturis participantur, quas sui communione tales efficiunt. Ut exempli gratia, αὐτοζωή, id est, *vita ipsa*, quatenus in Deo inest, Deus est ipse, ut autem communis est quædam natura vitæ ac species sive idea quæ ex divina illa profluit, iis quæ sunt vita prædita communicatur eaque facit viventia. Quemadmodum et candor in genere candida facit corpora, ad quæ singula generalem illam qualitatem applicari animo describimus.

III. Has vero communes formas ac species per se esse factas a Deo, et ante singularia ab quibus abstracta sunt, adeoque ex æterno creatas esse, opinio videtur esse Dionysii, eaque mere Platonica[a]. Declarat hanc in sequentibus capitis ejusdem, ubi principia rerum omnium atque *entium* vocat istas species, nempe αὐτοζωήν, id est, *ipsam-vitam* et cæteras, quæ et participatione summi Dei habent ut sint ac tales sint, et ipsæ vicissim participantur ab rebus singularibus quarum sunt principia.

Item in sexto capite ubi de vita disputat, ab ea vita quæ æterna est ac Deus, proficisci ait τὴν αὐτοζωήν, hoc est *vitæ ideam*, cujus ζωτικὴν καὶ ὑποστατικὴν divinam esse vitam prædicat, hoc est, *vivificam et productricem causam*, quæ τῇ αὐτοζωῇ, ideæque isti dat ut vita sit, tum inferioribus ac singulis pro suo cuique modulo et conditione quod consentaneum est impertiens[b]. Tum in capite undecimo[c] divinitatem ipsam ὑποστάτιν, hoc est *causam producentem* esse vult τῆς αὐτοειρήνης, quæ est *idea pacis*. Ac deinde Timothei, ad quem scribebat scilicet, percontationi respondens, totum illud mysterium enuntiat cujusmodi nos ostendimus. Quærebat Timotheus quid tandem illud αὐτὸ sibi vellet cum dicimus αὐτοζωήν, αὐτοσοφίαν, et cur alias Deum esse diceret Dionysius αὐτοζωήν, alias τῆς αὐτοζωῆς ὑποστάτην, hoc est *causam producentem*. Huic Dionysius respondet, Deum idcirco vocari interdum αὐτοζωὴν et hujus generis alia, tanquam entium omnium maxime primorum entium, quales ideæ istæ sunt, causam, interdum principium τῆς αὐτοζωῆς et cæterorum, ut intelligamus omnia rerum et entium genera Deum excellere. Neque vero ideas has quas addita voce αὐτὸ pronuntiamus, divinitates esse vel principales et artifices substantias aut hypostases, cujusmodi ab gentilibus habitæ sunt, qui pro diis illas adsciverunt : « Verum hoc quod est αὐτοεῖναι, vel αὐτοζώή, vel αὐτοθεότης, hoc est *ideam essentiæ*, vel *vitæ*, vel *divinitatis*, si principaliter et divine et causaliter accipiantur, unum esse principio omni ac substantia præstantius principium atque causam. At secundum participationem, providas illas facultates quæ a Deo participationis omnis experte propagantur, appellari αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν, quæ quidem pro suo quæque captu participantia ea quæ sunt, et entia et viventia et divina sunt et dicuntur, tum eodem modo cætera. Propterea et primorum ipsorum bonus ille productor esse dicitur. »

Ipsius-pacis

Ipsam-vitam ipsam-sapientiam.

Ipsam-vitam alias, ipsius vitæ.

Ipsam-vitam

Ipsius-vitæ.

Ipsum-esse, vel ipsa-vita vel ipsa-divinitas.

Ipsam substantificationem, vivificationem, deificationem.

IV. Sic igitur habendum est, Dionysium duplex veluti formarum et principiorum genus

a Dion. Ibid. Καὶ γοῦν αἱ ἀρχαὶ τῶν ὄντων πᾶσαι τοῦ εἶναι μετέχουσαι καὶ εἰσί· καὶ ἀρχαί εἰσι, καὶ πρῶτόν εἰσιν, ἔπειτα ἀρχαί εἰσι· καὶ εἰ βούλει τῶν ζώντων, ὡς ζώντων, ἀρχὴν φάναι τὴν αὐτοζωὴν, καὶ τῶν ὁμοίων, ὡς ὁμοίων, τὴν αὐτοομοιότητα· καὶ τῶν ἡνωμένων, ὡς ἡνωμένων, τὴν αὐτοένωσιν· καὶ τῶν τεταγμένων, ὡς τεταγμένων, τὴν αὐτόταξιν· καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τοῦδε, ἢ τοῦδε, ἢ ἀμφοτέρων, ἢ πολλῶν μετέχοντα, τόδε, ἢ τόδε, ἢ ἀμφότερα, ἢ πολλά ἐστι, τὰς αὐτομετοχὰς εὑρήσεις, τοῦ εἶναι πρῶτον αὐτὰς μετεχούσας, καὶ τῷ εἶναι πρῶτον μετεχούσας· ἔπειτα τοῦδε, ἢ τοῦδε ἀρχὰς οὔσας, καὶ τῷ μετέχειν τοῦ εἶναι καὶ οὔσας, καὶ μετεχομένας.

b Dion. cap. vi. Ὅτι καὶ τῆς αὐτοζωῆς ἐστιν ἡ ὑπὲρ ζωὴν ἡ θεία ζωὴ, ζωτικὴ, καὶ ὑποστατική.

Mox : Καὶ δωρεῖται μὴν πρῶτα τῇ αὐτοζωῇ τὸ εἶναι ζωήν· καὶ πάσῃ ζωῇ, καὶ τῇ καθ' ἕκαστα τὸ εἶναι οἰκείως ἑκάστην, ὃ εἶναι πέφυκε.

c Id. cap. xi. Οὐ γὰρ οὐσίαν τινὰ θείαν, ἢ ἀγγελικὴν εἶναί φαμεν τὸ αὐτοεῖναι τοῦ εἶναι τὰ ὄντα πάντα αἰτίαν· μόνον γὰρ τοῦ εἶναι πάντα τὰ ὄντα, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι τὸ ὑπερούσιον ἀρχὴ, καὶ οὐσία, καὶ αἴτιον· οὐδὲ ζωογόνον ἄλλην θεότητα παρὰ τὴν ὑπέρθεον πάντων ὅσα ζῇ, καὶ τῆς αὐτοζωῆς αἰτίαν ζωήν· οὔτε συνελόντα εἰπεῖν, ἀρχικὰς τῶν ὄντων, καὶ δημιουργικὰς οὐσίας καὶ ὑποστάσεις, ἅς τινας καὶ θεοὺς τῶν ὄντων, καὶ δημιουργοὺς αὐτοσχεδιάσαντες ἀπεστομάτισαν, etc. ἀλλ' αὐτοεῖναι, καὶ αὐτοζωὴν, καὶ αὐτοθεότητά φαμεν· ἀρχικῶς μὲν οὖν, καὶ θεϊκῶς, καὶ αἰτιατικῶς τὴν μίαν πάντων ὑπεράρχιον, καὶ ὑπερούσιον ἀρχὴν, καὶ αἰτίαν· μεθεκτῶς δὲ τὰς ἐκδιδομένας ἐκ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προνοητικὰς δυνάμεις, τὴν αὐτοουσίωσιν, αὐτοζώωσιν, αὐτοθέωσιν· ὧν τὰ ὄντα οἰκείως ἑαυτοῖς μετέχοντα, καὶ ὄντα, καὶ ζῶντα, καὶ ἔνθεα, καὶ ἔστι, καὶ λέγεται· καὶ τὰ ἄλλα ὡσαύτως· διὸ καὶ τῶν πρώτων αὐτῶν ὁ ἀγαθὸς ὑποστάτης λέγεται εἶναι.

instituisse, unum increatum et idem cum ipso Deo, quod proprie παράδειγμα, id est *exemplar* appellat atque ita describit : « Exemplaria vero dicimus esse rationes quæ in Deo sunt, quæ rebus essentiam tribuunt ac singulariter ante subsistunt, quas theologia prædestinationes vocat, ac divinas et bonas voluntates, quæ definiendorum ac faciendorum vim habent entium. Secundum quas ille substantia omni superior entia omnia prædestinavit ac produxit[a]. » Hæ sunt primigeniæ formæ et ideæ, ad quas opera sua omnia Deus exigit, quæ in

Substantialiter.

Deo sunt ipso οὐσιωδῶς, nec ab ejus substantia differunt.

Aliud principiorum formarumque genus est a divina mente productum, et exempla, ut ita loquar, secundaria continet, quæ res sui communione formant ac tales efficiunt. Has posteriores formas non usquequaque recte Dionysii interpretes explicant, ut Maximus et Georgius Pachymeres, qui putant hoc quod

Ipsum-esse-vivere. Ipsam sapientiam-similitudinem.

ille vocat αὐτοεῖναι et αὐτοζωήν, αὐτοσοφίαν, αὐτοομοιότητα, quas μετοχάς, id est *participationes* appellat, aitque partim προβεβλῆσθαι, id est *productas esse*, partim Deum illas ὑποστήσασθαι, hoc est *existentiam* vel *subsistentiam iis dedisse*, tum inter ipsas eam quæ αὐτοεῖναι, *ipsum esse* dicitur[b], reliquis antiquiorem esse ab iisque participari: ejusmodi, inquam, formas et ideas Maximus ad illa ipsa Dionysii verba, putat esse divinas voluntates quibus destinat dare

Existentiam Principales causas.

impertirique τὸ εἶναι rebus omnibus. Item ἀρχὰς illas et formas interpretatur excellentiores substantias, velut sunt throni in genere intelligibilium creaturarum, et cœlum ac terra in iis quæ cadunt sub aspectum. Denique ideas et exemplaria de quibus illic agit Dionysius, notiones exponit per sese perfectas et æternas æterni Dei, quarum participatione creaturæ formantur.

V. Sed ex iis interpretationibus illa quæ ἀρχὰς istas et primigenias qualitates, præstantiores et creatas esse substantias, uti thronos, affirmat, neque cum Dionysii mente neque cum rei veritate convenit. Siquidem communicatione et applicatione formarum istarum individuas et singulares naturas *affici* et ποιοῦσθαι dicit. Nemo autem applicatione throni, ejusque participatione formari nos dixerit. Quod soli divinæ substantiæ congruere, non autem creatæ ulli, Didymus asserit in tertio libro *de Spiritu sancto*. Sed neque posterior ratio quadrare potest, ut per formas istas quæ singularibus applicantur, et

Ipsum, per se

adjuncto vocabulo αὐτὸ declarantur, intelligat Dionysius æternas divinasque notiones et increatas, si tales intelligantur ut sint ipsa Dei substantia. Primum quia nemo ita loquitur, Deum ὑποστήσασθαι, id est, *produxisse* substantiam suam, et quod substantiale inesse ipsi cogitamus. At Dionysius, ut ex ejus verbis quæ supra posuimus liquet, Deum ait formas

Per se esse Per se Sapientiam produxisse.

illas ut αὐτοεῖναι, αὐτοσοφίαν et cæteras ὑποστήσασθαι. Tum idem ait, formas istas participare et participari, participare, inquam, divinam et antiquiorem aliquam formam, et vicissim ab inferioribus creatisque participari. Item, divinam ac Deo insitam vitam esse ζωτικὴν et ὑποστατικὴν τῆς αὐτοζωῆς, id est, *vitam et existentiam impertiri formæ illi et ideæ sive exemplari vitæ, quæ* αὐτοζωὴ *dicitur*. Non potest igitur αὐτοζωὴ aut alia quælibet idea ejus-

Ipsa-vita. Substantial.

modi, ipsa esse divina notio vel οὐσιῶδές aliquid Dei, cum ab ea vita quæ in Deo est vel potius Deus est, diversa sit ἡ αὐτοζωή, et hæc

Ipsa vita.

ab illa causam et originem habeat. Ad hæc verba Dionysii quæ ex undecimo capite descripsimus, aperte duplex formæ genus distin-

Principale deificum, efficiens. Ipsa-substantificatio Ipsa-vivificatio. Effector. Substantiam Dei e substantial Ipsum.

guunt, unum ἀρχικόν, θεϊκόν, αἰτιατικόν, alterum μεθεκτὸν *participatum*, cujusmodi προνοητικὰς δυνάμεις *providas facultates* esse dicit a Deo propagatas et productas, ut sunt αὐτοουσίωσις, αὐτοζώωσις, quarum ὑποστάτης est Deus. Quæ in οὐσίαν Dei et οὐσιῶδές aliquid illius nullo modo competunt. Postremo si abstractas illas formas quæ cum adjuncta voce αὐτὸ exprimuntur a Dionysio, ipsas in Deo existentes eique substantiales ideas esse vellet, cur nullas alias nisi universales constitueret, ut sunt genera et species? Nam in Deo ipso individuorum omnium potius quam naturarum universalium ideæ sunt. Atqui formæ istæ Dionysianæ omnes a singulis abductæ sunt, eaque communione sui formant et afficiunt. Non sunt igitur ideæ divinæ quales ab theologis vulgo definiuntur, sed abstractæ nescio quæ naturæ.

VI. Sane Joannes Cyparissiotus Dionysii

a Dion. Παραδείγματα δέ φαμεν εἶναι τοὺς ἐν Θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς, καὶ ἑνιαίως προϋφεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία προορισμοὺς καλεῖ, καὶ θεῖα, καὶ ἀγαθὰ θελήματα, τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ καὶ ποιητικά· καθ' οὓς ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε, καὶ παρήγαγεν.

b Dion. cap. v. *de Divin. nom.* Καὶ πρὸ τῶν ἄλλων αὐτοῦ μετοχῶν τὸ εἶναι προβέβληται· καὶ ἔστιν αὐτὸ καθ' αὐτὸ τὸ εἶναι πρεσβύτερον τοῦ αὐτοζωὴν εἶναι, καὶ αὐτοσοφίαν εἶναι, καὶ αὐτοομοιότητα θείαν εἶναι.

sententiam non aliter accepit[1], cujus verba sic exponit : «Et hoc est, inquit, quod ait Dionysius, quamobrem primum bonus Deus eorum auctor esse dicitur, deinde eorum universe, postea partium eorum, tum participantium ea universe, deinde participantium in parte sive particulariter. Quæ perinde sunt ac si diceret, genera et species simul Deum habent auctorem, deinde partes illis subjectæ, et quascumque universitates quis dicat, postea has tanquam absolutas et abstractas producit Deus, deinde tanquam aliquorum et ipsorum aliquorum universitates[a].» Deus itaque genera et species ante omnia produxit, quæ sunt abstractæ illæ exemplaresque formæ, αὐτοζωή, αὐτοσοφία et reliquæ, quarum communiores aliæ sunt aliis. Nec abludunt ab hac Dionysii explanatione plerumque Maximus et Pachymeres. Uterque enim ad caput quintum ejusdem Dionysii, ut explicet quomodo formæ illæ communicatione sui subjecta sibi individua forment ac denominent, exemplum affert τῆς αὐτοποιότητος qualitatis alicujus universe consideratæ, velut est ἡ αὐτολευκότης, *ipse candor* sive candoris species. Verba Maximi : «Quemadmodum ipse corporis expers candor corpori accidens candidum hoc facit, ita et quæ dixi ad hunc modum intellige proportione quadam, nimirum Deum ante subsistentem, hoc est vitam, vivificare omnia quæ ipsum participant[b].» Maximum, ut solet, imitatus est Georgius Pachymeres. Verum uterque illam ipsam quam attulerat, candoris similitudinem, ad id de quo agebat aptissimam, redditione ipsa applicationeque corrupit. Non enim τῇ αὐτολευκότητι, hoc est formæ ipsi candoris ac speciei respondet in intelligibilibus Deus, sed forma itidem ac species quæpiam intelligibilis, ut αὐτοσοφία, αὐτοζωή. Nam Deus applicatione sui non format afficitque subjectum, neque species est individuis communis. Sed et Dionysius formas illas quæ singulares naturas sui communicatione tales efficiunt[2], nonnunquam appellatione distinguit ab iis quæ insunt in Deo. Nam

Ipsa-vita, ipsa-sapientia

Per se qualitatis.

Ipso-candori

Ipsa-sapientia. Ipsa-vita.

αὐτοαγαθότητα vocat speciem vel ideam bonitatis a Deo productam, αὐτοϋπεραγαθότητα, id est *ipsam-superbonitatem*, eam quæ est in Deo.

Ipsam-bonitatem.

VII. Præterea iidem quos laudavi Dionysii interpretes, Maximus et Pachymeres ad caput undecimum *de Divinis nominibus*, secundarias illas quas dixi velut formas et species, quæ αὐτοουσία et αὐτοζωή, sive, ut Dionysius loquitur, αὐτοουσιώσεις et αὐτοζωώσεις vocantur, ab iis secernunt quæ οὐσιωδῶς sunt in Deo. Maximus enim cum illam Timothei inquisitionem quam supra posui, et ad eam Dionysii responsionem enarrat, quemadmodum Deus tam sit αὐτοζωή et αὐτοουσία, quam ὑποστάτης, id est *auctor et productor* τῆς αὐτοζωῆς, et αὐτοουσίας, hoc quod Dionysius aiebat, τὴν αὐτοζώωσιν vel αὐτοουσίωσιν, quarum productor est Deus, non ipsam Dei esse substantiam, sed *providas illius vires ac facultates*, προνοητικὰς αὐτοῦ δυνάμεις, de universali specie vel genere vitæ, substantiæ, bonitatis ac cæterorum accipit, idque ex notionibus oriri nostris significat. «Nam nos rem ipsam primum animo percipimus, deinde generalem illius notionem, velut universe consideratam vitam aut substantiam, et tunc particularia, hoc est uniuscujusque speciei notionem capimus, ut angelicæ vel humanæ vitæ[c].»

Ipsa-essentia-vita. Ipsa-substantificatio, ipsa vivificatio.

Ipsa vita-essentia. Per se vitæ, per se substantiæ.

Atqui neque ad Dionysii mentem satis pertinet, uti formas illas et species intellexisse videatur genera et species, si proprio sensu quæ de illis dixit accipiantur. Nam ut hoc modo spectantur, non sunt res aliquæ neque extant reipsa vel subsistunt ex philosophorum decreto, «qui genera, et species, veluti animal et hominem, nihil esse dicunt,» ait Origenes[3]. At Rabbi Moses in libro I *More Nebochim* cap. II ejusmodi universalia neque esse neque non esse ex quorumdam sententia dicit. Quare non potest dici Deus ὑποστάτης generis vel speciei, neque illa ὑποστήσασθαι vel προβάλλειν. Tum cujusquemodi sunt universales istæ naturæ, non sunt individuis priores, neque ante hæc existunt productæve sunt, sed posteriores sunt et cogitatione nostra ab illis abstra-

Efficere vel producere.

a DION. cap. XI. *de Divin. nom.* Διὸ καὶ τῶν πρώτων αὐτῶν ὁ ἀγαθὸς ὑποστάτης λέγεται εἶναι· εἶτα τῶν ὅλων αὐτῶν· εἶτα τῶν μερικῶν αὐτῶν· εἶτα τῶν ὅλων αὐτῶν μετεχόντων· (cor. τῶν ὅλως) εἶτα τῶν μερικῶς αὐτῶν μετεχόντων.

b MAXIM. Οἷον ἡ αὐτοασώματος λευκότης ἐπιγενομένη σώματι λευκαίνει τοῦτο· οὕτω καὶ τὰ εἰρημένα ὧδε νόησον ἀναλόγως· ὅτι προϋπὼν ὁ Θεὸς, ἤτοι ἡ ζωὴ, ζωοῖ πάντα τὰ αὐτοῦ μετέχοντα.

c MAXIM. in cap. XI *de Divin. nom.* Πρώτως οὖν ἐννοούμεθα αὐτὸ τὸ πρᾶγμα· εἶθ' οὕτω τὴν καθολικὴν αὐτοῦ ἔννοιαν· οἷον τὴν παντοίως θεωρουμένην ζωὴν, ἢ οὐσίαν· καὶ τότε τὰ μερικὰ, τουτέστι τὴν τοῦ καθ' ἕκαστον εἴδος ἔννοιαν λαμβάνομεν· οἷον τῆς ἀγγελικῆς, ἢ τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς.

1 Dec. X. cap. IX. — 2 Cap. V *de Divin. nom.* — 3 Tom. II. *in Joan.*

Per se esse, per se vitam, per se sapientiam.

buntur. Dionysius vero formas istas, αὐτοεῖναι, αὐτοζωήν, αὐτοσοφίαν, ante singulares res quæ illarum communicatione formantur, esse ait ac produci, et istarum esse principia.

Ipsum. *Substantialiter.* *Providas facultates et participationes et dona.* *Participabilia.*

VIII. Igitur Dionysius duo quædam distinguit in Deo, quod jam admonui. Alterum est ipsa Dei οὐσία et *substantia*, nec non proprietates illæ quas instar qualitatum cum adjectione pronominis αὐτὸ proferre consuevimus, quatenus non ab eo profluunt, sed in ipso οὐσιωδῶς existunt. Alterum, emanationes quædam sunt et dona vel communicationes profusionesque liberales, quas rebus a se conditis impertitur, quas Dionysius[1] προνοητικὰς δυνάμεις et μετοχὰς appellat[2] et δωρεάς[3], nec non « providentias et bonitates, quæ participantur ab iis quæ sunt, et ex Deo minime participabili copiosa effusione prodeunt et superfluunt[a].» Hæc difficile est de abstractis nescio quibus, et fictis humana cognitione naturis, quas *universales* vocant, exponere. Quare fuisse putet aliquis res nescio quas a Deo productas, et opera Dei ab ejus natura et iis quæ in illo insunt proprietatibus, splendoris instar ab sole derivata, quæ sola participantur a creaturis, et sunt μεθεκτά, cum Deus et quæ insunt Deo, ἀμέθεκτα, *non participabilia* esse Dionysius affirmet.

Enimvero mirum illud videtur, ac prorsus incredibile quod dico, rem ullam existimari esse productam a Deo neque singularem et ab æterno scilicet ex eo diffusam, uti lux et splendor a sole dimanat, eamdemque opus esse Dei. At hoc ipsum qualecumque est, et ex Dionysii verbis quæ hucusque retuli consequens est prima ipsa specie, et a Maximo ejus interprete præstantissimo theologo traditur. Cujus apud Euthymium[4] in *Panoplia* (neque enim inter ea quæ exstant Maximi opera sit necne vacat inquirere) insignis est locus quem hic melius sit describere : « Quærendum, inquit, ab studiosioribus est, quænam intelligenda sunt opera quorum productionem Deus incepit, et quænam rursus quæ non incepit. Nam si ab omnibus cessavit operibus quæ cœpit facere, perspicuum est non ab illis ipsum cessasse quæ non cœpit facere. An igitur opera Dei quæ in tempore esse cœperunt, ea sunt omnia quæ esse participant, velut differentes entium substantiæ? Habent enim non ens antiquius quam ipsorum esse. Erat enim aliquando cum non erant. Opera autem Dei minime cœpta in tempore, sunt entia participabilia, quæ entia participantia ex gratia participant? Ut sunt bonitas et quidquid bonitatis ratione continetur, et ut uno verbo dicam, vita omnis et immortalitas et simplicitas et immutabilitas et infinitas, et quæcumque circa Deum substantialiter considerantur, quæ et opera Dei sunt, et in tempore non cœperunt, et solum habent Deum stabilissimum ex æterno esse sui genitorem[b].»

Ipsam-vitam vel ipsam sapientiam, et ipsum-esse. *Participationes et communicationes.*

IX. Habes opera Dei, et a Deo producta non in tempore sed ex æterno, nempe bonitatem, vitam et reliqua quæ vulgo *attributa* nominantur. Quæ tametsi οὐσιωδῶς inesse Deo, id est *substantialiter*, ait Maximus, non tamen ipsa per sese, et ut loqui amant scholæ, *formaliter* in Deo esse sentire potuit, quem supra docentem audivimus cum Dionysio, interesse inter αὐτοζωὴν vel αὐτοσοφίαν et αὐτοεῖναι, quatenus in ipsa Dei substantia sunt, adeoque ipse Deus, et eadem illa quatenus emanationes sunt et ad formandas res creatas applicantur et participantur. Cujus differentiæ pars illa est Dionysii, Maximi, Græcorumque plurimorum usu contrita, quod divina substantia et quæ insunt illi *substantialiter*, ἀμέθεκτα sint, id est participari et in res creatas communicari derivarique nequeant, secundariæ autem istæ formæ ac species tam priorum, et Deum (ut ita dicam et ut nos capere possumus) afficientium participationes sint quædam, quam ab inferioribus creatisque participentur. Unde et μετοχαὶ et μεταδόσεις ab iisdem vocantur.

[a] Dion. cap. xi. *de Divin. nom.* Δηλοῦντα προνοίας, καὶ ἀγαθότητας μετεχομένας ὑπὸ τῶν ὄντων, ἐκ θεοῦ τοῦ ἀμεθέκτου προϊούσας ἀφθόνῳ χύσει, καὶ ὑπερβλυζούσας.

[b] Maxim. Ζητητέον τοῖς σπουδαιοτέροις, τίνα καθήκει νοεῖν εἶναι τὰ ἔργα, ὧν ἤρξατο τῆς γενέσεως ὁ θεός· καὶ τίνα πάλιν, ὧν οὐκ ἤρξατο· εἰ γὰρ πάντων κατέπαυσε τῶν ἔργων, ὧν ἤρξατο ποιῆσαι, δῆλον ὡς ἐκείνων οὐ κατέπαυσεν, ὧν οὐκ ἤρξατο ποιῆσαι. μήποτε οὖν ἔργα μὲν θεοῦ χρονικῶς ἠργμένα τοῦ εἶναι, εἰσὶ πάντα τὰ τοῦ εἶναι μετέχοντα· οἷον αἱ διάφοροι τῶν ὄντων οὐσίαι· τὸ γὰρ μὴ ὂν ἔχουσιν αὐτῶν τοῦ εἶναι πρεσβύτερον· ἦν γάρ ποτε ὅτε οὐκ ἦν· ἔργα δὲ θεοῦ οὐκ ἠργμένα χρονικῶς, τὰ ὄντα μεθεκτὰ, ὧν κατὰ χάριν μετέχουσι τὰ ὄντα μετέχοντα· οἷον ἡ ἀγαθότης, καὶ πᾶν ἔτι (for. εἴ τι, vel ὅ, τι) τῷ τῆς ἀγαθότητος ἐμπεριέχεται λόγῳ, καὶ ἁπλῶς πᾶσα ζωὴ, καὶ ἀθανασία, καὶ ἁπλότης, καὶ ἀτρεψία, καὶ ἀπειρία, καὶ ὅσα περὶ θεὸν οὐσιωδῶς θεωρεῖται· ἅ τινα καὶ ἔργα θεοῦ εἰσι, καὶ οὐκ ἠργμένα χρονικῶς, καὶ μόνον τὸν θεὸν ἔχοντα τοῦ εἶναι μονιμώτατον ἀϊδίως γεννήτορα.

1 Cap. ii. *de Divin nom.* — 2 Cap. v. — 3 Ibid. — 4. Tit. VI.

Maximum rursus audiamus apud Euthymium ita loquentem : « Participabilis quidem Deus est secundum ejus communicationes, minime autem participabilis, quatenus nihil ipsam substantiam illius participat aut vitam ejusdem, aut aliud ejusmodi, quæ omnia excellenter habet et eximie [a].» Quæ et *in Scholiis* ad caput undecimum libri *de Divinis nominibus*, in fine, Maximus paulo diversis verbis posuit. Unde quod supra dixi non obscure constat, vitam sive αὐτοζωὴν et hujus generis alia, dupliciter a Dionysio et Maximo spectari, vel ut in Deo sunt, qua ratione minime communicantur, quia ipsa sunt οὐσία Dei quæ est ἀμέθεκτος, vel ut sunt dona quædam Dei et communicationes ac largitiones ejus, et hoc modo communicantur. Porro ad idem Dionysii caput Maximus *providentias et bonitates* quas vocat Dionysius, idem esse ait atque οὐσίωσιν, ζώωσιν, ἀγαθότητα, θεότητα, κάλλος, hoc est *substantificam*, ut ita loquar, *vim et vivificam, bonitatem, divinitatem, pulchritudinem* et cætera.

Ipsam vitam

Substantia.

Non participabilis.

X. Sed ut Dionysii ac Græcorum aliorum theologorum magis illustretur opinio, sciri illud oportet, quam Latini theologi *emanationem* appellant, eam ab illis nominari πρόοδον[1], quæ et ab nostris *processio* dicitur. Ut in glossario Philoxeni Græco-Latino πρόοδος, *processus, processio*. Est autem profusio quædam (ut ita loquar) et extensio summæ illius ac simplicis substantiæ, quæ cum infinita sit bonitas, hoc habet in quo boni natura ab Dionysio constituitur, ut seipsum diffundat et communicet. Quod cum facit, vel extra se quodammodo progreditur, vel saltem ἐκ τῆς μονάδος, quia ab unitate ad numerum ac multitudinem procedit, ut Gregorius Nazianzenus [2] ac Dionysius ipse, aliique Patres vulgo loquuntur. Quod propter interiores ac divinas processiones dixerim, quibus non extra se progreditur Deus, sed tantummodo ab unitate ad binarium et ternarium in eadem substantia divinitateque consistens. Hanc enim progressionem emanationemque duplicem illi statuunt [3], unam qua Deus Pater moveri ac profundi dicitur ad personarum multiplicationem [4], alteram qua ad res creatas producendas quasi extra se dimanat. De utraque Joannes Cyparissiotus accurate disserit in tertia decade [5], ubi illud quod nostra maxime interest docet : « Omnem emanationem fieri causam eorum quæ emanant, ac talem emanationem esse, qualia sunt ea ad quæ facta est emanatio. » Igitur emanatio illa sive *motio*, qua divinæ personæ producuntur, æterna est et non creata, de qua idem Cyparissiotus : « Manifestum est, inquit, quod Deus et Pater ad sua manando, Filium supersubstantialem et Spiritum, duo unius et ejusdem divinitatis lumina univoce protulit, nullo modo a seipso toto egressus, sed potius ad seipsum motus sine distantia intermedia ex æternitate in naturam trium personarum desivit. Hæc igitur emanatio mota a divina persona in divinas personas in Trinitate ad quam mota est, substitit et motionem non creatam exhibuit. » Mox alteram ad creaturas emanationem explicans, æquivocam illam nominat, et scilicet creatam atque in tempore factam esse demonstrat, atque hanc voluntatis esse, illam naturæ. Quod idem capite sexto ex Athanasio et Joanne Damasceno confirmat. Cum enim hic præsertim scripserit, « opus divinæ naturæ sempiternam esse generationem, opus vero divinæ voluntatis creationem, » hinc ille concludit. « Sicut non est ex æternitate creatura, sic nec voluntas eam creandi et opus. Opus enim Dei velle est, » et cætera quæ cum de voluntate agemus proferentur in medium. Alibi vero manifeste formas easdem generales creatas a Deo esse dicit his verbis : « Sic autem solvisse dubitationem, quomodo non apertissime patefacit creata esse ea quæ sic sunt in rebus magis principalia, quæ concedit dici exemplaria ad aliquid, ut per ea proportione quadam, tanquam per specula et ænigmata cognoscamus divina [6] ? »

A monade.

Processio Dei seu emanatio duplex.

XI. Nunc e superiore omni doctrina conficimus illud, emanationem quamcumque divinam qua aliquid producitur terminum et ἀποτέλεσμα, hoc est *productum* aliquid ejusmodi postulare, quod reipsa sit a producente auctoreque distinctum. Quod adeo veteribus perinde ac recentioribus theologis certum videtur, ut non alio argumento vel Sabellianos

a Maxim. tit. III. *Panop.* Μεθεκτὸς μὲν ὁ Θεὸς κατὰ τὰς μεταδόσεις αὐτοῦ· ἀμέθεκτος δὲ κατὰ τὸ μηδὲν μετέχειν αὐτῆς τῆς οὐσίας αὐτοῦ, ἢ τῆς ζωῆς αὐτοῦ, ἤ τινος τῶν τοιούτων, ἅπερ ἔχει πάντα καθ' ὑπεροχὴν, καὶ ἐξαιρέτως.

1 Dion. cap. v et ix *de Divin. nom.*; Max. ibid. — 2 Orat. xxxv. — 3. Dion. cap. ii *de Divin. nom.*; Greg. Naz. orat. xxxv et xxxviii. — 4 Max. in cap. ii. *de Divin. nom.* — 5. Cap. i et seq. — 6 Dec. V. cap. iv.

personas tres invicem miscentes refellant, vel a Filio perinde ac Patre distingui probent Spiritum sanctum, quam quod a Patre personæ reliquæ, ab illo vero simul et Filio tertia manet, ac procedat. Quod si id valet in illo processionum genere quæ extra divinam ipsam substantiam progressum non faciunt, neque distinctum ab ipsa Dei natura et essentia terminum habent, multo magis in altero valebit emanationis genere, quo aliquid producitur quod non est Deus, et non ab certa quapiam persona sed ab communi substantia et tribus in solidum personis originem capit. Quamobrem si quod Dionysio ac Græcis aliis placere antea demonstravimus, emanationes sunt certæ ac *processiones* sive πρόοδοι, quibus a Deo profluunt formæ illæ ac species intelligibiles, αὐτοεῖναι, αὐτοζωή, αὐτοσοφία et reliquæ, eas necesse est vel totidem esse personas divinas ab ipsa unde manant Dei substantia reipsa separatas, vel certe creaturas esse. Atqui neutrum horum consistere potest. Nam neque divinitates plures una sunt, nec a Dei substantia differre potest Deus, aut opus Dei nominari, quemadmodum species illæ ἔργα Θεοῦ vocantur a Maximo, neque porro creaturæ ex æterno procreatæ sunt, sed initium omnes habent temporis, cujusmodi carent species istæ, ut eodem in loco Maximus affirmat. Quinetiam formæ illæ neutiquam singulares individuæque sunt, sed universales, ut quæ participatione sui singulas res afficiunt. At nulla res nisi particularis et individua creari a Deo potest, neque dici per se opus Dei, ac ne ullo quidem emanationis genere progredi.

Ipsum-esse, ipsa-vita, ipsa-sapientia.

Opera Dei.

XII. Quo minus proprie loqui intelligendi sunt, ut jam dixi, Græci Dionysii interpretes, qui formas illas vocari ab eo censent τὰ καθόλου, id est, *genera* et *species*. Quod inter alios fuse disputat Joannes Cyparissiotus [2], qui easdem ait, « quando nactæ sunt subjecta recipientia, tunc dici effectas secundum existentiam eorum subjectorum quæ nactæ sunt, » non secus ac dialectici *universalia* dicunt in singularibus existere. Verum nemo prius existere dicit *universalia* quam *individua*, aut quod eodem recidit prius a Deo produci atque illorum esse principia quæ ipsis τὸ εἶναι et οὐσίας εἶναι, hoc est *esse* et *substantias esse* communicent. Quis enim sic desipit, ut ante genus ipsum animalis vel hominis speciem produci crearique dicat a Deo et quidem ex æterno ac sine ullo initio, quam Adamum, hominesque cæteros? Quis item nisi quid dicat nesciens, affirmare audeat naturam communem animalis, hominisve, tanquam principium a Deo productam esse, eique communicatum esse istud ipsum quod habet, ut ejus participatione animalia singula, hominesque singuli illud idem essent quod sunt ac naturam ab illis et essentiam acciperent? Atqui Dionysius illa omnia quæ de *universalibus* naturis nonnisi absurde dici fatentur omnes, de abstractis istis ac generalibus formis pronuntiat [2].

Ecquis vero genus ipsum animalis vel speciem hominis, aut ut expressius dicam aliquid, ipsam justitiæ, aut scientiæ *universalem* naturam dona quædam esse Dei censeat ab singularibus ejusdem nominis distincta formis, et quidem priora et antiquiora? An Socrati genus ipsum animalis aut virtutis donari a Deo, nisi stulte dici potest, aut utrique illi generi prius essentiam naturæque perfectionem communicari ab divinis illis exemplaribus et ideis, tum ab illo in individua transfundi quod a Deo derivatum acceperit?

XIII. Hæc sunt flagitia quæ ex Græcorum interpretatione sequuntur si formas illas αὐτοεῖναι, αὐτοσοφίαν αὐτοζωὴν apud Dionysium itidem intelligamus, ut dialectici naturas quas vocant universales sola ratione et consideratione constantes et tamen revera productas. Quod si ita sit, nihil aliud reliquum est nisi ut primigenias istas species aliquid per se esse subsistens et a Deo propagatum ex æterno Dionysius putaverit, prorsus uti Plato ideas in divina mente constituit, ut antecedens caput ostendit. Quod autem in fine capitis undecimi *de Divinis nominibus*, ait Dionysius, non se formas illas quarum causam Deum et auctorem esse vult, tales putare esse substantias, cujusmodi deos nescio quos gentilis fingebat error, non negat subsistens aliquid esse [a], sed tantummodo *principales et efficientes rerum substantias et hypostases*. Nam Dionysianæ istæ formæ nihil per sese moliuntur, sed agentis et fabricantis Dei cognitioni ac menti propositæ sunt, quemadmodum imago domus in architecti animo non proprie et, ut loquuntur, *physice* opus elaborat et efficit, adeo ut ambiguum sit apud philoso-

Ipsum-esse, ipsam-sapientiam, ipsam-vitam

a Dion. Οὔτε συνελόντα εἰπεῖν ἀρχικὰς τῶν ὄντων, καὶ δημιουργικὰς οὐσίας, καὶ ὑποστάσεις.

1 Dec. VII. cap. VII. — 2. Cap. V. et XI *de Divin. nom.*

phos, ad causæ genus efficientis, an ejus quæ *formalis* dicitur, idea revocanda sit, cum ad neutrum proprie optimoque jure pertineat.

Quanquam Maximus martyr in centuria tertia *de Charitate, artificem* illam vocat *sapientiam*, quæ creatis in rebus inest a Deo derivata. Sed eamdem negat per se subsistere, aut alibi quam in mente ac contemplatione versari [a]. Hanc ergo sapientiam velut genus aliquod speciemve, quæ ex individuis omnibus a Deo procreatis cogitando secernitur, a Dionysio constitui Maximus opinatur. Quam non solum ideæ et exemplaris more nobis objicimus, sed etiam velut efficientem causam, id est artem quæ ab exemplaribus differt. Quæ fortassis est ratio formarum illarum abstractarum quas Dionysius invexit, αὐτοσοφίας, αὐτοζωῆς et cæterarum. Has enim sic explicat et vero appellationum eo genere declarat quod efficientiam significat, ut cum eas vocat αὐτοσίωσιν, αὐτοένωσιν, αὐτοζώωσιν. Quæ nomina vim quamdam efficientem sive afficientem etiam indicant, cujusmodi habent illam quidem efficiens causa, hanc vero *formalis*. Ut si ab omnibus candoribus speciem hujus coloris exprimas, candor iste forma erit quæ sui communicatione candida facit omnia.

Ipsius-sapientiæ, ipsius-vitæ.

Ipsam-substantificationem, unitionem, vivificationem.

XIV. Ut autem magis intelligamus quantum Platonis studiosus Dionysius noster fuerit, ut illius de formis istis et ideis decreta specie saltem tenus adhiberet (nam revera aliter sensit, ut mox ostendam), unum e Proclo Platonis interprete locum adferam, qui tum Platonis, tum imitantis hanc, quoad pio et christiano philosopho licet, Dionysii mentem opinionemque patefaciet. Igitur in secundo libro *commentariorum in Timæum Platonis* de bono fuse disputat Proclus, cujus quidem ordines tres ac gradus constituit. « Aliud enim est, ait, ascititium et acquisitum bonum, aliud habitu bonum, et aliud principale bonum. Nam primum contrario est admistum, quemadmodum ascititium pulchrum cum turpi miscetur. Secundum vero, totum quidem boniforme est, sed participatione est tale. Denique ipsum per se bonum, primario bonum est. Quidnam igitur hoc est? Uniuscujusque divinitas, per quam quodlibet eorum quæ vere sunt est Deus. Nihil enim a bonitate illa differt. Quod si quid secundorum Deus aut bonum dicatur, inter ea numerandum est quæ divina fiunt et bona, estque participatione Deus non ex sese. Hanc igitur etiam Plato solet appellare participationem [b]. » Hic τὸ αὐτοαγαθὸν potest esse idea ipsa boni, non autem Deus. Nam idea ipsa bonitatis est illa forma cujus participatione bona fiunt tam prima quæ mali nonnihil habent admistum, quam secunda quæ ita liquidam et sinceram habent bonitatem, ut hanc non a se et ex essentia sua sed aliunde communicatam obtineant.

Ipsum-bonum.

Etenim in iis quæ participatione bona sunt, duo considerantur, id quod bonum fit cum non esset, et bonitas qua bonum fit. At forma bonitatis et idea non est complexum quid, sed ipsa bonitas. Simul illud animadverte, μέθεξιν illam et μετοχήν, id est, *participationem*, a Platonicis proprio quodam usurpari jure, quos secutus Dionysius et post hunc Græci ea plurimum utuntur. Qui nonnunquam formas illas et ἐνεργείας μεθέξεις vocant, quia participantur non participant, sive quia illarum interventu divinitatis participes sumus. Tametsi divinam naturam ἀμέθεκτον esse recentiores asserunt Græci, quos jam ante confutavimus.

Efficientias participationes.

Non participabilem.

XV. Sed ut tandem disputationi huic qua de Dionysii mente et opinione agitur modum adhibeamus, hunc ipsum dicimus reipsa catholice ac recte sentientem, solo genere loquendi quod e schola Platonicorum arripuit convenisse cum illis, et secus ac res habet suspicandi occasionem dedisse. Quare si verba illa quæ ad formarum istarum negotium accommodavit, non propria, uti Plato et Græci Palamitæ fecerunt, sed tropica et minus accurata significatione sumantur, quemadmodum Maximus, Cyparissiotus et alii instituerunt, nihil jam offensionis habebunt illius dicta, sed prorsus cum theologorum placitis ac veritate consentient.

Dionysius ad catholicum sensum exponitur.

Etenim naturas universales, hoc est genera

a MAXIM. lib. III. *de Charit.* cap. XXIV. Ταύτῃ οὖν τὸν Θεὸν γινώσκει· τὰ δὲ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότα τῇ ἀναλήψει, ὡς εἴρηται, τῆς ἐν τοῖς γεγονόσι θεωρουμένης τεχνικῆς σοφίας· ἥτις ἐστὶ ψιλὴ, καὶ ἀνυπόστατος ἐν τῷ νῷ συνισταμένη.

b PROCLUS. Ἄλλο γὰρ τὸ ἐπίκτητον ἀγαθόν· ἄλλο τὸ καθ' ἕξιν ἀγαθόν· ἄλλο τὸ πρώτως ἀγαθόν· τὸ μὲν γὰρ σύμμικτόν ἐστι πρὸς τὸ ἐναντίον· ὥσπερ καὶ τὸ ἐπίκτητον καλὸν συμπέφυρται πρὸς τὸ αἰσχρόν· τὸ δὲ, ὅλον μέν ἐστιν ἀγαθοειδὲς, μεθέξει δὲ αὖ τοιοῦτόν ἐστι· τὸ δὲ αὐτοαγαθὸν πρώτως ἀγαθόν· τί οὖν τοῦτό ἐστιν; ἡ ἑκάστου θεότης, καθ' ὃν (for. ἣν) ἕκαστον τῶν ὄντως ὄντων θεός· οὐδὲν γὰρ αὐτῇ (leg. αὐτὴ) διαφέρει τῆς ἀγαθότητος· εἰ δέ τι τῶν δευτέρων λέγοιτο ἢ θεὸς, ἢ ἀγαθὸν, τῶν ἐκθεουμένων ἐστὶ, καὶ ἀγαθυνομένων· καὶ διὰ τὴν μετοχὴν θεὸς, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν οἰκείαν οὐσίαν, οὐδὲ ἀφ' ἑαυτῆς· ταύτην οὖν τὴν μέθεξιν καὶ εἴωθεν ὁ Πλάτων καλεῖν.

et species, formarum et qualitatum singularium pro abstractis illis formis accepit, quas *Ipsam-bonitatem, ipsam-justitiam.* præfixo vocabulo αὐτὸ nominavit αὐτοαγαθότητα, αὐτοδικαιοσύνην et cætera ejusmodi. Sed quod easdem formas productas a Deo dixit, hoc est *Efficere. Effectorem.* Deum illas ὑποστήσασθαι et earum ὑποστάτην esse, aut hujus generis alia, non sunt proprie et exacta significatione capienda, uti Palamitas græculos fecisse docui, unde inextricabiles in errores et opinionum portenta delapsi sunt, tanquam res aliquæ sint et substantiæ, certe reipsa subsistentes et exstantes ab æterno in Deo et ab ipso distinctæ, cujusmodi commenta in illorum tomis synodicis videre licet supra modum omnem humani erroris absurda. Sed *Per catachresin.* καταχρηστικῶς et laxiori notione voces intelligendæ istæ sunt. Nimirum quia Deus ex omni æternitate res creatas in mente sua designavit decrevitque condere tum substantias, tum earum qualitates accidentesque formas, has omnes prius universe ac secundum propriam cujusque naturam quodammodo propositas habuit. Ut si architectum dicas ante domum universe infiniteque deliberasse facere, quam hanc vel illam destinaret. Ita Deus hominem, id est naturam hominis, tum virtutes omnes, bonitatem, sapientiam ac reliquas in rerum natura ponere constituit, et eas in mente velut ideas et formas habuit, quæ divinæ essentiæ suæ participationes quædam forent, quemadmodum de creaturis theologi nostri consueverunt loqui. Porro uti Deus cum humanæ naturæ individua reipsa et *actu*, ut dicere solent, procreat, speciem hominis ipsam procreare, eaque in exstantibus singulis hominibus exstantiam habere dicitur; ita quandoquidem ab æterno res omnes in sua æternitate produxisse et præsentes habuisse a plerisque Patribus ac theologis dicitur, ut supra demonstravimus, quoniam *fecit quæ futura sunt :* ideo formas illas generales et naturas per sese spectatas ὑποστήσασθαι, hoc est, *produxisse* ac *subsistentes fecisse* Dionysius aliique dixerunt, nullo prorsus flagitio, sed minus propria, ut jam docui, vocabuli notione.

XVI. Atque hoc Porphyrii et Ammonii et aliorum testimoniis illustrare et approbare licet. Porphyrius enim in proœmio *Institutionis de Generibus et formis* (eæ sunt species) magnam et perdifficilem altercationem esse scribit, « an reipsa consistant, an in solis nudisque cogitationibus posita sint, tum utrum subsistentia corpora sint an corporis expertia, et utrum separata sint, an in sensibilibus et circa ea subsistant. » Quæ omnia « prætermissurum se dicit, quod eorum tractatio obscurissima sit et majori inquisitione opus habeat[a]. » De generibus igitur ac formis dubitatum est, an ea per se et ab individuis avulsa consisterent, quod qui affirmabant, credo eos tales Platonicas formas et ideas constituisse. Atque hinc animadvertimus, quæstionem istam haud parvi momenti habitam apud antiquos philosophos, nec temere Dionysium easdem illas formas persecutum esse, tametsi non illas itidem ut isti separatas substantias ac per se cohærentes invexerit. Sed eo modo potius quem politissimus et eruditissimus interpres Ammonius ostendit in commentario ad illum Porphyrii locum, ubi viam nobis aperit ad Dionysii sententiam explicandam et ab omni fæce repurgandam commenti Platonici. Nam rationem indicat qua universales illæ naturæ ideæ esse possunt et æternæ, nec tamen subsistentes et a Deo distinctæ. Quod hoc exemplo declarat. Cogitemus annulum esse effigie aliqua signatum, velut Achillis, juxtaque illum ceras complures quibus eadem figura annulo isto sit impressa : tum ingressus quispiam ac ceras contemplatus illas, intelligat eas omnes una forma obsignatas esse, quam figuram in animo suo retineat. Sane figura quæ in annulo est, ante multa esse dicitur; quæ autem in ceris est, in multis. At illa quam in mente retinuit qui hoc novit et animo insculpsit, post multa esse ac posterior dicitur. « Idem ergo de generibus ac formis cogitatione nostra depingamus. Nam opifex universa moliens omnium apud se habet exemplaria. Ita faciens hominem, formam apud se hominis habet, in quam intuens condit omnes[b]. »

XVII. Quod eo argumento probat, quoniam Deus non similiter ac natura sine cognitione agit, sed ratione et intelligentia utitur ad opus perficiendum, quemadmodum artifices solent. Inest igitur in Deo species et forma rei cujuslibet quam procreat. « Inest autem ea forma in opifice sic tanquam effigies in an-

[a] Porphyr. Αὐτίκα περὶ γενῶν τε, καὶ εἰδῶν, τὸ μὲν εἴτε ὑφέστηκεν, εἴτε καὶ ἐν μόναις ψιλαῖς ἐπινοίαις κεῖται· εἴτε καὶ ὑφεστηκότα σώματά ἐστιν, ἢ ἀσώματα· καὶ πότερον χωριστὰ, ἢ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς, καὶ περὶ ταῦτα ὑφεστῶτα, παραιτήσομαι λέγειν, βαθυτάτης οὔσης τῆς τοιαύτης πραγματείας, καὶ ἄγλης μείζονος δεομένης ἐξετάσεως.

[b] Amm. Τοῦτο οὖν ἐννοείσθω καὶ ἐπὶ τῶν γενῶν, καὶ εἰδῶν· ὁ γὰρ δημιουργὸς ποιῶν πάντα, ἔχει παρ' ἑαυτῷ τὰ πάντων παραδείγματα· οἷον ποιῶν ἄνθρωπον ἔχει τὸ εἶδος παρ' ἑαυτῷ τοῦ ἀνθρώπου, πρὸς ὃ ἀφορῶν πάντας ποιεῖ.

nulo, ac dicitur forma hæc ante multa et a materia separabilis. Sed et singulis in hominibus illa ipsa forma est, velut in ceris expressæ sunt figuræ. Atque hæc in multis dicuntur esse et a materia non posse divelli. Porro cum singulos homines contemplati sumus, et observavimus omnes eamdem habere formam hominis, ut in eo contigit qui postea venit ac ceras inspexit, idipsum inscribimus animo nostro, diciturque hoc post multa et posterius. Ejusmodi autem a corpore quidem separari possunt. Non enim in corpore consistunt, sed in anima, neque tamen omnino separabilia sunt. Nam non ipsa separari per sese queunt, quales formas illas aiebat esse Plato, quæ ante multa sunt [a]. » Ex his Ammonii verbis intelligitur quæ sit universalium naturarum ac secretarum ab individuis ratio, et quemadmodum a Platonicis ideis discrepent. Non enim reipsa subsistentes sunt formæ, set ἐπινοίᾳ sola et *cogitatione* mentis. Ideo ἐννοηματικὰ εἴδη, id est *formæ intelligentia tenus et mentis notione cohærentes* ab Eustratio *Nicomachorum* interprete vocantur. Et quamvis in re ipsa qua tales sunt, id est universales et ab individuis distractæ, non sint nec exstantiam habeant, tamen et exemplaria sunt menti artificis objecta qui ad illa operis externi molitionem dirigit, et ante multa esse dicuntur, sive individuis priora; ea sibi, uti dixi, proponit artifex tanquam archetypas formas designatorum operum.

Hinc igitur incredibiliter Dionysii illustratur ac patescit opinio, qui a Platonicis nihil nisi loquendi modum et verba ipsa mutuatus est. Uti post illum Maximus martyr et Joannes Cyparissiotus qui hunc locum luculenter enarrat [1], ac Dionysianas illas formas et species, universales ait esse naturas a Deo creatas, quod si proprie interpretari volueris, nonnisi absurde dictum videbitur. Siquidem, ut recte rabbi Moses ait in libro primo *More Nebochim*, capite LI : Universalia ista *non habent exstantiam extra intellectum* [b].

CAPUT XI.

De ideis vera tandem ex theologorum veterum decreto ratio constituitur. Dionysii de illis locus, necnon Clementis illustratur. Maximus et Pachymeres notati. Augustini de ideis memorabilis locus. Idea quomodo sit ipsa Dei notio, non tamen simplex, sed adjuncta Dei voluntate ac decreto. Quare vis illi actuosa tribuitur. Cur Verbo proprie accommodatur. Explicatur quemadmodum natura ipsa divina rationem habeat ideæ. Quinam divina idea ab humana distet.

I. Idearum nomen ac mentionem Christianos Patres a philosophis accepisse præsertim Platonicis, antecedenti sermone declaratum est. Quanquam illos recepisse potius, et quod gentiles interverterant tanquam suum recuperasse, Justino placet [2], qui Platonem e sacris Litteris hausisse scribit quæ de tertio genere principii quod est exemplar et idea posteris tradidit. Nam in *Exodo* Mosi Dominus tabernaculi quod fieri jusserat [3], exemplar ostendit, secundum quod illud excitari præcepit. Quæ cum et hujus generis alia nostris in libris Plato legisset, « existimavit, inquit, speciem quamdam separatam ante id quod sensibile est existere, quod et exemplar eorum quæ sunt facta sæpe nominat [c]. »

Sic ex primo capite *Geneseos* idearum comminiscendarum occasionem ait cepisse, quod Moses *in principio Deum* scribit *creasse cœlum et terram*, quam terram mox ait *non aspecta-*

a Amm. Ἔστι δὲ τὸ εἶδος ἐν τῷ δημιουργῷ ὡς ὁ ἐν τῷ δακτυλίῳ τύπος· καὶ λέγεται τοῦτο τὸ εἶδος πρὸ τῶν πολλῶν, καὶ χωριστὸν τῆς ὕλης· ἔστι δὲ τὸ εἶδος τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἐν τοῖς καθ' ἕκαστον ἀνθρώποις, ὡς τὰ ἐν τοῖς κηροῖς ἐκτυπώματα· καὶ λέγεται τὰ τοιαῦτα ἐν τοῖς πολλοῖς εἶναι, καὶ ἀχώριστα τῆς ὕλης· θεασάμενοι δὲ τοὺς κατὰ μέρος ἀνθρώπους, ὅτι πάντες τὸ αὐτὸ εἶδος τοῦ ἀνθρώπου ἔχουσιν, ὡς ἐπὶ τοῦ ὕστερον ἐλθόντος, καὶ θεασαμένου τὰ κηρία, ἀνεμαξάμεθα αὐτὸ ἐν τῇ διανοίᾳ· καὶ λέγεται τοῦτο ἐπὶ τοῖς πολλοῖς, καὶ ὑστερογενές· εἰσὶ δὲ τὰ τοιαῦτα σώματος μὲν χωριστά· οὐ γὰρ ἐν σώματι ὑφέστηκεν, ἀλλ' ἐν ψυχῇ· οὐ πάντως δὲ ἀχώριστα· οὐδὲ γὰρ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ χωρίζεσθαι δύναται· οἷα τὰ πρὸ τῶν πολλῶν εἴδη ὑποτίθεται ὁ Πλάτων.

b R. Moses. ואלו הדברים יאמרו לבד והם נאמצים במלות ולא בדעות כל וכש שתהיה להם מציאה חוץ רשכל.

c Justin. Τούτοις οὖν ἐντυχὼν ὁ Πλάτων, καὶ οὐ μετὰ τῆς προσηκούσης θεωρίας δεξάμενος τὰ γεγραμμένα ῥητὰ, ᾠήθη εἶδός τι χωριστὸν προϋπάρχειν τοῦ αἰσθητοῦ· ὃ καὶ παράδειγμα τῶν γενομένων ὀνομάζει πολλάκις.

1 Cypar. dec. V, cap. IV. et dec. VII, cap. VII. — 2 Lib. *cont. Gent.* — 3 *Exod.* XXV.

bilem et inconditam fuisse. Eam igitur putasse intelligibilem significari terram ac cœlum intelligibile, hoc est ideam utriusque. Sic in hominis creatione, prius absque ulla terræ mentione factum illum dici *ad imaginem Dei*[1], postea *de limo terræ formatum*[2], ut in superiore loco homo intelligibilis et exemplar ipsum, in posteriore corporatus et sub sensum cadens agnosci queat.

II. Justini de Platone sententiæ Clemens Alexandrinus subscribit in sexto *Stromateon*, et quod ex suo ille sensu non asseverat, sed Platonis potius errori videtur adscribere, hoc ipsum Clemens revera sentire barbaram, id est, orthodoxam et christianam philosophiam putat. Nimirum duplicem esse mundum, alterum intelligibilem, alterum sensibus expositum : duplex item cœlum, terramque duplicem, idque primo ex Genesis capite colligi, unde Plato idearum suarum contingendarum causam habuit. Ita Clemens quem Eusebius citat in undecimo libro *de Evangelica præparatione*. Verum nulla in loco illo Genesis, si recte interpretemur, duplicis istius mundi significatio est. Tametsi non est dubium quin ex æterno Deus in mente sua species atque imagines rerum omnium quas conditurus erat habuerit, id quod paulo ante demonstravimus, ut quasi intelligibiles et corporis mole carentes ibi creatæ res existerent[3]. Quem mundum intelligibilem a Platone significatum plerique nostrorum acceperunt, ut inter alios vulgatis hisce versibus Boetius[4] :

« Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus
[ipse,
Mundum mente gerens, similique in imagine
[formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere
[partes.

Hæc proprie vereque dicta est idea, cujus liquidam hic et certam rationem ex Patrum decretis inquirimus.

Dionysii de ideis sententia illustratur.

III. Cujus rei pervestigandæ principium ducemus ab Dionysii enarranda sententia quæ principatum hac in quæstione obtinet, et non mediocri difficultate est obsepta, cujus pars major in antecedenti capite jam est exhausta. In quo illud extricatum est, Dionysium species ac formas nescio quas rerum posuisse diversas a Deo et ab ipso procreatas, non tamen proprie sumpto creationis nomine, ut ibidem ostendimus, quarum applicatione res singulæ formantur talesque fiunt. Ejusmodi porro fuisse Platonis ideas, capite octavo late disputavimus. Sed ab illo dupliciter Dionysius discrepat. Primum quod istas qualescumque naturas universales et formas, non per se cohærentes et subsistentes aut in Deo aut extra Deum finxit Dionysius, tanquam ex æterno res aliquæ solidæ et exstantes fuerint ejusmodi, quales ideas suas Plato esse credidit, sed existere suo modo naturas istas universales nonnisi in tempore putavit, cum videlicet individua quibus solis exstantia convenit, e nihilo producta sunt. Tunc enim etiam illorum genera et species quodammodo exstiterunt. At antea reipsa non exstabant, sed ut in scholis loquuntur, *objective* tantum, quod capite proxime antecedenti satis expositum est. Deinde differt in hoc a Platone Dionysius, quod naturas universales nequaquam ideas aut esse aut appellari sentiat. Cujus est præsentis capitis propria tractatio.

Itaque Dionysius in capite quinto *de Divinis nominibus* de ideis acturus solis eas similitudine primum explicat. Nam ut sol rerum quæ sub sensum cadunt, substantias et qualitates quamlibet multas et varias vegetat, fovet atque conservat, « eædemque res unius et ejusdem solis participes sunt, quarum causas in seipso simplici et uniusmodi ratione continet ; sic multo magis in Deo qui tam solis ipsius quam cæterorum causa est omnium concedendum est, omnia prius inesse rerum exemplaria unica et substantiam excedente unitione, quoniam et substantias producit quadam a substantia progressione facta[a]. » His animadversis, deinceps quid exemplaria ista sint declarat, cujus verba mox proferam. Non est autem dubium παραδείγματα, id est, *exemplaria* illa, non aliud esse quam ideas de quibus hic agimus.

Necnon C... mentis Al...

IV. Exinde Clementis, ut vocat, philosophi dictum memorat, qui *exemplaria* putabat *referri ad aliquid, quæ in entibus primaria sunt*. « Verum neutiquam, inquit, illi per propria et absoluta et simplicia nomina pro-

a Dion. lib. V. *de Divin. nom.* Καὶ τὰς τῶν πολλῶν μετεχόντων ὁ εἷς ἥλιος αἰτίας ἐν ἑαυτῷ μονοειδῶς προείληφε· πολλῷ γε μᾶλλον ἐπὶ τῆς καὶ αὐτοῦ, καὶ πάντων αἰτίας, προϋφεστάναι τὰ πάντα τῶν ὄντων παραδείγματα, κατὰ μίαν ὑπερούσιον ἕνωσιν συγχωρητέον· ἐπεὶ καὶ οὐσίας παράγει κατὰ τὴν ἀπὸ οὐσίας ἔκβασιν.

1 *Gen.* I, 26. — 2 *Gen.* II, 7. — 3 Cap. I. hujus libri, et 2. — 4 Lib. III. *de Cons. phil.*, metro 9.

cedit oratio. Ac tametsi dici hoc recte concedamus, theologiæ tamen meminisse nos oportet quæ dicit : Hæc tibi non ostendi ut ambules post illa, sed ut per analogicam eorum notitiam ad universorum principium quoad possumus attollamur [a]. » Hanc Clementis illius opinionem, quem Romanum pontificem Græci interpretes Maximus et Georgius Pachymeres esse sentiunt, sic iidem illi explicant : ideas et exemplaria volunt ab illo constituta in rebus creatis sub sensum cadentibus et individuis, ut horum aliqua formæ essent ad quas inferiores et subjectæ referuntur, velut ignis ille quo utimur ad æthereum et cœlo citimum, tanquam ad exemplar suum revocatur [b]. Verum Dionysium negare eas proprie ideas esse. Quod si quæ res creatæ ideæ nominantur, non eas tamen adorandas esse, quemadmodum formæ illæ ac figuræ quas in monte Mosi Dominus ostendit, ut ad eas tabernaculi ac vasorum omnium fabricationem exigeret, exemplaria fuerunt, sed neutiquam pro divinis veneratione dignanda.

Ego vero aliter Clementem intelligendum arbitror necnon Dionysium, ac non aspectabiles species et particulares ab illo pro ideis sumptas, sed intelligibiles naturas de quibus capite antecedenti, et Dionysii de illis opinione multum egimus. Has enim ideas non absolute et universe, sed quadamtenus et ex parte Clemens esse voluit, hoc est πρός τι, quia singularum rerum suæ propriæ sunt ideæ : velut idea est equi, idea hominis, idea justitiæ, et cæterorum, ut a Platonis sententia minus recederet et eo solum differret, quod easdem formas universales ante vel extra individua subsistentes non poneret. At Dionysius illas idcirco nominari ideas credique non vult, quoniam exemplares formas actuosas et rerum efficientes esse putat, naturæ autem illæ nihil in opus præter nudam sui ostensionem conferunt.

Nunc ut de ideis certius aliquid et accuratius ex antiquorum placitis eruamus, primum Augustinus audiendus est, cujus illustris valde locus est in libro *Octoginta quæstionum* quæstione XLVI, e quo hic nonnulla describam. Primum idearum nomen sic a Platone excogitatum ait, ut non primus rem eo vocabulo declaratam invenerit, quatenus *tanta* in istis ideis a Platone *vis constituitur, ut nisi iis intellectis sapiens esse nemo possit.* Atqui multi præter Platonem et ante ipsum sapientes extiterant.

V. Ideas « igitur, pergit Augustinus, latine possumus vel formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamur. Si autem rationes eas vocemus, ab interpretandi quidem proprietate discedimus. Rationes enim græce λόγοι appellantur, non ideæ ; sed tamen quisquis hoc vocabulo uti voluerit, a re ipsa non errabit. Sunt namque ideæ principales formæ quædam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eodem modo sese habentes, quæ in divina intelligentia continentur. Et cum ipsæ neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit. » Subjicit argumentum quod in Deo esse ideas ostendit, quod nemo sit quin « profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia quæ vivunt vivere, atque universalem rerum incolumitatem ordinemque ipsum, quo ea quæ mutantur, suos temporales cursus certo moderamine celebrant, summi Dei legibus contineri et gubernari. Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse ? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo qua equus ; hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris ? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret quod constituebat ; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum creandarum, creatarumve rationes in divina mente

Quid sint ideæ.

In Deo esse ideas probatur.

a DION. ibid. Εἰ δὲ ὁ φιλόσοφος ἀξιοῖ Κλήμης καὶ πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι, τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα, πρόεισι μὲν οὐ διὰ κυρίων, καὶ παντελῶν, καὶ ἁπλῶν, ὀνομάτων ὁ λόγος αὐτῷ· συγχωροῦντας δὲ καὶ τοῦτο ὀρθῶς λέγεσθαι, τῆς θεολογίας μνημονευτέον φασκούσης, ὅτι οὐ παρέδειξά σοι αὐτὰ τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω αὐτῶν· ἀλλ' ἵνα διὰ τῆς τούτων ἀναλογικῆς γνώσεως ἐπὶ τὴν πάντων αἰτίαν, ὡς οἷοί τε ἐσμὲν, ἀναχθῶμεν.

b MAXIM. in Dion. Τὸν οὖν ἱερὸν Κλήμεντά φησι λέγειν, εἶναι καὶ ἐν τοῖς ποιήμασι παραδείγματα γεννικώτερα· ἤ τοι ἰδέας τῶν πρός τι, ἀντὶ τοῦ τῶν ὑποβεβηκότων εἰδῶν τῶν πρός τι τῶν ὑπερβεβηκότων ὑπόδειγμα ὑποστάντων· οἷον τὸ ἔνυλον πῦρ πρὸς τὸ αἰθέριον.

continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse, atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato; non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia æternæ sunt et ejusmodi atque incommutabiles manent, quarum participatione fit ut sit quidquid est, quoquomodo est. »

VI. Hanc rationem quæ in Deo ideas esse demonstrat, attigit alibi sæpius Augustinus, ut in lib. XII *de Civitate Dei*[1], in quo dicit « in una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium et mutabilium, quæ per istam factæ sunt; quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. » Sic in libro *de Genesi ad litteram* quinto [2], et in tractatu primo *in Joannem*. Quibus in locis omnia quæ fiunt, *priusquam fierent, in notitia fuisse facientis*, ait. Ut nihil sit aliud idea quam Dei intelligentis notio. Ita enim Platonici νόησιν θεοῦ illam nominarunt, ut capite superiori diximus, et ἔννοιαν τοῦ θεοῦ, quod testatur Theodoretus in Sermone quarto *contra Gentiles*. Psellus item in libro *Quæstionum physicarum*, quæstione tertia: « Ideam appellari a Platone scribit primam Dei notionem et inexplicabilem illam speciem et imaginis descriptionem, ad quam mundum fabricavit[a]; » de cujus opinione dixi capite VII.

Intellectionem Dei.

Cogitationem Dei.

Verum Dionysius in quinto capite libri *de Divinis nominibus* ideas et *exemplaria* quæ παραδείγματα vocat, definit « rationes quæ in Deo sunt, substantiarum efficientes et singulariter ante subsistentes, quas theologia præfinitiones nominat; nec non divinas et bonas voluntates, quæ definiendorum ac moliendorum entium vim habent, secundum quas ille substantiam excedens entia omnia ante determinavit et produxit[b]. » Quem ad locum Maximus et post eum Gregorius Pachymeres observant, Dionysium *exempla* sive *ideas* vocasse προορισμοὺς et voluntates bonas Dei, imitantem Apostolum qui in epistola ad Romanos[2] usus est verbo προορίζειν, quod *prædestinare* Latinus interpretatur, ut et alibi passim.

Prædestinationes.

VII. Ac Maximus iisdem in commentariis ideam definit sic ut sit *effectio per se absoluta et sempiterna sempiterni Dei*[c]. Quod et Damascenus prodidit in oratione tertia *de Imaginibus*, ubi de variis imaginum generibus agens: « Secundus, inquit, imaginis modus est eorum quæ a Deo facienda sunt, notio quæ inest ipsi, hoc est, sæculis anterior omnibus ejus voluntas, quæ eodem modo semper habet. Est enim divinum immutabile numen, ejusque voluntas initium non habet, qua perinde atque ante sæcula voluit, in definito ab ipso tempore fiunt quæ definita sunt. Imagines enim et exempla faciendorum ab illo, singulorum est ipsorum notio, quæ et prædestinationes apud sanctum Dionysium vocantur. Nam in ejus consilio expressæ continebantur formæ atque imagines rerum antequam fierent, quæ quidem ab ipso præfinitæ et sine dubitatione erant futuræ[d]. » Sed plus aliquid quam nuda et simplex ideæ ratio exigit, Dei prædestinatio et voluntas continet. Non enim in voluntate, sed in sola mente intelligentiaque sunt ideæ, quæ cum rerum futurarum existentia implicatæ non sunt, sed hoc unum requirunt res ut esse possit, a Deoque produci. At videntur qui ita locuti sunt, ideas intellexisse, qua actuosæ sunt atque ad opus ipsum et effectionem applicantur, non ut per se absoluteque spectantur. Quo pacto meræ sunt νοήσεις ac *notitiæ*, quarum rationem iterum Maximi verbis quæ

a PSELLUS. Ἰδέαν λέγει Πλάτων τὴν πρώτην ἔννοιαν τοῦ θεοῦ καὶ τὴν ἄῤῥητον ἐκείνην φαντασίαν, καὶ ἀνατύπωσιν, καθ' ἣν τὸν κόσμον ἐδημιούργησεν.

b DIONYS. lib. V. *de Divin. nom.* Παραδείγματα δέ φαμεν εἶναι τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς, καὶ ἑνιαίως προϋφεστῶτας λόγους, οὓς ἡ θεολογία προορισμοὺς καλεῖ, καὶ θεῖα, καὶ ἀγαθὰ θελήματα τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ, καὶ ποιητικὰ, καθ' οὓς ὁ ὑπερούσιος τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε, καὶ παρήγαγεν.

c MAXIM. ad cap. IV. *de Divin. nom.* Ὅτι ποίησιν αὐτοτελῆ ἀΐδιον τοῦ ἀϊδίου θεοῦ τὴν ἰδέαν, ἤτοι τὸ παράδειγμα φησί.

d DAMASCEN. Δεύτερος τρόπος εἰκόνος, ἡ ἐν τῷ θεῷ τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐσομένων ἔννοια· τουτέστιν ἡ προαιώνιος αὐτοῦ βούλησις, ἡ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχουσα· ἄτρεπτον γὰρ τὸ θεῖον, καὶ ἡ βούλησις αὐτοῦ ἄναρχος, ᾗ καθὼς προαιωνίως ἠβουλήθη, ἐν τῷ προορισθέντι ὑπ' αὐτοῦ καιρῷ γίνεται τὰ ὁρισθέντα· εἰκόνες γὰρ, καὶ παραδείγματα τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐσομένων ἡ περὶ ἑκάστου αὐτῶν ἔννοια· οἳ καὶ προορισμοὶ παρὰ τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ ὀνομάζονται· ἐν γὰρ τῇ βουλῇ αὐτοῦ ἐχαρακτηρίζετο καὶ εἰκονίζετο πρὶν γενέσεως αὐτῶν τὰ ὑπ' αὐτοῦ προωρισμένα, καὶ ἀπαραβάτως ἐσόμενα.

1 Cap. XX. — 2 Cap. XIII. XIV. XV. — 3 Cap. I. IV et cap. VIII. XXIX. XXX.

Euthymius affert, non gravabor exponere: « Rationes, inquit, omnium quæ facta sunt, habens Deus ante sæcula in seipso subsistentes, secundum eas tam sub aspectum non cadentem quam aspectabilem creaturam produxit, opportuno tempore faciens tam universalia quam singularia. Nam ratio unumquodque eorum quæ sunt antecessit, secundum quam illud est factum. Quocirca rationes omnium in Deo fixæ sunt, secundum quas ex non exstantibus illa produxit, ac secundum rationes easdem cognoscit omnia antequam fiant. Has porro rationes Areopagita Dionysius prædestinationes vocat divinasque voluntates[a]. » Et hic quoque voluntatem ideis admiscet, cum proprie in mente, non in voluntate resideant. Proinde ideæ a Patribus δημιουργικοὶ λόγοι, id est, *rationes efficientes* appellantur, ut a Zacharia Mitylenæo libro *de Mundi opificio*, a Maximo ad quintum caput *de Divinis nominibus*, ἀρχικὰ αἴτια, *causæ* vel *principia initium et originem dantia*. Ut ex duobus complexas esse causas illas exemplares constet, quæ vocantur ideæ, nempe ex notione mentis et voluntatis decreto. Atque ita nihil a divina ipsa natura distant ideæ, uti neque notiones et decreta ab eadem illa discrepant. Alioqui, ut argumentatur Dionysius et Maximus, esset aliqua διπλόη in Deo, hoc est *duplicitas* et compositio ex Deo ipso et idea[b]. Quocirca divina ipsa natura ut res procreandas continet, easque non solum repræsentat, sed etiam ad ipsas moliendas et producendas illius vim et omnipotentiam dirigit, idea nominatur.

An Verbum sit idea.

VIII. Hinc ad sapientiam, adeoque divinum Verbum quod et sapientia est et ex intelligentia oritur, revocari a Patribus solent ideæ dum eas in Verbo contineri dicunt. De qua re eximius est Origenis locus [1] ad illa Joannis verba, *In principio erat Verbum*, ubi λόγον interpretatur *rationem* cujusmodi est in mente artificis, « ut secundum sapientiam et secundum figuras collectionis intelligentiarum quæ sunt in ipsa, fiant omnia. Opinor enim, sicut domus et navis fabricatur vel ædificatur juxta figuras et formas mentibus eorum qui structuræ præsident conceptas, domo, navique principium sumentibus ab his figuris et rationibus quæ sunt in artifice; sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes jam antea a Deo manifestatas in sapientia. Omnia enim in sapientia fecit. Dicendumque est, Deum cum animatam sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curæ permisisse ut ex figuris et speciebus, quas ipsa habebat (opinor) subsistentiam et plasmationem et formas præberet entibus et materiæ. » In his Origenis verbis offendet aliquem fortasse quod sapientiam a qua omnia facta perpolitaque sunt, quæ nihil aliud est quam Verbum, creatam a Deo esse dixerit. Sed etsi pro eo atque suspectus est in aliis, accusari id in eo possit, non est tamen temere damnandus, quod ad celebrem illum e *Proverbiis* locum alluserit, in quo creata itidem sapientia dicitur [2].

Augustinus quoque in sexto *de Trinitate* satis indicat [3], exemplaris rationem peculiarem esse Filii, cui et imaginis et speciei nomina quæ illius propria sunt, insigniter quadrant. Nam Hilarii dictum breve et argutum explicat, « æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere. » Ubi æternitatem Patri tribuit, quia solus non habet a quo sit, speciem imagini, id est Verbo, quod in eo paternæ essentiæ omniumque rerum quæ insunt ipsi, similitudines continentur, cujusmodi sunt ideæ. Sed hunc locum alibi jam exposuimus.

IX. Cæterum eodem in capite Augustinus « Verbum Dei artem quamdam vocat omnipotentis atque sapientis Dei, plenam omnium rationum viventium incommutabilium, et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum [4]. » Auctor etiam libri *de Incarnatione*, qui falso Augustino tribuitur: « In hac ipsa sapientiæ subsistentia, inquit, qua omnis virtus ac deformatio futuræ inerat creaturæ, vel eorum quæ principaliter existunt, vel eorum quæ accidunt consequenter virtute præscientiæ præformata atque dispo-

a Maxim. apud Euth. part. I. *Panop.* tit. III. Τοὺς λόγους πάντων τῶν γεγονότων ἔχων ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων ὑφεστῶτας ἐν ἑαυτῷ, κατ' αὐτοὺς τήν τε ἀόρατον, καὶ τὴν ὁρατὴν ὑπεστήσατο κτίσιν, κατὰ τὸν δέοντα καιρὸν ποιῶν τά τε καθόλου, καὶ τὰ καθ' ἕκαστον· λόγος γὰρ ἑκάστου τῶν ὄντων προκαθηγήσατο, καθ' ὃν τοῦτο γέγονε· τοιγαροῦν ἐν τῷ Θεῷ πάντων οἱ λόγοι πεπήγασι, καθ' οὓς ταῦτα ἐκ μὴ ὄντων ἐποίησε, καὶ κατὰ τούτους τοὺς λόγους γινώσκει πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν· τούτους δὲ τοὺς λόγους ὁ 'Αρεοπαγίτης Διονύσιος προορισμοὺς καλεῖ, καὶ θεῖα θελήματα.

b Maxim. Εἰ γὰρ μὴ ἁπλῶς καὶ ἑνιαίως εἶεν αἱ ἰδέαι, νοήσεις ὑπερηπλωμέναι οὖσαι τοῦ ὑπερηπλωμένου, καὶ ὑπερηνωμένου Θεοῦ, σύνθετος ἂν εἴη Θεὸς ἐκ παραδείγματος καὶ ἑαυτοῦ· ὅπερ διπλόην ὠνόμασε.

1 Tom. I. *in Joan.* — 2 *Prov.* VIII. — 3 Cap. X. — 4 Vide Guil. Paris. lib. *de Retrib. sanct.*

sita[1]. » Hinc illud Salomonis quo creatam dicit esse sapientiam initium viarum Dei[2], eo sensu intelligit « quod continet in semetipsa universæ creaturæ vel rationes vel species. »

Quamobrem uti architectandi ars aut alia quælibet varias continet operum suorum imagines et ideas, ex quibus ea quæ sunt propria sui molitur, neque est idem cum ideis istis, ita Verbum Dei rerum omnium præformatas et descriptas habet imagines atque exemplaria, ad quæ illas exigit dum in tempore producit, neque idem est prorsus quod idea. Siquidem idea rerum fabricandarum est exemplar. Verbum autem divinæ ipsius naturæ quæ in Patre est præcipue, creatarum vero rerum quæ in illa continentur, secundo quodam gradu ac loco imago dicitur. Ideo qua id quod divinum est refert, idea non est, sed quatenus creaturas respicit. Tametsi nec sic quidem proprie est idea, quia non tantum repræsentandi, sed etiam efficiendi ac moliendi vim habet, imo vis est ipsamet et ars quæ secundum exemplar opus effingit, quod est supra ideæ conditionem.

X. Potest tamen ea ratione vocari idea qua Dionysius, Maximus, adeoque cæteri omnes quos hucusque commemoravi, et imprimis Augustinus ideas sive exemplaria docent esse λόγους, id est *rationes* sive descriptas imagines rerum procreandarum. Est autem Verbum Dei Græcis λόγος, et illo ipso sensu sic eum nominari veteres quidam existimant, ut suo loco dicetur, quod ratio sit operum omnium divinorum quæ in Deo, antequam existant, ex æterno præstructa, præformata ac disposita sunt. Quod inter alios Tertullianus in libro *adversus Praxeam* exponit[3]. Et Augustinus : « Christus, inquit, Verbum Dei est, in quo antequam essent, dicta sunt omnia[4]. » Hoc autem prædestinatione ac decreto fit omnia ista temporibus idoneis procreare statuentis ac volentis Dei. Ex quo illud apparet quod paulo superius observabamus, cur Dionysius aliique Græci ad idearum naturam et definitionem motum aliquem adjungant divinæ voluntatis et efficientiæ, easque προορισμοὺς ac θελήματα, vel etiam ποιήσεις esse censeant, quod nimirum rerum futurarum rationes illas et exemplaria non otiose et quasi speculando duntaxat exprimit in Verbo et per Verbum suum Deus, sed actuose, ut jam dixi, et cum proposito ac voluntate rerum earumdem suo tempore proferendarum, adeo ut jam illas quodammodo in sua æternitate condiderit. « Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat, nec esset in rebus, nisi esset in Verbo, quomodo et in te non esset in fabrica, nisi esset in consilio. Sicut in Evangelio dicitur : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Erat ergo quod factum est, sed in Verbo erat, et omnia opera Dei ibi erant, et opera nondum erant[5], » ait Augustinus. Hinc idem in tractatu primo *in Joannem*, Verbum Dei non minus quam humanum, *consilium* vocat quod de opere faciendo ab artifice suscipitur, et est idea operis istius externi. Hujusmodi autem imago πρακτικὴ est et cum moliendi voluntate conjuncta. De qua re rursum agemus tum libro sequente, tum in sexto *de Trinitate*, dum veterum sententiam illam enodabimus, quæ Filium et ex voluntate genitum et Dei esse voluntatem asserit[6]. Quapropter λόγος Dei qui omnium causa est[7], ut ait Victorinus, ratio quædam est non solum repræsentans, sed etiam efficiens universa, earumque vel idea est vel ideam continet.

Prædestinationes, voluntates... efficientias.

Practica

XI. In quo nonnihil apud theologos quæstionis existit, quatenus notio ipsa Dei, quam *intellectionem* vocant, appellari possit idea. Sunt enim in talibus ἐνεργείαις et *actionibus* intelligentiæ ac mentis discernenda duo, alterum ipsa mentis actio qua res objectas et cognitas velut apprehensas tenemus, alterum res ipsæ quæ cognitioni nostræ subjectæ sunt. De qua quæstione breviter hoc ex antiquorum placitis affirmari potest, illas ipsas notiones divinæ mentis, non ut actiones quædam sunt, vel potius ipsa Dei substantia *actionis* et ἐνεργείας a nobis more spectata, sed ut rerum creandarum formas continent, esse earum ideas et exempla. Est enim idea rei alicujus exemplar ad cujus instar illa fit, et per quam in efficientis mente intelligentiaque ante opus esse dicitur quam in se ipsum existit, ut ea demonstrant quæ in hoc et antecedentibus præsertim capitibus, tam ex nostris quam exoticis e scriptoribus de idearum natura commemorata sunt. Quibus Augustini nunc accedat insignis illa et ad propositum nostrum aptissima sententia ex primo *in Joannem* tractatu : « Faber, inquit, facit arcam. Primo in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferret. Sed arca sic est

Idea proprie notio Dei dicitur.

1 Lib. I *de Incarn.* Cap. VIII. — 2 *Prov.* VIII. — 3 Cap. V et seq. — 4 Lib. II *cont. Faust.* cap. V. — 5 Tract. in *Ps.* XLIV. — 6 Cap. VIII. — 7 Victorin. lib. *cont. Arian.* col. 169.

in arte, ut non arca ipsa sit quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. » Mox : « Attendite ergo arcam in arte et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres charissimi, quia sapientia Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia ; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra. Cœlum vides, est in arte cœlum. Solem et lunam vides, sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. » Cum igitur arca ut est in artificis mente sit arcæ ab opifice fabricatæ idea, perinde creatæ res omnes ut in Deo sunt, viva quædam exemplaria sunt sui, quatenus extra Deum in seipsis existunt.

Significantius.

XII. Hinc Maximus martyr Deum asserit suam ipsam notitiam creandarum rerum quam habet ex æterno, produxisse in tempore, eique substantiam dedisse, vel ut græca vox ἐμφαντικώτερον sonat *substantiasse*[1]. « Illam, inquit, quam ex æterno in seipso habet artifex eorum quæ sunt, ante existentem notitiam, quando voluit substantiavit et produxit. Absurdum est enim de Deo omnipotente dubitare an cuipiam rei, cum voluerit, substantiam dare possit[a]. »

Cui Petrus Damiani consentaneus est ita in opusculo sexto et tricesimo scribens : « Voluntas quippe Dei omnium rerum sive visibilium sive invisibilium causa est ut existant, adeo ut condita quæque antequam ad formarum suarum visibiles procederent species, jam veraciter atque essentialiter viverent in sui opificis voluntate [2]. » Tum illud enarrans quod in Apocalypsi scriptum est : *Quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt*[b], loquitur sic : « Prius dicitur quia erant et postmodum fuisse creata, quia quæ foris expressa sunt per conditionem operis, jam intra erant in providentia et consilio creatoris. » Eodem referri debet quod ex Justino et Clemente Alexandrino supra referebamus, et ante ambos Philo *in Cosmopœia* prodidit, duplicem a Mose significari mundum, cœlumque duplex ac terram duplicem ac cætera perinde duplicia, alterum intelligibile et sub aspectum non cadens, unde Scriptura *terram invisibilem et infabricatam* vocat, alterum externum et aspectabile [3]. Quæ satis ostendunt ideam proprie dici notionem Dei, qua rei producendæ formam complectitur.

Quomodo rerum omnium ideæ in Verbo contineantur.

XIII. Erudita est de hoc argumento sancti Anselmi disputatio in *Monologio*[4], quæ et idearum naturam omnem pulcherrime declarat, et docet hoc imprimis : « Priusquam fierent universa, fuisse in ratione summæ naturæ quid aut qualia aut quomodo futura essent. Quare cum ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent, non tamen nihil erant quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent [5]. » Deinde : « Illa, inquit, forma rerum quæ in ejus ratione res creandas præcedebat, quid aliud est quam rerum quædam in ipsa ratione locutio ? Veluti cum faber facturus aliquod suæ artis opus, prius illud intra se dicit mentis conceptione [6]. » Itaque cum forma illa vel formæ potius productio, quædam sit mentis divinæ locutio, summam substantiam mox Anselmus ait « prius in se quasi dixisse cunctam creaturam, quam eam secundum eamdem et per eamdem suam locutionem conderet [7]. » Hoc autem nihil aliud est quam Verbum, quo « uno eodemque dicit seipsum et quæcumque fecit [8]. » Quoniam ergo res eædem ut in Deo sunt, formæ illæ sunt et ideæ sui quatenus in seipsis existunt, dicuntur autem, id est producuntur quodammodo ex æterno destinatione ac proposito, et ex statu possibili velut in actum exeunt dum ex infinita copia rerum quas creare poterat Deus, certas ex omni æternitate seligit et voluntate sua definit, quibus in tempore propriam οὐσίαν attribuat : quod οὐσιῶσαι attribuat : quod σχέσιν Maximus ex Dionysio nominat : inde constat, quemadmodum ideæ omnium rerum in Verbo contineri dicantur, imo per ipsum produci ; quatenus formæ illæ σχέσιν et *habitudinem* quamdam habent ad existentiam, dum ex nihilo ac mere possibilium sed nunquam futurarum rerum numero delibantur, et pro jam existentibus

Substantiam substantiare

a Maxim. Τὴν ἐξ ἀϊδίου ἐν ἑαυτῷ ὁ δημιουργὸς τῶν ὄντων προϋπάρχουσαν γνῶσιν, ὅτε ἐβουλήθη οὐσίωσε, καὶ προεβάλετο· ἄτοπον γάρ ἐστιν ἐπὶ θεοῦ τοῦ παντοδυνάμου διστάσαι, εἰ δύναταί τι οὐσιῶσαι ὅτε βούλεται.

b *Gen.* I. Ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος.

1 Lib. IV. *de Char.* cap. IV. — 2 Cap. II. — 3 Cap. IV. — 4 Cap. VIII. IX. X. XI. XXXII. — 5 Cap. VIII. — 6 Cap. IX. — 7 Cap. . — 8 Cap. XXXII.

habentur in ipsa æternitate quæ tota simul et individua est. Hoc autem per Verbum et in Verbo fit, per quod omnia fiunt. Hinc illud etiam illustratur magis quod ex Dionysio Græcisque reliquis supra commemoratum est, qua ratione ideæ, voluntates Dei, adeoque ποιήσεις et *efficientiæ* nominantur. Hoc enim eo fit quod earum rerum ideas intelligunt, quas creare constituit Deus et jam in sese quasi condidit. Ideo voluntatem ac velut anticipatam effectionem adjunctam et inclusam habent.

Divinæ ac humanæ ideæ discrimen.

XIV. Ad extremum non est omittenda proprietas quædam divinæ illius ideæ, qua ab humana cujusmodi est in artificis mente discrepat, quæ ab eodem Anselmo pertractatur [1]. Nimirum quod divina non aliunde, hoc est, aliis ex rebus hausta concinnataque est : « Faber vero penitus nec mente potest aliquid corporeum concipere imaginando, nisi id quod aut totum simul aut per partes ex aliquibus rebus aliquo modo jam didicit, nec opus mente conceptum perficere, si desit aut materia aut aliud, sine quo opus præcognitum fieri non possit. Quapropter, colligit in fine capitis, ea quæ per illam creata sunt, omnino non sunt aliquid quod non sit per illam. Quæ vero per ipsam fiunt, penitus non essent nisi esset aliquid quod non sit per ipsam. » Cujus rei causam Græci Patres adferunt, dum adversus Origenem aliosque æternitatem rerum conditarum ac materiæ saltem adstruentes, asserunt non solas rerum qualitates, cujusmodi est earum dispositio ac modificatio, sed ipsas creasse substantias. Quod apud Euthymium Maximus his verbis enuntiat : « Deus non qualitatum sed substantiarum qualitate affectarum est opifex [a]. »

Ex quo alterum divinæ creatæque discrimen ideæ conficitur, quod a Georgio Pachymere notatum est [b]. Nam quia rerum substantias non producimus, idcirco nec rationes, hoc est ideas substantiarum apud nos habemus, sed habituum duntaxat artiumque, secundum quas artis opus efficitur, id est accidentium illorum quæ substantiam afficiunt, quæque sola et in sensus hominum incurrunt et artificum elaborantur industria, qualis est figura, modusque ac dispositio et ordinatio materiæ, quam expolit et concinnat artifex. Deus autem quia tam substantias quam earum dispositiones efficit, utriusque generis formas et exemplaria complectitur.

a Maxim. *Panop.* par. I, tit. III. Ὁ Θεὸς οὐ ποιοτήτων, ἀλλ' οὐσιῶν πεποιωμένων ἐστὶ δημιουργός.

b Pachym. in c. v. Dion. *de Div. nom.* Ἐπεὶ οὐκ οὐσίας παράγομεν, οὐδὲ τοὺς λόγους τῶν οὐσιῶν παρ' ἑαυτοῖς ἔχομεν· ἕξεων δὲ, καὶ τέχνης λόγους, οὐδὲν κωλύει ἔχειν ἡμᾶς, καθ' οὓς ἀποτελεσθείη τὸ τεχνητόν· ὁ δὲ Θεὸς ἐπεὶ καὶ τούτων, κἀκείνων παραγωγεύς ἐστιν εἰκότως ἔχει καὶ ἀμφοτέρων τοὺς λόγους, καὶ τῶν οὐσιῶν, καὶ τῶν ἕξεων.

1 Cap. x *Monol.*

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER QUINTUS

IN QUO DE VOLUNTATE DEI, POTENTIA ET OPERATIONE AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De voluntate Dei ac libertate. Ac primum universe de libertate, in quo sit ejus posita ratio. Ostenditur in eo sitam esse, quod in potestate habeat agere, necessariis omnibus ad agendum positis, quod imprimis ex philosophorum aliquot gentilium, ut Aristotelis et cæterorum, nec non Philonis testimoniis ac decretis probatur.

I. Natura omnis ratione prædita duplici ad agendum facultate nititur, quarum alteri intelligentia, alteri appetitio et voluntas congruit. De priore, hoc est scientia Dei, prius egimus, nunc de voluntate dicendum. Quam et liberam et sui juris esse necesse est, ut intelligente et rationali natura digna sit. Cujusmodi in Deo esse antequam ostendimus, primum quid sit esse liberum et quatenus voluntas libera dicatur, paucis exponendum est. Nisi enim hoc liquido constituimus, tota in ambiguitate vocis conflictabitur oratio nostra. Neque tamen copiosius quam præsens requirit usus, quæstionem istam hoc loco tractabimus. Nam proprium habebit locum humana præsertim libertas aut creata. Nunc quatenus ad Dei libertatem indagandam necessaria est, eam explicemus.

Libertatis natura in quo sita.

Liberum id communi et insita quadam humanis mentibus notione dicitur, quod sui juris est. Itaque definit libertatem Cicero sic, ut sit « potestas vivendi ut velis [1]. » Et alio in loco : « Hæc sunt fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris et retinendi et dimittendi esse dominum [2]. » Jurisconsulti vero libertatem aiunt esse « naturalem facultatem ejus quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur [3]. »

II. Sed libertas plerumque statum hominis conditionemque significat, et tunc opposita est servituti. Sic Tertullianus in secundo *contra Marcionem :* « Liberum, inquit, et sui arbitrii et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum, » ut sit idem ac solutum nec obstrictum, suæque spontis nec alieni arbitrii sed sui. Hic vero proprie vocatur a Græcis ἐλεύθερος et ἐλευθερία, *libertas*, quæ et *ingenuitas* dicitur, et ἐλεύθερος *ingenuus*. Ut apud Epiphanium ἐλευθέρα γυνὴ *ingenua mulier* [4]. Atque hæc libertatis species jurisconsultorum propria est. Sed est ista prior et antiquior altera, quam philosophorum præsertim moralium propriam appellare possumus, quæ principium est humanarum actionum, a qua liberi homines et liberum arbitrium, liberaque voluntas dicitur, in qua meriti omnis et

1 *Parad.* v. — 2 *Orat. pro Corn. Bal.* — 3 Florent. l. IV. D. *de Statu hom.* — 4. *Hær.* xxx. n. 7.

honestatis vel turpitudinis, virtutum vel vitiorum, laudis denique vel vituperationis summa consistit. De qua nos hic præcipue agimus.

Ac ne quem forte ambiguitas hic fallat, duo invicem discernenda sunt quæ ab nonnullis promiscue habita causam iis erroris attulerunt, alterum quod Græci vocant τὸ ἑκούσιον, Latini *spontaneum* dicunt, alterum *liberum*, quod Græci αὐτεξούσιον et ἐλεύθερον etiam nominant. Quæ quidem Aristoteles *in Nicomacheis* et in *Magnis moralibus*, ex eoque cæteri hunc in modum distinguunt. Spontaneum *in Nicomacheis* definit Aristoteles « id cujus principium est in eo qui agit, qui quidem singula cognoscit in quibus est actio [a]. » Huic contrarium dicit esse violentum, quod definit « id cujus principium est extrinsecus, nihil ut is conferat qui agit aut patitur [b] : » tum etiam id quod per ignorantiam fit, cum est molestum et affert pœnitentiam, fit enim ab invito [1]. Sed Aristotelea illa definitio solis iis convenire videtur, quæ ratione utuntur in agendo. Nam ea sola quæ singulis insunt rebus agnoscunt. At etiam bruta quædam facere sponte dicuntur, et est in illis nonnulla naturalis boni finisque cognitio, sed ea rudis et imperfecta, ut perinde τὸ ἑκούσιον non exacta de illis notione dicatur. Dicitur tamen, et ut idem philosophus loquitur, « ejus quod spontaneum vocant, participes sunt pueri et animantes aliæ [c]. »

Spontaneum

Spontanei duæ partes explicantur.

III. Spontanei, ut ex eodem Aristotele cognoscitur, duæ sunt partes [d]. Nam alia est βούλησις, quæ *voluntas* propria dicitur, et est finis ipsius, alia προαίρεσις, hoc est *electio*, quæ est eorum quæ referuntur ad finem et *media* vulgo nominantur. Quanquam βούλησις non solius esse finis ait Philosophus, sed *magis esse finis*, quasi et eorum esse possit quæ sunt ad finem. Nos autem tam *spontaneum*, id est, ἑκούσιον, ut paulo ante significavimus, quam βούλησιν qua ad finem refertur, dupliciter intelligere possumus, primum ut cum necessitate conjuncta sint etsi violentia carent, quæ utrique contraria est. Sic enim et parvuli nondum ratione utentes, et pecudes ipsæ sponte multa faciunt, ad quæ impetu quodam

Voluntatem.

feruntur quem in potestate non habent, et finem ultimum, hoc est, Deum clare et ut est in se cognitum volunt amantque beatæ mentes, idque tam sponte quam necessario, quod neque ab amando cessare velint etsi id possent, neque ut velint maxime, possint. Secundum, ut ambo hæc a necessitate disjuncta sint, quomodo et ab Aristotele spectantur. Sola est προαίρεσις quæ necessitatem non minus quam violentiam respuit, et contrariorum vel oppositorum inter se liberam expeditamque facultatem desiderat, sine qua ne intelligi quidem potest. Quemadmodum autem βούλησις quæ quidem extra necessitatem est, ita finis esse dicitur ut etiam sit eorum quæ ad finem conducunt, sic etiam προαίρεσις etsi proprie ad illa refertur quæ non propter se sed alterius expetuntur gratia, quæ vulgo *media*, quasi inter nos et finem interjecta dicuntur; potest tamen et circa ea versari quæ alioqui rationem habent finis. Quod eo fit utrumque, quia nondum in ulla re tanquam ultimo fine conquiescimus, quamdiu hac in vita degimus. Itaque finis etiam ultimus ipse qui est Deus, eligi potest a nobis. Non enim falsus est qui dixit : *Dominum elegisti hodie ut sit tibi Deus* [2], et quod consequens est, de eo asciscendo, consultatio potest fieri, uti tam ex historia illa constat de qua Moses illic agit, quam ex altera quæ Josue quarto et vicesimo capite describitur, de qua paulo post.

Electio.

Voluntas.

Electio.

At qui Deum perspicue et cujusmodi est in se cognoscat, ab eo nulla jam circa ipsum vel electio vel βούλησις alia quam necessaria potest exprimi. In præsenti vero vitæ statu, ubique *electioni* ac προαιρέσει locus est quoties humano more modoque agunt homines, atque adeo quæcumque de προαιρέσει vel de iis quæ dicuntur ἐφ' ἡμῖν, hoc est *in nostra potestate posita* ab Aristotele aliisque prodita sunt, ea in omnes libertatis nostræ functiones congruunt, sic ut nulla sine illis libertas nostra consistat. Explicemus illa primum quæ de προαιρέσει hoc est, *libera electione*, vel ut Bernardo visum est, *libero arbitrio*, ab Aristotele cæterisque traduntur, ut ex iis investigemus in quo sit libertatis vel liberæ actionis natura posita.

Voluntas.

IV. Duo sunt in προαιρέσει, id est *electione* ab

a Arist. lib. III. *Moral.* cap. iii. Τὸ ἑκούσιον δόξειεν ἂν εἶναι, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις.

b Id. cap. i. Βίαιον δὲ, οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν, τοιαύτη οὖσα ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων.

c Arist. ibid. c. iv Τοῦ μὲν γὰρ ἑκουσίου καὶ παῖδες, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα κοινωνεῖ.

d Id. ib. cap. iv. Ἡ μὲν βούλησις, τοῦ τέλους ἐστὶ μᾶλλον· ἡ δὲ προαίρεσις τῶν πρὸς τὸ τέλος.

1 Cap ii. — 2 *Deut.* xxvi, 17.

Natura libertatis explicatur ex gentilium opinione.

Aristotele constituta, quæ in illius definitione posuit. Nam προαίρεσιν definit « eorum quæ in nostra potestate sita sunt, ex deliberatione constantem appetitionem[a]. » Est igitur primum eorum duntaxat quæ in nobis sita sunt, hoc est quæ persequi aut dimittere nobis integrum est, et circa quæ agere aut non agere possumus. Deinde electionem omnem antecedit consultatio, quæ oppositarum inter se partium notitiam deque iis judicium requirit, quo alteri altera præponitur. Ex his duobus, prius illud quod est τὸ ἐφ' ἡμῖν sic Aristoteles declarat : ut ea in nobis sita esse dicantur « in quibus non solum agere, sed etiam non agere possumus, ita ut tam non, quam etiam, juris nostri sit et arbitrii[b]. » Quare si una tantum re ex oppositis duabus definiti ac circumscripti sumus, ut aut velle tantum aut nolle possimus, aut si qualemcumque actionem sustinere nequeamus, non est ibi libertati nec electioni locus. Sed neque consultationi, quæ nulla est nisi de iis quæ in potestate habemus, et quæ aliter atque aliter fieri possunt[1]. Quamobrem quæ aut natura fiunt aut necessario aut fortuito, in iis neque consultatio potest esse neque electio. In quo ab *spontaneo* distat libertas vel electio. Nam *spontaneo* contrarium est violentum, non necessarium, libero utrumque. Idem et in libro primo *Magnorum moralium* a capite XIII et deinceps, et in libro περὶ ἑρμηνείας docet Aristoteles cum de futuris contingentibus agit[2], quæ nulla esse penitus, neque deliberationem actionemve liberam ullam asserit, si ex necessitate constant ac fiunt omnia. Quem locum enarrans præstantissimus interpres Ammonius, « Manifestum esse ait, si nihil in nostra situm est potestate, frustra nos aggressuros esse deliberare de iis quæ nostri arbitrii non sint, ac similiter esse facturos atque ii qui deliberent, quomodo oriatur sol aut non oriatur[c]. » Et paulo post, inde non necessaria esse ratiocinatur omnia, quod alioqui frustra nos natura deliberandi capaces faceret. « Est enim ridiculum eumdem dicere, naturam nihil in nostro arbitrio reliquisse ac potestate, et nos tamen ad deliberandum idoneos procreasse tanquam dominos ac liberos ad agendum aliquid aut non agendum[d]. » Ac deinceps passim ei quod est ἐφ' ἡμῖν id est, *in nostro arbitrio ac libertate positum*, opponit τὸ ἀναγκαῖον, id est, *necessarium*.

De interpretatione.

V. Alexander Aphrodisiensis ejusdem Peripateticæ scholæ et inter principes philosophos numeratus librum scripsit ad Severum et Antoninum imperatores *de Fato et libertate*, quod Græce est περὶ εἱμαρμένης καὶ τοῦ ἐφ' ἡμῖν. Quo in libro passim ostendit, necessitatem cum eo *quod in nobis situm dicitur*, hoc est, *libero arbitrio* non posse consistere, « ac quæ secundum rationem fiunt, eo ipso secundum rationem videri fieri, quod qui ista faciat, etiam non faciendi potestatem habet[e]. » Quod exemplo confirmat operum artis quæ secundum rationem fiunt, quorum quidem faciendorum potestas est penes artificem. « At vero illam quorum arbitra et domina est electio (cujusmodi sunt ea quæ secundum virtutem et vitium aguntur), hæc ipsa quoque in nobis esse posita videntur. Quod si in nobis ea posita sunt quæ ut agantur aut non agantur, nostri arbitrii esse videtur, horum causa fato tribui non potest[f]. » Idipsum et in sequentibus frequenter usurpat. Necessitate constituta, neque deliberationem consultationemque humanis in rebus relinqui, cujus facultas homini est a natura tributa : « Ex quo consequens fit, eorum quæ geruntur a nobis nos habere potestatem ejusmodi ut opposita possimus[g]. » Est igitur libertatis et arbitrii liberi

a ARIST. 5. *Ethic.* cap. V. Καὶ ἡ προαίρεσις ἂν εἴη βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν.

b ARIST. ibid. c. VII. Ἐν οἷς γὰρ ἐφ' ἡμῖν τὸ πράττειν, καὶ τὸ μὴ πράττειν· καὶ ἐν οἷς τὸ μὴ, καὶ τὸ ναί.

c AMMON. Δῆλον γὰρ ὡς εἰ μηδέν ἐστιν ἐφ' ἡμῖν, μάτην ἐπιχειρήσομεν βουλεύεσθαι περὶ τῶν οὐκ ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ κειμένων, καὶ ὅμοιόν τι ποιήσομεν τοῖς βουλευομένοις, πῶς ἀνατεῖλοι, ἢ μὴ ἀνατεῖλοι ὁ ἥλιος.

d Id. Ὥστε πῶς οὐ καταγέλαστον τὸ λέγειν, τὴν φύσιν καὶ μηδὲν ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ ἡμετέρᾳ καταλιπεῖν, καὶ ποιεῖν ἡμᾶς βουλευτικοὺς, ὡς ἂν ὄντας κυρίους τοῦ πρᾶξαί τι, ἢ μὴ πρᾶξαι.

e ALEX. APHROD. Ἀλλὰ τὰ μὲν κατὰ λόγον γινόμενα τούτῳ δοκεῖ γίνεσθαι κατὰ λόγον, τῷ τὸν ποιοῦντα αὐτὰ, καὶ τοῦ μὴ ποιεῖν ἔχειν ἐξουσίαν.

f Mox : Ἀλλὰ μὴν καὶ ὧν προαίρεσις κυρία, ταῦτα δ' ἐστὶν ὅσα κατ' ἀρετήν τε, καὶ κακίαν πράττεται· καὶ ταῦτα ἐφ' ἡμῖν εἶναι δοκεῖ· εἰ ἐφ' ἡμῖν δὲ ταῦτα, ὧν καὶ τοῦ πραχθῆναι, καὶ τοῦ μὴ πραχθῆναι εἶναι δοκοῦμεν κύριοι, τούτων δὲ οὐχ οἷόν τε λέγειν αἰτίαν τὴν εἱμαρμένην.

g Ibid. Εἵπετο δὲ τούτῳ τὸ τῶν πραττομένων ὑφ' ἡμῶν μὴ ἔχειν ἡμᾶς τοιαύτην ἐξουσίαν, ὡς δύνασθαι τὰ ἀντικείμενα.

1 Id. cap. V. — 2 Cap. X.

natura in eo sita, quo sublato jam nulla est, ut circa opposita versetur, sine quibus nulla potest esse consultatio. « Nam electio, inquit, opus hominum proprium est impulsus cum appetitione in id quod consilio facto prælatum est alteri. Ideo in iis est solis quæ agere vel non agere pro arbitrio possumus, non autem in his quæ aguntur necessario [a]. » Itaque « τὸ ἐφ' ἡμῖν de iis enuntiatur, inquit, quibus opposita eligendi sita est in nobis potestas vel ut agere possimus aut non agere [b] » quæ omnia toto illo libro frequenter inculcat.

VI. Ad hæc libertatem hominis circa ea versari docet quæ ἐνδεχόμενα, id est, *contingentia* nominantur, quibus opponitur necessarium. Est enim contingens quod ita fit ut possit non fieri, necessarium vero quod non potest non fieri, vel cujus oppositum non potest esse. Itaque libero arbitrio contrariam esse dicit necessitatem non solum illam quæ violentia dicitur, sed etiam quæ est ad unum determinata et contingenti repugnat. Præterea necessitatem eamdem adversari dicit consilio ac deliberationi, sine qua nulla esse potest electio. Etenim de iis duntaxat consultare nos quæ faciendi vel non faciendi jus ac potestatem liberam habemus, et in quibus

Electio. locum habet ἡ προαίρεσις, id est unius alicujus præ altero delectus, cujusmodi in re necessaria ac determinata nullus est omnino. Siquidem consultamus ideo ut ex deliberatione fructum aliquem capiamus : porro fructus ac finis consultationis est ut quod melius judicatum fuerit, id si libitum erit persequamur. Hoc autem fieri non potest, ubi aliter res nequit habere. Igitur necessitate constituta, tum deliberatio omnis, tum προαίρεσις, id est *electio*, tum liberum arbitrium e medio tollitur. Hæc late in libro illo disserit Alexander, quæ Eusebius in sexto *de Præparatione* refert et approbat.

Denique idem Alexander aliud esse dicit τὸ ἑκούσιον, aliud τὸ ἐφ' ἡμῖν. Illud est *voluntarium* vel *spontaneum*, cujusmodi etiam in brutis apparet, cui opponitur violentum. Illud est liberum, hoc est juris arbitriique nostri. Itaque omne *spontaneum* non est *in nostra potestate*, quod autem est ἐφ' ἡμῖν, id est, *liberum*, id nonnisi ἑκούσιον est [c].

Spontaneum. Quod est nobis.

Alcinous quoque in capite XXVI ubi de fato disputat, non aliter τὸ ἐφ' ἡμῖν, id est *liberum* describit, idque minime determinatum esse, sed quasi suspensum et in medio positum inter verum vel falsum, hoc est esse rem vel non esse [d].

Nec omittendus est Euryphamus Pythagoricus qui in libro *de Vita*, liberi arbitrii naturam eadem qua superiores illi ratione definit. Nam hominem ait a diis immortalibus beneficio affectum eo ipso « quod voluntatem habet et electionem et principium in semetipso tale, secundum quod pro jure suo potest aut virtuti studere aut vitium sectari, deos vel colere vel aversari, ac per se ipse moveri potest. Propterea vituperationes ac laudes, honores et ignominias partim a diis, partim ab hominibus consequuntur, prout virtutem aut vitium amplexi fuerint [e].

VII. Eadem ab Simplicio tradita sunt in Commentario *ad Enchiridion Epicteti*, ubi exquisita disputatione de eo quod Epictetus appellat τὸ ἐφ' ἡμῖν disserit. Scribit igitur, appetitiones naturales quas ἀλόγους ὀρέξεις, id est, *rationis expertes* vocat, ut sunt ira et cupiditas, quia propius accedunt ad corpus et inanimam naturam, non esse *liberas*, id est αὐτεξουσίους, sed plurimum trahere de illo motionis genere quod ab externa causa oritur, quo res anima carentes impelluntur et quasi machinis quibusdam cientur. Itaque « rationalis etiam anima cum in corpora sese abjicit, ac ratione carentibus et corporeis motibus sese permittit, etiam ipsa velut nervis alienis mobile lignum, ut cum Horatio loquar,

a Alex. Aphrod. Καὶ ἡ προαίρεσις τὸ ἴδιον ἔργον τῶν ἀνθρώπων περὶ ταυτό· ἡ γὰρ ἐπὶ τὸ προκριθὲν ἐκ τῆς βουλῆς εταμὸρέξεως ὁρμὴ, προαίρεσις· διὸ οὐδὲ ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίως γινομένοις ἡ προαίρεσις· οὔτε ἐπὶ τοῖς μὴ ἀναγκαίως μὲν, μὴ δι' ἡμῶν δέ· ἀλλ' οὐδὲ ἐν πᾶσι τοῖς δι' ἡμῶν· ἀλλ' ἐν τούτοις τοῖς γινομένοις δι' ἡμῶν, ὧν ἡμεῖς τοῦ πρᾶξαι, καὶ τοῦ μὴ πρᾶξαι κύριοι.

b Ibid. Τὸ ἐφ' ἡμῖν ἐπὶ τούτων κατηγορεῖται, ὧν ἐν ἡμῖν ἡ ἐξουσία τοῦ ἑλέσθαι καὶ τὰ ἀντικείμενα.

c Alexand. Οὐ μὴν ταὐτὸν τό, τε ἑκούσιον, καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν· ἑκούσιον μὲν γὰρ τὸ ἐξ ἀβιάστου γινόμενον συγκαταθέσεως· ἐφ' ἡμῖν δὲ τὸ γινόμενον μετὰ τῆς κατὰ λόγον τε καὶ κρίσιν συγκαταθέσεως· διὸ εἴ τι μὲν ἐφ' ἡμῖν, τοῦτο καὶ ἑκούσιον· οὐ μὴν πᾶν τὸ ἑκούσιον ἐφ' ἡμῖν.

d Alcinous cap. XXVI. Ἀόριστον δὲ ὂν τὸ ἐφ' ἡμῖν, κατὰ τὴν ἐφ' ὁπότερον ῥοπὴν λαμβάνει τὸ ἀληθεύειν, ἢ μή.

e Euryphamus in calce Diogen. Laërt. ab Henr. Steph. editi, pag. 814. Τῷ δὲ βούλησιν ἔχεν, καὶ προαίρεσιν, καὶ ἀρχὰν ἐν ἑαυτῷ τοιαύτην, καθ' ἂν κύριος οὗτός ἐντι καὶ ἀρετὰν ἐπιτηδεῦσαι, καὶ κακίαν ζαλῶσαι, καὶ θεοῖς ἀποδῆσαι, καὶ ἀπὸ θεῶν ἀποτραπῆμεν, ταῦτα δὲ καὶ καθ' αὐτὸν κινέεσθαι δυνατός ἐντι· διὸ καὶ ψόγων, καὶ ἐπαίνων, καὶ τιμᾶς, καὶ ἀτιμίας, τὰ μὲν ἐκ τᾶς τῶν θεῶν, τὰ δὲ καὶ τᾶς ἐκ τῶν ἀνθρώπων τυγχάνοντί τοι, ἤτοι ἀρετὰν, ἢ κακίαν ζηλώσαντες.

ducitur ac protruditur, neque solutas atque expeditas amplius in sua potestate motiones habet[1]. Cum autem secundum naturam suam et operationem agit, tunc libere et suo jure, ex interiore atque a seipsa movetur, atque in ejusmodi hoc quod dicimus in nostra potestate positum sine ulla controversia cernitur [a]. » Tum quibusdam interjectis ait, αἵρεσιν, id est *electionem* et libertatem nostram in id quod bonum est ferri, sive revera bonum sit sive opinione falsa, neque in necessitate compulsam, cujusmodi qui fatum adstruunt, in res humanas invehunt.

Accedit et Plotinus Platonicus philosophus[2] qui *spontaneum* id esse dicit « quod fit non violenter et cum notitia, in nostro vero arbitrio situm, cujus agendi domini sumus. » Ac deinceps plenissime de natura libertatis agens, huic adversariam esse necessitatem docet[3] atque ipsam in eo consistere, quod sic agit ut in potestate sua habeat actionem nulla necessitate constrictam. Quam qui cum libertate cohærere putant «revera liberi arbitrii naturam ac notionem ejus quod in nobis situm dicitur, evertere ac voces usurpare rerum inanium minimeque consistentium [b].»

VIII. Philo Judæus libertatis arbitriique liberi naturam eodem metitur genere τοῦ ἀδιαφόρου *indifferentis* nec necessario determinati, sed suspensi et ad utrumque contrariorum, oppositorumve potestatem habentis. Ut in tractatu *de Immutabilitate Dei*, hominis, ait, animam unam ex omnibus liberam ad utrumque motionem a Deo esse sortitam et ab necessitate eximi, atque in eo sitam esse Dei imaginem [c]. Ac subinde hominem a Deo creatum juris sui et arbitrii, ut voluntariis ac spontaneis actionibus in bona malave, honesta vel turpia, virtutes aut vitia ferretur. Quod ex *Deuteronomii* loco illo confirmat, quem paulo post adducam. Possem et alia tam ejusdem Philonis quam cæterorum philosophorum dicta commemorare. Sed res adeo contrita est, ut ne istis quidem paucis quæ attulimus, ne dum pluribus egeat.

Ex his autem summa ista concluditur : liberum arbitrium in eo constitutum esse ut ex oppositis et contrariis, uno rejecto, alterum asciscat suapte sponte ac nutu, cum etiam illud ipsum quod rejectum est, pari optare jure amplectique possit. Itaque tam violentia quam necessitas procul abesse debet, quarum prior spontaneo proprie, ut jam dixi, contraria est, ut et jurisconsulti significant[4] : altera libero. Etenim quidquid vel ab coacto fit vel necessario, non est in potestate libera et arbitrio facientis positum, quia uniusmodi est ac definitum, ut Simplicius ait in Commentario *ad Epictetum*, ubi de beatis mentibus loquens negat in illis esse revera προαίρεσιν, id est *arbitrii libertatem* circa summum bonum quo fruuntur, quoniam « voluntatem uno modo et sine contrarii potestate in illud bonum defixam habent [d]. » Et quibusdam interpositis, contra fatum disputans probat non posse, illo posito, constare libertatem, tametsi vim nullam afferre dicatur, cujus rei rationem hanc reddit, quod ad diversa et contraria liberam potestatem eripiat et uniusmodi re voluntatem circumscribat. « Quomodo igitur, inquit, situm in nobis erit hoc vel illo modo appetere, si omnino necesse est sive volentibus sive nolentibus nobis una et definita ratione in hoc vel hoc expetendum intendere [e]? » Igitur τὸ μονοειδὲς, hoc est, quod unicum ac necessario determinatum sine ulla contrarietate proponitur, cum libertate pugnat, sive nulla sit in objecta re circa quam agimus, sive nulla in actione diversitas.

IX. Est enim, ut in scholis philosophi disserunt, libertatis genus duplex. Alterum quod circa diversas res occupatur, quarum ad alte-

a Simplic. Καὶ ἡ λογικὴ δὲ ψυχὴ, ὅταν μὲν ἑαυτὴν ἐνδῷ τοῖς σώμασι, καὶ τοῖς ἀλόγοις, καὶ τοῖς σωματικοῖς κινήμασι, καὶ αὐτὴ νευροσπαστεῖται, καὶ ὠθεῖται, καὶ οὐκέτι εὔλυτα ἐφ' ἑαυτῇ ἔχει τὰ κινήματα· ὅταν δὲ κατὰ τὴν ἑαυτῆς φύσιν καὶ ἐνέργειαν ἐνεργεῖ, τότε ἐλευθέρως, καὶ αὐτεξουσίως ἔνδοθεν ἀφ' ἑαυτῆς κινεῖται· καὶ ἐπὶ τῆς τοιαύτης τὸ ἐφ' ἡμῖν ὁρᾶται, καὶ ἀναμφίλεκτον.

b Plot. *Enn.* 6. lib. VIII. c. vii. Ὃς δὴ λόγος ἀντίτυπός τε, καὶ ἄπειρος, καὶ παντάπασι τὴν τοῦ ἑκουσίου τε, καὶ αὐτεξουσίου φύσιν, καὶ τὴν ἔννοιαν τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἴη ἀναιρῶν· ὡς μάτην εἶναι ταῦτα λέγεσθαι, καὶ φωνὰς πραγμάτων ἀνυποστάτων.

c Philo : Μόνη δὲ ἡ ἀνθρώπου ψυχὴ δεξαμένη παρὰ θεοῦ τὴν ἑκούσιον κίνησιν, καὶ κατὰ τοῦτο ὁμοιωθεῖσα αὐτῷ, χαλεπῆς καὶ ἀργαλεωτάτης δεσποίνης, τῆς ἀνάγκης, ὡς οἷόν τε ἐλευθερωθεῖσα.

d Simplic. Καὶ τὴν αἵρεσιν μονοειδῶς πρὸς ἐκεῖνο τεταμένην ἔχουσι.

e Id. Πῶς οὖν ἐφ' ἡμῖν ἔσται τὸ τοίως, ἢ τοίως ὀρέγεσθαι, εἰ πάντως ἀνάγκη καὶ βουλομένοις, καὶ μὴ βουλομένοις ἡμῖν μονοειδῶς ἐπὶ τόδε, ἢ τόδε τὸ ὀρεκτὸν ἀποτείνεσθαι;

1 *Horat.* l. II. Sat. vii. — 2 *Enn.* 6. lib. VIII. c. i. — 3 Cap. vii. — 4 Lib. IX. D. *ad Senat. Trebell.* et l. XLV.

rutram eligendam jus et potestatem habet. In quo proprie versatur ἡ προαίρεσις, quæ est ἡ τοῦ ἑνὸς πρὸ τοῦ ἑτέρου αἵρεσις, *unius electio præ altero*, uti iidem illi a me citati philosophi declarant. Alterum quod in agendi vel non agendi libero jure ac soluto circa unum idemque consistit, quæ *libertas contradictionis* vulgo dicitur, uti prior illa *contrarietatis*, quando circa honesta et vitiosa fungitur. Hi sunt libertatis ac liberi arbitrii fines intra quos contineri debet, neque illos licet excedere. Quam hominis imo naturæ ratione intelligentiaque præditæ conditionem declarant primum vocabula ipsa, quibus illam juxta exteri ac nostri, id est christiani philosophi significant. Quorum primum ac præcipuum apud Latinos est *liberum* ac *libertas*, quod dupliciter accipi jam admonui, ac vel servituti opponi vel necessitati actionis internæ, atque hoc posteriore modo sumi hic a nobis cum de ejus natura quæritur. His apud Græcos respondet etiam ἐλευθερία et τὸ ἐλεύθερον, quod non solum de statu servituti opposito, sed etiam de libero arbitrio dicitur, quam alias et sæpius αὐτεξουσίαν et προαίρεσιν, nonnunquam αὐτονομίαν vocant, sæpe etiam τὸ ἐφ' ἡμῖν. Sic Alexander Aphrodisiensis in libro *de Fato*, ἐλευθερίαν et αὐτεξουσίαν et τὸ τῶν ἐνεργειῶν ἐλεύθερον, *libertatem actionum* appellat. Et Cyrillus libro *contra Julianum* quarto, τὸ ἐλεύθερον τῆς διανοίας *libertatem mentis*, qua bonum vel malum eligitur, quamque laus vel vituperatio consequitur. Dionysius in capite quarto *de Divinis nominibus* sub finem, τὸ αὐτοκίνητον *quod a seipso movetur*. Clemens Alexandrinus in secundo *Stromateon*, αὐτοκρατορικὴν αἵρεσιν καὶ φυγήν, *electionem ac fugam quæ sui juris est*, *non alieni*. Alii αὐτόνομον καὶ ἀφειμένην πρὸς τὸ δοκοῦν παντὸς ἀνθρώπου διάνοιαν, *sui juris et solutam ad id quodcumque libitum est*, *hominis mentem*. Ita Nemesius, Æneas Gazæus, aliique quos paulo post appellabimus.

Prælectio.

Libertas contradictionis et libertas contrarietatis.

Libertas et *liberum.*

Sui juris et electionem.

CAPUT II.

Liberi arbitrii natura ex christianis Patribus exponitur, iisque primum qui eam rem non obiter, sed ex instituto tractarunt, Nemesio, Joanne Damasceno, Anselmo, Bernardo, qui omnes in indifferente statu et nulla ad utrumvis necessitate addicto libertatem circumscribunt.

I. Volo nunc, omissis gentilibus philosophis, ad christianos transire Patres, et hoc planum facere, non eos aliter quam istos de vera et propria, non tropica libertate statuere. Ac primo loco proferentur ii qui de natura libertatis non obiter ac strictim et occasione alterius aliquid injecerunt, cujusmodi infinita prope est copia, sed accurate et ex professo tradiderunt, quid esset illa et in quo constituta ejus ratio.

Horum primus in medium veniat theologus ac philosophus longe præstantissimus idemque politissimus Nemesius, qui in libro *de Natura hominis*, multis capitibus naturam omnem libertatis exposuit. Ac primum de ἑκουσίῳ et ἀκουσίῳ, id est, *spontaneo* seu *voluntario* et *involuntario* eadem dicit quæ ex Aristotele superius attigi, ac τῶν ἑκουσίων dignoscendorum hanc esse regulam, cum inest in iis quæ agimus laus aut vituperatio [1]. Postea de προαιρέσει disputat, quam sub ἑκουσίῳ contineri ait, et hoc latius illo patere, siquidem non omne *spontaneum* cum electione conjungitur [2]. Itaque προαίρεσις sive *electio* consilium ac deliberationem antecedentem habet [a], et judicium mentis unum alteri præferentis, estque « mistum aliquid ex consilio ac judicio et appetitione, sicut animal ex anima et corpore componitur [b]. » Quare præcedit, ut dixi, deliberatio cum judicio quo unum anteponitur alteri, unde et προαίρεσις nomen invenit, tanquam *prælectio* latine nominetur, qua unum præ altero eligitur, vel simplici retenta voce, *electio* quasi unius e pluribus est *lectio* [c].

Liber… trii… statui… Nem…

a Nemes. cap. xxxiii. Ἔστιν οὖν μικτόν τι ἐκ βουλῆς, καὶ κρίσεως, καὶ ὀρέξεως, etc.

b Ibid. Ὡς γὰρ λέγομεν τὸ ζῶον ἐκ ψυχῆς, καὶ σώματος συγκεῖσθαι, μηδὲ δὲ σῶμα εἶναι καθ' ἑαυτὸ τὸ ζῶον, μήτε ψυχὴν μόνην, ἀλλὰ τὸ συναμφότερον, οὕτω καὶ τὴν προαίρεσιν.

c Ib. Προαιρετὸν γάρ ἐστι τὸ ἕτερον πρὸ ἑτέρου αἱρετόν· οὐδεὶς δὲ προκρίνει τι μὴ βουλευσάμενος, οὐδὲ αἱρεῖται μὴ κρίνας.

1 Cap. xxix. — 2 Cap. xxxiii.

lectio.

Post animi judicium, voluntatis motus et ὄρεξις sive *appetitio* ejus quod alteri prælatum est, sequitur. Ex quo ita προαίρεσις ab Nemesio definitur ut sit « appetitio cum consilio eorum quæ sunt in nostra potestate, vel consultatio cum appetitione rerum earum quæ in nostra potestate sitæ sunt [a]. »

II. Jam vero supra illud animadvertimus, προαίρεσιν, id est *electionem* generale esse vocabulum, quo libera omnis voluntatis actio continetur, cujusmodi nulla sine consultatione ac judicio fit, quod idem Nemesius docet capite quadragesimo : *Omnem,* inquit, πρᾶξιν, id est, *actionem*, *antecedit electio* [b]. Porro πρᾶξιν definit idem capite nono et vicesimo *effectionem rationalem* [c]. Ergo quæcumque de προαιρέσει tam iste quam alii omnes philosophi ac theologi prædicant, ea conveniunt in veram proprieque dictam libertatis ac liberi arbitrii functionem. Hanc vero *libertatem* auctor idem nominat τὸ αὐτεξούσιον et τὸ ἐφ' ἡμῖν et τὸ ἐλεύθερον, ut supra demonstravi. Cum autem nulla sit libertatis actio sine antegressa deliberatione ac judicio mentis, necesse est circa ea sola versari liberam hominum voluntatem et actionem, in quibus inest consultatio. Hæc autem de iis duntaxat habetur, ut ait capite quarto et tricesimo, quæ in nostra potestate sunt minimeque necessaria, sed contingentia, et quidem ejusmodi ut ex æquo possint a nobis fieri vel non fieri. « De his igitur quæ ex æquo contingentia sunt, inquit, tantummodo deliberamus. Est autem ex æquo contingens, quod tam ipsum possumus quam ei oppositum. Nisi enim utrumque possemus tam ipsum quam ei oppositum, non deliberaremus [d]. »

Deinceps contra fati propugnatores, fatalisque necessitatis disserit Nemesius, quos ait τὸ ἐφ' ἡμῖν, hoc est *libertatem* evertere eo ipso quod necessitatem constituunt, quantumvis spontanea minimeque violenta sit hominis functio [1]. Verba Nemesii imprimis observanda sunt : « Quod si etiam impulsus voluntatis, ait, necessario consequitur, ubi relinquitur quod in nostra potestate est? Liberum enim debet esse quod est in nostra potestate. Esset autem liberum, si iisdem positis circumstantiis, in nobis situm esset aliquando ferri in illud, aliquando non ferri [e]. » Vides illam ipsam libertatis notionem ac definitionem, ut sit libertas, potestas agendi vel non agendi, iisdem utrobique positis, utque cum illa conjuncta sit indifferentia necessitatem respuens.

III. Postea vero de eo quod αὐτεξούσιον vocant [2], hoc est τὸ ἐφ' ἡμῖν agit, quæ *libertatem* vel *arbitrium liberum* significant, ac plenissime communem receptamque sententiam affirmat, tum necessarium opponi liberæ functioni voluntatis, tum ipsam circa contingentia versari et ejusmodi quæ in nostra sunt potestate, tum denique veræ ac propriæ dictæ libertatis nostræ sitam in eo rationem esse, ut vel agere aut non agere possimus, rebus ad agendum instructi necessariis, vel amplecti contraria, hoc est virtutem aut vitium, bonum aut malum asciscere. Legantur capita duo, tricesimum nonum et quadragesimum. In quibus ab libertate segregat ea quæ fiunt necessario, quæ scilicet nonnisi uno modo fiunt. Sola vero illa in nobis sita esse liberaque censet, in quibus hortatio vel dissuasio, laus item aut vituperatio locum obtinet, tum quorum agendorum domini sumus. « Non enim, ait, voluntate fieri diceretur si in nostra potestate actio non esset, et omnino quæ vituperatio aut laus sequitur, et in quibus cohortatio lexque versantur. Hoc enim a nobis supra declaratum est. Proprie autem in nostra potestate sunt omnia quæ ad animum pertinent, et de quibus consultamus. Consultamus enim perinde quasi in nostra sit potestate agere quod proponitur. Ostensum est autem supra, consultationem esse rerum contingentium peræque in utramque partem. Est autem contingens in utramque partem, quod tum ipsum possumus tum ejus oppositum. Hujus optionem mens nostra facit, et hæc actionis est principium. Atque hæc sunt quæ in nostra potestate dicuntur esse, quæ ex

a Nemes. cap. XXXIII : Συνάγεται δὴ ἐκ τούτων προαίρεσιν εἶναι ὄρεξιν βουλευτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν, ἢ βούλευσιν ὀρεκτικὴν τῶν ἐφ' ἡμῖν.

b Id. cap. XL. Πάσης πράξεως προαίρεσις ἡγεῖται.

c Id. cap. XXIX. Πρᾶξίς ἐστιν ἐνέργεια λογική.

d Id. cap. XXXIV. Περὶ τούτων οὖν τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων μόνον βουλευόμεθα· ἔστι δὲ ἐπίσης ἐνδεχόμενον, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ· εἰ γὰρ μὴ ἀμφότερα ἐδυνάμεθα αὐτό τε, καὶ τὸ ἀντικείμενον, οὐκ ἂν ἐβουλευόμεθα.

e Id. cap. XXXV. Εἰ δὲ καὶ ἡ ὁρμὴ ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖ, ποῦ λοιπὸν τὸ ἐφ' ἡμῖν; ἐλεύθερον γὰρ εἶναι δεῖ τὸ ἐφ' ἡμῖν· ἦν δ' ἂν ἐλεύθερον, εἰ τῶν αὐτῶν περιεστηκότων, ἐφ' ἡμῖν ἦν τὸ ποτὲ ὁρμᾷν, ποτὲ δὲ μὴ ὁρμᾷν.

1 Cap. XXXV. — 2 Cap. XXXIX et XL

æquo contingentia sunt, velut moveri et non moveri, persequi et non persequi, appetere res non necessarias et non appetere, mentiri et non mentiri, dare et non dare, gaudere quibus rebus oportet et non gaudere, et ejusmodi alia in quibus vitii insunt ac virtutis opera. In iis enim liberi sumus arbitrii[a]. »

Hactenus Nemesius qui libertatis naturam in eo collocat, ut ad opposita secundum affirmationem et negationem, vel contraria, ut sunt virtutes et vitia sic voluntas habeat, ut ad neutrum necessario propendeat, eoque defixa ac determinata sit, sed quasi in suspenso posita ad utrumvis suopte nutu et impulsu feratur citra ullam necessitatem. Si quidem circa sola contingentia quæ in potestate sua habeat, liberum versatur arbitrium.

Ex Joanne Damasceno.

IV. Post Nemesium Joannes Damascenus sequitur, qui voluntatis liberæ naturam subtiliter exponit in *Isagoge dogmatum* capite de voluntate. Hanc igitur definit ita : *Voluntas naturalis est rationalis ac sui juris animi motus aliquid appetens*[b]. Ac subinde rationis expertia, quod naturali necessitate moventur ad aliquid appetendum, negat αὐτεξούσια. Quæ autem prædita sunt ratione, eatenus αὐτεξούσια, id est, *libera* et *sui juris* esse, quod naturalibus appetitionibus cedere possunt aut resistere, facere aliquid aut non facere, et hujus generis alia « quæ in nostro arbitrio posita dicuntur, quoniam tam ipsa possumus quam iis opposita[c]. » Et in libro *de duabus Christi voluntatibus*, liberam voluntatem definit ut sit *dominæ mentis libera suique juris motio*[d]. Quæ vocabula declarant et a seipsa moveri voluntatem, et ad oppositorum alterum sponte sua citraque necessitatem ferri, cum ad utrumque sit indifferens. Græcis illis duobus qui de libertate ex instituto egerunt, totidem Latinos Patres subjiciemus, Anselmum et Bernardum.

Anselmo.

Ex iis ille librum scripsit *de Concordia liberi arbitrii cum præscientia prædestinatione que Dei et cum gratia*. Hujus in priori parte, in qua libertatem hominis cum præscientia Dei conciliat, aperta copiosaque oratione probat, libero arbitrio adversari necessitatem quam vocant *antecedentem*, qua voluntas uno aliquo circumscripta est, eamque docet ad oppositorum alterum eligendum indifferentem esse, quamvis postquam unum reipsa delegit, necessitatem quamdam sibi ipsa faciat quam *consequentem* nominant, quia non potest idem velle simul et non velle. Ideo si vult, necesse est eam velle. « Quoniam quod Deus vult, inquit, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel ad non volendum, et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam et esse quod vult. » Est igitur libertatis in eo posita notio apud Anselmum, ut *ad volendum* aut *non volendum* sui sit juris. Quam eamdem indifferentem potestatem ac necessitatis expertem antequam agat, subinde clarius affirmat dum quæstioni isti respondet, an cum peccat volendo, necessitate peccet. « Respondendum est, inquit, quia sicut non vult necessitate, ita non est peccatum voluntatis necessitate, nec necessitate operatur eadem voluntas, quia si non vellet sponte, non operaretur. » Et mox : « Potest enim non velle antequam velit, quia libera est. »

At idem Anselmus paulo post animadvertit, liberum arbitrium interdum rectricte angusteque accipi prout ad salutem adipiscendam refertur, atque eo sensu dici nos « non in omnibus habere liberum arbitrium. Non enim idem est arbitrium et libertas qua dicitur liberum. In multis dicitur libertas et arbitrium, ut cum aliquem dicimus libertatem habere loquendi aut tacendi, et in ejus arbitrio esse quid horum velit. In pluribus quoque aliis similiter dicitur libertas et arbitrium, quæ non semper adsunt, aut ad salutem animæ nobis necessaria sunt. Pro illo

a Nemes. cap. xl. Οὐ γὰρ ἂν ἑκουσίως ἐλέγετο πράττεσθαι τῆς πράξεως οὐκ οὔσης ἐφ᾽ ἡμῖν· καὶ ἁπλῶς οἷς ἕπεται ψόγος, ἢ ἔπαινος, καὶ ἐφ᾽ οἷς ἐστι προτροπὴ καὶ νόμος· καὶ τοῦτο γὰρ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐδείχθη· κυρίως δὴ ἐφ᾽ ἡμῖν ἐστι τὰ ψυχικὰ πάντα καὶ περὶ ὧν βουλευόμεθα· ὡς γὰρ ἐφ᾽ ἡμῖν ὄντος τοῦ πρᾶξαι τὸ προκείμενον (ad. βουλευόμεθα) ἐδείχθη δὲ ἐν τοῖς προλαβοῦσιν ἡ βουλὴ τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων οὖσα· ἐπίσης δὲ ἐνδεχόμενόν ἐστιν, ὃ αὐτό τε δυνάμεθα, καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ· ποιεῖται δὲ τούτου τὴν αἵρεσιν ὁ νοῦς ὁ ἡμέτερος, καὶ οὗτός ἐστιν ἀρχὴ πράξεως· καὶ ταῦτά ἐστι τὰ ἐφ᾽ ἡμῖν, τὰ ἐπίσης ἐνδεχόμενα· οἷον τὸ κινεῖσθαι καὶ μὴ κινεῖσθαι, ὁρμᾷν καὶ μὴ ὁρμᾷν, ὀρέγεσθαι τῶν μὴ ἀναγκαίων καὶ μὴ ὀρέγεσθαι, ψεύδεσθαι καὶ μὴ ψεύδεσθαι, διδόναι καὶ μὴ διδόναι, χαίρειν οἷς δεῖ καὶ μὴ χαίρειν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἐν οἷς ἐστι τὰ τῆς κακίας καὶ τῆς ἀρετῆς ἔργα· τούτων γάρ ἐσμεν αὐτεξούσιοι.

b Damasc. cap. x. Θέλησίς ἐστι φυσικὴ, λογικὴ ὄρεξις· καὶ πάλιν, θέλησίς ἐστι φυσικὴ, ἡ λογικὴ, καὶ αὐτεξούσιος ὀρεκτικὴ τοῦ νοῦ κίνησις.

c Ib. Ἅ τινα ἐφ᾽ ἡμῖν εἰσιν, ἃ καὶ αὐτὰ δυνάμεθα, καὶ τὰ ἀντικείμενα αὐτοῖς.

d Id. lib. *de Duab. volunt.* Καὶ πάλιν, αὐτοκράτορος νοῦ, κίνησις αὐτεξούσιος.

autem arbitrio tantum et pro illa libertate ista ventilatur quæstio, sine quibus homo salvari nequit, postquam potest illis uti. » Itaque mirum videri non debet, si deinceps cum de concordia liberi arbitrii et gratiæ disserit, liberum arbitrium pressius usurpet ac definiat *potestatem servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem.* Si quidem non de facultate agit ipsa per sese ac tota ejus amplitudine, sed qua recta est ac sana, et ad salutem obtinendam eniti potest, ut bene Theophilus Raynaudus observat[1].

x Bernardo V. Superest Bernardus qui omnium luculentissime et acutissime naturam libertatis exposuit in libro *de Gratia et libero arbitrio.* Quo quidem in libro egregie communi quam nos sequimur doctrinæ patrocinatur. Imprimis enim liberum arbitrium sive consensum liberum definit *nutum voluntatis spontaneum, vel certe habitum animi liberum sui.* Tum rationem datam esse voluntati dicit *ut instruat illam non destruat*, hoc est ut illam dirigat non ut necessitatem adferat, quæ libertatem destruit. « Destrueret autem, ait, si necessitatem ei ullam imponeret quo minus libere pro arbitrio sese volveret sive in malum, consentiens appetitui aut nequam spiritui, ut sit animalis, non percipiens vel certe et persequens ea quæ sunt spiritus Dei, sive ad bonum gratiam sequens et fiat spiritualis, quæ omnia dijudicans ipsa minime judicetur. Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non voluntas. » Est igitur cum natura libertatis et voluntatis necessario conjuncta potestas utriusvis amplectendi, quæ non potest cum necessitate consistere, sed indifferens et quasi suspensa sit oportet, ut in alterutrum suopte nutu et libere propendere possit.

Post idem libertatem distinguit triplicem, primam vocat *libertatem naturæ* quam superius exposuit. Secundam *gratiæ*, quæ servituti est opposita ac peccati statui. Tertiam *vitæ* vel *gloriæ* : « Ex prima præstamus cæteris animantibus, in secunda carnem, per tertiam mortem subjicimus. » De quo triplici genere late disputat. Nos, omissis posterioribus duobus, quæ sit primi natura paucis eodem ex Bernardo demonstrabimus.

VI. Hic igitur cum Nemesio belle consentiens, duo inesse in eo quod dicimus *liberum arbitrium*, totidem comprehensa vocibus. Nam alterum est *liberum*, alterum *arbitrium*. Hoc posterius *judicium* appellat et rationis proprium esse dicit, quæ quid alteri præferendum eligendumque sit, voluntatem edocet. « Is ergo talis consensus, ait, ob voluntatis inamissibilem libertatem, et rationis quod semper secum portat et ubique indeclinabile judicium, non incongrue dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium, ipse liber sui propter voluntatem; ipse judex sui propter rationem. »

Itaque arbitrium erit illa, quam Græci κρίσιν vocant, hoc est judicium mentis ac rationis ex pluribus unum aliquod sequendum esse judicantis. Quod [2] Petro quoque Abælardo probari video, qui sic scribit : « Arbitrium est ipsa deliberatio sive dijudicatio animi, qua se aliquid facere vel dimittere quilibet proponit. » Verum aliis *arbitrium* placet ipsam voluntatis electionem esse, quasi arbitræ ac disceptatricis. Qua ratione scriptum est illud ab Honorio Augustodunensi in libro *de Prædestinatione et libero arbitrio :* « Arbitrium est propriæ voluntatis judicium quid velit quidve nolit, » de quo alias. Nunc aliorum et quidem veterum maxime, de eadem illa hominis libertate placita referamus, quæ idipsum nos doceant, eam in statu quodam indifferenti positam esse tum ad agendum aut non agendum, tum ad bonum vel malum.

CAPUT III.

Christianorum theologorum ac veterum Patrum de liberi arbitrii natura sententiæ ex quibus superioris capitis doctrina corroboratur, nimirum libertatem hominis in indifferente statu et ad neutrum necessario determinato voluntatis esse positam.

I. Tam multæ sunt quæ in hoc caput conferri possunt Græcorum Latinorumque Patrum de hominis libero arbitrio sententiæ, ut qui singillatim enumerare omnes velit, magnum eo labore tum sibi tum lectoribus suis fastidium colligat. Quamobrem certos tantummodo proferemus ex iis quos ut quemque scriptorem legebamus, in adversariis nostris notatos invenimus. Vera liberi arbitrii notio approbatur ex Patribus antiquis

Ex iis primus erit Athenagoras christianus

1 Part. I libri *de Nova libert. explic.* cap. VIII. num. 8. — 2 Lib. III. *Introd.* cap. VII.

Athenagora. philosophus perantiquus, qui in oratione quam pro christianis, Marco Aurelio Antonino et L. Aurelio Commodo imperatoribus inscripsit, angelis et hominibus talem attribuit libertatem, quæ sponte sua et ex sese ad virtutem aut vitium incitari possit. « Alioqui neque boni honore ac præmio afficerentur, neque mali supplicio, nisi in illorum jure ac potestate vitium esset et virtus [a]. »

Irenæo. Irenæus in eadem et sententia et probatione vehementius ac disertius insistit. Cujus illa sunt eximia : « Homo, inquit, rationabilis et secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus et suæ potestatis, ipse sibi causa est ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter et juste condemnabitur, quoniam rationabilis factus amisit veram rationem [1]. » Quæ Irenæi verba non solum ante peccatum in homine primo libertatem fuisse probant arbitrii, sed etiamnum in eo perseverare, cum ipsam sibi causam esse dicit ut aliquando palea fiat, aliquando frumentum, quorum prius solum et per sese, posterius opitulante facit gratia, utrumque autem libere ac citra necessitatem. Quod eodem in libro capite nono ac vicesimo declarat his verbis asserens « quod erat semper liberum et suæ potestatis in homine semper servasse Deum, et suam exhortationem, ut juste damnentur qui non obedierunt, et qui obediunt et credunt ei, honorentur incorruptibilitate. »

II. Quo quidem in loco temere imperiteque Nicolaus Gallasius Genevensis alumnus scholæ Irenæum redarguit, quod salvum manere post peccatum liberum putat arbitrium, quemadmodum et Abraamus Scultetus [2], et ante hos duos Centuriatores Magdeburgenses [3]. Qui hæreticorum error alio a nobis loco confutabitur. Nunc quod instituti est hujus, apparet ejusmodi arbitrii libertatem in homine constitui ab Irenæo, qualem soli inficiari possunt adversarii, catholici omnino debent agnoscere, quæ ad malum bonumve necessitate nulla rapiatur, sed ad utrumvis nutu ac sponte sua propendeat, tametsi quod ad bonum attinet, gratiæ illi adjungendum sit auxilium. Vide et caput ejusdem libri LXXI et LXXII, quo in posteriori maxime homines omnes « ejusdem ait esse naturæ, et potentes retinere et operari bonum, et potentes rursum amittere id et non facere. » Tum *in nobis situm hoc esse*, ex quo laus aut vituperatio sequatur. Sic in quinto libro capite septimo et vicesimo, Christum dicit esse « discretorem credentium et non credentium, quoniam ex sua sententia credentes faciunt ejus voluntatem, et ex sua sententia inobedientes non accedunt ad ejus doctrinam. Unde manifestum est, inquit, quoniam et Pater ejus omnes quidem similiter fecit, propriam sententiam unumquemque habentem et sensum liberum. Ergo liberum eatenus sensum et propriam ac suam sententiam homines habent, ut credant vel non credant, obediant vel non obediant Deo. » Hinc idem in fragmentis Demetrii Diacopi, « Voluntatem animi definit intellectualem rationem in nobis sitam, quippe cum sit potestas ejus libera et sui arbitrii. »

III. Clemens Alexandrinus in secundo *Stromateon* luculenter affirmat, credere aut non credere esse liberi arbitrii et electionis humanæ, non necessitatis, adversus Valentinianos disputans qui fidem negabant in voluntate nostra esse sitam, sed natura dicebant certis hominibus inditam. Contra quos primum docet προαίρεσιν, id est, *electionem esse principium actionis humanæ* [b]. Tum, si fides a natura insita sit : « Voluntariæ ergo liberæque electionis, inquit, non erit laudabile factum fides, si est naturæ prærogativa, neque justam mercedem consequetur qui non credidit, cum in culpa minime sit, neque qui credidit, quia causa non est [c]. » Nimirum quod naturalis necessitas libertatem excludit. « Nam si nos tanquam inanima naturalibus operationibus, velut funibus quibusdam, trahimur, supervacaneum est involuntarium (*forte* voluntarium, id est ἑκούσιον) et appetitio quæ illa præcedit. Nec ego cujusmodi sit illud animal intelligo, cujus vim appetendi ab externa causa commotam necessitas est sortita [d]. » Clemente Alexandrino.

a Athenag. Ὡς δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων, αὐθαίρετον καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν ἐχόντων· ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐτιμᾶτε τοὺς ἀγαθοὺς, οὔτ' ἐκολάζετε τοὺς πονηροὺς, εἰ μὴ ἐπ' αὐτοῖς ἦν ἡ κακία καὶ ἡ ἀρετή.

b Clem. Alex. lib. II *Strom.* Ἐπεὶ δὲ πράξεων ἀρχὴ ἡ προαίρεσις.

c Ib. Οὐκέτ' οὖν προαιρέσεως κατόρθωμα ἡ πίστις, εἰ φύσεως πλεονέκτημα· οὐδὲ ἀμοιβῆς δικαίας τεύξεται ἀναίτιος ὢν ὁ μὴ πιστεύσας, καὶ οὐκ αἴτιος ὁ πιστεύσας.

d Ib. Νευροσπαστουμένων δὲ ἡμῶν, ἀψύχων δίκην, φυσικαῖς ἐνεργείαις, τό τε ἀκούσιον παρέλκει, ὁρμή τε ἡ προκαθηγουμένη τούτων· καὶ οὐκέτι ἔγωγε ἐννοῶ ζῶον τοῦτο, οὗ τὸ ὁρμητικὸν ἀνάγκη λέλογχεν ὑπὸ τῆς ἔξωθεν αἰτίας κινούμενον.

1. Lib. IV. cap. VIII. — 2 Par. I *Medullæ Patrum.* lib. II. cap. VIII. — 3 Cent. 2. cap. X.

Sic in primo *Stromateon* de eadem fide disserens, Deum ait per prophetam Isaiam dixisse : « *Si volueritis et me audieritis, bona terræ comedetis* [1], ut in nobis situm esse monstraret eligere aut repudiare [a]. »

Origene. Origenes item in *epistolam ad Romanos* ex Hieronymi translatione [2] : « Non enim vi res agitur, inquit, neque necessitate in alteram partem anima declinatur, alioqui nec culpa ejus nec virtus posset ascribi, nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur, sed servatur ei in omnibus libertas arbitrii, ut in quodcumque voluerit ipsa declinet, sicut scriptum est : *Ecce posui ante faciem tuam vitam et mortem, et ignem et aquam* [3]. Perspicuum est ab Origene contrariam libertati necessitatem statui, et illud omne quo posito, non est indifferens nec ad utrumvis eligendum libera voluntas.

Methodio martyre. IV. Sequitur Methodius eruditissimus ac sanctissimus martyr, qui in libro quodam quem adversus Origenem scripsit, liberi arbitrii naturam ad eamdem illam regulam exegit. Nam de animarum antequam in corpus infundantur vita contra illum disputans, inter alia sic apud Epiphanium argumentatur [4] : « Arbitrii vero sui libertatem quomodo retinere in hoc mundo videtur ? Credere enim aut non credere in nostra est voluntate situm. Ubi autem credere vel non credere in nostra libertate positum est, consequens est, ut et recte agere vel peccare, boni aliquid facere vel mali, in nostro sit arbitrio [b]. »

Et in libro *de Libero arbitrio* apud Photium [c], homini inditam ait a Deo liberi arbitrii facultatem, ejusque propriam esse notionem hanc, ut *causa sit sola obsequendi Deo vel reluctandi*.

Athanasio. Athanasius perinde libertatis naturam in eo constituit, ut ad utrumvis propendere sponte sua possit, quam vocat τὴν ἐπ' ἄμφω ῥοπήν [5]. « Dicere, inquit, ex voluntate extitisse, primum id significat, ipsum aliquando non fuisse, deinde rem utrinque paribus momentis librari, ut jam dictum est, adeo ut cogitare aliquis possit, potuisse Patrem non velle sibi Filium esse, ac de Filio vicissim usurpare, hunc potuisse non esse [d]. »

Basilio. Sic Basilius angelorum *libertatem* et τὸ αὐτεξούσιον ex eo liquido constare dicit, quod sponte ceciderint, et *æquali libramento possint in virtutem ac vitium vergere* [e]. Et in libro tertio adversus Eunomium, creaturas rationales ait « natura constare sui juris ac libera, quæ in utramvis partem propendere possit ad eligendum bonum vel malum [f].

Gregorio Nysseno. Cujus frater Nyssenus Gregorius similiter homini perinde ut angelo insitam esse ait « plenam ac sui juris potestatem et libertatem ab omni expeditam necessitate ex æquo in utrisque [g]. »

V. Nec minus diserte enucleateque liberi arbitrii vim expressit in *libro Catechetico* Gregorius idem Nyssenus, dum causam reddit cur cum vitium et peccatum lethali ab Christo vulnere sit confectum, adhuc in majori hominum parte dominetur : « qui in omnia liberam habet potestatem, inquit, propter summum honorem quem homini adhibuit, aliquid in potestate nostra reliquit, cujus unusquisque nostrum solus est dominus. Hoc autem est electio, res quæ subjici nequit et sui juris est,

a Clem. Alex. lib. I. Πρὸς τούτους ἡ προφητεία λέγει· κἂν θέλητε, καὶ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς φάγεσθε· ἐφ' ἡμῖν κείμενα διελέγχουσα καὶ τὴν αἵρεσιν, καὶ τὴν ἐκτροπήν.

b Method. Πῶς δὲ καὶ τὸ αὐτεξούσιον ἐν τούτῳ φαίνεται ἔχειν τῷ κόσμῳ; ἐφ' ἡμῖν γὰρ τὸ πιστεῦσαι κεῖται, καὶ τὸ μὴ πιστεῦσαι· ἔνθα δὲ ἐφ' ἡμῖν τὸ πιστεῦσαι κεῖται καὶ τὸ μὴ πιστεῦσαι, ἐφ' ἡμῖν τὸ κατορθώσασθαι καὶ ἁμαρτήσασθαι, ἐφ' ἡμῖν τὸ ἀγαθοποιεῖν καὶ τὸ κακοποιεῖν,

c Id. apud Phot. cod. 236. Ὅτι αὐτεξούσιον φησὶ γεγονέναι φημὶ τὸν ἄνθρωπον, οὐχ ὡς προϋποκειμένου τινὸς ἤδη κακοῦ, οὗ τὴν ἐξουσίαν, εἰ βούλοιτο, τοῦ ἑλέσθαι ἄνθρωπος ἐλάμβανεν· ἀλλὰ τὴν τοῦ ὑπακούειν τῷ θεῷ, καὶ μὴ ὑπακούειν αἴτιον μόνον ἦν· τοῦτο γὰρ τὸ αὐτεξούσιον ἐβούλετο τότε.

d Athan. Τὸ μὲν γὰρ λέγειν, ἐκ βουλήσεως γέγονε· πρῶτον μὴν τὸ μὴ εἶναί ποτε τοῦτον σημαίνει· ἔπειτα δὲ καὶ τὴν ἐπ' ἄμφω ῥοπὴν ἔχει, καθάπερ εἴρηται· ὥστε δύνασθαί τινα νοεῖν, ὅτι ἠδύνατο καὶ μὴ βούλεσθαι τὸν υἱόν· ἐπὶ υἱοῦ δὲ λέγειν, ἠδύνατο καὶ μὴ εἶναι.

e Basil. lib. *de Spiritu sancto*, cap. XVI. Ἰσοῤῥόπως ἐχούσας πρὸς ἀρετὴν, καὶ κακίαν.

f Id. III *cont. Eun.* Φύσει τε χρωμένη αὐτεξουσίῳ καὶ μεταῤῥέπειν ἐφ' ἑκάτερα δυναμένη πρὸς ἐκλογὴν τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ κακοῦ.

g Nyss. in *Orat. Dom.* Συνουσιώθη τῇ φύσει καὶ τὸ αὐτοκρατές τε, καὶ τὸ αὐτεξούσιον, καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλεύθερον, ἴσον ἐπ' ἀμφοῖν.

1 *Isa.* I, 19.— 2 In cap. I. lib. I.— 3 *Deut.* XXX, 19.— 4 *Hær.* LXIV. num. 49. — 5 Orat. IV. vide lib. VI. *de Trinit.* nostrum, cap. VIII.

in libertate mentis et cogitationis sita [a]. » Vide et consequens caput in quo necessitati libertatem adversari asserit, ac si ratione prædita natura jus illud liberæ potestatis amittat, tum naturam ipsam ei eripi, tum virtutem quæ nulla necessitate constringi potest.

Cyrillo Hierosolymitano. Idem et Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi quarta confirmat ex virtutis vitiique mercede quæ nulla sit, si adest necessitas.

Cyrillo Alexandrino. Tum cognominis alter Alexandrinus permultis in locis, velut quarto in *Joannem :* « Liberæ est, inquit, electionis in hominibus, et in eorum potestate situm in hanc aut illam partem deflectere, sive in dextram sive in sinistram, vitium dico vel virtutem [b]. »

Et libro secundo : « Liberam a necessitatis vinculis hominis voluntatem servavit, et suopte nutu in utramque partem tendentem, ut ex bene actis laudem jure suscipiat, et ex contrariis pœnas [c]. »

Sic in libro primo *de Adoratione in spiritu et veritate*[1], « Recte, inquit, habere visum est optimo omnium opifici Deo, propriæ voluntatis habenas ipsi permittere et hoc tribuere, ut spontaneis ac liberis impulsionibus quod vellet faceret. Oportebat enim voluntate susceptam videri, non expressam necessitate virtutem [d]. »

Joanne Chrysostomo. Joannes Chrysostomus liberi hanc arbitrii vim ad utrumvis adsciscendum necessitatis expertem passim prædicat. Unum alterumve nunc locum ex innumeris afferam. « Ideo, inquit, in homilia quartadecima *ad primam ad Corinthios*, tui te juris ac liberum fecit Deus, ne postea hunc accuses tanquam necessitate devictus [e]. » Et homilia octava decima ad eamdem epistolam : « Nam et multa volumus, ait, absurda, sed cohibere non oportet. Hoc enim possumus. Alioqui si non possumus, supervacanea est hortatio. Vide autem quam caute locutus sit. Nam cum dixisset: Non estis vestri, non subjecit: Sed necessitate estis obnoxii [f]. »

Tito Bostrensi. VI. Sed præ cæteris commemorandus venit Titus Bostrensis antiquus scriptor, qui Constantii et Juliani imperatorum tempore floruit. Hic enim non solum de liberi arbitrii facultate ad eum quem statuimus modum haud pauca dixit, sed illius etiam naturam enucleate tradidit, præsertim in secundo *contra Manichæos* [2], ubi contra istos hæreticos probat liberam homini facultatem esse datam ad virtutes aut vitia : « Bonitas, inquit, per solam virtutem asciscitur, labore comparatur. Idcirco fecit Deus, ut hoc in potestate ejus situm esset. Si igitur potestatem quidem dedisset Deus, non autem naturæ præfecisset cognitionem virtutis et vitii, visus esset cæcum aurigam currui velocissimo præficere. Sin vero ambo simul commiscuit, potestatem ad asciscendum quod melius est, et cogitationem ad discernendam et muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentem adhibuit. » Et paulo post : « Quomodo in hominibus motus et excitatio ad melius testata esset, nisi utrumque naturaliter cogitari posset, justitia scilicet et injustitia ? Cognitio namque necessaria est ad dijudicandum, cogitatio vero rimatur cognita. Propositum in quam partem vult propendet. » His verbis duas illas quas superiori capite constituimus libertatis humanæ partes, nativas ac necessarias ostendit, contrariorum in mente cogitationem ac notitiam qua voluntas regitur, et ejusdem voluntatis appetitionem inclinationemque liberam. Tum vero de eo libertatis genere quo contraria possumus amplecti, præsertim de ea parte qua in vitium ac peccatum ferimur, erudite sic in eodem libro disserit : « Habet homo potestatem nequitiæ quam potest operari, habet,

a Nyss. lib. *Cat.* c. xxx. Ὁ γὰρ τοῦ παντὸς τὴν ἐξουσίαν ἔχων, δι' ὑπερβολὴν τῆς εἰς τὸν ἄνθρωπον τιμῆς, ἀφῆκέ τι καὶ ὑπὸ τὴν ἡμετέραν ἐξουσίαν εἶναι, οὗ μόνος ἕκαστός ἐστι κύριος· τοῦτο δέ ἐστιν ἡ προαίρεσις, ἀδούλωτόν τι χρῆμα, καὶ αὐτεξούσιον, ἐν τῇ ἐλευθερίᾳ τῆς διανοίας κείμενον.

b Cyr. Alex. lib. IV. *in Joan.* Προαιρετικὸν γὰρ ἐν ἀνθρώποις, καὶ αὐθαίρετον τὸ ἐπ' ἄμφω βαδίζειν, εἴτε εἰς δεξιὸν, εἴτ' οὖν εἰς ἀριστερὸν, ἀρετὴν δὲ δηλονότι, καὶ κακίαν φημί.

c Id. lib. II. *in Joan.* Ἐλευθέραν δὲ πάλιν τῶν ἐξ ἀνάγκης δεσμῶν τὴν τοῦ ἀνθρώπου διετήρησε γνώμην, καὶ ῥοπαῖς οἰκείαις ἐπ' ἄμφω βαδίζουσαν· ἵνα δέχηται δικαίως ἔπαινόν τε τὸν ἐπ' ἀγαθοῖς, καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις κόλασιν.

d Id. lib. I. *de Ador.* Ἐδόκει γὰρ ἔχειν ὀρθῶς τῷ πάντων ἀριστοτέχνῃ θεῷ, τῶν ἰδίων θελημάτων ἀνάπτειν αὐτῷ τὰς ἡνίας, καὶ ἀναθεῖναι δρᾷν τὸ δοκοῦν αὐτοκελεύστοις ὁρμαῖς· προαιρέτικὴν γὰρ ἔδει, καὶ οὐχ ὥσπερ ἐξ ἀνάγκης ὁρᾶσθαι τὴν ἀρετήν.

e Chrysost. *in Ethic.* Διὰ τοῦτο γάρ σε αὐτεξούσιον ἐποίησεν Θεὸς, ἵνα μὴ ὕστερον ἐγκαλῇς τῷ θεῷ ὡς ἀνάγκῃ δεθείς.

f Id. Καὶ γὰρ πολλὰ βουλόμεθα ἄτοπα· ἀλλὰ κατέχειν δεῖ· δυνάμεθα γάρ· εἰ δὲ μὴ δυνάμεθα, περιττὴ ἡ παραίνεσις· ὅρα γοῦν πῶς ἠσφαλίσατο· εἰπὼν γάρ· οὐκ ἐστὲ ἑαυτῶν, οὐκ ἐπήγαγεν· ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκην ἐστέ.

1. Lib. I. — 2 Tom. IV. Biblioth. Patrum, col. 902.

inquam, potestatem ejus, non ut eam operetur, sed ut non operans eam, optimus appareat. » Ac subinde : « Si homo non haberet ejus *nequitiæ* pot estatem, non esset penes eum fugere eam. » Item : « In hominibus bonum ex fuga mali primum existit, cujus potestatem necesse est esse ei qui vult esse bonus, ut sit penes ipsum non facere malum, etc. Liquet igitur beneficium esse homini potestatem suscipiendi peccatum, a quo quidem se abstinens, spectatur et probatur, et non aliter. Libera igitur potestate virtutis et vitii honoratus est homo habens natura horum cognitionem quæ in actionem venire possunt. » Et ut postea loquitur [1] : « Peccatum faciens sponte peccat, ut qui non possit aliter ex virtute degere, nisi penes eum sit contrarium agere. » Quibus ex verbis insuper liquet, quid de eo statuendum sit quod quibusdam placet, potestatem peccandi neque libertatem esse neque perfectionem. Quod esse falsum, illa ipsa Titi Bostrensis verba demonstrant. Etsi enim peccandi actio ipsa non sit perfectio, qualis est ea quam *moralem* nominant, quæ virtuti soli ac recte factis convenit, tamen peccare posse sive potius abjudicare posse peccatum, tam est libertatis quam perfectionis, atque in hunc finem tributa est a Deo libera utriusque facultas homini, ne aut vitare peccatum non posset, aut virtutem sic necessario coleret ut virtus esse desineret.

Theodoreto. VII. Theodoretus item sub initium libri quinti contra Græcos : « Deum quidem, ait, omnibus verbi sui doctrinæque rivos in commune profundere, sed audientium libera voluntate fieri ut alii sitientes accedant, alii procul recedant, ii videlicet qui ad eas res optandas animum non inducunt. At medicus animarum eorum voluntatem non cogit, qui curationem respuunt. Cum enim juris sui ac libertatis ratione præditam naturam condiderit, hortationibus quidem ac legibus a deterioribus avertit et ad meliora convertit. Nequaquam tamen nolenti vim facit ut meliorum sit particeps, ne constitutos naturæ terminos immutet [a]. »

Diadocho. Diadochus quoque Photices episcopus in libro *de Perfectione spirituali* [2] : « Liberi arbitrii potestas, inquit, est voluntas animæ rationalis quæ prompte movetur quo velit, cui quidem tunc suadebimus ut ad bonum tantum prompta sit, cum memoriam mali bonis cogitationibus consumpserimus. » Vides ut hanc hominis facultatem libera in bonum malumve propensione metiatur.

Basilio Seleuciensi. Multa ad eamdem sententiam expressa et illustria Basilius affert Seleuciencis episcopus oratione secunda *de Adamo*, in quibus liberi arbitrii partem utramque, quæ intelligentia et voluntate continetur recte sic explicat : « Cætera igitur animalium genera formans conditor, immotis naturæ legibus adstrinxit, neque liberum inest iis arbitrium in utramque partem potestatem suam dividens, nec rationis dijudicatio agendorum delectum ponderans, sed simul imperavit natura, ad agendum festinat, non curiose imperium expendens. Homo vero ratione præditus et eligendi facultate ornatus est ac libero arbitrio resplendet, talem habens animi sententiam quæ nullius voluntati servit, sui juris habens propositum, et agendorum electionem præ se ferens, cui vis afferri nulla potest. Hinc alterum eligit, alterum pro eo ac visum est respuit, unum aversatur, alterum amplectitur. [b]» Apparet in his verbis tam rationis judicium quod e pluribus unum quodpiam secernit, quam voluntatis electio hoc quod est oblatum sponte asciscentis, hoc est citra vim ac necessitatem. Quod etiam Æneas Gazæus ita definit, « sui juris esse voluntatem dicens, quæ pro potestate sursum, deorsumve transit, Ænea Gazæo

a Theodoret. Πᾶσι γὰρ τοῖς ἐμφορεῖσθαι βουλομένοις προχέει τὰ νάματα· ἀλλὰ τὸ τῶν ἀκροωμένων αὐθαίρετον τοὺς μὲν προσάγει διψῶντας, τοὺς δὲ πόῤῥω ποιεῖ, τόνδε τὸν ἵμερον ἔχειν ἥκιστα βουλομένους, ὁ δέ γε τῶν ψυχῶν ἰατρὸς τὴν τῶν οὐκ ἐθελόντων ἀπολαύειν τῆς θεραπείας οὐ βιάζεται γνώμην, αὐτοκράτορα γὰρ καὶ αὐτεξούσιον τὴν λογικὴν φύσιν δημιουργήσας, παραινέσεσι μὲν, καὶ νόμοις, καὶ τῶν χειρόνων ἀποτρέπει, καὶ ἐπὶ τὰ κρείττω προτρέπει· οὐκ ἀναγκάζει δὲ μὴ βουλομένην τῶν ἀμεινόνων μεταλαχεῖν, ἵνα μὴ παρακινήσῃ τοὺς ὅρους τῆς φύσεως.

b Basil. Seleuc. Τὰ μὲν οὖν ἄλλα τῶν ζώων ἔθνη καὶ γένη διαπλάττων ὁ δημιουργὸς, νόμοις ἀκινήτοις ἔδησε φύσεως· καὶ προαίρεσις οὐκ ἔστιν αὐτοῖς ἐπ' ἄμφω τὴν ἐξουσίαν μερίζουσα· οὐδὲ λογισμοῦ διάκρισις ζυγοστατοῦσα τῶν πρακτέων τὴν αἵρεσιν· ἀλλ' ὁμοῦ τε κελεύει φύσις, καὶ εἰς τὸ πράττειν ἐπείγεται, μὴ πολυπραγμονοῦσα τὸ πρόσταγμα· ἄνθρωπος δὲ λόγῳ τετίμηται, καὶ προαιρέσει, κεκόσμηται, καὶ αὐτεξουσίῳ γνώμῃ ἀστράπτει, βουλήματι ἀδούλωτον ἔχων τὸ φρόνημα, αὐτοδέσποτον ἔχων, τὴν πρόθεσιν, ἀβίαστον δεικνὺς τῶν πρακτέων τὴν αἵρεσιν· ἐντεῦθεν τὸ μὲν ἐκλέγεται, τὸ δὲ πρὸς τὸ δοκοῦν παραπέμπεται· καὶ τὸ μὲν ἀποστρέφεται, τῷ δὲ προστίθεται.

1 Lib. II. col. 919. — 2 Tom. V. Biblioth. Patrum, c. v.

alterum eligens præ altero. Hæc enim vis est liberi arbitrii[a]. » Tum Marcus eremita in **Marco eremita.** libro *de Justificatione ex operibus* aperte indifferentem et suspensam hanc libertatis potestatem exprimit[1] : « Et occulte, ait, nobis opitulatur gratia. Verum in nobis situm est facere vel non facere bonum pro potestate[b]. »

VIII. Græcis theologis adstipulantur Latini, **Tertulliano.** e quibus Tertullianus perspicue liberi arbitrii vim ac statum, agendi vel non agendi, boni item malive amplectendi facultate definit. Ut in libro secundo *adversus Marcionem* ubi id ex lege a Deo illi lata demonstrat[2]. « Non enim poneretur, inquit, lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate, nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur. » Et sequenti capite necessitatem ostendit cum libertate pugnare : « Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret et bono sponte servando et malo sponte vitando, quoniam et alias positum hominem sub judicio Dei oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc et lex constituta est, non excludens sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda. Ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii. » Et in libro *de Exhortatione castitatis*[3] : « Itaque cum utrumque ex præceptis ejus didicerimus, inquit, quid velit et quid nolit, tamen nobis est voluntas et arbitrium eligendi alterum, sicut scriptum est : *Ecce posui ante te bonum et malum*[4]. »

Cypriano. Cyprianus epistola quinta et quinquagesima, Christi verba illa perpendens quibus ad Apostolos usus est : *Numquid et vos vultis ire*[5]? « Servans scilicet legem, inquit, qua homo libertati suæ relictus et in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit vel salutem. » Et in libro tertio *Testimoniorum ad Quirinum*[6] : « Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam, in Deuteronomio : *Ecce dedi ante faciem tuam vitam et mortem, bonum et malum : elige vitam tibi ut vivas*[7]. Item apud Esaiam, *Et si volueritis et audieritis me, bona terræ edetis*[8], etc. »

Hieronymo. Hieronymus libro secundo *contra Jovinianum :* « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est[9]. » Et in *epistola ad Ctesiphontem* contra Pelagianos multis locis idem adstruit. Sed disertissime in epistola CXLVI ubi prodigi filii parabolam enarrat : « Divisit, inquit, eis substantiam, id est dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque non ex imperio Dei sed obsequio suo, id est, non ex necessitate sed ex voluntate, ut virtus haberet locum. »

Ambrosio. Ambrosius item libro sexto *Commentariorum in Lucam :* « Non potes dicere quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum et malum, ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium[10]. »

Philastrio. Philastrius Brixiensis capite LXXX de illis *Geneseos* verbis agens : *Tu dominaberis illius*[11], ea refert ad humani arbitrii libertatem et indifferentiam : « Dominaberis, inquit, cogitationi tuæ malæ utique quæ est in arbitrio tuo, ut cujusque hominis arbitrio atque voluntate aut projiciat de corde suo malam cogitationem immissam a diabolo, aut non projiciendo, crimen incurrat perpetuum. »

IX. Augustinus vero compluribus in locis **Augustino.** de liberi arbitrii natura non aliter atque a nobis propositum est, statuit. Velut in homilia duodecima de quinquaginta : « Et ideo, inquit, cum per Dei adjutorium in potestate tua sit utrum consentias diabolo, quare non magis Deo quam ipsi obtemperare deliberas ? » Ac paulo post : « Rogo ergo vos, fratres charissimi, quare Satanas seducit ad peccandum, cum Deus posuerit homini in potestate non consentire Satanæ ? Est enim a dextris quodammodo præcipiens Deus, a sinistris seducens Satanas, homo in medio constitutus. Cor quod inclinatur ad diabolum, quare non magis erigitur ad Deum ? » Mox : « Dat quidem ille consilium. Sed Deo auxiliante nostrum est vel eligere vel repudiare quod suggerit. » Tum eximium illud est ejusdem in libro *de Duabus*

a ÆNEAS GAZ. in Theophr. p. 387. Αὐτοκράτωρ δὲ γενόμενος κατ' ἐξουσίαν· ἄνω καὶ κάτω μεταχωρεῖ ἕτερον αἱρούμενος προτέρου (Cor. πρὸ ἑτέρου)· τοῦτο γὰρ ἡ ἀνθρώπου προαίρεσις δύναται.

b MARCUS : Καὶ κρυφίως βοηθεῖν ἡμῖν ἡ χάρις οὐ παύεται· ἐφ' ἡμῖν δέ ἐστι ποιεῖν, ἢ μὴ ποιεῖν τὸ ἀγαθὸν κατὰ δύναμιν.

1 Num. XVI. — 2 Lib. II, cap. V. — 3 Cap. II. — 4 *Deut.* XXXI, 15. — 5 Joan. VI, 68. — 6 Num. LII. — 7 *Deut.* XXX, 15, 16. — 8 *Esa.* I, 19. — 9 Col. 518. — 10 In. cap. IX. *Luc.* col. 113. B. — 11 *Gen.* IV, 7.

animabus contra Manichæos[1], quod et in libro primo *Retractationum* commemorat[2] : « Illæ animæ quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus. » Igitur ex Augustini mente, voluntas sive liberum arbitrium « motus est animi liber ad faciendum vel non faciendum, » sine quo neque peccatum, neque meritum potest ullum intelligi. Idem et in libro *de Gratia et libero arbitrio ad Valentinum* pluribus capitibus liberum in nobis etiam post peccatum esse arbitrium ostendit[3], « per quod non facere mala et facere bona debere nos ait[4]. » Tum in epistola XLVI et sequente. Item in vicesimo secundo libro *contra Faustum*[5] : « Sive autem iniquitas sive justitia, nisi esset in voluntate, non esset in potestate. Porro si in potestate non esset, nullum præmium, nulla pœna justa esset, quod nemo sapit nisi qui desipit. » Quibus consentaneum istud est Fulgentii illius discipuli in secundo *de Veritate Prædestinationis :* « Posita sunt quoque ante hominem ignis et aqua, vita et mors, ut quo vult manum suam libero porrigat voluntatis arbitrio. Si enim desit voluntas libera, manus quoquam non porrigitur. »

Fulgentio.

X. At idem Augustinus interdum liberum arbitrium peccato primi parentis amissum esse dicit, ut in *Enchiridio ad Laurentium,* capite tricesimo : « Nam libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum. » Et in libro *de Correptione et gratia,* capite duodecimo : « Nunc vero posteaquam est illa magni peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. » Verum ex eodem Augustino manifestum est, liberi ac libertatis nomen non ea significatione accipi cum amissum dicitur, qua necessario contrarium est, sed ut servituti est oppositum, atque idem prorsus est quod liberatum. Quo sensu Fulgentius in *Responsione ad primam inquisitionem Ferrandi*, « malos, ait, habere liberum arbitrium non liberatum, liberari vero per gratiam. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venumdatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis. » Et Lugdunensis ecclesia in libro *de Tribus epistolis*, liberum arbitrium non esse peccato sublatum, sed *subjugatum* ac *servituti obnoxium* factum asserit, deque eo copiose disputat[6]. Atque hic ille scopulus est, ad quem nova illa quam impugnamus de libero arbitrio hominis impegit opinio, quæ quod de libertatis genere illo dictum est quod servituti ex adverso respondet, id ad naturalem hominis transtulit facultatem, ac boni malive deligendi potestatem negavit ad illius pertinere naturam. Sed hæc multum invicem discrepant. Et quod præclare eruditeque Richardus Victorinus observat[7], « aliud est arbitrii potestas, atque aliud est arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber et infirmus esse potes, sicut e contrario et sanus et servus esse potes, etc. Potestatis itaque est, quod bonum facere possumus quamdiu id facere valemus. Libertatis autem, quod ad nullum seu bonum seu malum inviti cogi possumus. Quam multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter potestatem et libertatem distinguere ignorant vel dissimulant. Vide tamen quid intersit, cum potestatem homo sæpe amittat, libertatem vero nunquam amittere possit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem, sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. » Hanc igitur boni amplectendi per sese potestatem peccato perdidit homo, non tamen libertatem, sive agendi vel non agendi liberam facultatem, quæ adjuta Dei gratia, non necessario sed sponte sic adsciscit bonum, ut ab eo declinare et in malum propendere possit. In quo vera libertatis, cujusmodi in hac vita cernitur, ratio consistit. Hoc veterum illa omnia persuadent testimonia quæ hactenus adduximus, quæque nos disertissimis ad idem institutum Prudentii versibus concludemus : e libro primo *contra Symmachum :* Prudentio.

Libertas laxior ipsi
Concessa est homini, formam cui flectere [vitæ,
Atque voluntatis licitum est, seu tramite [dextro
Scandere, seu lævo malit decurrere campo,
Sumere seu requiem, seu continuare laborem,
Seu parere Deo, sive in contraria verti.

XI. Hæc vera est germanaque ratio libertatis arbitriique liberi, ut pro potestate agere

1 Cap. XII. — 2 Cap. XV. — 3 Cap. I, II, IV, VIII. — 4 Ibid. cap. VIII. — 5 Cap. LXXVIII. — 6 *Auctor. bibl.* tom. II. col. 272. et seq. — 7 Lib. *de Erud. inter. hom.* cap. XXX

aut non agere possit necessariis ad agendum constitutis omnibus, quod universe cum libera omni voluntate complexum est; adeo ut eo detracto, nulla ne cogitando quidem informari possit notio libertatis. Humanæ porro imo creatæ libertatis omnis quamdiu extra summi et ultimi boni possessionem consistit, id etiam peculiare est ut ad bonum malumve deligendum motus habeat liberos ac nullis omnino vinculis necessitatis obstrictos. Atque hoc non humana solum veterum omnium sed divina quoque, qua identidem usos illos vidimus, auctoritas approbat, quæ per omnes Scripturæ paginas clarissima luce diffunditur. Nam quid aliud indicant tot illæ ac tam frequentes hortationes interminationesque, quibus vel ad virtutem recteque facta incitantur homines, vel a vitiis absterrentur? Quid cum utrumque proponitur bonum ac malum, et ut altero repudiato, eligamus alterum, promissis, precibus, blanditiis, minis etiam ac terroribus impellimur? *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum,* ait Moses, *et e contrario mortem et malum, ut diligas Dominum Deum tuum et ambules in viis ejus et custodias mandata illius,* etc. *Testes invoco hodie cœlum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum*[1]. Eodem spectat illa consultatio Josue cum Israelitis omnibus de asciscendo Domino vel diis gentium, ac voluntaria illius electio quarto libri illius ac vicesimo capite descripta.

Vera liberi arbitrii natura probatur ex minis necnon adhortationibus quas exhibet Scriptura sacra.

Tum *Isaiæ* primo : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis,* etc. Sic *Ecclesiastici* capite decimo quinto : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua : si volueris mandata servare, conservabunt te,* etc. *Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quód placuerit ei dabitur illi.* Quibus verbis graphice descripta libertas est hominis, ejusque natura quam in eo positam esse diximus, ut tam ad bonum vel malum, quam ad agendum aut non agendum indifferens sit et ad neutrum necessitate trahatur.

XII. Hinc illæ dicendi formulæ profectæ sunt quæ in Scripturis usurpantur, quibus *loquitur Deus ambigentis affectu*[2] cum dicit : *Si forte audiant et agant pœnitentiam*[3]. Et apud *Ezechielem : Si forte vel ipsi audiant et si forte quiescant*[4]. Et *Lucæ* XX : *Forsitan filium meum verebuntur.* Quibus «liberum hominis monstratur arbitrium,» ait Hieronymus. Denique solet Scriptura cum humanas voluntates ad virtutem et honestatem allicit atque ab malo deterret, utriusque liberam in nobis significare potestatem. Ut cum Christus, reliquis ab se recedentibus discipulis, duodecim residuos sic alloquitur : *Numquid et vos vultis abire*[5]? Tum ejusmodi : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*[6], etc. Quæ sic expenduntur ab Hieronymo : «*Si vis,* inquit, *esse perfectus.* Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia, tuum est eligere si volueris in agone atque certamine coronari[7]. » Sed infinitus sim si percensere singula velim Scripturæ loca quibus liberi arbitrii vis et natura talis ostenditur, cujusmodi initio proposuimus. Ac cum de humana libertate propriam instituere disputationem adversus hujus temporis hæreticos statuerim, de hac modo plura non afferam, meque potius ad id quod præcipue agitur, divinæ libertatis explicandam rationem convertam.

CAPUT IV.

De divinæ voluntatis arbitrio libero, quod inesse illi primum ostenditur e Scripturis, tum ex Dei natura, ac Patrum testimoniis. Quatenus necessario Deus agat, tum quatenus insit ei libertas. Actionem ipsam liberam a Dei substantia non differre et ex æterno esse in Deo. De varia divisione voluntatis divinæ.

I. Eorum omnium quæ affirmamus de Deo, tam nomina quam his subjectæ notiones, creatarum, nobisque cognitarum ex rerum usu capiuntur. « Sunt enim, ut ait Cyrillus Alexandrinus, intelligibilium rerum imagines ea quæ sunt manifestiora, et ad eorum quæ sunt supra nos comprehensionem ea quæ in

1 *Deut.* XXX, 15-19.— 2 Hieron. in cap. II *Ezech.* col. 682. — 3 *Jerem.* XXVI, 3.— 4 *Ezec.* II, 5. — 5 *Joan.* VI, 68. — 6 *Matth.* XIX., 21.— 7 Epist. VIII.

nobis sunt nos velut manu deducunt[a].» Quamobrem cum de Dei voluntate ac libero ejus arbitrio quærimus, illam ipsam intelligimus libertatem quam superioribus duobus capitibus exposuimus. Quæ quidem necessitati sic est adversa, plenam ut agendi vel non agendi, hujus vel illius amplectendi repudiandive potestatem habeat : hoc est inter utrumque suspensa sit et indifferens, atque ex pluribus scientia et ratione cognitis et objectis, unum aliquod sic eligat ut rejicere, sic agat omnino ut ab actione ipsa temperare potuerit. Est enim in eo libertatis et τοῦ αὐτεξουσίου natura universe posita, ut eo cogitatione detracto, nusquam illa consistat, sed totum necessitas obtineat, quod in rebus anima carentibus aut solo sensu præditis apparet.

Sed cum in hominibus et iis omnibus quæ sunt creata, duplex sit genus libertatis, ut supra meminimus, alterum quo agere possunt vel non agere, alterum quo hoc vel illud asciscere aut rejicere, tum hoc posterius bifariam patet. Nam aut inter ea quæ bona sunt, aut inter bona et mala judicium istud et optandi libertas suspenditur. Ita triplex est rerum complexio in quibus arbitrii liberi potestas vertitur, quorum prima est agendi aut non agendi, omnibus ad agendum necessariis constitutis. Secunda boni hujus aut illius. Tertia boni vel mali deligendi. Ex his priora duo divinæ libertati vindicanda, postremum omni ratione removendum est. « Deus enim omnino peccare non potest, sicut negare seipsum non potest : homo autem potest peccare et Deum negare, sed si nolit, non facit[1],» ait Augustinus. De hoc tertio quæ sunt dicenda, suo loco reservabimus cum illud pertractabitur, an peccati auctor esse possit Deus. Nunc priora duo persequemur, nec ea quidem multis. Nihil enim necesse est.

Deum libere agere probatur e Scripturis.

Deum igitur non necessario facere quidquid facit, sed ita ut potuerit non facere, ac sic unum deligere ut alterum optare possit, atque in rebus extra se productis libere versari, omnia nobis sacrarum Litterarum oracula prædicant. Testatur hoc imprimis David qui in CXXXIV Psalmo universe pronuntiat : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*. Apostolus item ad *Romanos* scribens. *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat*[2]. Nec non Jacobus capite primo *Canonicæ* suæ : *Voluntarie genuit nos Verbo veritatis*[3].

II. Sed hoc ipsum plenius uberiusque Scripturæ nobis eædem demonstrant, duo quædam asserentes ex quibus illud necessario sequitur. Alterum, quod in superioribus capitibus ostendi, ita homines recte atque honeste agere ut mali ac vitiosi esse possint, aut e contrario ex malis boni fieri. Alterum, Deum judicem ac remuneratorem esse operum omnium ac pro meritis quemque tractare. His enim ex duobus fit consequens, tum multa facere Deum quibus contraria et facere poterat et vero facturus erat adeoque cupiebat, si per homines liceret, tum priorem sententiam ac voluntatem, quæ absoluta scilicet non erat ex nostraque pendebat, mutare interdum altera ; quod pro humano intelligendi et loquendi captu dictum accipi volumus, ne quis mutationis aliquid in Deum cadere suspicetur. Ejus rei divinæque libertatis haud obscurum specimen habent primum illa loca quæ capite antecedenti descripta sunt. Nam cum ita Deus homines alloquitur : *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*[4] : ita se paratum ostendit ut pro eo atque illi agere voluerint, vicissim et ipse sit acturus ac consilium suum pro illorum voluntate moderaturus. Potuit igitur iisdem hominibus vel ex æterno destinare ac velle bona Deus, vel mala atque supplicia prout voluntas cujusque ferret, uti sine ulla sui mutatione, sic cum libertate et quadam pendentis ac suspensæ voluntatis indifferentia, quam Scriptura propriis et appositis verbis ac genere ipso sermonis expressit : *Si volueritis, si nolueritis*. Præclara est *Ezechielis* capite octavo decimo alternantis illius sententiæ judiciique significatio, qua se Deus et obliturum pollicetur scelerum omnium quæ peccator admisit si semel resipuerit, et vicissim justi merita pro nihilo ducturum si ab instituta vitæ probitate desciscat. Tum ejusdem prophetæ capite tertio et tricesimo. *Jeremiæ* quoque septimo ac decimo octavo ; *Psalmo* item LXXXVIII. Idem et Ezechiæ regis[5], et Ninivitarum historia

a CYRILL. lib. I. *in Joan.* c. X. Τύποι γάρ εἰσί πως τῶν νοητῶν τὰ ἐμφανέστερα, καὶ χειραγωγεῖ πρὸς κατάληψιν τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς τὰ ἐν ἡμῖν.

1 Lib. XXII. *cont. Faust.* cap. XXII. — 2 *Rom.* IX, 18. — 3 *Jac.* I, 18. — 4 *Isa.* I, 19.— 5 *Isa.* XXXVIII.

testatur[1], necnon Achabi[2], atque id genus alia quibus referti sunt historici ac prophetici Scripturæ libri.

III. Persuadet hoc ipsum usus ac vis precationis ejusque commendatio crebris atque illustribus consignata testimoniis, quæ satis ostendunt non uniusmodi neque quadam necessitate defixum esse nutum voluntatis divinæ, sed liberum et utrinque momentis paribus inflecti. Quæ enim naturaliter ac necessario fiunt, qualia sunt quæ a poetis et stoicis fata dicuntur, ea nec averti precibus, nec impediri quominus præfinito tempore accidant, ratione ulla possunt. Est igitur divinæ libertatis index fidelium oratio, quæ in bonorum postulatione ac malorum deprecatione consistit. Utrumque autem ex Dei voluntate speratur.

Nec minus ad Dei libertatem astruendam valet illius liberalitas quam eædem Scripturæ illustribus præconiis exornant, dona item ac beneficia quæ *gratiæ* vocabulo censentur, quia gratuito et voluntarie, non necessitate tribuuntur. « Liberalitas enim, ait Seneca, quia a libero animo proficiscitur, ita nominata est[3]. » Et ut idem alibi : « Beneficium id est quod quis dedit cum illi liceret et non dare[4]. » Quod ibidem uberius probat. Sic doni essentiam in eo sitam esse, ut libere ac citra necessitatem res aliqua conferatur alio in loco demonstrabimus[5]. Aut igitur nulla in nos creatasque res omnes Dei dona sunt ac beneficia, nulla ejus liberalitas; aut faciendi vel non faciendi libertas et jus quoddam suum minime denegandum est. Simillimus et ille locus argumentandi est qui ex virtute, velut justitia, bonitate cæterisque petitur. Cujusmodi in Deo esse et quidem laude ac prædicatione dignissimas, pæne omnes Scripturæ, sacræ Litteræ loquuntur. Est autem nulla recte factorum laus, nisi libera ex voluntate prodeant.

Idem probatur ex ipsa Dei natura.

IV. Rursus ex divinitatis natura ipsa probare illud idem licet. Est enim Deus ratione præditus et intelligentia, imo summa ipsa ratio et sapientia, qualem nobis Scriptura Deum, imo sensus ipse communis informat, de quo primo hujus libri capite satis dixi. Atqui λογικὸν omne, id est, *rationale*, liberum est jurisque sui. « Quibus enim inest ratio, inest etiam volendi nolendique libertas[6], » ait Honorius Augustodunensis. Quod erudite non minus quam eleganter traditum est a Nemesio christiano philosopho, qui causam afferens cur homines liberi a natura facti sint, « Dicimus, inquit, cum ratione natura conjunctam esse liberam voluntatem, ac rebus factis congenitam esse mutationem et conversionem, præsertim iis quæ ex subjecta fiunt materia[a]. » Duo hic opportuna nostro sermoni Nemesius habet, tum universe liberum ac sui arbitrii esse quidquid *rationale* est, tum quod est creatum, eo genere libertatis instructum esse quod mutabile est et a bono in malum convertitur. Ex quibus prius, quod generale est, Deo, posterius angelis et hominibus, atque his præsertim, convenit. Hinc Augustinus ait, non « ideo quia Deus peccare non potest, liberum arbitrium habere negandum esse[7]. »

Nam quod rationem libertas voluntatis sequi dicitur, hoc ille philosophicis ex principiis affirmat sic. Quod enim *rationale* est, id partim in contemplatione, partim in actione situm est, quorum illud θεωρητικὸν, hoc πρακτικὸν vocant. Illius est rerum propria consideratio, hujus vero consultatio ac deliberatio, quæ agendi rectam rationem modumque præscribit[8]. Porro quisquis consultat, id eatenus facit quod in arbitrio suo habet eligendi potestatem, ut quod præferendum alteri judicarit, hoc potius eligat. Qui autem sic affectus est, actionum suarum dominus est. Ejusmodi vero, αὐτεξούσιος est, hoc est *liberi ac sui arbitrii*. Hæc Nemesius, ex quibus evidens fit, liberum esse Deum, quem quidem βουλευτικὸν ideo Scriptura sæpe repræsentat, id est *consilio utentem ac deliberantem*, ut in tertio *Regum* capite postremo, et *Isaiæ* sexto ac passim alibi.

Theoreticum... practicum.

V. Huc etiam attinet, quod nonnunquam Patres Dei filium, ac Verbum appellant βουλὴν, tametsi sæpe cum βουλήσει confundunt, sed interdum separatim utrumque ponunt, de quo postea.

Consilium. *Volitione.*

Quanquam Joannes Damascenus in Deo agnoscit quidem βούλησιν, id est, « *actum volendi*, non tamen electionem proprie sumptam,

a Nemes. cap. xli. Φαμὲν τοίνυν εὐθέως τῷ λογικῷ συνεισέρχεσθαι τὸ αὐτεξούσιον, καὶ τοῖς γενητοῖς συμπεφυκέναι μεταβολὴν, καὶ τροπὴν, μάλιστα τοῖς ἐξ ὑποκειμένης ὕλης γενομένοις.

1 *Jonæ*, iii. — 2. Lib. III. *Reg.* cap. xxi. — 3 Lib. *de Vita beata*, cap. xxiv. — 4 Lib. III. *de Benef.* cap. xix. — 5 Lib. VI. *de Trinit.* — 6 Lib. *de Præd. et lib. arbitr.* tom. IX. *Biblioth. Patrum.* — 7 Lib. XXII *de Civit. Dei*, cap. xxx. — 8 Vide quæ ex Alex. diximus.

quoniam Deus non consultat. Est enim ignorantiæ proprium consultare. Quod si ignorantiæ est consilium, erit etiam electio. Itaque Deus, qui simpliciter omnia novit, non consultat [a]. » Quod et in libro *de Duabus Christi voluntatibus* docet. Sed illa Damasceni loca sanctus Thomas explicat [1], et deliberationem fatetur proprie dictam in Deo non esse cujusmodi in nobis est cum inscitia et ignotæ rei inquisitione conjuncta. Inest tamen libera utriusvis electio. Ut exempli causa, « Potuit Judam suscitare uti Lazarum suscitavit, sed noluit [2], » ait Augustinus, quia « nullam necessitatem patitur, » ut idem scribit alio in loco, « neque necessitate facit quæ facit, sed summa et ineffabili voluntate ac potestate [3]. » Tum Epiphanius : « Deus, inquit, potens est ut quod vult faciat, verum facit illa quæ divinitati suæ congruunt [b]. »

Idem tamen eatenus necessitatem habere dicitur, « quod malum velle non potest, » ut ait Augustinus. Eamque vocat « beatam necessitatem, qua Deus injustus non potest esse [4]. » Est et alia necessitas divinæ voluntatis non antecedens sed consequens, quod sit ἄτρεπτος, hoc est semel fixa revocari non possit, ut Damascenus in libro *de Duabus voluntatibus* disserit [5]. « *Nam triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est ut agat pœnitentiam* [6]. » Nihil hoc tamen neque quidquam aliud obstat, quominus sit αὐτεξούσιος φύσει, id est, *natura liber ac juris potestatisque suæ*, ut inter alios Maximus *in Disputatione cum Pyrrho* scribit [7], ubi et νοερά, id est, *intelligentia prædita* omnia ait esse αὐτεξούσια. De hac libertate Dei et indifferentia voluntatis ejus plura dicemus alias.

Libertas.

Idem probatur e Dei operibus.

VI Præterea Dei ex operibus idipsum colligitur. Deus enim mundum hunc neque ex æterno creavit, et quando voluit condidit, neque plures uno, cum alios fabricare posset. Merito enim philosophos antiquos irridet Ambrosius qui « de creatore omnium dubitant, utrum plures cœlos facere potuerit [8], de quo scriptum est, *Dominus autem cœlos fecit* [9], et alibi : *Omnia quæcumque voluit fecit* [10]. Quid enim difficile ei cui velle fecisse est ? » Quibus verbis ac Scripturæ testimoniis illud efficere studet Ambrosius, multa Deum aliter ac fecit potuisse facere, atque ex pluribus certum aliquid voluntate sua delegisse. In quo tota libertatis ratio posita est.

Idem e Patribus.

Quamobrem jure alibi Filium ac Spiritum sanctum ostendit sui esse juris ac voluntatis adversus Arianos qui hoc negabant ne paris cum Deo majestatis esse confiterentur [11]. « Si possibile est, inquit, voluntatis interim liberæ Dominum fuisse doceamus. In tantum processistis impietatis, ut negetis quod Filius Dei liberæ voluntatis sit. Ac certe soletis etiam sancto Spiritui derogare, et negare non potestis scriptum esse : *Spiritus ubi vult aspirat* [12]. Ergo si Spiritus ubi vult spirat, Filius quod vult non agit. » Mox Apostolum laudatita scribentem : *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* [13]. Prout vult, inquit, hoc est pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. » Vides omnino liberæ voluntati oppositam esse necessitatem, et in eo consistere liberum voluntatis arbitrium, quod Deo tribuit Apostolus, ac post eum Ambrosius, ut spirare vel non spirare, hic aut illic facere istud queat prout voluntas feret. In quo τὸ ἀδιάφορον ac neutra parte definitum ac determinatum cernitur. Post eamdem, cui illud attribuit, etiam in Patre voluntatem esse demonstrat Ambrosius ex iis Christi verbis : *Pater quos vult vivificat, et Filius quos vult vivificat* [14].

Indifferens.

VII, Basilius vero, Homilia prima *in Hexaemeron*, veteres redarguit philosophos, qui mundum et ex æterno et necessario, ac non voluntate a Deo manasse crediderunt, « sicut a corpore umbra vel a luce splendor. Ac Deum quidem, ait, causam illius esse confitentur, sed causam sine voluntatis electione [c]. » Quem errorem dicit Mosem refutare voluisse

a Joan. Damasc. lib. II. cap. xxii. Χρὴ δὲ γνώσκειν, ὅτι ἐπὶ θεοῦ βούλησιν μὲν λέγομεν, προαίρεσιν δὲ κυρίως οὐ λέγομεν· οὐ γὰρ βουλεύεται θεός· ἀγνοίας γάρ ἐστι τὸ βουλεύεσθαι· εἰ δὲ βουλὴ ἀγνοίας, πάντως καὶ ἡ προαίρεσις· ὁ δὲ θεὸς πάντα εἰδὼς ἁπλῶς, οὐ βουλεύεται.

b Epiph. Hæres. lxx. num. 7. Δυνατὸς γάρ ἐστι ποιῶν ὃ βούλεται· ἀλλὰ πράττει ἅπερ αὐτοῦ πρέπει τῇ θεότητι.

c Basil. Καὶ καθότι πολλοὶ τῶν φαντασθέντων συνυπάρχειν ἐξ ἀϊδίου τῷ θεῷ τὸν κόσμον, οὐχὶ γεγενῆσθαι παρ' αὐτοῦ συνεχώρησαν· ἀλλ' οἱονεὶ ἀποσκίασμα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ὄντα αὐτομάτως παρυποστῆναι· καὶ αἴτιον μὲν αὐτοῦ ὁμολογοῦσι τὸν θεὸν, αἴτιον δὲ ἀπροαιρέτως, ὡς τῆς σκιᾶς τὸ σῶμα, καὶ τῆς λαμπηδόνος τὸ αὐγάζον.

1 S. Th. in 2. 2. qu. 14. art. 1. ad 2. — 2. Lib. *de Nat et grat.* cap. vii. — 3 Lib. *de Fide cont. Manich.* cap. xxviii. — 4 Lib. I. *cont. Jul. Oper. imperf.* — 5 Pag. 485. — 6 Lib. I. *Reg.* cap. xv, 29. — 7 Pag. 684. tom. VIII. *Annal.* Baron. — 8 Lib. II *Hexaem.* cap. ii. — 9 *Ps.* xcv, 15. — 10 *Ps.* cxiii, 13. — 11 Lib. II *de Fide*, cap. iii. — 12 *Joan.* iii, 8. — 13 I *Cor.* xii, 11. — 14 *Joan.* v, 21.

ac scripsisse : *In principio Deus fecit cœlum et terram*, ut hoc *faciendi* verbo demonstraret Deum tanquam *artificem* summa et vi et sapientia opus illud elaborasse ac perpolisse. Quæ vox *artis* et *artificis*, Dei in agendo libertatem maxime declarat. Nam nulla sine voluntaria electione ars, nullus artis usus esse potest, uti supra capite sexto docuimus.

Basilium Ambrosius imitatus ac de iisdem agens philosophis, « Quamvis, inquit, causam ejus Deum esse fateantur, causam tamen volunt non ex voluntate, et dispositione sua; sed ita ut causa umbræ corpus est [1]. » Quos ille convincens, Mosem ait scripsisse : « Fecit quasi bonus quod foret utile, quasi sapiens quod optimum judicabat, quasi omnipotens quod amplissimum prævidebat. » Igitur ex sapientia et judicio et præscientia Deus omnia fabricavit, adeoque, ut res ipsa docet et argumentatur Nemesius, libere non necessario. Proinde : « Ex ipso, pergit idem, principium et origo substantiæ universorum, id est, ex voluntate ejus et potestate. Omnia enim ex ejus voluntate cœperunt, quia unus Deus Pater ex quo omnia. Etenim tanquam ex suo fecit, quia unde voluit fecit. » Item : « Et quamdiu vult, omnia ejus virtute manent atque consistunt. In ipsum est finis eorum. Nam cuncta in Dei voluntatem recurrunt, et ejus arbitrio resolvuntur. » Sic Epiphanius : « Deus, inquit, Pater hominem et cætera omnia pro sua voluntate procreavit [a]. » Macarius homilia xv hominem « eo ipso dicit ad imaginem Dei esse factum, quod sit liber ac sui juris, quoniam ut Deus liberi est arbitrii et quod vult facit, etc., ita et tu liberi es arbitrii [b]. »

VIII. Bernardus in libro *de Gratia et libero arbitrio* postquam triplex genus libertatis distinxit, primum quod natura insitum est et vocat *liberum a necessitate, eo quod necessarium voluntario contrarium esse videatur :* secundum a peccato, tertium a miseria pœnaque peccati, quæ duo posteriora servituti opposita sunt ; subinde ita scribit : « Verum libertas a necessitate æque et indifferenter Deo universæque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ. Nec peccato nec miseria amittitur vel minuitur, nec major in justo est quam in peccatore, nec plenior in angelo quam in homine. »

Hæc Bernardus qui *æque et indifferenter* Deo et angelo vel homini liberum arbitrium inesse cum dicit, de genere ipso libertatis interpretandus est, quod per se non habet *potentiam peccandi et non peccandi,* ut ait Anselmus [2], qui animalis similitudine rem explicat, cujus *definitio secundum nomen omnibus animalibus est eadem.* Atque etiam liberum arbitrium inesse Deo et bonis angelis ait, tametsi peccare nequeant. Verum quod ad angelos spectat, certum est eos libertatem peccandi vel non peccandi habere *potentia non actu*, ut Bernardi verbis utar [3], qui Christum ait libertatem a miseria pœnisque peccati habuisse *potentia non actu.* Accuratior itaque est Nemesius qui, ut paulo antea notavimus, in solo Deo liberum arbitrium esse dicit ejusmodi quod ut a mutatione, sic a peccato est immune. Cui et Damascenus accedit in libro *de Duabus Christi voluntatibus*, ubi *divinam naturam voluntate præditam arbitrioque esse libero* tradit [c], sed quod in peccatum converti nequeat, cætera vero etsi sine peccatoa Deo facta sint, tamen posse mutari.

IX. De utroque genere liberi arbitrii in eamdem fere sententiam disputat Petrus Abælardus, qui nonnullos ait « liberum arbitrium his tantum concedere quæ et bene facere, et male possunt [4]. » Quorum opinionem secutum ait Hieronymum in homilia *de Filio prodigo* ubi sic ait : « Solus Deus est in quo peccatum non cadit, cætera cum sint liberi arbitrii, in utrumque possunt suam deflectere voluntatem. » Sed ejusmodi arbitrium in Deo beatisque non inesse dicit. Itaque generalem hanc affert definitionem liberi arbitrii ut sit « cum quilibet quod ex ratione decreverit, voluntarie ac sine coactione adimplere valebit. Quæ quidem libertas arbitrii tam Deo quam hominibus æque indubitanter inest. » Cujus ita causam disserit : « Quamvis enim peccare nequeant, aut a bono quod faciunt, minime se retrahere queant, quia non oportet, non ideo tamen id alicujus coactionis necessitate agunt, quod utique si non vellent, nequaquam facere cogerentur. »

a Epiph. hær. xxiii. num. 5. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ὁ πατὴρ ἐποίησε τὸν ἄνθρωπον, καὶ πάντα κατὰ τὴν ἰδίαν εὐδοκίαν.

b Macar. Σὺ δὲ διὰ τοῦτο εἶ κατ' εἰκόνα, καὶ ὁμοίωσιν Θεοῦ, ἐπειδὴ ὥσπερ ὁ Θεὸς αὐτεξούσιός ἐστι, καὶ ὃ θέλει ποιεῖ, etc οὕτω καὶ σὺ αὐτεξούσιος εἶ.

c Dam. Ἡ μὲν οὖν θεία φύσις θελητική, καὶ αὐτεξούσιος, καὶ ἀναμάρτητος, καὶ ἄτρεπτος.

1 Lib. I *Hexaem.* cap. v. — 2 Lib. *de Lib. arb.* — 3 Lib. *de Grat. et lib. arb.* — 4 Lib. III. *Introd.* cap. vii.

Hic liberum ei soli quod coactum est videtur opponere. Ideo tam Deum quam beatos omnes libere hoc bonum quod faciunt agere putat, quia non coguntur. Sed de ejus opinione dicam alibi opportunius. Interim hoc ex ipsis illius verbis asserimus, ad libertatem etiam in Deo constituendam non sufficere hoc quod a nullo cogatur, nisi cogendi vocem latius extendamus, ut hoc etiam quod etsi non invite, tamen necessitate fit, contineat. Id enim definitio ipsa quam posuit, arbitrii liberi demonstrat. Nam nihil ratione decerni dicitur, nisi quod in potestate est nostra facere vel omittere. Alioquin ubi uno aliquo certoque genere definita est voluntas, neque deliberandi neque decernendi locus est.

Deus nulla necessitate implicatus.

Quocirca divina voluntas sic in bonum necessario fertur, ut ad id minime coacta et invita rapiatur, neque tamen bonum omne quod facit, facit necessario ut non aliter facere potuerit. Etenim ex bonis pluribus libere quod vult eligit, hoc est neque coactu, neque necessitate aliqua. At homines plerumque voluntate quidem ac libere, sed tamen coacti, boni aliquid suscipiunt, ut dum metu supplicii a malefactis coercentur. Quod genus actionum

Non spontaneum.

philosophi vocant ἀκούσιον. Ut cum naufragii metu merces ejiciunt in mare. Id enim absolute voluntarium est quia necessario non fit, potestque non fieri. Fit tamen a coactis et invitis, et idcirco minime voluntarium dicitur. De quo Aristoteles in *Ethicis*[1], et Nemesius erudite imprimis et eleganter in tricesimo capite.

Hinc apparet libertati arbitrii magis opponi necessarium quam coactum, quoniam hoc cum illa potest consistere, illud autem non potest. Ac plerumque veteres voluntatis et voluntarii nomina sic usurpant, ut iis opponant id quod est violentum et coactum, quod etiam necessarium appellant, ac sic illud ex-

Spontaneum et non spontaneum.

primant quod Græci dicunt τὸ ἑκούσιον et ἀκούσιον, quamvis ut prius semper, sic posterius sæpe liberum sit: de quo genere violenti et coacti ex instituto alibi disputabimus.

X. Insignis est Hieronymi locus qui huc spectat, in *epistolam ad Philemonem*[2] et ad illa verba: *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut non quasi ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Sic igitur Hieronymi commentarius: « Hoc quod a plerisque quæritur et sæpissime retractatur, quare Deus hominem faciens, non eum bonum rectumque condiderit, de præsenti loco solvi potest. Si enim Deus voluntarie et ex necessitate bonus est, debuit hominem faciens, ad suam imaginem et similitudinem facere, hoc est, ut ipse voluntarie et non ex necessitate bonus esset. Qui autem asserunt ita eum debuisse fieri ut malum recipere non posset, hoc dicunt, talis debuit fieri qui necessitate bonus esset et non voluntate. Quod si talis fuisset qui bonum non voluntate sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est quia vult, non quia cogitur. » Hæc Hieronymus. In quibus mirabitur aliquis, Deum ab illo dici bonum esse quia vult. Nam quod addit, *non quia cogitur,* id est verissimum. Sed illi priori complures antiqui reclamant, qui Deum neque voluntate neque coactu bonum esse censent, sed natura, ut alio loco significabimus[3]. Verum sic interpretandus est Hieronymus, ut Deum sponte ac libere quod bonum est facere dicat. In quo libertate sua utitur, quatenus hoc potius quam illud bonum eligit, tametsi nonnisi bonum optare potest, quemadmodum libere oculo ad videndum utitur animus noster, non sic ut quodcumque cernere possit, neque enim sonum aut saporem videre potest, sed ut circa illa tantum quæ sensui isti naturaliter subjecta sunt, libere versetur, atque hunc vel illum colorem aspiciat, vel nihil aspiciat omnino. Ita Deus quam circa creatas res libertatem voluntatis exercet, vel ab omni actione potest suspendere, vel hoc aut isto modo agere, etsi utcumque se gerat, nonnisi bonum potest agere, quod neque vi neque voluntate, hoc est libera illa potestate, sed natura convenit. Quod sensu etiam illud Bernardi debet accipi in libro *de Gratia et libero arbitrio*: « Sicut cœlestis angelus, aut etiam Deus ipse permanet libere bonus propria videlicet voluntate, non aliqua extrinseca necessitate, sic profecto diabolus æque libere in malum et corruit et persistit, suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu. » De qua quæstione plenius ac disertius illo in loco disputabitur, ubi hoc tractabimus, ecquid Filius volente Patre generetur. Ex quo argumentum aliud existit, quocirca creatas res libere agere Deum ostenditur, quod ita Patres asserunt, hoc inter divinas processiones et creationem interesse, quod illæ necessario fiant non libere, hæc autem libere prorsus sic ut minime fieri potuerit.

XI. Hanc in mundo fabricando necessitatis

1 Lib. III *Ethic.* cap. VII. — 2 Ad cap. I. ver. 14. — 3 Lib. II *de Trinit.* cap. V. et lib. IV. cap. XII.

expertem libertatem pulchre Zacharias Mitylenæus affirmat : « Non enim, inquit, necessitate fabricatur libera illa beataque natura[a]. » Et antea objicienti quo cum disputat Ammonio, mundum ex æterno constare oportere neque finem ullum habere, ne aut bonus artifex a bono opere vacationem habuisse, aut ab eodem desiturus aliquando videatur, occurrit Socratem ac Platonem optimos viros neque ex æterno fuisse et esse suo tempore desiisse. « Proinde cum hæc ita se habeant, quomodo non bonus est et ille universitatis hujus opifex, tametsi quando ei libitum est architectatur, dissolvens et commutans prout ipsi visum est et ut soli ipsi placet[b] ? »

Huic divinæ in agendo libertati obsistere videtur illud quod Dionysius in libro *de Divinis nominibus* tradidit : « Quemadmodum noster ille sol neque intelligentia utens neque electione, sed eo ipso quod est, illustrat omnia quæ ipsius lumen secundem rationem propriam participare possunt ; sic etiam summum illud bonum, ac sole ipso tanquam obscura ejus imagine præstantius archetypum, in ea omnia quæ sunt, pro portione radios universæ bonitatis effundit[c]. »

Sed Maximus in *Scholiis* eatenus valere similitudinem solis ostendit, quod ut iste adventitium lumen non habet sed ingenitum et naturale, ita Deus non accidentem et adscititiam bonitatem obtinet, sed insitam et nativam, imo ipsa est bonitas, uti sol lux est ipsa quodammodo. Aliter sanctus Thomas respondet[1], comparationem amborum eo solo constare, quod ut sol nullo delectu bonis ac malis ac rebus omnibus lucem suam impertit, ita Deus promiscue in creatas res omnes bonitatem diffundit suam.

XII. Verum ad libertatis divinæ ac voluntatis usum illustrandum magis et explicandum, transitum nobis faciet Junilii Africani episcopi insignis quidam locus ex primo libro *de Partibus divinæ legis*[2], ubi in arcem ipsam præcipuæ quæstionis involans, in ipsam inquirit « divinitatis efficientiam sive operationem, quam Græci ἐνέργειαν nuncupant, » sciscitantique « num in Deo hæc essentia sint an voluntates, quæ ex bonitate aut sapientia facere dicitur, » ita respondet : « Deus simplex est, nec est in eo aliud essentia quam voluntas. Unde et omnia nomina operationis ejus, licet inter se definitionibus differant, apud ipsum tamen nulla differentia vel diversitas invenitur. Itaque et essentia vel natura facit, quia ei nihil accidens est, et tamen etiam voluntate, quia nihil necessitate efficit aut coactus. Non enim sicut ignis naturali necessitate urit, aut apes naturali necessitate fabricant ceras vel telas araneæ, ita etiam Deus operatur. Sed Deus ideo natura vel essentia facere dicitur, ne voluntas in eo quasi aliud aliquid demonstretur. Et ideo voluntate, quia nihil operari compellitur, sed essentialiter vult et voluntate subsistit. »

Voluntas Dei ab ejus substantia non differt.

Hoc igitur ante omnia de Dei voluntate sentiendum est, neque facultatem ipsam neque actionem, quod utrumque voluntatis nomine continetur, ab ipsa Dei differre substantia. Est enim actio liberæ voluntatis suapte natura manens in eo a quo proficiscitur. Quare cum nihil aut accidat aut adhæreat substantiæ Dei, sed omne id quod inest Deo sit Deus, etiam illa quæ dicitur actio voluntatis, Deus est et eadem æternitate censetur. Alioqui « simplex non erit sed compositus, et ex duobus conflatus. Est autem simplex Deus natura sua, nihilque est in eo compositum[d], » ut loquitur Cyrillus in *Thesauris*. Qui quidem in dialogo quinto nominatim voluntatem, id est volendi actionem ipsam, non aliud esse confirmat quam Dei substantiam adversus Arianos disputans, qui Filium non paternæ substantiæ sed voluntatis imaginem et similitudinem esse dicebant. Sed Cyrillus eodem illos divinæ simplicitatis argumento refellit, quia non est a Dei substantia et existentia diversa voluntas, ne non simplex habeatur « sed compositus ex partibus in unum aliquid integrum simul

a Zachar. p. 340. tom. I. Biblioth. Patrum Græco-Lat. Οὐ γὰρ ἀνάγκῃ δημιουργεῖ ἡ ἐλευθέρα καὶ μακαρία φύσις.

b Zachar. p. 335. Τούτων οὕτως ἐχόντων, πῶς οὐκ ἀγαθὸς καὶ τόδε τὸ πᾶν δημιουργῶν, κἂν ὅτε βούληται δημιουργῇ, καὶ λύων, καὶ μετασκευάζων, ὅπῃ αὐτῷ δοκεῖ, καὶ ὡς ἂν αὐτῷ παρασταίη μόνῳ;

c Dionys. cap. iv. Ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος οὐ λογιζόμενοςι, ἢ προαιρούμενος, ἀλλ' αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα τὰ μετέχειν τοῦ φωτὸς αὐτοῦ κατὰ τὸν οἰκεῖον δυνάμενα λόγον· οὕτω δὴ καὶ τἀγαθὸν ὑπὲρ ἥλιον, ὡς ὑπὲρ ἀμυδρὰν εἰκόνα τὸ ἐξῃρημένως ἀρχέτυπον, αὐτῇ τῇ ὑπάρξει πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀναλόγως ἐφίησι τὰς τῆς ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας.

d Cyril. lib. XIX *Thesaur.* p. 189. Ἁπλοῦς οὐκ ἂν εἴη, σύνθετος δὲ μᾶλλον, καὶ ἐκ δύο συγκείμενος· ἔστι δὲ ἁπλοῦς κατὰ φύσιν ὁ θεὸς, καὶ οὐδὲν ἐν αὐτῷ σύνθετον.

1 Pr. par. qu. 19. art. 4. ad. 1. — 2 Cap. xix.

concurrentibus. Quamobrem quia simplex est Deus et omni compositione præstantior, non est ab ipso diversa voluntatis ejus actio[a]. »

XIII. Porro ex æterno fuisse voluntatis in Deo actionem istam etiam qua res in tempore creare constituit, docet Zacharias Mitylenæus, eique quæstioni quam in scholis commovere solent, et quæ difficillima judicio habetur omnium, quasi aliud agens occurrit. Nam vulgo sic dubitant, si est voluntatis actio libera Dei idem quod substantia ejus et essentia, duorum esse consequens unum. Aut enim necessario existere ac produci quæ Dei voluntate procreantur, quoniam tam non potuit non esse illa Dei actio quam ipsius substantia, aut si non esse potuit res actione ista producta, aliquid potuisse non esse quod est Dei substantia. Utrumque autem non est falsum modo, sed etiam impium dictu.

At Zacharias non sic omnino argumentum informat suum, sed propemodum ita. Nam objicientem introducit Ammonium : « Si non ex æterno creatæ res extiterint sed certo tempore a Deo creatæ sint, id ex eo factum esse quod creandi voluntatem nondum habuit Deus, sed postea suscepit[b]. » Quare mutationis nonnihil videtur in eum cadere. Sed ea nos argumentatio minime conturbat, qui neque actionem ullam ex earum quæ in agente manent genere, neque rem alteram advenire Deo putamus posse, sed quidquid inesse illi cogitamus ab ejus natura sola ratione diversum, id ex omni æternitate fuisse. De quo vide quæ et in primo libro capite septimo, et in secundo libro capite præsertim octavo latius explicavimus. Ad id porro quod nobis opposuimus, videri aliquid in Deo non esse potuisse quod est modo, nimirum liberam illam voluntatis electionem qua mundum, aut angelos creare constituit, unum illud cum Zacharia præscribimus : « Hoc quidem quod nos dicimus consilium capere; cum de hominibus dicitur, conversionem aliquam et mutationem intelligentiæ nostræ subjicere. At vero in Deo consultare non itidem esse ut in homine, quoniam homo non est Deus. Consentanee itaque naturis de quibus agitur, illud quod consultare dicimus intelligendum est[c]. » Hæc Zacharias, quæ de actione libera divinæ voluntatis perinde usurpari possunt. Non enim accidens aliquod est quod divinam substantiam afficiat, sed ipsamet substantia res creatas et libere productas vi sua proferens et inducens, quas sine ulla sui mutatione supprimere adeoque non velle potuit.

XIV. Quod pluribus exponit sanctus Thomas in primo *contra Gentiles* [1], ubi inter alia : « Voluntas, ait, Dei uno et eodem actu vult se et alia. Sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis, habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessaria et naturalis, neque violenta aut innaturalis, sed voluntaria. Quod autem voluntarium est, neque naturale neque violentum neque necesse est esse. » Insignis est hic locus, ex quo primum illud discimus, ei quod voluntarium est, non solum opponi id quod est violentum, sed etiam necessarium et naturale. Quod adversus recentem opinionem de libertate voluntatis superioribus confutatam capitibus observari debet. Deinde liberam divinæ voluntatis actionem qua creatas res respicit, non differre ab necessaria qua seipsum vult et amat, nisi habitudine quadam et convenientia qua causa cum re a se effecta congruit, tanquam termino quodam in quem libera Dei actio dirigitur. Hæc ille latius aliis in capitibus ejusdem libri, quæ variis modis loquendique formulis et cautionibus ab scholasticis disseruntur, quos consulere cuique integrum est. Non enim spinas istas et dumeta peragramus, quorum præter ista quæ hoc capite et libris antecedentibus[2] adduxi cum de simplicitate et immutabilitate Dei agerem, nullum apud Patres antiquos vestigium apparet.

Postremo ad ea quæ de libero Dei arbitrio ex christianis theologis tradita sunt, illud adjiciam : Plotinum gentilem licet philosophum intellexisse tum in agendo liberæ voluntatis

a CYRIL. dial. 5. p. 554. B. Καὶ πῶς ἂν εἴη τὸ θεῖον ἁπλοῦν, εἰ καὶ ἐν ὑπάρξει νοοῖτο, φησὶ, καὶ ἐν θελήσει διορισμοῖς; σύνθετον γὰρ ἤδη, καὶ οἱονεί πως ἐκ μερῶν εἰς ἓν τὸ ἀρτίως ἔχον συνδεδραμηκότων. Α. Οὐκοῦν ἐπειδή περ ἁπλοῦν τὸ θεῖον, καὶ ἄμεινον ἢ κατὰ σύνθεσιν εἶναί σοι δοκεῖ· δοκεῖ δὲ ὀρθῶς· οὐχ ἑτέρα παρ' αὐτὸ εἴη ἂν ἡ βούλησις αὐτοῦ.

b ZACHAR. p. 356. Εἰ μὴ συναΐδια τῷ θεῷ τὰ ὄντα φήσομεν, ὁ θεὸς ἄρα οὐκ ἠβουλήθη ὑποστῆσαι τὰ ὄντα, καὶ ἦν ὅτε τὴν περὶ τῶν ὄντων βούλησιν οὐκ εἶχε.

c ZACHAR. Ἔπειτα δὲ τὸ βουλεύεσθαι ἐπὶ μὲν ἀνθρώπων λεγόμενον, τροπήν τε, καὶ τὸ μεταβουλεύεσθαι παρέχει νοεῖν· ἐπὶ δὲ θεοῦ τὸ βουλεύεσθαι οὐκ ἀνθρώπων· ἐπειδὴ μὴ ἄνθρωπος ὁ θεός· καταλλήλως οὖν ταῖς ὑποκειμέναις φύσεσι τὸ βουλεύεσθαι νοητέον.

1 Cap. LXXXII. et seq. — 2 Vide cap. II. libri antecedentis.

Deum esse, tum istam ipsam actionem ab ejus non differre substantia. Nam αὐτεξούσιον, hoc est liberi esse arbitrii docet in libro octavo enneadis sextæ capite septimo, actionem vero, id est ἐνέργειαν, ipsammet illius οὐσίαν esse, non solum ibidem, sed in sequentibus etiam ostendit, uti nos superiore libro demonstravimus [1].

Substantiam.

Variæ voluntatis divinæ divisiones.

XV. Superest ad terminandam hanc de Dei voluntate quæstionem, nonnullas ejus divisiones attingere quas sancti Patres usurpare solent. E quibus memoranda est imprimis illa quam Chrysostomus et ex eo Joannes Damascenus adhibent, in voluntatem *primam* et *secundam*, quam nostri *antecedentem* et *consequentem* appellant. Voluntas prima est qua Deus ex sese vult aliquid sine ulla consideratione circumstantium rerum, ut cum velle dicitur *omnes homines salvos fieri* [2]. Secunda, sive consequens voluntas est qua ex certis circumstantiis vult aliquid quod alioqui nollet, ut cum aliquos damnari vult. De utraque notari debent verba Chrysostomi ex homilia prima in *epistolam ad Ephesios*, ubi hunc locum enarrat, *secundum beneplacitum voluntatis ipsius*. Ad hæc enim ita in commentario scribit: « Ubique enim beneplacitum est voluntas antecedens. Nam est alia voluntas. Velut voluntas prima est, ut ne qui peccaverunt pereant. Voluntas secunda, ut qui mali sunt facti pereant. Non enim illos necessitate impulsus pœnis afficit, sed ex voluntate sua. Ejusmodi aliquid et in Paulo videmus, ut cum dicit: *Volo omnes homines esse sicut et meinsum*. Et rursus: *Volo adolescentiores nubere, filios procreare*. Beneplacitum ergo primam voluntatem nominat, nempe vehementem voluntatem, voluntatem cum cupiditate conjunctam, quæ et firma animi persuasio dicitur [a]. » Idem etiam Chrysostomus Homilia tertia in *epistolam ad Romanos* pœnas et molestias quas infert Deus non esse τῆς προηγουμένης τοῦ Θεοῦ γνώμης ait, hoc est *principalis Dei voluntatis*.

Antecedens et consequens.

Hunc Damascenus imitatus: « Sciendum est, ait, Deum præcipua et antecedente voluntate velle omnes salvari, et regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret condidit, sed ut participes simus ipsius bonitatis, tanquam bonus. Peccantes porro puniri vult tanquam justus. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, quod ex ipso est. Secunda autem, consequens voluntas et permissio ex nostra causa ortum habens, eaque duplex, altera dispensatione quadam facta et ad salutem erudiens, altera cum desperatione conjuncta ad absolutam pœnam pertinens. Atque hæc in illis accidunt quæ in nostra potestate sita non sunt. Eorum autem quæ in nobis sita sunt, bona quidem primario vult Deus ac secundum beneplacitum, mala autem quæ revera mala sunt, neque primario neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit [b]. » Ad eamdem distinctionem voluntatis divinæ pertinet quod Cyrillus Alexandrinus in primo *de Adoratione in spiritu* [3], Deum ait nolle id quod non est in virtute perfectum, cæterum pro sua benignitate et indulgentia eos quoque salvos velle qui minus perfecte vivunt.

XVI. Anselmus vero, in libro *de Voluntate Dei*, voluntatem pro ipso effecto voluntatis accipit et quadrifariam dividit, ut sit prima voluntas ipsa Dei præscientia, quod sic intelligendum puto, ut generaliter id omne complectatur quod quoquomodo est, quia nihil est nisi Deo volente, hoc est vel reipsa producente vel permittente. Secundo pro eo capitur quod Deus inspirat sanctis ut velint, cujusmodi illud est quod Apostolus ait, *vult omnes salvos fieri* [4]. Tertio id voluntas Dei dicitur, quod humanæ rationi indidit, quod est lex ipsa naturæ nobis insita. Postremo sunt præcepta ipsa Dei.

a Chrysost. Πανταχοῦ γὰρ εὐδοκία τὸ θέλημά ἐστι τὸ προηγούμενον· ἔστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα, οἷον θέλημα πρῶτον, τὸ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτηκότας· θέλημα δεύτερον τὸ γενομένους κακοὺς ἀπολέσθαι· οὐ γὰρ δὴ ἀνάγκῃ αὐτοὺς κολάζει· ἀλλὰ θέλημα (for. κατὰ τὸ θέλημα) τοιοῦτον καὶ ἐπὶ Παύλου ἔστιν ἰδεῖν, οἷον ὡς ὅταν λέγῃ. Θέλω πάντας ἀνθρώπους εἶναι, ὡς καὶ ἐμαυτόν· καὶ πάλιν, θέλω νεωτέρας γαμεῖν, τεκνογονεῖν· εὐδοκίαν οὖν τὸ πρῶτον θέλημά φησι, τὸ σφοδρὸν θέλημα, τὸ μετὰ ἐπιθυμίας θέλημα, τὸ πεῖσμα.

b Damasc. lib. I. cap. xxix. Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν· οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μετασχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ ὡς ἀγαθός· ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος· λέγεται οὖν τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν· τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις ἐξ ἡμετέρας αἰτίας, καὶ αὕτη διττή, ἡ μὲν οἰκονομικὴ, καὶ παιδευτικὴ πρὸς σωτηρίαν, ἡ δὲ ἀπογνωστικὴ πρὸς τελείαν κόλασιν· ταῦτα δὲ ἐπὶ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν· τῶν δὲ ἐφ' ἡμῖν τὰ μὲν ἀγαθὰ προηγουμένως θέλει, καὶ εὐδοκεῖ, τὰ δὲ πονηρὰ, καὶ ὄντως κακὰ, οὔτε προηγουμένως, οὔτε ἑπομένως θέλει, παραχωρεῖ δὲ τῷ αὐτεξουσίῳ.

1 Cap, ii. — 2 I. *Tim.* ii, 4. — 3 Cyril. lib. I. *de Ador.* pag. 30. — 4 I. *Tim.* ii, 4.

Rursus alio modo distribuit, ut sit alia voluntas efficiens qua « facit quidquid vult, alia approbans qua vult omnes salvos fieri, quoniam nullum prohibet quantum ad se salvum fieri, imo si quis ad hoc laborat, approbat : alia concedens qua concedit ut fiat aliquid, veluti ut homo qui melius non proposuit, uxorem ducat : alia denique permittens qua permittit aliquid fieri etsi displiceat quandoque. » Hoc modo voluntas ipsa jam Dei, non ut antea res in quam fertur et a voluntate facta, dividitur. Videndus Tertullianus in libro *de Exhortatione castitatis*, capite secundo et tertio, ubi fuse de utraque voluntate agit.

Ad extremum vulgata est illa voluntatis divinæ partitio quæ ex Hugone Victorino[1] et Petro Lombardo deducitur[2]. Primum enim voluntas est actio ipsa Dei interior, *quæ idem est cum Deo* et ipsius essentia, quæ *et beneplacitum Dei ac dispositio* dicitur. Aliquando *vero secundum quamdam figuram dicendi voluntas Dei vocatur,* quia signum est divinæ voluntatis « ut signa iræ appellantur ira, ita signa dilectionis dilectio. Et dicitur iratus Deus, et ira in eo non est, sed signum tantum quod foris fit, quo Deus iratus ostenditur » ait Hugo. Ac sunt quinque voluntatis istiusmodi ab Lombardo distinctius positi, *præceptio*, *prohibitio, consilium, permissio, operatio.* Huc illa spectat communis apud scholæ theologos divinæ voluntatis divisio in *voluntatem beneplaciti* quæ est interior ipsa Dei actio qua vult quippiam, et *voluntatem signi* qua externo aliquo indicio se aliquid velle demonstrat. Harum prior nunquam non expletur, ut ambo illi theologi cæterique docent, posterior vero non semper, quia sæpe Deus aliud postremo fieri vult quam quod extrinsecus ostendit, etsi ad illud ipsum quod præcipit exequendum navare operam suam, itidem ut significatum est, hominem velit. Ut cum Abrahamo præcepit filium ut suum mactaret. Id enim jussit quod utique reipsa nolebat fieri. Sed quæ suarum erant partium, Abrahamum præstare voluit. Quemadmodum vero Deus mala velit, ac de eo genere voluntatis quod permissio dicitur, de quo ambo illi ibidem disserunt, alias videbitur.

oluntas neplaciti voluntas signi.

CAPUT V.

De omnipotentia Dei. Varia ejus nominis interpretatio. Quinam Deo illam detraxerint. Guillemi Parisiensis falsa opinio refellitur. Eadem omnipotentia ex Scripturis et argumentatione colligitur. Quæ sint illius vestigia et effecta : quod ex nihilo, id est nulla antecedente materia res parvas et magnas crearit, quodque eadem pari facilitate conservet.

Quid sit Dei omnipotentia.

I. Quæ superioribus libris duobus expositæ sunt proprietates Dei, eæ fere sunt absolutæ, ac sine ulla ad res creatas habitudine spectantur. Reliquæ modo sunt illæ quæ eatenus in Deum conveniunt quod extra se agit aliquid, et in res a se conditas efficientiam aliquam virtutemque derivat. Inter quas prima ordine procedat *omnipotentia.* Quæ vox apud Latinos simplex, notione multiplex, utroque apud Græcos genere distinguitur. Nam omnipotentem nos tam ex eo quod omnia facere potest, quam quod in omnia potestatem ac dominatum exercet, appellare solemus. Græci priore sensu, παντοδύναμον, posteriore παντοκράτορα nominant.

Quid sit παντοκράτωρ et cur in symbolo ponatur aperit Cyrillus Hierosolymitanus catechesi octava ubi propter ethnicos ac Judæos id esse factum putat, qui aut Deum mundi esse animam opinati sunt, aut nisi ita sentirent, illius potestatem ac providentiam cœlestibus circumscripsere spatiis. Atqui παντοκράτωρ, inquit, *ille dicitur qui omnibus dominatur et in omnia potestatem habet*[a]. Igitur παντοκράτωρ διὰ τὰ κρατούμενα, id est *propter illa quæ potestati ac ditioni subjecta sunt*, appellatur, ait Origenes apud Methodium[3]; Dionysius vero capite octavo et decimo libri *de Divinis nominibus* de utroque disserit, et ex eo Euthymius *in Panoplia* titulo tertio partis primæ, ac παντοδύναμον *a vi* et *virtute* dici asserit, quam in universa transfundit, παντοκράτορα autem quod vel omnibus dominetur, vel omnia in seipso contineat et conservat. Sic etiam Joannes Damascenus[4] Deum παντοδύναμον et παντοκράτορα vocat.

II. Hinc Origenes in primo *Periarchon*[5] inde probabat ab æterno creatas res omnes

a Cyril. Hieros. Παντοκράτωρ ἐστὶν ὁ πάντων κρατῶν, ὁ πάντων ἐξουσιάζων.

1 Tract. I. *Sum. sent.* cap. XIII. — 2 Lib. I. dist. 45. — 3 Phot. cod. 235. — 4 Dam. lib I. cap. II. — 5 Cap. III et Method. loco cit.

extitisse, quia si quis sæcula nescio quæ diceret exstitisse in quibus nondum erant, παντοκράτωρ Deus esse non posset.

Ita Theophilus Antiochenus in primo *ad Autolycum* diserte ad eumdem sensum : « Omnipotens, inquit, dicitur, quod omnia continet et amplectitur. Nam et alta cœlorum et profunda voraginum et fines orbis terrarum in manu ejus sunt, nec est locus ullus in quo requiescat [a]. » Et Gregorius Nyssenus : Omnipotentis, ait, vocabulum si quis accuratius expendat, invenietur nihil aliud significare in divina virtute quam habitudinem quamdam ad aliud efficientiæ illius, qua res creatæ continentur [b]. » Ut enim medicus non esset nisi ægrotorum gratia, neque misericors et id genus alia vocaretur nisi propter eum qui misericordia opus habet, « ita nec omnipotens nisi creatura universa continente et in natura sua conservante ipsam indigeret. » Eodem itaque modo παντοκράτωρ dicitur, quo παντοκράτωρ ab Apostolo, id est, *munditenens potestas* [1], ut Tertullianus interpretatur [2]. Atque ita παντοκράτορα *omnipotentem* reddit Augustinus [3].

Ex Latinis vero Ruffinus in symbolum *omnipotentis* nomen enarrans, dici ex eo scribit *quod omnium teneat potentatum.* Faustinus in fine capitis quinti contra Arianos, *quod possit omnia continere quæ facta sunt.* Continet autem vel imperio, vel conservandi fovendique vi, ut ex Dionysio paulo antea significavi.

Alii communi ac trita nominis potestate omnipotentem intelligunt qui potest omnia. Ut Lucifer Calaritanus in libro quem inscripsit « moriendum esse pro Dei filio. Quia Deus sit totum potens, Filius omnipotentis. » Et Augustinus in quarto *de Trinitate :* « Quis est autem omnipotens, nisi qui omnia potest [4] ? » Et in *Enchiridio ad Laurentium*, capite XCVI et Sermone LXXII ac CXIX *de Tempore*, Ambrosius libro II *de Fide,* cap. III., Fulgentius libro *de Fide ad Petrum* capite I, Boetius in tertio *de Consolatione*, prosa XII : « Qui vero, inquit, est omnipotens, nihil est quod ille non possit, » ac cæteri passim. Utramque notionem colligit Rhabanus Maurus in primo *de Universo,* capite I. Orosius *in Apologia* : « Itaque universos homines arbitror vel qui excellenti fide et sapientia præditi sunt, vel qui se aliter habent, hoc quod Deus omnia potest venerari, credere, confiteri. Ideo enim generaliter ab universa creatura dicitur omnipotens, quia omnia potest. » Sane Clemens Alexandrinus Dei hanc notionem apud gentiles communem fuisse scribit [5], τοῦ παντοκράτορος καὶ ἀϊδίου, *omnipotentis et æterni.*

III. Et ambæ quidem ex æquo sic Deo congruunt, nulla ut divinitatis si alterutra desit, adumbrari cognitio possit. Nam et « Dei hoc est, omnia illius esse et omnia ad illum pertinere [6], » ut ait Tertullianus. Et « non posse quod Deo non licet [7], » ut idem scribit. « Non enim vere Deus est qui quod vult non potest [8], » ut recte Guitmundus Aversanus prodidit. Et « non alia ratione credendus est, » inquit Tertullianus in libro *de Resurrectione carnis*, capite XI, « quam ut omnia posse credatur. » Quamobrem non tam ratione vel fide, quam naturæ luce instinctuque ei assentimur quod apud Plutarchum vere Callimachus tradidit [c] : « Si Deum nosti, scito illum posse omnia facere.» Ac Tertullianus[9] in primo *contra Marcionem* etiam idololatras verum ac Mosaicum Deum nosse inde probat, quod cum *noverint quem omnia posse testantur*. Et Augustinus [10] : « Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum, sed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest. » Itaque aut nemo hoc negat, ut etiam Petrus Damiani scribit [11], aut « qui hoc negat, nihil illo stultius est, » quod Arnobius in disputatione contra Serapionem affirmat. Nam « longe est ab opinione quam de Deo habemus, aliquid ei impossibile esse [d] » ait Gregorius Nyssenus.

a Theoph. Παντοκράτωρ δὲ, ὅτι αὐτὸς τὰ πάντα κρατεῖ, καὶ ἐμπεριέχει· τὰ γὰρ ὕψη τῶν οὐρανῶν, καὶ τὰ βάθη τῶν ἀβύσσων, καὶ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἐστί· καὶ οὐκ ἔστι τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ.

b Greg. Nyss. lib. I. *cont. Eunom.* p. 39. Τὸ τοίνυν τοῦ παντοκράτορος ὄνομα τοῖς ἀκριβῶς ἐξετάζουσιν εὑρίσκεται μὴ ἄλλο τι σημαῖνον ἐπὶ τῆς θείας δυνάμεως, ἢ τὸ πρός τί πως ἔχειν τὴν κρατητικὴν τῶν ἐν τῇ κτίσει θεωρουμένων ἐνέργειαν, etc., οὕτως οὐδὲ παντοκράτωρ, εἰ μὴ πᾶσα ἡ κτίσις τοῦ περικρατοῦντος αὐτὴν, καὶ ἐν τῷ εἶναι συντηροῦντος ἐδέετο.

c Plut. lib. I. *de Plac. phil.* c. VII. Εἰ θεὸν οἶσθα, ἴσθι ὅτι καὶ δαίμονι ῥέξαι πᾶν δυνατόν.

d Greg. Nyss. lib. *Catec.* p. 478. Πόῤῥω τῆς τοῦ θεοῦ ὑπολήψεως τὸ ἀδύνατον.

1 *Eph.* VI, 8. — 2 Lib. *de Fuga in persecut.* cap. XII. — 3 In lib. VII *Conf.* cap. XV. — 4 Cap. VII. — 5 Lib. V *Strom.* — 6 Lib. I *cont. Marc.* cap. XI. — 7. Ibid. cap. XXII. — 8 Lib. I *de Verit. Euch.* — 9 Cap. X. — 10 Serm. CXXXIX. *de Temp.* cap. II. — 11 Opusc. XXXVI. cap. V.

...ltissimi Deo omnipotentiam negant.

Quocirca stultissimi omnium habendi sunt, qui Deum aliquid non posse sentiunt, non solum qui christianum utcumque nomen præferunt, verum etiam ethnici, sed illi cumprimis. Quales, ut a poetis fictisque narratoribus recedam, philosophi quidam extitere, quorum etiam argumenta contra Dei omnipotentiam refert Plutarchus non utique ex Euripide sumpta [1], ut quidam arbitrantur, sed ex quocumque alio atheismi patrono, cujusmodi et Plinius fuit [2], qui iisdem rationibus divinam omnipotentiam oppugnat, sed levissimis, ut paulo postea declarabitur. Justinus in libro *de Resurrectione*, « gentes ait omnes quæ idolis credunt, persuasum habere omnia Deos facere posse [a], quemadmodum et Homerus illorum poeta dixit :

— Dii porro omnia possunt,
Et facile.

Ubi et particulam adjecit ῥεῖα, quæ *facile* significat, ut magnitudinem ostendat virtutis deorum. »

Epicharmus apud Clementem in quinto *Stromateon :*

Nil Deum potest latere. Scire te hoc quidem [decet.
Ille noster est inspector [b].

...lcyon.

Vide Lucianum in dialogo qui inscribitur Ἀλκυών, ubi de Dei omnipotentia multa in persona Socratis dicit eximia, et quæ atheos atque hæreticos prudentiores facere possint.

IV. Quibus annumerandi sunt hæretici varii generis, qui utraque illa quam supra posui notione Deo omnipotentiam ademerunt, hoc est tam dominatum omnium rerum, quam vim omnium quæ velit aut velle possit efficientem. Sic antiquiores illi insaniæ ac perfidiæ magistri, qui plures Deos, hoc est principia, contraria invicem et coæterna finxerunt, ut Marcion, Manichæus, Marcosii, Colorbasii et cæteri quos Epiphanius potissimum in tertium tomum libri primi congessit. Aut qui mundum non ab summo ac præpotente conditum Deo, sed ab Angelis, illo etiam invito vel inscio finxerunt, ut Saturniliani et alii qui in tomo secundo libri ejusdem ab Epiphanio memorantur.

Nam isti omnes qua jus et potestatem in res omnes adimunt Deo, qua vim et facultatem procreandi. « Conati sunt, ait Augustinus, quidem persuadere Deum patrem non esse omnipotentem, non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus omnipotens non creaverit, quem pulchre ornatum esse concedunt, ita Patrem omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere nisi ad eum fabricandum alia natura, scilicet quæ jam fuerat et quam non fecerat uteretur [3]. » De Marcione testis est idoneus Tertullianus, eum *potentatum omnium* denegasse Deo, qui παντοκράτορος vocabulo continetur [4]. Nam qui principium alterum malum ac boni æmulum eique coæternum et contrarium prædicant, esse aliquid putant extra jus et potestatem illius summi, et ipsum quidem summe malum adeoque bono minime subjectum, ne si in potestate sit summi boni, et ei subjiciatur, congruentem habeat ordinem, eoque boni aliquid insit ipsi quominus summum, hoc est nullo admisto bono, perfectum dici malum possit.

Ex quo et omnipotentem non esse secundum alteram nominis potestatem Deum efficitur, qui tantam rem a seipso diversam, quanta est illud æternum et immortale principium, neque creare potuit neque prorsus extinguere.

Recensentur alii variis titulis, eadem impietate convicti.

V. Qua eadem dogmatis impietate convincuntur et illi omnes, qui aut materiam a Deo non creatam, aut instrumentum Deo necessarium ad creandum esse dixerunt, aut non posse Deum plura et majora quam fecit facere, aut qui postremo absolutam illi potentiam denegarunt. Quorum in primo genere Manichæi præcipue continentur, qui materiam non ex

a Just. apud Damasc. in *Eclog.* Τῶν γὰρ ἐθνῶν ἁπάντων ἐπὶ τὰ εἴδωλα πεπιστευκότων, καὶ πεπεισμένων, ὅτι πάντα δυνατὰ αὐτοῖς ἐστιν· ὡς καὶ Ὅμηρος ὁ ποιητὴς αὐτῶν φησι·

— Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται,
Καὶ ῥεῖα.

Ἀλλὰ καὶ τὸ ῥεῖα προσέθηκεν· ὅπερ ἐστὶν εὐχερῶς, ἵνα τὴν μεγαλειότητα τῆς τῶν θεῶν δυνάμεως ἐμφάνῃ.

b Clem.

Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτο γιγνώσκειν σε δεῖ.
Αὐτὸς ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης· ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν θεός.

1 Lib. I. *de Plac. phil.* cap. VII. — 2 Lib. II. cap. VII. — 3 Aug. lib. *de Fide et symb.* cap. II. — 4 Lib. I. *cont. Marc.* cap. XI.

nihilo factam sed æternam constituunt, ex qua Deus universitatem hanc condidit, cum in eo sita sit omnipotentia ut ex nihilo omnia a se diversa procreare possit Deus, ut post Augustinum adversus istos hæreticos disputantem, paulo post contendam. Nec non Origenes, ut ex *Epistola paschali* prima Theophili Alexandrini colligitur. Dixit enim « tanta posse Deum, quantum ei ad operandum materia ministrarit[1]. » Atque idem etiam negabat *majora potuisse facere quam fecit*, qui tertius enumeratus a nobis error est. In secundum incurrunt Ariani qui Filium Dei velut instrumentum a Patre conditum esse voluerunt, quod ad cætera procreanda sit usus. In tertio quoque Petrus Abælardus numeratur, qui *id solum posse facere Deum* aliquando sensit, *quod quandoque facit*[2]. Ad quartum Joannes Wiclephus[3] et Calvinus[4] nonnullorum opinione pertinent, qui Deum nihil posse amplius asserunt, quam quod fecit, futurumve pronuntiavit, tum hic insuper « absolutam Dei potentiam commentum vocat, quod sicuti profanum est, ita merito detestabile nobis esse debet[5]. » Sed de Calvino et hac ejus sententia dicemus capite sequenti. His annumerari plerique omnes hujus præsertim temporis hæretici possunt, qui divinæ potentiæ multa detrahunt tanquam pugnantia secum et *contradictionem*, ut aiunt, habentia, cum revera non solum fieri absolute queant, sed etiam esse facta divino ex verbo quadam necessitate sit consequens. Velut est, idem corpus pluribus in locis posse collocari, nec non sic in loco esse ut ad ejus mensuram non exporrigatur, et id genus alia, quæ isti sibi impossibilia fingunt. Quos inter recensendus est Guillelmus Parisiensis, qui plures mundos a Deo creari non posse censet, non vitio ullo omnipotentis ac defectu, sed quia plures esse nequeunt. Sed hoc et id genus alia neutiquam temere asseveranda sunt, tametsi salva catholica pietate dicerentur. De Guillelmo vero Parisiensi mirum plane est eum ita sensisse ac scripsisse : « Quia nec plures sive finiti sive infiniti essent mundi, creare potuit nec adhuc potest, et hoc non ex defectu qui sit apud ipsum vel ex parte ipsius, sed magis ex parte mundorum qui plures esse non possunt[6]; » cum aliquot ante annis nempe Christi anno MCCXXVII Stephanus ejusdem Parisiensis urbis episcopus[7] excommunicationis sententiam in eos dixerit qui assererent: « Quod prima causa non posset plures mundos facere. » Et articulo 19 : « Quod Deus non potest esse causa novi facti, nec potest aliquid de novo producere. »

Mirus Guillelmi Parisiensis lapsus.

Divina om- nipotenti Scriptura sententii probatur

VI. Cujus imbuti magisterio Deum omnipotentem sic esse ut et omnia potestate comprehendat et nihil non facere possit, sive quod futurum est aliquando, sive quod nunquam fiet sed fieri posset ; ex ipso Dei verbo didicimus. In quo Deus passim omnipotens nominatur, aut nihil ei impossibile vel etiam difficile esse dicitur[8]. Ut illud *Gen.* XVIII, 14 : *Numquid Deo est quidquam difficile*[a] ? Vel ut Hebræi legunt, *An mirificum erit quidquam a Domino?* hoc est ita ut eo pertingere nequeat : Quod LXX recte verterunt, μὴ ἀδυνατήσει παρὰ κυρίῳ ῥῆμα ; *Num.* XI, 23 *Numquid manus Domini invalida est?* vel *abbreviata est*, ut in Hebræo legunt. Jobi XLII. 2 : *Scio, Domine, quia omnia potes.* Hieremiæ XXXII, 17 : *Non erit tibi difficile omne verbum.* Matthæi, XIX, 26 : *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Marci XIV, 36 : *Abba pater, omnia tibi possibilia sunt.* Lucæ I, 37 : *Apud Deum non erit impossibile omne verbum.*

Theologic ipsius ra ex Dei nat ra conficit

VII Hujus divinæ dotis proprietatisque theologica ratio ex ipsa Dei natura, iisque *attributis* quæ duobus superioribus libris exposita sunt confici potest. Imprimis autem ex eo quod illius essentiam maxime continet, nimirum *quia est vere*, et fons quidam est essentiæ ac πηγὴ τοῦ εἶναι, ut Græci Patres loquuntur. Hinc enim sequitur quod his verbis asserit Augustinus[9] : « Ille plane omnipotens vere solus dicitur qui vere est, et a quo solo est quidquid aliquo modo est vel spirituale vel corporale. » Quæ ratio si paululum collatetur, longe pulcherrima eruditissimaque sic institui potest. Cum sit *omnipotentia* vis et potentia quædam rei alicujus efficiens, uti potentia ejus est quod esse potest, sic omnipotentia rerum est omnium quæ esse possunt, hoc est quæ res aliquæ sunt et sub genere τοῦ ὄντος continentur. Siquidem omne ens quod a re vulgo *reale* dicitur, vel actu est, vel potestate. Quod enim neque est neque esse potest, nihil hoc est, id est res nulla. Quare omnipotentia ad hoc unum refertur,

Ens.

a GENES. XVIII, 14. .היפלא מיהוה דבר

1 Lib. *de Fide et symb.* cap. II. — 2 Lib. III *Introd.* cap. V. — 3 Thomas Vald. in *Prol.* lib. I. — 4 Calv. lib. II *Instit.* cap. VII. num. 5. — 5 Lib. III. *Instit.* cap. XXIII. num. 2. — 6 In I. par. *de Univ.* par. I. cap. XVI. — 7 Tom. IV *Biblioth. Patrum*, col. 917, art. 8. — 8 *Gen.* XVII, 1, et XXVIII, 3. et XXXV, 11, et XLIII, 14, et XLVIII, 3, et XLIX, 25. — 9 Lib. XXVI *cont. Faust.* cap. V.

quod res est et potest existere, quodque res est eatenus quod esse potest. Atqui præter Deum nihil est sempiternum quodque actu semper extiterit, uti lib. III demonstravimus[1]. Potuit igitur esse, hoc est potentia fuit quidquid est modo, et quidquid modo non est, si res est, esse potest et est potentia. Esse autem potentia, nihil aliud est quam existentiam habere posse, et a potentia transitum ad actum facere. Hoc vero productione fit et efficientia causæ cujuspiam, quæ quidem id actu esse debet quod est potentia res ea quæ produci potest. Itaque solus omnia potest efficere, quod est esse omnipotentem, qui actu est quidquid esse potest, adeoque omnem τοῦ ὄντος et essentiæ amplitudinem exhaurit. Cujusmodi et est, et solus est Deus. Quare solus hic omnipotens est.

Entis.

VIII. Hanc eamdem omnipotentiam Dei etiam illa ratio demonstrat, quod propter summam simplicitatem id omne sit Deus quod habere dicitur. Ita Cassiodorus in libro *de Anima*, capite nono : « Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse quod sapere, hoc est posse quod vivere, hoc est velle quod facere. » Ideo potentia illius ipsa ejus est essentia. Est autem infinita Dei essentia. Ideo et infinita potentia. Ejusmodi autem est omnipotens. Nam si aliquid facere non posset, infinita non esset. Si quidem deesset ei quippiam, ac certo genere circumscriberetur.

A qua non abhorret ista Richardi Victorini disputatio[2], qui inde colligit omnipotentem esse Deum, quod « alioqui majus aliquid Deo jam posset cogitari. Majus namque est omnipotentiam habere, quam qualemcumque potentiam cui aliquid desit de omnipotentiæ plenitudine. Deinde cum divina sapientia omnia noverit, « si aliquid de potentiæ plenitudine intelligit quod habere non possit, erit majus aliquid in ejus nosse quam in ejus posse, quorum neutrum nihil aliud est quam ipsius esse. Erit ergo unum idemque esse et seipso majus et seipso minus, quo nihil est impossibilius. » Hic illud potest occurrere, plura Deum intelligere quam potest facere, quia mala etiam intelligit eaque quæ esse non possunt, quæ tamen efficere non potest. Sed de eo paulo post viderimus. Nunc unum illud satis est, nos de eo duntaxat loqui quod per se ac proprie divinæ cognitioni ac sapientiæ subjicitur, quale est id quod revera est aut esse potest, sive quod habet essentiam vel, ut Dionysius loquitur, ὀντότητα, nostri *entitatem* vocant. Ad hoc igitur non minus *potentiæ plenitudo*, ut Richardus contendit[3], quam sapientiæ pertinet. « Quod enim Deus potens est, ait ille, potentiæ participatione esse non potest. Si quidem potentiæ plenitudo non est aliud aliquid quam ipse. Constat itaque eum potentem esse potentiæ plenitudine. Ubi autem plenitudo potentiæ est, nullum posse deesse potest.

IX. Hujus omnipotentiæ quædam ut effecta, sic argumenta veterum e scriptis commemoranda sunt, quæ ad illam patefaciendam plurimum conferunt. Quorum hoc primarium est, quod de nihilo condidit omnia, quam creationem proprie nominamus. « In eo enim ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, id est corporalem atque spiritualem de nihilo fecit, » ait Fulgentius in libro *de Fide ad Petrum*, capite tertio. Et in libro *contra Adversarium legis et prophetarum*, in capite VIII, Augustinus : « Absit ut dicatur, inquit, omnipotens non potuisse facere, nisi unde faceret inveniret. » Et in sermone centesimo decimo nono *de Tempore* : « Universæ creaturæ ad hoc necessaria est omnipotentia ut crearetur. » Itaque opera creatoris (ait Tertullianus in secundo *contra Marcionem*, capite V) « utrumque testantur, et bonitatem ejus qua bona, sicut ostendimus, et potentiam qua tanta, et quidem ex nihilo. » Hinc adversus Platonicos et eorum asseclas hæreticos præsertim Manichæos antiqui Patres disputant eosque convincunt, qui materiam perinde ac Deum ingenitam esse dicebant, ex qua omnia sunt a Deo fabricata.

Omnipotentia Dei ex creatione probatur.

Contra quos singularem Dei potentiam et agendi vim, id est, *omnipotentiam* opponunt nostri, quæ hoc requirit ut nihil non ab ipso sit conditum. « Dei enim potentia, ait contra Platonicos Theophilus Antiochenus, in hoc apparet quod ex non extantibus facit quæcumque vult. » Ac paulo post : « Quemadmodum igitur in his omnibus potentior est homine Deus, sic in eo quod e non extantibus facit ac fecit illa quæ sunt, et quotcumque vult quomodo vult[a]. »

Si enim non ex nihilo sed ex aliqua materia

[a] THEOPHIL. lib. II, *ad Autol.* Θεοῦ δὲ ἡ δύναμις ἐν τούτῳ φανεροῦται ἵνα ἐξ οὐκ ὄντων ποιῇ ὅσα βούλεται. Mox : Ὥσπερ οὖν ἐν τούτοις πᾶσιν δυνατώτερός ἐστιν ὁ Θεὸς τοῦ ἀνθρώπου, οὕτω καὶ τῷ ἐξ οὐκ ὄντων

1 Cap. — 2 Lib. I, *de Trinit.* cap. XXI. — 3 Ibid. cap. XXIV.

necessario molitur omnia Deus, quinam distabit ab homine? ut argumentatur Theophilus, et contra resurrectionem corporum negantes Chrysostomus homilia secunda in *Acta Apostolorum*[a]. « Eligite ergo nunc quid sequi velitis, ait contra Manichæos Augustinus[1], Deum minus potentem et infirmum, qui necessitate partis suæ in miseria constitutæ, a materia quam ipse non fecerat ut mundum faceret adjutus est, an Deum omnipotentem qui nulla necessitate sed propria voluntate et summa potestate dixit, et facta sunt, mandavit, et creata sunt, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. » Sic in libro *de Fide et symbolo*, capite secundo, illos omnes qui materiam quamdam esse dixerunt « quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, ita Patrem omnipotentem negare Deum, ait, ut non eum credant mundum potuisse facere nisi ad eum fabricandum alia natura, scilicet quæ jam fuerat et quam ipse non fecerat uteretur, etc. At si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quæ fecit. Non enim aliquid esse potest cujus creator non esset, cum esset omnipotens. » Et Eusebius qui Emissenus vulgo dicitur, homilia prima *de Symbolo* : « Merito itaque omnipotens, ait, creditur qui cum solem de luce, splendorem de splendore protulerit, sic ea omnia ex nihilo in præcepti celeritate perfecit. Cuncta enim quæ ante non erant tanquam subito aliunde producta, ante nutum ejus velociter astiterunt, nulla apparente materia. Origo fuit rerum efficax creatoris imperium. »

Deus omnipotens quia in creando nulla materia, nullo instrumento indiguit.

X. Proximum huic et affine specimen est omnipotentiæ, quod non solum materia nulla ad procreandum opus habuit Deus, sed etiam instrumento nullo, ut Irenæus in secundo libro, capite secundo docet, et adversus Arianos sæpe veteres usurpant. Nam hæretici illi, ut alibi demonstrabimus[1], Deum patrem asserebant cum res omnes creatas efficere vellet, prius Verbum suum Filiumque procreasse, quo velut instrumento cætera moliretur. Quos non aliunde quam ex Dei omnipotentia nostri convincunt, cujus ob infinitam vim ea sit conditio ut adjutorem nullum requirat. Vide præ cæteris Athanasium libro tertio *contra Arianos*[b], vel secundo, ut a Græcis numeratur, velut ab Euthymio[3]. Quo in libro frustra creationis administrum illum nescio quem adjungi Deo contendit, tanquam non ipsi ad ea quæ velit efficienda voluntas satis sola sit. Sed de hac re plenius alio in loco dicemus.

Tertium omnipotentiæ specimen est quod easdem conditas a se de nihilo res omnes continet et conservat, adeo ut si eas fovere desineret, ne momento quidem possent consistere. In quo proprietati nominis τοῦ παντοκράτορος respondet, quod *omnitenentis* voce declarat Augustinus[4], et ei quod dicimus adstipulatur his verbis : « Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ, quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. » Quod uberius explicare pergit, eoque illud ex octavo capite *Sapientiæ* sumptum accommodat : « Pertingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. » Item illud *Actorum* XXVII, 28 : *In illo vivimus, movemur et sumus.*

Quia minima æque a[c] majora pa[riter] creav[it].

XI. Altera dos omnipotentiæ est quod sine ullo discrimine perinde res parvas et magnas per sese condiderit ac pari utrasque facilitate, non ut ille Platonicus in *Timæo* Deus majora per se molitus universitatis opera, cum eadem perpolienda tum minora fabricanda reliqua inferioribus mandavit diis. Esse enim hoc immensæ et inexhaustæ cujusdam potentiæ fatentur omnes, unum creandis, gubernandis, conservandisque minutissimis quibusque sufficere et ad singularum procurationem, administrationemque descendere; sed de providentia, gubernationeque postea. Nunc quod ad omnipotentiam attinet, insignis est ad propositum nostrum Augustini locus in sermone CXIX *de Tempore*, cap. I. « Omnipotens

ποιεῖν, καὶ πεποιηκέναι τὰ ὄντα καὶ ὅσα βούλεται, καθὼς βούλεται.

a CHRYS. in *Ethic.* Οὐκ αἰσχύνεσθε ἐξ οὐκ ὄντων οὐδὲν διδόντες ποιεῖν τὸν θεόν ; εἰ δὲ ἐξ ὄντων ποιεῖ, τί διαφέρει τῶν ἀνθρώπων ;

b ATHAN. lib. III. *cont. Arian.* Ἄλλως τε διὰ τί ὅλως θέλων κτίσαι, ζητεῖ τὸν μεσίτην, ὡς οὐκ ἀρκουμένου τοῦ βουλήματος αὐτοῦ συστῆσαι περὶ ὧν ἐὰν αὐτῷ δοκῇ, καὶ μὴν αἱ γραφαὶ λέγουσι· πάντα ὅσα ἠθέλησεν, ἐποίησε· καὶ, τῷ βουλήματι αὐτοῦ τος ἀνθέστηκεν ; εἰ δὲ καὶ τὸ βούλημα μόνον ἱκανόν ἐστιν αὐτοῦ πρὸς τὴν τῶν πάντων δημιουργίαν, περιττὴ πάλιν καθ' ὑμᾶς ἡ τοῦ μεσίτου χρεία.

1 *De Fide cont. Manich.*, cap. XXXXI — 2 Lib. I. *de Trinit.* cap. VII. — 3 *Panopl.* par. I. tit. II. — 4 Lib. IV. *de Gen. ad litt.* cap. XII.

est, inquit, ad facienda majora et minora. Omnipotens est ad cœlestia et terrestria. Omnipotens est ad facienda immortalia et mortalia. Omnipotens est ad facienda spiritualia et corporalia. Omnipotens est ad facienda visibilia et invisibilia, magnus in magnis, nec parvus in minimis. Postremo omnipotens est ad facienda omnia quæ facere voluerit. » Et sermone LXXII *de Tempore*, cap. VI : « Quid autem de Deo desperandum cui difficile nihil est? Qui sic facit magna quomodo parva, etc. Quid difficile facit qui verbo facit? Qua facilitate creat angelos ultra cœlos, ea facilitate luminaria in cœlis, ea facilitate pisces in mari, ea facilitate arbores et animalia in terra, ea facilitate magna qua parva. » Ac Fulgentius quoque diserte[1] : « In eo vero ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, id est, corporalem atque spiritualem de nihilo fecit, in quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non una eademque facilitate summa atque ima fecisset. »

Quia mira facilitate maxima creavit.

XII. Hac ipsa procreandi facilitate præsertim magnis in operibus, ut sunt angelorum ordines omnes, ad Dei commendandam potentiam utitur Chrysostomus in secundo sermone *de Incomprehensibili adversus Anomœos*[2], ubi cum innumerabiles esse dixisset angelorum cœtus « has omnes tamen virtutes productas, ait, a Deo facilitate tanta, quantam nulla cujusquam persequi possit oratio. Nam illi satis ad omnia fuit tantummodo velle. Atque uti voluntas nullum nobis affert laborem, ita nec illi tot ac tantas condidisse virtutes. Quod indicans Propheta dicebat : *Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra*[3]. Vides non ad effectionem duntaxat eorum quæ sunt in terra, sed etiam ad procreationem virtutum cœlestium solam ejus suffecisse voluntatem[a] ? » Nam « quid non perficiat vel volens, ait Cyrillus, et quidem facillime[b] ? »

Dionysius denique in octavo capite libri *de Divinis nominibus* δύναμιν illam, hoc est *vim* et *potentiam* quæ a nobis *omnipotentia* dicitur, iisdem effectis vestigiisque designat. Deum enim non potentem solum, sed vim ipsam, ac potentiam appellari dicit, quod et virtutem omnem in se complectitur, causaque est virtutis omnis tam universe quam particulatim, et eamdem habet infinitam, quæ nulla productione minui aut exhauriri potest. Ea porro tam excellens est ac tam late diffunditur, ut ad minima quæque dimanet et imbecillissima, quæ per sese fovet ac continet. Hæc pluribus Dionysius toto illo capite octavo.

CAPUT VI.

Quæ ad evertendam Dei omnipotentiam facere videntur explicata et discussa. Quo sensu Patres aliqui dixerint, ea sola posse Deum facere quæ vult. Exponuntur difficilia quædam illorum loca, velut Athenagoræ, Gregorii Nysseni, Hieronymi. Probatur e Scripturis multa posse facere Deum quæ nunquam facit, tum e Patribus. Abœlardi sententia refellitur. An semper optima quæque Deus faciat. Deum libere quæ vult facere. Calvini de omnipotentia Dei sententia exponitur.

I. Tanta est divinæ potestatis efficientiæque magnitudo, ut eam propter infinitatem humanæ angustiæ mentis capere nequeant. Quare nonnullæ adversus illam nebulæ inscitiæ et erroris offundi solent, quæ ne imperitorum aciem hebetent, lucem aliquam veritatis interpretationisque nostræ requirunt.

An Deus ea tantum possit quæ vult.

Ac prima quidem illa cunctatio est ex iis orta quæ paulo ante capite superiori dixi, Deum omnipotentem eatenus esse quod omnia facere potest quæcumque voluerit. Inest enim in eo latebra nescio quæ dubitationis et quæstionis, an ea solum possit Deus quæ reipsa vult, adeo ut tanta sit omnipotentiæ quanta voluntatis amplitudo, an latius illa quam ista pateat, ut infinita possit Deus quæ nunquam facere decrevit. Huic non contemnendæ nec prætermittendæ a nobis hæsitationi causam præbuit trita illa usu antiquorum formula loquendi : « Deum velle quidquid potest. » Ut

a CHRYS. hom. 2. *de Incomp.* Καὶ ὅμως ταύτας ἁπάσας τὰς δυνάμεις μετὰ τοσαύτης εὐκολίας ἐποίησε, μεθ' ὅσης οὐδεὶς λόγος παραστῆσαι δύναται· ἤρκεσε γὰρ αὐτῷ τὸ θελῆσαι πρὸς ἅπαντα, καὶ καθάπερ ἡμῖν ἡ βούλησις οὐ παρέχει κάματον· οὕτως οὐδὲ ἐκείνῳ τὸ δημιουργῆσαι τοσαύτας, καὶ τηλικαύτας δυνάμεις· καὶ τοῦτο ὁ προφήτης ἐμφαίνων ἔλεγε· πάντα ὅσα ἠθέλησεν, ἐποίησεν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ γῇ· ὁρᾷς ὅτι οὐχὶ πρὸς τὴν δημιουργίαν τῶν ἐν τῇ γῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ἄνω δυνάμεων ἤρκεσεν ἡ θέλησις αὐτοῦ μόνη;

b CYR. lib. III. *in Joan.* cap. II. p. 258. Τί δ' οὐκ ἂν ἐξανύσῃ θελήσας, καὶ λίαν εὐκόλως;

1 Lib. *de Fide ad Pet.* cap. III. — 2 Tom. VI oper. chr. edit. Savil. pag. 399. — 3 *Psal.* CXXXIII.

cum ait Augustinus, « non ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus[1] » Et Theodoretus *contra Hæreses :* « Omnia quæcumque vult potest[a]. » Vel quod eodem recidit, « potentiam Dei esse voluntatem, » ut inter alios Albinus Flaccus loquitur[2]. Hæc enim et similia quidam sic accepisse videntur, ut plura Deum posse negaverint quam quæ reipsa velit, ut quod nolit, id non possit.

II. Quam in sententiam primum illa Fulgentii spectare videntur ex tertio libro *ad Trasimundum :* « Propterea in illo digne plena potestas creditur, cui tantum posse quantum velle, et tantum velle quantum posse naturaliter suffragatur. » Et in primo libro *ad Monimum*, capite duodecimo : « Quidquid autem vult potest, qui quantum vult tantum potest, etc. Ideo diximus tantam ibi esse virtutem voluntatis, quanta est voluntas ipsa virtutis. Quia cui semper subest cum volet posse, non aliud est in illo velle quam posse. » Cui et illud est affine Damasceni in primo *de Fide* capite octavo decimo, qui Deum appellat « inaccessam virtutem, nulla mensura cognitam, sed quam voluntas sola metitur. Omnia enim quæcumque vult potest[b]. »

Verum duo illi Patres ut et alii plerique commodam ad sententiam derivari facile possunt, ut paulo post ostendam. Aliorum minus est ratio tractabilis, qui ita disputant : id solum neque velle neque posse Deum, quod vel iniquum sit vel indignum. Hinc enim sequitur nihil aliud posse Deum facere nisi quod fecit ac voluit, quia quod non vult, id injustum est et indignum. Duo tresve nunc occurrunt qui id expressius tradidisse mihi videntur, Athenagoras in libro *de Resurrectione*, et Gregorius Nyssenus in *libro Catechetico*, capite primo. Horum prior resurrectionem corporum neque non posse Deum asserit, neque non velle facere. Non nolle autem ideo probat, quia « quod non vult, vel quia est injustum non vult, vel quia est indignum[c]. » Neutrum vero inest in resurrectione corporum. Et postea : « Id quod possibile est, voluntarium esse, et quod voluntarium est, possibile esse[d] » dicit.

Gregorius deinde Nyssenus postquam Verbum Dei omnipotens esse docuit, ex eo sequi ait mundum ab illo fuisse procreatum. Quippe « id illum omne velle quod bonum est, volentem autem plane etiam posse, cum vero possit, non inefficacem esse sed omne boni propositum ad effectionem perducere. Porro bonum quiddam est mundus, et quæ in eo sapienter ingenioseque contemplamur[e]. »

III. Postremo Hieronymus in caput quartum *Danielis*[3] ad illa verba : *Juxta voluntatem enim suam facit tam in Virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus et dicat ei, quare fecisti?* hæc adnotat : « Et hoc loquitur quasi homo sæculi. Non enim quod vult, hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus. Nabuchodonosor autem sic locutus est, ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit. » Quæ verba Hieronymi sic explanat Abælardus in libro tertio *Introductionis theologicæ*[4], ac si diceret : « Non ita, ut æstimat Nabuchodonosor, operatur Deus, more videlicet eorum qui in his quæ faciunt, non tam quod bonum est attendunt quam ut suæ satisfaciant voluntati, qualiscumque ipsa sit. De qualibus scriptum est :

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Sed magis velle dicendus est singula ut fiant, quia bonum esse ut fierent vidit. » Recte id quidem Abælardus. Etenim hoc unum contendit Hieronymus, non tyrannorum more quidquid libitum est statuere Deum, nullo æqui vel iniqui discrimine, sed pro cujusque meritis bona vel mala dispensare. Quam justitiæ normam in castigando superbissimo rege tenuit.

Quod vero ad duos alios spectat, Athenagoram et Gregorium Nyssenum, tum illorum procedit ratio cum rem esse factam aliunde

a Theod. Πάντα ὅσα βούλεται δύναται.

b Damasc. lib. I. cap. xviii. Ἀπρόσιτον δύναμιν, οὐδενὶ μέτρῳ γνωριζομένην, μόνῳ δὲ τῷ οἰκείῳ βουλήματι μετρουμένην· πάντα γὰρ ὅσα θέλει δύναται.

c Athenag. Εὔδηλον ὡς οὐκ ἀδύνατον· ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἀβούλητον· τὸ γὰρ ἀβούλητον ἢ ὡς ἄδικον, αὐτῷ ἐστιν ἀβούλητον, ἢ ὡς ἀνάξιον.

d Id. Τὸ δυνατὸν βουλητόν· καὶ τὸ τῷ θεῷ βουλητὸν, πάντως εἶναι δυνατόν.

e Gregor. Nyss. Ἀλλὰ πᾶν ὅ, τι πέρ ἐστιν ἀγαθὸν, τοῦτο καὶ βούλεσθαι· βουλομένην δὲ, πάντως καὶ δύνασθαι· δυναμένην δὲ μὴ ἀνενέργητον εἶναι, ἀλλὰ πᾶσαν καὶ ἀγαθοῦ προαίρεσιν εἰς ἐνέργειαν ἄγειν· ἀγαθὸν δὲ ὁ κόσμος, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα σοφῶς τε, καὶ τεχνικῶς θεορούμενα.

1 *Enchir. ad Laur.* cap. xcvi. — 2 Lib. II. *de Trinit.* cap. xiii. — 3 Ad ver. 32. — 4 Cap. v.

constat, ut cum christiana id fides docet, sed adversus negantes infideles argumentis est illa probanda, e quibus usitatum illud est et optimum, si nec injustum hoc esse monstretur nec indignum Deo.

IV. Aliorum, ut jam dixi, causa est expeditior qui hoc unum dixerunt, cum voluntate Dei ejus potentiam adæquari. Nam id hoc sensu verissimum est quem ex Augustino, aliisque paulo ante commemoravi, quia quidquid vult potest. Atque hoc modo Gregorius Nyssenus eodem in *libro Catechetico*, capite octavo dixit : « Deum quodcumque vult, perficere eo quod cum voluntate concurrentem habet virtutem[a]. »

Clemens item Alexandrinus in *Protreptico :* « Sola, inquit, voluntate molitur, et solum ejus velle factum esse consequitur[b]. »

Tertullianus libro *de Carne Christi*, capite tertio, sic scribit : « Deo nihil impossibile, nisi quod non vult. »

Petrus Chrysologus, sermone CXLI : « Quid tam rationale, nisi ut Deus quidquid voluerit possit? Qui quod vult non potest, Deus non est. » Et Theodoretus : « Dei potentiam, ait, nulla mensura comprehendi, ac solam divinam voluntatem eam metiri, quoniam quæcumque vult potest[c]. » Quod ex Gregorio Nysseno videtur imitatus, qui in *Hexaemero* scribit : « In divina natura concurrit cum voluntate potentia, ac mensura potentiæ Dei est voluntas[d]. »

Et « potest quodcumque vult facere, ait Epiphanius[1]. Nemo enim ejus voluntati resistit[e]. Sic decet enim omnipotentem facere quæ voluerit[2], ut Augustinus scribit, sicut catholica dicit : *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*[3]. » Et alibi : « Omnia quæ vult potest[4]. » Quamobrem divina voluntas et potentia ideo paria inter se facere dicuntur, quod nec invitus quidquam facere potest Deus, sed quidquid agit, hoc volens agit, nec velle quidquam non potest.

Quo sensu divina voluntas et potestas inter se paria.

Hieronymus in primo dialogo *contra Pelagianos* quiddam habet ad idem argumentum pertinens quod minime sit omittendum. « Inter Diodorum, inquit, et Chrysippum valentissimos dialecticos περὶ ἀδυνάτων ista contentio est. Diodorus id solum posse fieri dicit, quod aut sit verum aut verum futurum sit, et quidquid futurum sit, id fieri necesse esse : quidquid autem non sit futurum, id fieri non posse. Chrysippus vero et quæ non sunt futura, posse fieri dicit, ut frangi hoc margaritum, etiamsi id nunquam futurum sit. Qui ergo aiunt hominem posse esse absque peccato si velit, non poterunt hoc verum probare nisi futurum docuerint. Cum autem futura incerta sint omnia, et maxime ea quæ nunquam facta sunt, perspicuum est eos id futurum dicere quod non sit futurum : *Ecclesiaste* hanc confirmante sententiam, omne quod futurum est, jam factum est in priori sæculo. » Quæ Hieronymi verba non de *absoluta* potestate quam *physicam* vocant intelligenda sunt, sed de *ordinaria* et quæ *moralis* vulgo dicitur, quemadmodum et sequentia in eodem dialogo : « Aut enim quod potest fieri, aliquando factum est, aut si nunquam factum est, fieri non posse concede. » Nimirum humanis in rebus et ex voluntate nostra pendentibus ea quæ nunquam hactenus facta sunt, fieri non posse dicuntur, velut hominem sine ullo esse peccato, de quo illic disputat Hieronymus, cum tamen absolute si loquimur, possit hoc fieri. At hoc ipsum in iis quæ fiunt a Deo fierive posse dicuntur, locum non habet.

Infinita esse quæ Deus facere potest et quæ nunquam fient, probatur e Scripturis.

V. Sane infinita esse quæ potuit Deus facere neque tamen facturus est unquam, e Sacris Litteris manifeste colligitur. Nam eo pertinent imprimis illa testimonia quibus in Deo liberam inesse agendi vel non agendi facultatem ostendimus supra, qua circa res creatas utitur : tum illa quoque ex quibus apparet, tam in hominis potestate sita esse plurima quæ volens omittit, quam ad eamdem ipsam voluntatem hominis et electionem usum suæ potestatis et effectionis accommodare Deum. Hinc enim evidens est Deum illa posse facere quæ si voluntas hominum ferret facturum se esse denuntiat. Siquidem libertatis et

a GREG. NYSSEN. Καὶ πᾶν ὅτι περ ἂν θελήσῃ κατεργαζόμενος, τῷ σύνδρομον ἔχειν τῇ βουλήσει τὴν δύναμιν.

b CLEM. ALEX. Ψιλῷ τῷ βούλεσθαι δημιουργεῖ, καὶ τῷ μόνον ἐθελῆσαι αὐτὸν, ἕπεται τὸ γεγενῆσθαι.

c THEODORET, lib. I. *de Hæres*. cap. I. Δύναμιν οὐδενὶ μέτρῳ γνωριζομένην, μόνῳ δὲ τῷ θείῳ βουλήματι μετρουμένην· ὅσα γὰρ βούλεται, δύναται.

d GREG. NYSS. Ὅτι ἐπὶ τῆς θείας φύσεως σύνδρομος ἐστι τῇ βουλήσει ἡ δύναμις, καὶ μέτρον τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ τὸ θέλημα γίνεται.

e EPIPH. *Hæres*. 70. num. 7. Ἀλλὰ πάλιν δυνατός ἐστι ποιεῖν ὃ βούλεται, οὐ γάρ τις ἀντιτίθησιν αὐτοῦ τῷ βουλήματι.

1 *Esth.* XIII, 9. — 2 Aug. lib. *de Fide cont. Manich.* cap. LXIX. — 3 *Ps.* XXXII, 9. — 4 Aug. lib. XXI *de Civit. Dei*, cap. V.

arbitrii liberi propria illa conditio est, ut circa ea versetur quæ sunt in nostra potestate posita, quæque facere vel non facere nobis integrum est. Quod si uno aliquo de duobus pluribusve quæ in deliberationem venire possunt circumscribimur, ut in alterum ferri nequeamus, cessat omnis consultatio et electio. Innumera vero loca sunt in quibus Deus aliter se facturum porro prædicat, quam antea decrevisset. Velut præter illa quæ libro superiore commemoravimus, I *Reg.*, cap. II, 30. *Loquen ιocutus sum,* ait ad Heli, *ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, absit hoc a me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum*, etc. Et Sauli regi propheta Samuel : *Stulte egisti nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum. Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget* [1]. Quæ et similia demonstrant, quædam potuisse fieri a Deo quæ nunquam fecerit. Sic *Matthæi* III, 9 : *Dico enim vobis*, ait Joannes Baptista, *quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et alia pleraque quæ passim obvia sunt.

Et ex Patrum testimoniis.

VI. Ad hanc Dei potentiam absolutam et extraordinariam quam imperiti et hæretici temere negant, non pauca citari possunt testimonia veterum Patrum, e quibus ista sufficient. Tertullianus libro *contra Praxeam*, capite X : « Plane nihil, inquit, Deo difficile. Sed si tam abrupte in præsumptionibus nostris hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideoque credendum est illum fecisse etiam quod non fecerit, sed an fecerit requirendum. » Quibus verbis nihil ad propositum nostrum dici potest expressius. His germana sunt illa sancti Athanasii ex libro tertio *contra Arianos:* « Poterat etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus et maledictionem solvere. Sed considerandum est quid hominibus expediat, neque in omnibus æstimare quid possit Deus, etc. Poterat etiam ab initio Salvator advenire, aut cum advenit non tradi Pilato. Verum sub consummationem sæculorum venit, et quæsitus dixit: *Ego sum.* Quidquid enim facit, hoc et utile est hominibus, nec aliter decebat fieri[a]. » Ergo multa potuit et quidem ab iis diversa quæ decent et reipsa facta sunt, moliri Deus. Item scribit et libro secundo, ubi ei quod inquiri solet respondet, cur cum Deus semper aliquid facere potuerit, non semper fecerit. Velut est quod Filium suum, quem Adami vel Noemi ætate mittere poterat, tanto post intervallo misit. Verum tum esse missum dicit, quando expedire judicavit hominum rebus. Sic et universitatem hanc rerum tunc esse procreatam cum voluit, et iis ipsis utile esse cognovit. At vero Filium ex æterno genitum esse, quia necessario est a Patre productus. Quare libere ac voluntate conditus est a Deo mundus, tum absolute, tum hoc potius quam illo tempore. Non potest autem libere factum utrumvis intelligi, nisi et contrarium ejus in potestate sit facientis.

Theophilus Alexandrinus in *Epistola prima paschali*, contra Origenem disputans qui Deum affirmabat non plura creare posse quam reipsa fabricavit : « Necesse est, inquit, numero mensuraque factorum Dei fortitudinem coæquari, si non potuit majora facere quam fecit. »

VII. Hieronymus item in *Commentariis* ad caput I *Esaiæ :* « Illud, inquit, possumus dicere, quod qui tantorum signorum patrator est, et cœlum, terrasque et maria suo facit servire nutui, etiam ipse crucem evadere potuerit, dicens in Evangelio : *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum* [2]? »

Sic Theodoretus sermone quarto *contra Gentiles* eleganter et accurate idipsum explicat his verbis : « Voluit autem non quanta poterat, sed quanta sufficere judicavit. Nam ipsi facile quidem erat decem aut viginti millia creare mundorum, quandoquidem velle effectionum omnium facillimum est. Siquidem etiam nobis omnium est velle facillimum. Sed voluntatem nostram vis et facultas non sequitur. At universorum Deo possibilia sunt quæcumque vult. Quippe cum voluntate con-

a 'Athan. 'Ηδύνατο καὶ μηδόλως ἐπιδημήσαντος αὐτοῦ μόνον εἰπεῖν ὁ Θεὸς, καὶ λύσαι τὴν κατάραν· ἀλλὰ σκοπεῖν δεῖ τὸ τοῖς ἀνθρώποις λυσιτελοῦν, καὶ μὴ ἐν πᾶσι τὸ δυνατὸν τοῦ Θεοῦ λογίζεσθαι, etc. ἠδύνατο καὶ ἐξ ἀρχῆς ὁ σωτὴρ ἐπιδημῆσαι, ἢ ἐλθὼν μὴ παραδοθῆναι Πιλάτῳ· ἀλλὰ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἦλθε, καὶ ζητούμενος εἶπεν, ἐγώ εἰμι· ὃ γὰρ ποιεῖ, τοῦτο καὶ συμφέρει τοῖς ἀνθρώποις, καὶ ἄλλως οὐκ ἔπρεπε γενέσθαι.

1 Lib. I. *Reg.* cap. XIII., 13, 14. — 2 *Matth.* XXVI, 53.

uncta est potestas. Nihilominus non potentia mensus est creaturam, sed quæcumque voluit fecit [a]. »

Est ea de re disertissimus Dionysii locus initio capitis octavi *de Divinis nominibus*. Ibi enim declarat quemadmodum Deus nominetur δύναμις, id est, *virtus* sive *potentia*. Cujus hanc præcipue causam reddit « quod super omnem modum possit etiam infinite infinitas virtutes ab iis quæ jam conditæ sunt diversas producere, et quod nunquam possint infinitæ et in infinitum multiplicando productæ virtutes supra modum infinitam ipsius virtutis quæ procreatrix est, efficientiam obtundere [b]. » Sic Justinus martyr, ita enim inscribitur responsione ad quæstionem secundam Græcorum, Deum asserit cum plures soles creare posset, unum tantummodo voluisse condere.

Lactantius in libro *de Opificio Dei*, capite tertio, egregie paucis verbis verum et catholicum dogma complexus est : « Considerans enim, inquit, conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse quam factum est, ut non dicam potuisse quia Deus potest omnia, sed necesse est quod (*forte* ut) illa providentissima majestas id effecerit quod erat melius et rectius. »

VIII. Epiphanius in hæresi LXX : « Potens est, inquit, Deus ut faciat quod vult. Nemo enim ejus voluntati resistit [c]. » Mox : « Potens est ut faciat quod vult. Verum agit quæcumque divinitati suæ congruunt. Nihil omnino ejus voluntati refragatur ut non possit agere quod vult, uti divinitatem suam decet [d]. » Chrysostomus item homilia XXIV in *Genesim* de eo loquens quod Deus quadraginta diebus diluvii aquas immisit : « Quid enim? inquit, nonne poterat si vellet vel in uno die totam pluviam immittere? Quid una die dico? Etiam uno momento [e]. »

Cyrillus etiam Alexandrinus libro IX in *Joannem* ad illa verba : *Opera quæ ego facio, ipse faciet et majora horum faciet* [1], hæc adnotat : « Non enim ideo quod ad majora facienda vis illum deficeret, iis quæ perfecta sunt virtutem propriam definiit. Verum cum ea peregisset quæ fieri oportebat et quæ forte tempus ferebat, non eousque tantum pervenire posse immensam ejus potentiæ magnitudinem, utiliter iis verbis ostendit [f]. » Antipater Bostrensis in libro *de Resurrectione contra Origenem*, Deum asserit corpus humanum formæ alterius creare potuisse. « Neque hoc dico, inquit, tanquam hæc aut facere nesciret aut nequiret Deus : non ita desipiam. Verum cum plures in infinitum facere nosset ac posset animalium, stirpium ac seminum differentias et figuras, tanta produxit quanta recte habere putavit circa mundi constitutionem. Quare nemo inopiæ conditorem accuset, quasi non aliter vitam nostram et constitutionem efficere posset, cum innumeras et infinitas moliri potuerit figurarum species [g]. »

Epiphanius item in *Ancorato* « posse Deum affirmat si vult, corpora sine animis a mortuis excitare [h]. » Cui simile est illud Gregori.

a THEODORET. Ἠθέλησε δὲ οὐχ ὅσα ἠδύνατο, ἀλλ' ὅσα περ ἀρκεῖν ἐδοκίμασεν· ῥᾴδιον μὲν γὰρ ἦν αὐτῷ καὶ μυρίους, καὶ δισμυρίους δημιουργῆσαι κόσμους· εἴ περ δὴ ἄρα τὸ βουληθῆναι ῥᾷστον ἁπασῶν τῶν ποιήσεών ἐστι· καὶ γὰρ ἡμῖν τὸ βουληθῆναι πάντων ἐστὶν εὐμαρέστατον· ἀλλ' οὐ ξυμπαρομαρτεῖ τῇ γε ἡμετέρᾳ βουλήσει δύναμις· τῷ δὲ Θεῷ τῶν ὅλων ὅσα βουλητὰ, δυνατά· τῇ βουλήσει γὰρ ἡ δύναμις ἥνωται· ἀλλ' ὅμως οὐ τῇ δυνάμει τὴν κτίσιν ἐμέτρησεν· ἀλλ' ὅσα περ ἠθέλησεν, ἐποίησε.

b DIONYS. Καὶ τῷ ὑπερδύνασθαι καὶ ἀπειράκις ἀπείρους τῶν οὐσῶν δυνάμεων ἑτέρας παραγαγεῖν· καὶ τῷ μὴ ἄν ποτε δυνηθῆναι τὰς ἀπείρους, καὶ ἐπ' ἄπειρον παραγομένας δυνάμεις τὴν ὑπεράπειρον αὐτοῦ τῆς δυναμοποιοῦ δυνάμεως ἀμβλῦναι ποίησιν.

c EPIPH. *Hæres.* LXX. num. 7. Ἀλλὰ πάλιν δυνατός ἐστι ποιεῖν ὃ βούλεται, οὐ γάρ τις ἀντιτίθησιν αὐτοῦ τῷ βουλήματι.

d MOX : Δυνατὸς γάρ ἐστι ποιῶν ὃ βούλεται· ἀλλὰ πράττει ἅπερ αὐτοῦ πρέπει τῇ θεότητι· μηδὲν ὅλως τῷ θελήματι αὐτοῦ ἀντιπίπτον, ὥστε μὴ δύνασθαι πράττειν ὃ βούλεται πρεπόντως τῇ αὐτοῦ θεότητι.

e CHRYS. Τί γάρ; οὐκ ἦν αὐτῷ δυνατὸν, εἴπερ ἐβούλετο, καὶ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ πάντα τὸν ὑετὸν ἐπαγαγεῖν; τί δὲ λέγω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ; ἐν μιᾷ ῥοπῇ.

f CYRIL. Οὐ γὰρ ἀτονήσας περὶ τὰ μείζω, μέχρι τῶν τετελεσμένων τὴν οἰκείαν ἐπέστησε δύναμιν· ἐπιτελέσας δὲ ἅπερ ἐχρῆν, καὶ ὅσα περ τυχὸν εἰς μέσον παρεκόμισεν ὁ καιρὸς, ὅτι μὴ μέχρις ἐκείνων ἀφικνεῖσθαι δύναται τῆς ἐνούσης ἐξουσίας αὐτῷ τὸ ἀπερινόητον μέγεθος, ἐκδιδάσκει χρησίμως διὰ τῶν εἰρημένων.

g ANTIP. apud Damascen. in *Eclog.* litter. A. tit. LXXII. Καὶ οὐ λέγω ὅτι ταῦτα ἢ ἠγνόει ποιῆσαι, ἢ ἠδυνάτει ὁ Θεός· μὴ οὕτω μανείην· ἀλλ' εἰς τὸ ἀπειροπλάσιον καὶ εἰδὼς, καὶ ποιῆσαι δυνάμενος ζώων τε, καὶ φυτῶν, καὶ σπερμάτων διαφορὰς, καὶ σχήματα, τοσαῦτα παρήγαγεν, ὅσα καλῶς ἔχειν ἡγήσατο περὶ τὴν τοῦ κόσμου σύστασιν· μὴ οὖν πτωχείαν ὑπονοοῖτο ἂν περὶ τοῦ δημιουργοῦ, ὡς μὴ ἐγχωροῦντος ἑτέρως ποιῆσαι τὴν ἡμετέραν ζωήν τε, καὶ σύστασιν, μυρίας δυναμένου, καὶ ἀπείρους ἰδέας ποιῆσαι σχημάτων.

h EPIPH. *Ancor.* §. 90. Εἰ γοῦν θέλει ὁ Θεὸς, δύναται καὶ σώματα ἄνευ ψυχῆς ἐγεῖραι.

1 *Joann* XIV, 12.

Nazianzeni quod refert Theodoretus « posse Deum non solum sine mente salvare hominem, sed etiam sine carne, si ita voluerit[a]. » Et Athanasius multa Deum potuisse facere dicit quæ non fecit[1], velut hominem non suscipere, et tamen eum ad salutem revocare, et alia pleraque. Quod et Joannes Damascenus docet, cap. LXXXII, ut quidem citatur in Euthymii *Panoplia*[2].

IX. Eximium et illud est Augustini in *Enchiridio ad Laurentium* : « Tunc in clarissima luce sapientiæ videbitur quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa et immutabilis et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit[3]. » Et in libro *de Natura et gratia*, capite VII : « Quia Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit, quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, etiam hoc potestate fecisset. » Et in libro XVII *contra Faustum*, Christum ait aliunde nasci quam ex femina potuisse. « Potuit, inquit, sed noluit, et hoc melius est quod voluit. » Sed quid hanc Augustini sententiolam moramur, cum in promptu sit illius uberrima de hoc eodem argumento disputatio in libro *de Spiritu et littera?* Cujus elucubrandi libri occasionem ex ista quæstione cepit. Nam cum in altero quodam opusculo quod a dMarcellinum scripserat « fieri posse dixisset ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina, quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit vel sit vel futurus sit » eo commotus ipso Marcellinus quod Augustinus posse fieri dixisset *cujus desit exemplum*, quodque nunquam aut fuerit aut futurum sit, id sibi explicari petiit. Cui sic respondet ille : « Absurdum tibi videtur dici aliquid fieri posse cujus desit exemplum[4], cum sicut credo non dubites, nunquam esse factum ut per foramen acus camelus transiret[5], et tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile : legas etiam duodecim (millia) legiones Angelorum pro Christo ne pateretur pugnare potuisse, nec tamen factum : legas fieri potuisse ut semel gentes exterminarentur a terra quæ dabatur filiis Israel, Deum tamen id paulatim fieri voluisse : et alia sexcenta possunt occurrere quæ fieri vel potuisse vel posse fateamur, et eorum tamen exempla quod facta sint proferre nequeamus. Unde non ideo negare debemus fieri posse ut homo sine peccato sit, quia nullus est hominum præter illum, qui non tantum homo, sed etiam natura Deus est, in quo id perfectum esse demonstrare possimus. » Et ejusdem libri capite XXXV ubi hæc summatim repetiit : « His addi possunt, inquit, etiam illa quæ leguntur in libro *Sapientiæ*, quam multa posset nova tormenta Deus exercere in impios ad nutum sibi serviente creatura[6], quæ tamen non exercuit. Potest et de monte illo quem fides in mare transferret, quod tamen nusquam factum vel legimus vel audivimus. Quisquis enim horum aliquid Deo dixerit esse impossibile, vides quam desipiat, quamque adversus fidem Scripturæ ejus loquatur. Multa alia hujusmodi possunt occurrere vel legenti vel cogitanti, quæ possibilia Deo negare non possumus, quamvis eorum desit exemplum. »

Peremptorium Augustini testimonium.

X. Hoc Augustini decretum, tametsi paulo longius, hic omnino describi oportuit. Est enim peremptorium, ac cum litem omnem quæstionemque dissolvit, tum subtiles quorumdam nugas et ineptias discutit, qui divinam omnipotentiam ab immensa amplitudine exiguum in gyrum argutiis suis compellunt. E quo numero disputatorum producendus est maxime Petrus Abælardus, qui libro III *Introductionis theologicæ*, capite quinto, hoc velut problema sic in partem utramque pertractat, ut postremo negantem tenere se ac sequi profiteatur. Nam cum illud quærendum proposuisset « utrum plura facere possit Deus vel meliora quam faciat, aut ab his etiam quæ facit ullo modo cessare posset, nec ea unquam videlicet faceret : tum utrum eo modo tantum vel eo tempore quo facit, non alio » facere possit, argumenta primum affert quibus non posse approbat, quorum hæc est summa. Deus nihil nisi bonum facere potest, et quidquid facit, ejus faciendi justam causam habet a rationi consentaneam. Quare quodcumque tandem agit, id eum oportet agere. Non potest igitur hoc omittere, nec secus facere. Alioqui vel imbecillus esset si quod optimum judicavit non posset efficere, vel invidus si nollet. Quo argumento perfectam Filii æqua-

Sententia negans Abælardi proponitur.

a Greg. Nazian. epist. I. *ad Cled.* apud. Theodoret. dial. 1. Δυνατὸν εἶναι θεῷ καὶ χωρὶς νοῦ σῶσαι τὸν ἄνθρωπον· δυνατὸν δήπου καὶ χωρὶς σαρκὸς μόνῳ τῷ βούλεσθαι.

1 Orat. III. — 2 Part. II. tit. XIII. — 3 Cap. XCV. — 4 Cap. I. — 5 *Matth.* XIX, 24. — 6 *Sap.* XVI, 24.

litatem contra Arianos concludunt Patres, ut inter alios Augustinus [1]. Quod si ita quis occurrendum putet, posse Deum alia pro illis bona facere, contra sic Abælardus instat. Si est aliud peræque bonum quod consulto prætericrat, nullam cur omitteret rationem fuisse. Nam si fuit, ne omittere quidem potuisse. Quare « si illud solum quod facit, fieri ab eo bonum est, profecto illud solum quod facit facere potest, qui nihil facere potest quod non ab eo fieri bonum est. » Hæc ille, quorum difficultate superatus ita demum colligit : « Quantum igitur æstimo, cum id tantum Deus facere possit quod eum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit quod facere prætermittat, profecto id solum eum posse facere arbitror quod quandoque facit : licet hæc nostra opinio paucos aut nullos habeat assentatores, et plurimum dictis sanctorum, et aliquantulum a ratione dissentire videatur. » Hujus opinionis etiam Plotinus fuit, qui Deum nihil aliud præter id quod molitus est, procreare posse statuit [2].

Et refutatur

XI. Sed est impia et in Christiano, cujusmodi fuit Abælardus, minime toleranda, hujus vero frivola et ridicula etiam argumentatio, contra quam affirmandum illud est, Deum in eo quidem liberum non esse ut bonum aut malum eligat, hoc enim posterius velle omnino non potest, tametsi in eo quoque liber habendus est, quod permittere vel prohibere possit ; verum ex infinitis quæ bona sunt, certum aliquod optare posse ac deligere, relictis cæteris, in quo liberi arbitrii ratio consistit. Est autem illud etiam imprimis considerandum, rem nullam præter Deum, absolute bonam nedum optimam esse. Solus enim Deus propter infinitam in omni genere bonitatem, per se ac sine ulla comparatione cum re altera bonus est. Itaque ut in rebus naturalibus sine causæ supremæ principiique vi ac motione, nulla usquam essentia vel efficientia potest esse ; sic in iis quæ ad mores usumque voluntatis spectant, boni nihil est quod non ad summum ultimumque finem refertur. Nam eatenus bonum dicitur quod ad hunc ultimum finem obtinendum pertinet, quod ipsum suapte causa quæritur. Ejusmodi sunt quæ philosophi vulgo in scholis *media* nominant, quorum bonitas ex finis bonitate pendet. Ac sunt in rebus istis quæ finis gratia bonæ vel utiles dicuntur, utilitatis hujus ac bonitatis variæ ac dissimiles notæ, ut aliis aliæ meliores, et utiliores habeantur, quod ipsum non simpliciter sed comparate dicitur. Ea vero comparatio cum diversis rebus institui potest, pro quarum varietate idem melius et utilius altero præque hoc eligendum, aut contra deterius ac minus commodum censetur. Ut si quis Romam proficisci voluerit, et illud inquiratur, meliusne sit equo vectum aut curru vel navigio iter facere, an pedibus ambulare, facile quispiam respondeat prius illud quo commodius est, eo præstare alteri. Sed si quis valetudinis suæ causa vel paupertatis, aut ad patientiam edomandi corpusculi studio duci sese malit, tum alterum utilius ac melius esse judicet, etsi est laboriosius. Atque hoc omnibus in rebus cernitur quæ finis gratia comparantur. Harum enim est nulla quæ non ad finem obtinendum usum aliquem suum conferat propter quem possit adhiberi, imo etiam certo rerum statu constituto, non parem aut majorem quoque opportunitatem habeat, quam illud alterum quod ad eumdem finem reipsa sit assumptum.

XII. Quapropter nihil sic facit Deus aut quovis modo exequitur, ut non alio possit efficere vel eo deteriore quem reipsa constituit, sed bono tamen et commodo. Neque enim quod est absolute ac per se optimum necessario molitur Deus, alioqui nihil præter angelos hominesve procreasset, ut contra Manichæos alicubi disputat Augustinus. Sed quod sibi visum est ac quibus visum est de causis efficit, ut quod idem ait « a terrenis usque ad cœlestia, et a visibilibus usque ad invisibilia sunt aliis bonis alia bona meliora, ad hoc inæqualia ut essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis, quæ parva non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt [3]. »

Cur igitur eo quod videtur melius rejecto, id quod inferius est eligat si ita velit, sola ratio potest esse voluntas facientis ac libertas, cujus ea præterea potestas est ut cum in rebus ordinem statuere queat, cui sit illud quod deterius videbatur aptissimum. Sic in ipso incarnationis Dominicæ mysterio ita administrata sunt omnia, ut longe secus fieri potuerint. Nam et hominem non liberare, adeoque caro non fieri Verbum poterat si plus eum severitas ac justitia quam clementia delectaret, et aliunde sibi corpus quam ex femina capere, ut egregie docet Augustinus,

1 Lib. LXXXIII *Quæst.* q. LXIII. — 2 *Enn.* 5. lib. V. cap. XII. — 3. Aug. lib. XI. *de Civit. Dei.* c. XXII.

cujus verba quoniam Abælardi et similia sententium fauces premunt, libenter hic adtexam [1]. « Si voluisset ergo, inquit, Filius Dei inde sibi humanam carnem veramque formare, unde formavit et illi primo homini, quoniam omnia per ipsum facta sunt, quis eum non potuisse audeat affirmare? Si denique de cœlesti vel aerea vel humida creatura corpus assumptum vellet commutare in humanæ carnis verissimam qualitatem, in qua et vivere ut mortalis homo posset et mori, hoc eum potuisse facere quis negaret, qui negare omnipotentem omnipotentis filium non auderet? Postremo si voluisset de nullis elementis corporeis quæ per eum creata sunt corpus assumere, sed prorsus ex nihilo sibi creare veram carnem, sicut per eum creata sunt cuncta quæ non erant, quis nostrum contradiceret, quis nostrum fieri non potuisse contenderet?» Et in libro *de Natura et gratia contra Pelagianos,* capite VII, ad id quod Pelagius scripserat: « Aliud esse quærere, an possit aliquid esse quod ad solam possibilitatem pertinet, aliud utrumne sit, » ita respondet: « Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit. Consequens enim est ut quod est, esse potuerit, non est autem consequens ut quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit, quia vero Judam non suscitavit, numquid dicendum est non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiam hoc potestate fecisset qua et Filius quos vult vivificat. »

XIII. Non igitur sic constrictam et coarctatam Dei vim ac potentiam credidit Augustinus, ut nihil præterquam quod semel fecit potuerit efficere. Quod qui sentiat, horum alterum defendat necesse est, aut rem esse nullam possibilem nisi quæ reipsa aliquando sit, aut non rem omnem posse facere Deum qui hoc solum potest quod quandoque faciat. Utrumque vero ad impietatem et inscitiam implicatum est, et utrius plus habeat existimari vix possit. Itaque puduit ineptiarum istarum postea Petrum Abælardum, quas etiam recantavit in apologia seu confessione sua quæ est inter ejus epistolas vicesima, in qua sic scribit: « Deum ea solummodo posse facere credo quæ ipsum facere convenit, et quod multa facere potest quæ nunquam faciet. »

Sed mirum est sanctum Bernardum, cum illius percenseret errores ac latissime refelleret in epistola ad Innocentium papam CXC, ubi et introductionis ejus theologicæ meminit ex eaque cætera commemorat, nullam superioris illius mentionem fecisse, contra quam ad marginem Abælardi vir doctus adnotavit. Cæterum apud eumdem Bernardum citatur Abælardi locus ex libro quodam sententiarum et expositione *epistolæ ad Romanos*, qui priori dogmati plane contrarius est. Ibi enim docet « Deum sine injuria diaboli jure profugum suum si vellet misereri, repetere et solo verbo eripere potuisse. » Itaque necessitatem nullam fuisse, « cum sola jussione sua divina miseratio liberare hominem a peccato posset, propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta » tot et tanta probra sustinere. Hinc igitur constat redimere hominem aliter quam instituit potuisse Deum. Cui et Bernardus suffragatur. « Quis negat, inquit, omnipotenti ad manum fuisse alios et alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verum hoc non præjudicat ejus quem e multis elegit efficaciæ. Et fortasse is præstat per quem in terra oblivionis, gravedinis lapsus nostri, tot et tantis gravaminibus, reparatoris fortius et vivacius admoneremur. » Quo in loco diligenter hoc notari velim quod illum modum humani liberandi generis ita præstantiorem aliis quos in potestate plurimos habebat ostendit, ut iis ipsis deterioribus licet uti potuerit.

XIV. Nam quod iis antiquorum sententiis Abælardus nititur, velut Augustini, qui Deum Patrem probat tam bonum genuisse Filium quam est ipse, quia si voluit æqualem gignere et non potuit, imbecillitatis est, si potuit et noluit, invidiæ: unde etiam de conditis a Deo rebus argumentatur, eas quam potest perfectissimas ab illo procreari: longe est alia Filii ac rerum creatarum ratio atque conditio. Siquidem Filius Patri in omnibus par et æqualis esse debet, ut qui ejusdem sit cum eo substantiæ. Quare si quod Ariani putabant, voluntate Pater Filium genuisset, eadem illum voluntate perfecte sibi æqualem debuisset gignere, alioqui vel imbecillus vel præparcus aut invidus fuisset. Qui enim operi suo et utcumque libere a se productæ rei detrahit quod naturaliter ei convenit ac jure quodam suo debetur, is aut inscitia et infirmitate, aut malignitate deteriorem illam facit. At creata res ut infinite abest ab summa divinitatis excellentia, sic in infinitum perfectionis incre-

1 Aug. lib. XXVI. *cont. Faust.* cap. VII.

menta capere potest. Quanquam crescere illius essentia, aut esse quam est perfectior nequit. Tritum est enim illud ac verissimum, naturas rerum in indivisibili sitas esse, ut neque decedere possit illis quidquam, neque ad eas accedere. Sed aliæ possunt aliis meliores existere, possunt et deteriores, quod utrumque stulte Abælardus oppugnabat. Cujus quidem minime ferendum est istud. Cum enim objecisset sibi, Deum posse quem velit salvum reddere, adeoque multos perire quos liberare potuerit possitque Deus, respondet ita : ipsum quidem qui pereat posse servari, sed non posse Deum hunc eripere. Quo verborum conflictu nihil est dementius. Nam si potest salvus fieri, utique potest ab aliquo fieri; si enim a nullo potest, ne potest quidem omnino. A quo vero potest si a Deo non potest? Sed hunc delirum omittamus. Qui Augustini quoque sententiam depravat, ita scripsisse eum asserens : « Omnipotens Deus non quia omnia potest, sed quia quidquid vult potest, nec ullatenus voluntatis ejus præpediri potest effectus. » Atqui Augustinus illo ipso loco qui videtur ex capite XCVI *Enchiridii* sumptus, quemque nos initio capitis hujus addiximus, non hoc dicit, « Omnipotens Deus non quia omnia potest, » sed hoc solum « non ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quidquid vult potest. » Quod quemadmodum interpretandum sit, superius ostendimus. Ut autem Abælardi opinio se habet, non quidquid vellet posset Deus qui necessario omnia faceret non libera voluntate, cujusmodi solam indicat, qui sic loquitur, *quidquid vult facit potestve*. Hoc enim est non omnia facere quæ potest, sed ex omnibus quod faciat sola voluntate secernere.

Nam si nihil omnino facere Deus potest nisi quod optimum est maximeque conveniens, id autem solum et optimum et maxime est congruens quod reipsa facit, et ideo nihil aliud præter id quod facit potest facere, non quod vult facit, sed fatali quadam necessitate trahitur, ut et hoc faciat unum et certo tempore modoque velut ad præscriptum faciat. Hoc qui dicit non solum libertatem Deo, sed etiam omnipotentiam atque ipsam funditus divinitatem eripit.

[…]eus, quid-
[…]id simpli-
citer et
[…]solute est
[…]elius, non
[…]mper facit

XV. De hac quæstione pari copia et eruditione disserit Hugo Victorinus[1], et quorumdam, ita ut Abælardus fecit de illa sentientium rationes sibi objicit ac dissolvit. Cujus disputationis hic summam referam. Primum argumenta ponit opinantium « Deum neque posse aliud facere quam facit, nec melius facere quam facit. Si enim aliud potest facere quam facit, potest facere quod non prævidit, et si potest facere quod non prævidit, potest sine providentia operari Deus : quia omne quod prævidit se facturum, facit, nec facit aliquid quod non prævidit. » Alterum argumentum : « Quidquid facit Deus, si melius potest facere quam facit, in hoc ipso non bene facit, quod optime quidem non facit, quod facit. Melius enim faceret si quod facit, melius faceret. Facere quippe et nolle melius facere, etiam bonum facientis male est facere. »

Ad hæc Hugo ita respondet. Imprimis id omne quod futurum est, prævisum a Deo fatetur, idque omnino futurum esse. Nihilominus posse id quod possibile est, non fieri, idque ipsum si non fieret, nunquam futurum fuisse nec prævisum. « Nulla ergo mutatio hic aut cessatio providentiæ apparet, quia sicut prævisum est et fiet, sic si prævisum non esset non fieret. » Pressius responderi sic potest : non posse Deum quidquam facere quin prævidérit, sed nihil prævidisse nisi revera futurum et quod ipse facturus esset. Quod autem futurum non est, nec est facturus unquam, hoc non prævidisse futurum. Aliter vero quam se facturum prævidit, absolute quidem facere potest, sed eo ipso quod sic prævidit, non potest, hoc est complexo, vel ut loquuntur, composito sensu.

De altero vero scribit sic : Cum dicitur rem quæ facta est non posse meliorem esse quam est, duobus intelligi modis : primum tanquam summe bona sit, « ita ut nulla omnino boni perfectio ei desit, » atque hoc modo creaturam adæquari cum creatore suo, quod prorsus fieri non potest. Deinde sic illud dicitur : « quia majus bonum quod ei deest, capere ipsa non potest. » Hoc autem *non posse*, defectus est non summa perfectio. Quare per se creatura non potest fieri perfecta magis, potest tamen Deus perfectiorem reddere. « Ergo ipse melior esse non potest. Sed quod fecit omne, melius esse potest, si tamen ipse voluerit qui potest. Et ipso quod fecit, melius facere potest, non tamen corrigens male factum, sed bene factum promovens in melius, non ut ipse quantum ad se melius faciat, sed ut quod fecit, ipso identidem operante et in eodem perseverante, melius fiat. »

[1] In lib. I. *de Sacram. fid.* part. I. cap. XXII.

XVI. Sed rursus ad hoc Hugonis responsum addendum illud est, non quidquid simpliciter absoluteque melius est, Deum facere. Libertate enim utitur in agendo, quæ dum id quod bonum est eligit, quodcumque tandem sit illud, mala esse non potest. Tum istud ipsum quod cum meliore comparatum minus bonum habetur, certo quodam ordine rerum ac serie constituta, posse ei quod alioqui melius est, anteponendum videri, ut supra demonstravi. Ac de hominis quidem creatisque rebus cæteris quæ intelligentia et ratione censentur, dici hoc potest, minus bonas esse quam possent, si cum melius possent, quod deterius vel minus bonum est eligant: nisi hoc ipsum quod per se absoluteque minus est bonum, vel præcepto aliquo vel alia de causa meliori anteferendum sit, eoque ipso sit melius. Dici hoc, inquam, potest, non modo minus bonum sed etiam minus bene facere, ac minus ideo bonas esse, dum quod est deterius faciunt, quia bonitas illarum accessionem capit, et ex nisu voluntatis operumque studio inæquabilis ejus varietas existit. Deus autem cujus infinita perfectio incrementum nullum accipit, uniusmodi semper voluntatis et actionis, ut ita dixerim conatum adhibet, tametsi opus effectumque ipsum alterum altero sit perfectius.

Nemo itaque, nisi profanus et vecors affirmare potest, nihil aliud posse Deum facere nisi quod fecit facturusve est, aut *absolutam*, quam vocant, illius negare *potentiam*, quæ non alia est quam *extraordinaria*, et in eo scilicet posita est ut multa præter usitatum rerum ordinem ac naturæ cursum efficere queat, cujusmodi non pauca jam fecit, et longe plura, si vellet, facere posset. Sic cum ad Josue preces sol medio in cursu constitit, aut Isaia petente decem gradibus retro cessit, aut mortui ad vitam revocati sunt, ac reliqua generis ejusdem, quæ quia inusitata et a communi lege sunt excepta *miracula* vocantur, hæc, inquam, omnia absoluta Dei potentia gesta dicuntur.

Absolutam Dei potentiam non negavit Calvinus.

XVII. Quam quidem potentiam et si nonnullis inficiari visus est Calvinus, si quis tamen in ejus verba diligentius intendat animum, non hoc penitus sensisse judicabit. Certe loca illa quæ ex eo proferuntur, non id satis persuadent. Duo sunt omnino, alter in secundo *Institutionum* capite septimo § 5. ubi « id fieri non posse dicit, quod non futurum Scripturæ pronuntiant; » alter in libro tertio capite XXIII §. 5. ubi « commentum absolutæ potentiæ sicuti profanum est, ita merito detestabile nobis ait esse debere. » Verum in priore cum « fieri non posse et impossibile esse » quippiam dicit, non absoluto simplicique sensu id usurpat, sed complexo, et ut vocant, composito, quatenus id fieri non potest quod nunquam fore Scriptura pronuntiat. In posteriore vero *commentum absolutæ potentiæ* eatenus reprehendit, dum ad divinum de reprobis damnandis judicium transfertur, ut ea causa reddatur, cur illos citra proprium meritum puniat, quod absolutam in eos potestatem exerceat, quam vocem profanam ac detestandam verbo tenus appellat, cum in eam prorsus illius incidat opinio, de qua suo loco nos agemus. Sane absolutam et ab circumstantiis istis expeditam Dei potentiam cæteroqui fatetur tam in iisdem illis, quam aliis in locis, ut in libro *de Vera Ecclesiæ reformandæ ratione*, ubi *transsubstantiationis* dogma refellens, purgat hoc quod a catholicis objiciebatur, Christi ab se omnipotentiam negari. Contra quos sic se ille defendit: « Rerum omnium conversionem fieri posse a Christo nos quoque fatemur [1]. Verum si quis inde cœlum colligat conversum esse in terram, ridiculus erit virtutis divinæ æstimator, qui naturæ ordinem ab illo fixum et constitutum, monstra sibi fingendo revellat. Ita in hac quæstione, quærendo quidnam possit Christus, frustra se fatigant, cum hæc una cognitio sensus omnes nostros in se continere debeat, quidnam velit. Voluntas autem ejus non alibi quam in verbo quærenda. » Non igitur mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi divina posse vi effici Calvinus negat, sed ideo non fieri quod nolit, nolle autem, quia nusquam testata sit ea voluntas, existimat. Quod illius discipuli minime cogitantes, idem dogma non eo solum inficiantur quod in Dei Verbo non sit expressum, sed quod natura rerum id non patitur ut in Christi corpus panis substantia vertatur, atque id genus alia mira et stupenda quibus rerum naturam everti, ideoque fieri non posse clamitant. Atqui si de Verbo Dei agatur, expedita res erit, sed ea res alterius est loci. Nunc quod cœptum est agamus et hoc videamus, quatenus aliquid fieri a Deo non posse quove sensu citra reprehensionem usurpetur. In quo perfidiæ suæ latebram constitutam habere diximus hæreticos, qui quamplurima

1 In tom. *Theol. tract.*

impossibilia esse ac ne divina quidem vi præstari posse sentiunt, quæ fieri posse tam catholica fides, quam ratio recta persuadet.

CAPUT VII.

De quibusdam quæ a Deo fieri non posse vulgo et quidem impune dicuntur, velut non posse mori, mentiri ac cætera peccata committere. Titi Bostrensis notata de ea re sententia. An facta infecta possit facere et naturas mutare rerum. Hieronymi de eo dictum a Petro Damiani reprehensum. Impossibilia variis modis dicuntur. Tum de ea potentia quam obedientialem vocant. Dei voluntatem esse rerum naturam cur Patres dixerint.

I. Plurimum est homini pio rerumque divinarum scrutatori necessaria ista quæstio, tum ut infinitam Dei vim et omnipotentiam accuratius intelligat, tum ut imperitorum et atheorum adversus illam latrantium nugas et calumnias elidat. Quorum e numero primus disputationi huic ingressum dabit Plinius in secundo libro *Naturalis historiæ*, capite septimo, qui ad humanam solandam imbecillitatem perinde stolidum ac nefarium hinc ascivit argumenti genus. « Imperfectæ vero, ait, in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia. Nam neque sibi potest mortem consciscere si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis, nec mortales æternitate donare aut revocare defunctos, nec facere ut qui vixit non vixerit, qui honores gessit non gesserit, nullumque habere in præterita jus nisi oblivionis, atque ut facetis quoque argumentis societas hæc cum Deo copuletur, ut bis dena viginti non sint, ac multa similiter efficere non posse. »

Quænam Deo impossibilia ex Plinio.

Quibus in verbis tria complexus est dubitationis capita quæ adversus Dei omnipotentiam injici possunt, quod nec emori possit, nec facere ut quod jam fuit non fuerit, neque rerum naturas immutare aut evertere, uti bis decem ut ne sint viginti facere. Quartum e Scripturis ac christiana fide adjungitur, neque peccare ac malum posse facere. Nam quod de communicanda immortalitate ac revocandis ad vitam fato functis addit Plinius, eadem nos fides Scripturis ac certissimis armata testimoniis futile ac falsum esse perdocet, nec de eo disputari patitur.

Item ex doctrina Christiana.

II. Cæterorum quod est primum, mori non posse Deum, id vero certissimum est, uti nec aliud pati quidquam quod naturæ illius ac proprietati contrarium est. Neque vero assertione ista divinæ omnipotentiæ quippiam decerpitur. » Omnipotens est enim faciendo quidquid vult, non patiendo quod non vult [1], » ut ait Augustinus et ex eo Isidorus Hispalensis[2] et alii. Imo vero si hoc posset, non esset omnipotens, ut ibidem traditum est ab Augustino, et in sermone CIX *de Tempore:* « Jam ego dico quanta non possit. Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest, quæ si posset, non esset omnipotens. » Quo spectat illa Cyrilli ratio ex secundo *Commentariorum in Joannem*, capite sexto, dum illud a Christo dictum explicat, « non potest Filius a se facere quidquam [a]. » Nam illud *non posse*, non imbecillitatis esse semper aut coactionis asserit, sed plerumque naturæ firmitatem et inconcussam existendi agendique stabilitatem ostendere. Ut cum homo natura sua ratione præditus et simili patre genitus, nihil se posse dicit præterquam quod in patris ac sui natura insitum est facere. De quo loquendi genere late Isidorus Pelusiota [3] Chrysostomum [4] secutus.

Deus mori non potest.

Hugo Victorinus in libro primo parte secunda *de Sacramentis fidei*, capite XXII, hunc locum pertractat, cujus verba quia quæstioni nostræ penitus occurrunt, melius sit describere. « Potestas, inquit, duplex est, altera ad aliquid faciendum, altera ad nihil patiendum. Secundum utramque Deus omnipotens verissime affirmatur, quia nec aliquid est quod ei ad patiendum corruptionem possit inferre, nec aliquid quod est faciendum, impedimentum afferre. Omnia quippe facere potest præter id solum quod sine ejus læsione fieri non potest, in quo tamen non minus omnipotens est, quia si id posset, omnipotens non esset. Dico ergo quod Deus omnia potest, et tamen

a Cyril. Τὸ δύναται, ἤτοι τὸ ἀδύνατον κατηγορεῖται τινῶν, ἤτοι τῶν ὄντων τισὶν ἐπιφέρεται τοῦτο γὰρ δὴ τὸ κατηγορεῖσθαι φαμὲν οὐχὶ πάντως ἀνάγκης, οὐδὲ ἀσθενείας ἐστὶ σημαντικὸν, διδάσκει δὲ πολλάκις καὶ φύσεων ἑδραιότητα, καὶ οὐσιῶν ἀκλόνητον στάσιν, τὴν ἐφ' οἷς ἤ ἐστιν, ἢ γέγονεν ἑκάστη τῶν σημαινομένων, καὶ ἅπερ οἶδε φυσικῶς τε, καὶ ἀμεταθέτως ἐνεργεῖν.

1 Lib. V. *de Civit. Dei.* cap. X. — 2 Lib. VII. Orig. — 3 Lib. III. ep. CCCXXXV. — 4 Hom. XXXVIII. in *Joan.*

seipsum destruere non potest. Hoc enim posse, posse non esset, sed non posse. Itaque omnia potest Deus, quæ posse potentia est. Et ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potest. »

Posse mala agere, non potentia sed impotentia.

III. Nec minus ad institutum nostrum attinet quod Anselmus in *Prosologii*, septimo capite de eodem argumento tradidit. Nam illa posse non esse potentiam sed impotentiam et abusione quadam potentiam vocari probat ita : « Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit et quod non debet, potest, quæ quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest sed impotentia. Non enim dicitur posse quia ipse possit, sed quia sua impotentia facit aliud in se posse, sive aliquo alio genere loquendi, sicut multa improprie dicuntur : ut cum ponimus esse pro non esse, et facere pro eo quod non est facere, aut pro nihil facere. Nam sæpe dicimus ei qui rem aliquam esse negat, sic est quemadmodum dicis esse, cum magis proprie videatur dici, sic non est quemadmodum dicis non esse. Item dicimus, iste sedet sicut ille facit, aut iste quiescit sicut ille facit, cum sedere sit quiddam non facere, et quiescere sit nihil facere. Sic itaque cum quis dicitur habere potentiam faciendi aut patiendi quod sibi non expedit aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam. »

Hoc vero multo magis in eo usurpari genere convenit quod a Plinio prætermissum, ex christiana professione a nobis adjungitur, cum dicimus Deum mentiri non posse vel universe peccare ac malum facere. Quod quidem Elymas magus adversus Paulum apostolum opposuisse traditur a Dionysio capite octavo libri *de Divinis nominibus*. Hoc enim arguebat, quod ab illo scriptum est, *seipsum negare non potest* [1], tanquam eo minus sit omnipotens. Sed ridiculam hominis inscitiam traducit Dionysius. « Nam seipsum negare, inquit, *in Deo* est excidere a veritate, veritas autem est ens, et excidere a veritate, excidere est ab ente. Porro ab ente non potest Deus excidere, et non est non esse, tanquam dicat aliquis, non potest non posse et non scire secundum privationem nescit [a]. »

Quem locum erudite scholiastes Maximus enarrat, ac Deum ait inter cætera lumen esse; porro lumen qua lumen est, non potest fieri tenebræ, nec is defectus est luminis sed abundantia potius virtutis ac perfectio. Ita Deus cum et summa potentia sit et summa scientia, nihil posse dicitur quod contra illa sit, et est istud ipsum non posse, excellentia quædam potentiæ ac scientiæ. Quod autem secundum privationem nescire dicitur Deus non scire, id Maximus interpretatur ideo dictum, ne οὐσιῶδες ac *subsistens* aliquid in Deo credatur hæc inscientia. Propterea privationem seu negationem verius hanc appellavit Dionysius, ac remotionem ejus quod non inest ipsi.

Deum quæ dedecent non posse, excellentia est potentiæ

IV. Isidorus Pelusiota in epistola CCCXXXV libri tertii fuse ad eamdem sententiam disserit, et illum ipsum Apostoli locum « non potest negare seipsum. » Et Chrysostomus tam in illis verbis, quam cum universe pronuntiamus « mentiri non posse Deum, non imbecillitatis nos ullius ait arguere Deum, sed inexplicabilem potius vim illius confiteri [b]. » Ambrosius quoque [2] : « Numquidnam mentitur Deus? Sed non mentitur quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile autem istud numquidnam infirmitatis est? Non utique. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? Illud utique quod naturæ ejus contrarium est, non quod virtuti arduum. Impossibile, inquit, est ei mentiri, et impossibile istud non infirmitatis est sed virtutis et majestatis, quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem. » Imo vero infirmitatis esse peccare posse probat e Scripturis Hugo Etherianus [3]. « Non potest, inquit, peccare Pater, non potest peccare Filius, eo quod peccare non sit res existens, sed tantum boni privatio. Infirmitas est, ut Apostolus dicit : *Christus, cum essemus infirmi, pro nobis mortuus est*. Et David : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum ;* ideoque non est Deo possibile. » Sic Petrus Damiani in opusculo XXXVI *de Divina omnipotentia*, mala ideo fieri a Deo non

a DION. Ἡ γὰρ ἑαυτοῦ ἄρνησις ἔκπτωσις ἀληθείας ἐστίν· ἡ δὲ ἀλήθεια, ὄν ἐστι· καὶ ἡ τῆς ἀληθείας ἔκπτωσις, τοῦ ὄντος ἔκπτωσις· ἐκ τοῦ ὄντος ἐκπεσεῖν ὁ Θεὸς οὐ δύναται· καὶ μὴ τὸ εἶναι οὐκ ἔστιν· ὡς ἄν τις φαίη τὸ μὴ δύνασθαι οὐ δύναται, καὶ τὸ μὴ εἰδέναι κατὰ στέρησιν οὐκ οἶδεν.

b CHRYS. hom. XXXVIII. in *Joan.* Ὥσπερ γὰρ ὅταν λέγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἀδύνατον τὸν Θεὸν ἁμαρτεῖν, οὐκ ἀσθένειαν αὐτοῦ κατηγοροῦμεν, ἀλλὰ ἄῤῥητόν τινα δύναμιν αὐτοῦ ὁμολογοῦμεν.

1 II. *Tim.* II, 13. — 2 Annotat. in *Numer. ad Chromat.* tom. I. col. 458. — 3 Lib. *cont. Græc.* cap. XV.

posse scribit quia nihil sunt. « Nam quod malum est, ait capite decimo, potius debet dici nihil quam aliquid, atque ideo nihil præjudicat si dicamus Deum omnia posse, licet mala omnia non possit, cum mala non intra omnia sed extra omnia potius debeant supputari. »

Plotini sententia.

Plotinus vero ita posse vindicat Deo, ut opposita non possit, hoc est mala. « Non enim posse illic ita reperitur ut opposita possit, sed ut inconcussa vis et immobilis sit quæ maxime vis est, quando ab eo quod est unum, minime desciscit. Etenim posse opposita infirmitatis est in eo quod in optimo manere nequeat[a]. » Quanquam latius hanc suam sententiam Plotinus extendit, ac videtur non oppositorum tantummodo, quæ bona aut mala dicuntur, potestatem eripere, sed ne alia quidem aut aliter quam fecit putare a Deo posse fieri, quoniam id semper vult efficitque quod est optimum : quæ est Petri Abælardi opinio superiori capite convicta. Vide caput decimum ejusdem libri Plotini, ubi impossibile esse « ad deterius progredi, non infirmitatem ait non progredientis esse, » tum etiam « ad nihil aliud progredi excellentiam cujusdam esse virtutis [1] » quod est dictis nostris consentaneum.

V. Paululum ad Petrum Damiani redeat oratio nostra, cujus est illa commemoranda sententia, quasdam esse res quæ impossibiles dicuntur, quod Deus illas nolit facere, non quod minime possit, velut est corruptam virginem integritati pristinæ restitui : de quo genere post agemus : alias non posse Deum facere quia nec potest velle. « Quod enim malum est, ait, non potest facere Deus, quia nec potest etiam velle. Quod vero bonum est, et velle potest et facere, tametsi quodam cautelæ suæ vel provisionis intuitu, quædam bona aut raro faciat aut nunquam faciat[2]. » Quæ quidem conditio non posse ea velle quæ mala sunt « non est ex impotentiæ necessitate, sed ex magnæ potentiæ procedit voluntate,» ut scribit Honorius Augustodunensis. « Magna quippe est potentia semper velle quod quis debet, et decet. Verbi gratia, ut semper sanum et sapientem esse; magna vero impotentia imo dementia velle quod non debet nec decet, ut se velle interimere [3]. » Quocirca malum Deus nec facere nec velle potest, ut isti recte prædicant. At Titus Bostrensis in secundo libro *contra Manichæos* prodidit, * Deum posse quidem malum facere, sed non velle. « Quomodo, inquit, rursus rationi consentaneum est existimare, quia desit potentia, (*forte* quod quia desit) Deus a nequitia abstinet ? Non enim ille qui est solus bonus, quia

Titi Bostrensis exponitur argumentatio et rejicitur.

a Plot. *Enn.* VI. lib. VIII. c. xxi. Ἢ οὕτω καὶ τὸ ἀγαθὸν ποιεῖν ἀναιρήσομεν, ὅτι μὴ αὖ κακοποιοῖ· οὐ γὰρ οὕτω τὸ δύνασθαι ἐκεῖ, ὡς καὶ τὰ ἀντικείμενα, ἀλλ' ὡς ἀστεμφεῖ, καὶ ἀμετακινήτῳ δυνάμει, ἣ μάλιστα δύναμίς ἐστιν ὅταν μὴ ἐξίστηται τοῦ ἕν· καὶ γὰρ τὸ τὰ ἀντικείμενα δύνασθαι ἀδυναμίας ἐστι τοῦ τὸ ἐπὶ τοῦ ἀρίστου μένειν.

b Idem : Καὶ τὸ ἀδύνατον ἐλθεῖν πρὸς τὸ χεῖρον, οὐκ ἀδυναμίαν σημαίνει τοῦ μὴ ἥκοντος, etc. καὶ τὸ μὴ ἥκειν πρὸς μηδὲν ἄλλο, τὴν ὑπερβολὴν τῆς δυνάμεως ἐν αὐτῷ ἔχει.

* Dabimus Græca Titi Bostrensis verba quæ Petavius non vidit, quæque post alios Gallandius (*Biblioth. Patrum*, t. V.) edidit, atque ita (*cont. Manich.* lib. II. §§. 4-5.) se habent : Πῶς δὲ εὔλογον δι' ἀδυναμίαν Θεὸν ἀπέχεσθαι κακίας ἡγεῖσθαι; οὐ γὰρ ἀδυναμίᾳ τοῦ ἀδικῆσαι ἀγαθὸς ὁ ἀγαθὸς, ἀλλὰ τελείᾳ τοῦ μὴ βούλεσθαι δυνάμει· εἰ δὲ λέγοιμεν, ὡς οὐ δύναται Θεὸς ἄδικόν τι ποιῆσαι, καλῶς δὴ φαμέν· τὸ μέν τοι μὴ δύνασθαι, οὐ πρὸς ἀσθένειαν ἕλκομεν, ἀλλὰ πρὸς ἀκρότητα τοῦ μὴ βούλεσθαι, καὶ πρὸς τὸ ἀμετάστατον τῆς τοῦ χείρονος παραιτήσεως· ἄτρεπτος γὰρ ὢν τὴν φύσιν, ἄτρεπτον ἔχει τὸ μὴ βούλεσθαί τι κακὸν δρᾶσαι· ὥστε δύναθαι μὲν, οὐ δρᾷ δὲ ἀτρέπτῳ τῇ τοῦ μὴ βούλεσθαι φύσει. E quibus apparet indicatam a Petavio Latinæ versionis correctionem eo solum pertinere, ut eadem lenior faciliorque reddatur. Sequitur (*Ibid.* § 19.) alterum Titi testimonium : Ὅμως δὲ φῶς τε καὶ αὐτοαλήθεια τυγχάνων ὁ Θεὸς οὐκ ἀδυναμίᾳ ψεύδους ἀπέχεται, ἀλλὰ μὴ βουλόμενος ψεύσασθαί ποτε· εἰ δέ γε μὴ δύναται, οὐ γὰρ ἄτοπον εἰπεῖν, ἐπειδή γε οὐδέποτε οὐχὶ μὴ βούλεται· οἷς μὲν γὰρ καὶ τὸ βούλεσθαι καὶ τὸ μὴ, κατὰ διάφορον τρόπον ἐπισυμβαίνει, τούτοις εὐλόγως καὶ τὸ δύνασθαι ἀφώρισται· Θεῷ δέ γε ἐπειδὴ οὐδέποτε συμβαίνει τὸ βούλεσθαι, τὸ μὴ δύνασθαι προσαπτέον· οὕτω μέν τοι, διὰ τὸ μηδέποτε βούλεσθαι, οὐχὶ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τρόπον ἀσθενείας καὶ ἀδυναμίας. Cæterum in hoc genere quæstionis de accurata loquendi ratione, sunt omnino opportunissima quæ Thomas (S. I. p. q. xxv. art. 3.) scribit : « Quæcumque igitur contradictionem non implicant, proindeque sunt absolute et ex habitudine terminorum possibilia, sub illis possibilibus continentur respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero quæ contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere. » *E. R.*

1 Cap. ii, ix et x. — 2 Petr. Dam. opusc. xxxvi. cap. ii. — 3 Lib. *de Prædest. et lib. arb.* tom. IX. *Biblioth. Patrum.*

non potest injustus esse, bonus est, sed quia perfectam potestatem habet non volendi injustitiam. Si autem dicamus non posse Deum aliquid injustum facere, recte quidem dicimus, attamen non posse non ad infirmitatem referimus sed ad summam perfectionem non volendi quod injustum est, et ad immutabilem declinationem deterioris. Cum enim sit secundum naturam immutabilis, immutabile est ei nolle quidquam mali facere. Quamobrem potest quidem, sed non facit, natura immutabili non volendi malum.[1] » Et in eodem libro : « Deus cum lumen et ipsa per se veritas sit, a mendacio abstinet, non quia deficit ei potestas, sed quia non vult unquam mentiri. Si autem non potest, non enim absurdum est sic loqui, ideo non potest quia nunquam vult. Quibus enim velle et non velle diverse accidit, recte et rationi convenienter his attribuitur posse, Deo autem quoniam nunquam accidit velle, confitendum est non posse eum mentiri, sic tamen quia scilicet non potest velle, non autem quia non potest ad instar ejus cui est infirmitas et deficit potestas[2]. » Hæc Titus, in quibus nonnulla sunt loquendi saltem genere ipso dissona, ut cum ait « posse quidem sed non facere malum. » Nam nec potest nec vult, ut supra docui. Quod enim velle non potest, illud impossibile est, quemadmodum possibile est quod velle potest etsi nunquam velit. Non solum autem absolute atque in sese est impossibile, sed etiam Deo ipsi quidquid non potest. Quanquam minus proprie loquimur cum ejusmodi, quod velle non potest, impossibile esse Deo dicimus. Illud enim nihil est : at potentia et impotentia, posse et non posse circa ea versatur usurpaturque, quæ sunt aliquid, de quo statim plenius explicabitur. Sed illam Titi sententiam ac locutionem bene castigat Origenes in libro tertio *contra Celsum*. Cum enim Epicureus iste dixisset : « Deum etiam injustum aliquid posse facere sed nolle [a] » respondet Origenes : « Nos autem dicimus, quemadmodum non potest id quod natura sua edulcandi vim habet, eo quod dulce est, amarum reddere, propter eam solam causam quæ inest ipsi : et ut quod natum est ad illuminandum, eo quod lumen sit, obscurare non potest, ita neque Deum injuste posse facere. Etenim divinitati illius et facultati quæ illi convenit, repugnat injuste posse facere. Quod si quid eorum quæ sunt, injuste facere potest, id eo potest quod ad injuste faciendum naturalem vim habet, cum in natura non habeat ut nullo modo possit injuste facere. »

Tum in quarto libro ejusdem operis : « Cum, inquit, dicimus omne esse Deo possibile, scimus vocabulum *omne* esse intelligendum de iis quæ nihil sunt nec in intelligentiam cadunt. Dicimus autem turpia non posse Deum facere. Alioqui Deus posset non esse Deus. Nam si quid turpe faciat Deus, non est Deus [b]. »

Rupertus quoque in libro *de Voluntate Dei*[3], pulchre de eadem re disputat in hunc modum : « Deus autem sicut nulli vitio nullisque omnino accidentibus subjacet, ita summe justus tale aliquid omnino facere non potest. Cum autem dicimus quia facere malum non potest, veram ejusdem eodem dicto prædicamus omnipotentiam ac si dicamus : Nihil non potest. Nam et apud quemdam non vana sed vera philosophia dicit, Deum esse omnium potentem nemo dubitaverit qui quidem mente consistat. Et continuo : qui vero omnium potens est, nihil est quod ille non possit. His duobus concessis statim infert : num igitur Deus malum facere potest ? Minime, inquit. Et concludit sic : Malum igitur nihil est, cum id facere ille non possit qui nihil non potest. » Quæ verba Boetii sunt in tertio *de Consolatione philosophiæ*, prosa XII. Apud quem pro *omnium potens* quod Rupertus posuit, legitur *omnipotens*.

VI. Tertium est caput eorum quæ in Dei omnipotentiam cadere negat Plinius ac reliqui omnes, quod quæ facta sunt infecta reddere nequeat, ut et Agatho vetus poeta apud Aristotelem[4] : An Deus facta infecta reddere possit.

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται
᾿Αγένητα ποιεῖν ἅσσ᾿ ἂν ᾖ πεπραγμένα.

a Orig. lib. III *cont. Cels.* p. 159. ῾Ο δὲ Κέλσος φησὶν, ὅτι δύναται μὲν καὶ τὸ ἄδικον, οὐ θέλει δέ· ἡμεῖς δέ φαμεν, ὅτι ὥσπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν τῷ γλυκὺ τυγχάνειν, πικράζειν παρὰ τὴν αὐτοῦ μόνην αἰτίαν, οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν τῷ εἶναι φῶς σκοτίζειν· οὕτως οὐδὲ ὁ θεὸς δύναται ἀδικεῖν· ἐναντίον γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῇ θειότητι, καὶ τῇ κατ᾿ αὐτὴν δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις· εἰ δέ τι τῶν ὄντων δύναται ἀδικεῖν, τῷ καὶ πρὸς τὸ ἀδικεῖν πεφυκέναι δύναται ἀδικεῖν, οὐκ ἔχον ἐν τῇ φύσει τὸ μηδαμῶς δύνασθαι ἀδικεῖν.

b Orig. IV *cont. Cels.* Λέγοντες ὅτι πᾶν δυνατὸν τῷ θεῷ· οἴδαμεν γὰρ ἀκούειν τοῦ πᾶν οὐκ ἐπὶ τῶν ἀνυπάρκτων, οὐδ᾿ ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων· φαμὲν δὲ ὅτι οὐ δύναται αἰσχρὰ ὁ θεός· ἐπεὶ ἔσται ὁ θεὸς δυνάμενος μὴ εἶναι θεός· εἰ γὰρ αἰσχρόν τι δρᾷ ὁ θεὸς, οὐκ ἔστι θεός.

1 Tit. Bostr. lib. II, tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2. Col. 913. — 3 Cap. XI. — 4 Lib. VI *Ethic.* cap. II.

Hoc ipse solo quippe privatur Deus
Infecta facere facta quæ fuerint prius.

De quo tamen nonnihil est quæstionis. Nam Deum etiam impossibilia posse vetere proverbio contritum est, cujus meminit Synesius : « Deo, inquit, omnia possibilia sunt, etiam impossibilia [a]. » Id quod asseveranti Platoni assentitur Augustinus sermone CXLVII *de Tempore :* « Totum ad voluntatem, ait, suam redegit Deus, qui potest et quod impossibile est. Nam quid est aliud : Non potestis esse immortales, sed ut non moriamini ego facio, nisi et quod fieri non potest ego facio [1] ? » Agit autem de illa supremi Dei ad inferiores Deos oratione quam exponit in *Timæo* Plato : « Quoniam estis orti, immortales quidem esse et indissolubiles non potestis, non tamen dissolvemini, etc. » Guitmundus item in libro primo *de Veritate Eucharistiæ* : « Nulla rerum impossibilitas potest impedire voluntatem Dei [2]. » Marius Victor libro primo *de Mundi opificio :*

Plus sit tibi credere semper
Posse Deum quidquid fieri non posse putatur.

Quo ex genere illud est Tertulliani libro *contra Praxeam,* capite decimo, ubi objicienti hæretico « difficile non fuisse Deo ipsum se et Patrem et Filium facere adversus traditam formam rebus humanis » concedit id quidem potuisse Deum facere, ut idem Filius sit qui est Pater, sed videndum an unquam voluerit : « Ergo quia si voluit semetipsum sibi Filium facere, potuit, et quia si potuit, fecit ; tunc probabis illum et potuisse et voluisse, si probaveris illum fecisse. » Atqui id omnino est impossibile Patrem fieri Filium. Sed videri potest ex iis quæ hæreticus ille profitebatur, non ex mente sua ita conclusisse Tertullianus, quod *argumentum ad hominem* scholæ nuncupant.

An Deus possit virginem corruptam in integritatem carnis reparare.

VII. Est ea de re acerrima Petri Damiani conflictio in opusculo XXXVI quod totum hac in quæstione consumitur. Occasionem vero disputandi dictum illi quoddam Hieronymi dedit, qui in epistola *ad Eustochium*, *de Custodia virginitatis* ita scripsit : « Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed non valet coronare corruptam. » Ita hunc locum legit Petrus Damiani. At Marianus Victor ex potiore codicum numero emendandum censuit* : « Sed non vult coronare corruptam. » Quæ lectio controversiam dirimit. Nam sola cur non possit facere causa in voluntatem confertur. Prior autem quæ et nonnullis in libris habetur, illud ne a Deo quidem posse fieri significat, ut quæ semel sit corrupta restituatur in pristinam integritatem. Cujusmodi Hieronymi sententia stomachum movit Petro Damiani, ut pæne illius auctori succenseret : « Hæc, inquam, fateor, ait, nunquam potuit mihi placere sententia. Non enim a quo dicatur sed quid dicatur attendo. Nimis scilicet inhonestum videtur, ut illi qui omnia potest, nisi sub altioris intelligentiæ sacramento tam leviter impossibilitas adscribatur [3]. » Huic cum Desiderius Casinensis abbas respondisset : « Deum non ob aliud hoc non posse nisi quia non vult, » Petrus Damiani merito istud redarguit, eaque profert quæ ad capitis antecedentis quæstionem attinent : ecquid ea sola possit Deus facere quæ vult ac facit. Posse enim infinita alia quam quæ reipsa vult ostendit iis verbis quæ ad cætera capitis illius testimonia contra cognominem Petrum Abælardum licet adjungere. « Si nihil potest Deus eorum quæ vult, nihil autem nisi quod vult facit ; ergo nihil omnino potest eorum facere quæ non facit. Consequens est itaque ut libere fateamur, Deum hodie idcirco non pluere quia non potest, idcirco languidos non erigere quia non potest, ideo non occidere injustos, ideo non ex illorum oppressionibus liberare sanctos. Hæc et alia multa idcirco non facit quia non vult, et quia non vult non potest ; sequitur ergo ut quidquid Deus non facit, facere omnino non possit. Quod profecto tam videtur absurdum tamque ridiculum, ut non modo omnipotenti Deo nequeat assertio ista congruere, sed ne fragili quidem

Acer P. Damiani disputatio.

[a] SYNES. epist. XI. Τῷ Θεῷ δὲ, φασὶ, πάντα δυνατὰ, καὶ τὰ ἀδύνατα.

* Emendationem Mariani Victoris suo suffragio confirmarunt Maurini editores, et qui post illos, iteratis curis, opera Hieronymi vulgavit Dominicus Vallarsius. Sincera itaque Hieronymi lectio (Epist. XXII. *ad Eustochium*, n. 5) sic habet : « Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam. Valet quidem liberare de pœna, sed *non vult* coronare corruptam. » Qua probata lectione, defuit sane Petro Damiani et Desiderio abbati Casinensi disputationis occasio, sed non defuit Petro incitamentum, ut gravissimum doctrinæ caput sapienter explanaret. *E. R.*

1 Cap. V. — 2 Tom. VI *Biblioth. Patrum.* col. 218. — 3 Petr. Dam. opusc. XXXVI, cap. I.

homini valeat convenire. Multa siquidem sunt quæ nos non facimus, et tamen facere possumus. »

VIII. Mox idem autem capite secundo et tertio non dubitat quin Deus corruptam iterum facere virginem possit, tam *juxta meritorum plenitudinem*, quam *juxta carnis integritatem*. Neque hoc contentus, etiam quæ facta sunt, ne sint facta, posse facere concludit. Etenim Dei æternitatem esse ait ejusmodi, nulla ut sit in illa præteriti, præsentis ac futuri distinctio, sed omnia simul una et simplici tum cognitione tum existentia contineat. Itaque si ad Deum ipsum respectum habemus, non *potuit* sed *potest*, usurpari convenit[1]. « Hoc quod dicimus potest, inquit, præsentis videlicet temporis, congrue dicitur quantum pertinet ad immobilem Dei omnipotenætis ternitatem, sed quantum ad nos ubi continuata mobilitas et perpes est transitus, ut mos est, potuit convenientius diceremus. » Ac subinde : « Quantum enim ad æternitatem suam quidquid potuit Deus hoc etiam et potest, quia præsens ejus in præteritum nunquam ei vertitur, ejus hodie non in cras vel in aliquod temporis vicissitudine permutatur, sed sicut ipse semper est quod est, ita quidquid illi adest, semper adest. Quapropter sicut rite possumus dicere, potuit Deus ut Roma antequam facta fuisset, facta non fuerit, ita nihilominus possumus et congrue dicere : Potest Deus ut Roma etiam postquam facta est, facta non fuerit. Potuit secundum nos, potest secundum se. Illud enim posse quod habebat Deus antequam Roma fieret, immutabile semper apud æternitatem Dei et intransibile perseverat. Et ut de quacumque re possimus dicere quia potuit eam Deus, valeamus etiam nihilominus dicere quia potest eam Deus, quia posse ejus quod sibi utique coæternum est, fixum semper atque immobile est. Potuisse enim Dei apud nos est tantummodo, apud ipsum autem non potuisse sed immotum, constans atque immutabile posse semper est. Quodcumque enim potuit Deus, indubitanter et potest, apud quem nimirum sicut non est esse et fuisse sed sempiternum esse, ita consequenter non est potuisse et posse, sed immobile semper et perpetuum posse. »

Hæc Petrus Damiani, quæ si commode declarentur nihil abhorrent ab communi sententia, quæ quod semel est factum, ne a Deo quidem fieri posse quin factum sit statuit. Nam ista, *esse factum* et *posse modo fieri*, non æternitatis propria sunt sed temporis, quæ in illa sunt absoluta. Potest itaque per sese ac simpliciter omnia Deus, si nullus sit ad differentias temporum respectus. Quæ vero jam facta sunt, eo ipso quia jam in tempore sunt facta, non possunt non fuisse : qui vulgo *sensus compositus* dicitur : eaque vis necessitatis non in præteritis tantummodo rebus valet sed ad præsentes etiam ac futuras extenditur tam contingentes quam necessarias, ut in superiore libro plenius dixi, et animadvertit idem ille Petrus Damiani capite v opusculi istius. « Nam et quidquid nunc est, quamdiu est, non esse impossibile est, etc. Quod ergo dicitur de præteritis, hoc consequitur nihilominus de rebus præsentibus et futuris, nimirum ut sicut omne quod fuit, fuisse necesse est, ita et omne quod est, quamdiu est, necesse sit esse, et omne quod futurum est, necesse sit futurum esse. Atque ideo quantum ad ordinem disserendi, quidquid fuit, impossibile sit non fuisse, et quidquid est, impossibile sit non esse, et quidquid futurum est, impossibile sit futurum non esse. »

IX. Quapropter ob eamdem sententiæ complexionem et implicatam cum enuntiatione illa differentiam temporis quæ ad illum modum efferuntur, et esse falsa sive nihil esse et a Deo idcirco fieri non posse veteres alii respondent. Augustinus in libro sexto et vicesimo *contra Faustum*, capite quinto : « Quisquis itaque dicit, si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt hoc se dicere : si omnipotens est, faciat ut ea quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint. Potest enim facere ut aliquid non sit quod erat : tunc autem facit ut non sit, quando id esse invenerit de quo fiat, velut cum aliquem qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo : hoc enim factum invenit de quo fieret. Quis autem dicat ut id quod jam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est jam non est, quod si et de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat. Et si est, quomodo præteritum est? Non ergo est quod vere dicimus fuisse, sed ideo verum est illud fuisse quia in nostra sententia verum est, non in ea re quæ jam non est. Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est quia illud de quo dicimus jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. » Vide

[1] Dam. cap. xv.

Anselmum libro secundo *Cur Deus homo*, capite XVII. Hugo item Etherianus in primo *contra Græcos*, capite XV eamdem cum Augustino causam affert, cur quæ facta sunt ut non sint facta facere nequeat Deus « quia verax Deus est, factum autem facere non factum, mendacium est. »

Proinde ut alter Hugo Victorinus colligit: « Summe potens est qui potest omne quod possibile est, nec ideo minus potest, quia impossibilia posse non est posse sed non posse. Itaque omnia potest Deus quæ posse potentia est [1]. »

Denique Cyrillus eamdem quæ a Petro Damiani toto opusculo XXXVI disseritur quæstionem breviter accurateque dissolvit de ea quæ semel corrupta virgo esse desiit. « Cur, inquit, Deus eam quæ stuprum passa est, nunquam facere potest ut non stuprata fuerit? Quoniam non potest mendacium veritatem facere. Neque vero imbecillitatis vitium istud est, sed naturæ probatio nihil pati sustinentis quod ipsam dedeceat. Alienum autem est penitus a Deo mendacium, porro mendacium est efficere ut quæ stuprum passa sit, nunquam sit passa [a]. »

Impossibilium diversa genera recensentur.

X. Ut autem illustrior sit hæc a nobis instituta disputatio, et quatenus impossibilia quædam esse dicantur fiat evidentius, duorum hic antiquorum Patrum loca inter se conferemus, qui eodem instincti Spiritu contra Arianos Filii omnipotentiam negantes simili argumentatione et ejus quod impossibile vocatur distinctione sunt usi. Hi sunt Gregorius Nazianzenus et Ambrosius. Ille in oratione XXXVI hæreticorum calumniam dissolvens, qui verba illa Joannis objiciebant: *Non potest Filius facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem* [2] » observat variis modis dici aliquid non posse fieri. Primum « ob virium defectum, idque sæpe certo duntaxat tempore, aut comparatione cum aliquo facta. Velut non potest parvulus athleticam exercere, aut catulus videre, aut iste cum aliquo certare. Nam luctabitur fortassis aliquando et videbit et cum hoc certabit, etsi cum altero certare nequeat [b]. » Alias impossibile dicitur quod « ut plurimum non fit: ut *non potest civitas abscondi supra montem posita* [3]. » Nam fieri potest ut « abscondatur aliqua, majori aliquo obducto corpore. Interdum impossibile dicitur quia non est rationi consentaneum. Ita dictum est illud: *Non possunt filii thalami jejunare quamdiu cum illis est sponsus* [4], etc. Quarto id fieri non posse dicitur a quo voluntas est aliena, cujusmodi est illud: *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum qui eum excipiebant* [5]. » Sed hoc impossibilis genus ad tertium revocari posse Gregorius animadvertit, quod scilicet a ratione est alienum. Item « impossibile dicitur quod hominibus quidem impossibile est, Deo vero possibile si velit. Uti eumdem denuo nasci [c], etc. » His accedit « quod omnino est impossibile, nec ullo modo fieri potest [d], veluti Deum esse malum aut non esse: » hoc vero impotentiæ potius esset quam potentiæ [e]. »

XI. Ambrosius vero in libro IV *de Fide*, capite tertio: « Multæ sunt, inquit, impossibilitatum differentiæ. Est aliquid natura impossibile. Et est aliquid quod est possibile per naturam, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium quod sit possibile per corporis et animi firmitatem, impossibile per imperitiam aut impotentiam. Est etiam quod per definitionem immutabilis propositi et constantis perseverantiam voluntatis, atque amicitiæ fidem sit impossibile mutari. » Ex iis quatuor impossibilis generibus solum postremum de Deo potest usurpari, quod non est

a Cyril. lib. *cont. Anthropomor.* cap. XIII. Διὰ τί δὲ ὁ Θεὸς τὴν πορνεύσασαν οὐ δύναται ποιῆσαί ποτε μὴ γεγενῆσθαι πόρνην; ὅτι οὐ τὸ ψεῦδος δύναται ἀλήθειαν ποιῆσαι· καὶ οὐκ ἀσθενείας τοῦτο ἔγκλημα, ἀλλὰ φύσεως ἀπόδειξις οὔτε παθεῖν ἀνεχομένης ὃ μὴ πρέπει αὐτῇ· ἀλλότριον δὲ Θεοῦ τὸ ψεῦδος παντελῶς· ψεῦδος δέ ἐστι, τὸ τὴν πορνεύσασαν ποιῆσαι μὴ πορνεῦσαί ποτε.

b Greg. Naz. p. 583. Οὐ τῶν καθ' ἕνα τρόπον λεγομένων τὸ δύνασθαι, ἢ μὴ δύνασθαι· πολύσημον δέ· τὸ μὲν γάρ τι λέγεται κατὰ δυνάμεως ἔλλειψιν, καὶ ποτὲ, καὶ πρός τι, ὡς τὸ μὴ δύνασθαι παιδίον ἀθλεῖν, ἢ τὸ σκυλάκιον βλέπειν, ἢ πρὸς τόνδε διαγωνίζεσθαι· ἀθλήσει γὰρ ἴσως ποτὲ, καὶ ὄψεται, καὶ διαγωνιεῖται πρὸς τόνδε, κἂν πρὸς ἕτερον ἀδυνάτως ἔχῃ· τὸ δὲ ὡς ἐπὶ πλεῖστον· ὡς τὸ, οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη· τάχα γὰρ ἂν καὶ κρυφθείη τις, ἐπιπροσθοῦντος μείζονος· τὸ δὲ ὡς οὐκ εὔλογον, ὡς τὸ, οὐ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος νηστεύειν, ἐφ' ὅσον ἔνδημος ὁ νυμφίος, etc. τὸ δὲ ὡς ἀβούλητον· ὡς τὸ μὴ δύνασθαι ἐκεῖ σημεῖα ποιῆσαι, διὰ τὴν ἀπιστίαν τῶν δεχομένων.

c Greg. Naz. Ἔστι δέ τι καὶ τοιοῦτον ἐν τοῖς λεγομένοις, ὅτι φύσει μὲν ἀδύνατον, Θεῷ δὲ δυνατὸν βουληθέντι· ὡς τὸ μὴ δύναται τὸν αὐτὸν γεννηθῆναι δεύτερον.

d Τούτων δὲ πάντων ἐκτὸς τὸ παντελῶς ἀδύνατον, καὶ ἀνεπίδεκτον.

e Τοῦτο γὰρ ἀδυναμίας ἂν εἴη μᾶλλον Θεοῦ, ἤπερ δυνάμεως.

1 Lib. I, part. I. *de Sacram. Fid.*, cap. XXII. — 2 *Joan* v, 19. — 3 *Matth.* v, 14. — 4 *Matth.* IX, 15. — 5 *Matth.* XIII, 58.

impossibile prorsus et absolute sed cum hypothesi et sensu complexo, sive ut vulgo loquuntur, composito. Id enim non posse dicitur Deus quod nunquam facere decrevit. Ut illud : « Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » Prius autem, quod natura impossibile est, potest a Deo fieri, si tamen ejusmodi non sit quod contradictionem habeat. Hujus autem exemplum affert Ambrosius, avem capere sapientiam, lapidem quoquam prodire, et cætera id genus, quæ partim absoluta vi sua potest facere Deus, partim ob repugnantiam non potest. Etsi non eo verbo utimur quo debemus. Non enim talia non potest Deus facere, sed ea potius nequeunt fieri, quia nihil sunt, et si fingantur fieri, τῆς ἀδυναμίας id est *nullius potentiæ* argumenta sunt magis quam potentiæ, ut ait Gregorius Nazianzenus. Etenim cum nihil sint, si ea posset Deus facere, posset nihil, adeoque potens non esset : sunt item mendacia et inania. Quare si posset illa Deus, mentiri posset ac Deus esse desineret. Itaque recte Clemens Romanus pontifex *in epistola ad Corinthios*[1] : « Nihil, inquit, Deo impossibile est præterquam mentiri[a]. » Et Joannes Chrysostomus in Homilia LI *in Acta apostolorum* : « Neque noceri Deus potest, inquit, nec ipse alteri nocere. Hoc autem quod dicimus, non potest, ne imbecillitatis reputes. (Nam contrarium potius imbecillitas est.) Sed id quod evenire non potest dico[b]. »

Hugo Victorinus in eo loco quem antea jam citavi : « Summe potens, inquit, est qui potest omne quod possibile est, nec ideo minus potest quia impossibilia non potest, quia impossibilia posse, non esset posse sed non posse. Itaque omnia potest Deus quæ posse potentia est, et ideo vere omnipotens est quia impotens esse non potest[1]. » Quod ille est imitatus ex Augustino, cujus in libro XXVI *contra Faustum*, capite V ista sunt : « Omnipotentem, inquit, Deum non ita dicimus ac si eum etiam mori posse credamus, et quia hoc non potest, ideo non sit dicendus omnipotens. Ille plane omnipotens vere solus dicitur qui vere est, et a quo solo est quidquid aliquo modo est vel spirituale vel corporale. » Denique ut cum Paschasio Radberto concludam : « Quoniam extra potentiam Dei nihil est, idcirco omnia potest[2]. »

XII. Sepositis itaque ejusmodi omnibus quæ quia secum pugnant, falsa ut dixi et mendacia sunt atque adeo nihil, nihil non ab omnipotente potest fieri etiam eorum quæ ab communi rerum ac naturæ lege abhorrere videntur. Atque in eo potissimum vis est omnipotentiæ divinæ posita, ut meminit Augustinus « quod universa creatura sua utitur ut ei placet[3]. » Siquidem « naturæ affectionibus, ut scribit Chrysostomus, naturæ opifex non servit, quoniam naturæ necessitati non subest Deus in iis quæ efficit, cum sit naturæ totius conditor, ad omnem vero mutationis speciem natura liberæ voluntati facientis obsequitur[c]. » *Supra recensitis exceptis casibus, omnia potest Deus.*

Quod Petrus Damiani in opusculo illo quod paulo ante citavimus, iis verbis aperit : « Nam qui rebus præsidet conditis, legibus non subjacet conditoris, et qui naturam condidit, naturalem ordinem ad suæ ditionis arbitrium vertit : quicumque creata quælibet dominanti naturæ subesse constituit, suæ dominationis imperio naturæ obsequentis obsequentiam reservavit. Consideranti plane liquido patet, quoniam ab ipso mundi nascentis exordio rerum conditor in quid voluit naturæ jura mutavit, imo ipsam naturam, ita dixerim, quodammodo contra naturam mutavit[4]. » Quæ postrema verba non ad eam sententiam trahenda sunt, ut naturam rerum evertere possit Deus itaque mutare, unius ut natura natura sit alterius, exempli causa pecus uti rationis fiat particeps, homo rationis expers. Id enim quia sibi ipsum repugnat, ex illo falsorum ac mendacium genere est, quod nihil esse fierique ideo non posse supra monuimus. Sed salva rei cujusque natura et essentia, potest quidlibet in iis facere Deus, non tam contra quam præter supraque naturam, ut ait Dionysius in sexto capite libri *de Divinis nominibus* ; naturam autem non abso-

a Clem. *Ep. ad Cor.* Οὐδὲν γὰρ ἀδύνατον παρὰ τῷ Θεῷ, εἰ μὴ τὸ ψεύσασθαι.

b Chrysost. Οὔτε οὖν βλαβῆναι δύναται, οὔτε βλάψαι ἕτερον· τὸ δὲ, οὐ δύναται, μὴ ἀδυναμίας νομίσῃς (τοὐναντίον γάρ ἐστιν ἀδυναμία) ἀλλὰ τὸ ἀνένδεκτον λέγω.

c Chrysost. orat. *de Abraamo*, quæ est X. Οὐ γὰρ δουλεύει φύσεως πάθεσιν ὁ φύσεως δημιουργός, ὅτι οὐχ ὑπόκειται φύσεως ἀνάγκῃ Θεὸς ἐν οἷς ἐργάζεται, πάσης φύσεως ὑπάρχων δημιουργός· ἀκολουθεῖ δὲ πρὸς πᾶν εἶδος μεταβολῆς ἡ φύσις τῷ ἐλευθέρῳ τοῦ πεποιηκότος θελήματι.

1 Lib. I *de Sacr. fid.* part. I. cap. XXII. — 2 Lib. *de Corp. et sang. Christi.* — 3 Lib. XXVI, *cont. Faust.*, cap. V. — 4 Opusc. XXXVI. cap. XI.

lute consideratam et ut in illa Deus intelligitur, sed creatam et aspectabilem, ex qua de divina potentia judicium facere stultum est, uti Simon magus instituebat adversus christianum de resurrectione dogma disputans, quod ibidem refert Dionysius, et hodieque imitantur hæretici. « Nec ista cum fiunt, ait Augustinus, contra naturam fiunt nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo cui hoc est natura quod fecerit[1]. »

XIII. Hinc illa est quæ vulgo nominatur in scholis, *obedientialis potentia*, de qua philosophi inter se ac theologi litigant, sitne absoluta et ejusmodi, ut ad quodlibet efficiendum, etiam cujus nullum in natura sit initium, Deus uti creatura possit, an ea sola præstari possunt quorum innata sunt rebus omnibus semina quædam ac velut rudimenta perfecti operis. Quam in posteriorem partem propensus esse videtur Leontius Byzantius in secundo libro *adversus Eutychianos* cum sic scribit: « Nec enim quæ supra naturam sunt, locum habent non habente natura quod secundum naturam est, desinitque miraculum esse quod miraculum est, cum id quod est supra naturam mutat, ac magnificentia quæ naturæ violentiam adhibet, in contumeliam vertitur[2].

Idem etiam sentire videtur Augustinus, certe modum illum et rationem explicans qua Deus præter naturæ legem mira quædam et inusitata molitur, « numeros esse quosdam ait a Deo creaturæ insitos, sive causales rationes quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit[3] : » de quibus inquirit statim an ita sint institutæ ut usitata lege certis temporum intervallis naturalia ex iis effecta ducantur, an ut præter ordinem illum momento quædam existant. Atque hoc posterius amplectens, « utrumque illas habuisse respondet, ut hoc ex eis futurum esset quod factori placuisset. Si enim illo modo dixerimus, incipiet contra ipsos factum videri non solum etiam illud de aqua vinum, sed et omnia miracula quæ contra naturæ usitatum cursum fiunt, etc. Restat ergo ut ad utrumque modum habiles creatæ sint sive ad istum quo usitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum quo rara et mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit quod tempori congruat. » Et in libro nono ejusdem operis capite XVII uberiori disputatione rem absolvit : « Elementa, inquit, mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum omnia quæ gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum* (*al.* modum) cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod in eis posuit, ut de his fieri vel absque ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est, et hoc de unaquaque re in suo tempore facit quod ante in ea fecit ut possit. Alius est ergo rerum modus quod illa herba sic germinat, illa sic, illa ætas parit, illa non parit, homo loqui potest, pecus non potest. Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum sine radice ulla, sine terra et aqua repente floreat et fructum gignat, ut per juventam sterilis femina in senectute pariat, aut asina loquatur, et si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis quas creavit ut ex eis et hæc fieri possent. Nec enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior. Verumtamen alio modo dedit ut hoc non haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret. » Brevius hoc idem declarat auctor libri *de Mirabilibus Scripturæ* cum ait : « Quod ex parte res habet, Deum per totum posse,

* Lectio quam Petavius innuit, quæque *modum* non *motum* refert, in Maurina editione sex mss. suffragatione confirmatur. Sed momenti est longe potioris altera varietas, cujus Petavius non meminit, quæque diversum plane sensum fundit. Ubi enim dicitur, « Potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit, » ibi conspirantibus mss., inserta particula negante, legendum est : « Potestas creatoris... non tamen id quod *non* in eis posuit... » Denique ubi mox legimus, « sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ, » ibi, mss. præeuntibus legendum est, « sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ. » *E. R.*

1 Lib. VI *de Gen. ad lit.* cap. XIII. — 2 Tom IV *Biblioth. Patrum.* col. 991. — 3 Lib. VI *de Gen. ad lit.* cap. XIII.

et quod ex parte res habet, Deum per se totum ut sequatur naturaliter imperare [1]. »

XIV. Utcumque autem res habet (non enim componenda hic a nobis ista controversia est) apparet quidquid illo modo facit Deus præter usitatum rerum ordinem, cum earum natura minime pugnare. « Ipsa quippe rerum natura, ut ait Petrus Damiani, habet naturam suam Dei voluntatem, ut sicut illius leges quælibet creata conservant, sic illa cum jubetur sui juris oblita divinæ voluntati reverenter obediat [2]. » Sola, ut Cyrillus loquitur, ἀκολουθία τῆς φύσεως, id est *ordo naturæ* interpellari dicitur [3]. Paschasius Radbertus in libro *de Corpore et sanguine Domini*, capite primo, hanc quam vocant *obedientialem* vim pulchre describit : « Rerum, inquit, et naturarum causa sola voluntas Dei jure creditur. Ideoque quotienslibet in sæcula videtur quasi contra naturam aliquid evenire, quodammodo non contra naturam est ; quia potissimum rerum natura creaturarum [a] hoc habet eximium ut a quo est, semper ejus obtemperet jussis, ut sicut velle Dei ejus profecto est esse, ita quoque quidquid eam rursus Dei virtus esse decreverit, jure aut crescendo augeatur aut nascendo. » Etenim, ut canit Sedulius :

Subditur omnis
Imperiis natura tuis, rituque soluto,
Transit in adversas jussu dominante figuras.

Pergit Radbertus, et vim illam rebus insitam auctori suo etiam in iis quæ naturæ suæ contraria videntur, obtemperandi, cum illarum minime pugnare natura sic ostendit. « Neque enim sic condidit omnium artifex Deus rerum naturas ut suum velle ab eis auferret, quia omnium creaturarum subsistentia in eadem Dei voluntate subsistit et virtute, a qua causam habet non solum ut subsistat quidquid est, sed etiam ut sic sit sicut ipsa Dei voluntas decrevit, quæ causa est omnium creaturarum. Alioquin nec subsisteret ulla creaturarum existentia, nisi in ejus voluntate a quo totius ejus esse manat. Et ideo natura creaturæ quotiens mutatur aut augetur vel subtrahitur, non ab illo esse divertitur in quo est. »

XV. Hinc Augustinus portenta ipsa, quia secundum Dei voluntatem fiunt, negat contra naturam fieri in XXI *de Civitate Dei*, capite VIII : « Omnia quippe portenta contra naturam, ait, dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti utique conditoris conditæ rei cujusmodi natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. » Ubi quod ait Dei voluntatem rei cujusque esse naturam, id ex Seneca sumptum est philosopho, ut Lactantius observat [4]. Qui in libro quarto *de Beneficiis* ingratos homines arguens [5], qui usum omnium rerum naturæ adscribunt non Deo, sic in eos invehitur : « Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim est aliud natura quam Deus et divina ratio toti mundo et partibus ejus inserta? » Et capite sequenti : « Ergo nihil agis ingratissime mortalium qui te negas Deo debere sed naturæ, quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura. Sed idem est utrumque nec distat. » Sic et Ambrosius : « Sermo Dei, inquit, virtus naturæ est [6]. » Quod ex Platone affert Guitmundus in primo libro *de Veritate Eucharistiæ*, ut substantiæ panis ac vini conversionem in corpus Christi ac sanguinem probet : « Quod si vel tantum, inquit, volunt christiani concedere Deo quantum concessit paganorum magnus philosophus Plato, qui rerum naturam dixit esse id quod vult Deus, quid unquam erit absurdius, quam id quod vult Deus Deo volenti contraire? » Ac mox : « Desinant igitur inaniter dicere, natura non patitur, et id tantummodo an Deus hanc mutationem velit requiramus. » Idem habet et Goffridus Vindocinensis in fine opusculi primi.

Cæterum Platonis ille locus in quem digitum Guitmundus intendit, puto est in *Timæo* [7], ubi summus Deus secundi ordinis Deos alloquens : « Sed quoniam orti estis, inquit Cicerone interpretante, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissolvemini : nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus valentior, quam consilium meum, *voluntas mea*, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tum cum gignebamini, colligati [b]. » Ac

[a] *For.* creatarum *.

[b] PLATO in *Tim.* Δι' ἅ, καὶ ἐπεί περ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδ' ἄλυτοι τὸ πάμπαν· οὔ τι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ, καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς ὅτε ἐγίνεσθε, συνεδεῖσθε.

* Conjecturæ Petavianæ favent apud Martenium (*Scriptt. vett.* t. IX. p. 382.) mss. codices, qui habent *creatarum*. *E.R.*

1 Lib. II. cap. XXV. — 2 Opusc. XXXVI. cap. XI. — 3 Lib. III *in Joan.*, cap. IV. — 4 Lib. II, cap. VIII. — 5 Cap. VII. — 6 Amb. lib. II. in *Hexaem.* cap. III. — 7 Lib. *de Univer.*

tametsi potest absolute omnia facere Deus, hac tamen potestate nonnisi cum necesse est ut aliter fieri nequeat, utitur. Alioqui ordinarium et a se constitutum rerum ac naturæ cursum retinet, quod Cyrillus Alexandrinus in primo *contra Nestorium* affirmat, cujus verba vel eo maxime describam, quia id insuper confirmant quod antecedenti capite demonstratum est, multa Deum quæ nunquam facturus est, posse facere : « Nihil, inquit, eorum omnino divinæ et arcanæ potentiæ est impossibile, quæ facere voluerit, tamen per ea quæ sunt rerum naturæ consentanea progreditur, leges a se positas minime contemnens. Ac poterat quidem omnipotens Verbum cum statuisset nostra causa esse nostri simile, repudiata nativitate ex femina, extrinsecus ac virtute propria tale sibi corpus fingere quale utique factum esse dicimus primo parenti Adamo [a]. » Rursus Cyrillus idem in tertio *contra Julianum* supremam illam, cui ad nutum obediunt omnia, Dei potentiam prædicat : « Cujus nutibus natura rerum obsequitur, ac prorsus planeque quod ipsi visum est, arcana quadam efficacia effectum reddit. Quoniam quodcumque libitum est ei, hoc singulis eorum quæ facta sunt pro natura est [b]. » Adjungit deinde Platonis illum ex *Timæo* locum.

CAPUT VIII.

In quo sita sit omnipotentia Dei : plerique in voluntate constituunt. Alii Verbum ipsum vocant ejus omnipotentiam, et βουλὴν, *id est consilium sive voluntatem nominant. Varia itidem Filii nomina eodem spectantia. Ut quod viva et subsistens efficientia dicitur, nec non manus, tum voluntas quatenus dicatur expenditur. Item Pater dicitur per Filium agere, eaque locutionis formula declaratur.*

I. Nunc quemadmodum Dei omnipotentia se habeat, et in quo constituenda sit vis illa omnium effectrix, subtilius investigare oportet. Nam etsi quidquid inest Deo, reipsa Deus sit et ipsamet ejus essentia, *ratione* tamen et ἐπινοίᾳ quædam in eo distincta considerantur, ut in primo libro pluribus est dictum. Itaque videndum est, sitne peculiare quoddam, ut vocant, *attributum* in Deo efficiendi vis, an cum aliquo alio permisceri confundique debeat, uti cum voluntate : aut etiam utrum Filius ipse an Spiritus sanctus illa ipsa sit agendi potentia, qua Deus creare et extra se moliri aliquid dicitur. Siquidem de tribus illis præcipua potest esse disputatio, cujus ansam nobis veteres præbent theologi quorum in scriptis occurrunt nonnulla, quæ de trium illorum aliquo suspicionem afferunt.

Primum quod ad voluntatem Dei spectat quæ superiore libro est a nobis exposita, non pauca persuadent illorum dicta, in ea esse sitam omnipotentiam. Etenim Athanasius in libro tertio *contra Arianos* horum sententiam refutans [c], qui Filium a Patre procreatum dicebant ante omnia ut per illum reliqua faceret, supervacaneum id esse ait, quod ad condenda omnia sola Deo voluntas sufficiat. « Nam cur alioqui cum condere hanc rerum

An omnipotentia in voluntate sita sit.

a Cyril. I. *cont. Nest.* p. 7. Ἀνέφικτον μὲν γὰρ παντελῶς οὐδὲν ὧν ἂν ἕλοιτο κατορθοῦν, τῇ θείᾳ, καὶ ἀποῤῥήτῳ δυνάμει· ἔρχεται δὲ διὰ τῶν εἰκότων τῇ τῶν ὄντων φύσει, τοὺς παρ' αὐτῆς τεθειμένους οὐκ ἀτιμάζουσα νόμους· καὶ ἦν οὐκ ἀνέφικτον τῷ πάντα ἰσχύοντι λόγῳ κεκρικότι μὲν δι' ἡμᾶς γενέσθαι καθ' ὑμᾶς, παραιτουμένῳ γε μὴν γέννησιν τὴν ἐκ γυναικὸς, ἔξωθεν ἑαυτῷ, καὶ ἰδίᾳ δυνάμει πλαστουργῆσαι τὸ σῶμα, καθάπερ ἀμέλει γενέσθαι φαμὲν καὶ ἐπὶ τοῦ προπάτορος Ἀδάμ.

b Cyril. Ὅτι θεοῦ γε ἐθέλοντος ἦν, οὗ τοῖς νεύμασιν ἡ τῶν πραγμάτων ἕπεται φύσις, πάντα τε καὶ πάντως τὸ αὐτῷ δοκοῦν, ἀῤῥήτοις τισὶν ἐνεργείαις ἐφικτὸν ἀποφαίνοντος· ὅτι τὸ κατὰ γνώμην αὐτῷ, τοῦτο καὶ τῶν γεγονότων ἑκάστῳ φύσις.

c Athan. Ἄλλως τε διὰ τί ὅλως θέλων κτίσαι, ζητεῖ τὸν μεσίτην, ὡς οὐκ ἀρκουμένου τοῦ βουλήματος αὐτοῦ συστῆσαι περὶ ὧν ἐὰν αὐτῷ δοκῇ; καὶ μὴν αἱ γραφαὶ λέγουσι· πάντα ὅσα ἠθέλησεν ἐποίησεν· καὶ τῷ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκεν; εἰ δὲ καὶ τὸ βούλημα μόνον ἱκανόν ἐστιν αὐτοῦ πρὸς τὴν τῶν πάντων δημιουργίαν, περιττὴ πάλιν καθ' ὑμᾶς ἡ τοῦ μεσίτου χρεία.

universitatem vellet, mediatorem requirit tanquam ejus voluntas non sufficiat ad condenda quæcumque voluerit? Atqui Scripturæ dicunt, Omnia quæcumque voluit fecit, et voluntati ejus quis restitit? Quod si vel sola sufficit voluntas ad omnium procreationem, supervacanens est ex vestra sententia mediatoris usus. » Eadem fere Cyrillus habet in dialogo quarto *de Trinitate* [1]. Item in nono libro *Thesaurorum :* « Si omnis substantia rationalis non voluntate sola sed agendo patiendoque operatur, sola autem ingenita substantia volendo non patiendo, volens vero et non patiens operatur Filius; ejus ergo substantiæ est quæ voluntate sola operatur, non per passionem [a]. »

II. Disertius idem ab Clemente Alexandrino proditum est in *Protreptico :* « Quanta est autem, inquit, Dei potentia! Ipsius Dei sola voluntas est mundi productio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque solus est revera Deus. Sola voluntate operatur, et ejus solum velle factum esse consequitur [b]. »

Sic Joannes Chrysostomus oratione secunda *de Incomprehensibili adversus Anomœos,* de eodem mundi opificio et angelorum procreatione agens : « Satis, inquit, illi fuit ad omnia, velle. Atque uti nobis voluntas nullum affert laborem, ita nec illi tot tantasque procreasse virtutes. Hoc Propheta declarans aiebat : *Omnia quæcumque voluit fecit in cœlo et in terra* [2]. Vides ut non ad ea solum quæ in terra sunt, sed eas quoque quæ sunt in cœlo virtutes condendas, illius voluntas sola suffecit [c]? » Etenim « quod cæteris artificibus est materia et instrumenta, nec non tempus et labor et scientia et diligentia, hoc universorum Deo voluntas est [d], » ait Theodoretus.

Auctor libri *de Trinitate* qui Novatiano inscribitur : « Cur manus expetat, inquit, cujus ad omnia instituenda artifex est et silen voluntas? » Et mox : « Cujus voluntatem non tantum sine aliqua molitione opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum voluntate procedunt. »

Ambrosius quoque libro quinto *Commentariorum in Lucam :* « Voluntas, inquit, Dei potestas est. Si ergo voluntas Dei ejus potestas est, qui unius voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt potestatis. » Hoc et Alcuinus in secundo *de Trinitate,* capite tertio secutus, potentiam Dei ipsam esse voluntatem affirmat.

Hinc passim apud Augustinum, voluntas Dei suprema omnium causa dicitur, ut in tertio *de Trinitate* præsertim capite quarto : « Voluntas, inquit, Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum atque motionum [3], etc. » Quem locum in sententiam LVIII transtulit Prosper.

Irenæus quoque apud Joannem Damascenum, « Dei voluntas et actio omnis et loci et temporis et sæculi, omnisque naturæ effectrix et providens causa [e]. » Et Paschasius Radbertus in libro *de Corpore et sanguine Domini :* « Voluntas, inquit, Dei tam efficax est et omnipotens, ut ejus velle solum fieri sit, ac per hoc voluisse illum, fecisse est. »

Auctor libri *de Speculo* cui Augustini nomen præfigitur, octavo capite : « Voluntas tua opus est, cui velle est posse, qui omnia quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. »

III. Rursus ipsam Dei omnipotentiam in ejus Verbo ac Filio constituere plerique videntur, ut Origenes qui sic in primo *de Principiis* secundo capite scribit : « Per Filium omnipotens est Pater, etc. Per sapientiam enim quæ est Christus, tenet Deus omnipo- Plerique Verbo illa constituun

a Cyril. Εἰ πᾶσα οὐσία λογικὴ οὐ μόνῳ τῷ θέλειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐνέργεῖν, καὶ πάσχειν δημιουργεῖ, μόνη δὲ ἡ ἀγέννητος οὐσία τῷ θέλειν, καὶ μὴ πάσχειν, θέλων δὲ, καὶ μὴ πάσχων δημιουργεῖ ὁ υἱὸς, τῆς ἐν θελήσει μόνη δημιουργούσης οὐσίας ἐστὶν, ἀλλ' οὐ τῆς ἐνεργούσης κατὰ πάθος.

b Clem. Alex. *Protrept.* Ὅση γε ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ; μόνον αὐτοῦ τὸ βούλημα κοσμοποιΐα· μόνος γὰρ ὁ θεὸς ἐποίησεν, ἐπεὶ καὶ μόνος ὄντως ἐστὶ θεός· ψιλῷ τῷ βούλεσθαι δημιουργεῖ, καὶ τῷ μόνον ἐθελῆσαι αὐτὸν, ἕπεται τὸ γεγενῆσθαι.

c Chrys. tom. VI. edit. Savil. Ἤρκεσε γὰρ αὐτῷ τὸ θελῆσαι πρὸς ἅπαντα· καὶ καθάπερ ἡμῖν ἡ βούλησις οὐ παρέχει κάματον, οὕτως οὐδὲ ἐκείνῳ τὸ δημιουργῆσαι τοσαύτας, καὶ τηλικαύτας δυνάμεις· καὶ τοῦτο ὁ προφήτης ἐμφαίνων ἔλεγε· πάντα, ὅσα ἠθέλησεν, ἐποίησεν ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ γῇ· ὁρᾷς ὅτι οὐχὶ πρὸς τὴν δημιουργίαν τῶν ἐν τῇ γῇ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ἄνω δυνάμεων ἤρκεσεν ἡ θέλησις αὐτοῦ μόνη;

d Theodoret. serm. IV. *cont. Græc.* Ἀλλ' ὅπερ ἔστι τοῖς ἄλλοις τεχνίταις καὶ ὕλη, καὶ ὄργανα, καὶ μέν τοι καὶ χρόνος καὶ πόνος, καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐπιμέλεια, τοῦτο τῷ θεῷ τῶν ὅλων ἡ βούλησις.

e Damasc. lib. *de Duab. Christ. volunt.* Θέλησις μὲν γὰρ καὶ ἐνέργεια θεοῦ· κατὰ τὸν μακάριον Εἰρηναῖόν ἐστι, παντὸς χρόνου, καὶ τόπου καὶ αἰῶνος, καὶ πάσης φύσεως ποιητική τε, καὶ προνοητικὴ αἰτία.

1 Cyril. dial. IV. — 2 *Psal.* CXXXIII, 6. — 3 Cap. II, III et IV.

tentatum non solum dominantis auctoritate, verumetiam subjectorum spontaneo famulatu. » Et paulo post : « Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est cœli et terræ, solis et lunæ et stellarum, omniumque quæ in ipsis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum, etc. » Sed omnipotentiam ea significatione accipit qua imperium ac dominatum exprimit. De altera notione quæ vim effectricem et agendi potentiam continet, multo etiam res videtur esse testatior, ac partim e sacris Litteris, partim ex antiquorum sententiis illustrius probari posse. Si quidem ea Scripturæ nomina proprie tribuunt Verbo, quæ actuosam illam vim et potentiam inferunt, atque ita passim de eodem loquuntur ut ab illo et per illud moliri omnia Deum Patrem significent, non utique tanquam per instrumentum, ut impii Ariani jactabant; quare superest ut illo tanquam vi sua et agendi virtute Pater omnia fabricasse dicatur. Ita *Dei virtus et Dei sapientia* [1] nominatur ab Apostolo. Et alibi, *per eum facta esse* dicit *sæcula* et *portare* ipsum *omnia Verbo virtutis suæ* [2]. Joannes quoque : *Omnia per ipsum facta esse* [3]. David item : *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Appellatur et *splendor gloriæ* [4], id est majestatis Dei, hoc est ἀπαύγασμα quo *illuminat omnem hominem* [5], quibus verbis efficientia quædam demonstratur et actio. Tum *brachium* et *consilium*, aut etiam *voluntas* Dei, ut constabit ex iis veterum locis quæ subinde percensebimus. Augustinus libro XI *Confessionum* capite VII « Verbum Deum vocat quod sempiterne dicitur, et eo sempiterne dicuntur omnia. » Et mox : « Et ideo Verbo tibi coæterno simul et sempiterne dicis omnia quæ dicis, et fit quidquid dicis ut fiat. Nec aliter quam dicendo facis, nec tamen et simul et sempiterna fiunt omnia quæ dicendo facis. »

IV. Imprimis Gregorius Thaumaturgus Filium vocat, «Verbum efficax et virtutem creaturæ totius effectricem [a]. » Athanasius vero lib. III *contra Arianos* magna et orationis ubertate et argumentorum pondere idipsum adstruit, Patrem asserens per Filium omnia condidisse, sicut lumen per splendorem illustrat, homo per brachium artis opera molitur. « Cum enim Verbum, ait, proprius sit substantiæ Dei Filius, et ex ipso sit atque in ipso, ut ipsemet dixit, non poterant non per ipsum creaturæ fieri. Nam ut lumen splendore suo illuminat omnes, ac nemo sine splendore potest illuminari; sic Pater tanquam per manum in Verbo suo omnia molitus est, et sine ipso nihil facit [b]. » His Athanasius subjicit rerum omnium procreationem a Deo Verbo esse factam, ut initio *Geneseos* proditur : « Est enim, ait, Verbum Dei artifex et efficiens, et est ipsa Patris voluntas sive consilium ac decretum [c]. » Hinc potest colligi Verbum esse vim ipsam efficientem qua Pater omnia condidit. Itaque « si non sit Filius, quomodo, inquit alio in loco, Deum esse creatorem dicitis? Nam si per Verbum et in sapientia creata fiunt omnia, et sine eo nihil potest fieri, non habet, ex vestra opinione, in quo et per quod omnia facit [d]. » Ideo Verbum non fieri crearive a Deo probat alibi [6], quia non est aliud Verbum per quod illud efficeret, quasi diceret vim ipsam efficiendi non posse fieri, quia non est alia vis per quam existat.

Quo argumento utitur Augustinus tractatu primo *in Joannem :* « Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est Verbum Verbi per quod factum est illud, ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. »

V. Athanasius vero expressius aliquid de effectrice Dei potentia significat, dum Filium ipsam Dei βουλὴν esse vult, hoc est vel *consilium* vel *voluntatem*. Consilium autem sic accipe ut sit propositum et decretum, ac deliberationis

a GREG. THAUM. in *Expos. Fidei :* Λόγος ἐνεργὴς, καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική.

b ATHAN. orat. III. Ἐπειδὴ γὰρ λόγος ἐστὶν ἴδιος φύσει τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ υἱὸς, ἐξ αὐτοῦ τέ ἐστι, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν, ὡς εἶπεν αὐτὸς, οὐκ ἠδύνατο μὴ δι' αὐτοῦ γενέσθαι τὰ δημιουργήματα· καθάπερ γὰρ τὸ φῶς τῷ ἀπαυγάσματι πάντας φωτίζει, ἄνευ τοῦ ἀπαυγάσματος οὐδεὶς ἂν φωτισθείη· οὕτω καὶ ὁ πατὴρ, ὡς διὰ χειρὸς ἐν τῷ λόγῳ εἰργάσατο πάντα, καὶ χωρὶς αὐτοῦ οὐδὲν ποιεῖ.

c Ibid. Ἔστι γὰρ ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ δημιουργὸς, καὶ ποιητικὸς, καὶ αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς βουλή.

d Id. lib. II. *cont. Arian.* Μὴ ὄντος δὲ υἱοῦ, πῶς ἄρα τὸν Θεὸν κτίστην εἶναι λέγετε; εἰ γὰρ διὰ λόγου, καὶ ἐν σοφίᾳ πάντα τὰ γινόμενα γίνεται, χωρὶς δὲ τούτου οὐκ ἄν τι γένοιτο, οὐκ ἔχει καθ' ὑμᾶς ἐν ᾧ, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα ποιεῖ.

1 I *Cor.* I, 24. — 2 *Hebr.* 1, 2, 3. — 3 *Joan.* 1, 3. — 4 *Hebr.* 1, 3. — 5 *Joan.* 1, 9. — 6 Lib. III.

consultationisque velut terminus, hoc est voluntas ipsa, sic tanquam inquisitione deliberationeque fixa, ut in creatis rebus moliendis non naturalis intelligatur necessitas, sed libera suique juris animi ac voluntatis inductio. Quapropter in libro quarto Dei Patris voluntatem ipsam diserte ait in Christo inesse, ex quo etiam ostendit non illum voluntate Patris esse productum, quia nulla nisi in ipso Patris est voluntas. Athanasii locum, quia et ad rem spectat et est luculentissimus ac cum Augustiniano illo proxime citato prorsus congruit, non abs re sit adscribere. « Quocirca, inquit, Dei voluntas quam sive de regeneratis omnibus, sive de semel conditis habet, inest in Verbo in quo et quæ visa sunt omnia facit ac regenerat. Atque hoc iterum Apostolus indicat scribens *ad Thessalonicenses : Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu erga vos* [1]. Jam vero si in quo facit, in ipso est et voluntas, in Christo autem inest Patris voluntas, quonam pacto voluntate ille potest esse factus? Si enim etiam ipse voluntate, ut vos dicitis, est factus, necesse est voluntatem de eo susceptam in alio quodam verbo constare, per quod et ipse sit factus. Demonstratum enim est Dei voluntatem non in iis esse quæ fiunt, sed in eo per quem et in quo creata fiunt omnia [a]. » Hic cum in Verbo Dei voluntatem inesse dicit, nihil aliud significat quam quod libro tertio docuit, Verbum ipsam Dei esse voluntatem, sive ut in scholis loquuntur, *volitionem*, quæ quia omnium est effectrix, ipsaque adeo vis agendi et omnipotentia Dei, jure suspicari licet, Verbum ab Athanasio ipsammet Dei Patris omnipotentiam habitum fuisse.

VI. Cyrillus item Alexandrinus Athanasio prorsus assentitur maxime in dialogo sexto, ubi Dei Filium « ipsam ait esse vim per quam efficax ad ea omnia quæ facta molienda fuit et est et erit Pater [b], » quemadmodum artifex non aliter suæ artis opera, quam manu propria, exercitationeque ac sapientia fabricandique peritia perficit. « Sic Deus, inquit, et Pater quæcumque conditrice efficientia facere voluerit, per Filium tanquam vim propriam efficiet. Itaque divinus illud David sciens Filium esse viventem ac subsistentem Patris efficientiam atque vim, orabat dicens [2] : *Manda, Deus, virtuti tuæ* [c]. » Sic in decimo quinto *Thesaurorum* : « Ob id dextram et brachium Dei nominari ait. Si quidem omnia per ipsum veluti per manum operatur [d]. » In quarto vero *Dialogorum* planius ait per Filium omnia procreare Patrem « velut per Verbum et sapientiam et virtutem, quæ inest ipsi [e]. » Quid est autem aliud ἰσχὺς quæ inest in Patre, nisi efficiendi vis et omnipotentia ?

Rursus libro secundo in *Joannem* capite quinto Filium nominat *vivam et subsistentem Patris voluntatem* [f]. Et eodem vocat δύναμιν ἐνεργητικὴν Patris *vim ipsam effectricem*, unde concludit, non prius agere quippiam Patrem quod imitetur exprimatque Filius, quia non nisi per efficientem vim suam facit ille quidquid demum facit.

Ad hæc in fragmentis libri VII et VIII commentariorum eorumdem in *Joannem* Christum ait seipsum appellare « omnipotentem Patris dexteram eo quod omnia per ipsum operatur Pater, cujusmodi sunt et quæ per manum nostram a nobis efficiuntur [g]. Manus enim Dei simpliciter dicitur vis et potestas omnium effectrix [h] » addit idem.

a Athan. lib. IV. Οὐκοῦν ἡ περὶ πάντων τῶν τε ἀναγεννωμένων, καὶ τῶν ἅπαξ γιγνομένων, τοῦ θεοῦ βούλησις ἐν τῷ λόγῳ ἐστὶν, ἐν ᾧ καὶ τὰ δόξαντα ποιεῖ, καὶ ἀναγεννᾷ· καὶ τοῦτο πάλιν ὁ ἀπόστολος σημαίνει γράφων εἰς Θεσσαλονίκην· τοῦτο γὰρ θέλημα θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς· εἰ δὲ ἐν ᾧ ποιεῖ, ἐν αὐτῷ καὶ ἡ βούλησίς ἐστι, καὶ ἐν Χριστῷ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, πῶς δύναται καὶ αὐτὸς ἐν θελήσει, καὶ βουλήματι γενέσθαι; εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ἐν βουλήματι καθ' ὑμᾶς γέγονεν, ἀνάγκη καὶ τὴν περὶ αὐτοῦ βούλησιν ἐν ἑτέρῳ τινὶ λόγῳ συνίστασθαι, δι' οὗ καὶ αὐτὸς γίγνεται· δέδεικται γὰρ ἡ τοῦ θεοῦ βούλησις οὐκ ἐν τοῖς γιγνομένοις οὖσα, ἀλλ' ἐν τῷ, δι' οὗ καὶ ἐν ᾧ γίγνεται τὰ ποιήματα πάντα.

b Cyril. Οὕτως νοοῖτ' ἂν καὶ δύναμις, δι' ἧς ἐνεργὸς εἰς πᾶν ὁ, τιοῦν τῶν πεποιημένων γέγονέν τε, καὶ ἐστὶ, καὶ ἔσται.

c Ibid. Κατὰ τὸν αὐτὸν, οἶμαι, λόγον ὁ θεὸς, καὶ πατὴρ τὴν ἐφ' οἷς ἂν ἐθελήσειεν ἐνέργειαν δημιουργικὴν, ὡς διὰ δυνάμεως ἰδίας ποιήσεται τοῦ υἱοῦ· καὶ γοῦν ὁ θεῖος Δαβὶδ ζῶσάν τε, καὶ ἐνυπόστατον ἐνέργειάν τε, καὶ δύναμιν τοῦ πατρὸς εἰδὼς τὸν υἱὸν κατηντιβόλει λέγων· ἔντειλαι ὁ θεὸς τῇ δυνάμει σου.

d Idem in *Thesaur*. lib. XV. Διὰ τοῦτο καὶ δεξιὰ, καὶ βραχίων ὀνομάζεται θεοῦ· πάντα γὰρ δι' αὐτοῦ, ὡς διὰ χειρὸς ἐργάζεται.

e Idem, dial. IV. Ὡς διὰ λόγου, καὶ σοφίας, καὶ τῆς ἐνούσης ἰσχύος αὐτῷ.

f Idem. lib. II. *in Joan*. Τὸ ζῶν τε, καὶ ἐνυπόστατον θέλημα τοῦ πατρὸς, τουτέστιν ὁ υἱός.

g Idem. Ἑαυτὸν γάρ φησι τὴν παντοδύναμον τοῦ πατρὸς δεξιὰν, ὡς δι' αὐτοῦ πάντα ἐνεργοῦντος τοῦ πατρὸς, ὡς καὶ διὰ τῆς ἡμετέρας χειρὸς τὰ παρ' ἡμῶν ἐνεργούμενα.

h Ibid. Καὶ ἁπλῶς χεὶρ ὀνομάζεται θεοῦ ἡ παντουργικὴ ἐνέργεια καὶ ἰσχύς.

1 I *Thess*. v. 18. — 2 *Psal*. LXVII, 31.

bum esse
nipoten-
n Patris,
certis
pithetis
tres ex-
imunt.

VII. Atque ut antiquorum sententias omnes quæ de hac re sunt innumeræ, certa in capita conferam quo facilius retineri animo possint, quatuor vel quinque constituam loquendi appellandive Verbi formulas, quibus illud ipsum quod dico, affirmari ab illis videtur, Verbum Dei ejus esse vim efficientem et omnipotentiam. Nam imprimis ejusmodi nominibus insignitur quæ directa et obvia notione causam efficientem vel efficientiam ipsam significant. Sic enim persæpe δύναμις, id est *virtus Patris* nominatur, et addito σοφίας vocabulo, δύναμις καὶ σοφία, *virtus et sapientia*. Interdum et ἐνέργεια, hoc est *operatio* vel *efficientia*. Tum *ars* quædam Patris, et si qua sunt alia quorum exempla partim paulo ante hoc in capite posita sunt, partim in libris *de Trinitate*, maxime in secundo et sexto in quibus de secunda persona Trinitatis agitur. Quibus in appellationibus quia cavendum illud est ne sic effectrix illa vis aut *efficientia* sumatur, tanquam sit accidens quiddam ac per se minime extet et subsistat, sed mox uti effecta res est, dilabatur ac diffluat : quæ fuit opinio Sabellii : idcirco non raro ἐνυποστάτου vocem adjiciunt, aut ζῶντος, id est *subsistentis* et *viventis*. Sic martyr Ignatius Filium vocat « actionis divinæ substantiam genitam et Verbum substantivum.[a] » Sic Antiochena synodus contra Paulum Samosatenum coacta, in epistola synodica de eodem Filio loquens : « Per quem, inquit, Pater omnia fecit non tanquam per instrumentum, neque velut per scientiam non subsistentem, ita ut genuerit Pater Filium sic tanquam viventem operationem et substantivam omnia in omnibus efficientem[b], » Cyrillus item libro XI in *Joannem : Subsistentem Patris virtutem* appellat[c]. Et alibi : *Viventem vim et omnia molientem*[d]. » Atque idem toto capite sexto libri ejusdem undecimi in *Joannem* multa de appellatione ista proprietateque Filii disserit, quæ est δύναμις, id est *virtus* et *efficientia* Patris. Et libro primo ejusdem operis : « Omnia, inquit, per ipsum facta sunt tanquam per virtutem, tanquam per sapientiam Dei, et Patris, non in genitoris natura delitescentem, cujusmodi inest in homine, verbi gratia, insita illi sapientia et virtus, sed proprie ac per seipsam subsistentem[e]. » Et paulo post : « Filium operari dicit, velut virtutem naturalem et substantivam et subsistentem Patris[f]. » Et eumdem confert cum calore qui est in igne. Est autem in Deo prorsus idem δύναμις, id est *virtus*, et ἐνέργεια, id est *efficientia*, quod ad illud attinet quod inest in ipsa Dei substantia, sive potius quod est ipsa substantia. Idcirco tam ἐνέργεια Patris appellatur Filius quam δύναμις. Sed Hilarius in libro septimo recte indicat quemadmodum intelligendum sit Filium esse Dei virtutem et sapientiam. « Christus, inquit, sapientia et virtus est Dei, non ille, ut intelligi solet, internæ potestatis aut sensus efficax motus, sed natura tenens per nativitatem substantiæ veritatem, his internarum rerum significata nominibus est. » Ubi hoc præclare indicat, ideo vocibus istis quæ intimas et inhærentes affectiones et qualitates significant, Dei Filium appellari, ut intelligamus non extra Deum Patrem illum existere ab eoque sejunctum : quamvis non qualitatis instar cogitandus est : sed substantia sit ac per se constet, existens in Patre ut et in ipso Pater existit. Eodem in genere loquendi singulare istud est Nicolai Cusani [1] : « Deus, inquit, creator est, et Jesus creatio ejus. » Ac paulo post : « Et quia dixi, ipsum esse creationem Dei, attende. Nam Deus est creator. Sed Jesus est ipsa creatio. Nam solum in Jesu apparet vis creatoris. In eo enim revelatur omnipotentia creantis. Deus creat creatione omnia. Creatio autem est Jesus per quem fecit et sæcula. » Ubi creationem pro vi ac potentia creandi usurpavit, ut ex sequentibus apparet. Nam ideo creationem esse Filium ait, quia est *ars*. Quod est alterum vocabulum ab nonnullis veterum tributum

a IGNAT. epist. III. *Ad Magnes.* Ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης· οὐ γάρ ἐστι λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα· ἀλλ' ἐνεργείας θεϊκῆς οὐσία γεννητή.

b SYN. Ant. tom. I *Biblioth. Patrum.* Δι' οὗ ὁ πατὴρ πάντα πεποίηκεν, οὐχ ὡς δι' ὀργάνου, οὐδ' ὡς δι' ἐπιστήμης ἀνυποστάτου, γεννήσαντος μὲν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ὡς ζῶσαν ἐνέργειαν, καὶ ἐνυπόστατον, ἐνεργοῦντα τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

c CYRIL. Τὴν ἐνυπόστατον τοῦ γεννήσαντος δύναμιν.

d Ibid. Ὡς δὲ διὰ ζώσης ἰσχύος, καὶ παντουργοῦ.

e CYRIL. Γέγονε μὲν γὰρ τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, ὡς διὰ δυνάμεως, ὡς διὰ σοφίας τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς, οὐκ ἐν τῇ φύσει τοῦ γεννήσαντος κρυπτομένης, ὥσπερ οὖν ἐστι καὶ ἐν ἀνθρώπῳ τυχὸν ἡ ἐνυπάρχουσα αὐτῷ σοφία, καὶ δύναμις· ἀλλ' ἰδίως μὲν, καὶ καθ' ἑαυτὴν ὑφεστώσης.

f Ibid. Ἐργαζομένου δηλονότι τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐργάζεται, ὡς δύναμις φυσική τε, καὶ οὐσιώδης, καὶ ἐνυπόστατος αὐτοῦ.

1 Cusa. lib. IX *Excit.*

Filio, quo Dei virtutem efficientemque vim eum esse demonstrant. Præsertim autem ab Augustino, ut alibi adnotavimus.

Verbum *manus* et *brachium* Dei.

VIII. Huic affinis est forma altera locutionis quam secundam constituimus, cum Filius *manus* vel *brachium* nominatur Patris æterni. Irenæus in quinto libro capite sexto etiam Spiritum sanctum ita nuncupat : « Per manus enim Patris, ait, id est per Filium et Spiritum sanctum fit homo secundum similitudinem Dei. » Quippe, ut alibi scripsit : « Adest ei semper Verbum et sapientia Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens, faciamus hominem [1], etc. » Athanasius quoque eum qui a Joanne Filius et Verbum vocatur, a Davide *manum* appellari atque *dexteram* affirmat. « Unigenitus, inquit ille, Filius qui est in sinu Patris [2], etc. » Cui succinens Propheta : *Ut quid,* ait, *avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem* [3] ? Ergo cum et manus in sinu et Filius in sinu sit, Filius erit manus et manus Filius, per quem Pater omnia fecit [a]. » Cyrillus item Alexandrinus libro X in *Joannem :* « Per Filium omnia velut per manum Patris [b]. » Et luculenter idem in excerptis libri VII et VIII in eumdem Evangelistam, Filium probat esse virtutem Patris, quia manus ejus dicitur, ut cum ait Christus [4] : « Nemo potest rapere de manu Patris mei [c]. » Quod ille interpretatur « non potest mihi eripere. Scipsum enim omnipotentem Patris dextram nominat, tanquam omnia per ipsum efficiente Patre, sicut et ea quæ nos per nostram manum molimur. Nam in plerisque Scripturæ locis Christus appellatur manus et Patris dextera, quod virtutem significat. Et ut uno verbo dicam, manus Dei vocatur omnium effectrix actio Dei atque vis. » Sic in libro X : « Omnia per Filium fieri velut per manum Patris [d] » affirmat. Basilius quoque libro V *contra Eunomium :* « Christus est Dei virtus et Dei sapientia, quæ et manus creatrix tropice nominatur [e]. » Cyrillus quoque in secundo libro *de Adoratione in spiritu et veritate :* « Misit, inquit, nobis Unigenitum e cœlo, manum suam dextram, universorum opificem ac vere salutarem, uti scriptum est : *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me* [f]. »

IX. Augustinus in tractatu XLVIII in *Joannem* ad illa verba, « Nemo potest rapere de manu Patris mei, » similiter ac Cyrillus de ipso Verbo explicat : « Manus, inquit, Patris ipse est Filius. Quod non ita dictum est, tanquam Deus habeat humanam formam et quasi corporis membra, sed quod per ipsum facta sunt omnia. Nam solent et homines dicere manus suas esse alios homines per quos faciunt quod volunt. » Ac mox : « Ergo nemo rapit de manu Patris mei, hoc est, nemo rapit mihi. » Quanquam eodem in loco putat Augustinus « melius manum Patris et Filii intelligi potestatem Patris et Filii, ne forte cum hic manum Patris ipsum Filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam ipsius Filii quærere Filium quem similiter credat Christi manum. » Sed nullum ejus rei periculum est, si quis rationis paululum habeat. Quanquam placet hæc posterior Augustini interpretatio, ut manus intelligatur ipsa Dei vel Patris potestas, quæ est eadem quidem et Filii, sed notione differt in Patre. Ideo qua in Patre est arbitror usurpari eam ab Christo, qui omnia in quibus excellentiæ inest aliquid et splendoris ad Patrem referre solet, quamvis non minus propria habeat illa sibi quam Pater. Valet autem similitudo ista manus ad hoc insuper ut ne creatum quippiam existimetur Filius, ac velut instrumentum aliquod sejunctum ab artifice Patre et ab eodem assumptum et adhibitum ad operis effectionem, ut Ariani de illo sentiebant. Et Methodius sanctissimus alioqui martyr δυνάμεις esse dicebat duas effec-

a Athan. orat. v. Οὐκοῦν εἰ ἡ χεὶρ ἐν τῷ κόλπῳ καὶ ὁ υἱὸς ἐν τῷ κόλπῳ, ὁ υἱὸς ἂν εἴη χεὶρ, καὶ ἡ χεὶρ ἂν εἴη ὁ υἱὸς, δι' οὗ ἐποίησε τὰ πάντα ὁ πατήρ.

b Cyril. Ὅτι γὰρ δι' υἱοῦ τὰ πάντα, καθάπερ διὰ χειρὸς τοῦ πατρός.

c Ibid. Πείθων αὐτοὺς ὅτι αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς δύναμις, φησίν· ὅτι οὐδεὶς ἀπὸ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου, τουτέστιν ἐμοῦ· ἑαυτὸν γάρ φησι τὴν παντοδύναμον τοῦ πατρὸς δεξιάν· ὡς δι' αὐτοῦ πάντα ἐνεργοῦντος τοῦ πατρὸς, ὡς καὶ διὰ τῆς ἡμετέρας χειρὸς τὰ παρ' ἡμῶν ἐνεργούμενα· ἐν πολλοῖς γὰρ τῆς γραφῆς τόποις ὁ Χριστὸς χεὶρ ὀνομάζεται, καὶ δεξιὰ τοῦ πατρός· ὅπερ σημαίνει τὴν δύναμιν· καὶ ἁπλῶς χεὶρ ὀνομάζεται Θεοῦ ἡ παντουργικὴ ἐνέργεια, καὶ ἰσχύς.

d Idem. lib. X. Ὅτι γὰρ δι' υἱοῦ τὰ πάντα, καθάπερ διὰ χειρὸς τοῦ πατρός. Vide et lib. XI et XV *Thes.*

e Basil. Χριστὸς δὲ Θεοῦ δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία, ἥτις ἐστι χεὶρ δημιουργικὴ, κατὰ τὸν τῆς τροπολογίας λόγον.

f Cyril. Ἀπέστειλεν ἡμῖν ἐξ οὐρανοῦ τὸν μονογενῆ, τὴν χεῖρα τὴν δεξιὰν, τὴν τῶν ὅλων ἐργάτιν, καὶ σώτειραν ἀληθῶς κατά γε τό· δεξιὰ κυρίου ἐποίησεν δύναμιν· δεξιὰ κυρίου ἔσωσέ με.

1 Lib. IV, c. XXXVII. — 2 *Joan.* I, 18. — 3 *Psal.* LXXIII, 11. — 4 *Joan.* X, 29. —

trices[1], alteram quæ ex nihilo sola voluntate fabricaret omnia, quæ est Pater, alteram quæ ad prioris imitationem jam facta perpoliret, eamque esse Filium, quem etiam appellat *omnipotentem et validam manum Patris* [a]. Ve-rum unica est simplexque δύναμις in Deo, quamvis alia sit atque alia ejus notio. Ex quo commoda aliqua interpretatio duci potest quæ Methodii sententiam illam paulo duriorem emolliat. Pertinet igitur *manus* vel dexteræ nomen ad id, ut ne Filius ὑπουργὸς et instrumentum censeatur paternæ virtutis et omnipotentiæ, sed ut communis utrique sit et eadem potestas atque etiam virtus ipsa dicatur Filius et omnipotentia, « non ministri instar assumptus, ut ait Cyrillus Alexandrinus, sed ipsa sapientia et virtus genitoris sine qua nihil omnino fieri posset [b]. » inister.

Filius Patris ninatur.

X. Tertium genus est loquendi veteribus usitatissimum, ut voluntas Patris nominetur Filius, quod Græci sæpissime βουλὴν appellant, tametsi vox ista proprie *consilium* significet. Verum pro *voluntate* vel actione ipsa volendi quam *volitionem* vocant, Græci illam Patres sumpserunt. Nimirum quoniam non naturali quodam affectu et appetitu trahitur ad agendum Deus, sed consilio et sapientia et quadam veluti deliberatione quæ sunt agenda destinat. Itaque perinde est *consilium* ac *voluntatem* Patris appellare Filium.

Voluntatem Dei Patris esse Filium eximie docet Origenes in primo *Periarchon* capite secundo : « Intelligenda est ergo virtus Dei, inquit, qua omnia visibilia et invisibilia et instituit et continet et gubernat, quæ ad omnia sufficiens est quorum providentiam gerit, quibus velut unita omnibus adest. Hujus ego totius virtutis tantæ et tam immensæ vapor, et ut ita dicam vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute velut voluntas ex mente procedat, tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus efficitur. »

Idem porro subinde duas virtutes discernit, ut et supra Methodium fecisse vidimus, alte-ram *ingenitam ac primam*, alteram ab hac genitam *et in sua proprietate subsistentem*, ni-mirum ob personarum distinctas proprietates, ut jam diximus.

Marius Victorinus in primo *adversus Arium* : « Est igitur Dei voluntas λόγος cum ipso qui semper est, et ad ipsum ipsa voluntas filietas est [2]. Pater ergo cujus est voluntas, Filius au-tem voluntas est, et voluntas ipse est λόγος, » et cætera quæ alibi commemorata sunt [3]. Inter quæ istud est, *omnem potentiam naturalem* (Dei scilicet) *esse voluntatem*. Et exquisite magnus Athanasius in libro secundo *contra Arianos* cum per Verbum et sapientiam omnia esse condita dixisset, ac δημιουργικὸν λόγον, id est *artifex Verbum* appellasset, ita deinde scribit : « Si velle in se habet Pater, et ejus voluntas efficax est ac sufficit ejus voluntas ad res procreandas, porro Verbum ejus efficax etiam est et artifex, non est dubium quin ipsum sit vivens Patris voluntas et substantiva actio et ratio, in qua et constituta sunt et recte administrantur universa [c]. » Clemens Alexandrinus sub finem *Protreptici*, « Christum ait esse Verbum Dei, brachium Domini, vim universorum, voluntatem Patris. [d] » Quod hic θέλημα vocat, Cyrillus cum alibi sæpe tum in libro *ad Reginas* nominat βουλήν. « Deus, inquit, es, voluntate quidquid visum est faciens, nutu res fabricans [e]. » Ubi manifeste βουλὴ *voluntatem* sive *volitionem* significat.

Verbum.

Verbum.

XI. Et ante hos omnes Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon* eleganter hunc locum pertractat. « Ratio, inquit, *hac enim notione* τὸν λόγον *usurpat*, universorum Patris non est ille prolatitius sermo, sed sapientia et apertissima Dei benignitas, nec non omnia continens Dei virtus ac reipsa divina, quæ non est ejusmodi ut non ab iis etiam percipiatur qui non eam confitentur, voluntas omnipo-

a METHOD. Ἔστι δὲ ὁ υἱὸς ἡ παντοδύναμος καὶ κραταιὰ χεὶρ τοῦ πατρός.

b CYRIL. X. in *Joan.* Οὐκ ἐν ὑπουργίας τάξει παραληφθεὶς, ἀλλ' αὐτοσοφία, καὶ δύναμις τοῦ φύσαντος ὑπάρχων, ἧς καὶ δίχα γένοιτο τὸ παράπαν οὐδέν.

c ATHAN. orat. II. Εἰ τὸ βούλεσθαι ἔχει, καὶ τὸ βούλημα αὐτοῦ ποιητικόν ἐστι, καὶ ἀρκεῖ τὸ βούλημα αὐτοῦ πρὸς σύστασιν τῶν γινομένων· ὁ δὲ λόγος ἐστὶν αὐτοῦ ποιητικὸς, καὶ δημιουργός· οὐκ ἀμφίβολον ὅτι αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς ζῶσα βουλὴ, καὶ ἐνούσιος ἐνέργεια, καὶ λόγος ἀληθινὸς, ἐν ᾧ καὶ συνέστηκε, καὶ διοικεῖται τὰ πάντα καλῶς.

d CLEM. ALEXAND. Τοῦτο Χριστὸς, τοῦτο ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, βραχίων κυρίου, δύναμις τῶν ὅλων, τὸ θέλημα τοῦ πατρός.

e CYRIL. apud Euth. in *Panop.* par. II. tit. XIII. Θεὸς γὰρ ὑπάρχεις, βουλῇ τὸ δοκοῦν ποιῶν, νεύματι κατασκευάζων τὰ πράγματα.

1 Apud Phot. cod. 235. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 3 Lib. VI *de Trinit.* c. VIII, num. 2.

tens[a]. » Ita Gregorius Nyssenus « voluntatem Dei ait esse sapientiam[b]. » Et alibi, « Filium ipsam Dei Patris voluntatem esse dicit. Qui enim omnia quæ sunt Patris habet in seipso, nihil non habet paternorum[c]. »

Cyrillus Alexandrinus in septimo libro *Thesaurorum*, *Filium Dei viventem voluntatem Patris* similiter vocat[d]. Et a Davide sic appellari cum ait : *Et in voluntate tua deduxisti me*[1]. Ubi vox hebraica *consilium* significat nempe עצה Itaque βουλὴν pro βουλήσει accipit, ut et Gregorius Nyssenus libro in *Hexaemeron*, ubi cum dicit *cum voluntate concurrere potentiam*, partim βουλήσεως, partim βουλῆς vocabulo utitur[e]. Hoc vero Cyrillum ibi facere perspicuum est. Nam paulo post Filium probat non ex βουλήσει esse Patris, sed ipsum esse βούλησιν, id est, *voluntatem* ejus. Atque hoc ipsum toto illo septimo *Thesauri* libro Cyrillus ex instituto tradidit, dum adversus hæreticos contendit, Filium nequaquam voluntate Patris ulla productum fuisse[f]. Sed cum « Verbum nihil aliud sit quam voluntas quæ occulte volvitur in corde, ipsummet esse voluntatem Patris, voluntas autem ex voluntate non sit[g]. » Et in libro *Thesauri* XV eumdem Filium appellat ἐνούσιον βούλησιν τοῦ πατρὸς, id est *substantivam voluntatem Patris*. Sic in libro secundo *Dialogorum de Trinitate*, ubi Arianorum cavillationem hanc diluit : *Volens an nolens Pater Filium genuit*, late disputat Filium esse ipsammet Patris βουλὴν καὶ θέλησιν, ubi duo ista discernit quæ alias sæpe confundit, ut sit Filius *consilium et voluntas* Patris[h]. Et in dialogo V idem pari orationis copia probat ex loco illo Psalmi LXXII. Idem etiam in secundo *Commentariorum in Joannem* filium nominat « Viventem voluntatem et virtutem Patris[i]. » Et antea « Verbum et consilium et voluntatem et virtutem Patris » eumdem vocat[k].

Constantinus in epistola *contra Arium et Arianos* quæ est apud Gelasium, Filium itidem nominat πατρὸς βούλησιν [2]. Et paulo ante θεοῦ νόμον, *legem Dei*. Quoniam lex Dei voluntas ejus est.

Ambrosius in libro *de Dignitate conditionis humanæ*, capite secundo : « Sicut ex Patre generatur Filius, inquit, et ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his item ambobus generatur memoria. »

Sic Hieronymus initio *Commentariorum in Epistolam ad Ephesios* notat aliquos ista Pauli verba, *per voluntatem* Dei, sic intelligere ut Christum ostendi putent. « Ut sicut *Sapientia* et *Verbum* et *virtus Dei* et *veritas* et *resurrectio* et *via* dicitur, ita etiam *voluntas* appelletur. »

At Augustinus tractatu primo in *Joannem*

a Clem. Alexandr. lib. V *Strom.* Ὁ γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων λόγος οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ προορικός· σοφία δὲ, καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ θεοῦ, δύναμίς τε αὖ παγκρατὴς, καὶ τῷ ὄντι θεία, οὐδὲ τοῖς μὴ ὁμολογοῦσιν ἀκατανόητος, θέλημα παντοκρατορικόν.

b Greg. Nyss. in *Hexaem.* Τὸ δὲ θέλημα σοφία ἐστίν.

c Nyss. XII *cont. Eun.* Μᾶλλον δὲ αὐτὸς τοῦ πατρὸς ἐγένετο θέλημα· ὁ γὰρ πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἔχων ἐν ἑαυτῷ, οὐκ ἔστιν ὅ, τι τῶν τοῦ πατρὸς οὐκ ἔχει.

d Cyril VII *Thes.* Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ζῶσα βουλὴ τοῦ πατρὸς, ἐν ᾗ τὰ πάντα ἐργάζεται· καλεῖ δὲ αὐτὸν καὶ βουλὴν τοῦ πατρὸς ὁ ψαλμῳδὸς λέγων· ἐν τῇ βουλῇ σου ὡδήγησάς με.

e Gregor. Nyss. Ὅτι ἐπὶ τῆς θείας φύσεως σύνδρομός ἐστι τῇ βουλήσει ἡ δύναμις.

Mox : Δύναμις γὰρ ἡ βουλὴ κατὰ ταυτόν.

f Cyril. ibid, *Thes.* Εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ ἄρα βουλήσει γέγονεν, ἀλλ' αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς βούλησις.

g Ibid. Λόγος γάρ ἐστιν ἀφανῶς ἐν καρδίᾳ στρεφόμενος ἡ βούλησις· ἔστι δὲ ὁ υἱὸς ὁ λόγος τοῦ πατρός· αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ἡ βούλησις αὐτοῦ· εἶτα πῶς ἡ βούλησις ἐν βουλήσει γίνεται.

h Cyril. dial. II. *de Trin.* Βουλὴν δὲ, καὶ θέλησιν τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς τὸν υἱὸν ὁ θεῖος ἡμῖν ὀνομάζει λόγος.

i Id. II. in *Joan.* Ἡ ζῶσα βουλὴ, καὶ δύναμις τοῦ πατρός.

k Ibid. Ὅτι γὰρ καὶ λόγος, καὶ βουλὴ, καὶ θέλημα, καὶ δύναμις τοῦ πατρός ἐστιν ὁ υἱὸς, εἶναι μὲν ἅπασι νομίζω καταφανές.

* Maurini editores operum Ambrosii libello *de Dignitate conditionis humanæ* in appendicem rejecto, hoc monitum præfigunt. « Libellus a nobis infra positus in omnibus operum Ambrosianorum editionibus libros *Hexaemeron* proxime sequitur, sed veteres editiones prudentem ac necessariam cautionem adhibuerant hisce verbis : « Qui sancto Ambrosio auctori a quibusdam adscribitur. » At Romana iisdem verbis e medio sublatis, eumdem tractatum sine ulla restrictione sancto doctori adjudicavit. Verumtamen nihil videat oportet in Ambrosianis lucubrationibus qui hanc illius esse sibi persuadeat. Nam præterquam quod nihil unquam Ambrosiani spirat, certissimum est centonem esse, cujus prima et postrema pars invenitur apud Alcuinum sub hoc lemmate, *Dicta beati Albini levitæ super illud Geneseos : Faciamus hominem*, etc., item ex libro *de Spiritu et anima* ad calcem tomi sexti Augustiniani edito, nec non sententiæ aliquot in tractatu Paulini Aquileiensis *de Salutaribus documentis*, qui etiam in eadem appendice Augustiniana continetur. Quod vero ad partem intermediam, quam suspicamur auctoris esse ipsomet Alcuino ut obscurioris ita et posterioris, cum prope major sit aliis duabus, nec ipsam alibi reperire nobis licuerit, ut totam opellam retineremus in causa fuit. » *E. R.*

1 Psal. LXXII, 24. — 2 *Act. Nic.* par. III.

Filium sive Verbum esse dicit consilium « quasi prolem mentis et Filium cordis. Prius enim cor generat consilium, ut aliquam fabricam construas, etc. » Hæc est usitata maxime τῆς βουλῆς notio, quam Græci Filio solent accommodare. Porro idem Augustinus in libro XV *de Trinitate*, capite xx : « Quidam, inquit, ne Filium consilii vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio et voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia. » Ibi consilium et voluntatem pro eodem usurpari significat ab iis quorum sententiam corrigit, quos Græcos fuisse crediderim, qui βουλὴν τοῦ πατρὸς Filium nominarent.

Deliberationis.

Consilium Patris.

XIII. Quartum locutionis est genus infinito in usu positum tam sacrorum Librorum quam Patrum veterum, cum Deum Patrem aiunt διὰ τοῦ υἱοῦ creare facereque cætera. « Est enim Pater per Filium efficax ad omnia, » ut ait Cyrillus Alexandrinus [a]. Et libro nono : « Per me, inquit, loquitur tanquam per Verbum proprium, perficit autem et operatur admiranda tanquam per virtutem suam [b]. »

Pater dicitur omnia per Filium facere.

Antiochenæ synodi Patres in epistola synodica contra Paulum Samosatenum : « Per quem, inquit, Pater omnia fecit non tanquam per instrumentum, neque velut per scientiam minime subsistentem, cum scilicet Pater Filium genuerit tanquam viventem actionem et subsistentem, efficientem omnia in omnibus [c]. » Petrus Lombardus hanc locutionem *per Filium* dupliciter interpretatur [1] : primum ut idem sit ac *cum Filio* sine quo nihil agit. Deinde « ut dicatur Pater in Filio et per Filium operari, quia cum genuit omnium opificem, sicut dicitur Pater per eum judicare, quia genuit judicem. » Posteriorem hanc rationem attulit etiam Chrysostomus homilia secunda in *Epistolam ad Hebræos :* « Ut enim, ait, neminem ille judicat et judicare dicitur per Filium, quoniam judicem ipsum genuit, ita et creare per eumdem, quoniam creatorem ipsum genuit [d]. » Sed utraque, tametsi vera est, non satis est explicata ratio. Quare paulo post eam apertius exponemus.

At idem Chrysostomus de hac ipsa Dei ac divinarum personarum efficientia quiddam habet animadversione dignum ad illa Christi verba : *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt* [2]. Nam « Patrem ait potuisse quidem res producere, Filium tamen istud ipsum facere, ut nos ejus virtutem discamus [e]. » Ac paulo post de eo loquens quod ad baptismi formulam et efficientiam personæ tres adhibitæ sunt : « Potuit, inquit, Pater totum efficere et Filius et Spiritus sanctus. Verum quia de Patre nemo ambigit, omnis autem ambiguitas de Filio est ac de Spiritu sancto, idcirco ad mystica illa sacra uterque assumitur, ut ex communione largitionis arcanorum illorum bonorum, dignitatis etiam communionem intelligamus [f]. » Sed hæc de formula ipsa et aperta trium in ea personarum expressione capienda sunt. Potuit enim Christus unius tantum mentionem in illa præfinire. Non tamen fieri potest, ut una quæpiam aliquid extrinsecus faciat sine communione cæterarum.

Ex omnibus istis quæ commemoravi hactenus, constare satis existimo Filium Dei videri posse ab antiquis Patribus intelligi vim ipsam Dei effectricem et efficientiam esse. Quod præter illos Ambrosius insuper diserte testari videtur cum adversus Arianos ostendit, Filium non ignorare judicii diem, quia paternæ potestatis exors non est : « Cum potestas ex sapientia et virtute gignatur, quod utrumque Christus est [3]. » Quapropter cum duo illa

a Cyril. lib. XI in *Joan.* cap. x, p. 987. Πρὸς πᾶν ὁτιοῦν ἐνεργὸς ὁ πατὴρ δι' αὐτοῦ.

b Idem, lib. IX, p. 783. Δι' ἐμοῦ γὰρ λαλεῖ μὲν, ὡς διὰ λόγου τοῦ ἰδίου· κατορθοῖ δὲ, καὶ ἐνεργεῖ τὰ θαύματος ἄξια, ὡς διὰ δυνάμεως πάλιν τῆς ἑαυτοῦ.

c Epist. syn. Ant. tom. I *Biblioth. PP. Græco-Lat.* 5, p. 303. Δι' οὗ ὁ πατὴρ πάντα πεποίηκεν οὐχ ὡς δι' ὀργάνου, οὐδ' ὡς δι' ἐπιστήμης ἀνυποστάτου· γεννήσαντος μὲν τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν ὡς ζῶσαν ἐνέργειαν, καὶ ἐνυπόστατον ἐνεργοῦντα τὰ πάντα ἐν πᾶσιν.

d Chrysost. p. 437. Ὥσπερ γὰρ οὐδένα κρίνει ἐκεῖνος, καὶ λέγεται κρίνειν διὰ τοῦ υἱοῦ, ὅτι κριτὴν αὐτὸν ἐγέννησεν· οὕτω καὶ δημιουργεῖν δι' αὐτοῦ, ὅτι δημιουργὸν αὐτὸν ἐγέννησεν.

e Ibid. Hom. xcviii in *Joan.*, p. 882. Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἠδύνατο τὰ ὄντα παραγαγεῖν· ὁ δὲ υἱὸς αὐτὸ ποιεῖ, ἵνα μάθωμεν αὐτοῦ τὴν δύναμιν.

f Ibid. Καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τὸ πᾶν ἐργάζεσθαι δύναται, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ τοῦ πατρὸς οὐδεὶς ἀμφιβάλλει, τὸ δὲ ἀμφίβολον ἦν περὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, παρείληπται ἐν τῇ μυσταγωγίᾳ, ἵνα ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς χορηγίας τῶν ἀποῤῥήτων ἐκείνων ἀγαθῶν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς ἀξίας καταμανθάνωμεν.

1 Lib. II, dist. xiii. H. — 2 *Joan.* xvi, 15. — 3 Amb. lib. V *de Fide*, c. vii.

quibus Dei omnipotentia constat, sapientiam et agendi vim, quam virtutem vocat Ambrosius, in Deo Verbum occupet, quod *Dei virtutem Deique sapientiam* [1] Apostolus nominat; videtur ipsummet ab illis Dei omnipotentia constitui. Quod sine ulla dubitatione Petrus Damiani eodem argumento fretus affirmat : « Quæ est, inquit, illa virtus, quæ potestas qua potest Deus omnia, quæ sapientia qua novit omnia, inquiramus Apostolum. *Christus*, inquit, *Dei est virtus et Dei sapientia* [2]. » Sed hoc quemadmodum intelligi oporteat, insequens caput ostendet.

CAPUT IX.

Spiritum sanctum perinde Patris vel Filii vel utriusque vocari efficientiam. Quod quanam ratione sit intelligendum exponitur, nec non de Filio quod capite antecedente propositum erat dissolvitur. Quomodo Patris omnipotentia vocetur potissimum Filius, maxime quia imperium est illius.

Spiritus sanctus non minus quam Filius Dei Omnipotentia dicitur.

I. Dixi de Filio ; nunc de Spiritu sancto agere oportet, cui non minus quam Filio divinam vim atque omnipotentiam, et quod idem est in Deo , naturalem efficientiam , sacræ perinde Litteræ ac Patrum antiquorum dicta vindicant. Nam illæ tum aperte tum istis interpretantibus, Spiritum Dei effectorem esse demonstrant omnium rerum per eumque creari, vegetari, animari, effici denique quidquid uspiam existit. *Spiritus Dei fecit me,* ait Job, *et spiraculum omnipotentis vivificavit me* [3]. Et alibi : *Spiritus ejus ornavit cœlos* [4]. Et in Psalmo XXXII : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Adde illa quæ dicuntur effecta gratiæ, ut est sanctitatis ac justitiæ, donorumque cœlestium infusio, et quidquid ad salutis negotium spectat. Hoc enim omne partim a Spiritu sancto, partim per Spiritum fieri Scripturæ prædicant. De quo argumento latissime disserit Ambrosius in libro secundo *de Spiritu sancto*, præsertim capite quinto. Idem etiam explicat Cyrillus Alexandrinus in dialogo sexto, et adversus hæreticos Spiritum sanctum creaturam non esse probat ex eo quod sit ἐνέργεια ipsa Dei, ac multa per illum et ab illo fieri Scriptura testetur, quorum auctor et effector est Deus. Cujusmodi est instauratio corporum nostrorum, quæ in resurrectione futura est. Hoc enim peculiare opus esse Spiritus sancti testis est Apostolus, qui quod amplius est, Christi quoque resurrectionem et ejus a morte corporis excitationem eidem tribuit : *Quod si Spiritus,* inquit, *ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* [5]. Atque hoc Cyrillus e Psalmorum loco illo confirmat : *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ* [6]. Cum igitur renovatio hæc hominis ac refectio, ejusdem et naturæ sit et efficientiæ cujus prima fuit illius procreatio, non potest ad creaturam referri. Non est igitur creatura Spiritus sanctus. Quod ille vehementius disputando colligit his verbis : « Quinam igitur ille per quem et in quo Deus circa creaturam efficax est et universorum opifex videtur, factus erit et creatus ? Jam enim dicendum nobis erit si rem ita esse contenderint, vel ingratiis confessuros illos esse, creatam esse Dei efficientiam [a]. » Unde postremo ita concludit, Deum non simplicem fore sed compositum ex natura et efficientia creata, imo totum ipsum creaturam fore, quia nihil ab vi sua et efficientia differt. « Quare si creatam, inquit, et factam vim atque efficientiam habere dicatur, quæ propria sit ipsius, videlicet Spiritum, etiam ipse creatum erit aliquid, quandoquidem diversum nihil est ab ipso vis illius [b]. »

II. Perspicuum est, vim ipsam efficientem Dei, quæ tam naturalia quam quæ naturæ captum superant opera molitur, ipsummet a Cyrillo constitui Spiritum sanctum. Qui et in libro quarto et tricesimo *Thesaurorum* fuse istud ipsum persequitur, et illius effecta plu-

a Cyril. Πῶς οὖν ἄρα τὸ δι' οὗ, καὶ ἐν ᾧ θεὸς ἐνεργὸς περὶ τὴν κτίσιν, καὶ τῶν ὅλων ὁρᾶται δημιουργὸς, γενητὸν ἂν εἴη, καὶ ἐκτισμένον; ὥρα γὰρ ἤδη πως ἡμᾶς εἶπεν, ὡς εἴπερ ὧδε ἔχειν ἐροῦσι τὸ χρῆμα, κτιστὴν εἶναι τοῦ θεοῦ τὴν ἐνέργειαν, οὐχ ἑκόντες ὁμολογήσουσι.

b Ibid. Οὐκοῦν εἰ λέγοιτο κτιστὴν καὶ πεποιημένην τὴν ἐνέργειαν ἔχειν, ἰδίαν οὖσαν αὐτοῦ, τουτέστι τὸ πνεῦμα, καὶ αὐτό που πάντως ἔσται κτιστόν· ἐπεὶ μὴ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸ τὸ ἐνεργὲς αὐτοῦ.

1 I *Cor.* I, 24. — 2 Petr. Dam. opusc. XXXVI, cap. XV. — 3 *Job* XXXIII, 4. — 4 *Job* XXVI. — 5 *Rom.* VIII, 11. — 6 *Ps.* CIII, 30.

rima percenset, quibus ista subnectit : « Non est igitur alienus a divina substantia Spiritus, sed tanquam naturalis et substantiva operatio et subsistens ex ipsa prodiens et in ea manens, omnia quæ Dei propria sunt efficit [a]. » Hinc Agnellus episcopus Ravennas tres sanctissimæ Trinitatis personas similitudine aliqua declarans : « Vox, inquit, hominis sermonem parit, et non est sermo nisi vocis Filius. Modo quia sermo vocis est Filius, ex eo minor dicendus est sermo quia vocis est Filius? Hoc penitus dici non potest. Quare? Quia ex quo vox, ex eo et sermo. Adde in ipso sermone efficaciam, et complesti tertiam personam, quæ penitus individua perseverat. Vox ergo egressa sermonem promit, et sermo egressus efficaciam gignit. Ut puta, jussum est per vocem, ille fiat consul, vel certe denudetur, vel certe interficiatur, vel certe de periculo liberetur. Ecce vox peperit Verbum, Verbum autem non peperit efficaciam. Sed ex ipsa voce et verbo virtus egressa alterum fecit consulem, alterum interfecit. Et ideo ex Patre Filius, ex Patre et Filio procedit Spiritus sanctus. » Hic manifeste *efficientiam* vel *efficaciam* Dei ac divinæ actionis imputat Spiritui sancto.

Ad idem spectat etiam illa multorum sententia veterum qui δύναμιν ἁγιαστικήν, id est, *vim sanctificantem*, sive *sanctitatem* ipsam, appellant Spiritum sanctum, ut alibi fuse disserimus. Nunc vero unius Basilii meminerimus, qui Spiritum sanctum vocat *virtutem sanctificatricem, substantivam, existentem, subsistentem* [b]. Ibidemque manus ambas Dei interpretatur Filium et Spiritum sanctum. De hoc enim illud Jobi accipit : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me* [1], quoniam alibi dicit idem : *Spiritus Dei fecit me* [2]. De Filio capite antecedenti ex eodem dixi Basilio. Quinetiam Augustinus « voluntatem Dei, si et proprie dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis Spiritui sancto competere ait, sicut et charitas convenit. Nam quid est aliud charitas quam voluntas? »

Spiritus sanctus digitus Dei dicitur, et quo sensu.

III. Sed quod ad *manus* appellationem attinet, qua in Verbo vim efficientem significari supra diximus, affinis est illi quæ proprie Spiritui sancto conceditur *digiti* vox, et ad idem exprimendum aptissima. De qua Basilii memorabilis est locus in quinto *adversus Eunomium*. Cum enim verba illa Christi retulisset : *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* [3] : et illa magorum Ægyptiorum : *Digitus Dei est hic* [4] : sic deinde scribit : « Digitus vero Dei in his quæ a Mose et Domino facta sunt, miraculis dictus est Spiritus, non tanquam exigua sit existens in Deo virtus, ut in corpore digitus ; sed ideo quod inter dona illa quæ distributa dantur, et sanitatum charisma numeratur. Itaque unum aliquod et non omnia charismata Spiritus sancti, digitum vocat [c]. » Quæ Basilii interpretatio eo referri videtur ut totum ipsum, ut ita dicam, corpus charismatum, sive tota ejus efficientia, manus instar sit, quæ tot habeat digitos, quot sunt dona et charismata. Certe *modicum* aliquid *significari, validissimum tamen,* placet Tertulliano, tanquam non tota vi, sed levissimo conatu in id incubuerit Deus [5]. « Etenim manum Dei ne totus quidem orbis terrarum sustineret, ait Philo, ab extremo uno ad aliud extremum, imo ne mundus quidem universus [d]. » Potest et digiti similitudine summa efficientiæ divinæ facilitas exprimi, quæ citra laborem et difficultatem, solo imperio et quasi extento digito quidquid libitum est peragit, ac dicto naturam habet audientem. Tum etiam exacta et exquisita operis effectio potest intelligi, cum digiti plurali numero usurpantur. Nam quæ rudiora et minus affabre facta sunt, solo manus impulsu perficiuntur ; quæ autem elegantiora sunt et accuratiorem industriam postulant, ea digitis elaborantur, ut cum statuæ et alia morosiora cuduntur opera quæ

a Cyrill. XXXIV *Thes* Οὐκ ἀλλότριος ἄρα τῆς θείας οὐσίας ἐστίν· ἀλλ' ὡς ἐνέργεια φυσική τε, καὶ οὐσιώδης, καὶ ἐνυπόστατος ἐξ αὐτῆς προϊοῦσα, καὶ ἐν αὐτῇ μένουσα, πάντα ἐργάζεται τὰ τοῦ Θεοῦ.

Idem repetit et alibi, ubi ἐνέργεια φυσικὴ καὶ ζῶσα dicitur.

b Basil. V. *cont. Eunom.* Ἀλλὰ δύναμις ἁγιαστικὴ ἐνούσιος, ἐνύπαρκτος, ἐνυπόστατος.

c Idem V *cont. Eunom.* Δάκτυλος δὲ Θεοῦ ἐν τούτοις τοῖς ὑπὸ Μωσέως, καὶ τοῖς τοῦ κυρίου σημείοις εἴρηται τὸ πνεῦμα, οὐχ ὅτι μικρά τίς ἐστι τῷ Θεῷ συνοῦσα δύναμις, καθάπερ σώματι δάκτυλος· ἀλλ' ἐπειδὴ ἕν τι τῶν κατὰ διαίρεσιν χαρισμάτων, σημείων, καὶ ἰαμάτων τὸ ἕν τί ἐστι καὶ τὸ τῶν ἰαμάτων (Puto legendum χαρισμάτων· καὶ τὸ τῶν ἰαμάτων, deletis iis, quæ interjecta sunt) τὸ ἕν τι, καὶ οὐχὶ τὰ ὅλα χαρίσματα τοῦ πνεύματος, δάκτυλον καλεῖ.

d Philo, lib. I *de Vita Mosis.* Χεῖρα γὰρ Θεοῦ μηδὲ τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὑποστῆναι ἂν ἀπὸ περάτων ἐπὶ πέρατα· μᾶλλον δ' οὐδὲ τὸν σύμπαντα κόσμον.

1 *Job* x, 8. — 2 *Job* xxxiii, 4. — 3 *Luc.* ii, 20. — 4 *Exod*, viii, 19. — 5 Lib. IV *cont. Marcion.*, cap. xxvi.

plus ingenii ac solertiæ requirunt. Ita *cœlos opera digitorum Dei* [1] Propheta nominat. Sic etiam de hominis creatione Prudentius :

« Creavit
Nempe manus Domini corpus mortale, lu-[tumque
Composuit digitis. »

Atque hæc digiti nuncupatio, quatenus Spiritui sancto præcipue tribuitur, aliud quiddam mysticum indicat, nimirum uti digitus ἀμέσως manui conjungitur per eamque corpori, ita Spiritum sanctum προσεχῶς, id est, *proxime* et nullo alio interjecto ab Filio procedere, a Patre vero ἐμμέσως, id est per interpositum Filium, quod Græci Patres passim prædicant, estque a nobis latius explicatum alio in loco [2]. Cui quidem etiam illa similitudo servit qua Athanasius in epistola *ad Serapionem* usus est, cum Patrem lumini, Filium splendori, Spiritum sanctum efficientiæ lucis et illuminationi respondere dicit. « Ubi, inquit, est lumen, ibi est coruscatio. Et ubi coruscatio, ibi hujus est efficientia et lucidus decor. [a] »

Nonnulli Filium æque ac Spiritum sanctum Patris Omnipotentiam nominant.

IV. Sunt qui ambos illos, Filium et Spiritum sanctum in communionem vocent divinæ illius efficientiæ, ac per utrumque Deum Patrem facere omnia doceant. Sic Irenæus : « Nihil, inquit, indiget omnium Deus, sed per Verbum et Spiritum suum omnia faciens et disponens et gubernans et omnibus esse præstans [3]. » Ac plenius Augustinus in primo *de Genesi ad litteram* [4] : « Sed ante omnia meminerimus, ait, unde jam multa diximus, non temporalibus quasi animi sui aut corporis motibus operari Deum, sicut operatur homo vel angelus, sed æternis atque incommutabilibus et stabilibus rationibus coæterni sibi Verbi sui, et quodam, ut ita dixerim, flatu pariter coæterni sancti Spiritus sui. » Huc illa referuntur antiquorum testimonia quæ Spiritum sanctum virtutem et ἐνέργειαν esse Filii demonstrant, perinde ut hic Patris esse dicitur, quibus in septimo libro *de Trinitate* locus erit cum de Spiritus sancti ex utroque processione disputabitur [5]. Atqui ex hoc ipso consequitur, utramque personam Patris *efficientiam* et ἐνέργειαν jure suo posse nominari. Quid illa tam sæpe cum in Scripturis usurpata, tum ab Ecclesiæ magistris? Cum quidem *in Spiritu sancto* facere Deus aliquid dicitur sive absolute, sive una quæpiam persona, Pater aut Filius? Quo genere loquendi referti sunt libri. Ut cum Christus ait se *in Spiritu ejicere dæmonia* [6]. Et *Lucæ* IV, 14 : *Regressus est Jesus in virtute Spiritus*, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος. Ac nonnunquam *a Patre per Filium in Spiritu sancto* fieri aliquid dicitur. Quod Cyrillus Alexandrinus frequenter usurpat. Ut in libro X *Commentariorum in Joannem :* « Credimus, inquit, omnia a Patre esse per Filium in Spiritu sancto. [7] » Et paulo post : « Omnia per ambos, Patrem et Filium, in Spiritu sancto fieri [8]. » Ubi particula ἐν efficientiam videtur exprimere. Non enim instrumentum aut ejusmodi aliquid significat, ut alio loco dicetur [9].

Deciditur quæstio.

V. Ne longior sim in commemorandis antiquorum placitis, et ut ista quæstio exitum tandem aliquem habeat, idem mihi judicium de omnipotentia, efficientiaque faciendum videtur, quod de sapientia, charitate et sanctitate, quorum primum Filio, posteriora duo Spiritui sancto tanquam propria non raro tribuuntur. Ac simillima est illa quæstio, an Filius aut Spiritus sit omnipotentia vel vis effectrix Patris, alteri cuidam quam Augustinus explicat[10], et nos in sexto libro *de Trinitate* posuimus[11], in qua quæritur sitne Filius ea Patris sapientia qua sapiens dicitur, et Spiritus sanctus ea charitas aut sanctitas qua Pater et Filius amantes aut sancti vocantur. Et hæc quidem posterior attentius suo loco disceptabitur. De priori, quod nunc agitur, id respondebimus quod ad alterius præjudicium valebit, omnipotentiam agendique vim aut absolute aut secundum notionem accipi. Priore modo neque Filius, neque Spiritus sanctus, neque ambo simul efficientia sunt Dei. Est enim virtus et omnipotentia Dei, ejus ipsa substantia sive essentia tribus ex æquo personis congruens. « Nam cum sancta Trinitas ratione consubstantialitatis una sit, una quoque in omnibus virtus erit [b] » ait Cyrillus.

Omnipotentia si secundum essentiam sumitur communis est tribus personis.

a Athan. *ad Serap.* Ἔνθα γὰρ τὸ φῶς, ἐκεῖ τὸ ἀπαύγασμα· καὶ ἔνθα τὸ ἀπαύγασμα, ἐκεῖ ἡ τούτου ἐνέργεια, καὶ αὐγοειδὴς χάρις.

b Cyril. lib. IV in *Joan.*, cap. III. Μιᾶς γὰρ οὔσης τῆς ἁγίας τριάδος κατά γε τὸν τῆς ὁμοουσιότητος λόγον, μία δήπου πάντως καὶ ἡ ἐφ' ἅπασιν ἔσται δύναμις.

1 *Psal.* VIII, 4. — 2 Lib. VII *de Trinit.*, cap. XI. — 3 Lib. I, cap. XIX. — 4 Cap. XIX. — 5 Maxime cap. V. — 6 *Matth.* XII, 28. — 7 Cyr. XX in *Joan.* — 8 Ibid. — 9 Lib. *de Trinit.*, cap. VI. — 10 Lib. VI et VII *de Trin.* — 11 Cap. IX.

Qui de hac re subtilius disserit in dialogo sexto *de Trinitate*, e quo nonnulla hic afferam : « Est, inquit, secundum propriam hypostasim perfectissimus Pater, similiter etiam Filius et Spiritus sanctus. Sed unius horum creatrix voluntas, in quocumque tandem inesse dicatur, effectio quidem est ipsius, verumtamen per totam it divinitatem, et ejus substantiæ opus est quæ creaturam superat ; quod ita velut commune est aliquid, ut proprie interim unicuique personæ conveniat, quatenus per tres hypostases commeans, etiam privatim convenire potest unicuique privatim per sese perfectissime habenti. Operatur itaque Pater, sed per Filium in Spiritu, operatur et Filius, sed tanquam virtus Patris, qui ex ipso et in ipso secundum propriam existentiam esse intelligitur. Operatur et Spiritus. Spiritus enim est Patris et Filii, universorum opifex [a]. » Et nonnullis interjectis : « Dixi, inquit, quoniam tres sunt hypostases proprie simul et invicem proxime utpote in una divinitatis natura, unius operationem personæ etiam totius dici substantiæ et uniuscujusque personæ seorsim. Tota enim quodammodo in totum, et privatim per unamquamque personam moveri solet [b]. »

VI. Quamobrem uti motio et effectio ipsa, ut sic dicam, quæ opus aliquod molitur, non sic unius est personæ quin ad cæteras pari jure pertineat, ita virtus et omnipotentia, quam instar ἕξεως et facultatis inesse Deo cogitamus, in communi natura residet, imo ipsamet est natura trium et essentia. Quod si quis omnipotentiam unius cujuspiam personæ propriam faceret, velut Filii, iisdem sese laqueis implicaret, quos adversus illos nectit Augustinus qui eumdem Filium aiebant eam esse sapientiam qua sapiens est Pater [1], ex quo plurima consequi absurda demonstrat, quæ alibi nos attigimus. Sane idem Augustinus in quinto *de Trinitate*, capite undecimo [2] : « Sicut, inquit, Trinitas unus Deus dicitur magnus, bonus, æternus, omnipotens, idemque ipse sic sua potest dici deitas, ipse sua magnitudo, ipse sua bonitas, ipse sua æternitas, ipse sua omnipotentia, etc., » ut eadem sit omnipotentiæ quæ cæterorum ratio quæ absolute dicuntur, ut bonitatis, sapientiæ, quæ nulli personæ proprie sunt affixa. Quod et tractatu in *Joannem* vicesimo declarat : « Deus, inquit, cui non est alia substantia ut sit et alia potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quidquid ejus est et quidquid est, quia Deus est, etc. Non alia potentia est in Filio et alia substantia, sed ipsa est potentia quæ substantia. »

Posteriore vero sensu quo secundum notionem, ac personarum proprietatem eadem illa spectantur, non est cunctandum quin et Filius et Spiritus sanctus Patris virtus et efficientia merito nominentur a veteribus. Etenim Dei omnipotentia et efficiendi vis, quod paulo superius attigi, artis est instar quæ consilio et sapientia gubernatur. Ita illam vocat Augustinus cum ait : « Ars illa summa omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia, quæ etiam sapientia ejus dicitur [3]. » Et in tractatu primo in *Joannem* : « Sapientia, inquit, Dei per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia antequam fabricet omnia. » Itaque dum sic tanquam artifex agit Pater, ratione intelligentiaque utitur, atque expressa cognitione quæ est Filius, qui et idea et consilium Dei proprie dicitur. Atque hoc sensu « Pater Verbi et sapientiæ suæ, Pater virtutis suæ per quam cuncta formavit, [4] » ut loquitur Augustinus, dici etiam potest Pater omnipotentiæ suæ. De quo vide omnino quæ superiore libro capite sexto tradita sunt. Hæc enim ad præsentem disputationem utilissima sunt.

Si secundum notionem Filio et Spiritui sancto maxime convenit.

Non minus efficientiæ notio in Spiritum sanctum cadere potest, quatenus expressus amor est expressaque, ut ita dixerim, bonitas seu benefica vis Dei. Qui quidem ad agendum extra se resque omnes efficiendas, non alio impulsu quam amoris ac bonitatis adducitur. Hinc Augustinus «faciendorum omnium cau-

a Cyril. in dial. VI. Ἔστι μὲν καθ' ὑπόστασιν ἰδικὴν παντέλειος ὁ πατήρ· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα· ἀλλ' ἡ ἑνὸς τῶν ὠνομασμένων δημιουργικὴ θέλησις, ἐφ' ὅτῳ περ ἂν λέγοιτο γενέσθαι τυχὸν, ἐνέργημα μὲν αὐτοῦ, πλὴν διὰ πάσης ἔρχεται τῆς θεότητος, καὶ τῆς ὑπὲρ κτίσιν ἐστὶν οὐσίας ἀποτέλεσμα, κοινὸν μὲν ὥσπερ τι, πλὴν καὶ ἰδικῶς ἑκάστῳ προσώπῳ πρέπον, ὡς διὰ τριῶν ὑποστάσεων πρέποι ἂν καὶ ἰδικῶς ἑκάστῃ παντελείως ἐχούσῃ καθ' ἑαυτήν· ἐνεργεῖ τοιγαροῦν ὁ πατὴρ, ἀλλὰ δι' υἱοῦ ἐν πνεύματι· ἐνεργεῖ καὶ ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὡς δύναμις τοῦ πατρὸς, ἐξ αὐτοῦ τε, καὶ ἐν αὐτῷ νοούμενος καθ' ὕπαρξιν ἰδικήν· ἐνεργεῖ καὶ τὸ πνεῦμα· πνεῦμα γάρ ἐστι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, τὸ παντουργικόν.

b Ibid. Ἔφην γὰρ ὅτι τριῶν ὑποστάσεων ὑπαρχουσῶν, ἰδικῶς τε ἅμα, καὶ ἀλλήλαις προσεχῶς, ὡς ἐν μιᾷ θεότητος φύσει, τὸ ἑνὸς ἐνέργημα προσώπου, καὶ ὅλης ἂν λέγοιτο τῆς οὐσίας, καὶ ἑκάστης ὑποστάσεως ἰδικῶς· ὅλη γὰρ ὥσπερ διόλως καὶ ἰδικῶς δι' ἑκάστου κινεῖσθαι φιλεῖ.

1 Lib. VI et VII *de Trinit.* — 2 Lib. III *de Trinit.*, cap. IX, num. 7. — 3 Lib. LXXXIII *Quæst.* q. LXXVIII. — 4 Serm. LXIII *de Divers.*, cap. XII.

sam solam Dei bonitatem esse dicit[1] » et Boetius[2], Dionysius, aliique ut paulo post exponam. His de causis Spiritus sanctus δύναμις et *efficientia* Dei nominatur.

VII. Verum præcipua quædam ratio est in Filio, cur Dei virtus et omnipotentia potius sæpiusque vocetur quam Spiritus sanctus, nimirum eadem illa propter quam *sapientia* proprie dicitur, quod tanquam Verbum ex mentis notione procedit, cujus est propria sapientia. Quam quidem sapientiam artem quamdam esse Dei ex Augustino didicimus. At est ejusmodi effectrix vis in Deo sive omnipotentia. Igitur Filio peculiari quodam originis jure convenit.

Filio tamen sæpius tribuitur, et quibus de causis.

Ambrosius in libro *de Filii divinitate* diversorum Filii nominum quæ in Scripturis leguntur rationem edisserens[3], inter alia cur *virtus* et *sapientia* vocetur, causam reddit his verbis quæ in secundo sermone *de festo Trinitatis* apud Augustinum extant: «Virtus dicitur quia vere de Deo (apud Augustinum, proprie de Deo est) et semper cum Deo est, et omnis potestas Patris in eo consistit. Sapientia appellatur quia de corde Patris adveniens, arcana cœlestia credentibus reseravit[4]. » Hic *sapientiæ* nominis interpretatio propria est Filii seu Verbi, quod de Patris corde procedit. « Quid est enim dico, ait Augustinus, verbum profero. Et unde profert Deus verbum, nisi ex corde suo, ex intimo suo[5]? » At *virtutis* ratio tam ad Spiritum sanctum accommodari potest quam ad Filium, nisi quod ex vi originis, processionisque modo id habet peculiare Filius ut potestatem omnem Patris quemadmodum et ipsius naturam et quæ huic attributa dicuntur, exprimat. Ac videtur Ambrosius cum de *virtute* ita disserit, ad Arium respexisse ejusque nefarias et execrandas voces, quibus multas esse Dei δυνάμεις, id est *virtutes* aiebat *in Thalia*[6], e quibus unam esse cui Filii nomen est concessum. Quod ab Asterio sophista didicerat, qui, ut testis est Athanasius, Filium ita Dei virtutem dicebat esse, uti locusta vel eruca Dei δύναμεις appellantur[7]. Contra quem Ambrosius dissimili ratione ac creatas res omnes Filium appellari significat. Hic enim vere sive proprie de Deo est nec ab eo separatur, tum plenam et integram, quanta quanta est in Patre, ubi substantiam ita vim et potestatem accipit, eaque in ipso tota consistit. At creaturæ neque sunt proprie de Deo, neque cum eo conjunctæ sunt, neque totam illius vim exhauriunt, sed ejus efficientiæ quadam particula perstringuntur.

VIII. Præter hæc vero et supra omnia considerandum illud est, Verbum Dei, quoddam velut *imperium* esse quo Pater universa molitur. Nam imperium aut actio quædam mentis intelligentiæque est, aut sine hac illud ne intelligi quidem potest. At Deus solo imperio perficit omnia. Quare vis effectrix Patris merito Filius nominatur. Hinc Augustinus in tractatu XLVII in *Joannem* : « Verbum, inquit, non a Verbo accepit mandatum, sed in Verbo unigenito Patris est omne mandatum. » Quam etiam ob causam Pater per Filium *omnipotentatum tenere* dicitur ab Origene, libro I *Periarchon,* capite secundo : « Per sapientiam, inquit, quæ est Christus, tenet Deus omnipotentatum non solum dominantis auctoritate, verumetiam subjectorum spontaneo famulatu. » Et Clemens primus papa in epistola I *ad Corinthios*, Christum appellat *sceptrum majestatis Dei*[a]. Etenim lege, mandato et imperio suo universa continet et subjecta sibi habet Deus. Quæ omnia Filius ac Verbum proprie dicitur, adeoque δύναμις et vis, quæ, ut Patres loqui consueverunt, non est ἄσοφος neque ἄλογος. Cyrillus Alexandrinus in dialogo secundo *de Trinitate :* « Nam si in sapientia, inquit, et ratione sive verbo sita est Patris voluntas (non enim insipientem et irrationalem Patris esse voluntatem asserent) sapientia autem et ratio vel Verbum Patris est Filius, ipse igitur est in quo omnis est voluntas Patris[b]. » Et Gregorius Nyssenus *voluntatem Patris esse sapientiam* ait, ut capite superiori dixi. Quocirca consentaneum est hac potentiæ notione dici Filium esse Patris omnipotentiam, quia imperat omnibus et ea regit ac moderatur per Verbum. Nec minus etiam ex alia potentiæ significatione idipsum illi congruet, quatenus per idem Verbum sive imperium cuncta perficit.

Potentia.

Insipiens neque irrationali

Rursus quoniam impulsio quædam voluntatis cum imperio conjuncta est, vel huic etiam, ut quibusdam philosophis placet,

a CLEM. Τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλωσύνης τοῦ Θεοῦ ὁ κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ἰησοῦς.

b CYRIL. Εἰ γὰρ ἦν ἐν σοφίᾳ καὶ λόγῳ τὸ θέλειν τοῦ πατρός· οὐ γὰρ ἄσοφόν γε, καὶ ἄλογον τὴν θελαν ἐροῦσι θέλησιν· σοφία δὲ, καὶ λόγος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς ὁ υἱὸς, αὐτὸς ἄρα ἐστὶν ὁ ἐν ᾧ πᾶσα θέλησις τοῦ πατρός.

1 Lib. *cont. Adver. leg.* cap. VII. — 2 Lib. III *de Cons., met.* 9. — 3 Cap. VI. — 4 Serm. c. *de Temp.* — 5. In. *Ps.* XLIV. — 6 Apud Athan., lib. *de Synod.* — 7 Ibid.

Substantialiter. οὐσιωδῶς competit (sunt enim qui imperium, voluntatis esse proprium existimant); ideo Spiritus sanctus suo quoque jure Patris esse omnipotentia et efficientia censetur. Quam quidem *impulsionem* id est ὁρμήν, particula ἐν, id est, *in* declarat, quæ illi peculiariter attribuitur. Ut cum Joannes Baptista dicitur *in spiritu et virtute Eliæ*[1] venturus ante Christum. Et Simeon *venit in Spiritu in templum*[2].

IX. Cæterum ut in artifice præter artem et speciem sive ideam operis nec non amoris impulsionem, inest etiam vis et facultas exequendi ac fabricandi quæ naturali fit motione membrorum, sic in Deo non solum sapientia et idea, quod utrumque in Verbo est expressum, aut amoris affectus qui Spiritui sancto convenit, cogitatione nostra discernitur, sed vis insuper efficiens et exequens ex qua manat actio, qua res in tempore procreantur. Quam quidem non una aliqua persona definitam, sed tribus personis ex æquo congruentem, utpote absolutam proprietatem, intelligimus, sive ea voluntas est ipsa Dei, sive facultas ab illa τῇ ἐννοίᾳ, id est, *notione* distincta. Quæ sic a nobis usurpata accipi volumus, ut pro eo ac divinitatem decet, ad eam accommodentur. Nos enim pro ingenioli nostri tenuitate, omnipotentiam et virtutem et sapientiam, quasi ἕξιν et *habitum* in Deo cogitamus, cum sit actus quidam simplicissimus potentiæ nihil habens, qui ex omni æternitate est in Deo, etsi opus nonnisi in tempore sequatur. Sed nos aliter quam ut in rebus creatis quibus consuevimus, fieri ista cernimus, intelligere, explicareque non possumus. Igitur quemadmodum in iis omnibus quæ ex arte intelligentiaque agunt, sic in Deo præter externam molitionem, interiorem esse actum oportet quod, *consilium* vocat Augustinus[3], Græci βουλήν, ut jam dixi, qui in artifice vel quidvis efficiente creatura motus est animi, in Deo, ipse est Deus, nihil ab ejus substantia discrepans, utrobique vero externum antecedit opus. « Per consilium natum ex corde tuo ædificas aliquid, ait Augustinus, et illa fabrica antequam stet in opere, stat in consilio, et inest jam quod facturus es in eo per quod facturus es, et laudas fabricam nondum existentem, nondum in specie ædificii, sed in prolatione consilii[4]. » Igitur ex æterno intima illa et recondita in Deo fuit actio, quæ interdum externæ in se nomen effectionis assumit, ut quæ sero tandem et in tempore procreata sunt, ea ex æterno facta dicantur. *Qui fecit*, inquit Isaias, *quæ ventura sunt*[5]. Sic Apostolus : *Qui nos liberavit et vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia*[6]. » Datam ecce dicit ex æterno gratiam, quæ nonnisi jam creatis est concessa. Ita pleraque in Scripturis alia leguntur, idque nos supra jam observavimus.

Sed de externa ac transeunte *effectione* sive ἐνεργείᾳ nulla quæstio est apud illos qui Aristotelem secuti[7], actionem non in eo quod agit sed in patiente esse sentiunt, quin a Dei substantia plane diversa sit, et ad creatas res pertineat. De interiori actione, magna et molesta controversia est, quemadmodum idem sit quod Deus, cum ideo quia libera est, non inesse in illo potuerit, de qua nos supra aliquot locis egimus, et hic etiam præcipuam de ea quæstionem instituemus, quatenus de voluntatis ἐνεργείᾳ et interiore actu disputatur, qui externam operis effectionem antecedit ac dirigit, quæ ab omnipotentia et ex equente Dei facultate proficiscitur.

CAPUT X.

De ἐνεργείᾳ, id est actione Dei. Explicantur variæ notiones nominis istius, ac præsertim quadruplex proponitur. Expositus Maximi martyris locus. Cujusmodi motio sit ἐνέργεια.

I. Antequam veterum in hac controversia opiniones affero inter seque contendo, ἐνεργείας, quam *operationem* nostri vocant, subtilius est exponenda discernendaque ratio ex eorumdem placitis, ne quid obscuritatis et ambiguitatis habeat consequens nostra disputatio. *Variæ ἐνεργείας (energiæ) notiones explicantur.*

Plurimum in illius vocis illustranda notione laboris ac studii Græci maxime posuerunt, imprimisque Joannes Damascenus[8] qui accurate eam exposuit multis in locis[a]. Ac libro

a Damasc. lib. II. cap. xxiii. Χρὴ γινώσκειν, ὡς πᾶσαι δυνάμεις αἱ προειρημέναι, αἵ τε γνωστικαὶ, αἵ τε ζωτικαὶ, αἵ τε φυσικαὶ, καὶ αἱ τεχνικαὶ, ἐνέργειαι λέγονται. Ἐνέργεια γάρ ἐστιν, ἡ φυσικὴ, ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε, καὶ κίνησις· καὶ πάλιν· ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ, ἡ πάσης οὐσίας ἔμφυτος κίνησις· ὅθεν δῆλον,

1 *Luc.* i, 17. — 2 *Luc.* ii, 27. — 3 In *Psalm.* xliv, et tract. i in *Joan.* — 4 In *Ps.* xliv. — 5 *Isa.* xlv, 11 ex LXX. — 6 II *Timoth.* i, 9. — 7 Lib. III *Phys.*, cap. iii, et lib. III *de Anim.*, cap. ii, tex. 139. — 8 Lib. II *de Fide*, cap. xxiii, libro III, cap. xv, et lib. *de Forma hom. ad imag.*

quidem secundo *de Fide orthodoxa* capite tertio et vicesimo ἐνεργείας significationes affert varias. Primum enim pro naturalibus accipi viribus et facultatibus ait, ut sunt intelligendi, cognoscendi, cæteræque naturales, imo etiam artes. Item esse naturalem uniuscujusque substantiæ vim, tum a natura insitam cuilibet substantiæ motionem, ex quo sequitur ut quorum substantia vel essentia eadem est, sit eadem et ἐνέργεια, quæ vero naturam habeant diversam, eorum sit ἐνέργεια diversa. Fieri enim non potest ut substantia ulla naturalis sit operationis expers. Sic nativa, primaque et in continuo motu positiva vis intelligentis animæ, quæ est ratio ipsius nunquam quiescens ac naturaliter ex illa profluens, naturalis est ejus operatio. Interdum et actiones ipsæ vocantur ἐνέργειαι, ut sunt loqui, ambulare, edere, bibere ac similes. Item naturales affectiones, ut fames, sitis, sæpe ἐνέργειαι dicuntur. Denique opus ipsum et effectum facultatis alicujus, ἐνέργεια nominatur.

II. Hæc Damascenus, ex quibus quadruplex τῆς ἐνεργείας significatio colligi potest. Nam aut vis est ipsa naturalis et potentia, quam δύναμιν Græci vocant : aut est motio et usus facultatis illius transeuntis in actum, qui actus dupliciter intelligitur, estque ἐνέργεια duplex. Alia

Insita a natura motio.

natura insita, quæ ἔμφυτος κίνησις vocatur, et est prima omnium et perpetua ac nunquam interrupta naturæ motio, qua desinente, natura occidit, quia sine illa esse nunquam potest. Sic prima in viventibus actio et motio est vita ipsa, quæ « in nutritu, actu et diminutione posita est[a], » ut ait Aristoteles. Οὐσίας enim ait esse naturalia corpora, quorum quæ vitam habent, ea in illis actionibus est sita quæ vegetabilis animæ propriæ sunt, « cujus in permansione vita consistit, » inquit idem. Sensu vero præditorum primaria functio est interioris sensus quam φαντασίαν vocant, *perpetua motio.* Intelligentis denique animæ princeps ἐνέργεια, usus est rationis quem ἀεικίνητον λόγον Joannes Damascenus appellat. Ab hoc fonte actiones reliquæ profluunt, quæ ad secundum κινήσεως sive ἐνεργείας genus, tertium autem hujus significatum pertinent, quales sunt naturales aut arte constantes actiones, ut loqui, ambulare, edere, canere, opus aliquod artis efficere. Quod opus ἐνέργημα et ἀποτέλεσμα proprie, abusione autem vocis ἐνέργεια nonnunquam dicitur, eaque est postrema de quatuor τῆς ἐνεργείας significatio. Ac prior quidem ἐνέργεια, quæ secundum locum habet et a natura et οὐσίᾳ proximum, interior est, et, ut in scholis loquuntur, *immanens* actio, posterior vero et quasi secundaria ἐνέργεια, partim manet in agente causa, partim in opus transit externum quod actione finita perseverat.

Efficientia.

Efficientiæ.

III. Ex istis quatuor τῆς ἐνεργείας notionibus prima quidem, ut sit δύναμις et potestas agendi, a Basilio usurpata videtur in primo *contra Eunomium.* Nam illic ἐνεργείας appellat quæ nos *attributa* vocare consuevimus, veluti providentiam, præscientiam, et cætera : quem Basilii locum alibi descripsi[1]. Vide et epistolam ejusdem quadringentesimam, ubi similiter loquitur. Verum minus proprie convenit hæc vocis acceptio : quoniam « ἐνέργεια agitur, non agit, » ut Gregorius Nazianzenus loquitur[b]. Sed nec postrema congruit, qua pro opere ipso ἐνέργεια sumitur : velut κτίσις appellatur κτίσμα, ut idem Damascenus alibi scribit. Siquidem ἐνέργεια in motione posita est. Ideo definiri solet a Græcis theologis, ut a Psello in *Politicis versibus*, « certa naturæ, vel essentiæ, substantiæque motio[c].» Quare secunda et tertia significatio proprie nomen ἐνεργείας implent, tam ea videlicet, quæ inti-

ὅτι ὧν ἡ οὐσία ἡ αὐτὴ, τούτων καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτή· ὧν δὲ αἱ φύσεις διάφοροι, τούτων καὶ αἱ ἐνέργειαι διάφοροι· ἀμήχανον γὰρ, οὐσίαν ἄμοιρον εἶναι φυσικῆς ἐνεργείας· ἐνέργεια πάλιν ἐστὶ φυσικὴ, ἡ δηλωτικὴ ἑκάστης οὐσίας δύναμις· καὶ πάλιν· ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ καὶ πρώτη, ὁ ἀεικίνητος αὐτῆς λόγος, φυσικῶς ἐξ αὐτῆς ἀεὶ πηγαζόμενος· ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ ἡ ἑκάστης οὐσίας δύναμίς τε καὶ κίνησις, ἧς χωρὶς μόνον τὸ μὴ ὄν· λέγονται δὲ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις, ὡς τὸ λαλεῖν, τὸ περιπατεῖν, τὸ ἐσθίειν, τὸ πίνειν, καὶ τὰ τοιαῦτα· καὶ τὰ πάθη δὲ τὰ φυσικὰ, πολλάκις ἐνέργειαι λέγονται· οἷον πεῖνα, δίψα, καὶ τὰ τοιαῦτα· λέγεται πάλιν ἐνέργεια καὶ τὸ ἀποτέλεσμα τῆς δυνάμεως.

1 Lib. I *de Deo*, cap. IX.

a ARISTOT lib. II *de Anima*, cap. II, text. 3. Οὐσίαι δὲ μάλιστα εἶναι δοκοῦσι τὰ σώματα, καὶ τούτων τὰ φυσικά· ταῦτα γὰρ τῶν ἄλλων ἀρχαί· τῶν δὲ φυσικῶν τὰ μὲν ἔχει ζωὴν, τὰ δὲ οὐκ ἔχει· ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι' αὐτοῦ τροφήν τε, καὶ αὔξησιν, καὶ φθίσιν.

Idem, lib. *de Respir.*, cap. XVIII. Γένεσις μὲν οὖν ἐστιν ἡ πρώτη μέθεξις σὺν τῷ θερμῷ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς· ζωὴ δὲ ἡ μονὴ ταύτης.

b NAZIAN. orat. XXXVII. Καὶ εἰ ἐνέργεια, ἐνεργηθήσεται δηλονότι, καὶ οὐκ ἐνεργήσει.

c PSELLUS nondum editus. Ἐνέργειά ἐστι ποιὰ κίνησις τῆς οὐσίας.

mam ac natura insitam, et primam omnium actionem exprimit, quæ perpetua sit, nec intermittat unquam, quam quæ manantem ab illa, et externam, atque in sensus incurrentem, nonnunquam etiam in opus egressam complectitur. De priore ambarum istarum consentanea est iis, quæ ex Aristotele paulo ante commemoravimus, et ad institutum nostrum utilis animadversio Joannis Damasceni. « Scire, inquit, oportet, vitam etiam ipsam actionem esse, adeoque primam animantis actionem, atque omnem insuper animalis administrationem, qua alitur, crescit, et vegetat, nec non ea, qua impulsu quodam proprio cietur, cujusmodi est sensus, et intelligentiæ, ac voluntatis libera motio : facultatis porro opus est actio [a].» Sic auctor libri *de Mundo*, qui est inter opera Philonis τὴν ὁρμὴν, id est, *impulsionem*, « primam vocat *motionem* animæ [b]. » Et Augustinus in quinto libro *contra Julianum* in Agathonis Papæ synodica citatus actione IV, sextæ synodi : « Motus, inquit, animi quid est, nisi motus naturæ ? Animus enim sine dubitatione natura est. Proinde voluntas motus est naturæ ; quoniam motus est animi. »

IV. Sed ἐνεργείας utriusque, primariæ scilicet, ac natura posterioris discrimen apertius explicat Maximi martyris locus eximius, et imprimis observandus, qui ab Euthymio descriptus est : « Omnis, inquit, substantia proprium secum terminum inferens, hoc est definitione circumscripta principium est ejus motionis, quæ secundum vim, ac potestatem consideratur illa posterior. Rursus substantialis omnis ad operationem motio sita est in medio. Nam consideratione est tum substantia posterior, tum actione prior. Quin etiam actio omnis ratione propria naturaliter circumscripta finis est substantialis motionis, quæ consideratione animi ante ipsam spectatur [c]. »

Hic ἐνέργειαν distinguit ab ea motione, quam οὐσιώδη, id est *substantialem* nominat ; et hanc illa priorem facit ἐπινοίᾳ, quod est ratione, et consideratione mentis. Suspicari vero posset aliquis, Maximi verborum hanc esse sententiam, effectione illa externa, et interdum in opus transeunte anteriorem esse intimam quamdam substantiæ motionem, quæ exteriorem illam parturit, et impellit. Etenim iis in causis, quæ ratione præsertim, et consilio utuntur ad agendum, præter intelligentiam, ac judicium, voluntatis motio præcedit externam actionem, sive operis molitionem, quæ membrorum administratione fit. Ea vero voluntatis motio etiam ipsa est ἐνέργεια, sed media est inter voluntatem, et ἐνέργειαν alteram, quæ extrinsecus prodit. Verum ne ita Maximum interpretemur, illud obstat, quod alioqui universe de omni substantia pronuntiaret, quod ad eas solas convenire videtur, quæ perceptione aliqua rerum et appetitione ad agendum incitantur. Nam in igne calefaciente nulla præter calefactionem fingi potest illius impulsio, qua se ad calefactionem moveat ; sed ipsamet caloris effectio forma est, et ἐντελέχεια*, qua ignis fit, appellaturque calefaciens. *Entelechia.* Quamobrem melius arbitror, quo verum sit universe Maximi illud effatum, putare ipsum de primaria, quam Joannes Damascenus exposuit, substantiarum ἐνεργείᾳ loqui ; quæ in rebus inanimis obscurior est, in vivis, ac spirantibus, maximeque intelligentia præditis enitescit.

V. Cæterum idem Maximus in disputatione contra Pyrrhum Monothelitam motiones illas substantiarum nominat οὐσιώδεις ἐνεργείας, *substantiales operationes*, dum adversus hæresim illam disputat, ex eo, quod naturæ sunt in Christo duæ, « Duas esse naturales voluntates, totidemque substantiales operationes [d].» Itaque « voluntates sive volendi actiones, et opera-

a Damasc. lib. III, cap. xv. Δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ ζωὴ ἐνέργειά ἐστι, καὶ ἡ πρώτη τοῦ ζώου ἐνέργεια, καὶ πᾶσα ἡ τοῦ ζώου οἰκονομία, ἥ τε θρεπτικὴ καὶ αὐξητικὴ, ἤγουν φυτικὴ, καὶ ἡ καθ' ὁρμὴν κίνησις, ἤγουν αἰσθητικὴ, καὶ ἡ νοερὰ, καὶ ἡ αὐτεξούσιος κίνησις· δυνάμεως δὲ ἀποτέλεσμα, ἡ ἐνέργεια.

b Edit. Paris. Græco-Lat. Τοῦτο δὲ αὐτῆς πάθος ὁρμὴ καλεῖται· ἣν ὁριζόμενοι πρώτην ἔφησαν ψυχῆς κίνησιν.

c Maxim. apud Euthym. *Panop.* part. I, tit. III. Πᾶσα οὐσία τὸν ἴδιον ὅρον ἑαυτῇ συνεισάγουσα, τουτέστιν ὁριζομένη, ἀρχὴ πέφυκεν εἶναι τῆς ἐπιθεωρουμένης αὐτῇ κατὰ δύναμιν κινήσεως· πᾶσα δὲ οὐσιώδης πρὸς ἐνέργειαν κίνησις μεσότης ἐστὶ, μετεπινοουμένη μὲν τῆς οὐσίας, προεπινοουμένη δὲ τῆς ἐνεργείας· καὶ πᾶσα ἐνέργεια τῷ κατ' αὐτὴν λόγῳ φυσικῶς περιγραφομένη, τέλος ἐστὶ τῆς πρὸ αὐτῆς κατ' ἐπίνοιαν προεπινοουμένης οὐσιώδους κινήσεως.

d Maxim. disp. *cont. Pyr.* Baron. Δύο δὲ αὐτοῦ αἱ φύσεις· δύο αὐτοῦ πάντως καὶ τὰ φυσικὰ θελήματα, καὶ αἱ τούτων ἰσάριθμοι· καὶ οὐσιώδεις ἐνέργειαι.

Ibid. Οὕτω καὶ ὁ ἀριθμὸς τῶν οὐσιωδῶς προσόντων ταῖς αὐτοῦ φύσεσι θελημάτων.

Ib. Τὸ οὐσιῶδες τοῦ θεοῦ, καὶ δημιουργικὸν θέλημα.

* Vox ἐντελέχεια (entelechia) ab Aristotele primum usurpata, perfectionem vel perfecti habitionem proprie significat. J. B. F.

tiones vocat, ambabus Christi naturis substantialiter insitas. » Et paulo post, voluntatem rerum procreandarum in Deo nuncupat « substantialem Dei, et conditricem voluntatem. Deinde vero illam ipsam ἐνέργειαν, et operationem ideo a se οὐσιώδη, *substantialem* vocari significat, quod « non extranea sit, sed ipsam constituat substantiam; quandoquidem sine operibus quidem natura potest esse : sine operatione autem naturali, non potest esse natura, neque cognosci[a]. » His enim verbis respondet ei, quam sibi proposuerat, quæstioni, « utrum in ipsa ratione substantiam constituente sit ἐνέργεια, an ex iis, quæ sunt extranea[b]. » Quapropter ἐνεργείας vocabulo utrumque comprehendit genus, et primigeniam illam naturæ motionem, quæ nunquam extinguitur, et consequentes actiones, quæ identidem repetitæ ex illa velut radice proficiscuntur; ob idque οὐσιώδεις, et *substantiam constituentes* eas vocat, quia etsi singulæ oriuntur, ac desinunt, tamen aliqua semper existit, et substantiam, agendique vim afficit. Ita enim calefactio non una numero, neque continuata est ignis actio, sed plures numero, ac sine intermissione succedentes invicem. Ut propterea ipsa species actionum, οὐσιώδης, et συστατικὴ τῆς οὐσίας, id est *ignis substantiam constituens* esse dicatur. Quemadmodum in creaturis ratione præditis, intelligendi, appetendique functiones singulæ ab naturalibus facultatibus, et substantiis eduntur, et occidunt; sed οὐσιώδεις nihilominus vocantur, quoniam semper inest in illis earum aliqua, neque ab ipsarum productione natura cessat. Hinc illud Damasceni ac Maximi dictum, nullam sine « ἐνεργείᾳ, et naturali operatione vel existere, vel cognosci posse naturam; ac tantummodo id quod nihil est, motione illa, et actione carere. »

Ita Clemens Alexandrinus in secundo *Stromateon*, « in operatione exstantiam cognosci[c] » ait. Hujusmodi porro ἐνεργείας varias recenset, et explicat Maximus Martyr in disputatione *adversus Pyrrhum*. *Efficientias.*

VI. Alia est divinæ substantiæ operationisque ratio, quæ utraque numero una et simplicissima res est, tum in se, tum cum altera conjuncta; de quo mox quæretur. Nam ante nonnulla et ad illustrandam Græcorum theologorum de ἐνεργείᾳ doctrinam, et ad hanc ipsam, quam instituimus, quæstionem apprime necessaria declaranda sunt. E quibus non minimi est hoc, quod dixi proxime, momenti, ἐνεργείας singulas desinere, ac sibi invicem succedere. Hinc enim ad confutandos Anomœos argumentum sumpsere veteres Patres, cum in eo maximum inter illos certamen esset : quod Eunomius ne ex Dei Patris substantia prodire fateretur Verbum, ac Filium Dei, et eadem proinde constare substantia; non substantiæ sed ἐνεργείας esse fetum asserebat, ejusque similem, non autem substantiæ : ut pari, ac creatæ res omnes conditione esset. E contrario sancti Patres, nequaquam ab ἐνεργείᾳ procedere, aut ejus esse similem ex eo contendebant, quod ἐνέργεια, id est actio, vel operatio, transeat, et esse desinat perfecto jam opere : tum vero addebant alii, quod ἐνέργεια non sit ex æterno, sed in tempore, sicut et res creatæ, quæ illius est opus. Eunomium ita, ut dixi, statuisse, testis est Gregorius Nyssenus in libro primo contra ipsum; ubi dictum illius refellit : « Filium imaginem, et sigillum esse operationis omnipotentis Dei[d]. » Refellit autem eo argumento, quod omnis ἐνέργεια in eo spectatur, qui efficit id, quod efficitur; cum autem id, quod peragitur transactum fuerit, per se non subsistit ἐνέργεια. Velut currendi actio, motus est, qui pedibus fit; cessante vero motu, non subsistit in se amplius actio illa[e]. » Est igitur ἐνέργεια omnis ἀνυπόστατος, hoc est *minime subsistens*, ut idem paulo post loquitur, nec non Basilius[1] libro quarto adversus Eunomium.

VII. Sic apud Athanasium in dialogo secundo *de Trinitate*, in quo Orthodoxus cum Anomœo disputat, (si id tamen Athanasii opus est, quod non puto) Eunomii Scholia citantur, in quibus probat θέλησιν et βούλησιν, id est *voluntatem*, sive *volitionem* idem non esse cum οὐσίᾳ, easdem ob causas, quas proxime commemoravi. Cui hac in re suffragatur Orthodoxus : et ideo, quia differunt,

a Maxim. Ibid. Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐ τῶν ἐκτὸς τυγχάνει ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια, δῆλον ἐκ τοῦ ἄνευ μὲν τῶν ἔργων δύνασθαι τὴν φύσιν εἶναι, ἄνευ δὲ τῆς κατὰ φύσιν ἐνεργείας, οὔτε εἶναι τὴν φύσιν, οὔτε γινώσκεσθαι δυνατόν.

b Ib. Εἰ ἐν αὐτῷ, φημὶ δὴ τῷ συστατικῷ τῆς οὐσίας λόγῳ ἡ ἐνέργεια θεωρεῖται, ἢ τῶν ἐκτὸς τυγχάνει.

c Ibid. Εἰ γὰρ ἐν τῷ ἐνεργεῖν τὸ εἶναι δείκνυται.

1 Pag. 97.

d Eunom. Υἱὸς γάρ ἐστι, φησὶν, εἰκὼν καὶ σφραγὶς τῆς τοῦ παντοκράτορος ἐνεργείας.

e Greg. Nyss. Πᾶσα γὰρ ἐνέργεια ἐν μὲν τῷ ἐκπονοῦντι τὸ σπουδαζόμενον θεωρεῖται, περαιωθέντος δὲ τοῦ σπουδαζομένου, καθ' ἑαυτὴν οὐχ ὑφέστηκεν οἷον ἐνέργεια· τοῦ δρόμου ἡ διὰ τῶν ποδῶν ἐστι κίνησις· παυσαμένης δὲ τῆς κινήσεως, οὐκέτι ἐστὶν ἐφ' ἑαυτῆς ἡ ἐνέργεια.

« Filium asserit substantiæ esse fetum, nos autem voluntatis[a]. » Quem locum Joannes Cyparissiotus memoria lapsus ex eo Athanasii dialogo citat[1], qui disputationem Athanasii cum Ario apud Nicæam habitam continet.

Sic apud eumdem Cyparissiotum synodus a Theodoro episcopo Carorum contra Manichæos habita, « Omnis, inquit, operatio est cum fit; quæ nec ante motum operantis, id est actionis est, neque post motum durat; opus tantum, quod effectum est, sæpe ad memoriam actionis relinquit[2]. Quibus Cyparissiotus his verbis assentitur : « Ex his perspicuum est, quod operatio rationem medii præfert, et ob eam causam non existit per se : solummodoque est cum fit, non ante motum operantis, id est ante actum; neque post motum permanet. » Hic potest dubitari, cujusmodi motum intelligant Joannes Cyparissiotus, et Theodorus ille Carorum episcopus, qui et Abucaras cognominatur, scriptor celebris, et eruditus : an eumdem esse velint cum ἐνεργείᾳ ipsa, quæ veluti forma sit et ἐντελέχεια, qua causa fit agens actu : quemadmodum motus ab Aristotele definitur, « actus ejus quod est potentia, qua tale est[b], » hoc est qua potentia est; ut si motum dicam nec antequam moveatur agens, existere, nec postquam moveri desiit, perseverare. An potius motum illum intelligant, quem Maximus, et Joannes Damascenus inter causam, ejusque vim, ac δύναμιν et ἐνέργειαν interponunt, ut supra demonstravi. Certe antiquiores theologi non aliam substantiæ motionem, quam ἐνέργειαν agnoscunt, eamque proxime illi subjiciunt, nullo prorsus interjecto.

Basilius in libro quarto *adversus Eunomium* tria ista tantummodo distinguit, agentem causam, actionem, et opus, vel effectum[c]. Sic Gregorius Nyssenus libro primo contra eumdem hæreticum, ([3] quem librum Joannes Cyparissiotus secundum numerat, quod primus ille fit, qui separatim a P. Jacobo Gretsero editus est) cum Eunomius Filium dixisset esse « imaginem, et sigillum operationis omnipotentis Dei[d]; » objicit illi, tertium a Patre Filium ab ipso constitui. « Tertium, inquit, post Patrem illum facit, interjecta inter utrumque operatione ista non existente[e]. » Etenim tertia post Patrem imago numerabatur ab Eunomio, tanquam opus τῆς ἐνεργείας; huic vero proximus a Patre gradus tribuebatur. Itaque nulla κίνησις alia, præter ἐνέργειαν, ab illis Patribus intelligitur. Cyrillus quoque libro quinto *Commentariorum in Joannem*, cogitationes animi, quæ hujus ἐνέργειαι sunt, motiones appellat, hoc est τῶν διαλογισμῶν κινήματα. Et in *Thesauris*, admirabilia opera quæ Christus pro potestate faciebat, « propriæ, et substantialis operationis effecta[f] » nominat. Non minus ergo secundi ordinis actiones, quam primariæ illæ, οὐσιώδεις ἐνέργειαι nuncupantur, quod naturæ congruentes et consentaneæ sunt.

Motio.

Rationum motus.

CAPUT XI.

Utrum in Deo ἐνέργεια, *id est actio, vel operatio distinguatur ab ejus* οὐσίᾳ. *Ostenditur ex veterum sententia nullum interesse discrimen, quia nulla est in Deo motio, nulla potentia, R. Mosis Maiemonidæ sententia, etiam in creaturis spiritualibus nihil esse potentiæ, refellitur. De vocabulo* ἐντελεχείας. *Rursum de Dei simplicitate, quæ efficit, ut* ἐνέργεια *idem sit cum substantia. Gregorii Nysseni locus illustratur : nec non Basilii. Gentiles philosophi* ἐνέργειαν *a Deo non differre sentiunt, Græcorum recentium opinio de hac re falsa confutatur : præsertim Hieremiæ Patriarchæ. Theodori Abucaræ locus expenditur.*

Hæc paulo enucleatius, sed necessario, uti consequens disputatio monstrabit, de ἐνεργείας ratione præfati, quæramus modo ex opinione veterum, quinam in Deo sese habeat, et utrum ab ejus substantia reipsa distincta sit. Ac postea quidem, separatimque de libera

a Athan. Διὰ γὰρ τοῦτο τὸν μὲν υἱὸν, γέννημα τῆς οὐσίας λέγομεν εἶναι· ἑαυτοὺς δὲ, τῆς θελήσεως.

b Arist. lib. III *Physic.* cap. I, tex. 6. Ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον, κίνησίς ἐστι.

c Basil. Ὁ ἐνεργήσας γὰρ πρῶτος, εἶτα ἡ ἐνέργεια, καὶ οὕτω τὸ ἐνεργηθέν.

d Eunom. apud Greg. Nyss. Υἱός γάρ ἐστι, φησὶν, εἰκὼν καὶ σφραγὶς τῆς τοῦ παντοκράτορος ἐνεργείας.

e Gregor. Nyss. Τρίτον αὐτὸν μετὰ τὸν πατέρα ποιεῖ τῇ ἀνυπάρκτῳ ἐκείνῃ μεσιτευόμενον.

f Cyril. lib. XXXII. Θεραπεύει μὲν ἐξουσιαστικῶς, οὐκ εὐχῆς ἔργον ἐπιδεικνύων, καθάπερ ἐκεῖνοι· ἀλλ' οἰκείας, καὶ οὐσιώδους ἐνεργείας ἀποτελέσματα.

1 Dec. III, cap. VI. — 2 Dec. III, Cap. V. — 3 Dec. III, cap. V.

voluntatis ἐνεργείᾳ dicemus, qua in res extraneas sive procreandas, sive aliter procurandas divina se bonitas effundit. Nunc de actionum, et ἐνεργειῶν genere universo placet inquiri.

Inquisitionis vero status hic est, an ἐνέργεια ista reipsa sit diversum aliquid a Dei substantia, quod huic accedat, eamque perficiat : quod de interiori, et ea, quæ in agente residet, non extra causam manat, perspicuum est intelligi. Sed ne quis hanc ipsam a nobis antea primo in libro[1] pertractatam quæstionem existimet, cum adversus Græculos quosdam novos, qui Palamitæ dicuntur, disputationem instituimus, a quibus ἐνέργειαι divinæ reipsa separantur ab Dei substantia; sciat illic disserendi rationem aliam fuisse, quam quæ modo suscipitur. Etenim Græci isti ἐνέργειαν non solam *actionem* interpretantur, sed etiam proprietates omnes, et *attributa*, ac quidquid in Deo ab ipsius natura, et substantia velut distinctum intelligimus. Itaque, cum de divinis proprietatibus universe considerandum illic esset, merito de toto hoc genere τῶν ἐνεργειῶν verba fecimus. Nunc de iis, quæ proprie vocantur ἐνέργειαι, dicere aggredimur : qua ex oratione multo illi magis refellentur stolidæ opinionis architecti. Proponit hanc quæstionem Chrysostomus homilia quinta in *Epistolam ad Colossenses*, sed eam non dissolvit.

II. Ego vero nihil ἐνέργειαν, sive actionem operationemve, quæ quidem intestina est, et manens in agente, ab Dei substantia differre, non modo dictum ab antiquis theologis reperio, sed etiam probando, et argumentando confectum. Horum argumentorum id esse primum potest, quod ea stabilitate status sui, et constantia Deum esse præditum volunt, nullum ut motionis admittat genus. Dionysius sub finem noni capitis *de Divinis nominibus*, cujusmodi in sacris Libris Deo motus attribuitur explicans, « Moveri, inquit, ipsum religiose debemus intelligere, non secundum lationem, vel mutationem, vel alterationem, vel conversionem, vel localem motum, non recta, non in circulum, non mista ex ambobus agitatione, non intelligibili, non animæ propria, non naturali[a]. » Quem locum Maximus Martyr enarrans, intelligibilem motum istum, de quo Dionysius, « talem esse dicit, quo mens agens, sive divinæ illæ mentes res omnes intelligunt. » Ac subinde concludit sic : « Deus igitur nullo ex iis genere movetur, sed motus ejus, qui est immobilis, et eodem modo semper habens, appellatur ipsius voluntas, qua vult ea, quæ sunt, fieri, sive providentiæ ipsius ad omnia processio[b]. » Ex quibus efficitur, nullum in Deo manentem actum inesse ab ejus distinctum substantia. Nam si inesset aliquis, nihil ab creatis, et intelligibilibus substantiis in agendo distaret; quarum motio est ipsa mentis aut voluntatis actio, substantiam afficiens, et ad eam accedens.

III. At Joannes Cyparissiotus illam voluntatis Dei motionem, de qua ambo illi loquuntur, externam interpretatur[2], ut sit creatarum rerum productio, cujusmodi est πρόοδος illa, quam *emanationem* Turrianus interpres Cyparissioti vocare solet, nos *processionem* aut *progressionem*, qua Deus extra se quodammodo procedit. « Ex his patet, inquit Cyparissiotus, Deum nulla ex iis motionibus, quas Dionysius ingeniose enumeravit, moveri, illa tantum excepta, quæ externa est, et qua creaturas per suas emanationes produxit, multiplicatus, et dispertitus, ac distributus, non quatenus ipse est, sed quatenus manens immobilis, et impartibilis, et multiplicationis expers, et eodem prius et postea tenore sola voluntate omnia produxit. » Subinde vero quemadmodum emanatio illa, Deique motio et multiplicatio fiat, vultus exemplo declarat, qui nulla mutatione sui varias ex se imagines profundit; de quo exemplo agam postea, cum de propria voluntatis actione, ac Dei, quæ falso putatur ex illa contingere, mutatione dicam. Hoc modo universe de quacumque actione sentiendum, Dionysius Maximusque persuadent, ideo nullam in Deo motionem esse, quia nullam commutationem patitur, cum extrinsecus mutet universa.

Quinetiam Cyrillus Alexandrinus de omni genere *immanentis*, ut vocant, ἐνεργείας ita judicat, dum Arianos redarguit asseverantes,

a Dionys. *de Divin. nom.* cap. ix. Κινεῖσθαι γὰρ αὐτὸν εὐσεβῶς νοητέον, οὐ κατὰ φορὰν, ἢ ἀλλοίωσιν, ἢ ἑτεροίωσιν, ἢ τροπὴν, ἢ τοπικὴν κίνησιν, οὐ τὴν εὐθεῖαν, οὐ τὴν κυκλοφορικὴν, οὐ τὴν ἐξ ἀμφοῖν, οὐ τὴν νοητὴν, οὐ τὴν ψυχικὴν, οὐ τὴν φυσικήν.

b Maxim. Ἔστι δὲ καὶ νοητὴ κίνησις καθ' ἣν ὁ νοῦς ἐνεργῶν, ἢ καὶ οἱ θεῖοι νόες νοοῦσι τὰ ὄντα.

Mox : Ὁ οὖν Θεὸς οὐ κατὰ μίαν τούτων κινεῖται· ἀλλὰ κίνησις τοῦ ἀκινήτου, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντος λέγεται ἡ εἰς τὸ γενέσθαι τὰ ὄντα βούλησις αὐτοῦ, καὶ πρόοδος τῆς εἰς τὰ πάντα προνοίας αὐτοῦ.

1 Cap. vii. — 2 Dec. III, c. x.

Filium a Patre non ex æterno genitum, sed in tempore: ut cum potestate antea fuisset Pater, re et actu postmodum fuerit, idque voluntate sua; tanquam voluntatis actio libera generationem præcesserit. Verum sic illos Cyrillus refellit. « Fœdam ab iis inuri notam asserit Patri, » dum ei mutationem adscribunt, *apud quem non est transmutatio*, *nec vicissitudinis obumbratio* [1], ut ait Scriptura. Nam quid hoc aliud est, quam conversio, et crassa quædam veluti vicissitudo, a potentia migrare in actum? » Etenim « quod esse potentia ejusmodi, quæ est secundum naturam, putatur, nondum vero istud ipsum actu recepit, adhuc stat in potentia, cum nondum motionem ad actum susceperit, sed in eo moretur, quod initio erat, ac primo. Quod si forte motum ad actum susceperit, ad aliud quiddam transibit, quam id, quod erat initio: si quidem non in uno, et eodem loco statuunt id, quod esse dicitur potentia, et quod actu [a]. »

IV. Præclarus omnino Cyrilli locus, et ad rem magnopere spectans. Nam actiones, quæ vocantur *immanentes*, omnes esse tales ostendit, ut ad Dei substantiam nec accedant, nec ab ea recedant; quod tunc fieret, si, ut in creatis rebus evenit, re essent a substantia distinctæ, et actionis natura constarent, id est ἐνεργείας, quæ est motio quædam, et ἐντελέχεια respondens δυνάμει, ut est apud Aristotelem in *Physicis* [2]. Ac si recte probat ex eo Cyrillus, nequaquam prius velut acquievisse Patrem, et a generando cessasse, postea vero nova voluntatis actione elegisse gignere; quod inde mutatio sit aliqua, novitasque consequens, et ab uno statu transitus ad alterum, idipsum et in actionum genere omni valet, quæ manent in efficiente. Præsertim cum nulla sit in Deo δύναμις, sed *actus* sit, ut dici solet, merus, et simplex.

Entelechia respondens Potentiæ.

Quæ esse ratio altera potest, qua quod instituimus probatur, nihil ab Dei substantia differre ejus actionem; quod alioqui δύναμις in illo esset aliqua, cujusmodi in eo esse nulla debet. Hinc Maximus Martyr in commentario ad caput quintum Dionysii *de Divinis nominibus*, Deum ait essentia, et substantia sua esse ἐνέργειαν et νόησιν, id est *operationem* suam, præsertim intelligentiam, atque ideas ipsas quæ sunt νοήσεις, id est *notiones* divinæ mentis. « Quare ipsam excellentem omnibus bonitatem esse mentem asserit, in qua nulla insit δύναμις, id est potentia [b]. » Et apud Euthymium: « Deus, inquit Maximus, est cognitio ipsa secundum substantiam [c]. » Quin idem Maximus, Euthymio referente, ipsam Dei οὐσίαν et ἐνέργειαν, adeo persuasum habet, ut propterea neque intelligere, neque intelligi dicat proprie, ne quid δυνάμεως inesse huic existimetur. Verba ejus magni interest hic describi, cum Græce nondum extet Euthymii liber. « Deus, inquit, neque intelligens dicitur, neque intelligentia cognitus, ne compositus existimetur. Nam et quod intelligens est, secum una consideratam habet intelligendi potentiam, et quod intelligitur, potentiam ut intelligatur. Sed neque est intellectio. Nam intellectio natura sua subjectam sibi habet capacem sui substantiam. Restat igitur ut supra hæc omnia sit: nisi forte intellectionem ipsum esse dicamus, quæ sit ipsa secundum substantiam intellectio, ac totum intellectio, et solum intellectio, et intellectio intellectionem excedens [d]. »

Potentia.

V. Vere ista quidem Maximus, ac melius omnino, quam rabbi Moses Maiemonides, qui in secunda parte *More Nebochim*, capite XVIII,

a Cyril. dial. II. Ὁ γὰρ εἶναι πεφυκὼς δυνάμει τε, καὶ ἐνεργείᾳ πατὴρ, οὐ θέλησιν ἔχει τὸ ἐπ' ἀμφοῖν βραβεύουσαν· φύσεως δὲ μᾶλλον ἕψεται νόμοις ἧς ἂν νοοῖτο καὶ τὸ τεκεῖν, etc. ὅτι δὲ καὶ αὐτῷ τῷ πατρὶ τὸν ἐκ τοῦ τετράφθαι δυσκλεᾶ προσάπτουσι μῶμον, καί τοι τῆς θείας λεγούσης γραφῆς, παρ' ᾧ οὐκ ἔστι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, κἀντεῦθεν εἴσοιτο. τί γὰρ δὴ τοῦτό ἐστι, ὦ τᾶν, ἢ τροπὴ, καὶ παχεῖά τις ὥσπερ ἐξαλλαγὴ, τὸ ἐκ τοῦ δυνάμει, φημὶ, μεταχωρεῖν, εἰς ἐνέργειαν; τὸ μὲν γὰρ εἶναί τι δυνάμει τῇ κατὰ φύσιν ὑπειλημμένον, μὴ μὴν ἤδη τοῦτο ἐνεργείᾳ δεχθὲν, ἕστηκεν ἐν τῷ δυνάμει τέως, εἰσδεδεγμένον μὲν οὔπω τὴν εἰς ἐνέργειαν κίνησιν, ἐμφιλοχωροῦν δὲ ἔτι τῷ ἐν ἀρχαῖς τε καὶ πρώτῳ. εἰ δὲ εἰσδέξαιτό τυχὸν τὴν εἰς ἐνέργειαν κίνησιν, μεταφοιτήσειεν ἂν εἰκότως ἐφ' ἕτερον οἶμαί τι παρ' ὅ περ ἦν ἐν ἀρχαῖς· εἴπερ οὐχ ἕνα, καὶ τὸν αὐτὸν ἀπονέμουσι τόπον τῷ τε κατὰ δύναμιν καὶ τῷ κατ' ἐνέργειαν.

b Max. *ad Dion.* Οὕτω νοητέον ἡ αὐτοϋπεραγαθότης νοῦς οὖσα, καὶ ὅλη ἐνέργεια, εἰς ἑαυτὴν ἐστραμμένη ἐνεργείᾳ ἐστὶν, οὐ δυνάμει.

c Maxim. apud Euthym. *Panop.* Tit. III. Ὁ θεὸς γνῶσις ὢν κατ' οὐσίαν.

d Maxim. apud Euthym. ibid. Ὁ θεὸς οὔτε νοῶν λέγεται κυρίως, οὔτε νοούμενος, ἵνα μὴ σύνθετος λογισθείη. τό τε γὰρ νοοῦν συνεπιθεωρουμένην ἔχει τὴν τοῦ νοεῖν δύναμιν· τό τε νοούμενον τὴν τοῦ νοεῖσθαι. ἀλλ' οὐδὲ νόησις· ἡ γὰρ νόησις φυσικῶς ἔχει ὑποκειμένην δεκτικὴν αὐτῆς οὐσίαν. λοιπὸν οὖν ὑπὲρ ταῦτα πάντα, εἰ μή που νόησιν αὐτὸν εἴπομεν αὐτὸ κατ' οὐσίαν νόησιν, καὶ μόνον νόησιν καὶ νόησιν ὑπὲρ νόησιν.

1 *Jacobi* I, 17. — 2 Lib. II *Phys.*, c. III.

negat expertes materiæ, corporisque substantias, etsi agant interdum, alias ab actione cessent, e potentia transitum facere in actum. Cum enim Aristotelis, aliorumque, qui mundum ex omni fuisse æternitate censent, argumenta dissolveret, primum hoc opponit sibi : « Videri Deum potentia in actum exire, si uno tempore agere dicatur, alio non agere.» Quod ille diluit sic : « verum id esse in iis duntaxat, quæ componuntur ex materia possibilitatem habente, et forma ; quoniam sine ulla dubitatione, quando agit corpus istud per formam suam, cum antea non ageret, omnino res quædam fuit in illo potentia, et in actum exiit, etc. Verum in eo, quod non est corpus, caretque materia, non est in ejus substantia ullo modo possibilitas et quidquid est in eo, est actu semper, neque in hoc illud est consequens. Neque vero quidquam obstat, quin alio tempore agat, alio non agat. Idque nullam habet mutationem in conditione rei abstractæ a materia : nec est exitus a potentia ad actum [a]. » Quod subinde confirmat exemplo intellectus agentis, qui etiam in substantia experte materiæ non semper agit, sed certo tempore agit, alio non agit, ut asserit Abunasar in libro *de Intellectu*. « Et tamen, inquit, non dicitur intellectus agens mutari, neque fuit agens potentia, et ad actum transit, quatenus fecit uno tempore, quod antea non fecit [b]. » Verum falsa ista sunt in creatis quamlibet remotis a materia, corporisque commercio substantiis. Etenim Angelus, cum agit modo, quod antea non agebat, ἐνέργειαν, et ἐντελέχειαν, id est *actum*, sive *perfectionem* novam suscipit, quam ante capere poterat. Erat enim in illo agendi vis, et potentia, a qua ad actum transiit. Neque enim actio illa nihil est, aut inest alibi : quam in ipsa Angeli substantia. Habet igitur aliquid ista substantia, quo prius carebat. Hæc sunt extra controversiam.

VI. Cæterum illa ipsa vox ἐντελέχεια, quam ab Aristotele primum excogitatam auctor est Cicero, qui eamdem aliter, ac debuisse putatur, interpretatus est, « quasi quamdam continuatam motionem, et perennem [1] : » illud, inquam, nomen, quod *perfectionem*, vel *perfecti habitionem* proprie significat, aliud argumentum ad id, quod institui, probandum suppeditat. Siquidem philosophi vulgo ἐντελέχειαν hanc Aristoteleam *actum* vocant : eo quod actus omnis, quam et ἐνέργειαν Aristoteles vocat, perfectio sit subjectæ, et cum recipientis substantiæ. Quamobrem id solum a potentia transire potest ad actum, eoque affici, quod novam capere perfectionem potest. Hoc autem creatura potest omnis, solus Deus non potest, qui infinite perfectus incrementum nequit capere perfecti. Itaque nec potentiam habet ullam, neque potentiæ succedentem actionem. Quam quidem simplicitatis causam ex Cyrillo supra commemoravimus [2]. Est enim argumentandi locus ille prorsus idem cum eo, qui ex ipsa Dei simplicitate petitur, quæ compositionem omnem ab illo penitus excludit. Hinc enim existit certa et perspicua ratio, quæ divinam substantiam demonstrat nihil ab ἐνεργείᾳ, et actione differre sua. Hac fretus antiquissimus auctor Irenæus, priscos illos hæreticos Æonum, ac similium nugarum inventores redarguit, quod *Ennœam*, id est *cogitationem*, ac *mentem* Dei ab eo discernerent, ac diversas emissiones fingerent. « Qui ergo dicit mentem Dei, inquit, et prolationem propriam menti donat, compositum eum pronuntiat, tanquam aliud quiddam sit Deus, aliud autem principalis mens existens [3]. »

VII. Cyrillus quoque alios refellens hæreticos [c] qui Filium Dei similem hujus esse non substantiæ naturæque dicebant, sed cogitationis, et actionis, qua intelligit, sive exemplaris, et ideæ, velut domus imago est non

a Rabbi Moses. זה העכין אמנם יתחייב בכל מורכב מחמר בעל אפשרות ומצורה כי בלא ספק כשיפעל הגשם ההוא בצורתו אחר שלא עשה כבר היה כו רבר ככח ויצא לפעל etc. אבל מה שאינו גוף ואין לו תמר אין בעצמו בשום פנים אפשרות ובל מה שיש לו הוא בפעל חמיר ולא יתחייב בו זה ולא יתנע בו שיעשה עת ולא ימשה עת ואין זה שנוי כחק הנפרד ולא וציאה מן הכח אל הפעל.

b Id. Rabbi Moses. ועם היותו כז לא יאמר שהשכל הפעל משתוה ולא היה פעל בכח ושב בפעל כאשר עשה בעת אחת מה שלא עשהו מקרם.

c Cyril lib. XIII *Thes*. Κατὰ τοῦτο, φασὶν, ὁμολογοῦμεν· ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ, οὐχ ὅτι πάντως τὴν οὐσιώδη καὶ φυσικὴν ἔχει πρὸς αὐτὸν ὁμοιότητα· ἀλλ' ὅτι διὰ τὸ θελῆσαι μόνον τὸν πατέρα τοιοῦτον ὑποστῆσαι τὸν υἱὸν, ὁποῖός ἐστιν αὐτὸς, τὴν πρὸς αὐτὸν ὁμοίωσιν ἔχει. ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ οἶκος εἰς εἶδός τι, καὶ σχῆμα μεταπεποιημένος ὥσπερ εἰκών ἐστι τῆς τοῦ δημιουργήσαντος ἐννοίας, διὰ μὲν τὴν ὕλην ἕτερος ὢν ὡς πρὸς αὐτὸν, διὰ δὲ τὸ οὕτω πεποιῆσθαι ὡς ἐπενόησε, προσεοικὼς αὐτοῦ τῇ διανοίᾳ.

1 Cic. lib. I *Tusc*. — 2 Lib. II, c. II. n. 5. ex lib. XXXI *Thes*. — 3 Iren. lib. II, c. XLVIII.

architecti ipsius, sed cogitationis, quæ operis efficiendi rationem designat : adversus illos, inquam, disputans Cyrillus, hoc ex illorum sequi opinione dicit, quod blasphemum, ac detestandum vocat : ut non solum Filius verus Deus non sit, utpote compositus ex eo, quod dissimile sit Patris, et eo, quod simile sit : « Sed etiam Pater ipse compositus ex substantia, et cogitatione ; siquidem substantiæ, et essentiæ ratione dissimilis est Filio, cogitatione vero similis [a]. »

Idem etiam alibi disertissime de eadem mentis cognitione pronuntiat, eam esse Dei substantiam ipsam. « Simplex, inquit, et non compositus Deus ab omnibus prædicabitur. Absurdum est itaque talem ipsum de se dicere habere cognitionem ; qualem nos habemus. Nam si ipse aliud quippiam est, et aliud est præter ipsum quæ est in eo cognitio, compositus erit, non simplex. Sed cum in confesso sit apud omnes, eum esse simplicem, non est ab ipso diversa quæ est in illo cognitio. Quod in nobis secus se habet. Nam peculiariter secundum substantiam sumus, et in substantia ipsa sitam habemus cognitionem, velut colorem in corpore [b]. »

VIII. Id ipsum affirmat et Gregorius Nyssenus in duodecimo libro *contra Eunomium*, qui sic scribit : « Non enim, ut in aliis, quibus inest a natura efficiendi vis, et facultas, alterum potentia consideratur (in Deo), alterum secundum actus expletionem. Quemadmodum, exempli gratia, navium fabricatorem semper esse potentia dicimus eum, qui ædificandæ navis arte præditus est : operari vero, cum in operibus ipsis suam ostendit scientiam. At non perinde res habet in illa beata vita ; sed illud universum, quod in ea intelligitur, actuosum est, et ipsamet actio, dum nullo interposito medio, voluntas ad eum finem transfertur, quem sibi proposuit [c]. »

Idem præterea in libro primo ejusdem operis, quem Gretserus noster edidit, absurdum esse judicat affirmare, « divinam substantiam varium esse quippiam, et compositum, quæ actionem a se minime separabilem et cum ipsa consideratam habeat, tanquam accidens, quod in subjecto monstratur ; sed substantias istas certo consilio, et libere moveri ait Eunomius ad agendum quidvis arbitratu suo [d]. » Deinde reprehendit hoc, quod Eunomius idem scripserat, « actiones consequi substantias. » Id autem absurdum esse dictu eatenus existimat, quod natura quælibet, ac substantia eo ipso, quod agens dicitur, actionem ipsam notione sua complectitur, ut cum faber ærarius, aut alius artifex opus aliquod efficit, non potest hoc ipsum efficiens intelligi, nisi efficientiam istam una cogitemus. Quare uti substantia nonnisi actione agit aliquid, sic nec agens intelligitur, nisi in eamdem notionem includatur actio. Hæc ille : quæ uti verissima sunt, ita fortassis ad Eunomii mentem, et confutandum ejus errorem minus apta sunt. Non enim, cum actionem dicebat ex substantia consequi, tam presse, enucleateque id usurpabat, ut ex agente substantia, qua est agens, actionem sequi vellet. Quippe cum agens eo ipso, quod agens dicitur, jam actionem in se comprehendat, non ex se primum hanc efficiat. Verum si substantiam absolute, ac sola vi et potestate præditam actionis exerendæ respicias, ex ea consequentem esse actionem licet dicere, quod Eunomium puto voluisse.

XI. Cæterum quandoquidem Gregorius actionem ab eo, quod agit, quatenus agit, ne cogitatione quidem divelli, nec eo posteriorem

a Cyrill. lib. XIII *Thes.* Ἔσται γὰρ ἡμῖν σύνθετος καὶ αὐτὸς ὁ πατὴρ ἔκ τε οὐσίας, καὶ νοήματος, εἴπερ κατὰ μὲν τὸν τῆς οὐσίας λόγον ἀνόμοιός ἐστι τῷ υἱῷ, ὅμοιος δὲ κατὰ τὴν ἔννοιαν.

b Idem, lib. XXXI *Thes.* Ἁπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος ὢν ὁ Θεὸς πρὸς ἁπάντων ὁμολογηθήσεται. οὐκοῦν ἄτοπον τὸ λέγειν τοιαύτην ἔχειν αὐτὸν περὶ ἑαυτοῦ τὴν γνῶσιν, ὁποίαν ἂν καὶ ἡμεῖς. εἰ γὰρ αὐτὸς ἕτερόν τί ἐστιν, ἑτέρα δέ τις, παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις, σύνθετος ἔσται, καὶ οὐχ ἁπλοῦς. ἐπειδὴ δὲ ἁπλοῦς ὁμολογουμένως, οὐχ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις. ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἐσμὲν γὰρ κατ' οὐσίαν ἰδίως· ἐν δὲ τῇ οὐσίᾳ κειμένην ἔχομεν τὴν γνῶσιν, ὥσπερ χρῶμα ἐν σώματι. Vide et dial. VII *de Trinitate.*

c Gregor. Nyss. Οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων, οἷς τις πρακτικὴ δύναμις ἐκ φύσεως ἐστὶ, τὸ μὲν δυνάμει θεωρεῖται, τὸ δὲ κατὰ τὴν τῆς ἐνεργείας ἐκπλήρωσιν· ὡς φέρε εἰπεῖν, ἀεὶ μὲν εἶναι ναυπηγὸν φαμὲν τῇ δυνάμει τὸν τὴν ναυπηγικὴν ἔχοντα τέχνην, ἐνεργεῖν δὲ τότε, ὅταν ἐπὶ τῶν ἔργων δείξῃ τὴν ἐπιστήμην. οὐχ οὕτως καὶ ἐπὶ τῆς μακαρίας ζωῆς· ἀλλ' ὅλον ὅ, τι πέρ ἐστιν ἐν ἐκείνῃ νοούμενον, ἐνεργὲς, καὶ πρᾶξίς ἐστιν, ἀμέσως τοῦ βουλήματος πρὸς τὸ κατὰ πρόθεσιν τέλος μεθισταμένου.

d Greg. Nyss. Ἀλλ' οὐκ ἂν αὐτὸν οἶμαι τοῦτο εἰπεῖν, ὥστε ποικίλον τι χρῆμα, καὶ σύνθετον νομίζειν τοῦ Θεοῦ τὴν οὐσίαν, ἀχώριστον ἔχουσαν· καὶ συνεπιθεωρουμένην ἑαυτῇ τὴν ἐνέργειαν, ὥς τι συμβεβηκὸς ἐν ὑποκειμένῳ δεικνύμενον, ἀλλὰ προαιρετικῶς, καὶ αὐτεξουσίως κινουμένας τὰς οὐσίας τὸ δοκοῦν φησι καθ' ἑαυτὰ ἀπεργάζεσθαι.

Idem. Ἀλλ' ὁ τὴν ἐνέργειαν εἰπὼν, τὸ κατ' αὐτὴν κινούμενον τῷ λόγῳ συμπεριέλαβε· καὶ ὁ τοῦ ἐνεργοῦντος μνησθεὶς, καὶ τὴν ἐνέργειαν πάντως κατὰ τὸ συνπώμενον συνεσήμανε.

dici patitur, Deus autem, ex ejusdem sententia proxime commemorata, merus ac simplex est actus, non δύναμιν, id est *potentiam* habens rei alicujus efficiendæ, necesse est, actionem ipsam interiorem videlicet, et in ejus manentem substantia, nihil ab hac differre, sed ad ejus perfectam, neque confusam, et inchoatam notitiam pertinere, adeoque, quod volumus, nullam ex substantia et actione compositionem fieri.

Idipsum et Justinus martyr sine ambiguitate ulla, verbis istis explicat, quæ ex Photio Joannes Cyparissiotus refert : « Alia quidem potentia sunt aliquando et actu : Deus autem, ut mens perspicax intelligere potest, semper est energia, id est actu. Non enim ex imperfecto ad perfectum procedit : nec aliud quidquam præter ipsum per se actum, est ipsa per se substantia [1]. » Cui consentiens Theodorus cognomento Γραπτὸς, in libro, quem contra Iconoclastas edidit, oppugnat eos, qui Verbum Dei post susceptam carnem nobiscum esse secundum substantiam, apud Deum autem energia, et dignitate putabat ; et hoc argumento nititur quod « in simplicibus et incorporeis nihil ista differant, quia non sunt hæc inter se discernenda, ne quod est supra omnem simplicitatem, compositum esse intelligatur. »

X. Basilius in quinto libro *contra Eunomium* de Spiritu sancto agens, quiddam scripsit, quod ad eumdem sensum a nonnullis accommodatur, de quo tamen dubito. Nam cum illud exponit, quemadmodum caro Christi sit ex Spiritu sancto, particulam *ex* tripliciter ait accipi, « vel efficientia, et creatione, vel generatione, vel naturaliter ; ut actio nostra est, a nobis, aut ut splendor solis ex ipso [a]. » Deinde probat, duobus posterioribus modis non posse dici carnem Christi e Spiritu esse sancto : sed priore duntaxat. « Si ergo mundo præstantius, inquit, corpus Christi est ex Spiritu sancto, non potest autem fetus illius esse, quoniam quod genitum est ex carne, caro est, et quod genitum est ex Spiritu sancto, spiritus est : neque porro ex ipso, tanquam actio ejus est, quandoquidem in simplici, et corporis experte natura eamdem cum substantia rationem sumit actio. Quare superest ut ex ipso sit, tanquam ipsius creatura [b]. » Hoc in loco Basilium velle ἐνέργειαν, Dei ab ejus substantia non differre, Theodorus ille Γραπτὸς, quem paulo ante laudavimus, arbitratus est, « sed potius eamdem rationem habere, propter proprietatem simplicitatis, et incorporeæ naturæ [2]. » Verum illud considerari debet, an hoc unum Basilius doceat, ἐνέργειαν simplicis, et carentis corpore naturæ minime et ipsam esse corpoream, sed perinde spiritualem, ut est substantia, a qua proficiscitur : ex quo illud fit consequens, carnem Christi non esse sancti Spiritus ἐνέργειαν ; quod ergo esse verius arbitror.

Dionysius quoque ideas et exemplaria, quæ sunt Dei notiones, et actiones, negat esse multiplices, aut ab illius diversas substantia. « Omnia, inquit, ante habet in se ipsa, pro uno simplicitatis excessu duplicitatem omnem repudians. Similiter omnia comprehendit, pro supersimplici ipsius infinitate, et ab omnibus singulariter participatur ; sicut et vox una eademque multis ab auribus, tanquam una participatur [c]. » Dionysio Maximus interpres adstipulatur, qui hoc adnotat. « Quoniam aliqui ideas, et exemplaria subsistentia esse dixerunt, hos castigat modo, qui quidem gentiles erant, et ait. Nam si non simpliciter, et singulariter essent ideæ, notiones supersimplicis, et superuniti Dei, compositus esset Deus ex exemplari, et seipso : quod duplicitatem nominavit [d]. » Quapropter ideæ divinæ, qua Dei notiones sunt, et ἐνέργειαι, nihil a Dei substantia discrepant ex opinione Dionysii : etsi alio modo diversæ sunt, ut sunt οὐσίαι

a Basil. Τὸ ἐκ τινὸς τοίνυν ἢ δημιουργικῶς, ἢ γεννητικῶς, ἢ φυσικῶς ἐστιν ἐξ αὐτοῦ, ὡς ἡ ἐνέργεια ἡμῶν ἐξ ἡμῶν, ἢ ὡς τὸ ἀπαύγασμα τοῦ ἡλίου ἐξ αὐτοῦ.

b Ibid. Εἰ τοίνυν τὸ ὑπερκόσμιον σῶμα Χριστοῦ ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, οὐ δυνατὸν δὲ γέννημα αὐτοῦ ὑπάρχειν, ὅτι τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστι, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος πνεῦμά ἐστιν· οὐδ᾽ αὖ πάλιν ἐξ αὐτοῦ ὡς ἐνέργεια αὐτοῦ· ὅτι ἐπὶ ἁπλῆς καὶ ἀσωμάτου φύσεως τὸν αὐτὸν τῆς οὐσίας λόγον ἐπιδέχεται ἡ ἐνέργεια. ὑπολείπεται ἄρα ἐξ αὐτοῦ εἶναι, ὡς κτίσμα αὐτοῦ.

c Dionys. lib. *de Divin. nom.* cap. v. Πάντα μὲν ἐν ἑαυτῇ προέχει, κατὰ μίαν ἁπλότητος ὑπερβολὴν πᾶσαν διπλόην ἀπαναινομένη· πάντα δὲ ὡσαύτως περιέχει, κατὰ τὴν ὑπερηπλωμένην αὐτῆς ἀπειρίαν, καὶ πρὸς πάντων ἑνικῶς μετέχεται, καθάπερ καὶ φωνὴ μία οὖσα, καὶ ἡ αὐτὴ πρὸς πολλῶν ἀκοῶν ὡς μία μετέχεται.

d Maxim. Ἐπειδή τινες τὰς ἰδέας, καὶ τὰ παραδείγματα ἐνυπόστατα ἔφησαν, τούτους ἐπιῤῥαπίζει νῦν Ἕλληνας ὄντας, καί φησιν· εἰ γὰρ μὴ ἁπλῶς, καὶ ἑνιαίως εἶεν αἱ ἰδέαι, νοήσεις ὑπερηπλωμέναι οὖσαι τοῦ ὑπερηπλωμένου, καὶ ὑπερηνωμένου Θεοῦ, σύνθετος ἂν εἴη ὁ Θεὸς, ἐκ παραδείγματος, καὶ ἑαυτοῦ, ὅπερ διπλόην ὠνόμασε.

1 Dec. X, c. iv. — 2. Apud. Cyp. dec. X, c. iv.

quædam, sive formæ a Deo distinctæ, ab eoque productæ, quarum communicatione creatæ res quodammodo afficiuntur, ut supra, cum de ideis agebamus, ostendimus.

XI. Idem et Platonicis visum est philosophis, non esse ἐνέργειαν a Dei substantia distinctam. Idque Pythagoreus docet [7] Hierocles in *Commentario ad Aurea carmina Pythagoræ,* « primam causam, sive principium immutabile prorsus, et conversionis expers substantiam habere eamdem cum actione [a]. » Tum pluribus in libris tradidit Plotinus, velut enneadis sextæ libro octavo, capit. VII. « Cum autem ea, quæ velut hypostasis est, idem est cum illa velut actione. Non enim hæc aliud quiddam est; ista vero, aliud : cum ne id ipsa quidem in mente contingat; quoniam magis secundum esse est actio, quam secundum actionem esse [b]. » Et cap. XVII, « non est, ait, diversum quippiam actio ab ipso [c]. » Verum quod scribit, non hoc solum in suprema omnium causa, quæ Deus est, sed etiam in mente reperiri, nihil ut ab hac ἐνέργεια differat, quod inde mutuatus videtur rabbi Moses Maiemonides, ut supra monstravimus, minime est audiendus. Id enim falsum esse constat, ut vel ex argumentatione ipsa colligitur qua primum illud principium suam esse ἐνέργειαν approbat in cap. XX libri ejusdem : « Si, inquit, substantiam sine actione quis constituat, mancum erit principium, et imperfectum erit id, quod est perfectissimum omnium. Quod si actionem addiderit, non retinebit unitatem. Quamobrem si perfectior est actio quam substantia; est autem id quod prius est, perfectius; consequens erit, primum esse actionem [d]. » Hæc ratio uti ad id, de quo disputamus, probandum præstantissima est; sic in solo omnium primo, ac supremo principio locum habet, hoc est Deo; qui, cum absolutissimus sit omni perfectionis genere, sicut ei nulla deesse possit, necesse est nihil ipsum ab actione sua differre. Cum enim actio ultimum sit substantiæ complementum, tanquam finis, cujus gratia tam est ipsa, quam ejus vires, ac facultates, si adventitium quiddam in Deo sit, ejusque substantiæ additum, ea manca erit ac defecta, atque ex sese carebit absolutione sui ultima, atque perfecta.

XII. Postremo ex iis, quæ capite hoc toto disputavimus, perspicuum est, putidam, et absonam esse Græculorum Palamitarum barbariem, qui ab substantia divina distinctam esse reipsa τὴν ἐνέργειαν, et hanc ipsam tamen increatam esse contendunt. Quod in synodo illa sua, quam contra Barlaamum, et Acindynum celebrarunt, ad fidei dogma transferre ausi sunt : qua de Synodo dixi in libro primo, capite XII, et sequenti. Huic idem errori patrocinatur et Hieremias Patriarcha in Responsione secunda, quam adversus Tubingenses theologastros edidit. In qua rationibus aliquot duo ista probare nititur : ἐνέργειαν Dei ab οὐσίᾳ distingui, et minime esse creatam. Sed futilia sunt argumenta, quibus utitur. Ac sciendum est, quod antea dixi, ἐνεργειῶν vocabulo non solas actiones, et efficientias appellari ab antiquis Patribus, sed etiam quæ vulgo nominantur attributa; quatenus scilicet ad rerum creatarum usum adhibentur : unde et πρόνοιαι, et πρόοδοι interdum vocantur, maxime ab Dionysio, id est *providentiæ* et *processiones;* quod vis Dei benefica se ad rerum omnium procreationem et procurationem per quasdam efficientias, communicationesque diffundit. Sed duo hic animadvertenda discernendaque sunt. Alterum est naturalis ipsa Dei proprietas et vis agendi : alterum externa illius actio, et efficientia, quæ foras emanat, et profunditur. Horum quod prius est, et creatum non est, et a Deo nihil differt, sed est ipsa Dei substantia; posterius, non est Deus, sed creatum aliquid, et a Deo productum in tempore. Hæc neque sunt obscura, nec explicatione opus habent, si cum hominibus res sit vel mediocri ingenio præditis. At Græculi adeo tritæ rei inscitia non mediocriter insaniunt, dum ἐνέργειαν esse aliquid in Deo censent reipsa diversum ab ejus οὐσίᾳ, et idipsum non creatum. Ex quo necessario sequitur, tum Deum non esse simplicem, sed compositum ex rebus inter se differen-

Absurda Palamitarum assertio.

Operationem.

Essentia.

a Hierocles. Τὸ πρῶτον αὐτῶν αἴτιον ἀμετάβλητον πάντη, καὶ ἄτρεπτον, καὶ τὴν οὐσίαν τῇ ἐνεργείᾳ τὴν αὐτὴν κεκτημένον.

b Plotin. Ὅταν δὲ δὴ οἷον ὑπόστασις αὐτοῦ ἡ οἷον ἐνέργεια ᾖ· οὐ γὰρ ἡ μὲν ἕτερον, ἡ δὲ ἕτερόν ἐστι. εἴ γε μηδὲ ἐστὶ τοῦ νοῦ τοῦτο. ὅτι μᾶλλον κατὰ ἀὸ εἶναι ἡ ἐνέργεια, ἢ κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὸ εἶναι.

c Idem, cap. XII. Ὅτι μὴ ἕτερον ἐνέργεια, καὶ αὐτός.

d Idem. cap. XX. Εἰ δὲ ὑπόστασιν ἄνευ ἐνεργείας τις θεῖτο, ἐλλιπὴς ἡ ἀρχὴ, καὶ ἀτελὴς ἡ τελειοτάτη πασῶν ἔσται. καὶ εἰ προσθείη ἐνέργειαν, οὐχ ἓν τηρεῖ. εἰ οὖν τελειότηρον ἡ ἐνέργεια τῆς οὐσίας, τελειότατον δὲ τὸ πρότερον, πρῶτον ἂν ἐνέργεια εἴη.

tibus : tum aliquid increatum esse, quod non est Deus; atque ita plures esse Deos. Quæ omnia superioribus in libris, et capitibus uberrime demonstravimus.

XIII. Nunc Hieremiæ aliquot argumenta proferamus. *Operationes* Ἐνέργειαι, inquit, Dei ad utilitates nostras descendunt, substantia vero ipsa minime procedit. Igitur ambo ista invicem distant. Utrumque falsum; sive ἐνεργείας ipsas, quæ sunt in Dei substantia, hoc est proprietates ejus, extra Deum progredi; sive substantiam ipsam non eo modo extrinsecus procedere, quo proprietates manare dicuntur, nimirum efficientia ipsa et actione. Nam una simplexque Dei substantia non seipsam, sed actiones suas, effectaque producit; et hoc sensu diffundere se, ac communicare dicitur. Ad *Operationem.* hæc ἐνέργειαν non esse creaturam probat sic. « Nam e substantia continue procedit, et profluit : quod de nulla re creata usurpari potest[a]. » Atqui si continue profluere operationem Dei sic intelligit, ut ex omni æternitate manarit aliquid extra Deum, id est falsissimum. Nulla enim externa Dei, et a Deo derivata est actio, nisi creati quippiam extet, in quod effundatur. Cæterum quidquid creatura non est, esse Deum, neque præter hunc, non creatum esse aliquid, christianus nemo dubitat; idque ex antiquis Patribus contra Græcos alias ostendimus. Quare si non Dei substantia est ἐνέργεια illa, creata sit oportet. Tertia Hieremiæ ratiocinatio frivola est : Deum habere ait ἐνεργείας, et quatenus eas habet, non idem esse cum illis. Jam huic responsum est plus semel, id esse Deum, quidquid habere intra se dicitur.

Denique ἐνεργείας varias esse objicit, οὐσίαν unam et simplicem. Igitur invicem ambæ discrepant. Ne hoc quidem aut difficile est, aut a nobis prætermissum in superioribus libris, cum de attributorum, et substantiæ discrimine, ac de Dei simplicitate egimus. Nimirum una et eadem res est, ac simplicissima Deus, in quo ἐπινοίᾳ, et *ratione* sola, non re multa discernimus. Vide libri primi hujus operis caput septimum, et quæ deinceps sequuntur; tum secundum librum capite secundo, ac reliquis deinceps : quorum lectione instructus theologus Græculorum nugas, et illepidas fabulas aspernabitur; quas quidem ex Eunomianorum lacunis haustas esse sciet qui illorum cavillationes legerit, quibus Filium non ex Patris substantia, sed ex ejus voluntate prodiisse pugnabant : quos ingenti studio catholici Patres ex eo maxime convincunt, quod βούλησις id est voluntatis actio in Deo sit ejus ipsa substantia : de qua controversia nonnihil postremo hujus libri capite, et in libris *de Trinitate* plenius disseremus. Legendus inter alios Cyrillus libro VIII *Thesauri*, et Joannes Cyparissiotus decade X, capite IV, ubi ἐνέργειαν Dei ipsam esse substantiam antiquorum theologorum testimoniis approbat.

XIV. Ex iis postremo colligitur, quid de illa *Abucaræ error.* Theodori Abucaræ sententia judicandum sit, quam exponit in opusculo XXVII, ubi Dei nomen ab actione sumptum aliqua non actionem ipsam significare dicit, sed naturam agentem. Alioqui « consequens esse, Deum esse actionem Dei, quod impossibile est[b], » inquit, quod inde multa sequuntur absurda. Nam actio dicitur Dei actio : Deus autem non dicitur Dei Deus. Sic actio agentis Dei actio dicitur : Deus autem non dicitur agentis Deus. Deinde Deus de Patre, Filio et Spiritu sancto dicitur : actio vero non dicitur. Non enim Pater est actio. Ad hæc Deus est ab æterno : actio, sive ἐνέργεια Dei non est ab æterno, ne opus aliquod ab æterno sit. Hæc Theodorus. Quæ sunt levissima. Ἐνέργεια duobus modis spectari potest. Primum quatenus interius aliquid est, et manens in Deo, et est ipsa Dei substantia, potestque, si sit absoluta, de Deo, deque singulis personis prædicari. Ita Deus est non modo sapiens, sed etiam cognitio, intelligens, et intellectio. Tum ut extra Deum profunditur, et effectum habet externum; atque hac ratione differt a Deo. Est enim creata res et in tempore facta; neque cum divinitate paria facit. Rursus nominum, quæ usurpantur de Deo, alias σχέσιν, id est *relationem* habent in notione sua, ut sunt personarum propria, et quæ actionem significant. Est enim actio τῶν πρός τι; alia quiddam absolutum sonant, ut Deus, sapiens, bonus. Priora σχετικῶς *Mediorum ad finem. Relative.* enuntiantur hoc modo : « Creatio est creantis creatio; cognitio est cognoscentis cognitio. » Item : « Pater est Filii Pater. » Posteriora non ita dicuntur. Nemo enim pronuntiat sic, « Sapiens est sapientis sapiens, » neque,

a Hierem. Εἰ ἐκ τῆς οὐσίας τὴν ἐνέργειαν προϊέναι τε, καὶ πηγάζειν ἀεννάως εἴρηται, τὸ δ' ἐπ' οὐδενὸς ἂν οὐδεὶς τολμήσειε τῶν κτισμάτων εἰπεῖν· οὐκ ἄρα ἡ ἐνέργεια κτίσμα. καὶ μὴν οὐδ' αὐτὴ καὶ οὐσία.

b Theod. Abuc. Ταὐτὸν ἄρα θεὸς, καὶ ἐνέργεια θεοῦ, ὅπερ ἀδύνατον.

« Deus est Dei Deus. » Possunt tamen quando personarum fiunt propria, et ab communi naturæ significatione ad singularem transeunt, alia relationis forma sic efferri : « Sapiens est de sapiente sapiens. » Vel, « Deus est Deus de Deo. » Nam utrobique Filius intelligitur de Patre natus. Non autem sic dicitur, « Deus est Dei Deus, » quia Deus, quatenus communem naturam, id est divinitatem præcise significat, si *relative* sumatur, cum creaturis confertur. Significat enim efficientiam aliquam in tempore manantem a Deo. Quod si usus ita ferret, ut Dei Deus appellaretur, nullus subesset alius sensus, nisi Deum a Deo productum esse, vel cum Deo aliqua originis habitudine comparatum. Sed, cum de Deo ac divinis rebus agitur, non solum falsitas, sed etiam novitas est vitanda verborum. Cæterum ex illo Abucaræ loco superior Palamitarum confutatur error, qui ἐνεργείας a divina substantia diversas, æternas increatasque constituunt, de quo rursus postea dicetur.

CAPUT XII.

De actione libera voluntatis divinæ. Hanc reipsa differre ab essentia quidam arbitrati, ut Pseudo-Justinus. Videri et Basilium huic affinem opinioni, et Gregorium Nyssenum, et alios. Sed hos, et alios fere antiquos de sola externa voluntatis actione, non interna et locutos, et intelligendos videri; tametsi nonnulli de interiore ipso voluntatis actu nonnihil attigerunt.

I. Tametsi de actione Dei universe ita disputatum sit superiori capite, ut de ea, quæ propria voluntatis est, non præjudicium, sed omnino judicium factum sit; suam illa tamen operam, tractationemque desiderat, quod privatim magnam habet tum ex veterum de ea placitis, ac sententiis, tum proprii generis controversiam. Quamobrem de actione voluntatis libera agendum est hoc capite, qua in res extraneas, sive procreandas, sive alia quavis ratione procurandas divina se vis, ac bonitas effundit. Inquirendi porro modus ac status idem est, qui et supra demonstratus est, an ἐνέργεια, id est *actio* ista libera voluntatis divinæ reipsa sit aliquid a Deo distinctum, quod substantiæ ejus accedat, et eam afficiat; quod de interiori, et ea, quæ in agente residet, non extra causam manat, intelligi perspicuum est.

Ejusmodi voluntatis actionem a Dei substantia re differre sensit auctor libri *Quæstionum, et responsionum ad Græcos,* qui liber Justino falso tribuitur. Nam cum Græcus in responsione sua posuisset, « idem esse in Deo prorsus esse, et velle. » Item : « Non sic arbitrandum esse, Deum hoc ipso quod est, facere, sicut ignis calefacit. Nam ignis, etsi substantialiter, attamen accidentem calorem habet. Apud Deum autem nihil neque substantialiter, neque contingenter advenit [a]. » Ubi *substantialiter* accidere dicit ea, quæ cum rei natura, et essentia conjuncta separari ab illa nequeunt, quamvis non ipsa sint ejus οὐσία, sed ad eam adjungantur; quæ autem adesse, abesseque possunt, ea συμβεβηκότως, id est *contingenter* advenire. Huic igitur gentilis responso contradicit Justinus, « quod cum Deus οὐσίαν quidem habeat ad hoc ipsum ut existat; voluntatem vero ad id, ut faciat; qui essentiæ ac voluntatis discrimen rejicit, etiam a Deo existentiam abjudicat, et efficientiam : existentiam quidem suimetipsius, effectionem vero rerum, quæ non sunt [b]. » Sed subinde ratione sola, id est λόγῳ, non autem re discernere ambo ista videtur, sic scribens : « Id quod est unum numero, nihil obstat, quin ratione aliud sit atque aliud : velut recta linea subsistentia quidem est una numero; ratione rectitudinis et lineæ, aliud atque aliud. Eodem modo non dividitur natura Dei ratione substantiæ, et voluntatis [c].

Rationem divinæ voluntatis a substantia Dei differre censet Pseudo-Justinus.

II. Vere id quidem auctor iste, si sola ratione, et ἐπινοίᾳ, non autem reipsa, voluntatis actionem in Deo ab ejus substantia differre crederet; nec, ut in rebus creatis, actionem

a Justin. *Quæst.* III. Ἀλλὰ τὸ αὐτὸ ἀντικρὺς ὑπάρχει τὸ εἶναι, καὶ τὸ βούλεσθαι ἐν τῷ Θεῷ.

Mox : Ἀλλὰ μὴν οὐδ' οὕτως τὸν Θεὸν τῷ εἶναι ποιεῖν ὑποθετέον, ὡς τὸ πῦρ θερμαίνει. τὸ γὰρ πῦρ, εἰ καὶ οὐσιωδῶς, ἀλλ' ὅμως συμβεβηκυῖαν ἔχει τὴν θερμότητα. παρὰ δὲ τῷ Θεῷ οὐδὲν οὔτε οὐσιωδῶς συμβέβηκεν, οὔτε συμβεβηκότως.

b Justin. Τοῦ Θεοῦ ἔχοντος οὐσίαν μὲν πρὸς ὕπαρξιν, βούλησιν δὲ πρὸς ποίησιν, ὁ ἀποῤῥίπτων οὐσίας τε, καὶ βουλῆς τὴν διαφορὰν, καὶ τὴν ὕπαρξιν ἀποῤῥίπτει τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν ποίησιν· ὕπαρξιν μὲν τὴν αὐτοῦ· ποίησιν δὲ, τῶν οὐκ ὄντων.

c Ibid. Τὸ τῷ ἀριθμῷ ἓν ὂν οὐδὲν κωλύει τῷ λόγῳ ἄλλο, καὶ ἄλλο εἶναι. οἷον ἡ εὐθεῖα γραμμὴ τῇ μὲν ὑποστάσει, ἀριθμῷ μία ἐστὶ, τῷ δὲ λόγῳ τῆς εὐθείας, καὶ τῆς γραμμῆς, ἄλλο καὶ ἄλλο. κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον οὐ διαιρεῖται τοῦ Θεοῦ ἡ φύσις τῷ λόγῳ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς βουλῆς.

sic in Deo constitueret, uti transiens quiddam sit, minimeque subsistens, quod substantiæ accidat. Atqui paulo post non idem esse Dei substantiam, et voluntatis actionem probat sic : « Quemadmodum moveri motus est operatio, sic velle voluntatis est operatio, et quæ differentia est potentiæ ad actum, eadem est voluntatis ad ipsum velle. Fieri autem non potest, ut velle quidem a voluntate differat, a volente vero non differat. Quod si nulla ratione fieri potest, ut idem sit velle, ac voluntas, et volens; perspicuum est, qui a Deo, et voluntate aliud atque aliud segregat, eum differentiam agentis ab actione repudiare : quod est absurdum [a]. » Mox vero : « Si aliud est, inquit, id quod subsistit, aliud vero id, quod non subsistit, ac Deus quidem illud est, velle autem, istud : perspicuum est qui a Deo, et voluntate diversitatem rejicit, vel id quod subsistit rejicere, vel id quod non subsistit [b]. » Rursus voluntatis actionem in Deo adjungi ad ejus οὐσίαν affirmat, ideoque diversam ab hac illam esse [c]. Ex his, aliisque, quæ copiose ibidem ab illo disputata prætermittimus, evidens est, auctorem istum existimasse, τὴν βούλησιν, id est *voluntatis actionem*, quam volitionem Scholæ nominant, accidere divinæ substantiæ, eique superfundi : sicut potentiæ advenit ἐνέργεια, quæ minime subsistit ex sese; ut rectius hac quidem ex parte gentilis loqui videatur, qui idem in Deo esse vult τὸ εἶναι et τὸ βούλεσθαι, nec inesse in eo accidens ullum. At vero auctor ille volendi actionem sic esse putat ἐνέργειαν, volentis Dei, uti motus est ἐνέργεια mobilis, atque ideo ἀνυπόστατον esse, id est non subsistere per se, quod accidentibus actionibusque convenit, quæ a substantia reipsa differunt, et eo sensu dicuntur a quibusdam λόγῳ et ἐπινοίᾳ discrepare, quia extra subjectum, ac separata non existunt, ut supra meminimus : cum interim reipsa distinguantur a subjecta substantia.

Esse et velle

Ratione et Cogitatione.

III. Ejusdem opinionis suspicio penes Basilium Magnum residet, quem Georgius Pachymeres laudat in paraphrasi ad caput quintum libri *de Divinis nominibus*. « Quædam, inquit, initium habentia finem non habent : quædam initium habent et finem; nonnulla vero sunt, quæ initium non habent, sed finem habent : quemadmodum et magnus Basilius disserit, loquens de divinis voluntatibus, quibus mundum Providentia gubernat : quæ quidem initium non habuerunt, finem autem partim habuerunt earum aliquæ, partim habituræ sunt [d].

Huic errori propius accedit Basilius.

Minime dubium est, quin hæc verba voluntatis actiones in Deo reipsa distare ab illius substantia significent, quatenus ex omni æternitate destinavit, ac procreare voluit, quæ in tempore postea produxit : quibus quidem effectis voluntatem ipsam, sive actionem volendi, qua res illas designarat, non amplius existere arbitratur in Deo. Neque vero possunt eadem illa verba ad voluntatis actionem referri, quæ in opus transit, et extrinsecus manans est rei procreatio. Non enim ab æterno talis existit actio; sed de interna, quam *immanentem* scholæ vocant, loquitur.

Huic Basilii loco adjungendus est alter ejusdem, a Maximo citatus in *Adnotatis de energia contra Monothelitas*, ut refert Joannes Cyparissiotus[1]. « Aliud, inquit, est qui operatur, aliud operatio, aliud opus, ac maxime ista inter se differunt. Operans enim est qui ad operandum movetur : operatio est veluti motus operatorius, ipseque, ut ita loquar, conatus voluntatis ad operandum aliquid tendens, et spectans, et simul ut electio facta est, quiescens ac desinens, et cito mota, ac præteriens. Opera vero sunt, quæ hac operatione perficiuntur, et inde

a JUSTIN. Ὥσπερ τὸ κινεῖσθαι ἐνέργειά ἐστι κινήσεως· οὕτω καὶ τὸ βούλεσθαι βουλῆς ἐστιν ἐνέργεια. καὶ ἣν ἔχει διαφορὰν ἡ δύναμις πρὸς τὴν ἐνέργειαν, ταύτην ἔχει ἡ βουλὴ πρὸς τὸ βούλεσθαι. ἀδύνατον δὲ τὸ βούλεσθαι πρὸς μὲν τὴν βουλὴν ἔχειν τὴν διαφορὰν, πρὸς δὲ τὸν βουλόμενον μὴ ἔχειν. εἰ δὲ οὐδενὶ λόγῳ δυνατὸν ταὐτὸν εἶναι τὸ βούλεσθαι καὶ τὴν βουλὴν, καὶ τὸν βουλόμενον, δῆλον ὅτι ὁ ἀποῤῥίπτων τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ βούλεσθαι τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο, τοῦ ἐνεργοῦντος καὶ τῆς ἐνεργείας ἀποῤῥίπτει τὴν διαφορὰν, ὅπερ ἄτοπον.

b Ibid. Εἰ ἄλλο τὸ ἐνυπόστατον, καὶ ἄλλο τὸ ἀνυπόστατον, καὶ Θεὸς μὲν ἐκεῖνο, τὸ βούλεσθαι δὲ τοῦτο· δηλονότι ὁ τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ βούλεσθαι ἀποῤῥίπτων τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο, ἢ τὸ ἐνυπόστατον ἀποῤῥίπτει, ἢ τὸ ἀνυπόστατον.

c Ibid. Τὸ βούλεσθαι, ἢ οὐσίας ἐστὶν, ἢ πρόσεστι τῇ οὐσίᾳ. ἀλλ᾽ εἰ μὲν οὐσία ἐστὶν, οὐκ ἔστιν ὁ βουλόμενος. εἰ δὲ πρόσεστι τῇ οὐσίᾳ, ἐξ ἀνάγκης ἄλλο καὶ ἄλλο ἐστίν. οὐκ ἔστι γὰρ τὸ ὂν, καὶ τὸ προσὸν ταὐτόν.

d PACHYM. Καὶ ὅτι ἃ μὲν ἀρχὴν ἔχοντα, τέλος οὐκ ἔχουσιν· ἃ δὲ καὶ ἀρχὴν καὶ τέλος ἔχουσιν· ἔστι δὲ ἃ καὶ ἀρχὴν μὲν οὐκ ἔχουσι, τέλος δὲ ἔχουσι· καθὼς καὶ ὁ μέγας διαλαμβάνει Βασίλειος, λέγων περὶ τῶν θείων τῆς προνοίας τοῦ κόσμου βουλήσεων, αἳ δὴ καὶ ἀρχὴν μὲν οὐκ ἔσχον, τέλος δὲ ἔσχον τούτων τινὲς, καὶ τινὲς ἕξουσι.

1 Dec. III, c. IV.

existunt. » Hoc loco Basilius, ἐνέργειαν ait esse κίνησιν, *motum efficacem*, et voluntatis conatum, qui oritur, ac desinit, quod cum superioribus ejusdem verbis congruit, quatenus in motione quadam ἐνέργειαν definit; distat autem, quod illic nullum habere initium ait, sed tantummodo finem : hic et initio, et fine circumscribit.

Maximus vero in *Scholiis* ad caput nonum Dionysii *de Divinis nominibus*, illam ipsam ἐνέργειαν, qua Deus extra se quodammodo funditur, et universa procreat, quam Dionysius πρόοδον id est *progressionem* vocat, ait esse Dei velut « motionem, et impulsum ad ea quæ sunt creanda [a]. »

IV. Igitur tria illa, quæ Basilius, aliique distinguunt, δύναμις, ἐνέργεια, et ἀποτέλεσμα etiam in Deo locum habebunt, et videlicet ἐνέργεια ab οὐσία et δυνάμει, hoc est *actio*, et *operatio Dei ab ejus substantia et agendi virtute* discrepabit. Si quidem hæc sempiterna est, illa perfecto jam opere desinit, sive ex æterno extiterit in Deo, ut in priore loco Basilius indicat, sive in tempore cœperit, ut in posteriore demonstrat, et Joannes Cyparissiotus assentitur. Qui divinæ voluntatis actionem, qua in res extraneas agit, itidem ut res ipsas, in tempore esse, non autem ex æterno scribit [1]. Postquam enim antiquorum testimoniis probavit, rei cujuslibet, ac Dei etiam substantiam differre ab ejus voluntate, sive volendi actione, et quod ex substantia oritur, prius esse quam id, quod voluntate fit; atque hoc extra producentem Deum esse, illud intra producentem manere : his, inquam, expositis, mox ita colligit : « Ex his liquet, quemadmodum voluntas Dei ad creandum creaturas posterior est, et diversa a substantia Dei. Quo enim ministerio indigere potest, ait magnus Basilius de unigenito, is qui simul ut voluit, creatura existit, quam vult? Si igitur simul cum voluntate creatura existit; sicut non est ex æternitate creatura, sic nec voluntas eam creandi, et opus. Opus enim Dei velle est; et sicut opus voluntatis est creatura, et hæc voluntatem sequitur, sic divina generatio Filio simul terminatur. Et idcirco generatio divina, quæ a Deo Patre in Filium procedit, et manat, eadem est re cum eo ipso Patre, quæ verbis explicari non potest. Est autem Verbum Dei increatum : increata est igitur generatio ejus supra naturam creatam, tanquam naturalis emanatio Patris; voluntas vero, et nutus Dei ad producendas creaturas, quæ ex æquo cum emanationibus, et operationibus Dei proficiscitur, differt, sicut ratio poscit, a substantia Dei, quia illa scilicet voluntas Dei cœpit, et est extra facientem, et creantem; hæc vero, id est substantia Dei, æterna est, et intra se ipsa fixa manet : illa incipit, et desinit, hæc initii, et finis expers est; illa recipit non esse, cum Deus non vult esse, hæc nunquam recipit non esse. » Apparet ex iis Joannem Cyparissiotum putasse, motionem illam et impulsum divinæ voluntatis, quo se ad creatas res producendas excitavit, hoc est actionem illam internam et electionem voluntatis reipsa differre ab illius substantia, cum in eo generationis æternæ, qua productus est Filius, et istius voluntatis, qua se ad res creatas applicavit, discrimen statuat, quod generatio, quæ est substantiæ quædam, ut ita loquar, motio, et interior manatio, reipsa non differt a Dei substantia, eo quod sempiternum habet terminum, nempe divinum Verbum; at voluntatis nutus, et motio, qua extra se universa procreare Deus constituit, itidem ut illius terminus, quæ est creatura, initium habet, et finem. Quod si Verbum ipsum ex æterno non existeret, non dubitaret Joannes Cyparissiotus, ut quidem ejus argumentatio se habet, quin generatio ipsa, perinde ut creatio rerum exterarum, in tempore cœpisset, ac desineret. Atqui generatio ista, manens et interior est actio Dei, quam in eo, velut subjecto, consideramus ut possumus. Quis igitur non videt, etiam motum illum, nutumque voluntatis, quo Deus ex omni æternitate res omnes extra se producere, ac certis rationibus singulas administrare decrevit, actionem esse hærentem in Deo, neque foras profusam, cum nihil ex æterno præter Deum extiterit?

V. At hanc ipsam ἐνέργειαν, qua Deus non δυνάμει, id est *potestate*, volens fit, sed actu decernens suo tempore producendum quippiam, pro non sempiterna, et a Dei substantia reipsa distante habere illi videntur, quos hactenus recensui. Quibus annumerari possunt illi Patres, quos supra etiam attigi, qui contra Eunomianos contendunt, neque Filium, neque Spiritum sanctum aut ἐνέργειαν esse Patris, aut ἐνεργείας opera; quoniam si essent ejusmodi, initium caperent, atque exitum non secus atque ἐνέργεια ipsa.

Perplexe loquuntur Patres qui contra Arianos scripserunt.

[a] MAXIM. Πρόοδον γὰρ λέγει τὴν πρὸς τὸ κτίσαι τὰ ὄντα οἷον κίνησιν, καὶ ὁρμήν.

1 Dec. III, cap. IV.

Est ea de re præter illos, quos antea protulimus, insignis Gregorii Nysseni locus in duodecimo, vel decimo tertio, ut interdum citari solet, *adversus Eunomium* [1]. In quo ἐνέργειαν id est *actionem* externam pari cum interiore voluntatis motu intervallo fieri, ac desinere scribit. « Docet, inquit de Mose loquens, præire quidem actioni intelligentiam in Deo, non tamen intellecta re tardius actionem consequi; sed duo ista simul, et eodem modo considerari voluntariam mentis notionem, et efficientem rei virtutem. Nihil enim cogitari ratio permittit, quod inter propositum voluntatis, et actionem interjectum sit; sed quemadmodum simul cum accensione flammæ fulgor apparet, qui et ex illa procedit, et cum illa coruscat, sic opus divinæ voluntatis ita est eorum quæ facta sunt existentia, ut non sit voluntate ipsa ordine posterior [a]. »

Ex hoc loco evidens est, ἐνέργειαν ab Gregorio Nysseno usurpari pro externa, et transeunte in opus actione, qua creatura producitur : voluntatem autem, hoc est βούλημα, et προαίρεσις internam esse motionem, et hærentem in Deo, qua volens nominatur. Atqui ambo ista oriri et existere simul in Deo censet. Est igitur voluntatis actio libera ab Dei substantia distincta, et quod admirabilius est, minime sempiterna, quantum ex illis Gregorii, et superiorum Patrum verbis intelligitur. Joannes Cyparissiotus hanc ipsam controversiam pertractans, « ex Eunomii verbis apparere dicit, Arianorum dogma fuisse, discernere a Dei substantia energiam ejus [2], » et nimirum aliter existimasse veteres Patres, qui ἐνέργειαν idem esse cum substantia docuerunt; sed eo sensu ἐνεργειαν ab illis accipi censet, nihil ut in eo momenti sit ad ejus, quam hoc loco tractamus, quæstionis intelligentiam. Nam cum tribus modis ἐνέργεια dicatur, ut aut virtus sit agendi, aut actio ipsa, aut opus actione relictum, ut ex Anastasio Antiocheno in libro de incircumscripta Dei essentia, et Joanne Damasceno, et aliis ibidem ostendit, prima duntaxat de tribus ratione sumi ἐνεργείας nomen existimat, cum a Patribus dicitur, idem eam cum substantia esse . « Ex quibus, inquit, fit manifestum, quod in unitate, quæ supra substantiam est, non est quærendum aliud substantia, et aliud energia, neque oportet tegi multiplici significatione verbi energiæ. Energia enim hic virtus operandi universum celebranda est, quæ est principium omnium, et cujus substantia est energia; non autem illa energia hic laudanda est, quam habitudo continet, vel habitudinis effectus. Utrumque enim horum cum sit imperfectum, multum abest a perfectissimo principio, cui qui addit nulla alioqui re indigenti, minuit addendo.

VI. Atqui de virtute ipsa, sive δυνάμει, et facultate agendi non magna quæstio est, nec fere quisquam ambigit, quin eadem sit cum Dei substantia. Res est enim necessaria per sese, nec ab eo separabilis proprietas. Ac ne Ariani quidem, nec eorum deterrimus Eunomius, illam ab Dei substantia secernendam putarunt. Siquidem ea, quæ dicuntur *attributa*, quorum e numero est omnipotentia, sive ἐνεργητικὴ δύναμις, adeo re non distinguebant ab ipsa Dei substantia, ut ne ratione quidem, et ἐπινοίᾳ disjungi paterentur : uti libro primo latius explanavimus. Quare Patres illi, qui ἐνέργειαν cum substantia idem esse voluerunt, si in eo adversati sunt Eunomio, non potuerunt ἐνέργειαν sumere pro agendi sola facultate, sed pro actione ipsa, atque πράξει; de quorum opinione postea. Rursus cum ἐνεργείας ἀποτέλεσμα, id est *effectionis opus* esse Filium impius Eunomius garriret, cum *Patris* vocem ἐνεργείας esse nomen assereret, non hypostasis, ut ne ex Patris οὐσίᾳ genitum Filium fateri cogeretur, constat ἐνέργειαν ab illo non pro agendi vi, sed pro actione ipsa usurpatam esse, et quidem externum in opus transeunte : de qua plerique veterum potissimum locuti sunt, atque in eam intenti, internam, et in agentis substantia manentem parcius attigerunt. Declarat hoc, ut reliquos omittam, Gregorius Nyssenus in duodecimo *contra Eunomium*, ubi hæretici hujus tale dictum refellens, « Quod Deus incorruptus dicitur, id ex actione non est : pater autem, et opifex nominatur ex actionibus [b] : » de actionis natura subtilius disserit, ac talem eam esse demonstrat, quæ in opus

a Greg. Nyss. Ἀλλὰ διδάσκει καθηγεῖσθαι μὲν ἐπὶ θεοῦ τῆς ἐνεργείας τὴν νόησιν, οὐκ ἐφυστερίζειν δὲ μετὰ τὸ νοηθὲν τὴν ἐνέργειαν· ἀλλ' ἅμα τὰ δύο, καὶ κατὰ ταὐτὸν θεωρεῖσθαι, τήν τε προαιρετικὴν τοῦ νοῦ κίνησιν, καὶ τὴν ἀποτελεστικὴν τοῦ πράγματος δύναμιν. οὐδὲν γὰρ ἔδωκεν ἐννοῆσαι μέσον ὁ λογος τῆς προαιρέσεως, καὶ πράξεως· ἀλλ' ὥσπερ τῇ ἐξάψει τῆς φλογὸς ἡ αὐγὴ συνεκφαίνεται, καὶ ἐξ ἐκείνης οὖσα, καὶ μετ' αὐτῆς συνεκλάμπουσα· κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ἔργον μὲν τοῦ θείου θελήματος ἡ τῶν γεγονότων ἐστὶν ὑπόστασις, οὐ μὴν δευτερεύει τῇ τάξει μετὰ τὸ βούλημα.

b Eunom. apud Greg. Nyss. A. Ὅτι ἄφθαρτος μὲν οὐκ ἐνεργείᾳ ἐστίν· πατὴρ δὲ, καὶ δημιουργὸς ἐξ ἐνεργειῶν ὀνομάζεται.

1 Joan. Cyp. Dec X, c. IV. — 2 Dec. X, c. IV, p. 282.

aliquod transit externum. « Nulla, inquit, esse potest actio rei alicujus efficiens, quæ per se ipsa consistat, nisi quippiam sit, quod actionis motionem excipiat. Ut, exempli gratia, elaborare dicimus ærarium fabrum, elaborari autem materiam, quæ huic arti subjicitur[a]. » Quoniam ergo transeunte in opus actione, et extra Deum progrediente gigni Filium, perinde ac res creatas omnes effici a Deo, putabat Eunomius, ad hoc ipsum genus actionis ut plurimum adhæsere, qui adversus illum scripserunt. De altero autem permanentis in causa actionis genere non sunt locuti; etsi nonnulli de hoc etiam posteriore meminerunt, aut de Dei efficientia universe sic agunt, ut id una complexi sint (quorum quidem hic nos dicta perplexos habent) ne non satis constare sibi videantur, dum et simplicissimum, atque omnis compositionis, et, ut Dionysius aliique loquuntur, διπλόης, hoc est *duplicitatis* expertem esse censent Deum, et in eo tamen inesse aliquid, et ad ejus adhærere substantiam asserunt, quod ab ea sit reipsa distinctum. Cujusmodi Græcorum recentium, et Palamitarum fuit opinio : etsi plura ad eam longe absurda, et abhorrentia magis addiderunt, quæ libro primo enarrata, refutataque sunt.

CAPUT XIII.

Exponitur vera de actu libero Dei sententia, ex antiquorum Patrum decretis : ex quibus quatuor principia colliguntur superius enucleata.

I. Nunc, quod superest, veram, ac Theologia digniorem sententiam ex antiquis Patribus eruere conabimur. Hanc vero nobis effata, seu principia quatuor aperient; quæ quoniam majori ex parte jam in antecedente omni disputatione tractata, comprobataque sunt, hic paucis indicare satis erit, et ad quem volumus usum propositæ dissolvendæ quæstionis adjungere. Horum illud est primum, voluntatem, quam θέλησιν, sive θέλημα, aut βούλησιν, ac βούλημα, nec non βουλὴν appellant, hoc est *volendi actionem*, et ἐνέργειαν, aliquid in Deo esse manens, et internum; cujusmodi *immanens actio* nominari consuevit. Nam de hoc obscure Græci aliqui locuti sunt, ut capite superiori monstratum est. Sed istud ipsum plerique tanquam certum, et extra controversiam positum usurpant, ut indidem constat, et ex Gregorii Nysseni, Maximi, Damasceni allatis ibi verbis ostenditur. Quibus expressa duo hic adjungemus Maximi loca insignis Martyris, ac theologi ex disputatione *contra Pyrrhum*. Ibi cum de divinæ, et humanæ voluntatis actionibus ex professo disserit, inter cætera differre illas ait ab ea re, quam volunt, ac persequuntur. « Non est idem, ait, volentis voluntas, et id quod vult; sicut neque in vidente videndi vis, et id quod videtur. Nam illud inest ei substantialiter, hoc vero extra ipsum est[b]. » Porro θέλημα hoc loco ipsam esse voluntatis actionem, non facultatem, ne quis erret, ex sequentibus cognoscitur; ubi Pyrrhus asseveranti Maximo, ex voluntatum, id est θελημάτων diversitate diversas item naturas colligi, objicit, non voluntates alias alio tempore habere diversas, nec tamen variis constare naturis. Cui Maximus occurrit sic, aliud esse velle simpliciter, aliud hoc vel illo modo velle[c]. Itaque velle absolute sumptum natura insitum esse, et eam consequi; at hoc, vel isto velle modo, ex arbitrio nostro pendere, et eam varietatem efficere. Hinc ergo constat, τὸ θέλημα non pro naturali facultate sumi a Maximo, sed pro actione ipsa volendi, quam proinde in ipsa Dei substantia inesse censet.

Energiam.

Volendi actio est quid in Deo manens.

Alter locus paulo post illa verba sequitur, in quo voluntatem, qua certo modo aliquid volumus, hoc est naturalem voluntatis usum certa ratione modificatum, quem ex cujusque arbitrio pendere dixit, soli ei, qui vult, inesse ait, neque similiter atque illa, quæ volumus, quæque extra nos sunt, desinere. Hunc locum paulo post describam.

Rursus eodem in libro voluntatem definit « liberam ac juris sui motionem, quæ inest naturis intelligentibus[d]; » quemadmodum vegetabilibus alendi, augendi gignendique

a Greg. ibid. Οὐκ ἔστιν ἐνέργειαν ἀπεργαστικὴν τινος πράγματος αὐτὴν δι' ἑαυτῆς συστῆναι, μὴ τινος ὑποδεχομένου τῆς ἐνεργείας τὴν κίνησιν· οἷον ἐνεργεῖν τι φαμὲν τὸν χαλκεύοντα, ἐνεργεῖσθαι δὲ τὴν ἐγκειμένην ὕλην τῇ τέχνῃ.

b Maxim. apud Baron. Οὐ ταὐτὸν γὰρ τὸ τοῦ θέλοντος θέλημα, καὶ τὸ θελητόν· ὥσπερ οὐδὲ τὸ τοῦ ὁρῶντος ὀπτικὸν, καὶ τὸ ὁρατόν. τὸ μὲν γὰρ οὐσιωδῶς αὐτῷ πρόσεστι· τὸ δὲ ἐκτὸς τυγχάνει.

c Ibid. Εἰ τοῖς θελήμασι πρός τε ἑαυτοὺς, καὶ ἀλλήλους διαφέρομεν· νῦν μὲν τοῦτο θέλοντες, νῦν δὲ τὸ αὐτὸ οὐ θέλοντες, etc.

d Maxim. ibid. Εἰ οὖν κατὰ φύσιν πρόσεστι τοῖς νοεροῖς ἡ αὐτεξούσιος κίνησις, ἄρα πᾶν νοερὸν, καὶ φύσει θελητικόν.

functiones; sentientibus autem motus ex appetitu, et impulsu. Atqui motus omnis in eo est, quod movetur. Quare libera voluntatis actio, cum sit intelligentis substantiæ motio, in ipsa residet.

Voluntas Dei increata

II. Alterum dogma veterum est, voluntatem Dei, sive actionem ipsam libere volendi, neque creatam esse, neque desinere unquam, adeoque nullum initium habere. Quod Maximus imprimis eodem illo in libro demonstrat. Nam, cum de ἐνεργείᾳ Christi secundum naturam utramque disputat, quam Monothelitæ unicam, Catholici duplicem statuebant, illorum commentum Maximus refellit, quo ex duabus unam compositione, ac σχέσει fieri dicebant : oppugnat vero hac præsertim ratione, quod cujusmodi sit illa, definiri nequit. « Aut enim, inquit, creatam, aut increatam hanc necessario dicetis; quoniam nihil omnino inter creatam, et increatam medium intercedit. Ac si quidem creatam ipsam dixeritis, etiam creatam, et solam naturam indicabit : sin autem increatam, solam item increatam signabit. Oportet enim naturis omnino consentanea esse naturalia. Quinam vero fieri potest, ut creatæ, et initium habentis naturæ, increata et initii expers, et infinita, et creatrix, et rerum conservatrix sit actio? vel increatæ, et initio carentis, creata, et ab initio cœpta, et fine aliquo terminata, et quæ ab alia natura, ne dissolvi queat conservetur [a]. » Et aliquot interpositis, « actionem creandi substantialiter ait inesse Deo; quæ autem secundum substantiam insunt, auferri non posse [b]. » Sic ante hunc locum voluntatis actionem minime cum iis desinere, quæ ab ipsa fiunt his verbis docuit : « Nec enim, si ea ponamus, quæ a Deo facta sunt, quæ sunt ea, quæ ipse voluit, interire, cum iis etiam substantialis ipsius voluntas, quæ ante illa cogitatur et est eorum effectrix, simul interibit [c]. »

Habitu.

III. Maximum imitatus Joannes Damascenus iisdem atque ille verbis contra Monothelitas concludit duas in Christo ἐνεργείας esse, alteram creatam, increatam alteram; ne si una tantummodo sit, neque creata, neque increata dici possit, cum tamen inter ambo ista neque actio ulla, neque natura interjecta sit [d].

Augustinus item in libro *Confessionum* undecimo, capite x. « Quid faciebat, inquit, Deus, antequam faceret cœlum et terram? Si enim vacabat, inquiunt, et non operabatur aliquid, cur non sic semper, et deinceps, quemadmodum retro semper cessavit ab opere? Si enim ullus motus in Deo novus extitit, et voluntas nova, ut conderet creaturam, quam nunquam ante condiderat, quomodo jam vera æternitas, ubi oritur voluntas, quæ non erat ? Neque enim voluntas Dei creatura est, sed ante creaturam; quia non crearetur aliquid, nisi creatoris voluntas præcederet. » Et sequenti capite : « Quod si exortum est aliquid in Dei substantia, quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia. »

Substantia Dei prorsus immutabilis.

Tertium ad id quod quærimus, necessarium est principium, nihil in Deo, divinaque substantia mutationis, ac novitatis inesse posse, neque qualitatem, neque actionem et ἐνέργειαν, neque rem ullam denique : quod in superioribus capitibus, et libro secundo, cum de Dei simplicitate disseruimus, ita est probatum, ut nihil ad ea hoc loco necesse sit adjici.

Et simplex.

Substantialem.

Quartum perinde iisdem in locis confectum est, nullam penitus in Dei substantia compositionem posse fieri, sive οὐσιώδη, atque ex partibus quibusdam substantivis, sive ex accidente et substantia.

IV. Iis quatuor ex principiis necessario illud nectitur, quod Augustinus capite illo undecimo libri *Confessionum* undecimi, ex secundo principio concludit : « Ad ipsam ergo Dei substantiam pertinet voluntas ejus. » Et Cyrillus Alexandrinus in dialogo quinto *de Trinitate*, dum Eunomianorum argutam calumniam refellit aientium, Filium non esse imaginem paternæ substantiæ, sed voluntatis, nihil hanc ab illa differre contendit. « Igitur, quoniam, inquit, simplex est divinitas, et omni compo-

a Maxim. Ἔτι τε ἢ κτιστὴν, ἢ ἄκτιστον λέγειν ταυτὴν ἀναγκαισθήσεσθε· ἐπειδὴ μέσον κτιστῆς, καὶ ἀκτίστου οὐδεμία ὑπάρχει τὸ σύνολον. καὶ εἰ μὲν κτιστὴν αὐτὴν φήσετε, κτιστὴν, καὶ μόνην δηλώσει φύσιν. εἰ δὲ ἄκτιστον, ἄκτιστον καὶ μόνην χαρακτηρίσει φύσιν. Δεῖ γὰρ πάντως κατάλληλα ταῖς φύσεσι τὰ φυσικὰ εἶναι· καὶ πῶς ἂν δυνατὸν τῆς κτιστῆς φύσεως, καὶ ἠργμένης ἄκτιστον εἶναι τὴν ἐνέργειαν ἄναρχόν τε, καὶ ἄπειρον, καὶ δημιουργὸν, καὶ συνεκτικήν; ἢ τῆς ἀκτίστου καὶ ἀνάρχου κτιστὴν, καὶ ἠργμένην, καὶ πεπερασμένην, καὶ ὑφ' ἑτέρας πρὸς τὸ ἀδιάλυτον εἶναι συνεχομένην;

b Ibid. Εἰ οὐσιωδῶς πρόσεστι τῷ Θεῷ ἡ δημιουργικὴ ἐνέργεια, τὰ δὲ οὐσιωδῶς προσόντα, καὶ ἀναφαίρετα, etc.

c Ibid. Οὔτε γὰρ, εἰ ὑποθώμεθα, τὰ ἐκ τοῦ Θεοῦ γενόμενα θελητὰ αὐτοῦ ὄντα ἀπογενέσθαι, τούτοις καὶ τὸ προεπινοούμενον αὐτῶν οὐσιῶδες αὐτοῦ, καὶ ποιητικὸν θέλημα συναπογενήσεται.

d Damasc. lib. III. *de Fide*, cap. xv. Εἰ μία τοῦ δεσπότου Χριστοῦ καὶ ἐνέργεια, ἢ κτιστὴ ἔσται, ἢ ἄκτιστος· μέσον γὰρ τούτων οὐκ ἔστιν ἐνέργεια, ὥσπερ οὐδὲ φύσις, etc.

sitione præstantior, ut ibi videtur, idque recte, non diversa est ab ipso ejus voluntas. Voluntatem porro si dixeris, Dei ac Patris naturam significaveris [a]. » Vide eumdem lib. VIII *Thesauri*. Hanc ipsam hæreticorum calumniam simili argumentatione diluit Fulgentius in responsione ad objectionem septimam contra Arianos. « Si hoc in Deo (sicut certum est) putatur, inquit, esse quod velle, dum voluntatis unitas asseritur, substantialis etiam unitas non negetur. » Bernardus item, sive quis alius, in epistola *ad Fratres de Monte Dei* : « Velle, inquit, quod vult Deus, hoc est jam similem Deo esse. Non posse velle, nisi quod Deus vult, hoc est jam esse quod Deus est, cui velle, et esse idipsum est. Jure itaque dictum est ab Augustino : « Quantum Deus distat ab homine, tantum voluntatem Dei a voluntate hominis differre [1]. » Ex quo superius illud sequitur, nihil a Deo ipso discrepare Dei voluntatem ; alioqui non tantum esset inter hanc, et hominis voluntatem discrimen, quantum inter volentes ambos : sed ut infinito a se intervallo isti differunt, sic illæ nonnisi finito, utpote ex creatorum ambæ genere, distarent.

Voluntatis actio prout in se est æterna et immutabilis

V. Sed cum dupliciter divinæ illa voluntatis actio spectetur, primum ut in se est, et ut ad Deum comparatur, deinde ut externum opus, et rem effectam respicit ; priore modo prorsus immutabilis est, non minus, quam ipsa Dei substantia, qua cum idem est, et eadem æternitate constans ; posteriore vero nonnihil varietatis capere videtur : quæ ne Deum in ipsum redundet, duplex adhibenda cautio est, quarum altera non multum difficilis est, altera tantis obsepta molestiis, nulla ut in omni theologia minus explicata videatur esse quæstio. Priorem Augustinus proponit in libro undecimo *Confessionum*, capite II. « Si voluntas, inquit, Dei sempiterna erat, ut esset creatura, cur non sempiterna et creatura ? » Ac multis interjectis, respondet postremo libri capite : « Sicut ergo nosti in principio cœlum et terram sine varietate notitiæ tuæ, ita fecisti in principio cœlum et terram sine distinctione actionis tuæ. » Quorum ea vis est, Deum a principio, id est ex omni æternitate voluisse, ac jussisse, mundum, creatasque res omnes fieri in certa temporis parte ; ut jam alibi scripsimus. Itaque non tunc mutari Deum, cum res nova fit, sed voluntatem ejus ac mandatum explicari. « Voluntas enim sempiterna est, et immutabilis, ait idem. Ac secundum illam voluntatem suam, quæ cum ejus præscientia sempiterna est, profecto in cœlo, et in terra omnia quæcumque voluit, non solum præterita, vel præsentia, sed etiam futura jam fecit [2]. » Quod equidem sic intelligo, ut, cum Deus voluntate, et imperio suo universa moliatur ac procreet, jam illa fecisse dicatur ex æterno, quæ in tempore futura sunt, quorum efficiens voluntatis actio ex æterno in Deo extitit, ac sit ipsa Dei substantia. Erit autem tunc res quæque, cum illa temporis pars advenerit, quam idem illud imperium Dei ejus ortui præscripserit. « Non quia Deus novam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit ; sed quia id, quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum est voluntate, tunc erit [3]. » Quocirca verissime scriptum est ab Zacharia Mitylenæo in libro *de Mundi opificio* : « Deum principio carentem et æternam, perinde ut est ipsius beata natura, voluntatem habuisse de iis, quæ beneficio afficienda et creanda erant. Ea vero tunc produxisse, cum creatis ipsis rebus utile futurum erat : atque et ratio, et ordo poscebat. Ita voluntas Dei de iis, quæ sunt, et beneficientia, non in tempore est, ut earum natura [b]. » Sic etiam Prosper in Sententia CLXXXIII : « Vera æternitas Dei est, qui solus habet immortalitatem : quoniam ex nulla specie, motuve mutatur, nec temporalis est voluntatis. Non enim immortalis est voluntas, quæ alia, et alia est. »

Difficilis quæstio : an voluntas libera sit substantia Dei.

VI. Illud, quod posteriore loco posui, longe operosius enodari solet. Nam si voluntatis actio libera, ipsa est essentia Dei ac substantia ; potuit autem id quod libere voluit Deus, non velle ; quoniam hæc ipsa est ejus natura, quod liberum vocatur, ut pro arbitrio fieri possit, aut non fieri ; sequitur ipsam Dei substantiam non esse potuisse, ac de genere esse contingentium. Etenim si, ut mundum in tempore procreare voluit ex æterno Deus in-

a CYRIL. Dial. V. Οὐκοῦν, ἐπειδή περ ἁπλοῦν τὸ θεῖον, καὶ ἄμεινον ἢ κατὰ σύνθεσιν εἶναί σοι δοκεῖ· δοκεῖ δὲ ὀρθῶς· οὐχ ἑτέρα παρ' αὐτὸ εἴη ἂν ἡ βούλησις αὐτοῦ. Θέλησιν δέ τις εἰπὼν, τὴν τοῦ θεοῦ, καὶ πατρὸς κατεσήμηνε φύσιν.

b ZACHAR. Συνάναρχον γὰρ, καὶ συναΐδιον τῇ μακαρίᾳ φύσει τὴν περὶ τῶν εὐεργετηθησομένων, καὶ δημιουργεῖσθαι μελλόντων ἐκέκτητο βούλησιν· παρήγαγε δὲ, ὅτε συνοίσειν ἔμελλε τοῖς γενομένοις, καὶ ὁ λόγος, καὶ ἡ τάξις ἠβούλετο. οὕτω τε ἡ περὶ τῶν ὄντων τοῦ θεοῦ βούλησις, καὶ εὐεργεσία οὐκ ἐν χρόνῳ, ὥσπερ καὶ ἡ φύσις αὐτῶν.

1 Aug. in *Ps.* XXXII conc. I. — 2 Idem, lib. XII. *de Civ.* cap. XVII. — 3 Idem, lib. XXII. *de Civ.* c. II

teriore illa et manente libertatis actione, sic e contrario noluisset condere, caruisset intestina illa motione voluntatis, quam θέλησιν Græci nominant, nostri in scholis *volitionem*, ut a facultate ipsa volendi, quæ *voluntas* dicitur, actionem loquendo secernant. Ergo et substantiæ ipsi divinæ fieret aliqua decessio, imo tota ipsa funditus occidisset, siquidem simplicissima est res, neque partitione ulla dividitur. Potest eadem de rerum contingentium notitia commoveri quæstio, quas futuras, postquam ita statuit, tanto ante scivit Deus, quas utique, si aliter decresset, futuras non scisset; sed de libera voluntatis actione major est difficiliorque percontatio. De qua enucleate ac subtiliter disputare nobis quidem non ita necesse videtur. Est enim scholastici tota generis, quod minime profitemur, nec est ejus ullum, quod equidem meminerim, apud antiquos Patres vestigium, præter illa, quæ de ἐνεργείᾳ generatim superioribus capitibus attulimus. Quanquam nihilo hic quidem nobis locupletiores sunt Scholæ, quæ obrui se propemodum respondendi difficultate fatentur, nec aliter expediunt quam ut illa proferant, quæ sunt a nobis de actione Dei, et ἐνεργείᾳ, deque ejus immutabilitate dicta generatim : quæ sane moderato ac frugi theologo, neque contentionis magis, quam explorandæ, quatenus in re quaque licet, veritatis cupido satis esse debent. Sic igitur et illi, et cum iis nos dicimus, non ipsam Dei substantiam aliter se habituram fuisse, quam est modo, si quod voluit libere Deus, minime voluisset. Sed rem duntaxat creatam, et extraneam immutandam fuisse. Etenim eadem nihilominus Dei natura maneret, et essentia; sed ad res istas efficiendas non jam se voluntas ipsa diffunderet, nec eas velut terminum respiceret.

VII. Sic enim habitudine quadam, et comparatione, quam Græce σχέσιν nominant, id est *relatione* ad res creatas declarantur ab Augustino, ut jam meminimus, efficientiæ divinæ, ut ad illas referri dicatur Dei vel natura, vel potentia; quæ neque mutatur, neque ex se profundit aliquid, cum eas fabricatur, sed mutat potius, aliasque facit ex aliis[1]. Quod de creatoris nomine, ac conditione ibidem est dictum, ejusque, ex eodem Augustino, aptissima est exprompta similitudo creatis ex rebus; veluti nummo, qui idem manens, ac sine ulla mutatione sui, pretium est, aut pignus, vel arrha. « Quanto facilius, addebat idem, de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita relative dicatur aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturæ ad quam dicitur[2]? » Nam quod de illa substantiæ divinæ relatione ad res suo existentes tempore dixit Augustinus, potest id de eadem dici substantia sic, ut ad res illas creandas ex omni comparetur æternitate, ad easque referatur; ad quas utique minime referretur, si eas esse nollet aliquando : neque propterea detractum aliquid esset de substantia Dei, sicut nihil neque ab æterno est additum cum illas creare constituit; neque in tempore, cum esse jam aut incipiunt, aut desinunt, appositum illi, vel de ea decerptum intelligitur. Hæc sobrio, prudentique theologo sufficiunt. « Quod ultra est, sapientibus et insipientibus inaccessum est. Non igitur persequar, vanus enim essem[b], » ut ad rem nostram pulcherrime lyricus poeta cecinit.

a Pindarus. *Olymp.* III, fine : Τὸ πόρσω δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον, κἀσόφοις, οὐ μὴν διώξω· κεινὸς εἴην.

1 Lib. IV. cap. VII. — 2 Aug. lib. V *de Trin.* c. XV.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER SEXTUS

IN QUO DE DEI BONITATE, DEQUE SUMMO BONO AGITUR : NECNON DE MALO : TUM DE DEI IMPECCABILITATE : DEQUE EJUS PERFECTIONE AC PULCHRITUDINE.

CAPUT PRIMUM

De Dei Bonitate. Eam Dei propriam imprimis esse, ut Boni vocabulum. Id tamen non prius esse, quam τὸ ὄν. *Quid sit universe bonum, et quæ ejus definitio. Relativum esse quiddam nonnullis placet : aliis absolutum. Non esse propriam illam definitionem boni, ut sit quod omnia appetunt. Videri rationem boni in convenientia esse positam potius, quam in perfectione. De tribus quæ in omni bono cernuntur, modo, specie, et ordine; quæ singillatim enucleantur : tum de numero, pondere, et mensura. Quatenus priora tria insunt in Deo.*

I. Omnium Dei proprietatum et ad professionem notissima, et ad contemplandum jucundissima, et ad intelligendum, si Platoni credimus, maxima et ultima, disputationi succedit nostræ bonitas[a]. Quam Deo convenire præ cæteris docti pariter et indocti, ac fideles simul infidelesque judicant, usu magis, et experimento sensuum, quam disciplina, vel auctoritate perdocti. Elegantissimum de hac re Synesii dictum exstat, et hoc loco non tacendum : « Bonum, inquit, Deum utique prædicant omnes ubivis terrarum populi tam sapientes, quam imperiti, idque universi mutuo consensu, atque una voce profitentur; licet, quod ad alia pertinet, variis de Deo sententiis discrepent, et incorruptam ejus, atque individuam naturam opinionum diversitate partiantur[b]. » Proprium ergo Dei est, ut bonus sit, ait Ambrosius[1]. « Imo ita proprium est Deo quod bonus est[2], ut scribit Augustinus, ut a quodam compellatus ipse Filius

Bonum esse Deum omnes prædicant.

a Plato, VI *de Repub.* sub finem : Ἐπεὶ ὅτι γε ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μέγιστον μάθημα, πολλάκις ἀκήκοας, Vide et Proclum in hunc librum.

b Synes. Orat. *de Regno.* Ἀγαθόν που τὸν θεὸν ὑμνοῦσιν ἅπαντες ἁπανταχοῦ καὶ σοφοὶ δῆμοι, καὶ ἄσοφοι· καὶ ταύτῃ συγχωροῦσιν ἀλλήλοις, καὶ ὁμοφωνοῦσιν ἅπαντες, οἱ τὰ ἄλλα διαστάντες περὶ ὑπολήψεις τοῦ θείου, καὶ τὴν ἀκήρατον αὐτοῦ, καὶ ἀμερῆ φύσιν δόξαις ἑτερογνώμοσι μερισάμενοι.

1 Amb. *Octon.* IX. in *Ps.* CXVIII. — 2 Aug. in *Ps.* CXVII. init.

Dei, cum audiret, *Magister bone*, ab eo scilicet, qui carnem ejus intuens, et divinitatis ejus plenitudinem non intelligens, solum hominem arbitrabatur, responderet, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus*. Quod quid aliud est dicere, quam si me bonum vis appellare, intellige et Deum[1]. » Nam etsi alia bona sunt, hoc est omnia, quæcumque procreata sunt a Deo, « tamen, cum bona fecerit, multoque sit melior, qui fecit, quam ista quæ fecit, non invenies melius quid de illo dicas, nisi quia bonus est Dominus, si tamen intelligas proprie bonum, a quo sunt cætera bona[2], » ait Augustinus. Ut enim, tametsi sunt universa quæ fecit, nihilominus « tanquam solus sit, dixit, *Ego sum, qui sum*[3], quoniam in ejus comparatione ea, quæ facta sunt, non sunt illi comparanda, quoniam ab illo sunt, illi autem non comparata, quoniam ab illo sunt : sic quia nullum invenias bonum, quod non ab ipso sit bonum, bonum bona faciens sicuti est proprie, sic et bonum est proprie. Esse enim est, sicut bonorum bonum, bonum est. » Denique, « Si quidquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum est; nulla tibi major causa, et melior, et firmior dari potuit, quare laudes Deum, nisi quia bonus est. » Hæc Augustinus in Psal. centesimum tricesimum quartum.

II. Hanc esse primam Dei appellationem Dionysius affirmat ab Joanne Damasceno laudatus; qui cum dixisset, videri primarium Dei nomen esse ὁ ὤν, *qui est*, vel *ens*, addit mox : « Ut autem sanctus Dionysius asserit, primum nomen est bonus. Non enim de Deo licet dicere, primum esse, deinde esse bonum[a]. » Locus autem Dionysii est in quarto capite libri *de Divinis nominibus;* τὴν ἀγαθωνυμίαν, id est « *boni appellationem* a theologis scribit excellenti quadam ratione tribui superdivinæ deitatis, atque ex omnibus secretam, adeo ut ipsa divini principatus exstantia bonitas nominetur[b]. »

Sed vereor, ut Dionysii mentem Joannes Damascenus assecutus sit. Non enim sic boni vocabulum præstanti quadam ratione Deo ab theologis tribui putavit Dionysius, ut antiquius quodammodo, et nostro intelligendi modo prius esse nomen bonitatis, quam τοῦ ὄντος existimarent. Hoc neque verum est, neque *Entis.*
Dionysius intelligi voluit. Quippe nihil in re qualibet, adeoque vel ipsomet in Deo, prius est, aut animo comprehendi potest, quam ut sit, quod est τὸ ὄν. Quod enim non est, id *Ens.*
esse bonum qui potest? Quare id unum Dionysius, ac theologi isti docuerunt, de quo mox agemus, non esse bonitatem adventitiam Deo, ita ut prius sit et existat, deinde bonitate perfusus dici bonus incipiat, ut angelis hominibusque contigit. Sed οὐσιῶδες illi esse *Substan*
τἀγαθὸν, et ejus ὕπαρξιν, id est vel substantiam, *tiale* illi ess
vel *extantiam*, esse *bonitatem;* quod sane *bonum.*
reipsa sic se habet : tametsi nos mente, et κατ᾽ ἐπίνοιαν prius esse, exstareve cogitamus Deum, quam esse bonum.

II. Est tamen, ut ad hoc, quod dicere ingressus eram, sermo noster redeat, maxime propria Dei appellatio *Boni :* ac « Deum rerum omnium principem bonum esse, quod ait Boetius, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam, cum Deo nihil melius excogitari queat, id, quo melius nihil est, bonum esse quis dubitat[4]? » Hinc Philo Judæus libro *Allegoriarum* secundo, « Deum esse dicit bonitatis ipsius causæ nomen[c]. » Platonici vero non solum Deum omnem natura sua bonum esse sentiunt, magistrum secuti, cujus secundo *de Republica* libro, de ea re sententiam illustrat in commentariis Proclus; sed etiam summum omnium Deum insigniter et esse bonum, et τἀγαθὸν proprie appellandum censuerunt[5]. Sic illum nominat in sexto *de Republica* Plato, et hunc imitatus Julianus Cæsar[6], oratione quarta, quæ est *in Solem*. Τἀγαθὸν, inquam, absolute sumptum idem apud illos est, quod supremus omnium Deus : quod ex iis præterea constat, quæ in primo libro *de Trinitate*, capite primo, Platonicorum e fontibus ostendimus. « Plato, inquit Eustra- Platoni
tius *Ethicorum* interpres, cum de eorum, quæ Deum *Summu*
sunt, omnium principio quæreret, id unum, *bonum* appellan
et inexplicabile, et bonum esse decrevit[d]. »

[a] Joann. Damasc. lib. I *de Fide*, cap. xii. Ὡς ὁ ἅγιος Διονύσιός φησιν, ὁ ἀγαθός, οὐ γάρ ἐστιν ἐπὶ θεοῦ εἰπεῖν, πρῶτον τὸ εἶναι, καὶ τότε τὸ ἀγαθόν.

[b] Dion. cap. iv. *de Divin. nom.* Ἐπ᾽ αὐτὴν ἤδη τὴν ἀγαθωνυμίαν χωρῶμεν, ἣν ἐξῃρημένως οἱ θεολόγοι τῇ ὑπερθέῳ θεότητι καὶ ἀπὸ πάἑτων ἀφορίζουσιν, αὐτὴν, ὡς οἶμαι, τὴν θεαρχικὴν ὕπαρξιν ἀγαθότητα λέγοντες.

[c] Philo : Ὁ θεὸς γὰρ ἀγαθότητός ἐστι τοῦ αἰτίου ὄνομα.

[d] Eustrat. in I. *Eth.* Ὁ γὰρ Πλάτων περὶ τῆς ἀρχῆς τῶν ὄντων ἁπάντων ζητήσας, τὸ ἓν ἐκείνην, καὶ ἄῤῥητον εἶναι, καὶ τἀγαθὸν ἀπεφήνατο.

1 *Gen.* i. — 2 Aug. in. *Ps.* cxxxiv. — 3 *Exod.* iii. — 4 Boet. Prosa x, lib. III *de Consol.* — 5 Proclus in *Comment.* — 6 Julian. Orat. iv.

Idipsum et ex Alcinoo[1], Plotino, ac Platonicis reliquis evidens est.

Proclus libro secundo in *Timæum* reprehendit eos, qui secundi ordinis Deum, quem Platonici Δημιουργὸν vocant, τἀγαθὸν, id est *ipsummet bonum* nominabant[2] : cum bonus sit, non ipsum bonum. « Non enim, ait, idem est ipsummet bonum, et bonus. Nam illud ipsum per sese non participatur ; sed ab omnibus exceptum est : iste autem eo bonus est, quod illius est particeps[a]. » Denique qui *bonus* dicitur, quadamtenus est bonus. « At ipsummet bonum non certi generis est, sed absolute bonum[b]. »

Creatorem mundi.

Et non multo post, tria bona distinguit : « Aliud enim est, inquit, adscititium bonum, aliud quod est habitu bonum, aliud primario bonum. Primum admistum est contrario, sicut adscititium pulchrum cum turpi mistum est. Secundum simile est boni, sed participatione est tale. At ipsummet bonum primario bonum est[c]. »

Horum placitis ac vestigiis plus quam Christianos decet, inhærentes Ariani summum eumdem Deum, quem gentilium more unicum ac singularem colebant, Patrem *bonum* appellabant; Verbum autem ac Dei Filium, uti minime verum Deum, sic nec bonum vocari passi sunt; non quod bonitatem illi funditus eriperent, sed quod eum τἀγαθὸν, hoc est *primigenium bonum* esse non crederent, utpote creatum, et participatione summi boni et ipsum bonum : nihilo secius ac Plato in sexto *de Republica* τἀγαθὸν, id est *ipsummet bonum* genuisse scribit τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, *fetum ipsiusmet boni*[3]. Quorum errori suffragatur in speciem Christus ipse, dum bonum appellanti se ita respondit : *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus*[4]. Verum de hoc loco, ac boni vocabulo, et Arianorum, veterumque de illo conflictu dicetur alibi[5].

IV. Nunc ut divinæ bonitatis rationem, quantum fas est, explicemus, ejusque discrimen ab creatarum rerum propria, quid sit bonitas per se, et universe considerandum est. Ac plerisque bonitatis notio minime absolutum quippiam videtur, sed ex eorum genere, quæ ad aliud referuntur. Alii contra sentiunt. In priore sententia numerantur illi, qui, ut habent *Excerpta* Pythagorei cujusdam Anonymi, nihil per se bonum, et malum esse putabant, sed comparatum ad alterum : velut idem morbus homini malus, medico bonus est. Tum usu vulgata illa *boni* definitio eodem spectat, *Ethicorum* initio ab Aristotele tradita, ut sit « id quod omnia appetunt[d]. » Quam quidem in quarto capite libri *de Divinis nominibus* Dionysius illustrat, bonum id esse scribens, « ad quod convertunt se omnia, velut ad congruentem sibi finem. Item, id quod omnia appetunt intelligentia quidem cum cognitione, sensu autem prædita cum perceptione sensuum[e], etc. Synesius quoque in oratione *de Regno*, hanc ipsam Dei appellationem, qua bonus dicitur, non putat « absolutam ad aures accidere. Nam bonum dici, quod iis bonum est, quorum est efficiens, et qui eo fruuntur. Hoc enim significatio ipsa nominis vult, Deum exprimere bonorum auctorem[f]. »

Quid sit bonum. Aristotelis definitio.

Hoc modo σχέσις illa, et respectus ad appetentiam, ad quam ejus definitio comparatur, cum esse dicitur, « quod omnia appetunt, » boni erit natura. « Omnium enim expetendorum, ait Boetius, summa, atque causa bonum est. Quod enim neque re, neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam, quæ natura bona non sunt, tamen si esse videantur, quasi vera bona sint, appetuntur. Quo fit, uti summa atque cardo expetendorum omnium bonitas esse credatur.[6] » Eleganterque Plato

Habitudo.

a Proclus : Οὐ γὰρ ταὐτὸν τἀγαθόν ἐστι, καὶ ὁ ἀγαθός. τὸ μὲν γάρ ἐστιν ἀμέθεκτον αὐτὸ καθ' αὑτὸ, τῶν πάντων ἐξῃρημένον· ὁ δὲ, διὰ τὸ ἐκείνου μετέχειν, ἐστὶν ἀγαθός.

b Ibid. Τἀγαθὸν δὲ, οὔ τι ἀγαθὸν, ἀλλ' ἁπλῶς ἀγαθόν.

c Ibid. Ἄλλο γὰρ ἐπίκτητον ἀγαθόν· ἄλλο τὸ καθ' ἕξιν ἀγαθόν· ἄλλο τὸ πρώτως ἀγαθόν. τὸ μὲν γὰρ συμμικτόν ἐστι πρὸς τὸ ἐναντίον, ὥσπερ καὶ τὸ ἐπίκτητον καλὸν συμπέφυρται πρὸς τὸ αἰσχρόν· τὸ δὲ ὅλον μέν ἐστιν ἀγαθοειδὲς, μεθέξει δὲ αὖ τοιοῦτόν ἐστιν· τὸ δὲ αὐτοαγαθόν ἐστι πρώτως ἀγαθόν.

d Aristot. init. *Eth.* Διὸ καλῶς ἀπεφήναντο τἀγαθὸν, οὗ πάντα ἐφίενται.

e Dion. cap iv. *de Divin. nom.* Καὶ εἰς ὃ πάντα, ἐπιστρέφεται καθάπερ εἰς οἰκεῖον ἑκάστῳ πέρας· καὶ οὗ ἐφίεται πάντα, τὰ μὲν νοερὰ, καὶ λογικὰ, γνωστικῶς, τὰ δὲ αἰσθητὰ, αἰσθητικῶς.

f Synes. *de Reg.* Οὐ γὰρ ἀπόλυτον εἰς ἀκοὴν ἔρχεται τἀγαθὸν, ἀλλ' ἐκείνοις ἀγαθὸν, ὧν ἐστι πρακτικὸν, καὶ οἷς ἐστιν ἀπολαυστόν. τοῦτο γὰρ ἡ διάνοια βούλεται τοῦ ὀνόματος, ἐφερμηνεύειν τὸν θεὸν αἴτιον ἀγαθῶν.

1 Cap. x. — 2 Vide lib. I *de Trin.* c. i. — 3 Vide Julian. loco cit. — 4 *Luc.* 18, 19. — *Matth.* 19, 17. — *Matth.* 10, 27. — 5 Lib. II *de Trinit.* — 6 Lib. III *de Cons.* Prosa. x.

animam omnem occulto quodam, et insito studio ferri in bonum asserit, etiamsi id ignoret, velut divinitatem [1].

Rejicitur Aristotelis definitio.

Verum inest in boni natura et essentia prius aliquid et antiquius habitudine illa, qua sui appetentem respicit. Cum enim cur res aliqua in certo genere reponenda sit inquirenti, causa reddi melior nulla possit, quam illius definitio ; ut si ideo dicas Petrum animal esse, quia corpus est sentiens, hoc si in bono instituas, non illa uti definitione poteris. Non enim cur bonum aliquid sit causæ affertur, quod appetitur, sed e contrario cur appetatur causa redditur, quod bonum sit. Non est igitur boni essentia, et τὸ τί ἦν εἶναι, ab aliquo appeti : quemadmodum videri posse, non est ipsa coloris natura, sed quiddam colore posterius : quia prius est colorem esse, quam posse videri. Denique cum, ut ex Dionysio paulo ante memoravimus, bonum ita illud esse dicatur quod omnia appetunt, ut quæ cognitione sunt prædita, illud cognoscendo expetant, necesse est priorem natura esse boni cognitionem, quam ejus appetitionem. Ante ergo bonum est, bonique essentia, quam intelligatur appeti. Quare non est οὐσιώδης illa, neque propria definitio, quæ vulgo traditur, « Bonum id esse, quod omnia expetunt. »

Ratio boni in *apto* et *convenienti* sita.

V. Aliorum ratio explicatior est, et meo judicio, anteponenda cæteris, qui boni naturam, quæ est τοῦ ὄντος, id est *entis* proprietas, in *apto* et *convenienti* sitam esse putant; ut id bonum habeatur, quod est rei alicui conveniens, et consentaneum. Quæ est opinio Durandi non ignobilis de Schola magistri. Etenim si diligenter ea spectes quæ insunt in boni appellatione, communique sensu ac notione, quam de eo docti indoctique omnes capiunt, nihil aliud invenies cur quidque sit bonum, aut expetendum, quam quod aptum sit, et conveniat : eaque convenientiæ vox et ratio amplitudinem omnem bonitatis exhaurit. Neque vero quod contra superiorem definitionem objecimus, id adversus hanc posteriorem opponi potest, prius esse rem bonam, quam conveniens sit, cum hoc ipso, quod conveniat, sit bona, neque prius bona, quam conveniens. Convenire porro illud est, non adæquari cum alio, tanquam regula, qua cum aliquid commetimur. Sic enim veritatis ratio in commensu posita dicitur, quo cum intelligentia Dei res omnes conferuntur, eique respondent. Sed quæ boni propria est congruentia, ad usum quemdam, ac fructum, sive commodum refertur : eoque modo non aliis tantummodo, sed sibi etiam Deus ipsi bonus est, quia sibi maxime convenit, et eo ipso est amabilis. Siquidem reipsa se amat, et ideo, quia bonus est, hoc est sibi convenit, et ad fruendum est aptissimus, atque in se acquiescit uno. Sic etiam creatæ res bonæ sunt ea bonitate, quæ τοῦ ὄντος, id est *entis* proprietas dicitur, idque proxime consequitur : bonæ, inquam, sunt idcirco, quod Deo congruunt ac tales sunt, cujusmodi esse voluit, qui quæ condidit *omnia valde esse bona vidit* [2].

VI. Hæc primaria est, et antiquissima boni ratio, qua tam ipse per se, et ad se, ut Augustinus loquitur, bonus est Deus, quam ad eumdem comparatæ res cæteræ bonæ sunt. Ex illa vero efflorescit altera boni velut secundaria ratio, qua tum ipse Deus ad res creatas, tum eæ invicem referuntur. In hac autem posteriore bonitatis specie multo clarius illa convenientia cernitur, in qua boni naturam prius Augustinus, quam aut ego, aut alii ante me, collocavit. Nam in libro *de Natura boni adversus Manichæos*, capite vicesimo tertio, mali naturam explicans, id in ejus definitione posuit, quod est illi ipsi, in quo boni rationem constituimus, convenientiæ contrarium. « Malus, inquit, modus, vel mala species, vel malus ordo, (his autem in tribus, modo, specie, et ordine, boni rationem consistere docuerat) aut ideo dicuntur, quia minora sunt, quam esse debuerunt, aut quia non his rebus accommodantur, quibus accommodanda sunt, ut ideo dicantur mala, quia sunt aliena et incongrua. Sic postea speciem malam dici ait, quia non congruit huic rei, cui adhibita est, ut aliena, et inconveniens videatur. »

Et in libro secundo *de Moribus Manichæorum,* malum itidem *inconvenientiam* esse scribit. « Malum est, inquit, quod contra naturam est, etc., id est ipsa inconvenientia, quæ sine dubio non est substantia, imo est inimica substantiæ. » Tum : « Quatuor ipsa, quæ in promptu sunt, elementa, quis dubitet prodesse per convenientiam; inconvenienter autem adhibita vehementer adversa esse naturæ [3] ? » Et subinde, « Respicite ergo aliquando, et advertite, si substantia ulla malum est, ideo quod lædit aliquem, lucem, quam colitis, ab hoc crimine non posse defendi. Considerate potius hanc inconvenientiam universale malum esse, per quam solis radius

1 Lib. VI *de Repub.* — 2 *Gen.* I. — 3 Cap. VIII.

tenebrescere oculos facit, cum eis nihil sit luce jucundius. » Et capite nono, « Postremo, si (quod omnino nemo unquam negavit) inconvenientia malum est, etc. » Quamobrem si malum nihil est aliud, quam inconvenientia quædam; est autem contrariorum contraria definitio, ut Aristoteles docet [1] : prorsus bonum erit convenientia, quam utilitatis nomine declarat auctor libri *de Cognitione veræ vitæ* [2], qui bona esse omnia ex eo probat, « quia omne utile bonum; universa quippe utilia considerantur, et ideo singula bona comprobantur. » Sed *utilis* vox latius diffundenda est, ne sic intrepretemur, ut cum ei quod honestum est, opponitur : verum id universe significet, quod congruum, aptum, et conveniens est.

VII. Aliis tamen, ut jam dixi, *bonitatis* essentia non videtur esse σχετική, et ad aliud comparari, sed absolute dici. Imo vero bonitatem distinguunt duplicem, unam *absolutam*, alteram *relativam* : harum priorem in integritate, ac perfectione sitam esse sentiunt; quod et S. Thomæ placuit, qui « bonum ait dicere rationem perfecti [3]. Omne enim ens, inquit idem, in quantum est ens, est in actu, et quodammodo perfectum, quia omnis actus perfectio quædam est : perfectum vero habet rationem appetibilis, et boni [4]. » Atque hoc suadere videtur Augustinus *Enarratione in Psalmum* CII. « Omnes, inquit, creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ, et perfectionis naturæ suæ. » Sed nescio quo modo perfecti notio ab ea, quæ est boni, differre mihi videtur, ut et latius illa pateat, neque omne perfectum bonum sit, et non sit bonum omne perfectum. Quare boni ratio veluti cumulatur perfecto addito. Hinc et Boetius in tertio *de Consolatione philosophiæ* [5] : « Ita bonum, inquit, esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque in eo bonum esse convincat. » Igitur non est eo ipso perfectum bonum aliquid, quo bonum est. At eo ipso, quo conveniens est, et aptum, bonum est, et quatenus bonum est, etiam conveniens est. Magis ergo οὐσιώδης est convenientia bono, quam perfectio. Sed hæc fortasse nimis enucleata minuteque concisa, scholis relinquenda sunt. *…sentialis.*

VIII. Non potest tamen præteriri illud a nobis, ex quo nostra illa fieri sententia potest illustrior, quod dicit Augustinus, in omni bono inesse tria, *modum, speciem*, et *ordinem*. Omnia enim, ait ille in libro *de Natura boni*, capite tertio, « quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis utique bona sunt; quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, minus bona sunt. Hæc itaque tria, modus, species, et ordo, ut de innumerabilibus taceam, quæ ad ista tria pertinere monstrantur, hæc ergo tria, modus, species, et ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus a Deo factis, sive in spiritu, sive in corpore [6]. » Et mox : « Hæc tria ubi magna sunt, magna bona sunt, ubi parva sunt, parva bona sunt, ubi nulla sunt, nullum bonum est. Et rursus ubi hæc tria magna sunt, magnæ naturæ sunt, ubi parva sunt, parvæ naturæ sunt, ubi nulla sunt, nulla natura est. » In omni bono est modus, species et ordo.

Modus est rei mensura, sive ratio certo fine consistens, quæ intra *nimium*, et *parum* interjecta est. Ita Cicero in *Oratore* : « Etsi suus cuique modus est, inquit, tamen magis offendit nimium, quam parum. » Sic gentem illam tenebrarum, quam Manichæi sine ulla boni admistione malam esse putabant, bono minime caruisse probat Augustinus; quia modus illis non defuit. « Nisi enim modus ibi fuisset, nihil aliud agerent, quam comederent, aut biberent, aut sævirent, aut quodlibet aliud sine aliqua societate, quanquam nec ipsi, qui hoc agebant, formis suis determinati essent, nisi modus ibi fuisset [7]. » Quid sit modus.

IX. Speciem definit Augustinus, a qua *speciosi* dicuntur, quam pulchritudinem interpretantur aliqui; sed nonnihil ab specie pulchritudo distat [8]. Hic igitur species est, quod Græci vocant εἶδος, id est per quod res aliqua videtur, ac discernitur. Cujusmodi est *forma;* sine qua ut informis res dicitur, ita nec certum naturæ statum habet. Ac formam hic intelligi volo, non quæ *physica* vulgo nominatur, et naturaliter compositæ pars est rei, sed latius appellatione porrecta, eam potius, quæ ab Aristotele ἐντελέχεια vocatur, Latini philosophi *actum*, alii *perfectionem* nuncupant qua res aliquid est, hoc est aliqua natura. « Nam et ipsa natura nihil est aliud, quam id, quod intelligitur in suo genere aliquid esse, » ait Augustinus. Itaque species est id, quo res in certo rerum genere constituta percipi potest, quod est animo videri, vel sciri, atque comprehendi. Unde τὸ εἶδος dicitur, ab eo quod Species.

1 Lib. VII, cap. III.— 2 Cap. VII in Oper. Aug. — 3 S. Th. I Par. qu. V, art. 1. — 4 Ibid., art. 3 et art. 5. — 5 Prosa X.— 6 Lib. V *de Civ. Dei*. c. XI, et lib. I, c. XXVIII. — 7 Lib. *de Nat. boni*, c. XLI. — 8 Lib. *de Nat. boni*, cap. III.

est εἴδω, quod *videre* ac *scire* significat. Hinc, tanquam e fonte, rerum proprietates et qualitates oriuntur, ex quibus pulchritudo, quæ et forma, et species vocari solet, existit; unde *formosi* ac *speciosi* dicuntur. « Si enim species ibi non fuisset (ait contra Manichæos, de gente tenebrarum disputans Augustinus) nulla ibi qualitas subsisteret [1]. »

X. Tertius est ordo, qui omnia continet atque occupat, ut idem censet Augustinus, ideoque contrarium nihil habet. « Nam quomodo esse contrarium quidquam potest ei rei, quæ totum occupavit, totum obtinuit [2]. » Siquidem mala etiam ordine suo decurrunt. « Nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur a Deo. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut et bona Deus diligat, et non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala; quæ non diligit Deus, et ipsum tamen ordinem diligit: hoc enim ipsum diligit diligere bona, et non diligere mala, quod est magni ordinis, et divinæ dispositionis. » Sed de hac ordinatione malorum agemus postea.

Est autem *ordo*, ut idem definit, « parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens

Ordo. dispositio [3]. » Quæ verba mendose sic in parvis sermonibus legit Bernardus : « Ordo est partium disparium rerum sua cuique loca tribuens dispositio [4]. » Philo Judæus in *Cosmopœia* : « Ordo, inquit, est series, et consequentia rerum præcedentium, et sequentium, si non ipso opere, certe in opificum cogitationibus [a]. » Quare in ea dispositione situs est ordo, qua « potioribus infirmiora subduntur [5], » ut alibi scribit Augustinus. Item : « Cum Deus summa essentia sit, hoc est summe sit, et ideo immutabilis sit, rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est; et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit [6]. »

XI. His igitur tribus, *modo, specie* et *ordine*, constat omne bonum. Etsi interdum promiscue ista sumuntur : ac præsertim *ordo* cætera duo complectitur. Ut cum Bernardus ita scribit : « Ordo modum tribuit, et decorum, etiam et perpetuitatem [7]. » Quo spectare videtur illa ordinis definitio apud Augustinum : « Ordo est per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit [8]. » Idipsum enim de modo etiam, et specie potest usurpari, adeoque *de numero, pondere, et mensura* [9], in quibus disponere Deus omnia dicitur.

Sic etiam Gregorius Nazianzenus in oratione, quam inscribit περὶ τῆς ἐν διαλέξεσιν εὐταξίας, *de Ordinis convenientia in disputatione servanda* [10], sub nomine εὐταξίας, modum, ordinemque disputandi cum quadam specie ac decore comprehendit, quam *moderationem* Latini, Cicero *modestiam* late sumpta voce nominat, in primo *de Officiis*, ubi quædam dicit, quæ non sunt ab eo, quod modo agimus, aliena. « Deinceps, inquit, de ordine rerum, et temporum opportunitate dicendum est. Hæc autem scientia continet eam, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest, sed illa est εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conservatio. Itaque ut eamdem nos modestiam appellemus; sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum. Itaque videtur eadem vis ordinis, et collocationis fore. Nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis, et accommodatis locis; locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt; tempus autem actionis opportunum Græce εὐκαιρια, Latine appellatur occasio. Sic fit, ut modestia hæc quam interpretamur ita, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. » Ac paulo post : « Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se, et convenientia. Turpe est enim, valdeque vitiosum in re severa, convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre sermonem. » Quibus in omnibus non ordo tantum qui dicitur, sed etiam modus ac decor inest; eaque tria opportunitate, id est congruitate, ac convenientia constant, in qua boni esse sitam rationem volumus.

XII. Atque etiam Gregorius Nazianzenus omnes istas boni sive partes, sive proprietates in una illa sua εὐταξίᾳ comprehendit, cum ad eam moderationem, ordinisque convenientiam adhibendam hortatur exemplo universitatis hujus, quæ κόσμος a Græcis ideo dicitur, ejusque partium, quæ cœlo ac terra continentur. « Respicite, inquit, in cœlum sursum, et in

a Philo *Cosmop*. Τάξις δ' ἀκολουθία, καὶ εἱρμός ἐστι προηγουμένων τινῶν, καὶ ἑπομένων, εἰ καὶ μὴ τοῖς ἀποτελέσμασιν, ἀλλά τοι ταῖς τεκταινομένων ἐπινοίαις.

1 Lib. de *Nat. boni*, c. XLI. — 2 Lib. I *de Ord.* c. VI et VII. Ibid. c. VII. — 3 Aug. lib. XII *de Civ.* c. XIII. — 4 Bern. Ser. III. — 5 Aug. lib. XXI *de Civ. Dei*, c. XVI. — 6 Id. lib. XII *de Civ.*, c. II. — 7 Bern. Ser. XLIX in *Cant.* — 8 Lib. I *de Ord.* c. X. — 9 *Sap.* XI, 21. — 10 Orat. XXVI.

terram deorsum, atque animadvertite, quo pacto tota hæc rerum moles constructa, et coagmentata fuerit, unde originem habuerit, quid ante exornationem erat, et quo jam nomine universum appelletur. Ordine omnia concinnata, et distincta sunt, et qui concinnavit Verbum est. Quanquam ut sunt unum omnia, sic produci simul poterant. Nam qui ea, quæ non erant, esse fecit, effectisque formam ac figuras dedit, idem profecto non sic imbecillus erat, ut non simul omnia in lucem edere, et exornare posset. Verum idcirco aliud primum, aliud secundum numeratur, et tertium, ac sic deinceps, ut simul cum rebus creatis ordo statim ingrediatur. Ordo itaque omnia constituit, et colligavit. Ordo cœlestia, et terrena continet. Ordo in his quæ intelligentia percipiuntur : ordo in iis quæ sensu capiuntur : ordo in Angelis[a], etc.» Ac deinde : « Atque ordine quidem dominante, mundus est hoc totum, et pulchritudo certa et stabilis. Contra autem perturbatio, et confusio in aere quidem fulmina , in terra motus, in mari inundationes, in civitatibus domisque bella, in corporibus ægritudines, in animis peccata procreavit[b]. » Sic ad convenientiam partium, ex quibus componitur hoc universum, illius εὐταξία, hoc est modus, species, sive pulchritudo, atque apta collocatio, qui est ordo, redigitur.

XIII. Plato in *Philebo* sub libri finem, voluptate ab bonorum serie rejecta, primo in eorum gradu collocat « mensuram, et id quod moderatum, opportunumque dicitur[c].» In secundo, « commensuratum, et pulchrum, perfectum, atque sufficiens. » Ut appareat in quadam convenientia bonum ex illius opinione consistere.

Ita Euryphamus Pythagoreus summum hominis bonum, sive felicitatem tribus rebus absolvi asserit. «Quemadmodum lyra totidem istis opus habet, apparatu, compositione, et pulsu musico. Apparatus est propriarum partium omnium copia, ut chordarum, et ad pulsum, ac sonum pertinentium organorum. Compositio vero sonorum inter se temperatio. Pulsus musicus est horum motio secundum temperationem. Sic hominum vita tria illa desiderat. Apparatus quidem est vitæ partium complementum. Porro vitæ partes sunt corporis bona, nec non pecuniæ, gloria et amici. Compositio vero est illorum ex virtutis legumque præscriptis temperatio[d].» Etiam illa tria quamdam præ se congruentiam ferunt, e quibus ἡ ἐξάρτυσις, id est, *apparatus*, et quasi materia duobus subjecta reliquis ei respondet, quod est Augustino species. Compositio, quam συναρμογὰν appellat, modi instar est. Nam et inde *modi musici* nominantur, qui ex certa disparium sonorum temperatione fiunt. Pulsatio fidium, et tractatio ex arte citharæ, ordinem, dispositionemque refert, quia una post aliam chorda, vel cum alia mota sonitum reddit.

XIV. Sunt et alia tria, quibus omnia Dei opera constare Scriptura prodit. « *Omnia*, inquit, *in mensura, et numero, et pondere disposuisti*[e]. » Quæ cum superioribus tribus

a Naz. orat. xxvi. Ἐμβλέψατε εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ εἰς τὴν γῆν κάτω, καὶ ἐννοήσατε πῶς συνέστη τὸ πᾶν, καὶ ὅθεν, καὶ τί πρὸ τῆς διακοσμήσεως ἦν, καὶ τί νῦν ὄνομα τῷ παντί. τάξει τὰ πάντα διεκοσμήθη, καὶ ὁ διακοσμήσας λόγος· καί τοί γε ὡς ἓν τὰ πάντα, καὶ ἀθρόως ὑποστῆναι δυνατὸν ἦν. ὁ γὰρ τοῖς οὐκ οὖσι τὸ εἶναι δοὺς, καὶ τοῖς γενομένοις τὰς ἰδέας, καὶ τὰ σχήματα, οὐδ' ὁμοῦ τὸ πᾶν ἀναδεῖξαι, καὶ διακοσμῆσαι ἀσθενὴς ἦν. ἀλλὰ διὰ τοῦτο πρῶτόν τι, καὶ δεύτερον ἀριθμεῖται, καὶ τρίτον, καὶ τὰ ἑξῆς, ἵνα τάξις εὐθὺς συνεισέλθῃ τοῖς κτίσμασι. τάξις οὖν τὸ πᾶν συνεστήσατο, τάξις συνέχει καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰ ἐπίγεια, τάξις, νοητοῖς, τάξις ἐν αἰσθητοῖς, τάξις ἐν ἀγγέλοις.

b Ibid. Καὶ τάξεως μὲν ἐπικρατούσης κόσμος τὸ πᾶν, καὶ τὸ κάλλος ἀκίνητον, ἀταξία δὲ, καὶ ἀκοσμία ἐν μὲν ἀέρι τοὺς σκηπτοὺς, ἐν δὲ γῇ τοὺς σεισμοὺς, ἐν δὲ θαλάσσῃ τὰς ἐπικλύσεις, ἐν δὲ πόλεσι, καὶ οἴκοις πολέμους, ἐν δὲ τοῖς σώμασι τὰς ἀῤῥωστίας, ἐν δὲ ταῖς ψυχαῖς τὰς ἁμαρτίας ἐκαινοτόμησε.

c Plato in *Philebo*. Ἀλλὰ πρῶτον μέν πη περὶ μέτρον, καὶ τὸ μέτριον, καὶ καίριον, καὶ πάντα ὁπόσα τοιαῦτα χρὴ νομίζειν τὴν ἀΐδιον εἰρῆσθαι φύσιν, etc. Δεύτερον μὴν περὶ τὸ σύμμετρον, καὶ καλὸν τὸ τέλεον, καὶ ἱκανὸν, etc.

d Euryphamus in *Fragm. Pythag*. Λύρα τε γὰρ πᾶσα χρῄζει τριῶν τούτων τυχὲν, ἐξαρτύσιος, συναρμογᾶς, ἐπαφᾶς τινος μουσικᾶς. ἐξάρτυσις μὲν οὖν ἐντὶ ἁ τῶν οἰκήων μερέων τῶ σώματος παρασκευὰ πάντων· λέγω δὲ τῶν χορδῶν, καὶ τῶν ὀργάνων τῶν ποτ' εὐφωνίαν, καὶ πληγὴν ἐπισυνεργούντων. συναρμογὰ δὲ ἁ ποτ' ἀλλήλως σύγκρασις των φθόγγων· ἐπαφὰ δὲ μουσικὰ, ἁ κατὰ συναρμογὰν κίνησις ἤδη τούτων. οὕτως οὖν καὶ βίος ἀνθρώπων, χρῄζει τριῶν τούτων, τυχὲν, ἐξάρτυσις μὲν, ἁ τῶν τῶ βίω μερέων ἐντὶ συμπλάρωσις· βίω δὲ μέρεα, τά τε σώματος ἀγαθὰ, καὶ τὰ τῶν χρημάτων, καὶ τὰ τᾶς δόξας, καὶ τὰ τῶν φίλων. συναρμογὰ δὲ ἁ κατ' ἀρετὰν καὶ νόμως τούτων σύγκρασις, etc.

e *Sap*. xi, 21. Πάντα μέτρῳ, καὶ ἀριθμῷ, καὶ σταθμῷ διέταξας.

comparat sanctus Thomas, et mensuram respondere ait modo, numerum speciei[1]. *Est* enim *definitio*, quæ speciem, id est naturam explicat, *numerus quidam*, ut Aristoteli placet[a]. Denique pondus cum ordine componit; quia res ad finem actionemque suam velut pondere quodam trahitur, ac dirigitur, in quo ordo spectatur. Disputat de his tribus postremis latius Augustinus in quarto libro *de Genesi ad litteram*[2], et quemadmodum in Deo, et ejus operibus constent explicat. Verum simplicius illa ex undecimo Sapientiæ tria intelligenda puto, et ab architectura, fabricationeque operum esse translata, quæ ad mensuram, numerum, et pondus exigi solent; sive ab humanis commerciis, ac negotiationibus, quæ tribus illis administrantur, et ad unum de tribus prioribus *modum* omnia reducuntur, ut indicat Augustinus libro *de Natura boni adversus Manichæos*, capite XXI. Itaque supervacuus labor est, quemadmodum tria ista tribus aliis respondeant anxie quærere.

Facit tamen ad rem nostram, quod Augustinus in libro illo quarto *Geneseos*, tria illa qualiacumque, numerum, pondus, atque mensuram bifariam usurpari dicit : vel quatenus in Deo sunt, sive Deus illa est ipsa[3] : vel ut in Dei operibus cernuntur[4]. Quod certe considerandum eo magis est, an tribus in superioribus locum habeat, quod ex his bonum constare docuimus. Est autem non solum bonus Deus, sed ipsamet bonitas. Quare modus in eo, species, et ordo collocanda videntur. Sed quinam potest? « Deus enim habere modum dicendus non est, ait Augustinus, ne finis ejus dici putetur[5]. » Verum ludicra sit nominis hæc ambiguitas; quæ porro trium istorum ratio in infinita, nullisque circumscripta terminis substantia. Nihilominus et hæc tria bifariam de illa dici nihil prohibet. Primum ut in seipso consideratur : atque hoc pacto *summum modum* appellari Deum posse censet Augustinus, « si tamen in eo, quod dicimus summum modum, intelligamus summum bonum. Omnis enim modus, in quantum modus est, bonus est[6]. » Quinctiam modus est aliquis in Deo, sive existendi, isque triplex; sive substantiæ, quæ neque nimium aliquid habet, ac redundans, neque deficiens a pleno atque perfecto. Ibidem est et ordo per originis gradus ab unitate progrediens ad ternarium, ut Græcis familiare est loqui. Species item inest, formave, quam εἶδος Græci, vel μορφὴν nominant, Deoque Scriptura tribuit : ut Apostolus, *Qui cum in forma Dei esset*[7], etc. « Cum præsertim Deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat, » ait in primo *de Natura Deorum*, Cicero. Deinde propter efficientiam, atque ut ad opera sua, creatasque res comparatur Deus, tria illa continere dicitur : quoniam hæc ipsa in omnibus, quæ facit, exprimit; et ideo quadam eminentia tum naturæ, tum potestatis amplectitur.

CAPUT II.

De duplici genere boni, quorum unum est summum; alterum participatio summi. Esse aliquod summum probatur, idque esse Deum, in quem summi boni proprietates cadere singillatim ostenditur. Proprietates autem istæ vel summo bono secundum se, et absolute conveniunt; vel ut ad opera sua effectaque refertur. De priori genere hoc in capite agitur : velut est, esse οὐσιωδῶς bonum, non ex accidenti qualitate : a seipso bonum esse, non ab alio; esse immutabile : esse unum, non multiplex. *Substantialiter.*

Quemadmodum τοῦ ὄντος, quod *ens* nostri necessario nominant, ita *boni* est intelligentia duplex, humanis propemodum innata sensibus. Nam et sunt omnia, quæ τοῦ ὄντος aliqua particula censentur, et est ille singulari modo, « qui vere est quod est, et non mutatur : cui maxime convenit illud, quod Græci dicunt *On*, Latini *ens*, quod semper idem ipse est, et anni ejus non deficiunt[8], » ut ait Augustinus. Sic est bonum aliud commune, ac mediocre, quidquid a Deo creatum est et aura aliqua illius bonitatis afflatum : aliud summum, quod hoc capite quæritur. Utrumque hoc *boni* genus intellexere philosophi, maxime Platonici, quorum princeps in sexto *de Republica*, bonum aliud per se, et absolute dictum statuit, quod τἀγαθὸν simpliciter dicitur[b] : aliud

a Aristot. lib. VIII *Metaph.* cap. III. Ὅ, τε γὰρ ὁρισμὸς ἀριθμός τις.

b Plato, paulo ante finem lib. VI *de Rep.* Αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι, (πλέον γάρ μοι φαίνεται, ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ὁρμὴν ἐφικέσθαι τοῦ γε δοκοῦντος ἐμοὶ τανῦν) ὃς δὲ ἔκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται, καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ λέγειν ἐθέλω, etc.

1 S. Th. in I. p. qu. V. art. 5. — 2 Cap. III et seq. — 3 Aug. lib. IV *de Gen.* c. III. — 4 Ib. c. V. — 5 Lib. *de Nat. boni*, c. XXII. — 6 Ib. XXII. — 7 *Philip.* II. 6. — 8 August. *Medit.* c. XXIX.

quod vocat boni sobolem, et illius simillimum. Imo vero bonum illic triplex constituit, uti fuse in *Commentario* Proclus exponit. Primum est, « quod non participatum, et supersubstantivum vocat : secundum quod non participatum est, et est substantivum : tertium quod participatum est[a]. » Primum est Deus supra omnem substantiam positus : secundum est idea ipsa boni, quæ substantia quædam est æterna, et quæ nullum participans ab omnibus participatur : tertium est, habitus ipse bonitatis in nobis velut in subjecto insidens. Alcinous vero in septimo capite duo tantum genera bonorum Platonica numerat ; quorum prius summum et præstantissimum appellat, « quodque nec invenire facile sit, neque cum invenerimus, in omnes efferre sit tutum[b]. » Posterius « est nostrum, quod in scientia et contemplatione versatur primi boni. » Verum hoc posterius idem est, ac felicitas hominum, et a bono illo, quod est proprietas quædam *Entis.* τοῦ ὄντος ac *transcendens* in scholis vocatur, discrepat. De posteriore illo loquitur apud Platonem Socrates, dum τὸ ἀγαθὸν, id est *bonum* ab οὐσίᾳ, sive ab *ente* differre probat, quia non est idem *esse*, et *bene esse*, ut idem Proclus refert.

II. Nos ut antiquius illud et metaphysicæ tractationis proprium expendamus bonum, bifariam id cum Christianis theologis partimur, quibus et Plato ipse suffragatur, et Platonici ; imprimisque Philo, Plotinus, et alii, quos subinde, uti res feret, appellabimus. Aliud est igitur τὸ ἄκρως ἀγαθὸν, ut ait Gregorius Nazianzenus[c], hoc est *summe bonum*, sive *supremum*, qui est solus Deus ; de quo Christus, *Nemo bonus*, inquit, *nisi solus Deus*[1]. Aliud est secundi ordinis bonum, et « quasi derivatio quædam ac libatio summi, » quo creata omnia perfusa sunt. Quemadmodum autem hæc inter se ambo differant, postea dicetur. Nunc esse aliquod summum, eo genere argumenti demonstrandum est, quod Ethicorum Nicomacheorum initio Aristoteles affert, ejus simillimum, quo summum esse rerum omnium efficiens principium theologi probant, ac philosophi, nosque usi sumus in capite primo libri primi hujus operis. Ut enim principem aliquam causam, et ultimam esse rerum omnium inde concludimus, quod in una aliqua mens nostra consistere debet, dum illarum causas efficientes inquirit, ne si nulla prima sit, ne ulla quidem sit omnino ; quoniam in infinitum progredi nequit aliarum ex aliis causarum contexta series. Sic in ejus causæ, quam finalem vocant, genere, esse ultimum aliquid oportet, in quo, velut in *acervo Chrysippeo*, sistat animus noster ; quod sit communis omnium finis, ac generale quoddam bonum, in quod fines omnes, bonaque omnia particularia refundentur, quorum appetitione unumquodque ad agendum excitatur, et allicitur. Igitur, « Si est finis ullus agendarum rerum, inquit Aristoteles, quem propter ipsum, et propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus, (in infinitum enim ita fieret progressus, vanusque et inanis appetitus noster esset) perspicuum est eum summum bonum, atque optimum futurum[d]. »

III. Atque hæc summi boni constituendi ratio cum illa *boni* definitione connexa est, quam ex communi sensu, et opinione confecta supra commemoravi, ut sit bonum, *id quod omnia appetunt*. Sed cum ea sit a nobis, non ut falsa, rejecta, sed ut non exacta satis, meliore mutata definitione ; licet ex altera, quam huic anteponimus, quæque bonum id esse dicit, quod est congruens, et aptum, de summo bono concludere. Ut enim ex iis, quæ sunt, et essentia constant, ac dicuntur *entia*, quod partem aliquam universi absolutique τοῦ ὄντος, id est *entis*, vel τῆς ὀντότητος, id est *entitatis* obtinent, et communis alicujus participatione talia sunt ; colligimus esse summum aliquod ens, quod per unamquamque rerum speciem dispersas, ac dissipatas totius

Esse aliquod summum bonum probatur, idque esse Deum.

a Proclus in lib. *de Repub.* Τὸ μὲν ἀμέθεκτον καὶ ὑπερούσιον· τὸ δὲ οὐσιῶδες ἀμέθεκτον· τὸ δὲ μεθεκτὸν, τοιοῦτον γὰρ τὸ ἐν ἡμῖν· οὐσιῶδες δὲ τὸ εἰδητικόν· ὑπερούσιον δὲ τὸ οὐσίας ἐπέκεινα ῥηθέν. εἰ δὲ βούλει τὸ μὲν ὡς ἕξιν λαβὼν ἐν ὑποκειμένῳ οὖσαν, τὸ δὲ ὡς οὐσίαν, καὶ ὡς μέρος οὐσίας, οἷον εἶδος· τὸ δὲ μήθ' ὡς ἕξιν, μήθ' ὡς μέρος.

b Alcin. cap. xxviii. Τὸ μὲν δὴ τιμιώτατον, καὶ μέγιστον ἀγαθὸν οὔτε εὑρεῖν ᾤετο εἶναι ῥᾴδιον, οὔτε εὑρόντας ἀσφαλὲς εἰς πάντας ἐκφέρειν, etc. τὸ μέν τοι ἡμέτερον ἀγαθὸν ἐτίθετο ἐν τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ θεωρίᾳ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ.

c Nazian. Orat. xxxvi. Τὸ γὰρ ἄκρως ἀγαθὸν φησὶν, μόνου θεοῦ, κἂν τοῦτο καὶ ἄνθρωπος ὀνομάζηται.

Ibid. Ἐφ' οὓς ἡ ἀπόῤῥοια τοῦ πρώτου καλοῦ καὶ κατὰ δεύτερον λόγον ἔφθασε.

d Arist. lib. I *Eth.* cap. i. Εἰ δή τι τέλος ἐστὶ τῶν πρακτῶν, ὃ δι' αὐτὸ βουλόμεθα, τὰ ἄλλα δὲ διὰ τοῦτο, καὶ μὴ πάντα δι' ἕτερον αἱρούμεθα (πρόεισι γὰρ οὕτω γ' εἰς ἄπειρον, ὥστ' εἶναι κενὴν, καὶ ματαίαν τὴν ὄρεξιν) δῆλον ὡς τοῦτ' ἂν εἴη τἀγαθὸν, καὶ τὸ ἄριστον.

1 *Luc.* xviii, 19.

generis rationes, formasque τοῦ ὄντος amplectitur, ipsumque per se est ejusmodi, ac nullius particeps. Sic dum hæc et illa, quæ sunt in rerum natura infinita, non omnibus omnia, sed certa cuique, apta et convenientia, hoc est bona, esse cernimus : intelligimus profecto, summum quoddam esse bonum, quod bonitatis notionem exhaurit omnem, ipsumque non alterius participatione, sed per se bonum est; a quo ut bona sint, quæ talia sunt reliqua consequuntur. Hoc autem esse Deum, non prius Christianæ fidei, quam naturæ sensus, ac testimonium admonet. « Bonum hoc et bonum illud, ait Augustinus[1]. Tolle hoc et illud, et vide ipsum bonum, si potes : ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni, etc. Sic amandus est Deus, non hoc et illud bonum, sed ipsum bonum. » Ac paucis interpositis : « Cum itaque audis bonum hoc, et bonum illud, quæ possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis, quæ participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cujus participatione bona sunt : simul enim et ipsum intelligis, cum audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris, illis detractis per seipsum perspicere bonum, perspexeris Deum. » Et in *Enarratione Psal.* XXVI : « Quale bonum? Omnis boni bonum, unde omne bonum, cui non addatur quid sit ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, et bonus ager, et bona domus, et bonum animal, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima. Adjunxisti quoties dixisti, bonum est. Bonum simplex ipsum bonum, quo cuncta sunt bona, ipsum bonum, ex quo cuncta sunt bona. » Tum in primo libro *de Doctrina christiana*, capite VII : « Deum ab his etiam, qui alios et suspicantur, et vocant, et colunt Deos, sive in cœlo, sive in terra, ita cogitari ait, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius, illa cogitatio conetur attingere, etc. Nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid ést. » Est ergo summum bonum Deus : id quod via et ordine constituetur, si quæ summi boni sunt propria et cum ejus natura, conditioneque juncta, singillatim recensentes, ea soli inesse Deo monstremus.

IV. Cum autem duplex sit consideratio summi boni : aut enim per sese absoluteque spectatur : aut ad ea comparatur, quæ ipsius communicatione bona sunt; duplex genus est propriarum illius affectionum, quod utrumque in Deo reperiri necesse est. Prioris generis dos est imprimis illa, quam et summi appellatio ipsa continet, nulla ut ab eo species absit bonitatis, et ut quæque tam sit perfecta, ut esse nulla magis, ac ne cogitari quidem possit. Nam si melius intelligi potest aliquid, erit summo majus quippiam : quod vel absonum est dictu.

Hinc altera proprietas sequitur, ut non accessione alterius bonum id sit, sed substantive, quod οὐσιωδῶς a Græcis vocatur. Hierocles philosophus in *Commentariis ad aurea carmina Pythagoræ*, « Non habet, inquit, adventitiam bonitatem, sed per se substantiatam[a], » ut sic loquar. « Bonus natura Deus solus ait Tertullianus in secundo *contra Marcionem*, capite sexto. Qui enim quod est, sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura, » etc. Ideo sanctus Leo sermone secundo *de Nativitate*, « Deus omnipotens, inquit, et clemens, cujus natura bonitas, » etc. Quod pulchre Boetius non tantum pronuntiat[2], sed etiam argumentatione persuadet : « Ne hunc, inquit, rerum omnium patrem illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit, eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed ratione diversum, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud, a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summo bono diversum est sui natura, id summum non est, quod nefas est de eo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere. Quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum verissima ratione concluserim. » Hic non solum re non differre summam bonitatem ab eo, quod summum bonum dicitur, affirmat, sed ne ratione quidem, quam ἐπίνοιαν Græci vocant. Atqui contra res habet; nam ἐπινοίᾳ et inter se, et ab natura

a Hierocl. Οὐκ ἐπίκτητον ἔχει ἀγαθότητα, ἀλλ' οὐσιωμένην καθ' αὐτήν.

1 Aug. lib. VIII *de Trinit.* c. III. — 2 Pros. x, lib. III.

differunt proprietates Dei : quia unum sine altero cogitari, et intelligi potest a nobis. Verum animadvertere debes, quod alibi docuimus, ἐπινοίας differentiam, quam *rationis* vocant philosophi, latius patere, ut interdum de iis dicatur, quæ natura quidem, ac reipsa quoque distant, sed separatim non existunt; ut cum personæ tres ἐπινοίᾳ, et *ratione* differre dicuntur, aut naturæ duæ Christi. Quare Boetius, cum ratione discrepare negat bonitatem summam ab summe bona substantia, de naturæ discrimine loquitur, quo forma quælibet differt ab ea re, quam afficit, et informat; non autem de minima illa differentia, quæ in re nulla, in nostra cogitatione tota consistit.

Substantialiter. V. Origenes in sexto libro *contra Celsum*, « bonum illud, quod οὐσιωδῶς est, ab eo multum differre ait, quod accidentem, et adventitiam habet bonitatem [a]. » Quæ vis porro sit ejus, quod οὐσιωδῶς bonum appellant, erudite Plotinus exponit in libro quinto Enneadis quintæ, capite XIII, ubi τἀγαθὸν, quod est ipsum bonum, sive bonitas ipsa, vel summa bonitas, summumve bonum, nihil præter bonum esse demonstrat, hoc est ejus essentiam sola constare bonitate. « Quum vero Deus, inquit, sit ipsum bonum, non autem bonus, oportet ipsum nihil prorsus in se habere, quando nec bonum habet. Nam si quid habeat, aut bonum habebit, aut non bonum. At neque in eo, quod proprie, ac primo bonum est, inest non bonum : neque bonum habet bonum. Si ergo neque non bonum, neque bonum habet, nihil habet. Si nihil habet, solum, et desertum est ab omnibus. Quamobrem, cum cætera vel bona sint, non autem ipsum bonum, vel non bona sint; neutrum vero habeat istorum nihil habens, eo ipso bonum est, quod nihil habet. Quod si quis ei quippiam adjiciat, sive substantiam, sive mentem, sive pulchrum, hac illi adjectione detrahit hoc, quod est, summum bonum [b]. »

Ejusmodi est ergo Deus, qui eo, « quod ipsum bonum, ac summum est, tanquam substantivum bonum, ait Dionysius, in omnia quæ sunt, bonitatem diffundit [c]. »

Quem ad locum Maximus adnotat, « Deum bonum habere non ex accidenti, velut qualitatem aliquam, sicut nos virtutes habemus; sed ipsam esse boni substantiam [d]. »

Clemens item Alexandrinus, « Bonum, inquit, esse dicitur, non eo quod virtutem habeat, quatenus justitia quoque bonum esse dicitur, non quod habeat virtutem, ipsa enim est virtus, sed quod ipsa ex se, et per se bona sit [e]. »

VI. Sed multum interest inter bona illa, quæ per se bona dicuntur, ac propter se expetenda, quia formæ sunt accidentes, quæ communicatione sui bona efficiunt alia; et bonum illud, sive bonitatem summam, de qua hic agimus; tametsi in eo conveniunt, quod utraque non aliena ope, et qualitate, sed suapte natura, conditioneque sunt honesta, suique gratia expetuntur. Verum cætera angusta sunt, et uno genere boni definita, vel honesti. Summum autem, tum omnes bonitatis formas in se complectitur, tum easdem infinite perfectas. Itaque Deus « vere ac sincere bona res est, et secundum substantiam [f], ut ait Cyrillus Alexandrinus; cætera participatione bona sunt, et qualitate quadam, si de excellentissimo genere bonitatis loquimur, in quo, ut idem ait, nostræ cum Deo similitudinis summa consistit. « Aliud est bonum, ait Augustinus, quod summe ac per se bonum est, et non participatione alicujus boni, sed propria natura, et essentia : aliud quod participando bonum, et habendo ; habet autem de

a ORIGEN. *cont. Cels.* lib. VI. Οὐ γὰρ οἷόν τ' ἦν ὁμοίως εἶναι τῷ οὐσιωδῶς ἀγαθῷ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, καὶ ἐξ ἐπιγεννήματος ἀγαθόν.

b PLOT. *Enn.* V, lib. V, cap. XIII. Ἔδει δὲ καὶ τἀγαθὸν αὐτὸν ὄντα, καὶ μὴ ἀγαθὸν, μὴ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ μηδὲν, ἐπεὶ μηδὲ ἀγαθόν. ὃ γὰρ ἕξει, ἢ ἀγαθὸν ἔχει, ἢ οὐκ ἀγαθόν. ἀλλ' οὔτε ἐν τῷ ἀγαθῷ τῷ κυρίως, καὶ πρώτῳ ἀγαθῷ, τὸ μὴ ἀγαθὸν, οὔτε τὸ ἀγαθὸν ἔχει τὸ ἀγαθόν. εἰ οὖν μήτε τὸ οὐκ ἀγαθὸν, μήτε τὸ ἀγαθὸν ἔχει, οὐδὲν ἔχει. εἰ οὐδὲν ἔχει, μόνον, καὶ ἔρημον τῶν ἄλλων ἐστίν. εἰ οὖν τὰ ἄλλα ἢ ἀγαθά ἐστι, καὶ οὐ τἀγαθὸν, ἢ οὐκ ἀγαθά ἐστιν, οὐδέτερα δὲ τούτων ἔχει, οὐδὲν ἔχον, τῷ μηδὲν ἔχειν, ἔστι τὸ ἀγαθόν. εἰ δ' ἄρα τις ὁ, τι οὖν αὐτῷ προστίθησιν, ἢ οὐσίαν, ἢ νοῦν, ἢ καλὸν, τῇ προσθήκῃ ἀφαιρεῖται αὐτοῦ τἀγαθὸν εἶναι.

c DION. cap. IV *de Divin. nom.* Καὶ ὅτι τῷ εἶναι τὸ ἀγαθὸν, ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν, εἰς πάντα τὰ ὄντα διατείνει τὴν ἀγαθότητα.

d MAXIM. Ὅτι ὁ θεὸς τὸ ἀγαθὸν οὐ συμβεβηκότως ἔχει, καθάπερ τινὰ ποιότητα, ὡς ἡμεῖς τὰς ἀρετάς· ἀλλ' οὐσία τοῦ ἀγαθοῦ αὐτὸς ὁ θεὸς ὑπάρχων, etc. PACHYMERES ad eumdem locum : ὅτι οὐκ ἐπίκτητον, καὶ συμβεβηκὸς ἔχει τὸ ἀγαθὸν ὁ θεός. ὥστε ἄλλο τι ὂν, ἐπισύμβαμα ἔχειν τὸ ἀγαθὸν, ἀλλ' οὐσία τοῦ ἀγαθοῦ αὐτὸς ὑπάρχων.

e CLEM. ALEX. lib. I *Pædag.* cap. VIII. Τὸ δὲ ἀγαθὸν εἶναι, οὐ τῷ τὴν ἀρετὴν ἔχειν ἀγαθὸν εἶναι λέγεται· καθὸ καὶ ἡ δικαιοσύνη ἀγαθὸν εἶναι λέγεται, οὐ τῷ ἀρετὴν ἔχειν, ἀρετὴ γάρ ἐστιν αὐτὴ, ἀλλὰ τῷ αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ δι' αὑτὴν ἀγαθὴν εἶναι.

f CYRIL. ALEX. dial. I *de Trin.* Χρῆμα γὰρ ἀγαθὸν ἀπαραποιήτως τε καὶ οὐσιωδῶς τὸ θεῖον.

illo summo bono, ut bonum sit, in se tamen manente illo, nihilque amittente [1]. » Ubi de bonitate illa præcipue loquitur, quæ idem est cum honestate, et *moralis* appellari solet. Quæ

Essentialis. Entis. quidem creatis rebus οὐσιώδης non est; sed ea tantum quæ *transcendens* dicitur, et τοῦ ὄντος nativa proprietas est. Hæc enim amitti non potest, nec abest ab re qualibet mala, quamdiu nihil non est. Prior autem illa defectu tollitur, ut idem mox Augustinus ait.

Atque hæc optima ratio est, quare solus Deus summum bonum sit. Nimirum quod omnis amplitudo boni ac perfectio, tam quæ extensione constat, quam quæ secundum intensionem dicitur, inest in uno illo : imo vero quidquid utraque dimensione describi a nobis cogitando potest, id in infinitum Deus excedit : tum sic est in eo, ut ab ipso non differat. Ideo cum boni notione Deus adæquatur, ut « quod divinum est, id bonum sit, et quod bonum, divinum, » ait Ambrosius [2].

VII. Proclus in Commentario ad secundum librum Platonis *de Republica* docet , ab hoc philosopho triplici velut nota et charactere consignari Deum, « bonitate, virtute, et cognition[a];» ac « cognitionis perfectionem esse veritatem : virtutis autem statum illum, qui nihil pati potest [b]. » Deinde bonitatem latius explicans observat, « non simpliciter dixisse Platonem bonum esse Deum, sed revera bonum, cum soleat discernere id quod vere est, ab eo quod vere non est, eo ipso, quod illud sincerum, et nulli admistum contrario conservet : hoc vero repletum jam deteriore dicat. Vitam enim revera dictam vocat, et mentem, atque pulchritudinem veram, quibus nihil inest eorum, quæ sunt opposita, nempe non vitæ, non mentis, et turpitudinis. Horum autem quodlibet non vere esse, cui ex deterioribus aliquid est admistum. Deus igitur omnis vere bonus est, secundum bonum substantiatus, habensque non acquisitum, neque habitus instar bonum. Quod enim vere bonum est, non reipsa boni particeps fuit. Igitur hanc extantiam Deus bonus habet, qua Deus est : ita ut non sit aliud quippiam, deinde bonus sit ; sed ipse per se bonus, tanquam ipsum bonum [c]. »

Denique « ipse in semetipso est, ait Bernardus, quidquid in eo amabile est, qui est totum quod est ; si tamen totum est, ubi pars non est [3]. »

Inest hoc præterea in summo bono, ut ab alio nihil accipiat, nec ab eo pendeat, sed sufficiat ipsum sibi; quod tripliciter intelligitur, pro causæ genere triplici, forma, efficiente, atque fine. Ac de forma paulo antea dixi. Deum per se citra qualitatem ullam esse bonum. Idem et de causis cæteris judicium esse debet, ut nec ab ullo participatam, et effectam accipiat bonitatem, nec alterius agat gratia, velut finis. Hoc enim utrumque implicatum est cum notione summi. Nam sive anterius aliquid esset, a quo bonum fieret, hoc summum potius, quam illud, esset : sive in aliud, et a seipso diversum intueretur cum agit, id utique non modo bonum esset, sed etiam præstantius bonum ; cum perfectissime sit agentis id, quod perfectissimum est, pro fine propositum habere; infinite autem in agendo perfecti, infinitum ad bonum contendere. Nihil est vero Deo perfectius, neque præter ipsum res est ulla infinita.

VIII. Ad efficientem causam pertinet illud Hilarii, « Non aliunde quod est sumens, sed ad id, quod ita manet, sibi ipse sufficiens [4]. » Et Augustinus, « Nullius, inquit, participatione bonus est, quoniam bonum, quo bonus est, ipse sibi est [5]. » Et in sermone tertio *de Diversis*, « Omnia bona, sed facta bona, et a Deo bona, non a se : Qui fecit hæc super omnia est bonus, quia nullus eum fecit bonum, sed a seipso bonus est. » Rursus in *Enarratione ad Psalmum* CXXXIV: « Omnia enim bona ipse fecit, inquit, ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono. Ille a seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere Deo

a PROCLUS. Τριῶν δὲ εἰρημένων ἐν νόμοις τοὺς θεοὺς χαρακτηρίζειν, ἀγαθότητος, δυνάμεως, γνώσεως, etc.

b Ibid. Τῆς γοῦν γνώσεως ἡ ἀλήθεια τελειότης· τῆς δὲ δυνάμεως ἡ ἀπάθεια.

c Ibid. Οὐ γὰρ ἁπλῶς εἶπεν ὁ θεὸς ἀγαθός· ἀλλ' ὅτι τῷ ὄντι· ἀγαθὸς, εἰωθὼς διαστέλλειν τὸ ὄντως ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντως τῷ ἐκεῖνο μὲν ἄμικτον φυλάττειν πρὸς τὸ ἐναντίον, τοῦτο δὲ λέγειν ἤδη τοῦ χείρονος ἀναπεπλῆσθαι. ζωὴν γὰρ ὄντως καλεῖ, καὶ νοῦν ὄντως, καὶ κάλλος, οἷς μηδὲν ὑπάρχει τῶν ἀντικειμένων, εὐζωΐας (forte ἀζωΐας, vel δυσζωΐας) ἀνοίας, αἴσχους, μὴ ὄντως δὲ ἕκαστον τούτων, οἷς μέμικταί τι τῶν χειρόνων. πᾶς οὖν θεὸς ὄντως ἀγαθὸς, οὐσιωμένος κατὰ τὸ ἀγαθὸν, καὶ οὐκ ἔχων ἐπίκτητον, οὐδ' ὡς ἕξιν τὸ ἀγαθόν. τὸ γὰρ ὄντως ἀγαθὸν οὐ τῷ ὄντι τοῦ ἀγαθοῦ μετέσχεν, καί ταύτην ἄρα τὴν ὕπαρξιν ὁ θεὸς ἀγαθὸς, καθὸ καὶ ἔστι θεὸς, οὐκ ἄλλο τι ὢν, εἶτα ἀγαθὸς, ἀλλὰ αὐτοαγαθὸς, ὥσπερ τὸ πρῶτον αὐτοαγαθόν.

1 Aug. lib. I *de Mor. Man.* c. IV. — 2 Amb. lib. *de Fuga sæc.* c. VI. — 3 Bern. *ad Frat. de monte Dei.* — 4 Hilar. lib. III. — 5 Epist. LIV.

bonum est, qui non eguit, a quo fieret bonus, sed eguerunt illo cætera, ut fierent bona. » Rursus in octavo libro *de Trinitate*, capite III: « Hæc est, inquit, veritas, et simplex bonum. Non enim est aliud aliquid, quam ipsum bonum, ac per hoc etiam summum bonum. Non enim minui, vel augeri bonum potest, nisi quod ex alio bono bonum est. » « Deus nullo indiget bono, ait idem in *Psalmum* LXX, et ipse est summum bonum, et ab ipso est omne bonum. » Item :« Proinde si ille bonus, et summe bonus, et de se sibi bonus, et nullo alieno bono bonus, et ipse nostrum summum bonum, recedendo inde quid eris, nisi malus? »

Gregorius Nyssenus in libro *de Anima et resurrectione*, summum bonum, quod est Deus, in illo triplici causæ genere ab nullo suspensum esse altero, eleganti oratione confirmat. Etenim « Natura nostra, propterea quod boni est egena, inquit, semper ad id, quod deest, rapitur; et ejus, quod deficit, cupiditas, ipse naturæ nostræ concupiscendi affectus est [a], » etc. « At vero natura illa, quæ omnem boni notionem superat, et virtutem excedit omnem, ut quæ nullius egeat illorum, quæ ad bonum pertinere intelliguntur, cum sit ipsa complementum bonorum, neque participatione boni ullius in bono sita sit, sed ipsamet boni sit natura, quodcumque tandem bonum esse mens cogitatione sua describit; ne sperandi quidem motionem in seipsa recipit [b]. »

Hinc Ariani bonum esse Patrem solum asseverabant; Filium, aut Spiritum sanctum negabant; quod ille solus ab nullo ut essentiam, ita bonitatem acceperit, quam ab eo communicatam habent personæ cæteræ. De quo illorum argumento, et boni appellatione dicemus in secundo *de Trinitate* [1].

IX. Nunc Plotini eruditam de hac re disputationem nefas habeo præterire, in qua nonnulla, quæ ad summi boni, ac Dei naturam conditionemque spectant, contemplari licet. Sic enim disserit : « Bonum nihil esse aliud unicuique, quam vitæ actionem naturæ consentaneam; quod si variis ex rebus constet illud, huic bonum esse, ejus, quod in eo præstantius sit, actionem propriam, ac semper naturæ conformem, et nulla parte deficientem. Jam vero si in id intenta, quod optimum est, agat, cum optima sit; non solum ad ipsam comparatum bonum, sed etiam absolute id bonum erit. Quare si quid non propter aliud agit, cum sit eorum, quæ sunt, optimum, et ultra ea, quæ sunt, illius vero causa agunt omnia; perspicuum est id ipsum esse bonum [c]. » Ac paulo post : « Quinetiam illud bonum constituendum est, e quo omnia suspensa sunt, ipsum autem e nullo. Ita enim vera est illa boni definitio, ut sit id, quod omnia appetunt [d]. »

Hac ex Plotini oratione consectarium id est, Deum non esse, habereve δύναμιν ullam, sive *potentiam* agendi, sed ipsum esse ἐντελέχειαν, vel *actum;* quoniam essentia omnis, quæ quidem potentia est, tota in actionem nititur, « ut melius se habeat, ut Marsilius Ficinus adnotat [2]. « Neque hæc igitur quælibet, neque actio est ipsum bonum, cum et non quiescant in seipsis, et in melius agendo proficiant. Melius enim se habet essentia, si agat, quam si non egerit. Neque rursus ipsa ejus actio est ipsum bonum, summusque essentiæ finis; nam ab essentiæ virtute dependet; essentia vero, actioque simul pendet ex bono, cum ideo semper agat, ut melius agendo se habeat, » etc. Hæc Ficinus, et iis plura lectione digna. Quæ tum vera sunt, si actio proprie dicta hic intelligitur. At non intelligitur : sed ἐντελέχεια, ut dixi, quæ vox ipsam Dei naturam merum ac simplicem esse ostendit actum, ut in secundo libro demonstratum est. Hinc igitur evidens est, Deum *Entelechia.*

a Greg. Nyss. lib. *de An. et resur.* Ἀλλ' ἡμῖν μὲν, διὰ τὸ πτωχὴν εἶναι τοῦ καλοῦ, ἡ φύσις ἀεὶ πρὸς τὸ ἐνδέον ἵεται, καὶ ἡ τοῦ λείποντος ἔφεσις αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπιθυμητικὴ τῆς φύσεως ἡμῶν διάθεσις, etc.

b Id. Ἡ δὲ ὑπερέχουσα πᾶσαν ἀγαθὴν ἔννοιαν φύσις, καὶ πάσης ὑπερκειμένη δυνάμεως, ἅτε μηδενὸς ἐνδεῶς ἔχουσα τῶν πρὸς τὸ ἀγαθὸν νοουμένων, αὕτη τῶν ἀγαθῶν οὖσα τὸ πλήρωμα, οὐδὲ κατὰ μετοχὴν καλοῦ τινος ἐν τῷ καλῷ κειμένη, ἀλλ' αὐτὴ οὖσα ἡ τοῦ καλοῦ φύσις, ὅ, τι ποτὲ καὶ εἶναι τὸ καλὸν ὁ νοῦς ὑποτίθεται, οὔτε τὴν ἐλπιστικὴν κίνησιν ἐν ἑαυτῇ δέχεται.

c Plotin. *Enn.* I, lib. VII. cap. I. Ἆρ' ἄν τις ἕτερον εἴποι ἀγαθὸν ἑκάστῳ εἶναι, ἢ τὴν κατὰ φύσιν τῆς ζωῆς ἐνέργειαν; καὶ εἴ τι ἐκ πολλῶν εἴη, τούτῳ εἶναι ἀγαθὸν τὴν τοῦ ἀμείνονος ἐν αὐτῷ ἐνέργειαν, οἰκείαν, καὶ κατὰ φύσιν ἀεὶ, μηδὲν ἐλλείπουσαν. εἰ δὲ καὶ πρὸς τὸ ἄριστον ἐνεργοῖ ἀρίστη οὖσα, οὐ μόνον πρὸς αὐτὴν τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ καὶ ἁπλῶς τοῦτο ἀγαθὸν ἂν εἴη. εἰ οὖν τι μὴ πρὸς ἄλλο ἐνεργεῖ, ἄριστον ὂν τῶν ὄντων, καὶ ἐπέκεινα τῶν ὄντων, πρὸς αὐτὸ δὲ τὰ ἄλλα, δῆλον ὡς τοῦτο ἂν εἴη τὸ ἀγαθόν.

d Ibid. Καὶ γὰρ αὖ τοῦτο δεῖ τἀγαθὸν τίθεσθαι, εἰς ὃ πάντα ἀνήρτηται, αὐτὸ δὲ εἰς μηδέν. οὕτω γὰρ καὶ ἀληθὲς οὗ πάντα ἐφίεται.

1 Cap. IV. — 2 Mars. Fic. in *Summa*, lib. VII, *Enn.* II Plot.

ideo esse summum bonum, quia nullum ad aliud, ceu finem refertur; cumque bonum omne in actione situm sit; sit autem actio, vel actus potius absolute perfectissimus Deus; bonum esse summum, et perfectissimum. Atque hæc summi boni contemplatio ad finis, quæ inest in eo, rationem pertinet.

X. Iisdem ex principiis summi boni dos elucet alia, ut sit immutabile, ac sempiternum; neque decessionem accessionemve recipiat ullam. Hinc Euclides Megaricæ conditor sectæ « id esse summum bonum dixit, quod simile sit, et idem semper, » ut scribit Lactantius. « Intellexit profecto, addit postea, quæ sit natura summi boni, licet id non explicaverit, quid sit. Id est autem immortalitas, nec aliud omnino quidquam; quia sola nec imminui, nec augeri, nec immutari potest [1]. » Etenim nihil est aliud « Dei immortalitas, nisi ejus incommutabilitas. Ideo Deus solus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis est, » ut scribit Isidorus Hispalensis in primo libro *de Summo bono,* capite primo. Et eodem loco : « Summum bonum Deus est, quia incommutabilis est, et corrumpi omnino non potest. Creatura vero bonum, sed non summum est, quia mutabilis est; et dum sit quidem bonum, non tamen esse potest et summum. » Ex simplicitate porro immutabilitas cum essentiæ, ut in secundo libro docuimus, tum bonitatis oritur. « Est itaque bonum solum simplex, ait Augustinus, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia [2]. » Et in duodecimo libro, capite primo, « Ille vero, qui non alio, sed seipso bono beatus est, ideo miser non potest esse, quia non se potest amittere. Dicimus itaque incommutabile bonum non esse, nisi unum verum Deum beatum; ea vero, quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo : verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. » Tum in libro *de Natura boni, contra Manichæos :* « Summum bonum, ait, quo superius non est, Deus est : ac per hoc incommutabile bonum est, et ideo vere æternum, et vere immortale. Cætera omnia bona nonnisi ab illo sunt, sed non de illo. » Fulgentius item in libro *de Fide ad Petrum,* capite tertio. « Qui non solum summe bonus, sed etiam summum, atque incommutabile bonum est, quia æternum bonum est, nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum : nullum habens profectum, quia nullum habet initium. » Accedat his Zacharias Mitylenæus in disputatione *de Mundi opificio ;* cujus verba, ut et aliorum eodem spectantia, jam in secundo libro capite septimo posui, ubi de immutabilitate Dei agitur.

XI. Postremo est illa quoque summi boni proprietas ex antecedentibus confecta, nec non ex iis, quæ de divinitatis unitate primo in libro scripsimus, ut sit *unum*, neque plura esse summa queant. Probat hoc Boetius in prosa decima libri tertii *de Consolatione philosophica.* « Etenim quæ discrepant, inquit, bona, non esse alterum, quod sit alterum, liquet; quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est. Nullo modo igitur quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa. »

Sic Archytas Tarentinus in libro *de Viro bono et beato* apud Stobæum, cum tria bonorum genera numerasset, quorum unum est per se appetendum, ut felicitas ; alterum non propter se, sed alterius gratia, ut sunt quæ utilia dicuntur ; tertium, quod et propter se, et propter alterum expetitur, ut virtus : de primo, quod et summum est, loquitur sic [a] : « Quod igitur suapte causa expetendum est, bonum, non propter alterum, solum est, et unicum. » Cætera bona multiplicia esse docet. « Quæ idcirco vera perfectaque bona non sunt, ait Boetius, quoniam a se invicem discrepant, cumque alteri abesset alterum, plenum absolutumque bonum afferre non possunt. » « Tum autem verum bonum fieri, scribit idem, cum in unam veluti formam, atque efficientiam colliguntur, ut quæ sit (*forte* sibi) sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas, atque jucunditas. Nisi vero unum, atque idem omnia sint, nihil habere, quo inter expetenda numerentur [3]. »

Ex his summi boni proprietatibus evidens est, nihil præter Deum ejusmodi esse posse. Hic enim solus sine ullo modo, mensuraque perfectus est, atque omni caret admistione mali. Solus est id quod est, adeo ut bonitas

a Archytas apud Stob. Serm. I *de Virtute.* Τὸ μὲν ὦν διὰ ταὐτὸ αἱρετὸν, οὐ μὰν δι' ἕτερον, μονῆρες ἀγαθὸν ἕν τι, καὶ ἕν.

1 Lib. III *Instit.* XII. — 2 Aug. lib. XI *de Civit. Dei*, cap. X. — 3 Prosa XI, lib. III.

« ipsa sit ejus exstantia,» quod ait Dionysius, unde ab ea non potest excidere, « alioqui modo esset, modo non esset. »Solus immutabilis, et eodem modo semper habens. Solus ab nullo, neque ut ab forma, neque ut ab efficiente causa, neque ut ab fine pendens.

XII. His accedat erudita Richardi Victorini disputatio, qua summum esse bonum approbat Deum, et rationes pene omnes istas in unam confert. « Ei autem qui vere omnipotens est, ait in libro secundo *de Trinitate*, capite sexto decimo, expetendorum nihil deesse potest. Ubi enim omnipotentia est, nulla plenitudo, nulla perfectio deesse potest. Alioqui si vel aliquid de qualicumque perfectione summe potenti deesset, quam habere non posset, veraciter omnipotens omnino non esset. Universaliter autem perfectum est, cui nulla perfectio deest, sed nec deesse potest. Nihil autem melius, nihil potest esse majus eo, quod est plenum, et perfectum in omnibus. Constat itaque de omnipotente, quod ipse sit summum bonum, et quod consequens est, quod ipse sit sibi suum bonum. Sicut enim superiorem habere non valet, qui supremum locum tenet, sic omnium summus de suo inferiori bonus fieri, vel beari non valet. Quomodo autem aliunde bonus; vel beatus fieri posset, qui a semetipso habet totum, quod habet? Est itaque de semetipso bonus, de semetipso beatus. Ipse ergo sua ipse summa bonitas, ipse sua summa felicitas. Constat itaque quod dictum est, quod ipse sit summum bonum, et quod ipsum sit universaliter perfectum. Quid enim est beatitudo, nisi bonorum omnium plenitudo, atque perfectio? Constat itaque quia bono illi summo, universaliterque perfecto nihil omnino desit, cujus adjectione meliorari possit. »

Postremo de multiplici bonorum genere, eoque quod summum est, legendus Hugo Victorinus libro primo *Miscellaneorum*, titulo primo ; et Richardus Victorinus libro secundo *de Trinitate*, capite XVI, et sequentibus; et ante hos Dionysius capite primo *de Divinis nominibus*, ubi Principis, ac summi boni præconium est divino afflatu plenissimum; tum Eustratius in primum *Ethicorum Nicomacheorum*.

CAPUT III.

De summo bono, qua extra se diffunditur, et ad effecta comparatur; idque per tria, sed maxime duo causarum genera declaratur, finem, et efficientem.

I. Bonitatis, præsertim summæ, ad ea, quæ sunt extra se, comparandæ nulla intelligi potest alia ratio, quam quæ est causæ aliquid conferentis, seseque communicantis, quod idem est ac perficientis. Sive enim bonum est id, quod omnia appetunt; nihil expeti potest, nisi quod conducit appetenti, et adipisci hujus interest. Sive idem bonum est quod perfectum; fit ejus applicatione quidquid illo fruitur, melius ac perfectius. Sive illud est quod aptum et conveniens dicitur; tum cum ad alterum accommodatur, et ad ejus descendit usum, illam boni sibi proprietatem detendit. Cum autem causarum genera sint quatuor, removenda ex iis imprimis est materia, quæ cum egens ex se, et imperfecta sit, tantum ab summo bono abest, quantum ab summo ente, atque perfecto; reliquarum trium causarum quæ forma dicitur, ea videri potest extra conditionem esse summi boni. Sed non est, si illa detrahantur, quæ abhorrent a perfecto, et cum natura creatarum duntaxat formarum implicantur. Velut est, partem esse, et in totius venire compositionem, aut si quid est ejusdemmodi. Quibus remotis, nonnulla formæ ratio summo bono, quod est Deus, tribui poterit. Nam et hominis in Christo tanquam forma quædam est divinitas; ejusque sanctitas, qua non inhærente, sed adhærente, et afficiente, imo etiam quodammodo informante, Christus homo Deus appellatur, et sanctus. Et ipsa Spiritus sancti substantia formæ instar est, qua sancti fiunt, Deique filii homines justi, uti septimus *de Trinitate* liber ostendet, illud autem alterum, cum ad Incarnationis mysterium ventum fuerit, explicabitur.

II. Duæ itaque causæ jam reliquæ sunt, quarum officia summum extra se bonum exercet, finis, et efficiens. Ut a fine ordiar, est id bono omni naturale, atque insitum, ut

a Dion. cap. IV *de Divin. nom.* Εἰ δὲ ἐν Θεῷ τἀγαθὸν ὕπαρξίς ἐστιν, ἔσται ὁ μεταβάλλων ἐκ τἀγαθοῦ Θεὸς ποτὲ μὲν ὤν, ποτὲ δὲ οὐκ ὤν.

sit finis. Est enim *id, quod omnia appetunt.* Nihil autem appetitur, nisi ad hoc, velut finem, moveatur id, quod appetit. Nam illius causa agit aliquid, ut eo potiatur. Quanquam bonum dupliciter dici solet, ut ad *Isagogen* Porphyrii Ammonius adnotavit[a]; aliud enim est finis, nempe quod propter se appetitur, ut sanitas; aliud est, quod alterius gratia quæritur, ut venæ laxatio propter sanitatem : nihilominus dici hoc potest, bonum omne finem esse, non principalem, sed interjectum et proximum, quod *medium* vulgo nominant. Hæc enim ipsa, quæ *media* dicimus, uti boni, ita etiam finis quadam ratione perfusa sunt, cujus obtinendi, ac per eum alterius adipiscendi causa quippiam agitur. Itaque bonum universe, ut sanctus Thomas loquitur, « importat habitudinem causæ finalis. » Verum illa boni descriptio, qua id esse dicitur, « quod omnia appetunt [1], » cum de inferioribus bonis, ac creatis usurpatur, aliter ac de summo intelligitur. In illis enim hanc habet sententiam, ut boni universo genere distributo, hoc ab illo, illud ab alio expetatur, non ut idem et unum res omnes appetant. Quod enim bonum est uni, ab eoque appetitur, id malum est alteri. Nimirum quia quod illi convenit, et ejus naturæ consentaneum est, hoc isti non convenit, sed nocet, ac perniciem affert : de quo capite sequenti agam iterum. At cum de summo bono loquimur, quia universale bonum est, et omnem boni speciem, ac perfectionem includit in sese, vere proprieque definitur, quod ab omnibus appetitur ; quoniam nulla res est, quæ non appetitu quodam feratur in illud bonum, cujus participatione bona sunt omnia, tam illa ipsa boni appetens res, quam quod ei proxime ad appetendum objicitur. « Est enim commune quoddam bonum, ait Eustratius in primum *Ethicorum*, quod omnia expetunt, et propter quod omnia sunt simul tam humiliora, quam sublimiora. Sed quæcumque illi quam proxima sunt, propter illud simpliciter facta sunt, eoque nullo interjecto medio perfruuntur. Atque hoc Deus est, ex quo, et propter quod, et in quo sunt omnia. Quæ autem post illud sunt, subinde habent singula suum, et affine ipsi, ac proximum bonum, per quod interpositum ad illud referuntur [b]. » Ac paulo post observat, Aristotelem prudenter ita scripsisse ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι, hoc est « *bonum aliquod appetere* artem omnem, omnemque methodum : necnon actionem omnem, et electionem [c], » bonum, inquam, aliquod, « quoniam unum est simpliciter, et non participatione aliqua bonum : cæterorum autem unumquodque quadamtenus bonum, tanquam illius particeps, et in compositione aliqua spectatum. Ob id non est simpliciter, sed alicui duntaxat bonum [d]. »

III. Præclare quoque de hoc summo, ac generali bono in sexto *de Republica* Plato, « hoc omnem animam persequi dicit, velut divinantem esse aliquid, dubitantem tamen, nec idoneam satis ad percipiendum quid illud sit tandem, neque fidem, qua uti possit, satis constantem habentem[e]. » Recte, inquam, divinare dicit animam omnem, hoc est, etiam nescientem ad illud bonum tendere, quandoquidem nulla, nisi boni cujuspiam gratia res agit ulla ; eoque ipso ad id, quod universe bonum est, hoc est Deum, nititur, etsi hunc ignoret. Fit autem hoc dupliciter ; primum eo ipso, quod bonum omne particulare, quod unaquæque res sibi in agendo proponit, formam in se boni aliquam habet, e summo derivatam ; adeo ut appetitio ipsa, quæ ad illud trahitur, ad summum illud, et universale contendat, ut jam exposui : deinde quatenus

Omnis anima, etiam nesciens, tendit ad bonum.

a Ammon. Διττόν ἐστι τὸ ἀγαθὸν, τὸ μὲν ὡς τέλος, ὅταν εἴπωμεν ἀγαθὸν τὴν ὑγείαν· τὸ δὲ, ὡς πρὸς τέλος, ὅταν εἴπωμεν τὸ φλεβοτομεῖν ἀγαθὸν, οὐ καθ' αὑτὸ, ἀλλὰ διὰ τὴν ὑγείαν.

b Eustrat. in cap. I lib. I *Ethic.* Ἔστι μὲν γὰρ τὸ κοινὸν ἀγαθὸν, οὗ πάντα ἐφίεται, καὶ δι' ὃ πάντα ἐστὶν ὁμοῦ τά τε ταπεινότερα, τά τε ὑψηλότερα· ἀλλ' ὅσα μέν ἐστιν ἐγγυτάτω ἐκείνου, δι' ἐκεῖνό τε ἁπλῶς γέγονε, κἀκείνου ἀμέσως ἀπολαύει. τοῦτο δέ ἐστιν ὁ Θεὸς, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ δι' ὃ, καὶ εἰς ὅ. ὅσα δὲ (μὴ) μετ' ἐκεῖνο εὐθὺς ἔχει τι ἕκαστον οἰκεῖον αὐτῷ, καὶ προσεχὲς ἀγαθὸν, δι' οὗ μέσου ἀναφέρεται πρὸς ἐκεῖνο.

c Aristot. init. *Ethic.* Πᾶσα τέχνη, καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ καὶ πρᾶξίς τε, καὶ προαίρεσις ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ.

d Eustrat. Τὸ δὲ τινὸς, προσέθηκεν, ὅτι ἓν τὸ ἁπλῶς, καὶ μὴ κατά τινα μετοχὴν ἀγαθόν. τῶν δὲ ἄλλων ἕκαστόν πη ἀγαθὸν, ὡς ἐκείνου μετεσχηκὸς, καὶ ἐν συνθέσει τινὶ θεωρούμενον. διὰ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς, ἀλλά τινι ἀγαθόν.

e Plato, lib. VI *de Repub.* Ὃ δὴ διώκει μὲν ἅπασα ψυχὴ, καὶ τούτου ἕνεκα πάντα πράττει, ἀπομαντευομένη τι εἶναι, ἀποροῦσα δὲ, καὶ οὐκ ἔχουσα λαβεῖν ἱκανῶς τί ποτέ ἐστιν, οὐδὲ πίστει χρήσασθαι μονίμῳ.

1 S. Th. I Par. qu. v, art. 2, ad 1.

summum bonum efficiens est singulorum, et particularium bonorum. Hac enim ratione bonum idem generale, supremumque proprietatem obtinet, definitionemque boni, ut tanquam boni efficiens appetatur: quod in scholis ita concipiunt, ut dicant, rem quamlibet appeti, vel quia *formaliter*, vel quia *efficienter* est bona. Hoc vero posteriore modo summum bonum Deus est, ut et priore; ac tacite, confuseque in iis bonis expetitur, quæ quoquo modo appetentem alliciunt. Quod egregie declaratum est a S. Thoma verbis istis. « Bonum enim aliquid est, ait, secundum quod est appetibile; unumquodque autem appetit suam perfectionem: perfectio autem, et forma effectus, est quædam similitudo agentis, cum omne agens agat sibi simile. Unde ipsum agens est appetibile, et habet rationem boni; hoc enim est, quod de ipso appetitur, ut ejus similitudo participetur. Cum ergo Deus sit prima causa effectiva omnium, manifestum est, quod sibi competit ratio boni, et appetibilis[1]. »

IV. Atque ut in efficientis genere causæ paulum immoremur, sic haberi volumus: summum bonum omnium, quæcumque bona sunt, hoc est, quæ quoquo modo sunt, et *entia* dicuntur, efficiens esse, atque idipsum esse Deum, qui ut solus omnium, quæ sunt, sic eorum, quæ sunt bona, conditor est, atque auctor. In quo asseverando nostri, id est, christiani theologi cum exteris ac gentilibus concordant uno ore profitentes, Dei bonitatem causam esse omnium rerum, sive, ut priores clarius, ac disertius loquuntur, Deum non necessitate ad res procreandas extra se, sed solo nutu bonitatis adductum.

onitas Dei [illegible] [illegible] causa.

Celebre istud est ex *Timæo* Platonis de causa, propter quam mundus est iste productus. « Quæramus igitur, inquit Cicerone interprete, causam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus sit, ut originem rerum, et molitionem novam quæreret; probitate (malim bonitate,) videlicet præstabat: probus autem invidet nemini. Itaque omnia sui similia generavit. Hæc nimirum gignendi mundi causa justissima[a]. »

Sic Aristoteles « non esse divinum numen invidum[b] ait, contra quam Poetæ mentientes dicere solent. » Quem ad locum Asclepius in Commentariis ex Platone adnotat, « Deum propter bonitatem suam omnia procreasse[c]: » cujus descripta superiore ex *Timæo* sententia, concludit sic: « Quinam ergo fons bonitatis potest invidere? » Et Gregorius Nazianzenus: « Procul, inquit, individia est ab divina natura, quæ omni perturbatione caret, solaque bona est, et domina[d]. »

Causa est itaque procreandarum omnium rerum bonitas Dei, sive primi ac summi principii, quod « propter ipsam omnia ad hoc, ut bene sint, producit, ut ait Hierocles. Causa enim molitionis omnium nulla subest alia rationi consentanea, præterquam substantiva bonitas. Erat enim natura bonus. Atqui bono nulla inest unquam ullam ob rem invidia. Nam quæcumque aliæ, præter bonitatem, afferuntur causæ fabricandæ hujus universitatis, humanis affectionibus potius conveniunt, quam Deo[e]. » Itaque « summum bonum est Deus, ut ait Alcinous, quoniam omnibus quantum potest, benefacit, cum sit causa omnis boni[f]. »

V. Sed Philonis Judæi non minus Platonicis, quam Mosaicis disciplinis luculenter eruditi, audienda sunt verba, quæ ad eamdem accommodata sententiam posuit in libro *de Mundi opificio*. « Vis, inquit, efficiens mundi a vero bono, ceu fonte, proficiscitur. Nam si quis velit causam perscrutari, propter quam

a PLATO, *in Timæo*. Λέγωμεν δὲ δι' ἣν αἰτίαν γένεσιν, καὶ τὸ πᾶν τόδε ὁ ξυνιστὰς ξυνέστησεν. ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. τούτου δὲ ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια αὐτῷ. ταύτην δὲ γενέσεως κόσμου μάλιστ' ἄν τις ἀρχὴν κυριωτάτην παρ' ἀνδρῶν φρονίμως ἀποδεχόμενος, ὀρθότατα ἀποδέχοιτ' ἄν.

b ARISTOT. lib. I *Metaphys*. cap. II. Ἀλλ' οὔτε τὸ θεῖον φθονερὸν ἐνδέχεται εἶναι· ἀλλὰ κατὰ παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί.

c ASCLEP. Ὅτι διὰ τὴν αὐτοῦ ἀγαθότητα ὁ θεὸς τὰ πάντα παρήγαγεν, etc. πῶς οὖν δυνατὸν τὴν πηγὴν ἀγαθότητος φθονεῖν;

d GREGOR. NAZ. Orat. XXXIV. Μακρὰν γὰρ τῆς θείας φύσεως φθόνος τῆς γε ἀπαθοῦς, καὶ μόνης ἀγαθῆς, καὶ κυρίας.

e HIEROCL. in *Aurea carm. Pythag*. Δι' αὐτὴν τὰ πάντα πρὸς τὸ εὖ εἶναι παράγον. αἰτία γὰρ τῆς τῶν πάντων ποιήσεως οὐδεμία ἄλλη πρόσεστιν εὔλογος πλὴν τῆς κατ' οὐσίαν ἀγαθότητος. ἀγαθὸς γὰρ ἦν φύσει. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος. αἱ γὰρ παρὰ τὴν ἀγαθότητα λεγόμεναι αἰτίαι τῆς δημιουργίας τοῦδε τοῦ παντὸς, ἀνθρωπίναις περιστάσεσι μᾶλλον, ἢ θεῷ πρέπουσι.

f ALCIN. cap. X. Καὶ ἀγαθὸν μέν ἐστι, διότι πάντα εἰς δύναμιν εὐεργετεῖ, παντὸς ἀγαθοῦ αἴτιος ἄν.

1 S. Th. I p. q. VI. art. 1.

tota hæc fabricata est universitas, non aberret, opinor, a scopo, si hoc affirmat, quod et veterum quispiam dixit: Bonum esse parentem, et opificem. Qua de causa optimam suam naturam nequaquam invidit ei substantiæ, quæ nihil ex sese boni habet [a]. » Et in secundo libro *de Allegoriis legis,* « Quærentibus, inquit, quodnam sit principium rerum creatarum rectissime potest responderi, bonitatem esse, Deique gratiam, quam ei, quod est post se, generi largitus est [b].» Et « cur, inquit, quæ non erant faciebat? Quoniam bonus et munificus erat [c]. »

Imo vero, « Deus, inquit idem, nomen est bonitatis principii [d]. » Quod quidem ex ipsa bonitatis natura proficiscitur. «Siquidem, ut ait Dionysius in quarto capite libri *de Cœlesti Hierarchia,* imprimis vere istud usurpari potest, principem omnium Deum ac substantia superiorem omni, eorum, quæ sunt, substantias omnes procreasse, et ad hoc ut essent perduxisse. Etenim proprium id est causæ omnium, et excedentis omnia bonitatis, ut ad sui communionem vocet ea quæ sunt, quatenus unaquæque illorum substantia propria ratione definitur [e]. »

Et in quarto cap. libri *de Divinis nominibus* summum bonum, eo ipso quod est, et substantivum bonum est, in omnia bonitatem ait diffundere. Quemadmodum sol non cogitatione adductus ulla, vel electione, sed eo solo, quod est, illuminat omnia, quæ secundum propriam rationem lucem participare possunt: ita bonum ipsum, quod supra solem, velut adumbratam duntaxat effigiem, excellentem habet archetypi rationem, ipsa sua exstantia omnibus, quæcumque sunt, proportione quadam totius bonitatis radios immittit [f].

Hinc mundum hunc universum divinæ benignitatis imaginem vocat Basilius Seleuciensis; quippe creatoris bonitatem ipsis oculis subjectam edocet. Nam hoc ipsum imprimis ad creandum venire, et ea, quæ non sunt, ad hoc ipsum, ut sint, perducere, bonitatis indicium est [g].

VI. Sed cum ipsa summi boni diffusio multiplices formas, ac rationes habeat, quæ in sui contemplationem intentos animos admiratione infinitæ bonitatis afficiunt, juvat eas omnes summatim comprehensas ad certa revocare capita, velut totidem argumenta, et indicia extra se diffusæ bonitatis. Horum id est primum, quod, cum solus ex omni esset æternitate, seque contentus uno, immensa bonorum copia, deliciisque omnibus affluens, ac perpetua nunquam interruptæ felicitatis possessione dives, alia præter se bona creare voluit ista ipsa bonitate commotus. De quo sic Augustinus libro undecimo *de Civitate Dei*, capite vicesimo primo: « Deus dixit, inquit, Fiat lux, et facta est lux; et vidit Deus lucem, quia bona est. Si ergo quærimus quis fecerit, Deus est. Si per quid fecerit, dixit, Fiat, et facta est. Si quare fecerit, quia bona est. Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur a bono Deo. Hanc etiam Plato causam condendi mundi justissimam dicit, ut a bono Deo bona opera fierent, sive ista legerit, sive ab his, qui legerant, forte cognoverit, sive acerrimo ingenio invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspexerit, sive ab his,

Deus summe i beatus, esse be voluit

a Philo. sub init. lib. *de Mundi opificio.* Δύναμις δὲ καὶ ἡ κοσμοποιητικὴ, πηγὴν ἔχουσα τὸ πρὸς ἀλήθειαν ἀγαθόν. εἰ γάρ τις ἐθελήσειε τὴν αἰτίαν, ἧς ἕνεκα τόδε τὸ πᾶν ἐδημιουργεῖτο, διερευνᾶσθαι. δοκεῖ μοι μὴ διαμαρτεῖν τοῦ σκοποῦ, φάμενος, ὅπερ καὶ τῶν ἀρχαίων εἶπέ τις, ἀγαθὸν εἶναι τὸν πατέρα, καὶ ποιητήν· οὗ χάριν τῆς ἀρίστης αὐτοῦ φύσεως οὐκ ἐφθόνησεν οὐσίᾳ μηδὲν ἐξ ἑαυτῆς ἐχούσῃ καλόν.

b Id. lib. II *de Alleg.* Τοῖς γοῦν ζητοῦσι τίς ἀρχὴ γενέσεως, ὀρθότατα ἄν τις ἀποκρίναιτο, ὅτι ἀγαθότης, καὶ χάρις τοῦ θεοῦ, ἣν ἐχαρίσατο τῷ μετ' αὐτὸν γένει.

c Idem, lib. *de Nom. mut.* Διὰ τί γοῦν ἐποίει τὰ μὴ ὄντα; ὅτι ἀγαθὸς καὶ φιλόδωρος ἦν.

d Philo, ibid. pag. 56. Ὁ θεὸς γὰρ ἀγαθότητός ἐστι τοῦ αἰτίου ὄνομα.

e Dion. cap. iv, lib. I *de Cœl. Hierar.* Πρῶτον ἁπάντων ἐκεῖνο εἰπεῖν ἀληθὲς, ὡς ἀγαθότητι πάσας ἡ ὑπερούσιος θεαρχία τὰς τῶν ὄντων οὐσίας ὑποστήσασα, πρὸς τὸ εἶναι παρήγαγεν. ἔστι γὰρ τοῦτο πάντων αἰτίας καὶ ὑπὲρ πάντα ἀγαθότητος ἴδιον, τὸ πρὸς κοινωνίαν ἑαυτῆς τὰ ὄντα καλεῖν, ὡς ἑκάστη τῶν ὄντων ὥρισται πρὸς τῆς οἰκείας ἀναλογίας.

f Idem. Καὶ ὅτι τῷ εἶναι τὸ ἀγαθὸν, ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν, εἰς πάντα τὰ ὄντα διατείνει τὴν ἀγαθότητα. καὶ γὰρ ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος οὐ λογιζόμενος, ἢ προαιρούμενος, ἀλλ' αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα τὰ μετέχειν τοῦ φωτὸς αὐτοῦ κατὰ τὸν οἰκεῖον δυνάμενα λόγον. οὕτω δὴ καὶ τἀγαθὸν, ὑπὲρ ἥλιον, ὡς ὑπὲρ ἀμυδρὰν εἰκόνα τὸ ἐξῃρημένως ἀρχέτυπον, αὐτῇ τῇ ὑπάρξει, πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀναλόγως ἐφίησι τὰς τῆς ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας.

g Basil. Seleuc. orat. *de Jon.* Ἅπας μὲν ὁ τῆς κτίσεως κόσμος τῆς θείας φιλανθρωπίας εἰκών ἐστιν, ὄμμασιν αὐτοῖς ἐκπαιδεύων τοῦ κτίστου τὴν ἀγαθότητα. αὐτὸ γὰρ δὴ πρῶτον τὸ πρὸς δημιουργίαν ἐλθεῖν, καὶ δοῦναι τοῖς οὐκ οὖσι τοῦ εἶναι τὴν πάροδον, τῆς χρηστότητος γνώρισμα.

qui ista conspexerant, et ipse didicerit. » Et in primo *de Doctrina christiana*, capite XXXII : « Quia enim bonus est, inquit, sumus ; et in quantum sumus boni sumus. » Tum in sermone tertio *de Diversis :* « Alia quæ dicuntur bona, ab aliquo bono habent, ut sint bona. Si autem quærimus, omnia bona a quo habent, ut sint bona, recolamus quod dictum est : Et fecit Deus omnia, et ecce bona valde. Nullum igitur esset bonum, nisi a bono factum esset, quod factum non est. »

Præclarum et illud Fulgentii ad idem pertinens : « Et hic Deus, inquit, qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis, ut sint ; non tamen sine initio, quia nulla creatura ejusdem naturæ est, cujus est Trinitas, unus verus et bonus Deus, a quo creata sunt omnia. Et quia summe bonus est, dedit omnibus naturis, quas fecit, ut bonæ sint, non tamen tantum bonæ, quantum creator omnium bonorum, qui non solum summe bonus, sed etiam summum, atque incommutabile bonum est [1], » etc.

Porro idem est ex eo concludere, bonum esse Deum, quod bona sunt, quæ sunt ab eo facta, ac quod simpliciter ab illo sunt facta ; quoniam eo ipso quod res est aliqua, bona est. Itaque Cyrillus Alexandrinus, « Boni esse dicit a non esse ad esse adducere, et efficere ut sint, quæ nondum existendi gratiam acceperant [a]. »

Auctor libri *de Trinitate*, qui Novatianus dicitur, quem solum, inquit de Deo loquens, « merito bonum pronuntiat Dominus ; cujus bonitatis totus testis est mundus, quem non instituisset, nisi bonus fuisset. Nam si omnia bona valde, consequenter, et merito et quæ instituta sunt bona bonum institutorem probaverunt, et quæ a bono institutore sunt, aliud quam bona esse non possunt [2]. » Vide Maximum apud Euthymium *Panopliæ* parte I, titulo VI, et Gregorium Nyssenum Catechetici capite V.

Bonitas divina creata fovet et conservat

VII. Altera boni, ejusque summi nota, et efficientia hæc est, quod eadem illa ab se producta fovet ac conservat, præsertim ea, quæ ratione intelligentiaque prædita sunt, e quibus pleraque in deterius prolapsa adversus creatorem et benefactorem suum ingrato et inimico sunt animo, nec ullum oppugnandi ac violandi ejus, quantum in ipsis situm est, finem faciunt; et ea tamen clementer idem et benigne tuetur, ac vegetat : quod in dæmonibus, eorumque similibus Adami posteris quotidie cernimus. « Non sane creatoris desistente bonitate, ait Augustinus, et malis angelis subministrare vitam, vivacemque potentiam ; quæ subministratio si auferatur, interibunt : et hominum quamvis de propagine vitiata, damnataque nascentium formare semina, et animare, et ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia vegetare sensus, alimenta donare [3]. » Et Ambrosius, « Nisi, inquit, bonus esset, super terram stare quis posset [4] ? » Sed non minus in iis quoque rebus conservandis, quæ ratione carent, ac vel infirmis quibusque bonitas illius apparet. « Nisi enim summe bonus esset, ait Fulgentius, non se gubernandis rebus quoque infimis præstitisset. Igitur tam in magnis, quam in parvis quibusque rebus conditis magna est bonitas, atque omnipotentia conditoris [5]. »

Gregorius denique Nyssenus homilia septima *in Ecclesiasten :* « Hoc igitur bonum, inquit, sive quod supra bonum omne est, tum ipsum revera est, tum propter se dedit iis quæ sunt, et dat facultatem, ut producantur, et ut in eo, quod sunt, perseverent [b]. »

Bonitas divina ad res nondum creatas se extendit.

VIII. Tertio vis inde summæ bonitatis illustrior sit, quod erga res creatas non solum exstantes, sed nondum productas afficitur, seque ex omni quodammodo æternitate diffundit, certa nimirum ac destinata eas voluntate complectens. Quam divinæ beneficentiæ largitatem in humanum præcipue genus commendat Apostolus ad Romanos scribens : *Cum enim nondum nati fuissent,* inquit, *aut aliquid boni egissent, aut mali,* etc. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est* [6], etc. De quo et illud Hieremiæ usurpari potest, « Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui [7]. » Huc illud etiam referendum est, quod ex veterum sententia libro secundo

a Cyril. dial. IV *de Trin.* Εἴπερ ἐστὶν ἀγαθοῦ τὸ παρακομίζειν εἰς ὕπαρξιν ἐξ ἀνυπαρξίας, καὶ ὄντα ποιεῖν τὰ οὔπω τοῦ εἶναι λαχόντα τὴν χάριν.

b Gregor. Nyss. hom. VII, *in Eccl.* Τοῦτο τοίνυν τὸ ἀγαθὸν, ἤτοι ὑπὲρ τὸ ἀγαθὸν, αὐτό τε ὡς ἀληθῶς ἐστι, καὶ δι' ἑαυτὸ τοῖς οὖσι δέδωκέ τε, καὶ δίδωσι τήν τε τοῦ γενέσθαι δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῷ εἶναι διαμονήν.

1 Fulg. *de Fide ad Petr.* c. III. — 2 Cap. IV. — 3 Aug. in *Enchir. ad Laur.* c. XXVII. — 4 In *Psal.* CXVIII. Octon. X. 953. — 5 Lib. *de Fide ad Pet.* c. III. — 6 *Rom.* IX, 11, 12.— 7 *Hier.* XXXI.

constituimus, Deum ab omni æternitate creatorem fuisse, non quod reipsa quidquam crearit, aut quia procreandi vim, ac velut artem quamdam habuerit, nihil adhuc operis moliens ; sed etiam quod in Verbo operis suo tempori futuri rationem descripserit, et quidquid in ipsa producendi actione intestinum est, ac manens in efficiente, profuderit. Ac sive actio omnis inest in agente, ut quibusdam philosophis placet, sempiterna est tum creatio, tum ad benefaciendum reliqua veluti motio, tametsi nondum ad effectum, et quasi terminum perducta sit; sive externum aliquid est, et in opus transiens, voluntas ipsa, et interior animi, ac consilii destinatio nonnisi æterna potuit esse, cum sit ipsa Dei substantia. Quare sempiterna est bonitatis in res creatas propensio. Hanc boni velut indicaturam eleganter commendat *adversus Marcionem* Tertullianus. « Prima, inquit, denique bonitas creatoris, qua se Deus noluit in æternum latere, id est non esse aliquid, cui Deus cognosceretur. Quid enim tam bonum, quam notitia, et fructus Dei? Nam etsi nondum apparebat, hoc bonum esse, quia nondum erat quidquam, cui appareret; sed Deus præsciebat, quid boni appariturum esset, et ideo in suam summam commisit bonitatem, appariturі boni negotiatricem, non utique repentinam, nec obventitiæ bonitatis, nec provocatitiæ animationis, quasi exinde censendam, quo cœpit operari. Si enim ipsa constituit initium, exinde quo cœpit operari, non habuit initium ipsa cum fecit [1]. » Zacharias Mitylenæus in libro *de Mundi opificio*, « Deum esse beneficum scribit, etsi nondum ea subsistant, quibus benefaciat; ut qui ea contineat in sese, quæ beneficium acceptura sunt, antequam ad extantiam illa perducat [a]. » Hoc igitur titulo plurimum Dei bonitas, ac voluntas benefica splendoris accipit. « Non enim cumulo tantum, ait Ambrosius, sed ordine, et tempore beneficia pensantur, cum in beneficio pari prior sit, qui prior cœpit. Beneficus est enim, qui gratiam ceperit, debitor qui retulerit [2]. »

Ad omn[...] sine accepti[...] se supe[...] bundan[...] extendi[...]

IX. Ad hæc summa in eo bonitas elucet, quod non uniusmodi ac simplici commoditate prodest iis, quibus sese communicat, sed ad omnes opportunitates valet, sine ulla rei, aut personæ, loci ac temporis exceptione. Nam cætera, quamvis optima, et præstantissima certis circumstantiis affixum ac definitum habent usum, extra quas jam bona, id est apta, et congruentia esse desinunt. « Ecqua igitur nota est veræ bonitatis? quærit Gregorius Nyssenus. Hæc nimirum, quod non solum ad rem aliquam utilis est, neque certis tantummodo temporibus aut commoda, aut incommoda videtur; neque uni quidem bona est, alteri non item ; sed quod in se, ex propria natura bonum est, et omnibus, et omni tempore bonum est [b]. » Quæ res ex eo accidit, quod creatæ res singulæ, uti naturam, sic bonitatem habent certis, iisque perangustis definitam terminis, et in uniusmodi aliquo genere prosunt, aut delectant. Deus autem infinita est, et nulla re deficiens bonorum omnium complexio, nihil ut appeti, aut quoquo modo commodum esse queat, cujus non in illo sit abundans copia. Cum enim boni ratio in convenientia sita sit aptæ rei, et opportunæ ei, quod bonum appetit, cætera quidem quia finita sunt, non omnibus, neque omnimodis congruunt. « Est enim bonum aliud alteri, ut ait Augustinus; et omnes creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ, et perfectionis naturæ suæ. Interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur : quære tuum bonum. Nemo bonus, nisi unus Deus. Summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum bonum est? Sunt enim et inferiora bona, quæ aliis et aliis bona sunt [3]. » Itaque, quia summo et infinito bono nihil deest, neque quidquam deesse potest appetenti, quominus desiderium expleat suum, aut quo segnius, ac lentiore in illud impetu feratur. « In rebus quidem materialibus, ait Bernardus, aliud hoc, aliud est illud, et alibi quæritur hoc, alibi illud. In rebus vero spiritualibus (hoc est divinis) non aliud hoc est, quam

a Zachar. Εἴη δ' ἂν ὁ θεὸς εὐεργέτης καὶ μηδέπω ὑεστώτων τῶν εὐεργετουμένων, ὡς ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὰ εὐεργετεῖσθαι μέλλοντα, καὶ πρὶν ἢ πρὸς ὕπαρξιν ἄγειν τὰ εὐεργετεῖσθαι μέλλοντα.

b Gregor. Nyssen. orat. *de Mortuis*. Τίς γοῦν ὁ χαρακτὴρ τῆς ἀληθινῆς ἀγαθότητος; τὸ μὴ μόνον πρός τι τὸ ὠφέλιμον ἔχειν, μηδὲ κατὰ καιρούς τινας ἢ ἐπωφελὲς, ἢ ἄχρηστον φαίνεσθαι· μηδὲ τινὶ μὲν εἶναι καλὸν, ἑτέρῳ δὲ οὐ τοιοῦτον· ἀλλ' ὅπερ καὶ ἐφ' ἑαυτοῦ κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ἐστὶ καλὸν, καὶ παντὶ καὶ πάντοτε ὡσαύτως ἔχει.

1 Tert. lib. II *cont. Marc.* cap. III. — 2 Ambr. in VI *Luc.* — 3 Aug. in *Psal.* CII.

illud : nec alibi quæritur hoc, alibi illud, sed omnia sunt nobis in Deo, et est Deus omnia in nobis[1]. »

X. Præterea summa excellentissimaque bonitas hoc habet præcipuum, in quo summæ perinde convenientiæ sita ratio est, ut non ex toto seipsam profundat, sed ad usum captumque rerum, quas sui participes facit, vim suam, et efficientiam accommodet. Id enim apprime necessarium est ad illam, quam dixi, summam infinitamque congruentiam, in qua infinitæ bonitatis natura consistit. Eximia est de hac re Philonis sententia in libro *de Mundi opificio*. « Verumtamen, inquit, non pro magnitudine beneficentiarum suarum bene meretur. Sunt enim infinitæ, ac modi omnis expertes ; sed ad rerum, quæ bonis afficiuntur, captum sese temperat. Quippe non quantum ad benefaciendum comparatus est natura Deus, tantum id, quod creatum est, boni capere potest. Siquidem illius vires modum omnem superant : hoc vero imbecillius est, quam ut beneficiorum magnitudinem possit capere; itaque succumberet, nisi Deus quod cuique est accommodatum consentanee ac congruenter æstimando metiretur[a]. » Atque ea demum causa est, quam recte Dionysius observat in quarto capite libri *de Divinis nominibus*, cur, cum omnia summum bonum participent, idque ad infima, et extrema usque pertingat, non tamen ex æquo bona sint universa. « Quandoquidem per omnia vadens perfecta bonitas, non ad illas solas pervenit, quas circa se habet, optimas substantias, sed usque ad extremas extenditur, sic ut aliis adsit ex toto, aliis minus perfecte, aliis denique secundum novissimum perfectionis gradum, prout unumquodque ex iis quæ sunt, potest illius esse particeps[b], etc. Quod si non singulis proportione summum adesset bonum, quæ divinissima et præstantissima sunt in infimorum ordinem redigerentur[c]. »

XI. Ex iis perspicuum est, falsam et ineptam esse rationem illam, qua Arius, ejusque propugnator Eusebius Cæsariensis utebantur, cum dicerent, Filium ἀμέσως, id est proxime, ac nullo interposito velut instrumento creatum a Patre fuisse, ideoque μονογενῆ, id est *unigenitum* appellari, tanquam ab uno, soloque genitum ; creatas vero res omnes per Verbum ac Filium esse productas, eo quod meram ac primigeniam summi opificis vim et efficientiam res creata capere ac sustinere nulla posset. Quod illi a Platone didicerunt : cujus in *Timæo* exstant aliqua ad eum implicata sensum ; quorum et Alcinous meminit in capite XVI. Hoc vero commentum vanitatis inscitiæque plenum nunquam Christianis in mentem venisset, si cujusmodi sit efficiens causa Deus, ac quemadmodum ejus extra propagetur bonitas intellexissent. Non enim, ut ea, quæ naturaliter agunt ac necessario, totam vim bonitatis effundit, et efficientiæ suæ Deus in res a se conditas ; sed eam arte et consilio moderatur, ac pro modulo cujusque temperat ; quantum capax est quæque, tantum in eam conferens.

Hinc alia dos, et commendatio summæ Dei bonitatis oritur, quod non seipsam necessario, sed sponte, ac suapte voluntate communicat, innumeraque in res omnes commoda tam animatas, quam inanimas, tam ratione ac beneficiorum sensu præditas, quam eo carentes, ne tantum gratos et amicos, sed etiam ingratos et inimicissimos uberrime diffundit. Postremo pleraque largitatis suæ munera non eblandita precum importunitate confert, nec spe aliqua mercedis extorta, sed invitis sæpenumero, eaque detrectantibus, ignaris certe, minimeque cogitantibus objicit. « Hoc est enim proprium Dei potentis ac veri, ait Arnobius in libro tertio, inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus, et multiformi semper asperitate vallatis. Nam sacrificiis editis id, quod poscaris annuere, non est istud postulantibus subvenire, sed benignitatis propriæ munificentiam venditare. » Hujus in mundi procreatione primum specimen editum est ; quem non necessitate adductus ulla condidit e nihilo, neque vel materiæ se obtrudens aut

Divina bonitas sponte se communicat.

a PHILO lib. *de Mundi opif.* Ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ μέγεθος εὐεργετεῖ τῶν αὐτοῦ χαρίτων· ἀπερίγραφοι γὰρ αὐταί γε, καὶ ἀτελεύτητοι· πρὸς δὲ τὰς καὶ τῶν εὐεργετουμένων δυνάμεις, οὐ γὰρ ὡς πέφυκεν ὁ Θεὸς εὖ ποιεῖν, οὕτω καὶ τὸ γινόμενον εὖ πάσχει, ἐπεὶ τοῦ μὲν αἱ δυνάμεις ὑπερβάλλουσι· τὸ δ' ἀσθενέστερον ὄν, ἢ ὥστε δέξασθαι τὸ μέγεθος αὐτῶν, ἀπεῖπεν ἄν, εἰ μὴ διεμετρήσατο σταθμησάμενος εὐαρμόστως τὸ ἑκάστῳ ἐπιβάλλον.

1 Serm. v. *de Assumpt.*

b DION. cap. IV *de Divin. nom.* Ἐπεί περ ἡ διὰ πάντων φοιτῶσα παντελὴς ἀγαθότης οὐ μέχρι μόνον χωρεῖ τῶν περὶ αὐτὴν παναγάθων οὐσιῶν, ἐκτείνεται δὲ ἄχρι τῶν ἐσχάτων ταῖς μὲν ὁλικῶς παροῦσα, ταῖς δὲ ὑφειμένως· ἄλλαις δὲ ἐσχάτως, ὡς ἕκαστον αὐτῆς μετέχειν δύναται τῶν ὄντων, etc.

c Ibid. Εἰ γὰρ μὴ ἀναλόγως ἑκάστῳ τἀγαθὸν παρῆν, ἦν ἂν τὰ θειότατα καὶ πρεσβύτατα τὴν τῶν ἐσχάτων ἔχοντα τάξιν.

coactus, aut illectus commoditate ac copia, vel alia causa quapiam impulsus. « Non enim Deo fuit coæterna materia, tanquam a nullo facta, nec alius eam fecit ut haberet Deus de qua faceret mundum, » ait Augustinus [1]. Boetius vero,

« Quem non externæ [inquit] pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus ; verum insita summi
Forma boni, livore carens [2]. »

Zacharias item Mitylenæus in libro *de Mundi opificio*, « Non necessitas, inquit, sed bonitas sola opificio, et effectioni mundi hujus principium dedit, eique præfuit, ac moderata est [a]. » Sed neque rei egens ullius, aut a nobis aliquid sperans omnia illa procreavit, nobisque largitus est. « Nulla re indigens Deus, ait Chrysostomus, quæ in nostra potestate sit, nos condidit. Nullius autem ipsum eguisse monstravit in eo, quod postea fecit. Nam si opus habuisset, olim condidisset. Quod si sine nobis erat ille, nos autem posterioribus temporibus facti sumus, non utique fecit nos indigens nostri. Cœlum ecce, terram, mare, omnia denique propter nos fabricavit. Nonne bonitatis ista sunt? dic, obsecro [b]. » Sic Plato in *Eutyphrone*, « Omnia bona nos a Deo accipere, nihil a nobis illum [c] » ait.

XII. Eleganter locum hunc exornat Hilarius *ad Psalmum secundum*, ubi Deum scribit universa sic molitum esse, nullo ut eorum indigeret. Hominem præsertim, quem non « quod officio ejus in aliquo eguerit, instituit, sed qui bonus est participem beatitudinis suæ condidit, et rationale animal in usum largiendæ suæ æternitatis, vita sensuque perfecit. » Quod ex Scripturæ verbis astruit, quibus Deus nihil laiud poscere se dicit a populo suo, quam ut timeat, et diligat Dominum suum, *ut bene*, inquit, *sit tibi* [3]. « Nullum a nobis, pergit Hilarius nisi innocentiæ, et religionis, et fidei obsequium Deus postulat. Amari se a nobis exigit : non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, qui eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi idcirco, ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suæ, ac bonitatis suæ munere per meritum amoris sui, et obsequii judicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non præbenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius, quam ejus, qui nos in id, quod sumus, instituit; quia Deus bonorum eorum, quæ in se sunt æterna, non invidens, in sensum nos, atque umbram beatæ suæ bonitatis assumit. Sed qui perfectus ad bonus est, bonitate in nos, ac beatitudine sui non sine ratione ac modo usus est, etc. » Hæc Hilarius, qui pleraque commemorat eorum, tuæ ad illustrandam Dei bonitatem attulimus. Iner quæ aptissima est ad id, quod modo agitur, similitudo solis, sive lucis, qua Augustinus utitur. « Cui autem obscurum vel dubium est, inquit, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipsa illustraverit [4]? Dicit etiam apertissime Propheta : *Dixi Domino : Deus meus es tu*, *quoniam bonorum meorum non eges* [5]. » Hinc idem colligit, « non frui nobis Deum, sed uti. » Nam « si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est. Sed neque sic utitur, ut nos, ait capite sequenti. Nam nos res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur : Deus vero ad uam bonitatem usum nostrum refert. »

XIII. Quamobrem eo referenda comparatio est illa divinæ cum sole, vel luce bonitatis : primum quod, ut sol, nullo suo commodo, usum sui omnibus impertit; ita nihil ex bonis, quæ in creatas res a Deo proficiscuntur, redundat in ipsum. Deinde quod sine ullo discrimine ac delectu prodest omnibus ucis parens ille sol; et ad quod capiendum unumquodque idoneum est, ac nullum impedimentum habet, id illi benignissime tribuit : tametsi pro eo ac res sunt affectæ, varia sunt, quæ in eas indidem profluunt. Ita Deus om- Bonit[...] divinæ [...] sol[...] compa[...]

a Zachar. Ὡς οὐκ ἀνάγκη, ἀλλὰ μόνη ἀγαθότης τῆς δημιουργίας, καὶ ποιήσεως τοῦδε τοῦ παντὸς καθηγήσατο καὶ προστατεῖ, καὶ ἡγεμονεύει.

b Chrysost. Hom. III in epist. *ad Philem.* Οὐδενὸς δεόμενος ὁ θεὸς τῶν παρ' ἡμῶν, ἐποίησεν ἡμᾶς· ὅτι δὲ οὐδενὸς ἐδεῖτο, ἐδήλωσεν ἐκ τοῦ μετὰ ταῦτα ποιῆσαι· εἰ γὰρ ἐδεῖτο, πάλαι ἂν ἐποίησεν· εἰ δὲ καὶ χωρὶς ἡμῶν ἦν αὐτὸς, ἡμεῖς δὲ ἐν ὑστέροις χρόνοις γεγόναμεν, οὐ δεόμενος ἡμῶν ἐποίησεν ἡμᾶς, ἐποίησεν οὐρανὸν, γῆν, θάλασσαν, πάντα τὰ ὄντα δι' ἡμᾶς. ταῦτα οὐκ ἀγαθότητος; εἰπέ μοι.

c Plato. Πάντα τὰ ἀγαθὰ παρ' αὐτῶν (τῶν θεῶν) λαμβάνομεν, ἐκεῖνοι δὲ παρ' ἡμῶν οὐδέν.

1 Aug. lib. *con. Adver. leg.* c. VIII. — 2 Lib. III *de Consol.*, metro 9. — 3 *Deut.* x, 13. — 4 Aug. lib. I *de Doctr. chr.* c. XXXI. — 5 *Ps.* XV, 2.

nibus pro suo cuique modo consulens, nihil ab suæ communione bonitatis excipit : cujus tamen diversus in illis est fructus. Nam externa et communia bona non solum probis, sed etiam impiis, et sceleratis uberrime dilargitur, ac *Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*[1], quod ad ejusmodi percipienda commoda idonee sint parati. At potiora, et æterna, ac spiritualia bona non passim, nec in omnes dividit, sed uti rectum et opportunum esse judicat, qui nihil non certa ratione ac consilio molitur. Itaque bene quidem omnibus facit, sed non uniusmodi bonorum genere afficit. In quo illi cum sole convenit, quem, ut supra meminimus, Dionysius refert, eo ipso quod existit, sine delectu, ac consilio derivare in omnia utilitatis aliquid. Hoc enim modo Deus, si quidem extra se operatum illum intuemur, nullam rem benignitatis expertem suæ relinquit; facit hoc tamen nulla necessitate, sed singula, uti visum est, pro sua prudentia dispensat. Quod si sempiternas illius, et intra ipsum manentes profusiones spectas, eæ sunt ex toto, utpote necessariæ, non liberæ. Quare totam se in eas personas, quas hoc pacto producit, immensa bonitas sine ulla mensura modoque communicat : eaque ratione perfectissime Dionysii sententiam illam, ac similitudinem solis implet, tum universam vim suam, tum necessario, ac sine deliberatione fundentis. Plura de solis ac lucis similitudine cum Deo, qua bonus est, vide capite illo quarto libri *de Divinis nominibus*.

Bonitas divina precum importunitate delectatur.

XIV. Hanc Dei largissimam et in communicationem sui propensissimam bonitatem pulchre Guillelmus Parisiensis episcopus exornat in *Rhetorica divina*, præsertim tricesimo primo capite : ubi ad illius prædicandam excellentiam hoc affert, quod tantopere precibus hominum, et earum importunitate delectetur; contra quam reges, ac principes solent, quia aut illas fastidiose repellunt, aut earum odio inviti quod petitur, ægreque tribuunt. « Longe autem sunt hæ, et omnes aliæ molestiæ, inquit, a pacatissima et tranquillissima gloria creatoris. Sed nec possibile est ab eo aliquid, tanquam eo invito, extorqueri. Omnia quippe largitur præclara bonitas ejus, non solum liberaliter, sed etiam libenter. » Subjicit exemplum viduæ illius moleste judicem interpellantis, quod est *Lucæ* XVIII. Tum ista pertexit : « Nihil enim ei gratius offerri potest a nobis, quam perfecta ex omnibus modis suis oratio. Causa autem in hoc est abundantissima bonitas ipsius, per quam quærit in nobis occasiones miserendi semper nobis, ac benefaciendi. Adeo namque placet eidem dare, ut propter hoc omnia creaverit; volebat enim habere quæ, et quibus daret. Angelos autem et homines in hoc specialiter creavit, ut daret eis semetipsum, propter quod et tales eos creavit, qui ipsius capaces essent. » Hinc etiam, quod eleganter idem, minus licet elegantibus verbis subjicit, « gratiosissima est in conspectu ejus humilitas. Ipsa enim semper querulosa est, semper mendica, semper egena, dum hic vivitur, etc. Propter hoc igitur gratissima est humilitas in conspectu creatoris, quoniam occasiones ei semper ministrat largiendi simul, et miserendi. »

Quo etiam ista Petri Chrysologi pertinent sermone XXXIX ad locum illum Lucæ undecimi, in quo parabola importuni et intempestivi petitoris exponitur, qui de nocte panes ab amico postulat : « O quam dare vult qui se inquietari taliter, taliter patitur suscitari! O quam necessitatis esse suæ, quod suæ potestatis est, vult videri! O quam pulsanti iste gestivit occurrere, qui sic secreti sui cubile ipsam collocavit ad januam! O quam negare noluit, qui sibi etiam neganti qualiter extorqueretur ostendit! »

XV. Hujusmodi porro liberalis, et prolixa, nec morosa bene merendi voluntas beneficium sola vel facit, vel præ cæteris commendat : uti pluribus in secundo *de Beneficiis*[2] Seneca prosequitur. Qui et hoc adnotat, quod similiter ac Deus, sed longe dissimili mente præpotentes viri faciunt, ut diu ac multum rogari, sibi amplum putent. « Plerisque hoc vitium est, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba. Quales regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minusque se judicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostentent. Nihil confestim, nihil semel faciunt. Injuriæ illorum præcipites, lenta beneficia sunt[3]. » At vero Deus nonnulla quidem rogantibus tardius indulget, sed longe dispari est in causa : primum quod alia innumerabilia, et præcipua maximeque necessaria in commune posuit omnibus, atque ultro vel ne cogitantibus quidem, vel invitis etiam, ac re-

Nostri interest ut aliquando tardius indulgeat.

1 *Matth.* V, 45. — 2 Cap. I. — 3 Idem, cap. V.

pugnantibus obtrudit: tum quod alia vel negat, vel tardius concedit, ejus potissimum causa, qui postulat, facit. Nam aut ideo negat, quod inutilia, vel noxia petuntur, pro quibus meliora, etiam non postulata, rependit; aut non cito repræsentat, ut ad ea capienda paratioribus, et cum ingenti fœnore largiatur. « Ne petas a Deo imperiose, ait Nilus capite XXXII *de Oratione*, quod statim velis impetrare. Vult enim diutius te beneficio afficere in oratione perseverantem. Quid enim excellentius, quam cum Deo colloqui, et usu ejus detineri [1]? » Et Augustinus [2], « Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata, dulcius obtinentur : cito autem data, vilescunt. Pete, quære, insta. Petendo et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magne desiderare. Inde oportet semper orare, et non deficere. » Itaque « Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus, quam ægrotus. Si autem id postulat, quod Deus præcipit et promittit, fiet omnino quod poscit, quia accipit charitas, quod parat veritas, » ait Prosper [3].

XVI. Postremo « quantum, et quale bonum sit Deus, ait idem Prosper, etiam ex hoc evidenter ostenditur, quod nulli ab eo recedenti bene est [4]. » Vel, ut Augustinus in duodecimo *de Civitate* scribit, capite primo, quia « beatitudinis causa est angelis et hominibus, adhærere Deo : » eorumdem vero « miseriæ causa ex contrario est intelligenda, quod est, non adhærere Deo. Quamobrem si cum quæritur, quare illi beati sint, recte respondetur, quia adhærent Deo; cum quæritur, cur isti sint miseri, recte respondetur, quia non adhærent Deo : non est creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. » Augustinus in tractatu *ad Psalmum* LXX : « Bene tibi velles ut esset recedenti ab illo bono? Prorsus tibi dicit Deus : Si recedis a me, et bene tibi est, ego non sum bonum tuum. Proinde si ille bonus, et summe bonus, et de se sibi bonus, et nullo alieno bono bonus, et ipse nostrum summum bonum, recedendo inde, quid eris nisi malus? » Sed hæc si pro argumenti copia diffusius explicentur, verendum est non modo ne in infinitum exeat oratio, sed etiam ne quo præstantioribus, eo

Nulli a Deo recedenti bene est.

magis contritis, ac vulgaribus antiquorum dictis refercienda sit.

Una igitur, ac perbrevi animadversione concludam hoc caput, nimirum, cum ea sit a nobis boni, et quidem summi perspecta ratio ac natura, ut sui communione ac participatione comprehendat universa, falsissimum videri Græculorum recentiorum dogma, quod auctore Gregorio Palama in Pseudosynodo quadam sancitum est, divinam naturam et οὐσίαν esse ἀμέθεκτον, id est *non posse participari*, sed solas ἐνεργείας participari. Atqui cum natura ipsa Dei bonitas sit, necesse est in ea proprietatem inesse boni, ac cum maxime diffundi ipsam, et participari, sed eo videlicet modo, qui sit tanta perfectione, ac simplicitate dignus, nihil ut de illa detractum in externa transire putetur, aut hæc cum summo exæquari, et immutabili rerum principio, quæ ut initium ab eo solo, sic essentiam ac naturam hauriunt, et ejus, unde ortum habent, rudem licet, et crassam non sine participatione similitudinem.

Operation

CAPUT IV.

De malo, ejusque natura, quæ in negatione, vel privatione esse sita ostenditur ex Patrum sententia : contra quam recentiorum pugnat opinio, quæ malum quippiam positivum esse statuit; sed ea refellitur. Malum in inconvenientia, vel ordinis perversione positum videri.

I. Bono malum ex adverso respondet, uti luci tenebræ, et universe cuilibet formæ ea, quæ illi est opposita privatio. Quare ut boni penitus natura percipiatur, necessaria est mali contemplatio : « Nam neque quod malum erat, malum judicaremus esse, nisi esset scientia boni; (malum enim discerni non potest, nisi per scientiam boni) neque rursus quod bonum erat, sciremus bonum esse, nisi esset scientia mali, » ait Ambrosius libro *de Paradiso*, capite secundo. Hanc igitur mali considerationem hoc capite susceptam inde ordiemur scilicet, ut quid sit, ante omnia statuamus. De quo ne litteram quidem faciendam putarem, adeo pervagata res est, et in antiquorum Patrum lectione paululum versato

Malum n[on] est aliqu[id] subsisten[s], sed mer[a] negatio.

1 Nilus, Tom. V *Biblioth. Patrum.* — 2 Aug. Tom. X, Serm. v *de Ver. Dom. sec. Matth.* c. v. — 3 Prosper. Epigr. XCIII.— 4 Prosper in Aug. *Sent.* CCLXXXIX.

cognita, nisi me quorumdam de schola theologorum moveret opinio; qui hoc docere instituunt, id, quod in malorum genere pessimum est, peccatum rem esse quampiam solidam et extantem : quod genus *positivum* dici solet, eo quod in ré ipsa ponatur, non sola ratione constet, ac rei negatione. Contra quos alio quidem in loco disceptabimus, cum de peccato proprie disserendi tempus aderit. Nunc autem generatim mali a nobis natura proponetur, deque ea communis maxime veterum theologorum, dissentiente nullo, sententia, quæ nihil esse, id est rem nullam veram, et proprie consistentem, malum asserit, sed negationem, privationemve rei, sive defectionem. Quæ opinio quo, ut dixi, communior, ac pervulgatior est, eo minus longam orationem desiderat. Itaque paucorum citatis testimoniis, quibusdam nomine tenus appellatis, duo reliqua quæstionis absolvemus capita, quæ sit origo mali : et utrum perinde ac summum bonum inest in rebus, ita summum esse malum debeat.

II. Malum itaque, qua malum est, non existere, neque rem esse quampiam declarat imprimis Origenes in secundo tomo *in Joannem*, ejus verba hæc explicans, *Et sine ipso factum est nihil* [1]. Nam, ne quis putaret vitia, et peccata, et prava denique omnia a Deo esse

Testimonia Patrum.

facta, dum nihil ab Dei opificio exceptum legeret, quorumdam interpretationem approbat, qui « vitium minime subsistere, ac nihil esse dicunt. Et quemadmodum gentiles quidam genera et species, veluti animal, et hominem, nihil esse dicunt; ita hi arbitrati sunt esse omne illud, quod nec a Deo, nec per sermonem sumpserit apparentem subsistentiam. » Deinde, « Bonus, inquit, idem est cum existente. Cum vero malum, aut pravum contrarium sit bono, et contrarium existenti sit non existens, sequitur malum, et pravum esse non existens. » Item, « non ens, et nihil synonyma, et univoca esse dicit; et ob hanc causam qui non sunt, nihil esse, et omne vitium etiam nihil esse, quoniam est non ens. » Vide ejusdem longam de mali origine disputationem in capite XXIII *Philocaliæ*, quæ et apud Eusebium Cæsariensem in septimo *de Præparatione* sub finem legitur. Accedit et Methodius in libro *de Malorum origine* apud Photium, codice CCXXXVI, ubi malorum nullam esse prorsus οὐσίαν, juxta atque ille defendit.

Athanasius in libro *contra Gentes*, « Ethnicorum ait quosdam aberrantes a via, et Christum ignorantes subsistere, per seque esse malitiam dixisse, dupliciter peccantes; sive quatenus opificem privant eo, ut sit eorum, quæ sunt, conditor : non enim eorum quæ sunt, dominus erit, si malitia, ut illi putant, subsistentiam per se habet, et essentiam; sive quatenus illum omnium conditorem statuentes, etiam mali esse necessario concedent : quippe cum inter ea, quæ sunt, malum ipsi numerent. Hoc vero perabsurdum esse, neque posse fieri videtur [a]. » Hæc Athanasius ad novam, quam dixi, evertendam opinionem aptissima. Nam si malum aliqua res est, ea necesse est auctorem habeat et effectorem Deum : quod nefas est dictu.

III. Gregorius Nyssenus in libro *de Anima et resurrectione*, eleganter et docte sub Macrinæ sororis persona sic istud exponit : « Quoniam igitur ultra bonum omne est divina natura, bonum autem boni prorsus est amicum, ideo videns in seipsa, et quod habet vult, et quod vult habet, nihil externorum in seipsam recipiens. Nihil est autem extra ipsam, præter solam vitiositatem, quæ, tametsi dictu est inopinatum, in eo, quod non est, habet ut sit. Non enim alia est vitiositatis origo, quam ejus, quod est, privatio. Porro quod proprie est, id est boni natura. Quod igitur in ente non est, id in eo, quod non est, prorsus est [b]. »

Sic in homilia septima in *Ecclesiasten*, ad camdem sententiam plura disputat, quæ ad

a ATHAN. *cont. Gent.* Ἑλλήνων μὲν οὖν τινὲς πλανηθέντες τῆς ὁδοῦ, καὶ τὸν Χριστὸν οὐκ ἐγνωκότες, ἐν ὑποστάσει, καὶ καθ' ἑαυτὴν εἶναι τὴν κακίαν ἀπεφήναντο, ἁμαρτάνοντες κατὰ δύο ταῦτα· ἢ τὸν δημιουργὸν ἀποστεροῦντες τοῦ εἶναι ποιητὴν τῶν ὄντων· οὐκ ἂν γὰρ εἴη τῶν ὄντων κύριος, εἴ γε κατ' αὐτοὺς ἡ κακία ὑπόστασιν ἔχει καθ' ἑαυτὴν, καὶ οὐσίαν· ἢ πάλιν θέλοντες αὐτὸν ποιητὴν εἶναι τῶν ὅλων, ἐξ ἀνάγκης καὶ τοῦ κακοῦ δώσουσιν εἶναι. ἐν γὰρ τοῖς οὖσι καὶ τὸ κακὸν κατ' αὐτούς ἐστι, τοῦτο δὲ ἄτοπον καὶ ἀδύνατον ἂν φανείη. Vide plura ibidem.

b GREGOR. NYSS. Ἐπεὶ δὲ οὖν παντὸς ἀγαθοῦ ἐπέκεινα ἡ θεία φύσις, τὸ δὲ ἀγαθὸν ἀγαθοῦ φίλον πάντως, διὰ τοῦτο ἐν ἑαυτῇ βλέπουσα, καὶ ὃ ἔχει θέλει, καὶ ὃ θέλει ἔχει, οὐδὲν τῶν ἔξωθεν εἰς ἑαυτὴν δεχομένη, ἔξω δὲ αὐτῆς οὐδὲν, ὅτι μὴ ἡ κακία μόνη· ἥτις, εἰ καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ἐν τῷ μὴ εἶναι ἔχει. οὐ γὰρ ἄλλη τίς ἐστι καὶ κακίας γένεσις, εἰ μὴ τοῦ ὄντος στέρησις, τὸ δὲ κυρίως ὂν, ἡ τοῦ ἀγαθοῦ φύσις ἐστίν. ὃ οὖν ἐν τῷ ὄντι οὐκ ἔστιν, ἐν τῷ μὴ εἶναι πάντως ἐστίν

1 Orig. Tom. II Oper.

illustrandam Dei bonitatem valde faciunt. « Hoc ergo per se bonum, sive quod est supra bonum, et ipsum vere est, et per se dedit, et dat iis, quæ sunt, facultatem ut gignantur, et ut in eo, quod sunt, permaneant. Quidquid autem extra ipsum consideratur, eo redigitur, ut non consistat. Quod enim est extra id, quod est, non est. Quoniam igitur charitati contrarium spectatur vitium; Deus autem est perfecta et absoluta virtus, extra Deum est vitium, cujus natura non in eo, ut ipsa sit, sed in eo, quod bonum non sit, comprehenditur. Nam vitium ostendimus nomen esse notionis cujusdam, quæ est extra bonum. Ita consideratur vitium ut oppositum bono; sicut quod non est, ab eo quod est, tanquam ei adversum distinguitur[a]. » In his Gregorii verbis animadvertendum maxime est, quod ait, malum et vitium ita dividi a bono, vel, ut in scholis familiare est loqui, *contra bonum dividi*, tanquam *non ens contra ens dividitur*. Quæ sententia nuperam illam de mali et peccati *positiva*, ut vocant, *entitate* opinionem evertit. Hoc enim præcipue argumento, si bene memini, Cajetanus hanc affirmat, quod sub eodem genere habitus vitium ac virtus collocentur, et «contra se mutuo dividantur.» Quæ autem sunt ejusmodi, pari conditione censentur; ut si unum *positivum* sit, et *positiva* differentia amplitudinem generis adstringat, perinde hoc in altero inesse debeat. Quæ res alterius est loci.

IV. Nunc quod instat ut agamus, alium dabimus ejusdem Gregorii locum ita conceptum, tanquam Cajetani, recentiorumque sententiam et argumentum illud præ oculis habuisset. « Virtutis, inquit, et vitiositatis sibi invicem oppositorum distinctio non ita consideratur, tanquam duo sint, quæ solidam habeant extantiam; sed perinde atque e regione entis non ens distinguitur. Nec potest dici non ens secundum extantiam contra ens distingui; sed non extantiam dicimus extantiæ ex adverso in distinctione respondere[b]. » Et capite XXVIII, « Deum ait ab sola vitiositate separari, et hanc ipsam natura constare nulla[c]. »

Sed disertissime ac luculentissime idipsum explicat in quinto capite ejusdem operis. Nam peccatum ac vitiositatem ab auctore Deo non esse probat, quia nihil est aliud, quam privatio, vel recessus ab honestate. « Ut enim visio naturæ est operatio; cæcitas vero naturalis est actionis privatio : ita et virtus opposita est vitiositati. Non enim potest alia vitiositatis origo cogitari, quam virtutis absentia. Siquidem uti subtracto lumine, tenebræ consequuntur, præsente, non sunt; ita quamdiu bonum inest naturæ, vitiositas per se extantiam non habet; ac potioris recessus fit origo contrarii[d]. »

Basilius quoque ad peccati et mendacii naturam ejusmodi respectum habens, non modo falsos Deos ab Apostolo τοὺς μὴ ὄντας appellari *Non existentes.*
dicit[1], sed etiam qui illos colunt[2]. «Nam, cum Deus sit ens, et veritas et vita, qui cum Deo, qui est, conjuncti non sunt fide, sed cum mendacio, quod extantiam non habet, copulati per idololatriæ errorem, merito, ut opinor, propter veritatis privationem et alienationem a vita, non existentes appellati sunt[e]. » Et in homilia, *Quod Deus auctor non est mali:*

a GREGOR. NYSS. Hom. VII, in *Eccles.* Τοῦτο τοίνυν τὸ ἀγαθὸν, ἤτοι ὑπὲρ τὸ ἀγαθὸν, αὐτό τε ὡς ἀληθῶς ἐστι, καὶ δι' ἑαυτὸ τοῖς οὖσι δέδωκέ τε, καὶ δίδωσι τήν τε τοῦ γενέσθαι δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῷ εἶναι διαμονήν. πᾶν δὲ τὸ ἔξω αὐτοῦ θεωρούμενον, ἀνυπαρξία ἐστί. τὸ γὰρ ἔξω τοῦ ὄντος ἐν τῷ εἶναι οὐκ ἔστιν. Ἐπεὶ οὖν ἀντιθεωρεῖται τῇ ἀγάπῃ ἡ κακία· θεὸς δὲ ἡ παντελὴς ἀρετὴ, ἔξω ἄρα τοῦ θεοῦ ἡ κακία, ἧς ἡ φύσις οὐκ ἐν τῷ αὐτὴν εἶναι, ἀλλὰ ἐν τῷ ἀγαθῷ μὴ εἶναι, καταλαμβάνεται, τὸ γὰρ ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ νοήματος ὄνομα, τὴν κακίαν ἐθέμεθα. οὕτως ἀντιθεωρεῖται τῷ ἀγαθῷ ἡ κακία, ὡς ἀντιδιαιρεῖται τὸ μὴ ὂν τῷ ὄντι.

b Idem, *Catech.* cap. VI. Τῆς γὰρ ἀρετῆς, καὶ τῆς κακίας οὐχ ὡς δύο τινῶν καθ' ὑπόστασιν φαινομένων, ἡ ἀντιδιαστολὴ θεωρεῖται· ἀλλ' ὥσπερ ἀντιδιαιρεῖται τῷ ὄντι τὸ μὴ ὄν. καὶ οὐκ ἔστι καθ' ὑπόστασιν εἰπεῖν τὸ μὴ ὂν ἀντιδιαστέλλεσθαι πρὸς τὸ ὂν, ἀλλὰ τὴν ἀνυπαρξίαν ἀντιδιαιρεῖσθαι λέγομεν πρὸς τὴν ὕπαρξιν.

c GREGOR. NYSS. *Catech.* cap. XXVIII. Εἰ οὖν μόνης κακίας τὸ θεῖον κεχώρισται· φύσις δὲ κακίας οὐκ ἔστι.

d Id. cap. V *Catech.* Οὐδεμία κακοῦ γένεσις ἐκ θείου βουλήματος τὴν ἀρχὴν ἔσχε. ἢ γὰρ ἂν ἔξω μέμψεως ἦν ἡ κακία, θεὸν ἑαυτῆς ἐπιγραφομένη ποιητὴν, καὶ πατέρα, etc. Καθάπερ γὰρ ἡ ὅρασις φύσεώς ἐστιν ἐνέργεια, ἡ δὲ πήρωσις στέρησίς ἐστι τῆς φυσικῆς ἐνεργείας, οὕτως καὶ ἡ ἀρετὴ πρὸς τὴν κακίαν ἀνθέστηκεν. οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλην κακίας γένεσιν ἐννοῆσαι, ἢ ἀρετῆς ἀπουσίαν. ὥσπερ γὰρ τοῦ φωτὸς ὑφαιρεθέντος ὁ ζόφος ἐπηκολούθησε, παρόντος δὲ οὐκ ἔστιν· οὕτως ἕως ἂν ᾖ τὸ ἀγαθὸν ἐν τῇ φύσει, ἀνύπαρκτόν ἐστι καθ' ἑαυτὸ ἡ κακία, ἡ δὲ τοῦ κρείττονος ἀναχώρησις, γίνεται τοῦ ἐναντίου γένεσις.

e BASIL. II *cont. Eunom.* Ἐπεὶ γὰρ ὢν καὶ ἀλήθεια, καὶ ζωὴ ὁ θεὸς, οἱ τῷ ὄντι μὴ ἡνωμένοι κατὰ τὴν πίστιν, τῇ δὲ ἀνυπαρξίᾳ τοῦ ψεύδους οἰκειωθέντες διὰ τῆς περὶ τὰ εἴδωλα πλάνης, εἰκότως, οἶμαι, διὰ τὴν στέρησιν τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς ζωῆς ἀλλοτρίωσιν, μὴ ὄντες προσηγορεύθησαν. Vide eumd. homilia II in *Hexaem.*

1 *Gal.* IV. 8. — 2 I. *Cor.* I, 18.

« *Malum,* inquit, *boni est privatio*[a]. » Theophilus Alexandrinus in *Epistola Paschali,* « Perfectus, inquit, Deus propria voluntate quidquid humanæ fuit et naturæ, et conditionis adsumens, absque peccato duntaxat, et malitia, quæ nullam habet substantiam, infans nascitur[1]. »

Titus Bostrensis in libris, quos contra Manichæos edidit, itidem, ut alii, malum, et mali speciem illam, de qua potissimum quærimus, nihil esse demonstrat, ac solam boni et entis absentiam. Velut in secundo libro sub initium, « malum nihil esse ait in rebus secundum substantiam. » Et postea, « similiter inter se contraria dicit esse lumen et tenebras, veritatem et mendacium, quod enim est lumen corpori, hoc est veritas animæ : et quod tenebræ oculis, hoc ignorantia, et mendacium menti[2]. » Methodius apud Photium, « Natura, inquit, malum nihil est; sed usu mala fiunt quæ mala dicuntur[b]. » Et Procopius, in *Commentariis ad Genesim,* sæpe istud repetit, malum esse ἀνυπόστατον : id est *nullam habere exstantiam,* et esse nihil.

V. Veniam ad Dionysium, qui idem omnium copiosissime ac disertissime declarat, maxime in capite quarto libri *de Divinis nominibus;* ubi malum nihil esse, nec exstantiam, aut subsistentiam habere docet; nec inter entia numerari, quoniam bona sunt universa, et a bono procreata bonum participant[c]. In bono autem malum esse non potest, ut nec in igne frigus, etc. Et postea : « Non est malum, neque ens, neque inter entia[d]. » Et, « Malum est defectio boni[e]. » Item, « Malum non est ens, neque inter entia malum. Nusquam enim est malum, qua malum est[f]. » Et, « Privatio est malum, et defectus, et infirmitas, et immoderatio, et aberratio, etc., et exstantia carens, ipsumque nihil, ac nullo modo, et nusquam consistens[g]. »

Dionysio Maximus interpres adstipulatur tum *in Scholiis* ad illud caput, tum aliis in locis, velut apud Photium codice CXCII, ubi « malum nihil esse prorsus affirmat, eorum quæ sunt, non qualitatem, non quantitatem, non relationem ; sed nec affectionem, quæ in re aliqua existente naturaliter inesse cernitur. Itaque defectus est actionis ad finem tendentis facultatum earum, quæ naturæ sunt insitæ[h]. »

Ita Dorotheus *Doctrina* X, « Vitiositas, inquit, per se nihil est, nam nullam habet exstantiam, neque subsistentiam. Absit[i]. » Et *Doctrina* XI : « Neque essentiam, neque substantiam habet vitiositas, eaque per negligentiam nostram ex nihilo conflatur[k]. » Cæsarius quoque, « Malum, inquit, natura caret[l]. » Diadochus item, « Malum nec est in natura, nec est quisquam natura malus. Deus enim non fecit malum[m]. »

Joannes Damascenus, « Vitiositas, ait, nihil aliud est, quam recessus a bono, quemadmodum tenebræ sunt recessus luminis[n]. » Et alibi : « Malum nihil aliud est, quam privatio boni, et ex eo, quod secundum naturam est, ad id quod præter naturam est, prolapsus. Nihil enim natura malum est[o]. » Psellus in *Quæstionibus physicis* : « Malum proprie non est, inquit, sed est privatio boni, sicut tenebræ, absentia et privatio luminis[p]. » Auctor

a Basil. Hom. *Quod Deus non est auctor mali :* Στέρησις γὰρ ἀγαθοῦ ἐστι τὸ κακόν, etc.

b Method. apud Phot. cod. CCXXXVI. Ὅτι τῇ φύσει κακὸν οὐδέν ἐστιν, ἀλλὰ τῇ χρήσει γίνεται κακὰ τὰ κακά.

c Dion. cap. IV *de Divin. nom.* Ἀλλ' οὐδὲ ἐν τοῖς οὖσίν ἐστι τὸ κακόν· εἰ γὰρ πάντα τὰ ὄντα ἐκ τἀγαθοῦ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι, καὶ πάντα περιέχει τἀγαθὸν, ἢ οὐκ ἔσται τὸ κακὸν ἐν τοῖς οὖσιν, ἢ ἐν τἀγαθῷ ἔσται· καὶ μὴν ἐν τἀγαθῷ οὐκ ἔσται· καὶ γὰρ οὐδὲ ἐν πυρὶ τὸ ψυχρόν.

d Ibid. Οὐκ ἔστι τὸ κακὸν, οὔτε ὂν, οὔτε ἐν τοῖς οὖσι.

e Ibid. Κακὸν δὲ ἡ ἔλλειψις τοῦ ἀγαθοῦ.

f Mox : Οὐκ ἄρα ὂν τὸ κακὸν, οὐδὲ ἐν τοῖς οὖσι τὸ κακόν. οὐδαμοῦ γὰρ τὸ κακὸν, ᾗ κακόν.

g Ibid. Στέρησις ἄρα ἐστὶ τὸ κακὸν, καὶ ἔλλειψις, καὶ ἀσθένεια, καὶ ἀσυμμετρία, καὶ ἁμαρτία, etc. καὶ ἀνούσιον, καὶ αὐτὸ μηδαμῶς μηδαμῇ μηδὲν ὄν.

h Maxim. Τὸ κακὸν μηδὲν μηδόλως τῶν ὄντων ὑπάρχων, μὴ ποιότης, μὴ ποσότης, μὴ σχέσις· ἀλλὰ μηδὲ τὸ πάθος φυσικῶς τινι τῶν ὄντων ἐνθεωρούμενον· καὶ εἴη ἂν ἔλλειψις τῆς πρὸς τὸ τέλος ἐνεργείας τῶν ἐγκειμένων τῇ φύσει δυνάμεων.

i Doroth. in *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* Ἡ κακία καθ' ἑαυτὴν οὐδέν ἐστιν. οὔτε γὰρ οὐσία τις ἐστὶν οὔτε ὑπόστασίν τινα ἔχει, μὴ γένοιτο.

k Idem. Doct. XI. Ἀνούσιός ἐστι, καὶ ἀνυπόστατος ἡ κακία, διὰ τῆς ἡμῶν ἀμελείας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος συνισταμένη.

l Cæsar. Dial. III. Inter. 123. Φύσιν οὐκ ἔχει τὸ κακόν.

m Diadoch. cap. III Tom. V *Biblioth. Patrum.*

n Damasc. lib. II, cap. XXX. Ἡ γὰρ κακία οὐδὲν ἕτερόν ἐστι, εἰ μὴ ἀναχώρησις τοῦ ἀγαθοῦ, ὥσπερ καὶ τὸ σκότος τοῦ φωτός ἐστιν ἀναχώρησις.

o Damasc. lib. IV, cap. XXI. Τὸ κακὸν οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, εἰ μὴ στέρησις τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἰς τὸ παρὰ φύσιν παραδρομή. οὐδὲν γὰρ κακὸν κατὰ φύσιν.

p Psel. qu. LXXX. Τὸ κακὸν κυρίως οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ στέρησίς ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ, ὥσπερ τὸ σκότος ἀπουσία καὶ στέρησις τοῦ φωτός.

1 Tom. III *Bibl. Patrum.* — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.*

denique *Quæstionum et responsionum ad orthodoxos,* quæ Justino tribuuntur, «nihil esse malum asserit, nisi boni perversionem[a].»

VI. Ex Latinis, Ambrosius contra Manichæos, Marcionitas, et Valentinianos disserens, qui mali principium esse dicebant æternum, et increatum : «Numquid malitiam, inquit, simul Deus creavit? Sed ea ex nobis orta, non a creatore Deo condita, morum levitate generatur, non ullam creaturæ habens prærogativam, nec auctoritatem substantiæ naturalis, sed mutabilitatis vitium, et errorem prolapsionis.» Nullam ergo habet οὐσίαν. Id enim est *substantia :* atque idem non est τὸ ὄν, sed μὴ ὄν. Idem in libro *de Isaac, et Anima*, capite VII. «Ex bonis, inquit, mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quæ privantur bonis, etc. Ergo indigentia boni radix malitiæ est.» Hieronymus in caput tertium *Hieremiæ*, «Mala, quæ nulla sua natura subsistunt, a Domino non creantur.»

Ens sed *non ens.*

Ex Augustino vero infinita locorum copia est, quæ malum, et peccatum nihil esse præter privationem docent, e quibus pauca seligam. «Mali, inquit in libro XI *de Civitate Dei*, cap. IX, nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit.» Et capite XXII : «Cum omnino natura nulla sit malum, nomenque hoc non sit nisi privationis boni.» Tum libro XII, cap. VII : «Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio.» Et capite IX : «Malæ voluntatis efficientem naturalem, vel si dici potest, essentialem nullam ait esse causam.» Rursus *in Enchiridio ad Laurentium*, capite undecimo : «Quid est autem aliud, inquit, quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animalium nihil est aliud morbis et vulneribus affici, quam sanitate privari. Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, ut mala ista, quæ inerant, id est morbi ac vulnera recedant, et alibi sint, sed utique et non sint. Non enim ulla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus, aut morbus, cum caro sit ipsa substantia, etc. Ita etiam et animorum quæcumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.» Item libro I *contra Julianum* cap. IX : «Nihil est aliud malum, nisi privatio boni.» Et cap. VIII : «Ex bonis igitur inferioribus, atque mutabilibus orta sunt mala. Quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum ; tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus, et in aliquibus naturis esse non posse, nec aliquid esse malum, nisi a bonitate defectum.» Item : «Et hoc non est aliquid, quoniam penitus nihil est, et ideo non potest auctorem habere, quod nihil est.» Sic in libro *Contra epistolam Fundamenti,* cap. XXXV : «Quis enim dubitet, totum illud, quod dicitur malum, nihil esse aliud, quam corruptionem? etc. Quod si non invenitur in rebus malum, nisi corruptio, et corruptio non est natura, nulla utique natura malum est.» Tum lib. *de Natura boni*, capite IV. Ad hæc libro secundo *de Moribus Manichæorum*, capite IV : «Non enim (malum) secundum essentiam, sed secundum privationem rectissime dicitur[1].» Vide et sequentia capita. Imo vero in omnibus fere libris, quos contra Manichæos elucubravit, ubi de malo disputavit, constans est eadem de hujus natura professio. Quinetiam in postremo opere, quod paulo ante obitum scripsit contra Julianum, in primo libro *Operis imperfecti*, cap. CXII : «Non potest, inquit, esse ullum malum, nisi in aliquo bono : quia non potest esse nisi in aliqua natura. Omnis autem natura, inquantum natura est, bona est.»

VII. Prosper in *Sent. August.* CXLIV : «Vitium esse nec in summo potest bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt ; sola autem mala, nusquam : quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis vitio vitiatæ sunt, inquantum vitiosæ sunt, malæ sunt, inquantum autem naturæ sunt, bonæ sunt.» Et in *Sent.* CLXXVI. «Cum Deus incommutabiliter bonus omnes creaturas fecerit bonas, nec ulla omnino nisi ab ipso sit creata natura, nulla est substantia mali : quia quod auctorem Deum non habet, non est. Ita vitium corruptionis nihil est aliud, quam inordinatæ vel desiderium, vel actio voluntatis.» Sententia item CCXXVIII : «Omnia per Verbum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Cum itaque universæ naturæ per Verbum Dei factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitatis nulla substantia est ; et peccatum non naturæ est, sed vitium naturæ id appetentis, quod non est ordinis sui.» Leo Papa epistola XCIII *ad Turibium*, capite

a JUST. Quæst. XLVI. Ὥστε μηδὲν εἶναι φαῦλον παρὰ τὴν παρατροπὴν τοῦ καλοῦ.

1 Lib. *cont. Adv. leg.* c. V.

sexto, « Fides, inquit, vera quæ est catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confitetur substantiam, et mali nullam esse naturam, quia Deus qui universitatis est conditor, nihil non bonum fecit. » Fulgentius item non quæstionis rem haberi istud patitur, sed fidei, ac sine ulla dubitatione credendam : « Nullam esse malam naturam, quia omnis natura, in quantum natura, bona est, etc. Malum enim nihil aliud est, nisi privatio boni[1]. » Rursus idem Prosper alibi.

« Nulla igitur vitiis substantia, nullaque vita [est,
Quæ vegetet corpus, materiamque suam. »

Paulinus epistola XXXVIII : « Multo autem ineptius est ullam culpare naturam, et malam dicere ; quoniam si a Deo omnia, et Deus bonus est, omnia profecto, quæ Deus fecit, bona. » Gennadius in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, capite LX, sententiam illam Leonis Papæ, quam paulo ante descripsimus, totidem verbis descripsit ; in qua illud extat, « *mali nullam esse naturam* : » ex quo concluditur a Deo non esse factum, quia naturarum duntaxat auctor, et conditor est Deus. Isidorus libro I *de Summo bono*, capite XI : « Ideo nihil est malum, quia sine Deo factum est nihil ; Deus autem malum non fecit. » Et : « Nullam esse creaturam malam constat ; quia natura omnis aut incommutabilis est, ut Deus, aut commutabilis est, ut creatura. Malum vero ideo natura nulla est ; quia accedendo in bonam naturam, efficit eam vitiosam ; quod cum discedit, natura manet, et malum, quod inerat, nusquam est. Ex eo quod vitium nocet naturæ, agnoscitur vitium naturam non esse ; quod nihil, quod naturale est, nocet. »

VIII. Albinus Flaccus libro *Interrogationum in Genesim*, « Quid est malum ? » ait interrogatione XCIII. Et respondet : « Malum nihil est per se, nisi privatio boni ; sicut tenebræ nihil sunt, nisi absentia lucis. »

Boetius libro tertio *de Consolatione philosophiæ*, prosa XII, ex eo quod Deus sit omnipotens, et malum facere nequeat, probat malum esse nihil : « Malum igitur, inquit, nihil est, cum id facere ille non possit, qui nihil non potest. »

Petrus Damiani opusculo XXXVI, capite IX : « Mala autem quælibet, inquit, sicut sunt iniquitates, et scelera, etiam cum videntur esse, non sunt, quia a Deo non sunt, ac propterea nihil sunt ; quia videlicet Deus omnino non fecit, sine quo factum est nihil. » Et mox : « Mala ergo etiam cum videntur esse, non sunt, et ab eo, qui vere et summe est, procul sunt. »

Anselmus item libro *de Casu diaboli*, capite IX : « Injustitiam ipsum malum esse dicit, quod nihil aliud sit, quam boni privatio, sive justitiæ. » Atque hoc sequenti capite uberius confirmat. Et in Commentariis ad caput XI epistolæ *ad Romanos*, ad illa verba commatis XXXVI : *Ex ipso sunt omnia :* « Id est bona voluntas, et bona actio, et omnes naturæ. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturaliter subsistentia non sunt, sed bene conditam substantiam vitiant. »

Hugo Victorinus in libro primo *Miscellaneorum* titulo CLXXXV, idipsum pluribus exponit, malum, et vitium sola boni privatione censeri : « Privatio bonorum corporalium, inquit, malum est, et tamen malum (*forte* tantum malum) ; privatio vero spiritualium bonorum malum est, nec solum malum, sed etiam peccatum. »

Bernardus sermone primo *in Annuntiationem :* « Sic et nos, qui de nihilo creati sumus, inquit, constat quia, si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, declinamus. » Et alibi : « Sed ego nec hic, nec alibi sum, quia ad nihilum redactus sum, et nescivi. Vere ad nihilum, id est peccatum, et nescivi[2]. » Et, quem imprudens prætereieram, Gregorius M. tertio libro *Moralium*, capite septimo : « Neque enim mala, quæ nulla natura sua subsistunt, a Domino creantur. »

Denique Honorius Augustodunensis in libro *de Prædestinatione*. « Et ideo malum, inquit, vel peccatum nihil est per substantiam, sicut injustitia. Injustitia autem nihil est aliud, quam ubi non est justitia. Sicut silentium, ubi non est vox ; sicut tenebræ, ubi non est lux. »

IX. Sed modus in citandis testibus faciendus est aliquis ; qui, si omnes appellamus, nullus erit omnino. Est autem generalis hæc, omniumque fere communis argumentatio, qua malum et peccatum nihil esse demonstrant, sed meram boni privationem ; quod malum a Deo productum non esse docent contra Manichæos, et similes hæreticos. Nam quidquid res est aliqua, et ut scholæ loquun-

1 Fulg. lib. *de Fide ad Petr.* c. XXI.— 2 Bern. in Ser. *de Trip. cohær. clav.* et col. 363.

tur, *positivum omne* procreatum est a Deo. Itaque cum mali non sit auctor Deus, necesse est id extra res omnes esse; quod autem est ejusmodi, nihil est. Malum ergo nihil est, « Omne enim malum, non est natura, ait auctor *Hypognostici*, sed actus accidens defectu boni. Quamobrem quod natura non est, Deus non fecit : quia natura est omne, quod fecit [1]. » Eodem spectat et illorum ratio ista, dum contra eosdem hæreticos asseverant, nullum esse mali principium, quod mere malum sit, et nulla boni admistione temperatum; quoniam malum per se constare non potest, cum sit privatio : cujusmodi nusquam, nisi ad rem, et naturam quampiam adhæreseat, in rebus existit.

Perstringuntur illi qui malum esse quid positivum existimant.

Ex hac constanti et consentiente Patrum de mali ac peccati natura sententia licet concludere, quam longe sit ab usu scholarum, ac theologiæ finibus arcenda, proscribendaque opinio illa quorumdam, qui malum, etiam qua malum est, rem esse aliquam, et *positivum* quiddam sentiunt. Quibus cum veterum Patrum concors illa, et sine ulla varietate conveniens auctoritas opponitur, plerique fateri non dubitant, in eo se dissentire ab illis quidem, sed hoc necessaria se inductos ratione facere, quod quædam perplexa sint, et explicatu difficilia, quibus se aliter expedire nequeant. Mihi vero constituendæ sententiæ ratio ista neutiquam placet; neque probo et catholico dignum theologo videtur, prodere antiquitatis partes, si minus adversantium impetum sustinere possit, cum quidvis perpeti satius sit, ac vel inscientiam in eo dissolvendo, quod contra ponitur, fateri suam, quam ab illius auctoritate ultro et confitentem recedere. Est enim e catholice sentiendi loquendique regulis hæc una, quam sacrosancta concilia, et Ecclesiæ pridem totius decreta fixerunt; et in quibus sæpe ita profitentur, nolle se præter ea, quæ communiter antiqui Patres judicarunt, de propositis quæstionibus, ac fidei rebus exponere. Sic quinta synodus, ut alibi referam, nominatim ita cavit, et anathemate damnavit eos, qui ab sanctorum Patrum, quorum nonnullos appellat, sententia desciscunt [2]. Et novissime Tridentina synodus decreto tertio quartæ sessionis, gravissimis pœnis eum subjicit, qui « contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » Et ante hos omnes Leo Papa in epistola XCII : « In his quæ vel dubia fuerint, inquit, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum. »

Atque ut Basilius in libro *de Spiritu sancto* cap. XXIX, tradit : « Nescio quomodo venerationem et assensum exprimunt antiqua dogmata vetustate, sic tanquam canitie, reverenda [a]. » Et ejus frater Gregorius Nyssenus, « Sufficere ait ad demonstrationem dogmatis nostri traditionem, quam a majoribus ad nos usque propagatam habemus [b]. » Ac Maximus Martyr in disputatione contra Pyrrhum, « Patrum sententias legem vocat et canonem Ecclesiæ [c]. » Atqui aut nulla in re unanimis iste Patrum consensus habetur, aut in eo certe, de quo agimus modo cernitur. Non enim, ut aliis in quæstionibus, modo hoc, modo illud, aut alii sic, alii secus pronuntiant, sed ad unum omnes inter se, et secum consentientes singuli de mali, ac peccati natura, ita, uti supra demonstravi, scribunt, ac prædicant. Sed hac de re iterum alias, et quidem accuratius disputandum nobis erit, cum de peccato propria instituetur quæstio.

X. Nunc quantum ad universi generis, id est *mali*, naturam indagandam necesse fuit, in eo tractando loco versati cætera pertexamus; quæ quidem expeditiora nobis erunt, pendent enim maxima parte ex antecedentibus. Nam illud reliquum erat, ut cujusmodi mali ratio, ac definitio sit investigemus. Id autem iis, quæ proposui hactenus, constitutis per se patet. Si enim malum omne in privatione boni situm est; privationis autem natura ex eo, cujus est privatio, metienda est, ex illa boni ratione, quam supra constituimus, non est mali difficilis existimatio. « Definitione enim boni malitia deprehenditur, » ut ait Ambrosius [3]. Bonum esse demonstravimus nihil, præter convenientiam rei. Itaque malum convenientiæ oppositum, *inconvenientia* vocatur ab Augustino, libro secundo *de Moribus Mani-*

a Basil. Δυσωπητικὰ γάρ πως τὰ παλαιὰ τῶν δογμάτων, οἱονεὶ πολιᾷ τινι τῇ ἀρχαιότητι τὸ αἰδέσιμον ἔχοντα.

b Nyssen. lib. III *con. Eun.* Ἀρκεῖ γὰρ εἰς ἀπόδειξιν τοῦ ἡμετέρου λόγου τὸ ἔχειν πατρόθεν ἥκουσαν πρὸς ἡμᾶς τὴν παράδοσιν.

c Maxim. Τί οὖν οἱ πατέρες, ὧν οἱ λόγοι νόμος καὶ κανὼν τῆς ἐκκλησίας καθέστηκεν;

[1] ib. IV, c. I. Tom. VII Op. Aug. — [2] Lib. VI *de Trinit.*, c. v. — [3] Amb. lib. *de Isaac et anima*, c. VII.

Malum est inconvenientia.

chæorum, capite VIII, ubi rem nullam per se esse malam approbat, quoniam quidquid uni malum est, id est alteri bonum, quia conveniens est, ut venenum homini nocet et est malum, scorpioni bonum est. Nam huic « bonum est habere id, quo nobis bonum est carere. Erit ergo eadem res et bonum, et malum? Nullo modo; sed malum est quod contra naturam est; hoc enim et bestiæ illi, et nobis malum est : id est ipsa inconvenientia, quæ sine dubio non est ipsa substantia, imo est inimica substantiæ. » Quod in illo capite latius explicat, et exemplis plurimis illustrat.

Eodem spectant aliæ mali descriptiones quas in illo ipso libro refert Augustinus, velut, id « quod contra naturam est, aut corruptio[1], aut vitium [2].» Et Dionysius, capite IV libri *de Divinis nominibus,* multas quasi per saturam definitiones mali acervatimque congerit, ut sit id, quod est « præter viam, præter scopum, præter naturam, præter causam, præter principium, et præter finem, præterque terminum, præter voluntatem, præter subsistentiam [a]. » Alias « quod præter ordinem est, » id malum esse dicitur. Sic Prosper in *Sententia* CCXXVIII, quam antea citavimus. « Perversitas, inquit Augustinus, contraria est ordinationi. Hæc vero, quæ tendunt ad esse, ad ordinem tendunt, quem cum fuerint consecuta, ipsum esse consequuntur, quantum id creatura consequi potest. Ordo enim ad convenientiam quamdam quod ordinat, redigit [3], etc. » Mox vero, « Quare ordinatio esse cogit, inordinatio vero non esse, quæ perversio etiam nominatur, atque corruptio. » Est autem ordo convenientia quædam; quoniam ordo est « sua cuique tribuens dispositio, » ut ex Bernardo, et Augustino supra commemoravimus. Suum autem cuique convenit.

XI. Ad extremum illud etiam adjungimus, cum Christianorum auctoritate Patrum consentire de mali natura philosophos nostri dogmatis vel ignaros, vel inimicos, uti nihil id esse, præter defectum, ac privationem sentiant. Plato in sophista duplex genus pravitatis ponit in anima [b] : alterum, quod morbi, vel domesticæ cujusdam seditionis instar est, ut sunt cupiditates, et malæ affectiones : alterum, quod est velut turpitudo quædam, ut est inscitia. Utrumque vero in privatione docet consistere. Nam priorem pravitatem nihil esse vult, « præterquam naturalis cognationis dissidium, ex quadam corruptione profectum [c]. » Mox vero : « Seditionem et morbum animæ dicit esse nequitiam [d]. » Posteriorem autem, id est turpitudinem, aliud nihil esse, « quam immoderationis genus quoddam deforme [e]. » Atqui et *morbus*, sive *seditio*, et ἀμετρία id est *immoderatio*, et *corruptio,* quibus ista declarat vocibus privationum nomina sunt. Nec minus Aristoteles in *Ethicis* vitiositatem in privatione posuit [f], cum illam in excessu, vel defectu docuit consistere, et idem esse atque ab scopo aberrare.

Plotinus vero diserte in octavo libro enneadis primæ, capite undecimo, « malum ait contrarium formæ, ideoque privationem esse. Porro privatio semper inest in alio, et in ipsa non est subsistentia. Quare si malum in privatione consistit, in eo, quod forma privatum est, malum erit. Ita per seipsum non erit. Si igitur inest in anima malum, privatio erit in ipsa malum, et malitia, et nihil extra [g]. » Ac mox asserit esse « boni absentiam [h]. » Sed et enneade tertia, libro secundo, capite quinto,

a DION. cap. IV *de Div. nom.* paulo ante fin. Οὐκοῦν τὸ κακὸν παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ παρὰ τὸν σκοπὸν, καὶ παρὰ τὴν φύσιν, καὶ παρὰ τὴν αἰτίαν, καὶ παρὰ τὴν ἀρχὴν, καὶ παρὰ τὸ τέλος, καὶ παρὰ τὸν ὅρον, καὶ παρὰ τὴν βούλησιν, καὶ παρὰ τὴν ὑπόστασιν.

b PLATO in *Soph.* Δύο μὲν εἴδη κακίας περὶ ψυχὴν ῥητέον. Ποῖα; τὸ μὲν, οἷον νόσον ἐν σώματι· τὸ δ' οἷον αἶσχος ἐγγινόμενον.

c Ibid. Πότερον ἄλλο τι στάσιν ἡγούμενος, ἢ τὴν τοῦ φύσει συγγενοῦς ἔκ τινος διαφθορᾶς διαφοράν; Οὐδέν.

d Ibid. Στάσιν ἄρα, καὶ νόσον τῆς ψυχῆς, πονηρίαν λέγοντες, ὀρθῶς ἐροῦμεν.

e Ἀλλ' αἶσχος ἄλλο τι πλὴν τὸ τῆς ἀμετρίας πανταχοῦ δυσειδὲς τῶν ἐν ὄντων γένος;

f Ut in lib. II, cap. V. Τῆς μὲν κακίας, ἡ ὑπερβολὴ, καὶ ἡ ἔλλειψις· τῆς δὲ ἀρετῆς, ἡ μεσότης.

Idem, Ῥᾴδιον μὲν τὸ ἀποτυχεῖν τοῦ σκοποῦ, χαλεπὸν δὲ τὸ ἐπιτυχεῖν.

g PLOTIN. Ἀλλ' ἡ ἐναντία τῷ εἴδει παντὶ φύσις, στέρησις. στέρησις δὲ ἀεὶ ἐν ἄλλῳ, καὶ ἐπ' αὐτῆς οὐχ ὑπόστασις. ὥστε τὸ κακὸν εἰ ἐν στερήσει, ἐν τῷ ἐστερημένῳ εἴδους τὸ κακὸν ἔσται· ὥστε καθ' ἑαυτὸ οὐκ ἔσται. εἰ οὖν ἐν τῇ ψυχῇ ἔσται τὸ κακὸν, ἡ στέρησις ἐν αὐτῇ τὸ κακὸν, καὶ ἡ κακία ἔσται, καὶ οὐδὲν ἔξω.

h Ibid. Οὐδὲ οὖν δεῖ ἄλλοθεν ζητεῖν τὸ κακόν· ἀλλὰ θέμενον ἐν ψυχῇ, οὕτω θέσθαι ἀπουσίαν ἀγαθοῦ εἶναι.

1 Cap. III et seq. — 2 Lib. *de Vera relig.*, c. XIX — 3 Tom. I, lib. II, *de Mor. Manic.*, c. VI.

malum universe ait esse ἔλλειψιν ἀγαθοῦ, *defectum boni*. Proclus vero in *Rempublicam* Platonis nullam esse mali ideam dicit [a], neque Deum esse, aut habere ideam illam, quia mali auctor esse non potest.

Sallustius philosophus libro *de Diis, et mundo*, capite XII : « Sed quanam ratione, inquit, cum Dii boni sint, omniaque ipsi faciant, mala sunt in mundo? An primum dici istud oportet, cum Dii boni sint, et omnia faciant, mali nullam esse naturam, sed ex boni absentia fieri; quemadmodum tenebræ ex seipsis non sunt, sed ex absentia luminis oriuntur [b]?»

CAPUT V.

De origine mali, sive unde sit malum. Veterum error hæreticorum mali quoddam æternum, et increatum principium asserentium. Itidem et eorum, qui materiam æternam et mali causam esse docuerunt. Calvinus multo quam illi detestabilior, qui Deum ipsum mali et peccati causam efficientem constituit, ac veteres Patres impudenter arguit. Hanc blasphemiam a gentilibus, et Christianis omnibus rejectam, qui omnes Deum mali, ac peccati auctorem non esse defendunt.

Difficilis de mali origine quæstio

Pervetus est illa de mali origine dubitatio; quæ et philosophos Christiani dogmatis ignaros, et hujus qualicumque perfusos notitia, vel desperatione fregit, vel miserrimo facto naufragio, ad cautes atque syrtes detestandi erroris allisit. Movebat enim utrosque ratio illa, quod si Deus summe bonus sit, et ideo bonitas ipsa infinita, et usquequaque diffusa, nullus sit malo reliquus locus, ubi consistat. Ut si infinitus quidam sit calor mundum replens universum, ita ut pars illo rerum vacua nulla sit, nusquam frigus existat. Quamobrem frequens apud illos hæc est inquisitio, undenam sit malum : quam in quarto capite libri *de Divinis nominibus* proponit, et fuse disputat Dionysius. Etenim malum alicubi esse constat. « Nam si malum non est, inquit, idem erunt virtus et vitium [c]; » quomodo etiam Plotinus argumentatur [1]. Ac si nihil est malum, id est non est res aliqua, sed rei privatio, ac defectus, ut capite superiori diximus, non est a Deo procreatum. Quidquid enim creatione, id est actione vera producitur, id est aliqua res. At malum ὑπόστασιν non habet, ut ait Dionysius; et, ut Gregorius Magnus, « non creatur, quia nulla natura sua subsistit [2]. » Vel hinc constare potest, id esse verissimum, quod antecedenti capite demonstratum est, cum omne per sese malum, tum quod in eo genere est maximum, vitiositatem non re constare, sed privatione boni. Etenim nihil sic antiquitas omnis persuasum habuit, non ea solum, quæ veri Dei scientiam cultumque tenuit, sed etiam falsæ divinitati dedita, quam mali conditorem, et auctorem non esse Deum, qui quidem optimo jure hac sit appellatione dignus. Itaque perditissimi hæreticorum omnium, ut Marcionitæ, et Manichæi duos affirmare deos maluerant, et unum horum mali principium, ne illum verum Deum, qui natura bonus est, fontem et originem mali esse faterentur. Quare cum quidquid res est aliqua, vel creator sit, vel a Deo creatum, nec sit interjectum quippiam, si est ulla mali natura, idque ut malum est, res aliqua sit, non aliunde, quam a Deo factum procreatumque sit oportet. At posterius falsum, ac detestandum visum est iis, quos dixi, hoc est mortalibus omnibus. Nemo igitur aliud olim de malo judicium fecit, quam nos antecedenti capite; uti res nulla proprie sit, sed rei, quæ omnis est bona, defectio.

Substantiam

Error duo principia asserentium

II. Ergo hæreticorum plerique veterum in eo conspirarunt, ut unum aliquod mali affirmarent esse principium, ab eo, qui boni est auctor, plane diversum, ut ex Epiphanio cognoscimus, et Augustino, ac cæteris, qui de Hæresibus commentati sunt. Ita Cerdo, et Marcio, qui quidem tria rerum principia numeravit, bonum, justum, et pravum, ut ex Epiphanio commemorat Augustinus [3]. Tum vero Manichæus omnium pestilentissimus,

a Proclus in Platon. Εἰ γὰρ μόνων ἀγαθῶν αἴτιος ὁ θεὸς, καὶ πᾶς ὁ θεὸς κακοῦ οὐδενὸς, συναποδέδεικται καὶ ὅτι κακῶν ἰδέα οὐκ ἔστι, etc.

b Sallust. Ἀλλὰ πῶς, θεῶν ἀγαθῶν ὄντων, καὶ πάντα ποιούντων, τὰ κακὰ ἐν τῷ κόσμῳ; ἢ πρῶτον μὲν αὐτὸ τοῦτο ῥητέον ὅτι, θεῶν ἀγαθῶν ὄντων, καὶ πάντα ποιούντων, κακοῦ φύσις οὐκ ἔστιν, ἀπουσίᾳ δὲ ἀγαθοῦ γίνεται. ὥσπερ καὶ σκότος αὐτὸ μὲν οὐκ ἔστιν, ἀπουσίᾳ δὲ φωτὸς γίνεται;

c Dion. cap. IV *de Divin. nom.* Εἰ γὰρ μή ἐστι τὸ κακὸν, ἀρετὴ καὶ κακία ταὐτόν.

1 Plot. *Enn.* VI, lib. VII, c. XXIII. — 2 Lib. III *Mor.*, c. VII. — 3 Tom. VI, lib. *de Hær.*, c. XLVI.

cujus eumdem errorem instauravere Priscillianistæ; ut ex Leonis epistola XCIII et Bracarensi prima synodo constat. Atque illi naturam quamdam constituebant ingenitam, et æternam, cum ipsam malam, tum malorum omnium effectricem; quem diabolum esse Priscillianus asseruit. Augustinus de Manichæo : « Iste duo principia, inquit, inter se diversa, atque adversa, eademque æterna, et coæterna, hoc est semper fuisse, composuit; duasque naturas, atque substantias, boni scilicet, et mali, sequens alios antiquos hæreticos. » Quamobrem efficientem isti causam invexere mali; de qua Basilius homilia secunda *in Hexaemeron* illa Mosis explanans : *Et tenebræ erant super faciem abyssi;* ubi hæreticos ait intellexisse « vim quamdam malam, vel potius ipsummet malum, quod a seipso habet initium et adversatur, contrariumque est bonitati Dei [a] : » ac subinde κακὸν αὐτογέννητον appellat, hoc est « malitiam sui genitricem, quæ non est ab alio mutuata substantiam, » ut vertit Eustachius. Unde Valentini, Marciones, ac Manichæi, ut idem ait, erupere. Vide Euthymii *Panopliam* in parte prima, titulo IX, ubi de hoc argumento plura disserit; nec non Ambrosium in primo *Hexaemeri*, capite VIII.

[M]ateriam [m]ali sempiternam [q]ui somniarunt.

III. Alii non efficientem causam, sed materiam invexere mali sempiternam, et a nullo productam. Nam ab hac divinis operibus admista boni labem oriri malum dixere complures; imprimisque Platonici, uti fuse Plotinus disputat [1]. Quanquam Plato ipse varie de hac re pronuntiasse videtur, ut observat Psellus, *Quæstione* LXXXIII *Physica*. « Nam in *Timæo* matrem et nutricem vocat ortus malorum, et causam ad mundi opificium cum alia concurrentem. At in disputationibus *Eleatæ hospitis*, causam appellat ordinatæ compositionis, quæ inest in hac rerum universitate. In dialogo vero, qui *Philebus* inscribitur, a Deo et illam derivans, divinam eam, et bonam esse censet, propter illam, quæ est a Deo generationem. Verum Proclus philosophus neque bonam esse illam asserit, neque malam [b]. » At Justinus martyr in *Cohortatione ad Græcos* Platonem affirmat materiæ mali totius originem adscribere, quam alias γεννητὴν, alias ἀγέννητον constituat [2]. *Genitam. Ingenitam.*

Maximus vetus scriptor christianus apud Eusebium in septimo *de Præparatione evangelica*, longa disputatione probat, neque ortus expertem esse materiam, neque causam malorum; quæ disputatio, et apud Origenem [3], ut jam dixi, reperitur. Methodius item martyr in libro *de Libero arbitrio*, et *de Causa, et origine mali*, eadem propemodum expressit [4]. Ac quibus argumentis efficitur, nihil præter Deum ortus expers posse esse, quod ingenitum dicitur, iisdem anilis ista veterum de materia ingenita explosa est opinio. Quod si a Deo producta materia est, ut esse debet, si est res, et rei pars componens, mala esse per sese non potest, sed bona sit oportet. Non enim ex nihilo componi, et οὐσιωδῶς constitui res ulla potest; quemadmodum ex materia naturale corpus omne constat. *Substantialiter.*

Licet tamen ex accidenti quodammodo malam nominare materiam, non quod ipsa per se mala, sed quod mali causa sit. Nam ex eo, quod mutationes varias excipit, et aliis post alias formis afficitur, ut ortum posterioribus, sic interitum prioribus affert, et perniciem. Est de hac re elegans et erudita disputatio Maximi Tyrii in *Dissertatione* XXXV [c], ubi duplex malorum distinguit genus : alterum, quod est materiæ quædam affectio; cujusmodi sunt, morbi, calamitates publicæ privatæque, quæ per se minime sunt mala, id est absolute, et ex toto, sed aliis commoda sunt, aliis incommoda. Ea vero ex materia dicit oriri. Ut in arte factis quædam materiæ vitio prava existunt opera, dum adversus artem nativa duritie, aut alia quapiam labe repugnat, seque minus obsequentem, ac tractabilem præbet. Alia sunt vera mala, quæ non aliunde manant, quam ex hominum improbitate, et voluntatis usu.

IV. Quamobrem si efficientem mali cau-

a BASIL. Hom. II *in Hexaem.* Δύναμιν κακὴν, μᾶλλον δὲ αὐτὸ τὸ κακὸν, παρ' ἑαυτοῦ τὴν ἀρχὴν ἔχον, ἀντικείμενον, ἐναντίον τῇ ἀγαθότητι τοῦ Θεοῦ ἐξηγοῦνται τὸ σκότος.

b PSELLUS. Πλάτων ὁ φιλόσοφος ἐν μὲν Τιμαίῳ, μητέρα καὶ τιθήνην τῆς τῶν κακῶν γενέσεως, καὶ συναιτίαν τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας αὐτὴν ἀποφαίνεται· ἐν δὲ τοῖς Ἐλεάτου τοῦ ξένου λόγοις αἰτίαν αὐτὴν λέγει τῆς τοῦ παντὸς εὐταξίας. ἐν δὲ τῷ διαλόγῳ τῷ καλουμένῳ Φιλήβῳ, ἀπὸ Θεοῦ καὶ ταύτην παράγων, ἔνθεον αὐτὴν καὶ ἀγαθὴν, διὰ τὴν ἀπὸ Θεοῦ γένεσιν ἀποφαίνεται. Πρόκλος δὲ ὁ φιλόσοφος οὔτε ἀγαθὴν αὐτὴν οἴεται, οὔτε κακήν.

c MAXIM. TYR. Διττὴ δὲ αὕτη (μοχθηρία) ἡ μὲν ὕλης πάθος, ἡ δὲ, ψυχῆς ἐξουσία, etc.

1 Plotin. *Enn.* I, lib. III. — 2 Just. *in Protrept.* — 3 Cap. XXIII. *Philoc.* — 4 Apud Phot., cod. 236.

Duo malorum genera distinguenda.

sam inquirimus, duo illa cum Maximo Tyrio discernenda sunt genera malorum, ac prioris quidem naturalis est aliqua causa, tum proxima, et quam secundam vocant, tum generalis et suprema, Deus : quoniam mala ista non sunt proprie dicta, sed ex accidenti, quatenus ita uni congruunt, ut disconveniant alteri. Sed nec illa per se, et qua mala sunt, arcessit, et conciliat ulla causa; sed propter bonum illud, quocum privatio est conjuncta boni. Vere est enim illud a philosophis dictum, usuque contritum, nullam rem mali cujuspiam causa quidquam agere, sed id spectare, quod bonum est. Est vero malum, qua malum est, nihil. Quare itidem quæritur, et appetitur, ut est. Est autem non per se, ac directa aliqua causæ agentis efficientia, sed quasi ex obliquo; et adnascitur potius, quam nascitur. Hinc Dionysius capite quarto *de Divinis nominibus*: « Malum, ait, exstantiam non habet, sed ad exstantiam (ut sic loquar) quoniam boni gratia fit, non suimetipsius [a]. » Cujus causam Maximus in *Scholiis* hanc reddidit : « Quoniam non intuentes in malum id agimus; sed videmur bonum facere, cum eventus ipse contrarium ostendat [b]. » Sed impressius, ut Tertullianus loquitur, Dionysius ipse; qui ὀξύμωρον illud inculcat : « Omnium, adeoque malorum principium ac finis erit bonum. Etenim boni gratia fiunt omnia, tam quæcumque bona sunt, quam quæ contraria. Nam et hæc agimus bonum desiderantes. Nemo enim in malum intuens facit quæcumque facit [c]. » Quod ipsum in posteriori quoque mali genere cernitur, hoc est vitiositate, cujus causa *non efficiens*, sed *deficiens*, ut ait August. nulla est alia, nisi voluntas libera. « Vade igitur, inquit Maximus Tyrius, et ad aliorum malorum nativum principium, quod libera facultas animæ parturit, et ad partum adducit, cui nomen est pravitas; hujus causa in eo est qui eligit : Deus extra culpam est [d]. » Hinc apud Homerum cum hominibus expostulans ita Jupiter introducitur :

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται,
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

« Papæ ! quomodo tandem Deos homines [incusant?
A nobis enim aiunt esse mala. At hi ipsi
Suis sceleribus præter fatum dolores ha- [bent [1]. »

V. Itaque non ab externa quapiam causa malum illud oritur, « sed ab interna, et domestica, ut ait Gregorius Nyssenus, libera tunc voluntate conflatum, cum ab eo, quod honestum est, quidam sit animæ recessus [e]. » Quod disertius explanat in homilia VII, *in Ecclesiasten*: « Quoniam ergo libero voluntatis impulsu a bono excidimus : quemadmodum qui in lumine non sunt, tenebras videre dicuntur; nam in nihil videndo tenebras videre consistit : tunc vitiositatis natura, quæ nihil est, in iis qui a bono defluxerunt, exstantiam accepit. Quæ eatenus est, quod nos extra bonum sumus. Quod si rursus libera voluntatis motio ab ea divellatur habitudine, quam ad illud habet, quod nihil est et cum eo, quod est, copuletur; illud quidem, quod est in me, esse non habens amplius, nec quod est quidem in me habebit omnino. Malum enim extra liberum arbitrium, in seipso non est situm [f]. » Ideo *liberæ voluntatis inventum* Joannes Damascenus *peccatum* nominat [g].

Basilius item homilia secunda *in Hexae-*

a DIONYS. Διὸ οὔτε ὑπόστασιν ἔχει τὸ κακὸν, ἀλλὰ παρυπόστασιν, τοῦ ἀγαθοῦ ἕνεκα, καὶ οὐχ ἑαυτοῦ γινόμενον.

b MAXIM. Ὅτι οὐ πρὸς τὸ κακὸν ὁρῶντες, τοῦτο πράττομεν, ἀλλὰ δοκοῦντες ἀγαθὸν ποιεῖν, εἰ καὶ ἡ ἔκβασις τοὐναντίον δείκνυσιν.

c Πάντων καὶ τῶν κακῶν ἀρχὴ καὶ τέλος ἔσται τὸ ἀγαθόν. τοῦ γὰρ ἀγαθοῦ ἕνεκα πάντα καὶ ὅσα ἀγαθὰ, καὶ ὅσα ἐναντία, καὶ γὰρ καὶ ταῦτα πράττομεν τὸ ἀγαθὸν ποθοῦντες. οὐδεὶς γὰρ εἰς κακὸν ἀποβλέπων ποιεῖ ἃ ποιεῖ.

d MAX. TYR. ibid. Ἴθι δὴ καὶ ἐπὶ τὴν τῶν ἄλλων ἀρχὴν τὴν αὐτοφυῆ, ἣν ἡ ψυχῆς ἐξουσία κυΐσκει τε καὶ τελεσφορεῖ, ᾗ ὄνομα μοχθηρία. αὐτοῦ τοῦ ἑλομένου αἰτία· θεὸς ἀναίτιος.

e GREGOR. NYSS. *Catech.* cap. V. Ἀλλ' ἐμφύεταί πως τὸ κακὸν ἔνδοθεν, τῇ προαιρέσει τότε συνιστάμενον, ὅταν τις ἀπὸ τοῦ καλοῦ γένηται τῆς ψυχῆς ἀναχώρησις.

f Idem. Ἐπεὶ οὖν τῷ αὐτεξουσίῳ τῆς ὁρμῆς τοῦ ἀγαθοῦ ἀπεῤῥύημεν· ὥσπερ οἱ ἐν φωτὶ μὴ ὄντες σκότος λέγονται βλέπειν· ἐν γὰρ τῷ μηδὲν βλέπειν ἐστὶ τὸ σκότος βλέπειν· τότε ἡ ἀνύπαρκτος τῆς κακίας φύσις ἐν τοῖς ἀποῤῥυεῖσι τοῦ ἀγαθοῦ οὐσιώθη· ἥ τις ἕως τότε ἐστὶν, ἕως ἂν ἡμεῖς ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ ὦμεν. εἰ δὲ πάλιν ἡμῶν ἡ αὐτεξούσιος τοῦ θελήματος κίνησις ἀποῤῥαγείη τῆς πρὸς τὸ ἀνύπαρκτον σχέσεως, καὶ συμφυείη τῷ ὄντι· ἐκεῖνο μὲν τὸ ἐν ἐμοὶ μηκέτι εἶναι ἔχουσα, οὐδὲ τὸ ἐν ἐμοὶ ὅλως ἕξει. κακὸν γὰρ ἔξω προαιρέσεως ἐφ' ἑαυτοῦ κείμενον οὐκ ἔστιν,

g DAMASC. lib. IV, cap. XXI. Πόθεν οὖν ἡ ἁμαρτία; τῆς αὐτεξουσίου γνώμης τοῦ διαβόλου εὕρημα.

1 Homer. Od. I.

meron : « Ergo, inquiunt, si neque genitales sunt tenebræ, (verba sunt Eustathii interpretis) neque ex Deo factæ, unde illis origo est? Nam quia sint malæ, nullus audet repugnare vivorum. Quid ergo nos dicimus? Quia malum est non aliqua viva et animata substantia, sed affectus quidam virtuti contrarius, et a bonitate dejectus, et in pravissimorum mentibus collocatus. Quapropter nolo te malum extraneum arbitrari, nec idem principalem naturam nequitiæ possidens opinari; sed suæ quisque malitiæ se auctorem esse cognoscat [a]. » Et paulo post : « Quarum igitur rerum domini habemur, earum aliunde non mutuamur initia. Itaque recognosce, quia quod proprie malum est, ex commissis arbitrii liberi capit exordium [b]. »

Zacharias Mitylenæus in excerpto quodam, quod est in tomo IV *Bibliothecæ Patrum* [1] : « Bonum enim in anima, et vivere secundum virtutem, tanquam optimus quidam habitus, sicut dictum est, advenit homini : hujus vero ignavia ex voluntate, et ex prava consuetudine, ac conversatione mala proficiscente, malum, tanquam privatio habitus, sæpe accidit. »

VI. Poterunt hæc vulgaria videri, et illorum propria temporum, quibus « hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illæ Manichæorum funesta sanctorum mentibus tentaverunt inferre contagia, » ut ait Ambrosius [2]. Contra quos demonstrandum illud fuit, quod et complures sanctorum Patrum egregie susceperunt, malum omne, quod revera malum est, et *peccatum* dicitur, non aliam efficientem habere causam, quam suam cujusque voluntatem liberam; nec in auctorem, vel impulsorem Deum illius originem posse referri : tum vero neutiquam homines necessitate quadam ad peccandum adigi, sed in potestate habere sua se, voluntatisque motus, quibus in prava præcipites feruntur. Sed eadem non minus hodieque necessaria videri facit præsentium acerbitas temporum, quibus emersere non dissimilia priorum istorum, hoc est « desperata in se, ut cum Hilario conquerar, et sæva in omnes impiæ temeritatis ingenia, potentem Dei naturam ex naturæ suæ infirmitate moderantium [3]. » Addo ex suæ pravitate bonam et beneficam æstimantium. « Neque ut ipsi usque ad infinitatem opinandi de infinitis rebus emergerent; sed intra finem sensus sui indefinita concluderent, essentque sibi arbitri religionis, cum religionis opus obedientiæ esset officium, sui immemores, divinorum negligentes, præceptorum emendatores. Nam ut de cæteris hæreticorum hodiernorum stultissimis studiis sileam, de quibus sicubi occasionem sermonis ratio præbebit, non tacebimus, » illud constat, Calvini, et eorum omnium, qui hujus dogmata profitentur, eam esse vecordiam, Deum ut mali atque peccati causam efficientem, hoc est impellentem, moventem et excitantem constituant. Quod multis jampridem nostrorum querelis agitatum, et objectum isti sectæ, quoniam eo nos disputatio nostra provexit, hoc loco breviter attingam.

VII. Deo igitur « volente ac jubente excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ pœnas daturus est, » totidem verbis Calvinus scripsit. « Tergiversando itaque effugiunt, Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri. Ipse vero palam se facere pronuntians, effugium illud repudiat [4]. » Vult itaque Deus ac jubet, adeoque facit illam cordis cæcitatem, ob quam pœnas sempiternas luunt reprobi. Hoc vero nihil aliud est, quam peccatum. Nihil enim præter hoc æterno cruciatu plectitur. Neque permittendo solum auctor illius, et effector est, sed inspirando, et operando ut subinde his verbis explicat : « Quantum ad arcanos motus spectat, quod de corde regis prædicat Salomon, ait ibidem, flecti huc vel illuc, prout Deo visum est, ad totum certe humanum genus extenditur : tantumdemque valet, ac si dixisset, quidquid animis concipimus, arcana Dei inspiratione ad suum finem dirigi. Et certe nisi intus operaretur in mentibus hominum, non recte dictum esset auferre labium a veracibus [5], » etc. Mox : « Certa destinatione Dei fuisse impulsos ad exequenda

Calvinus Deum mali auctorem facit.

a Basil. Hom. II *in Hexaem.* Εἰ τοίνυν, φασὶ, μήτε ἀγέννητον, μήτε παρὰ Θεοῦ γεγονὸς, πόθεν ἔχει τὴν φύσιν; τὸ γὰρ εἶναι τὰ κακὰ οὐδεὶς ἀντερεῖ τῶν μετεχόντων τοῦ βίου. τί οὖν φαμέν; ὅτι τὸ κακόν ἐστιν οὐχὶ οὐσία ζῶσα, καὶ ἔμψυχος, ἀλλὰ διάθεσις ἐν ψυχῇ ἐναντίως ἔχουσα πρὸς ἀρετὴν, διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ καλοῦ ἀπόπτωσιν τοῖς ῥαθύμοις ἐγγινομένη. μὴ τοίνυν τὸ κακὸν ἔξωθεν περισκόπει· μηδὲ ἀρχέγονόν τινα φύσιν πονηρίας φαντάζου, ἀλλὰ τῆς ἐν ἑαυτῷ κακίας ἕκαστος ἑαυτὸν ἀρχηγὸν γνωριζέτω.

b Mox : Ὧν τοίνυν αὐτὸς εἶ κύριος τούτων τὰς ἀρχὰς μὴ ζητήσῃς ἑτέρωθεν· ἀλλὰ γνώριζε τὸ κυρίως κακὸν ἐκ τῶν προαιρετικῶν ἀποπτωμάτων τὴν ἀρχὴν εἰληφός.

1 Zachar. Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Lib. I *Hex.* cap. VIII. — 3 Hilar., lib. I. — 4 Calv. lib. I. *Inst.* cap. XVIII. § 1. — 5 Id. § 2.

sua judicia, » hoc est ad malefacta, impios asserit. « Fateor quidem, interposita Satanæ opera sæpe Deum agere in reprobis; sed ut ejus impulsu Satan ipse suas partes agat, et perficiat quatenus datum est. Dicitur etiam idem Satan excæcare infidelium mentes; sed unde hoc, nisi quod a Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant qui renuunt parere veritati? » Denique, « Summa, inquit, hæc sit, quum Dei voluntas dicitur rerum omnium esse causa, providentiam ejus statui moderatricem in cunctis hominum consiliis et operibus, ut non tantum vim suam exerat in electis, qui Spiritu sancto reguntur, sed etiam reprobos in obsequium cogat. » Capite rursus quarto antiquos Patres vellicat, « qui religiosius interdum simplicem quoque veritatis confessionem in hac parte reformidant, quod verentur, ne impietati fenestram de operibus Dei irreverenter obloquendi aperiant. Quam sobrietatem ut exosculor, ita minime periculosum judico, si simpliciter teneamus quod Scripturæ tradit. Ne Augustinus quidem illa superstitione interdum solutus est: quemadmodum ubi dicit indurationem, et excæcationem non ad operationem Dei, sed ad præscientiam spectare. » Ac demum ita loquitur, « quod ad exequenda sua judicia per ministrum iræ suæ Satanam, consilia eorum destinat quo visum est, et voluntates excitat, et conatus firmat. » Plura sunt alia detestanda et abominanda dicta nefarii capitis, quæ alium in locum reservamus; in quo videlicet adversus hoc portentum totis fidei viribus, ac pleno congressu decertabimus: quod partim in libro *de Prædestinatione ac reprobatione*, partim cum de peccatis agetur, efficere studebimus. Habent enim disputationes istæ propriam illius argumenti tractationem; quam eatenus hic perstrinximus, ut appareret, mali principium, auctoremque Deum hac etiam ætate censeri ab improbis, et nomine tenus Christianis, quos Marcionibus, Valentinis, Manichæis, Priscillianistis, cæterisque pestibus execrandos magis, et humani generis odio dignos existimes. Nam illi usque eo mali auctoritatem et efficientiam malam et ipsam intellexerunt esse, ut, quo minus illam Deo vero ac bono tribuerent, aliud, præter hunc, principium, causamque mali peregrinam, nec ab illo oriundam inducerent. Ac testis est Justinus in Cohortatione ad Gentiles [a], Platonem idcirco æternam et ingenitam dixisse esse materiam, ne Deum mali effectorem cogeretur asserere: « Ob id, inquit, et ingenitam dixit esse materiam, ne Deum mali auctorem dicere videretur. » Quod, etsi alias impium est, tolerabilius est tamen nupera illa perfidia; quod Dei bonitatem oppugnare ac negare, quam omnipotentiam, multo contumeliosius est Deo, et ad communem perniciem, atque ad opprimendam religionem omnem ac pietatem valentius.

VIII. Ac profecto, quod nemo veterum usu, ac lectione tritus ignorat, nihil adeo profanis juxta, atque sacris usitatum scriptoribus est, quam mali auctorem non esse Deum, hoc est efficientem causam illo modo, quem Calvinus istis ipsis, quæ supra posui, verbis exposuit; uti scelera peccataque non permittat solum, quod ille tanquam nimis dilutum et exile respuit, sed ad ea prorsus impellat, moveat, et excitet; ac velut invitos pro potestate compellat. Hoc, inquam, quod vel dictu nefarium, et abominandum esse sentiunt omnes, in quibus communis sensus vestigium aliquod superest, gentiles plerique, qui paulo in studio sapientiæ liberalius versati sunt, non obscure tradiderunt, e quibus in hoc, et antecedenti capite paucos citavimus. Nunc illud adjungemus Platonis in secundo *de Republica*, ubi copiose hunc locum exornat, ac cum bonum ita Deum esse, ut mali auctor non sit, affirmat, tum poetas, qui secus prædicant, repudiandos esse. « Igitur nonne bonus, inquit, et ipse Deus est, et ita profitendum? Procul dubio. Atqui nullum bonum noxium est, an non? Nullum, ut arbitror. Quod innoxium est, numquid nocet? Nequaquam. Quod non nocet, numquid malum facit? Ne hoc quidem. Quod autem nihil mali facit, nullius est mali causa [b]. » Ac paulo post: « Non igitur, in-

a Just. *Cohort.* Διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἀγέννητον τὴν ὕλην ἔφησεν εἶναι, ἵνα μὴ δόξῃ τὸν θεὸν τοῦ κακοῦ ποιητὴν εἶναι λέγειν.

b Plato, lib. II *de Repub.* sub fin. Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅ γε θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω; τί μήν; Ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε τῶν ἀγαθῶν βλαβερὸν, ἦ γάρ; Οὔ μοι δοκεῖ. Ἆρ' οὖν ὃ μὴ βλαβερὸν βλάπτει; οὐδαμῶς· ὃ δὲ μὴ βλάπτει, κακόν τι ποιεῖ; οὐδὲ τοῦτο. ὃ δέ γε μηδὲν κακὸν ποιεῖ, οὐδ' ἄν τινος εἴη κακοῦ αἴτιον, etc.

Tum postea: Οὐκ ἄρα, ἦν δ' ἐγὼ, ἀποδέχομαι οὔτε Ὁμήρου, οὔτε ἄλλου ποιητοῦ ταύτην τὴν ἁμαρτίαν περὶ τοὺς θεοὺς ἀνοήτως ἁμαρτάνοντος.

Item. Τὴν δὲ τῶν ὅρκων καὶ σπονδῶν σύγχυσιν, ἣν ὁ Πάνδαρος συνέχεεν, ἐάν τις φῇ δι' Ἀθηνᾶς τε καὶ Διὸς

quam, vel Homerum, vel alium quempiam poetam probo, qui hoc circa Deos peccatum stulte committat. » Post item : « Illam vero jurejurandorum, et induciarum confusionem, quas Pandarus permiscuit, si quis auctore Pallade, ac Jove factam esse dicat, non assentiemur : neque Deorum rixam, ac judicium arbitris Themide ac Jove probabimus. Sed neque quod dicit Æschylus, audire patiemur juvenes :

Deus causam serit mortalibus,
Quoties labefactare domum aliquam funditus [vult.

IX. Theodoretus etiam ex eodem Platone illud affert : « Culpa est eligentis ; Deus culpa caret. Deus enim malorum causa non est [a] : » quod Maximus Tyrius usurpat paulo ante laudatus a nobis. Nec omittendus Philo Judæus, cujus ex libro sic inscripto, *Quod deterior potiori insidiari soleat*, memorabilia sunt ista : « Non enim, ut impii quidam, Deum auctorem malorum esse Moyses affirmat, sed manus nostras, figurate nostros conatus subindicans, et voluntarias cogitationes in deterius proclives [b]. » Idem etiam in libro *de Confusione linguarum*, Calvinianorum blasphemiam pulsat, dum quod Scriptura præcipit, homicidii reum, si ad altare confugerit [1], inde detrahi, ac puniri, interpretatur sic, eo ipso, quod tanti sceleris conscius ad Deum confugit, sacrilegum et impium videri, « quod Deum nefarii criminis auctorem facit. Etenim vox ista confugiendi, talem sensum subjicit : quoniam multi propria evadere crimina volentes, et a pœnis, quas ob illa meriti sunt, liberare se, scelus suum in Deum conferunt, qui nullius mali, bonorum autem omnium est causa [c]. » Hoc enim Calviniani ex illo dogmate suscipiunt, ut totam scelerum culpam suorum in Deum transferant ; utpote qui Dei voluntate, imo instigante, impellente, cogenteque Deo (totidem enim verbis usus est Calvinus) ad malum perpetrandum excitantur. Ideo neque voluntate, sed necessitate peccant ; adeoque non peccant ipsi, sed qui peccatum vult, ac sponte deligit, et ad hoc efficiendum alienam urget instigatque voluntatem. Præsertim cum, uti Calvinus ex Augustino disputat, « Voluntas Dei sit necessitas rerum [2]. »

X. Tantum enim cæcitatis et vecordiæ in illo fuit hodiernæ hæresis architecto, ut quod Augustinus de necessariis ac naturalibus rerum efficientiis dixit, id ille ad liberas voluntatum motiones pertinere voluerit. Unde et Adamum lapsum idcirco esse docet, quia Deus voluit ; et reprobos deinde necessario peccare, tametsi non coacte, quippe libero privatos arbitrio [3]. Quod etiam Theodorus Beza in *Responsione ad Castellionem* secutus est. De quibus alias. Hoc enim unum modo persequimur, ut ex Calvini, et sectatorum ejus dogmate planum sit, consequens esse, peccatorum omnium, quæ ab angelis et hominibus admissa sunt, nullam penes ipsos, qui ea perpetrasse dicuntur, residere culpam, sed totam in Deum refundi. Tanto christiane magis sapiunt gentiles philosophi, quam qui se christianos appellant, Romanæ communionis hostes. Quibus et alter ingerendus est Philonis locus ex libro *de Profugis* : ubi, itidem ut Plato, et Maximus Tyrius in iis locis, quos nominavimus, alludens ad id, quod Homerus dolia apud Jovem esse scribit duo, unum bonorum, alterum malorum : negat ullum apud Deum esse malitiæ thesaurum, cum sit totus in nobis : « penes Deum vero nonnisi bonorum [d] ; » tum ista subjicit : « Ægre sanabilem, imo prorsus insanabilem hanc esse labem, auctorem dicere esse malorum Deum [e]. » Quid autem frequentius utriusque paginæ Testamenti prædicant, quam Deum iniquitatem ac peccatum exsecrari et odisse, nedum

Refellitur Calvini impietas e Scripturis

γεγονέναι, οὐκ ἐπαινεσόμεθα. οὐδὲ θεῶν ἔριν τε καὶ κρίσιν διὰ Θέμιτός τε καὶ Διός· οὐδ' αὖ, ὡς Αἰσχύλος λέγει, ἐατέον ἀκούειν τοὺς νέους, ὅτι

Θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλει.

a Plato apud Theod. Orat. vi *con. Gr.* Αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος· κακῶν γὰρ ὁ θεὸς οὔποτε αἴτιος.

b Philo Jud. Οὐ γάρ, ὡς ἔνιοι τῶν ἀσεβῶν, τὸν θεὸν αἴτιον κακῶν φησι Μωϋσῆς· ἀλλὰ τὰς ἡμετέρας χεῖρας συμβουλικῶς τὰ ἡμέτερα παριστὰς ἐγχειρήματα, καὶ τὰς ἑκουσίους τῆς διανοίας πρὸς τὸ χεῖρον τροπάς.

c Philo. Ὅτι θεὸν τῆς ἀνοσιουργοῦ τόλμης αἰτιᾶται· τὸ γάρ, καταφύγῃ, τοιοῦτον ὑποβάλλει νοῦν, διότι πολλοὶ τὰ καθ' ἑαυτῶν ἀποδιδράσκειν ἐθέλοντες ἐγκλήματα, καὶ ῥύεσθαι τῶν ἐφ' οἷς ἠδίκησαν ἀξιοῦντες ἑαυτοὺς τιμωριῶν, τὸ οἰκεῖον ἄγος, τοῦ κακοῦ μὲν οὐδενός, ἀγαθῶν δ' ἁπάντων αἰτίῳ προσβάλλουσι θεῷ.

d Philo. *de Profug.* Ἐν ἡμῖν γὰρ αὐτοῖς, ὡς ἔφην, οἱ τῶν κακιῶν εἰσι θησαυροί· παρὰ θεῷ δὲ μόνων ἀγαθῶν.

e Idem. Δυσίατος δέ, ἢ παντελῶς ἀνίατος μῶμος, τὸ φάσκειν καὶ κακῶν αἴτιον εἶναι τὸ θεῖον.

1 *Exod.* xxi. 14. — 2 Calv. lib. III *Instit.* cap. xxv, § 8. — Id. lib. II, cap. ii et cap. xxx. § 5.

velle, et ad illud excitare, atque cogere. Ita in *Psalmo* v : *Mane astabo tibi, et videbo, quia non Deus volens iniquitatem tu es.* Et apud Ezechielem : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat*[1]? Et in libro *Sapientiæ* : *Deus mortem non fecit*, *nec lætatur in perditione vivorum*[2]. Denique Paulus ad Romanos scribens, iniquum fore Deum asserit, si vera sit opinio Calvini, velle peccatum, ad idque necessitate quadam constrictos excitare, et impellere Deum. *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat,* inquit, *quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico). Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum*[3] ? »

XI. Accedant pauca quædam veterum eadem de re testimonia. Athenagoras in *Apologetico* causam etiam illius eruditam affert, ac verissimam : « Quoniam ad id, quod præter (id est contra) naturam est, impellere non est Dei[a]. » Est autem e mali definitionibus ex Augustino superius allatis una hæc, ut sit « id, quod est contra naturam. » Quare Deus ad malum non impellit. « Deus enim neque tentatur a malo, neque tentat quempiam » ad malum : quod Jacobus indicat, ut Græca præ se ferunt[b]. At ex Calvini blasphemia, non tentat solum, et illicere studet, quod unum diabolo concessum est, sed etiam, quod iste nec facit, nec potest facere, pro potestate compellit, « et reprobos (quæ sunt Calvini verba) in obsequium cogit. » Clemens Alexandrinus in primo *Stromateon*, peccatum omne ex libera fieri voluntate hominum asserit : « Deum autem causam illius non esse[c]. »

Ex Patribus.

Athanasius in libro *contra Gentes.* « Malum, inquit, neque a Deo est, neque in Deo; neque a principio fuit, nec est ejus ulla substantia[d]. » Sed copiosissime et ad retundendam Calvinianam inscitiam aptissime Origenes in sexto libro *contra Celsum*, etiam argumentis, quæ præcipua sunt hoc in genere, notatis, idipsum docuit. Nam cum Celsus idem, quod postea Calvinus, sentire Christianos existimans, interrogaret, qui tandem Deum mala fecisse putarent, respondet Origenes : « Nos ad ista dicimus, mala quidem, hoc est vitiositatem, et quæ ab hac ortum habent, actiones non fecisse Deum. Quomodo enim fieri posset, ut dogma illud de Judicio libere prædicaretur, quod quidem docet, tum improbos pœnis affici propter actiones ex vitiositate factas, pro ratione delictorum; beatos vero esse, et a Deo præmia consecuturos eos, qui ex virtutis præscripto vixerint, sive actiones virtutis fecerint, si ejusmodi mala Deus fecisset[e]. » Mox ait, qui Deum mali auctorem constituunt, eos Scripturæ testimonia quædam afferre, quæ id videntur asseverare; sed ea male ab illis intelligi. Etenim « mala proprie dicta, *quibus mali fiunt homines*, non fecisse Deum; sed ea velut ex accidenti consequi[f]. » Quæ adversus Calvinum scripta putet, qui legere voluerit. Eadem pene Gregorius Nyssenus habet in capite v *Catechetici* libri, quæ antecedenti capite descripta sunt.

Methodius item auctor antiquus in libro *de Libero arbitrio*, apud Photium, « impium esse censet, effectorem mali putare Deum[g]; » ut et Theodoretus libro V, *contra Hæreses*, capite VI.

XII. Basilius vero integrum de hoc argumento librum elucubravit; in quo Deum ejus, quod vere malum est, id est peccati, auctorem non esse disputat; hoc vero a nobis, et ab libera voluntate nostra, non ab illo proficisci. « Quod igitur, inquit, proprie malum est, peccatum, quodque potissimum mali appellatione dignum est, ex nostra voluntate

a Athen. Οὐ γὰρ θεοῦ κινεῖν ἐπὶ τὸ παρὰ φύσιν.

b Jacob. I, 13. Ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα.

c Clem. *Strom.* Ἵν' ὅτι μάλιστα ὁ θεὸς μὲν ἡμῖν κακίας ἀναίτιος. ἐπεὶ δὲ τῶν ἁμαρτημάτων προαίρεσις, καὶ ὁρμὴ κατάρχει.

d Athen. Ὅτι τὸ κακὸν οὐ παρὰ θεοῦ, οὐδὲ ἐν θεῷ, οὔτε ἐξ ἀρχῆς γέγονεν, οὔτε οὐσία τίς ἐστιν αὐτοῦ.

e Origen. lib. VI *con. Cels.* Ἡμεῖς δὲ φαμὲν, ὅτι κακά μὲν τὴν κακίαν, καὶ τὰς ἀπ' αὐτῆς πράξεις ὁ θεὸς οὐκ ἐποίησε. πῶς γὰρ οἷόν τε ἦν τὸ περὶ τῆς κρίσεως κήρυγμα παῤῥησίαν ἔχειν διδάσκον, κολάζεσθαι μὲν ἐπὶ ταῖς κατὰ κακίαν πράξεσι, κατ' ἀναλογίαν τῶν ἡμαρτημένων, τοὺς φαύλους· μακαρίους δ' εἶναι, καὶ τεύξεσθαι τῶν ἀπὸ θεοῦ γερῶν τοὺς κατ' ἀρετὴν βιώσαντας, ἢ τὰς κατ' ἀρετὴν πράξεις ποιήσαντας, εἰ τὰ οὕτως κακὰ πεποιήκει ὁ θεός;

f Ibid. Κακὰ τοίνυν εἰ μὲν τὰ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενα ἐξακούοι τις, ὁ θεὸς οὐ πεποίηκεν· ἀλλὰ τοῖς προηγουμένοις αὐτοῦ ἔργοις ὀλίγα ὡς πρὸς τὴν τῶν ὅλων διάταξιν, τυγχάνοντα, ἐπηκολούθησεν.

g Phot. cod. 236. Καὶ τὸ ἐντεῦθεν ὁλόκληρον εἶναι τὸ κακὸν αἴτιος ἔσται δημιουργήσας ὁ θεὸς, ὅπερ ἀσεβές.

1 *Ezec.* xviii, 23. — 2 *Sap.* i, 13. — 3 *Rom.* iii, 5.

pendet; cum in potestate situm sit nostra vel a pravitate abstinere, vel pravis esse[a]. » Et postea : « Omnino vere neque Deum existima mali exstantiæ causam esse, neque propriam mali esse substantiam, tibi fingito[b]. » Ac per totam illam homiliam copiose de hac re disserit, eademque illa firmamenta, quibus Calvinus blasphemiam suam approbat, hoc est Scripturæ testimonia, itidem ut nos Catholici facimus, explicando illis eripit.

Sed illud imprimis ejusdem memorabile dictum, quod fulminis instar totam illam Calvinianam nationem percellit, omittere est nefas. « Stultus est, inquit, ac revera mente privatus, et prudentia, qui dicit non esse Deum. Similis autem huic est, et nihil ab eo stoliditate differt, qui malorum causam ait esse Deum. Nam par et æquale utriusque esse crimen arbitror, quoniam ambo similiter bonum esse Deum negant : ille quidem, dum non esse simpliciter affirmat : hic vero, cum non esse bonum ipsum asserit. Nam si malorum auctor est, non est utique bonus. Quare utrinque Dei est negatio[c]. » Tertullianus in libro *contra Hermogenem* capite XVI, Deum auctorem negat posse esse mali. Vide Joannem Damascenum libro secundo *de Imaginibus*[1].

XIII. Augustinus plerisque in libris eadem sentit ac docet. Ut in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione IV, causam inquirens peccati, eam ab Deo removet : « Bonorum enim Deus causa est. » Nempe quod, ut etiam Basilius colligit, si proprie et directe causa Deus esset peccati, malus esset. Porro vera et proprie dicta esset causa peccati, si hoc vellet, et ad id alios excitaret et impelleret; imo necessitate quadam urgeret. Et quæstione XXI. « Quisquis omnium, quæ sunt, auctor est, et ad cujus bonitatem id tantum pertinet, ut sit omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem, quod deficit, ab eo, quod est, esse deficit, et tendit in non esse. Esse autem, et in nullo deficere bonum est, et malum deficere. At ille, ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, id est tendendi ad non esse; quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est, et propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium, quæ sunt, auctor est; quia in quantum sunt, in tantum bona sunt. » Et in libro singulari *de Genesi ad litteram*, capite V : « Nam et vitiorum, inquit, nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit, quæ merentur. » Libro item secundo *de Peccatorum meritis*, capite XIX. « Extolli quippe in superbiam propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei; neque enim ad hoc eos compellit, aut adjuvat Deus. » Et in libro I *contra Julianum*, capite VIII, fuse istud exponit. Breve et illud dictum Augustini, sed memorandum imprimis, refert Guillelmus Parisiensis ex libro LXXXIII *Quæstionum* · « Nullius rei, cujus est auctor Deus, ultor est ipse[2]. » In quo argumentum continetur adversus Calvinianam hæresim longe præstantissimum. Non enim consentaneum est, tam graves repeti pœnas ab aliquo illius peccati, quod impellente, excitante, cogente Deo, cujus voluntas rerum necessitas est, adeoque necessario, non libere commiserit. « Non enim justum est, vel eum, qui necessitate impulsus est ad aliquid agendum, vel qui mali nihil egit, mala perpeti[d], » ut ait Isidorus Pelusiota. Tertullianus libro secundo *contra Marcionem*, capite VI : « Cæterum nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. »

Repugnat Deum esse peccati auctorem et ultorem.

XIV. Novatianus libro *de Trinitate*, capite IV : « Nec enim potest, inquit, fieri, ut sit initiator, aut artifex ullius mali operis, qui

a Basil. tom I. Τὸ μὲν οὖν κυρίως κακὸν ἡ ἁμαρτία, ὅπερ μάλιστά ἐστι τῆς τοῦ κακοῦ προσηγορίας ἄξιον, ἐκ τῆς ἡμετέρας προαιρέσεως ἤρτηται· ἐφ' ἡμῖν ὄντος ἢ ἀπέχεσθαι τῆς πονηρίας, ἢ μοχθηροῖς εἶναι.

b Ibid. Ὅλως δὲ μήτε Θεὸν αἴτιον ἡγοῦ τῆς ὑπάρξεως τοῦ κακοῦ, μήτε ἰδίαν ὑπόστασιν τοῦ κακοῦ εἶναι φαντάζου.

c Basil. ibid. Ἄφρων οὖν ἐστιν ὡς ἀληθῶς ἐστερημένος νοῦ καὶ φρονήσεως ὁ λέγων ὅτι οὐκ ἔστι Θεός· παραπλήσιος δὲ τούτῳ, καὶ οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην ἀπολειπόμενος καὶ ὁ λέγων τῶν κακῶν αἴτιον εἶναι τὸν Θεόν· ὁμότιμον γὰρ αὐτῷ εἶναι τίθεμαι τὴν ἁμαρτίαν· διότι ἑκάτεροι ὁμοίως ἀρνοῦνται τὸν ἀγαθόν· ὁ μὲν οὐκ εἶναι τὸ παράπαν λέγων· ὁ δὲ οὐκ ἀγαθὸν αὐτὸν εἶναι διοριζόμενος. εἰ γὰρ κακῶν αἴτιος, οὐκ ἀγαθὸς δηλονότι, ὥστε ἀμφοτέρωθεν ἄρνησίς ἐστι τοῦ Θεοῦ.

d Isid. Pel. lib. III, Epist. XXVI. Οὐ γὰρ δίκαιον οὔτε τὸν ἀναγκασθέντα δράσαι τινὰ, οὔτε τὸν μηδὲν δράσαντα δεινὸν δεινὰ παθεῖν.

1 Dam. II *de Imag.* — 2 Lib. *de Vitiis.* c. IV.

nomen sibi perfecti vindicat, et parentis, et judicis; maxime cum omnis mali operis vindex sit, et judex : quoniam et non aliunde occurrit homini malum, nisi a bono Deo recessisset. Hoc autem ipsum in homine denotatur, non quia necesse fuit, sed quia ipse sic voluit. » Gregorius item Nyssenus : « Nulla, inquit, origo mali ab divina voluntate initium accepit. Alioqui extra reprehensionem foret malitia, quæ sibi factorem, et auctorem inscriberet Deum. Sed ab interiori quodammodo malum oritur, voluntate tunc libera conflatum, cum ab eo, quod honestum est, quidam fit animæ recessus[a]. »

Athanasius quoque libro *de Salutari adventu Christi :* « Verum injustum rursus esset Dei judicium, inquit, quo condemnatur ille, qui peccavit. Nam si implicatas peccato cogitationes molitus est Deus, quonam pacto condemnat eum, qui peccaverit[b]? » Gaudentius item Brixianus, sermone tertio *de Paschate :* « Certe ingentis sacrilegii est, inquit, vel cogitare, quod Deus, qui non solum bonus et justus, sed ipsa bonitas est et ipsa justitia, vel jubeat aliquid, vel cogat fieri, quod factum damnet. » Denique Augustinus ipse, quo uno fere niti se Calvinus profitetur, in *Responsione ad articulos falso sibi impositos,* articulo 10, ipsummet dogma Calvini, quod sibi impositum erat, nempe, « Quod adulteria, et corruptelæ virginum sacrarum ideo contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinavit ut caderent : » hoc, inquam, quod diserte Calvinus docet, ita Augustinus refellit : « Detestanda et abominanda opinio est, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem : cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est. » Ac subinde, « Non ergo casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit. » Poterat in immensum diffundi ista disputatio, nisi alter ei reservandus esset ac proprius locus, ubi de peccato agitur. Quod quia longius differendum est, pauca quædam in antecessum repræsentare visum est, ex quibus tum illa Calvini, Bezæ, ac similium monstrorum blasphemia propulsetur : tum recentior etiam ista compescatur opinionis licentia; quæ per contemptum auctoritatis tantæ, grassari instituit ad eam novitatem, ut peccatum directe et, ut loqui solent, formaliter, rem esse aliquam assereret, hoc est positivum quippiam.

CAPUT VI.

De Dei, ut vocant, Impeccabilitate, Græce ἀναμαρτησίᾳ. *Explicantur causæ, propter quas mali, id est peccati, non sit effector Deus : quod non sit factus : quod non sit mutabilis : quod natura bonus, quod invidiæ expers. Cur omnino, et extra Deum sit malum, nec ab infinito bono profligetur : Non posse esse summum malum. Deum mali ejus auctorem esse, quod culpa caret. Qui contra senserunt. Dorotheus excusatur.*

Nunc causas aliquot referam iisdem ex antiquis petitas theologis, propter quas mali, id est peccati auctor et impulsor, ut impius Calvinus affirmat, esse nequeat Deus. Harum prima est illa, quam Augustinus indicat, quia non factus, nec de nihilo productus est. Ex quo et altera causa sequitur, quod non sit mutabilis : necnon tertia, quia Deus adventitium nihil habet, nec ullam qualitatem accipit, neque quidquam inest ei, præter naturam, et essentiam, quod libro secundo demonstratum est, cum de simplicitate illius agebamus. Causas illas tres simul complexus est is, quem dixi, Augustinus libro primo *contra Julianum*, capite VIII, cujus verba, quia sunt eximia, et ad rem imprimis pertinent, non sunt omittenda. « Libenter enim, ut cum Bernardo loquar, ubi mihi congruere video, verba sanctorum assumo, quo vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæque in eis lectori apposuerim[1]. » Ait ergo de Manichæis loquens Augustinus : « Contra quos catholica fides Dei tantummodo sine initio naturam prædicat, summi scilicet,

Deus impeccal lis quia r factus, r immutab

a GREG. NYSS. cap. V *Catech.* Οὐδεμία κακοῦ γένεσις ἐκ θείου βουλήματος τὴν ἀρχὴν ἔσχεν. ἢ γὰρ ἂν ἔξω τῆς μέμψεως ἦν ἡ κακία Θεὸν ἑαυτῆς ἐπιγραφομένη ποιητὴν, καὶ πατέρα. ἀλλ' ἐμφαίνεταί πως τὸ κακὸν ἔνδοθεν, τῇ προαιρέσει τότε συνιστάμενον, ὅταν τις ἀπὸ τοῦ καλοῦ γένηται τῆς ψυχῆς ἀναχώρησις.

b ATHAN. Ἀλλ' ἄδικος ἔσται πάλιν ἡ κρίσις καταδικάζουσα τὸν ἁμαρτήσαντα. εἰ γὰρ ἁμαρτητικοὺς λογισμοὺς ἐδημιούργησεν ὁ Θεὸς, πῶς καταδικάζει τὸν ἁμαρτήσαντα;

1 Bern., Hom. III super *Missus est.*

atque incommutabilis boni, hoc est illius ineffabilis Trinitatis, a quo summo, ut dictum est, atque incommutabili bono universam conditam dicit esse creaturam, naturasque omnes bonas, quamvis impares creatori, quia ex nihilo creatas, ideoque mutabiles; ita ut omnino nulla natura sit, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso facta sit : ut quantacumque, aut qualiscumque natura sit, et in quantum natura est, bonum sit. Quærunt itaque a nobis, unde sit malum. Respondemus ex bono, sed non summo et incommutabili bono. Ex bonis igitur inferioribus atque mutabilibus orta sunt mala. Quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum, tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus, et in aliquibus naturis esse non posse, nec aliquid esse malum, nisi a bonitate defectum. Sed cujus defectum, nisi alicujus sine dubitatione naturæ? Quia et ipsa voluntas mala nonnisi alicujus est voluntas profecto naturæ. Et Angelus quippe et homo naturæ sunt. Non enim potest esse nullius voluntas, quando est voluntas. Et tantum valent eæ voluntates, ut earum naturarum, quarum sunt, faciant qualitates. Nam si quæratur qualis sit angelus, vel homo malæ voluntatis, rectissime respondetur, malus magis accipiens qualitatis nomen ex voluntate mala, quam ex natura bona : quoniam natura est ipsa substantia et bonitatis, et malitiæ capax. Bonitatis capax est participatione boni : malitiam vero capit non participatione mali, sed privatione boni; id est non commiscetur naturæ, quæ aliquid malum est; quia nulla natura, in quantum natura est, malum est: sed quia deficit a natura quæ summum atque incommutabile est bonum, propterea quia non de illa, sed de nihilo facta est. Alioquin nec malam voluntatem habere posset, nisi mutabilis esset. Mutabilis porro natura non esset, si de Deo esset, non ab illo de nihilo facta esset. »

II. Hic Augustini locus paulo etiam longior descriptus est a nobis, quoniam ad id, quod indagare studemus, mali scilicet naturam, non parum adjumenti suppeditat, ut et paulo post plenius constabit, et nunc tres indidem causæ illæ constituuntur, propter quas mali actor auctorve esse, vel, quod inde necessario sequitur, peccare Deus omnino nequeat. Id enim solum mali est causa quod deficit; quia peccatum nonnisi defectus est. Hoc vero deficere solum potest, quod et ex nihilo factum est, et est mutationis capax. Quod autem nihil nisi natura est, neque qualitatem ullam, aut accessionem alterius cujuscumque capere potest, id mutari omnino non potest, neque ab natura, id est a seipso deficere. « Mala, inquit Augustinus in libro XXII *de Civitate Dei*, cap. I, omnino nulla essent, nisi natura mutabilis, quamvis bona et a summo Deo, atque incommutabili bono, qui bona omnia condidit, instituta, peccando mala ea sibi ipsi fecisset. » Quo illud etiam Athenagoræ refertur superiori capite commemoratum, « Deum ad id quod contra naturam est non posse movere. » Sic Titus Bostrensis libro secundo contra Manichæos; « Cum enim, inquit, sit secundum naturam, immutabile est ei nolle quidquam mali facere[1]. » De quo Titi loco vide quæ supra diximus, cum de Omnipotentia Dei loqueremur.

Cyrillus Alexandrinus exquisita oratione hunc illustrat locum in libro quinto *Commentariorum in Joannem*, cum illa verba declarat; *a meipso facio nihil*, hoc est contra voluntatem paternam. Quod sic intelligendum monet, ut non virtute quadam, voluntatis electione quæsita, et in habitum conversa, nunquam a bono et honesto Christus recedat, sed ut sit immutabilis naturæ iste fructus. Nam « in rebus creatis, inquit, utpote quæ in deteriora mutari possunt, et conversionibus a melioribus ad turpiora cedere, fructus erit religiosæ mentis, et in virtutem propensæ, bonum. At in divina et omnia excedente substantia, non ita res habet. Sublata enim mutatione omni et conversione, neque loco huic ullo relicto, deinceps fructus erit immutabilis substantiæ, bonum : quemadmodum et in igne calor, et in nive frigus[a]. » Ita Philo Judæus in libro *de Nominum mutatione*, illud exponens, quod Abraham *cecidisse in faciem suam*[2] coram Deo stante scribitur:

[a] Cyril. lib. V *in Joan.* Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν κτισμάτων, ἅτε δὴ καὶ τραπέσθαι δυναμένων ἐπὶ τὰ χείρω, καὶ μεταβολαῖς ὑπείκειν ταῖς ἐξ ἀμεινόνων ἐπὶ τὰ αἰσχίονα, καρπὸς ἂν εἴη θεοσεβοῦς τε καὶ φιλαρέτου γνώμης τὸ ἀγαθόν. ἐπὶ δέ γε τῆς θείας, καὶ τὰ πάντα ὑπερκειμένης οὐσίας οὐχ οὕτως. ἀλλοιώσεως γὰρ, καὶ τροπῆς ἁπάσης ἐξῃρημένης, καὶ τόπον οὐκ ἐχούσης οὐδένα, καρπὸς ἔσται λοιπὸν οὐσίας ἀπαραποιήτου, τὸ ἀγαθὸν, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ ἐν πυρὶ τὸ θερμὸν, καὶ ἐν χιόνι τὸ ψυχρόν.

1 Tom. IV *Bibl. Patrum.* — 2 *Gen.* XVII.

designari hoc ipso ait, « quam Abraamus de se ac de Deo sententiam haberet, nempe uti Deus in eodem statu perseverans stabilis sit, et immotus; at homo nunquam in eodem consistat statu; alias aliis temporibus mutationes capiens, quibus miser dejectus, tota enim vita illius lapsus est, gravi ruina concidit[a]. » Rupertus quoque libro secundo *de Victoria Verbi Dei*, capite XII, fontem ac stirpem peccati in rebus creatis esse docet, quod ex nihilo sunt conditæ.

III. Sequitur τῆς ἀναμαρτησίας ejusdem alia ratio, vel ἀκακίας : quod bonus natura sit Deus, et quidem summum bonum, imo bonitas summa. « Non alias autem plene bonus sit, nisi mali æmulus, » ait Tertullianus[1]. Athenagoras in oratione *pro Christianis* eamdem rationem indicat : « Deus, inquit, cum perfecte sit bonus, perpetuo beneficus est[b]. » Quare uti quod natura summe infiniteque calidum est, vel infinitus est calor, nullam frigiditatis particulam admittit, neque frigus potest esse; ita infinita bonitas malitiam excludit omnem. Vel potius uti τὸ ὂν adversatur τῷ μὴ ὄντι, hoc est *ens non enti* : sive τὸ εἶναι, quod est *esse*, repugnet τῷ μὴ εἶναι, ei *quod est non esse*, et *summe esse* penitus a se rejicit *non esse*. Sic Deus, cujus essentia est ipsum *esse*, sive *summum esse*, ac *summum* bonum esse, ne levissima quidem afflatur aura malitiæ, quæ est nihil, et bonitati contraria. Atque hæc dupliciter malitia spectatur : vel κατὰ προαίρεσιν, *secundum voluntatem*, et affectum : vel κατ' ἐνέργειαν, *efficientia ipsa*. Neutro modo malum Deo convenire potest. De utraque Gregorius Nyssenus ita scribit in *Catechetico*, cum de Verbi natura disserit : « Cum autem omnia possit Verbi libera voluntas, ea nullum ad malum propensionem habet, aliena quippe est a divina natura in malitiam propensio; sed omne, quod bonum sit, hoc etiam velle necesse est : volentem autem omnino etiam posse; porro cum possit, non otiosam esse, sed omnem boni electionem ad effectum producere[c]. » De efficientia vero mali ita Basilius in homilia secunda ad *Hexaemeron*. « At neque a Deo malum esse productum, inquit, religiosum est dicere; eo quod nullum contrarium a contrario gignitur. Non enim vita mortem generare potest, neque tenebræ luci esse principium, neque morbus esse sanitatis efficiens. Sed in mutationibus quidem affectionum a contrariis ad contraria transitur; in generationibus autem non a contrariis, sed ab congeneribus eorum, quæ fiunt, unumquodque progreditur[d]. » Quibus postremis verbis eruditam rationem complexus est, propter quam neque Deus malus ipse fieri, neque malum per se et, ut Calvinus impie docet, voluntate ac destinatione potest efficere. Siquidem mutationes illæ, quas ἀλλοιώσεις vocant, vulgo *alterationes*, ita fiunt, ut quod mutatur, quia jam existit, ab eo mutetur quod contraria qualitate præditum est, quæ eam, qua affectum est id, quod mutatur, expellit. Sic enim aqua frigida ab igne calido mutatur. At in iis productionibus, quæ, quod non erat, efficiunt, non fit e contrariis mutatio; sed ab eo, quod ἐντελεχείᾳ, id est *actu* est aliquid, simile quiddam oritur, ut ignis ab igne gignitur. Igitur neque aliquid simpliciter, absoluteque malum a Deo producitur; quia mali nihil est in Deo; neque ex bono malum efficitur; quia non inest in eodem forma bonitati contraria : neque malus ex bono denique potest fieri; quoniam nihil habet naturæ suæ, quæ est ipse, contrarium : quod jam in libro secundo, cum de immutabilitate Dei sermo nobis esset, ostendimus.

a Philo lib. *de Nom. commut.* Καὶ πεσεῖν παρὰ τὸν ἑστῶτα εἰς ἔνδειξιν τῆς ὑπολήψεως, ἣν περὶ ἑαυτοῦ τε ἔσχε, καὶ θεοῦ· ὅτι ὁ μὲν κατὰ τὰ αὐτὰ ἑστὼς, κινεῖ τὴν σύμπασαν στάσιν, οὐ διὰ τῶν σκελῶν (οὐ γὰρ ἀνθρωπόμορφος) ἀλλὰ τὴν ἄτρεπτον, καὶ ἀμετάβλητον ἐμφαίνουσαν· ὁ δ' οὐδέποτε ἐν ταὐτῷ βεβαίως ἱδρυμένος, ἄλλοτε ἀλλοίας δέχεται μεταβολὰς, καὶ ὑποσκελιζόμενος ὁ δυστυχὴς (ὄλισθος γὰρ ὁ σύμπας βίος ἐστὶν αὐτῷ) μέγα πτῶμα πίπτει.

b Athenag. pag. 29. Ὁ δὲ θεὸς, τελείως ἀγαθὸν ὢν, ἀϊδίως ἀγαθοποιός ἐστιν.

c Greg. Nyss. *Catech.* cap. I. Πάντα δὲ δυναμένην τὴν τοῦ λόγου προαίρεσιν πρὸς οὐδὲν τῶν κακῶν ῥοπὴν ἔχειν· ἀλλοτρία γὰρ τῆς θείας φύσεως ἡ πρὸς κακίαν ὁρμή· ἀλλὰ πᾶν ὅτι περ ἐστὶ ἀγαθὸν, τοῦτο καὶ βούλεσθαι. βουλομένην δὲ πάντως καὶ δύνασθαι· δυναμένην δὲ μὴ ἀνενέργητον εἶναι· ἀλλὰ πᾶσαν ἀγαθοῦ προαίρεσιν εἰς ἐνέργειαν ἄγειν.

d Basil. Hom. II *in Hexaem.* Οὐ μὴν οὐδὲ παρὰ θεοῦ τὸ κακὸν τὴν γένεσιν ἔχειν εὐσεβές ἐστι λέγειν, διὰ τὸ μηδὲν τῶν ἐναντίων παρὰ τοῦ ἐναντίου γίνεσθαι· οὔτε γὰρ ἡ ζωὴ θάνατον γεννᾷ· οὔτε τὸ σκότος φωτός ἐστιν ἀρχὴ, οὔτε ἡ νόσος ὑγιείας δημιουργός· ἀλλ' ἐν μὲν ταῖς μεταβολαῖς τῶν διαθέσεων, ἐκ τῶν ἐναντίων πρὸς τὰ ἐναντία αἱ μεταστάσεις· ἐν δὲ ταῖς γενέσεσιν, οὐκ ἐκ τῶν ἐναντίων, ἀλλ' ἐκ τῶν ὁμογενῶν ἕκαστον τῶν γινομένων προέρχεται.

1 Lib. I *cont. Marc.*, c. XXVI.

Impeccabilitatis. IV. Non dissimilis est et illa causa τῆς ἀναμαρτησίας in Deo, quam Titus Bostrensis in primo *contra Manichæos* affert; « quod sanctus, et verus sit Deus[1] : » imo natura sua sanctitas et veritas. Id enim a voluntatis, et τῆς προαιρέσεως bonitate non discrepat. Peccatum vero sanctitati, et veritati contrarium est; quandoquidem ex pravitate et falsitate conflatur. *Deus autem lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*[2]. Idem etiam et de justitia, cæterisque Dei proprietatibus dici convenit; quibus est adversa peccati malitia, ut propterea penitus a Deo propulsanda sit.

Denique celebris et illa ratio Platonicorum est ab eorum magistro tradita, ob quam Deus nihil omnino nisi bonum efficit; malum autem suopte nutu, ac voluntate nullum[3]. Cum enim bonus sit, invidere nulli potest. Invideret autem, si quid boni, hoc est convenientis rebus a se procreatis subtraheret. Hinc de Filii perfecta divinitate, qua est æqualis Patri, solent iidem Patres argumentari; ut ex eo nihil esse probent in Patre, quod desit Filio : quoniam si quid inesset illi, quod non cum Filio suo communicasset, aut imbecillitate gignentis esset, aut invidia detractum. At illi infinita potentia, huic infinita bonitas obsistit : de qua argumentatione postea. Interim de bonitate hoc adjicimus, quoniam hoc illi, qui vera et proprie dicta generatione de substantia nascitur alicujus, convenit, ut *Substantiale.* totum id, quod est, οὐσιῶδες, in eum transfundatur, nulla re subtracta; interesse bonitatis infinitæ, quæ est in Patre, ut tota, quanta est, in Filium sese diffundat substantia divinitatis, et perfectio; ne quid, quod congruum sit (hoc enim idem et bonum est) non jam boni artificis operi, sed boni parentis unigenæ Filio desit, ac manca sit, et imperfecta in operando Dei bonitas, ideoque nulla.

V. Verum ex iis, quæ hactenus exposita sunt, quiddam quæstionis existet, quod minime dissimulari debeat. Nam idcirco mali diximus nihil neque in Deo inesse posse, neque ab eo fieri, quia totum bonitas occupavit; eaque cum infinita sit, contrarium nihil immisceri patitur. At huic ipsi rationi consentaneum videri potest, ne alibi quidem, et extra Deum malum consistere. Ut enim, si infinitus sit calor, et is ubique diffusus, nulla ut mundi particula calore vacet infinito, nusquam frigus existet; ita cum infinita totam rerum naturam bonitas impleat, nullus malo videbitur in rebus locus relictus. Sed huic dubitationi facile respondetur. Si enim Deus, et hujus infinita bonitas, itidem ut ignis, aut calor, naturali quadam necessitate ageret, ac se ideo totum explicaret; nihil omnino ullo in Dei opere mali resideret. Esset enim illo posito infinitum perinde, infiniteque bonum, quod necessario infinitum illud agens efficeret. Quo ex argumento concludi solet, tam Filium, quam Spiritum sanctum, quia uterque necessitate naturæ, non voluntatis arbitrio procedit a Patre, tum infinitum esse, tum mali et imperfecti nihil habere posse. At res cæteras Deus idem non ulla impulsus naturæ necessitate, sed libere, ac certo consilio molitur cujusmodi vult, et quatenus vult. Cumque nonnisi ex nihilo eas efficere possit, sequitur easdem natura mutabiles, ac proinde si ratione, et libertate præditæ sunt, peccato per sese obnoxias fieri. Quod quidem cum impedire, ac funditus ex natura rerum abolere posset, sponte permisit. « Melius enim judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere, » ut Augustinus loquitur[4].

VI. Hinc illud apparet, quo sensu verum sit, quod ait Plotinus, necessario malum consequi posito bono[a]. Quod ille quidem, ut erat a magistro Platone perdoctus, in materiam rejecit, ex qua constat universitas. Sed quia non ea sola, quæ constant materia, malum, id est peccatum capiunt; sed etiam materia carentibus inest, ut in capite quarto *de Divinis nominibus* tradit Dionysius, verior est illa causa, quam christiana religio docet : ideo necessario, quantum quidem natura fert rerum, esse peccatum; quoniam necesse est, præter Deum, et ex nihilo omnia esse facta, et mutationi subjici : quæ est origo sola peccati. Quocirca recte Augustinus ait in illo loco, quem descripsimus libri primi *contra Julianum*, capite octavo, mala etsi naturæ non sunt, tamen « nisi ex aliquibus, et in aliquibus naturis esse non posse. » Et in quinto *contra* eumdem *Julianum*, capite XVI, reprehendit quod ab illo scriptum erat : « De ea re, quæ a peccato libera est, peccata non nasci. Ecce enim, inquit, nulla opera Dei habent culpam. Unde igitur culpa nata est? » Hunc de origine mali, peccatique locum egregie tractat auctor

a PLOT. *Enn.* lib. VIII, cap. VII. Πῶς οὖν ἐξ ἀνάγκης εἰ τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ κακόν;

1 Tom. IV *Bibl. Patrum.* — 2. *Joan.* I, 5. — 3 Vide lib. V *de Trin.*, c. XIII, et Cyril. Dial. *de Trinit.* IV. — 4 In *Enchir.* cap. XXVI, et lib. XXII *de Civit. Dei*, c. I.

ethnicus Sallustius nuper editus in libro *de Diis et mundo*. Ubi, cum malum nihil esse, id est naturam habere nullam ostendisset, postea singillatim docet, « neque in Diis esse, neque in mentibus, neque in animis, neque in corporibus. Nam in diis non inest; quoniam Deus omnis bonus est. Quod si quis mentem dicat esse malam, mentem dementem esse dicit. Sin animam, deteriorem eam constituit corpore. Etenim corpus omne per se malitia caret. Sin ex anima et corpore oriri putat, non est rationis, separata quidem ambo non esse mala; convenientia vero simul malitiam efficere. Jam si dæmones quis esse malos asserat, ii, si quidem a diis vim acceptam habent, mali neutiquam fuerint. Sin habent aliunde; non igitur omnia faciunt dii. Si non omnia faciunt, vel quia cum velint, nequeunt, vel etiamsi possint, nolunt. Neutrum autem convenit Deo[a]. » Qua perbrevi collectione nihil dici potest accuratius. Nam omnia fere, quæ hucusque a nobis enarrata sunt de origine mali, compendio perstrinxit.

VII. Ex iis vero præjudicium factum videtur de illa quæstione, quæ tamdiu catholicos, et hæreticos mali principii propugnatores exercuit, an sit, aut in rerum natura esse possit summum malum, quod Græce melius αὐτόκακον sonat, hoc est malum merum ac simplex, quod nulla boni particula temperatum sit. Quemadmodum enim bonum est aliquod summum, quod neque mali quidquam habet admistum, neque labem ullam potest levissimam capere: Est autem Deus, *Qui est absque ulla iniquitate*[1]. Et, *non est iniquitas apud Deum*[2]. Ita num malum aut sit, aut esse possit tale quæritur, quod sit omnis boni funditus expers. Cujusmodi Marcionis, ac Manetis discipuli, cæterique hujus generis hæretici malum commenti sunt æternum, et ἀγένητον, contrarium alteri bono. Contra quos innumeri ab antiquis scripti sunt libri, quorum extant hodieque non pauci, ut quamvis non omnino pars illa disputationis omittenda sit, quoniam ad institutum nostrum facit; non tamen longius ea propaganda sit, ne in re facili, et vulgari abuti videamur tam nostro, quam eruditi lectoris otio, cum ad alia utriusque festinet animus.

Quod igitur ex antiquorum omnium monimentis doctrinaque colligitur, hoc de illa re paucis explicamus: nihil esse, ac ne fingi quidem posse simpliciter malum, quod non bono alicui sit adjunctum. Etenim cum ea sit mali natura, quam supra demonstravi, ut sit boni privatio, sive negatio quædam convenientiæ; non potest per se, et ab omni re separata privatio consistere. Sicut cæcitas, nisi in oculo, esse nulla potest. Ita bonum sit aliquod oportet, quod malo subjicitur; nec ab ipso penitus extinguitur, ut in nihilum recidat: alioqui malum etiam funditus ipsum periret, si nihil restaret, cujus esset malum; quemadmodum, corpore toto sublato, jam nec cæcitas permanet, quia nihil, quod cæcum sit, ac nominetur, amplius superest.

Non potes[t] esse malu[m] quin alic[ui] bono sit adjunctun[m].

VIII. Docet hoc uberrime Dionysius in capite quarto libri *de Divinis nominibus*, ubi inter alia scribit: « Quod omni modo ac ratione bono privatum sit, nusquam penitus neque fuisse, neque esse, neque fore, neque posse esse[b]. » Quod inductione deinceps probat. « Ac si omnino bonum sustuleris, addit, neque substantia erit, neque vita, neque desiderium, neque motio, neque aliud quidquam[c] » etc. « Nam quod prorsus expers boni sit, neque est ens, neque inter entia censetur. Quod vero mistum est, propter bonum inter entia locum habet; et secundum hoc, inter entia, et ens est, quatenus boni particeps est: vel potius, entia omnia in tantum erunt magis minusve, in quantum bonum participant[d]. »

a Sallust. cap. xii. Ἀνάγκη δὲ εἴπερ ἐστὶν, ἢ ἐν θεοῖς, ἢ νοῖς, ἢ ψυχαῖς, ἢ σώμασιν· ἀλλ' ἐν μὲν θεοῖς οὐκ ἔστιν· ἐπειδὴ πᾶς θεὸς ἀγαθός. εἰ δὲ νοῦν τις φησὶ κακὸν, νοῦν ἀνόητον λέγει. εἰ δὲ ψυχὴν, χείρονα ποιήσει σώματος. πᾶν γὰρ σῶμα καθ' ἑαυτὸ κακίαν οὐκ ἔχει. εἰ δὲ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ἄλογον, κεχωρισμένα μὲν μὴ εἶναι κακὰ, συνελθόντα δὲ κακίαν ποιεῖν. εἰ δὲ δαίμονάς τις λέγει κακοὺς, εἰ μὲν ἐκ θεῶν τὴν δύναμιν ἔχουσιν, οὐκ ἂν εἶεν κακοί. εἰ δὲ ἀλλαχόθεν, οὐ πάντα ποιοῦσιν οἱ θεοί. Εἰ δὲ μὴ πάντα ποιοῦσιν, ἢ βουλόμενοι οὐ δύνανται· ἢ δυνάμενοι οὐ βούλονται. ὧν οὐδέτερον πρέπει Θεῷ.

1 *Deut.* xxxii. — 2 *Rom.* ix. 14.

b Dion. Τὸ δὲ κατὰ πάντα τρόπον τοῦ ἀγαθοῦ ἐστερημένον οὐδαμῇ οὐδαμῶς οὔτε ἦν, οὔτε ἐστὶν, οὔτε ἔσται, οὔτε εἶναι δύναται.

c Ibid. Καὶ εἰ πάντῃ τἀγαθὸν ἀνέλῃς, οὔτε οὐσία ἔσται, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἔφεσις, οὔτε κίνησις, οὔτε ἄλλο οὐδέν.

d Ibid. Τὸ γὰρ πάντῃ ἄμοιρον τοῦ ἀγαθοῦ, οὔτε ὂν, οὔτε ἐν τοῖς οὖσι· τὸ δὲ μικτὸν, διὰ τὸ ἀγαθὸν ἐν τοῖς οὖσι· καὶ κατὰ τοῦτο ἐν τοῖς οὖσι, καὶ ὂν, καθ' ὅσον τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει. μᾶλλον δὲ, τὰ ὄντα πάντα κατὰ τοσοῦτον ἔσται μᾶλλον καὶ ἧττον, καθ' ὅσον τοῦ ἀγαθοῦ μετέχει.

Denique « cum malum nihil sit aliud, quam imperfectum bonum, per absentiam omnimodam boni tam imperfectum, quam perfectum aberit bonum[a]. » Declarat hoc subinde copiosius, ac neque dæmones merum esse malum, neque materiam ostendit ; sed in his, et cæteris omnibus, quæ summa mala videri possunt, boni semper aliquid adjungi.

Hinc apud Justinum, sive quem alium auctorem *Quæstionum ad Græcos*, recte Græcus ostendit non esse in rerum natura summum malum. Alioqui « alterum quoddam principium introduceetur contrarium Deo, » quod summum bonum est quod Manichæi perperam dixerunt : « Est enim absurdum, non omnia Deum occupare, nec omnia bonitate sua illuminare[b], » quod verissimum est. Nam si summum malum esset usquam, nullam habens boni particulam, neque factum a Deo esset ; quia quidquid facit Deus, id natura est aliqua, proindeque bona : neque Deum continere posset, ne non bono penitus careret, ideoque summum malum, quale quærimus, esse desineret. Non enim bonum nullum est, habere in se bonum. Vide præterea Maximum martyrem in *Scholiis* ad locum illum Dionysii.

IX. Augustinus item variis in locis illud ipsum prædicat : ut in XII *de Civitate Dei*, capite III. « Unde colligitur, inquit, quamvis non possit vitium nocere incommutabili bono, non tamen posse nocere nisi bono ; quia non inest, nisi ubi nocet. Hoc etiam isto modo dici potest vitium esse, nec in summo posse bono, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam ; quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis vitio vitiatæ sunt, in quantum vitiatæ sunt, malæ sunt, in quantum autem naturæ sunt, bonæ sunt. » Et in *Enchiridio ad Laurentium* capite XII. « Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum prorsus omnium summe conditor bonus est, bonæ sunt. Sed quia non sicut earum conditor summe atque incommutabiliter bonæ sunt, ideo in eis et minui bonum, et augeri potest. Sed bonum minui malum est ; quamvis quantumcumque minuatur, remaneat aliquid necesse est, sic adhuc natura est, unde natura sit. Neque enim si qualiscumque, aut quantulacumque natura est, consumi bonum, quod natura est, nisi et ipsa consumatur, potest. »

Sic in libro *de Natura boni*, capite VI, idem argumentum suppeditat, quod, cum malum omne sit aliqua boni corruptio, « Omnis natura quæ corrumpi potest, etiam ipsa aliquod bonum est. Non enim posset ei nocere corruptio, nisi adimendo, et minuendo quod bonum est. » Et cap. XVII : « Non ergo mala est, inquantum natura est, ulla natura : sed cuique naturæ non est malum, nisi minui bono. Quod si minuendo absumeretur, sicut nullum bonum, ita nulla natura relinqueretur. »

Sic in libro secundo *de Moribus Manichæorum*, capite secundo, probat « Non posse esse summum malum, quod perhibetur esse substantia. Quidquid enim nocet, bono aliquo privat eam rem, cui nocet. Nam si nullum bonum adimit, nihil prorsus nocet. » Itaque si summum sit aliquod malum, ei noceri nullo modo potest. Erit igitur inviolabile. Sed neque summo bono noceri potest. Nulli ergo nocere poterit, adeoque malum summum nuspiam erit. Deinde « corruptio, quæ est mali natura, non est in seipsa, sed in aliqua substantia, quam corrumpit. Non enim substantia est ipsa corruptio. Ea igitur res, quam corrumpit corruptio, non est malum. Quod enim corrumpitur, integritate, et sinceritate privatur. Quod ergo non habet ullam sinceritatem, qua privetur, corrumpi non potest ; quod autem habet ; profecto bonum est participatione sinceritatis. »

Prosper item sententia CXLIV, quam superius allatam repetere hic melius fuerit : « Vitium, inquit, esse nec in summo bono potest, nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt : sola autem mala nusquam : quoniam naturæ etiam illæ, quæ ex malæ voluntatis initio vitiatæ sunt, inquantum vitiosæ sunt, malæ sunt, inquantum autem naturæ sunt, bonæ sunt. » Et sententia CLX, quæ ex libro XIX *de Civitate Dei*, capite XIII, petita est : « Est natura, in qua nullum ma-

a DION. Εἰ γὰρ τὸ κακὸν, ἀτελές ἐστιν ἀγαθὸν, ἀπουσίᾳ παντελεῖ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ τὸ ἀτελὲς, καὶ τὸ τέλειον ἀγαθὸν ἀπέσται.

b JUST. I *Quæst. ad Græc.* Μέγιστον κακὸν οὐδέν ἐστιν. εἰ γὰρ τῶν ἀγαθῶν τὸ μέγιστον ὁ Θεός ἐστι, δηλονότι εἴ τις ὑπόθοιτο μέγιστον κακὸν, εὑρεθήσεται ἑτέρα ἀρχὴ ἐναντία τῷ Θεῷ. ὅπερ οἱ Μανιχαῖοι κακῶς λέγοντες λέγουσι. καὶ γὰρ ἄτοπον τὸν Θεὸν μὴ πάντα καταλαμβάνειν, μὴ πᾶσι τὴν ἑαυτοῦ ἀγαθότητα ἐπιλάμπειν.

lum est, vel etiam nullum malum esse potest. Esse autem natura, in qua nullum bonum sit, non potest. »

Ad hæc Titus Bostrensis libro primo *contra Manichæos*, summi mali, et principii summo oppositi bono propugnatores hæreticos istos erudite arguit, quod utrique saltem commune est nomen substantiæ, sive naturæ[1]. Itaque hoc saltem convenient inter se, et non erunt contraria. Non erit ergo summum ac merum malum, quod alicujus est boni particeps, et cum bono quadam communione conjunctum. Vide cætera, quæ deinceps acute ingenioseque pertexit.

X. Cæterum uti mali, quod proprie malum est, et cum vituperatione conjunctum, auctor, ac fabricator non est Deus, ut hactenus probatum est; ita mali, quod culpa vacat, sine ulla cunctatione auctor idem ille censendus est. In quo duæ ex adverso magis secum, quam cum catholica fide pugnantes hæreses ab Augustino notatæ sunt in libro* *de Hæresibus ad Quodvultdeum :* Coluthianorum, et Florianorum, « Coluthiani, inquit, a quodam Coluthio, qui dicebat, Deum non facere mala: contra illud, quod scriptum est[2], *Ego Deus creans mala*[3]. Floriani a Florino, qui e contrario dicebant Deum creasse mala : contra id quod scriptum est, *Fecit Deus omnia, et ecce bona valde*[4]. Ac per hoc, quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambo divinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas justissimas irrogando, quod Coluthius non videbat : non autem malas creando naturas, atque substantias in quantum sunt naturæ, atque substantiæ ; ubi Florinus errabat. » Meminit ambarum hæreseon Philastrius, ac nominatim Coluthianos commemorat[5] : Florianos autem non appellat eos, qui e contrario malas a Deo naturas propagatas afferebant ; sed auctoris vocabulum reticet. Florianos vero cap. x recenset, et eosdem Carpocratianos vocat, qui ex impuro grege Gnosticorum extiterunt. Colluthus (ita enim per duplex λλ ab Athanasio[6], et Epiphanio[7]) Alexandrinus fuit presbyter; de quo vide, quæ libro primo *de Trinitate,* capite septimo scripsimus. Florinus** vero Irenæi vixit tempore, ad quem et hic epistolam scripsit, ut illum ab hæresi deterreret, e qua nonnulla descripsit Eusebius Cæsariensis[8]. Theodoretus libro primo *de Hæresibus,* Valentini nugis implicatum eumdem fuisse prodit.

XI. Colluthianorum dogma omnes illi professi sunt hæretici, qui principia rerum contraria duo, et malorum alterum esse statuerunt, ut Marcion, et Manichæus, ac deinde Priscillianus. Adversus quos breve illud opponendum est, quod contra illos disputantes antiqui Patres asseverant : Mala proprie ac vere dicta sola hæc esse, quæ cum turpitudine ac vitiositate conjuncta sunt ; quæ autem culpa carent, quamlibet horrenda et immania, non esse mala, ut morbi, supplicia, mors ipsa denique. Qua de re copiose disserunt Titus Bostrensis in libris *adversus Manichæos ;* Augustinus contra eosdem, et innumerabiles alii. Quinetiam gentiles philosophi ejusdemmodi sententiis libros suos referserunt, ut nihil plane cunctandum sit Christiano, quo minus non illa permitti solum ab optimo Deo, sed etiam immitti fateatur.

Scimus Arnobium in libro secundo indignam rem summa illa majestate putantem, « si ulli rei fuerit miseriarum, aut discriminum causa ; » propterea negasse animas hominum tot erroribus vitiisque subjectas a Deo procreatas esse, sed aliud iis principium, et efficientem causam attribuisse. « Nihil enim a Deo fieri, nisi quod sit omnibus salutare, quod dulce, quod amoris et gaudii lætitiæque plenissimum ; » et cætera ejusdem generis, quæ late ibi deducta hominem indicant non satis christiani dogmatis peritum, sed rudem adhuc, et vix prima fidei elementa callentem. Alii non auctorem effectoremque malorum istius generis, sed permissorem duntaxat esse Deum sentiunt, ut Dorotheus in doctrina XIV. Sed levia sunt ea, quibus isti permoventur : quæ alibi discutienda venient.

Quanquam, quod ad Dorotheum spectat, commode licet mentem illius interpretari. Nam voluntatem Dei duplicem distinguit : « Omnia quæ fiunt, ait, vel divina per-

* Cap. LVII, in novissima Brixiana editione.

** Auctor *Prædestinati* a Sirmondo editus c. LXVI, *Florianum* appellat; quo ex nomine clarius, quam ex *Florini* nomine, cur *Floriani* ejus sectatores dicti sint, intelligimus. *E. A. Z.*

1 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 2 Aug. *de Hær.* c. LXV. — 3 *Is.* XLV, 7 — 4 *Gen.* I. 31. — 5 Phil. c. XXXI. — 6 Ath. Ap. 2. p. 570 et 617. — 7 Epiph. hæres. LXIX, n. 2. — 8 Lib. V, *Hist.* c. XX.

missione fiunt, vel ejus ex beneplacito[a]. » Ad priorem refert quod ait Propheta, *Ego Dominus faciens lucem, et creans tenebras*[1]. Et, *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus*[2]. De quibus ita subjicit : « Malum dicit omnia illa, quæ vexant : velut afflictiones, quæ ad nostram castigationem incidunt, ut sunt fames, terræ motus, siccitas, morbi. Hæc non fiunt ex Dei beneplacito, sed ejus permissione, qua nobis immitti permittit ista ad utilitatem nostram[b]. » Itaque permittentem voluntatem latius usurpat pro omni ea voluntate, quæ non est præcipua, et προηγουμένη, sed consequens, ut loquitur Joannes Damascenus, qui et hanc vocat κατὰ παραχώρησιν, prorsus ut Dorotheus : cujus scilicet causam illi præbuimus, et qua provocatus a nobis pœnas decernit, quas nollet infligere. Quare non tam est absurda, quam nonnulli visa est, Dorothei illa sententia, neque fidei, aut theologiæ contraria decretis, cum in eadem cum illo causa sit summus utique theologus Damascenus.

CAPUT VII.

De perfectione Dei ; ac primum de perfectione generatim, quid sit. Varii ejus modi : quædam numeris omnibus absoluta: alia quæ longius progredi potest, idque dupliciter, extensive aut intensive, quo utroque modo infinita est Dei perfectio. Qua ratione quidem perfecti nomen a Deo segregant. Probatur aliquot argumentis primum extensiva perfectio Dei. Explicatur Gregorii Nysseni sententia, virtutem ac bonitatem nullum habere terminum præter oppositam pravitatem. Tum de intensiva perfectione, quæ et ipsa demonstratur. Quomodo perfectum omne in Deo contineatur vel eminenter, vel formaliter : ubi et de perfectione simplici, atque obiter de relativis proprietatibus, quatenus perficere dicantur.

I. Duæ sunt proprietates Dei, quæ propemodum idem esse cum bonitate videntur, aut ab ea certe difficilem habent discriminis notionem : altera est τὸ τέλειον, quod *perfectum* dicitur : altera τὸ καλὸν, quod est *pulchrum*. Perfectum tribus ab Aristotele modis dici perhibetur[3] : primum id, cui nulla pars deest eorum, quæ inesse debent : deinde quod in unoquoque genere ab nullo superatur ; uti perfectus medicus appellatur, qui nulli sua in arte cedit ; denique id, quod finem assecutum est, ultra quem nihil amplius restat. Quæ omnes significationes in eo fere conveniunt, ut id perfectum habeatur, cui desit nihil. Ita rabbi Moses in libro primo *More Nebochim* perfectionem definit in Deo « negationem omnium defectuum. » At Cerealis capite xx : « Hæc est, inquit, vera perfectio, quam non subjicit alterius comparatio, nec remanet quod possit accedere[c]. » Hoc autem dupliciter intelligi posse res ipsa clamat. Aut enim absolute perfectum ac simpliciter dicitur, quod scilicet omnia continet sic, ut ne cogitari quidem aliquid possit ullo in genere boni, quo careat ; cujusmodi solus omnium consensu ac judicio Deus est. Aut κατά τι, et quadamtenus appellatur perfectum, quod in certo duntaxat genere ita sese habet. Quod rursus duobus modis usurpatur. Nam vel ejusmodi est, nihil ut addi possit omnino, nisi natura ipsa mutetur ; quemadmodum essentiæ rerum omnium, quas idcirco ἐν ἀτόμῳ, id est *in indivisibili* constitutas vulgo ferunt. Nihil enim homini, quatenus homo est, deficere aut addi potest, quin homo esse desinat : ut neque numeris detrahi, vel adjici potest unitas, quin aliam in speciem transeant. « Cum enim adjicitur aliquid, quod prius erat, tollitur, ait Ambrosius capite primo libri de *Abele et Caino*. Et addito numero alius numerus aboletur superior. » Vel ita perfectum habetur, ut etsi aliqua possit ad ipsum accessio fieri ; communi tamen usu, ac judicio, et ut rerum natura fert, nihil ei deesse, hoc est labe ac vitio omni carere dicatur. Quod in iis potissimum qualitatibus cernitur, quæ intendi, ac remitti in infinitum queunt ; et certo tamen modo continentur, quem cum attigerint, nihil ultra sit, quod jure desiderari possit. Sic perfectus calor,

Duplex perfectio, alia qua major cogitari nequit.

Alia cui potest fieri accessio.

a Doroth. *Doctr.* XIV, Tom. I *Biblioth. Patrum Græco-Lat.* Πάντα τὰ γινόμενα ἢ κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ γίνεται, ἢ κατ' εὐδοκίαν.

b Doroth. ib. Κακίαν λέγει πάντα τὰ κακωτικά. οἱονεὶ τὰ θλιβηρὰ τὰ γινόμενα πρὸς παίδευσιν ἡμῶν, ἅτινά ἐστι λιμὸς, σεισμὸς, ἀβροχία, νόσοι, πόλεμοι. ταῦτα οὐ γίνονται κατ' εὐδοκίαν Θεοῦ, ἀλλὰ κατὰ συγχώρησιν, συγχωροῦντος τοῦ Θεοῦ ἐπενεχθῆναι ταῦτα ἡμῖν πρὸς τὸ συμφέρον.

c Rabbi Moses. שלילת החסרונות ממנו.

1 *Esai.* XLV. — 2 *Amos.* III. — 3 *Arist.* v *Met.*, c. XVI.

perfecta vis ac robur, perfecta sapientia, atque virtus, cæteraque id genus tum esse dicuntur, cum ad eum gradum perducta sunt, quem usitata et ordinaria conditio rerum postulat, de quo in plerisque, quæ ad usum vitæ ac mores pertinent, prudentis existimatio est.

II. « Aliter enim bonum Deum dicimus, ait Ambrosius, aliter hominem : aliter justum Deum appellamus, aliter hominem [1]. Similiter et sapientem Deum aliter dicimus, aliter hominem. Quod et Evangelio docemur : *Estote ergo et vos perfecti, sicut et Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est* [2]. Ipsum Paulum lego perfectum, et non perfectum. Nam cum dixisset : *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim* [3] : *sequor autem si comprehendam ;* statim subjecit : *Quicumque ergo perfecti sumus.* Duplex est enim forma perfectionis : alia medios, alia plenos numeros habens : alia hic, alia ibi : alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram. Deus autem justus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus. » Sic humanis etiam in rebus Stoici duplex officii genus esse dicebant, alterum medium, alterum perfectum : illud καθῆκον vocabant, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit [4] : hoc vero κατόρθωμα, quod etsi perfectum proprie nominatur, et præstat alteri, tamen etiam isti sui quædam generis constat perfectio.

Hieronymus dialogo primo *contra Pelagianos* « duas ait in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasque justitias, et duos timores : primam perfectionem, et incomparabilem veritatem, perfectamque justitiam Dei virtutibus coaptandam ; secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati, juxta illud, quod in Psalmis dicitur, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens :* ad eam justitiam, quæ non comparatione, sed Dei justitia dicitur esse perfecta. Job quoque et Zacharias et Elisabeth justi dicti sunt, secundum eam justitiam, quæ possit in injustitiam aliquando mutari, et non secundum illam, quæ nunquam mutari potest. » Huic vero absolutioni, quæ mortalibus hac in vita competit, multum semper deest. Itaque crescere semper, et elaborari potest, ac perfici ; idque bifariam. Nam multis imprimis peccatorum, ac vitiorum nævis dedecorari necesse est humanam mentem. *Si enim dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* [5], ait unus perfectorum. « Ex quo factum est, ut scribit Augustinus, virtutem, quæ nunc est in homine justo, perfectam hactenus nominari, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis et in veritate cognitio, et in humilitate confessio. Tunc enim est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parva justitia, quando etiam quid sibi desit intelligit [6]. » Et Gennadius libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, capite LXXXV : « Nullus sanctus et justus caret peccato ; nec tamen ex hoc desinit esse justus vel sanctus, cum affectu teneat sanctitatem. » Tum ut nihil insit vitii, nemo tantum virtutis est assecutus, quin longius progredi possit.

« Semper enim sanctis superest, quo crescere [possint ;
Et perfectorum gloria principium est [7]. »

ut ait Prosper [8]. Et alibi ex Augustino. « In hac vita, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio. » Itaque « profectus noster in eo consistit, auctore Bernardo, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius ; ut imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus jugiter exponamus [9]. » Quanquam Gregorius Nyssenus illam utramque causam imperfectæ virtutis in unam redigit ; qui quod illi deest aliquid, contrarii admistione vitii fieri putat ; ut paulo post dicetur. Sed nos communem loquendi morem secuti, perfectum, id est cui nihil desit, duobus modis usurpabimus. Vel quia partium, ex quibus completur, nulla desideratur ; unde fit illud, quod nominatur ὅλον, id est *totum*, sive *integrum*, quod ab Aristotele definitur id, « cujus nulla pars eorum abest, ex quibus natura totum nominatur [a]. » Vel quia singularum partium absoluta quædam est, et excellens habitudo. Horum perfectorum prius secundum *extensionem* appellari potest, vulgo *extensive* dici solet ; posterius secundum *intensionem*, quod

[a] Arist. V. *Metaph.* cap. XXVI. Ὅλον λέγεται, οὗ μηδὲν ἄπεστι μέρος, ἐξ ὧν λέγεται τὸ ὅλον φύσει.

1 Amb. III *Off.* c. II. — 2 *Matth.* V. — 3 Phil. III. — 4 Cic. lib. III *de Off.* — 5 *Joann.* II, 8. — 6 Aug. lib. III, *Cont. duas epist. Pelag.*, c. VII. — 7 Epigr. XXVII. — 8 Prosper *Sent.* CII. — 9 Serm. III. *de Purif.*

intensive passim in scholis vocatur. Quo etiam spectat illud Apostoli : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate* [1].

Priorem habet Deus intensive summam.

III. Utrovis modo contemplationi nostræ summæ perfectio divinitatis occurrit, quæ nullo fine ac termino circumscripta in infinitum porrigitur. Nam quod ad eorum, quæ insunt in Deo, excellentiam attinet, ea talis cogitari debet qua ne fingi quidem major queat, cui nec ulla vel minima possit accessio fieri. Quanquam de Deo *perfectionis* usurpandum vocabulum negant aliqui; ut Gregorius Papa libro XXIII *Moralium*, cap. II : « Quamvis, inquit, hoc quod perfectum diximus, proprie non dicamus. Neque enim quod factum non est, proprie dicitur esse perfectum. Sed ejus plenitudinem per quamdam angustiam nostræ locutionis exprimimus, sicut etiam de Patre Dominus dicit : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*[2]. Quod et lib. XXIX, cap. I, repetit. Et Isidorus Hispal. lib. I *Sententiarum* : « De consummatione alicujus facti dicitur perfectio : Deus autem, qui non est factus, quomodo est perfectus? Sed hunc sermonem de nostro sumit humana inopia, sicut et reliqua verba; quatenus id, quod ineffabile est, utcumque dici possit : quoniam de Deo nihil digne humanus sermo dicit. » Verum hoc quidem posterius est. Sed in Latina voce duntaxat offensio ista cernitur, quæ abest a Græca τέλειος, in qua finis notio neminem absterrere debet. Nam nihil tanta indignum majestate sonat, cum, ut ex Aristotele initio dixi, id potius significet, quod ultimum, et quasi finis est perfecti, ultra quod nihil amplius informare cogitando possumus. Hoc vero Deo perhonorificum est. Quamobrem tanta est omnium præstantia, quæ inesse Deo pro captu nostro intelliguntur, ut nihil adjici possit, quo absolutiora reddantur. Sunt enim non infinita solum, sed etiam ipsemet Deus, ut in secundo libro docui. « Deus, ait Augustinus tractatu XIV in *Joannem*, nec crescit, nec minuitur. Si enim crescit, perfectus non est; si minuitur, Deus non est. » « Primus Deus, inquit Alcinous, sempiternus est, ineffabilis, perfectus ex sese, hoc est nullius egens, perfectus semper, hoc est nunquam non perfectus; omni modo perfectus, divinitas, substantialitas, veritas, commensuratio, bonum. Hæc autem dico non ut ea definiam, sed ut per omnia unus intelligatur [a]. » Hic tria sunt perfectionis insignia, quæ hujus immensitatem commendant. Nam et a seipso, non aliunde perfectus est. Quare nullo fine ac limite coercetur. Quod enim ab alio tanquam causa efficitur, id eo minus et inferius sit oportet; et ab eodem determinatum habet existendi modum, præsertim a prima summaque causa, quæ mensuram ac rationem præscribit universi. Quod vero sempiternum, increatumque est, perinde infinitum sit necesse est, ut jam supra disputavimus. Ideo nec augeri potest, neque minui.

Dei perfectio probatur argumentis veterum theologorum.

IV. Ac possunt ex antiquorum theologorum placitis argumenta confici duo, triave, quibus summa Dei perfectio concluditur. Primum ex Alexandrino Clemente petimus, qui in octavo *Stromateon* recte admonet, cum nomen aliquod simpliciter usurpamus, statim rem nominis occurrere in suo genere perfectissimam. « Etenim perfectionem generis, ait, intuentes, ad eas, quæ maxime propriæ sunt, significatarum rerum venimus. Exempli causa, cum medicum audimus, talem informamus animo, cui nihil desit medicæ facultatis. Sic hominem sapientem intelligimus eum, cui nihil desit cognitionis illius, quæ est ex scientia [b]. » Ita oratorem cum dicimus, aut cum eum describunt eloquentiæ magistri Cicero, Quintilianus, ac cæteri, ejusmodi obversatur mentibus, a quo nulla laus absit oratoriæ artis; « nec moribus modo perfectus, ait Quintilianus, sed etiam scientia, et omni facultate dicendi : qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis ad summam tendendum est; quod fecerunt plerique veterum, qui etsi nondum quemquam sapientem repertum putabant, præcepta tamen sapientiæ tradiderunt[3]. » Porro Deus simpliciter iis nominibus exprimitur, quæ absolutam habent formæ cujusque ac rei significationem. Non enim solum ens vocatur, aut bonus, aut sa-

a Alcin. cap. x. Καὶ μὴν ὁ πρῶτος θεὸς ἀΐδιός ἐστιν, ἄῤῥητος, αὐτοτελὴς, τουτέστιν ἀπροσδεής· ἀειτελὴς, τουτέστιν ἀεὶ τέλειος· παντελὴς, τουτέστι πάντῃ τέλειος· θειότης, οὐσιότης, ἀλήθεια, συμμετρία, ἀγαθόν. λέγω δὲ οὐχ ὡς ὁρίζων ταῦτα· ἀλλ' ὡς κατὰ πάντα ἑνὸς νοουμένου.

b Clem. Alex. VIII *Strom.* Εἰς γὰρ τὴν τοῦ γένους τελειότητα βλέποντες ἐπὶ τὰ κυριώτατα τῶν σημαινομένων ἐρχόμεθα. αὐτίκα ἰατρὸν νοοῦμεν, ᾧ μηδὲν τῆς ἰατρικῆς δυνάμεως ἐνδεῖ. γνωστικὸν δὲ, ᾧ μηδὲν λείπει τῆς ἐπιστημονικῆς εἰδήσεως.

1 I *Cor.* xv. — 2 *Matth.* v. — 3 Lib. I in procemio.

piens, justus, et reliqua, sed etiam ὀντότης, quam *entitatem* dicunt, bonitas, sapientia, justitia. Quare sine ullo limite, ac termino convenit illi tota rei significatæ, quanta potest cogitari maxima, perfectio.

V. Dionysius in cap. XIII libri *de Divinis nominibus* tres ejusdem infinitæ perfectionis rationes suppeditat. Una est quod sit αὐτοτελής, hoc est « per se absolutus et perfectus, et a seipso, non ab alio determinatus[a]. » Quod enim ejusmodi est, id infinitum sit necesse est in omni genere, ut alias diximus. Quare quod a seipso determinari dicitur, id tanquam negative intelligendum est, quod nullo ab alio definiatur; ut cum Pater a seipso esse, vel etiam seipsum genuisse apud nonnullos antiquorum legitur, de quo alias. Altera ratio quod sit ὑπερτελὲς, hoc est « perfectionem excedat omnem, et a nullo capiatur, aut comprehendatur; imo vero finem omnem superet, ac terminum, atque infinitatem omnem finiat[b]. »

Tertia ratio ex eo quod principium est, et causa rerum omnium, ducitur. Nimirum « quod omnia permeat, atque omnia transcendit perpetuis largitionibus, et efficientiis nullo fine terminatis[c]. » Addit etiam : « Tum perfectum dicitur (primum omnium principium) utpote quod non augetur, et semper est perfectum, nec unquam minuitur; velut quod omnia prius habet in seipso, et exuberat secundum unam, et eamdem, et superplenam, et indefectam largitionem, ex qua perfecta omnia perficit, propriaque perfectione complet[d]. » Hæc omnia ad causæ principiique vim, et conditionem referenda sunt. Nam ex eo, quod causa Deus est omnium, quæ sunt, vel esse possunt, nec aliunde oriri ac manare illa queunt, sed ejus efficientia, et communicatione subsistunt; necessarium est omnia in illius virtute contineri. Quam rationem etiam in capite V libri ejusdem Dionysius attigit. Ideo divinam hanc appellationem perfecti idem Dionysius cap. XIII vocat τὸ καρτερώτατον *validissimum*, ac *robustissimum* eorum, quæ affirmari de Deo solent. Nempe quod, ut recte Pachymeres exponit, reliqua Dei « nomina singula, ac per se usurpantur. » At « perfectum collectione constat, eo quod causa omnia dicitur[e]. »

VI. Disputat subinde Dionysius capite illo XIII, de *uno*, et in idem cum *perfecto* caput includit; propterea quod ita Deus omnia complectitur, ut ea non divisa, vel collecta potius, et coagmentata contineat, sed μονοειδῶς, vel ἑνιαίως *simplici unitate*. Quod ipsum ad perfecti rationem spectat. Quippe « quod est plura, indigens est[f], » ut ait Plotinus. Cum ergo « summum rerum principium nullo modo indigum esse oporteat, sed sufficientissimum omnium, maximeque seipso contentum, » quod idem est ac perfectissimum, maxime unum esse necesse est.

Rursus ex Gregorio Nysseno alia ratio perfectionis immensæ colligitur. « Bonum, inquit, omne natura sua terminum habet nullum; sed contrarii appositione terminatur, uti vita morte, et lux tenebris : et omnino bonum omne in omnia desinit, quæ contraria bonis intelliguntur. Nam ut vitæ finis est mortis initium; sic cursus ad virtutem desitio initium est ad vitium currendi[g]. » Idem et Cæsarius perhibet in dialogo tertio, quæstione CLXXI, aitque cæterarum rerum perfectionem quibusdam propriis definiri terminis; virtutis autem nullis, sed contrariorum oppositione vitiorum. « In virtute autem, inquit, unicum perfectionis ab Apostolo terminum

a Dion. Τέλειον μὲν οὖν ἐστιν, οὐ μόνον ὡς αὐτοτελὲς, καὶ καθ' ἑαυτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ μονειδῶς ἀφοριζόμενον.

b Ibid. Ἀλλὰ καὶ ὡς ὑπερτελὲς κατὰ τὸ πάντων ὑπερέχον, καὶ πᾶσαν μὲν ἀπειρίαν ὁρίζον, παντὸς δὲ πέρατος ὑπερηπλωμένον, καὶ ὑπὸ μηδενὸς χωρούμενον ἢ καταλαμβανόμενον.

c Ibid. Ἀλλὰ καὶ διατεῖνον ἐπὶ πάντα ἅμα, καὶ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνεκλείπτοις ἐπιδόσεσι, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις.

d Ibid. Τέλειον δ' αὖ λέγεται, καὶ ὡς ἀναυξὲς, καὶ ἀεὶ τέλειον, καὶ ὡς ἀμείωτον, ὡς πάντα ἐν ἑαυτῷ προέχον κατὰ μίαν τὴν ἄπαυστον, καὶ ταυτὴν, καὶ ὑπερπλήρη, καὶ ἀνελάττωτον χορηγίαν, καθ' ἣν τὰ τέλεια πάντα τελεσιουργεῖ, καὶ τῆς οἰκείας ἀποπληροῖ τελειότητος.

e Pachym. in cap. XIII *de Divin. nom.* Πῶς δὲ ἰσχυρότατον; ὅτι αἱ μὲν ἄλλαι θεωνυμίαι, μία, καὶ καθ' αὑτὴν ἐλέγετο· τὸ δὲ τέλειον συνάγεται, ὅτι πάντα λέγεται ὁ αἴτιος.

f Plot. *Enn.* V, lib. IX, cap. VI. Δεῖ μὲν γὰρ ἱκανώτατον ἁπάντων, καὶ αὐταρκέστατον, καὶ ἀνενδεέστατον εἶναι. πᾶν δὲ πολὺ, καὶ μὴ ἓν, ἐνδεές.

g Gregor. Nyssen. lib. *de Vita Mosis.* Πᾶν τὸ ἀγαθὸν τῇ ἑαυτοῦ φύσει ὅρον οὐκ ἔχει· τῇ δὲ τοῦ ἐναντίου παραθέσει ὁρίζεται· ὡς ἡ ζωὴ τῷ θανάτῳ, καὶ τὸ φῶς τῷ σκότει, καὶ πᾶν ὅλως ἀγαθὸν εἰς πάντα τὰ τοῖς ἀγαθοῖς ἐκ τοῦ ἐναντίου νοούμενα λήγει. ὡς γὰρ τὸ τῆς ζωῆς τέλος ἀρχὴ θανάτου ἐστὶν, οὕτω καὶ τοῦ κατ' ἀρετὴν δρόμου ἡ στάσις, ἀρχὴ τοῦ κατὰ κακίαν. Vide et librum I *contra Eunom.* et cap. I *Catech.*

edocti sumus, illam infinitam, et interminatam esse [a]. » Mox vero : « Quemadmodum, inquit, vitæ finis mortis initium est, et solis occasus principium tenebrarum, et sanitatis interruptio morbi est initium; ita cursus illius, quo ad virtutem contendimus, institio initium est cursus alterius, quo ad vitium ferimur [b]. »

VII. Hoc si universe pronuntietur, non usquequaque constat. Non enim virtutem omnem certis finitam terminis, cujusmodi creata esse debet, contrario vitio necesse est infici. Sed duobus modis hoc illorum dictum intelligitur : altero, ut de progressione, ac profectu in virtute capessenda loquantur. Nam qui illius studium intermittit, paulatim in vitium labitur, quod trita illa sententia declarat :

« Non aliter quam qui adverso vix flumine [lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus [amne [1]. »

Quod in *Pastorali* ita Gregorius Papa declarat. « In hoc quippe mundo humana anima, quasi more navis est contra ictum fluminis condescendentis, uno in loco nequaquam stare permittitur : quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.[2]» Eleganter quoque Alcimus Avitus in *Carmine ad Fuscinam sororem :*

« Contra si sanctos piget exercere labores,
Pigraque consuetas dissolvunt otia curas,
Labitur in præceps damnosæ gloria vitæ.
Si vires nullas virtus acquirit eundo,
Amittit rediens paulatim extincta priores. »

Altero modo, ut de perfectionis genere illo sermo sit, quod *secundum extensionem* dicitur; cujus summa hæc est, nulla uti virtus absit, sed omnes amplectatur. Ita enim verum est si qua perfecti pars desit, ejus locum occupari a contrario vitio. Est illud tamen certissimum, ubicumque proficiendi facultas esse potest, non esse absolute perfectum statum. « Perfectus enim non habet in quo proficiat, ut ait Bernardus; et qui proficit, eo ipso, quo proficit, perfectus non esse convincitur. » Additque mox : « Porro vera virtus finem nescit; tempore non clauditur [3]. » Quod postremum ad duo valet, quæ supra posui; nempe virtutem per se, absoluteque spectatam, nullis definiri terminis : tum nullum progrediendi finem in virtute faciendum esse, nisi relabi in contrarium malumus, ac vitiis irretiri.

Ex his vero facile est cognoscere, cum in Deo, qui natura et essentia bonus, atque ipsa bonitas est, nulla vitii ac labis inesse particula possit, perfectissimum esse virtutis, ac bonitatis statum, qui oppositi nullius vicinitate carpitur, ac minuitur. Hinc illa ratio ducitur infinitæ in Deo perfectionis, quam sanctus Thomas reddit, quod sit maxime actu [4]. Cui similem vide apud Gregorium Nyssenum libro XII *contra Eunomium.*

VIII. Rursus perfectionis ejusdem immensitas secundum *intensionem* ex Dei immutabilitate colligitur. Mutari enim posset, si seipso melior, ac perfectior vel cogitatione describi aliqua posset. Id enim haud dubie melius, ac perfectius est, in quo plus inest bonitatis. Hoc autem longe abest ab summa et sempiterna illa substantia, quæ vicissitudinem nullam ac mutabilitatem patitur.

Est ad illa, quæ hactenus dixi, confirmanda, pulcherrima Dionysii sententia in capite IV *de Divinis nominibus.* « Bonum, inquit, ea, quibus inest perfecte, perfecta reddit, et impermista, integraque bona. Quæ autem minus illud participant, et imperfecta bona sunt, et mista, propter boni defectum [c]. »

Ergo bonum per se, ac simpliciter consideratum, nullum habet absolutionis terminum, sed perfectum adeo est, ut nec incrementum capere possit, neque labeculæ ac nævi ullius admistione perstringi : quod in Deum proprie atque excellenti ratione convenit, cæteris proportione tribuitur.

Hinc alia quoque ratio infinitæ perfectionis efflorescit, quam Gregorius Nyssenus in libro XII *contra Eunomium* suggerit, quod-

a CÆSAR. dial. III, quæst. CLXXI Ἐπὶ δὲ τῆς ἀρετῆς ἕνα παρὰ τοῦ Ἀποστόλου τελειότητος ὅρον ἐπαιδεύθημεν, τὸ ὑπάρχειν αὐτὴν ἀόριστον, καὶ ἀπεράτωτον.

b Ibid. Ὥσπερ οὖν τὸ τῆς ζωῆς τέλος ἀρχὴ θανάτου ἐστὶ, καὶ ἡλίου δύσις, ἀρχὴ σκότους, καὶ ἡ τῆς εὐσθενείας ἐκκοπὴ, ἀρχὴ ἀσθενείας· οὕτω τοῦ κατ᾽ ἀρετὴν δρόμου ἡ στάσις, ἀρχὴ τοῦ τῆς κακίας γίνεται δρόμου.

c DION. cap. IV. *de Divin. nom.* Τὸ δὲ ἀγαθὸν, ἐν οἷς μὲν ἂν τελείως ἐγγένηται, τελεῖα ποιεῖ, καὶ ἀμιγῆ, καὶ ὁλόκληρα ἀγαθά. τὰ δὲ ἧττον αὐτοῦ μετέχοντα, καὶ ἀτελῆ ἐστιν ἀγαθὰ, καὶ μεμιγμένα διὰ τὴν ἔλλειψιν τοῦ ἀγαθοῦ.

1 Virg. I. *Geor.* vers. 200-202. — 2 *Past.* par. III, c. XXXV. — 3 Bern. *in epist. ad Guarin.* — 4 In I par. qu. IV. ar. I ad.

neutiquam communicatione ac participatione aliqua Deus id omne habeat, quod inest ipsi. « Non enim participatione, inquit, vitæ alterius vitam obtinet, ut consequens sit, finem et initium aliquod esse participandi. Sed hoc ipsum, quod est, vita est in ipso operans, quæ nec major, nec minor accessione, vel detractatione fit. Nam incrementum in majus in infinito locum non habet; imminutionem vero cogitari naturalis impatibilitas non sinit [a]. »

Sed et ex eo, quod maxime est actu, ac nihil potentiæ habet admistum, perfectissimum esse Deum probat sanctus Thomas. « Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu. Nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis [1]. »

Deus habet perfectionem extensive summam.

Jam quod ad perfectionem illam spectat, quæ secundum *extensionem* dicitur, eam convenire Deo sic, nulla ut abesse queat, inde probari potest, quod omnia illa, quæ bonitate aliqua, et perfectione, imo vero, ut sic dicere liceat, *entitate* censentur, idem sunt cum Dei essentia, et substantia. Deus enim est infinita, et absoluta bonitas. Itaque nulla pars, ut ita dixerim, bonitatis deest illi. Nam res sine eo, quod sibi est οὐσιῶδες, consistere nulla potest. Utitur hoc argumento Sœbadius Aginnensis libro contra Arianos. Qui Deum Patrem sine sapientia, sine ratione, sine virtute nunquam fuisse hoc modo demonstrat. « Tamen, inquit, nescio si his virtutibus carens Pater possit Deus dici. Non modo enim Deus, qui in sua æternitate perfectus est, sed nec creatura quidem ulla secundum suum genus non consummata constabit. Non potest enim quid esse, quod non sit; non erit autem, si id illi defuerit, quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Sed hoc ratiocinandi genus, quatenus ex eo Filium, et Spiritum sanctum nunquam non extitisse veteres asseverant, accuratius postea pertractabitur. »

Sic Anselmus libro *Monologii*, cap. XIV, de summa natura disputans, « Ipsa, inquit, quidquid boni, vel magni est, non est per aliud, quam per seipsam. Et in *Prosologio*, capite V : « Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, et quidquid melius est esse, quam non esse. Melius namque est esse justum, quam non justum, beatum, quam non beatum. » Quo in loco argumentationem quoque suppeditat, qua in Deo inesse bonitatem omnem, ac perfectionem ostenditur : quod sit omnium efficiens causa Deus, ac fons, vel pelagus potius bonitatis omnis. Quare nihil ab eo derivari potest, quod non vi saltem eminente, ac δυνάμει in illo contineatur. Scholia Græca, in *Genesim* a Joanne Damasceno citata, « perfectam esse docent Trinitatem per seipsam. Non enim accessione facta constat illius perfectio. Quia non ex monade in binarium, neque ex binario in trinitatem mutatione aliqua processit. Quippe sempiterna substantia mutationis, et vicissitudinis ne umbram quidem sustinet [b]. »

IX. Hic illud qualitatis, ac *perfectionis*, sive *perfecti prædicati*, (Græci τέλειον κατηγόρημα vocant) genus duplex animadvertendum est, ac merito distinguendum, quod theologorum scholæ celebrant, auctore eodem Anselmo iis in locis, quæ commemoravimus, præsertim in *Monologio*. Nam perfectorum prædicatorum alia sunt simplicia, quæ in se, ac notione sua absolute ac præcise spectata nihil imperfectum, aut cum meliore pugnans continent; velut est sapientia, bonitas : alia sunt, quæ etsi in suo genere perfecta sunt, excludunt tamen id, quod multo præstantius est : ut, esse corpus, esse argentum nonnullam perfectionem habet; sed ea majore dignatione vincitur. Nam esse aurum multo excellentius est, quam argentum esse; adeo quidem, ut, quod Augustinus in libro *de Natura boni contra Manichæos*, cap. V, dicit, quædam natura « etiam corrupta melior sit adhuc, quam est incorrupta altera, quæ minore modo, et specie naturali inferius ordinata est. Melius est enim corruptum aurum, quam incorruptum argentum; et melius est corruptum ar-

a GREG. NYSS. XII *cont. Eunom.* Οὔτε γὰρ μετουσίᾳ ζωῆς ἑτέρας ἐν τῷ ζῆν γίνεται· ὡς ἀκόλουθον εἶναι, καὶ πέρας καὶ ἀρχὴν μετουσίας νοεῖσθαι· ἀλλ' αὐτὸ ὅπερ ἐστὶ ζωή ἐστιν ἐν αὐτῷ ἐνεργουμένη, οὔτε μείζων, οὔτε ἐλάττων ἐκ προσθήκης, ἢ ὑφαιρέσεως γινομένη. ἡ μὲν γὰρ εἰς τὸ μεῖζον ἐπαύξησις ἐν τῷ ἀπείρῳ χώραν οὐκ ἔχει. τῆς δὲ κατὰ τὴν ἐλάττωσιν ἐπινοίας τὸ κατὰ φύσιν ἀπαθὲς ἀνεπίδεκτον.

1 In I par. qu. IV. art. 1.

b SCHOL. apud Dam. in *Eclog.* Tit. LXXIV. Ἀλλ' αὐτοτελῆ εἶναι (τὴν τριάδα) καθ' ἑαυτήν. οὐ γὰρ ἐκ προσθήκης τινὸς ταύτης τὸ τέλειον. ὅτι μὴ ἐκ δυάδος εἰς μονάδα, οὐδὲ ἐκ δυάδος εἰς τριάδα ἀλλοιωθεῖσα προῆλθεν. ἀΐδιος γὰρ οὐσία παραλλαγῆς, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα οὐ προσδέχεται.

gentum, quam plumbum incorruptum. » Admonet autem Anselmus de absolutis, non de relativis sermonem hic esse, quoniam de iis agitur, quæ *substantialiter* summæ illi naturæ conveniunt : relativa vero « non simpliciter demonstrant alicujus essentiam. » Igitur, « Si quis, inquit, singula diligenter intueatur, quidquid est præter relativa, aut tale est, ut ipsum omnino melius sit, quam non ipsum, aut tale, ut non ipsum in aliquo melius sit, quam non ipsum. Ipsum autem, et non ipsum, non aliud hic intelligo, quam verum, non verum, corpus, non corpus, et his similia. Melius quidem est omnino aliquid, quam non ipsum; ut sapiens, quam non sapiens, id est melius est sapiens, quam non sapiens. Quamvis enim justus non sapiens, melior videatur, quam non justus sapiens; non tamen melius simpliciter est non sapiens quam sapiens. Omne enim non sapiens simpliciter, in quantum non sapiens, est minus, quam sapiens : quia omne non sapiens melius esset, si esset sapiens. Similiter omnino melius est verum, quam non ipsum, id est, quam non verum, et justum, quam non justum, et vivit, quam non vivit. Melius est autem in aliquo non ipsum, quam ipsum, ut non aurum, quam aurum. Nam melius est homini esse non aurum, quam aurum; quamvis forsitan melius esset alicui aurum esse, quam non aurum esse, ut plumbo. »

X. Hinc apparet discrimen prædicatorum. Etenim quæ sunt ejusmodi, ut ipsa per se, et absolute, atque ex genere suo meliora sint, quam non ipsa sunt, quæ vulgo *perfectiones simplices* dicuntur. Velut esse sapientem, præciso alio omni, et ex sese, melius est, quam non esse sapientem. At esse aurum per se, et universe non est melius, quam non esse aurum, etsi in quibusdam melius est.

Quibus constitutis, docet Anselmus, divinam naturam « non esse aliquid eorum, quibus est aliquid, quod non esse quod ipsa sunt, superius; et esse omnino dicendam quodlibet eorum, quibus est omne, quod non est quod ipsa sunt, inferius. Quare necesse est, esse eam viventem, sapientem, potentem, et omnipotentem, veram, justam, beatam, æternam, et quidquid simpliciter absolute melius, quam non ipsum. » Cum enim quidquid est non sapiens, aut non justum, quantumlibet alio genere perfectum sit, melius sit, si etiam sapiens sit, et justum; ideo et prædicata ista simplicia vocantur, et Deum denominant, ut absolute vocetur sapiens, et justus. Quoniam autem non quidquid est non aurum, melius esset, si esset aurum; non enim melius esset homini auro esse, quam non auro; idcirco non sunt prædicata ista simplicia, nec ab illis Deus appellatur. Alias, quod jam dixi, discrimen istud sic in scholis explicatur, ut quæcumque in sui notionem nihil imperfectum, et cum perfectiore pugnans videntur admittere, ea sint in Deo *formaliter*, hoc est Deus illa esse dicatur; quæ sunt autem ejusmodi, ut cum perfectiore aliquo simul esse nequeant, ea tantum sint *eminenter* in Deo, non *formaliter*. Non enim recte de Deo prædicantur, sed oblique. Ut exempli gratia Deus non dicitur absolute aurum, vel angelus, vel corpus, sed auri, angeli, corporis naturam excellenti in se ratione complecti; quatenus creatæ res omnes in Deo tanquam efficiente causa, et exemplari continentur, et quidquid inest illi boni, veri, ac pulchri, præstantiore in illo modo cernitur. Vide Nicolaum Cusanum in libro *de Visione Dei*, capite VII, et seq.

XI. Hanc *eminentiæ,* ut vocant, perfectæque complexionis vim eleganter Plotinus exposuit in capite ultimo libri quinti *Enneadis* quintæ, ubi de summo bono agit, qui est Deus, cujus simplicitatem nullius admistione deterioris ait infici. « Quare nihil nos, inquit, posteriorum addamus, et minorum; sed ista de his disseramus, ut ille omnia ista supergressus, horum causa sit, non autem ipse ista sit. Est enim ea boni natura, non ut omnia sit, aut unum aliquod ex omnibus. Alioqui sub uno esset, et eodem cum omnibus. Porro si sub eodem cum omnibus foret, differret ab iis solo aliquo, quod proprium esset; adeoque jam differentia, et additamentum ei quoddam inesset. Quare jam duo esset, non unum [a], »

a PLOTIN. Καὶ οὖν καὶ ἡμεῖς μηδὲν τῶν ὑστέρων, καὶ ἐλαττόνων προστιθῶμεν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ ταῦτα ἰὼν ἐκεῖνος, τούτων αἴτιος ᾖ, ἀλλὰ μὴ αὐτὸς ταῦτα. καὶ γὰρ αὖ φύσις ἀγαθοῦ οὐ πάντα εἶναι· οὐδ' αὖ ἕν τι τῶν πάντων. εἴη γὰρ ἂν ὑπὸ ἓν, καὶ ταὐτὸν τοῖς ἅπασιν· ὑπὸ δὲ ταὐτὸν ὂν τοῖς πᾶσι, διαφέροι ἂν τῷ ἰδίῳ μόνον, καὶ διαφορὰ, καὶ προσθήκη. ἔσται τοίνυν δύο, οὐχ ἕν, etc.

MOX : Τὸ ἄρα πρώτως, καὶ τἀγαθὸν, ὑπέρ τε πάντα τὰ ὄντα ἀναπέφανται ἡμῖν, καὶ μόνον ἀγαθὸν, καὶ οὐδὲν ἔχον ἐν ἑαυτῷ, ἀλλ' ἀμιγὲς πάντων, καὶ ὑπὲρ πάντα, καὶ αἴτιον πάντων.

1 *Monol.* cap. XIV.

etc. Tum ista subtexit: « Quocirca quod est primo, et ipsum bonum, tum supra omnia quæ sunt, nobis esse demonstratum est, tum solum bonum, nec in seipso continens aliquid; sed nullis omnino permistum, et supra omnia, et causa omnium. » Hic Plotinus summum bonum, qui est Deus, merum, ac simplex esse contendit, nec ex pluribus compositum, quod jam libro secundo pertractatum est. Sed neque unum quippiam esse ex iis, quæ sunt; neque sub eodem cum illis genere collocari, quod vocant esse illa *formaliter:* causam esse omnium denique, et supra omnia. Hoc vero est, quod esse illa eadem eminenter appellant. Confer hunc Plotini locum cum illo, quem ex Dionysii capite quarto libri *de Divinis nominibus* supra descripsi. Est enim geminus, et alter expressus ex altero. Uterque enim Platoni fuit addictus.

XII. Antequam ab hac perfectionis divinæ contemplatione discedam, paucis illud admonere volo, illam ipsam Dei perfectionem non eo sensu a nobis accipi, quo passim usurpari solet in scholis theologorum. Nos enim *perfectionem* nominamus, statum quemdam, et integritatem e pluribus constantem velut aggregatis, et in unum coactis, sive reipsa, ut in creatis rebus accidit, sive ratione, ἐπινοίᾳ, ut fit in Deo. At scholastici perfectiones vocant singulas absoluti perfectique partes, ut idem sit perfectio, quod *qualitas,* vel *proprietas,* aut si quod aliud est vocabulum. Ex quo illa nata est inter ipsos quæstio: sintne divinæ proprietates, sive relationes, perfectiones aliquæ, eæque numero tres, quot sunt in Deo proprietates. De quo in utramque partem variæ sunt et ancipites sententiæ; quæ nihil ad institutum nostrum attinent, ac de voce potius, quam de re ipsa tota ista videtur orta conflictio. Est enim idem de tribus perfectionibus judicium, quod de rebus tribus. Res porro tres relativas inesse Deo, veterum affirmant aliqui, alii negant. Nec multum refert utro modo loquare, dum res ipsa liquido constet, unam rem esse simplicemque Deum. Rem autem intelligo, quam Dionysius vocat ὀντότητα, nostri *entitatem*, quæ propriam habet essentiam, et exstantiam, hoc est οὐσίαν, et ὕπαρξιν, quod ipsum necesse sit aut substantiam esse, aut accidens. At res interdum id dicitur, quod non est nihil, et in se præterque animi cogitationem extat, tametsi non tam res sit, quam rei affectio et modificatio. Hujusmodi sunt hypostaticæ proprietates, quos τρόπους τῆς ὑπάρξεως antiqui nominant, hoc est *modos existendi:* quosque Augustinus neque substantiæ generi, neque accidentis adscribendos judicat, ut alibi docebimus.

Quocirca non sunt proprie tres res, sed una, et eadem et res, et perfectio cum divinitate ipsa, ut Lateranensis decrevit synodus, Innocentio tertio pontifice. Tres tamen relativas res nonnulli esse dicunt, ut alias ostendam. Nec tamen sequitur, vel esse perfectiores sese invicem personas tres, quod singulæ rem aliquam in se habeant, quam non habent cæteræ; vel tres simul sumptas perfectius quiddam esse, quam est earum quælibet. Nam tota perfectio in essentia est ipsa, « Ob id perfectus Deus est Pater, ait Sophronius, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus: quoniam eamdem et unicam quælibet persona individuam, et nulla re defectam, ac perfectam habet divinitatem [a]. » De relativis autem Boetius recte docet, « non videri secundum se facere prædicationem, quæ perspicue ex alieno adventu constare perspiciuntur [1]. » Tum disertius paulo post: « Non igitur dici potest, per prædicationem relativam quidquam rei, de qua dicitur, secundum se addere, vel minuere, vel mutare; quæ tota non in eo, quod est, esse consistit, sed in eo, quod est, in comparatione aliquo modo se habere. »

De relati-
nibus qu-
tenus
natura
perficere
dicunt

XIII. Ac tametsi relationes istæ naturam perficere et complere dicantur; quemadmodum personalis proprietas quælibet, quam scholæ hodie *subsistentiam* vocant, naturam in completo et absoluto statu substantiæ constituit: non tamen perfectiones ipsæ sunt aliquæ, quarum accessione natura fiat ipsa perfectior. Sed quia naturam ultimo in statu complent, ac terminant, ideo perficere dicuntur, cum eam veluti circumscribunt ac definiunt ita, ut longius, atque extra se progredi non sinant, sed per se subsistentem faciant. Sane qui hypostaticam illam proprietatem nihil esse præter negationem volunt

a Sophron. in ep. synod. quæ est in *Act.* 11. synodi 6. Tom. V *Conc.* Διὰ τοῦτο τέλειος θεὸς ὁ πατὴρ, τέλειος θεὸς ὁ υἱὸς, τέλειος θεὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπειδὴ τὴν αὐτὴν καὶ μίαν ἕκαστον πρόσωπον ἀμέριστον, καὶ ἀνελλιπῆ, καὶ τελείαν ἔχει θεότητα.

1 Lib. *de Trinit.*

celebres in schola theologi, facile istud admittent, perfici aliquid eo posse, quod ipsum minime sit in se perfectum, vel perfectio ulla, vel res et *entitas* denique. Perficiendi enim ratio duplex est: altera, quæ fit affectione quadam communicantis sese formæ, vel qualitatis; ut cum animam virtus, vel Dei gratia, aut scientia perficit: altera quæ definiendo ac terminando, et velut coercendo fit. Ita punctum lineam, hæc superficiem perficit. Ac priore modo solæ proprietates, quæ οὐσιώδεις et naturales sunt, tam divinam naturam in se, quam personas omnes perficiunt: posteriore vero relationes, sive personales proprietates, naturam ipsam terminando perficiunt. Non enim majorem aliquam, quam quæ naturæ inest, et est communis, perfectionem adjiciunt. Hinc illud ab Augustino repetitum sæpius: non esse majores duas simul, tresve personas, quam unam quamlibet: « Tantus est, inquit, solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, et Filius, et Spiritus sanctus [1]. Atqui majores tres simul videri possent, quam una, si quid perfectionis adderet paternitas ad communem naturam. Esset enim melius quiddam, hoc est bonum magis, quod triplici *entitate*, ut ita loquar, et bonitate constaret. Porro « in iis, quæ non mole magna sunt, ait ibidem Augustinus, hoc est majus esse, quod est melius esse. » Rursus idem Augustinus libro VII, capite VI: « Deinde in his rebus, inquit de creatis loquens, non tantum est unus homo, quantum tres homines simul, et plus sunt aliquid homines duo, quam unus homo. Et in statuis æqualibus plus auri est tres simul, quam singulæ statuæ, et minus est auri una, quam duæ. At in Deo non ita est. Non enim major essentia est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus simul, quam solus Pater, aut solus Filius, sed tres simul illæ substantiæ, sive personæ, si ita dicendæ sunt, æquales sunt singulis: quod animalis homo non percipit. »

Sic in octavo libro, « Tantam esse ait æqualitatem in ea Trinitate, ut non solum Pater non sit major, quam Filius, quod attinet ad divinitatem, sed nec Pater et Filius simul majus aliquid sint, quam Spiritus sanctus, aut singula quæque persona quælibet trium minus aliquid sit, quam ipsa Trinitas. » Quod ipsum et aliis in locis inculcat.

XIV. Quanquam peculiare quiddam inest in illa summa, et inexplicabili Trinitate, cujus gratia, etsi singulæ personarum proprietates perfectionis accessionem aliquam facerent, non minus perfecta quælibet de tribus persona foret, quam duæ tresve simul. Siquidem tres personæ, vel proprietates totidem, una eademque res cum essentia sunt. Ob id in se mutuo esse dicuntur; ac Paternitas, exempli causa, in Filio, et vicissim Filietas inest in Patre κατὰ περιχώρησιν, de qua in libro quarto, capite ultimo de Trinitate disputabitur. Interest tamen modi, quo in Patre eadem proprietas est et in Filio. Nam in illo tanquam forma, ut sic loquar, propria inesse *formaliter*, et quodammodo eum afficere Paternitas dicitur; in Filio vero, tanquam id, quod cum essentia res est una simplicissima, et κατὰ περιχώρησιν solum: qua ratione Pater in Filio, et Filius in Patre, et in utroque Spiritus sanctus esse dicuntur. Hanc ipsam æqualitatis causam indicat Augustinus libro V *de Trinitate*, capite VII. « Nec quoniam Trinitas est, inquit, ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, et Filius. Quanquam non inveniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus, cum semper, atque inseparabiliter et ille cum Filio sit, et ille cum Patre: non ut ambo sint Pater, aut ambo Filius, sed quia semper in invicem, neuter solus. » Mox: « Ita solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur a Filio: sed quia non simul ambo pater sunt. » Et Fulgentius libro tertio *ad Monimum*, capite VII. « Tantumque est, ait, ipsum Verbum, quanta simul est et mens ipsa cum Verbo. Neque enim sic de illa Verbum nascitur, ut ab eo localiter secernatur. Nativitas quippe illa, quæ ostendit quid sit, et de qua sit, ipsa ostendit, quod extra eam, de qua natum est, esse non possit: nec in aliquo minus sit, sed sic de ipsa sit, ut apud ipsam, et in ipsa sit, tantumque sit de illa, quantum in illa, et tantum in illa, quantum cum illa. »

Circumincessione.

XV. Porro totum id, unde perfectus dicitur Deus, vel singulæ personæ, in sola essentia consistere pulchre Bernardus ostendit in epistola CXC, in qua Petri Abælardi errores refellit. « Ille vero digne, inquit, pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nihil in ea cogitat dispar, ubi est totum

1 Aug. lib. VI *de Trin.*, c. III.

summum; nihil distans, ubi totum est unum; nil hians, ubi totum est integrum; nil denique imperfectum, vel egens, ubi totum est totum. Totum nempe est Pater, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Totum Filius, quod ipse, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Totum Spiritus sanctus, quod et ipse, et Pater, et Filius. Et totum unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis. Nec enim verum, summumque bonum, quod sunt, inter se particulariter dividunt, quoniam nec participaliter id possident, sed hoc ipsum essentialiter sunt. » Ex his evidens est perfecti rationem omnem, quæ est in Deo, sola essentia contineri, in qua *totius*, quod idem fere est ac *perfectum*, sita notio est; cujus gratia tam singulæ personæ totum idem sunt, quod tres simul, idemque verum, ac summum bonum: quod perinde cum *perfecto* confunditur. Unde Euryphamus Pythagoreus in libro *de Vita*, « Deum ait perfectum esse, quia natura bonus est [a]. »

Postremo frustra niti quosdam theologos apparet, qui ut personales proprietates per sese quasdam sui generis esse perfectiones probent, illud afferunt, quod sæpe, multumque veteres prædicant, Patrem ipsum, qua Pater est, nec catenus solum quod Deus est, esse perfectum; ac similiter Filium, et Spiritum sanctum: cum et illud quoque tradunt ideo Patrem genuisse Filium, quia perfectus est, atque ut in hominibus, et animantibus reliquis, sic in Deo perfectionis indicium esse fecunditatem, ac generationem, ut inter alios Gregorius Nyssenus in primo *adversus Eunomium* [1], et alii, quos suo loco referam [2]. Hæc, inquam, et ejusdem generis alia non sunt argumento, ipsam per sese proprietatem, ac relationem exempli causa paternitatis, perfectionem aliquam ad naturam addere, cum eo, quem paulo ante diximus, modo perficere dici possit, quod naturam terminet, et compleat, non nova aliqua dote, et accessione perfectionis augeat. Atque hæc obiter anticipanda fuerunt, quæ proprium obtinent locum, ut divinæ perfectionis ratio plenam tractationem haberet.

CAPUT VIII.

De Dei pulchritudine: ac primum pulchritudinis natura consideratur: quam sit affinis bonitati ac perfectioni: adeo ut quæ de illa dicuntur, eadem in pulchritudinem conveniant: velut aptum, et congruens; item modus, ordo, et species.

I. Cum Dei bonitate, ac perfectione conjuncta est pulchritudo, et utriusque adeo similis, ut eas difficile sit a se mutuo secernere. Atque ut cum bonitate potissimum pulchritudinem conferam, apud Græcos eodem ambæ fere vocabulo continentur. Nam τὸ καλὸν utrumque significat, et *bonum*, et *pulchrum*. Ut primo capite *Geneseos*, in eo, quod sæpe repetitur, *Et vidit Deus, quod esset bonum*, ὅτι καλόν. In Hebræo כי טוב quæ vox *bonum* significat. Quinetiam *boni* vulgata illa definitio, qua id esse dicitur, quod omnia expetunt, τῷ καλῷ non minus, quam τῷ ἀγαθῷ tribuitur. Hinc τὸ καλόν qua *pulchrum* est, Dionysius appellari putat ab eo, « quod ad sese vocat omnia. Κάλλος, inquam, ἀπὸ τοῦ καλεῖν; quodque universa in idem congreget [b]. » Ita Philoponus [3], qui et aliam addit etymologiam « ἀπὸ τοῦ κηλεῖν καὶ θέλγειν, *ab demulcendo, et alliciendo*. » Præterea quæ boni solent enumerari species, ut sit vel utile, vel jucundum, vel honestum, per easdem et τοῦ καλοῦ appellatio funditur. Est enim nonnunquam idem ac χρήσιμον, quod est *utile* [4]. Ita Plato in *Hippia majore*. « Quod est, inquit, utile, et quatenus utile, et ad quod utile est, et quando utile, pulchrum esse dicimus; quod autem prorsus inutile sit, turpe [c]. » Mox etiam idipsum esse τὸ ἡδύ, hoc est *suave*, et *jucundum* probat. Postremo pro honesto sumi τὸ καλόν, res est trita usu ac notissima. Hinc Philo Judæus in libro de his verbis, *Resipuit Noe*, τὸ ἀγαθὸν solum id esse ait, quod est καλόν. Ambiguum est in illo versu, quem Musas in Pelei ac Thetidis nuptiis cecinisse Theognis refert.

In quo sit pulcl- tudo.

Pulchr bono.

a Euryph. in Fragm. Pythag. in calce Diog. Laert. Φύσει γὰρ ἀγαθὸς ἐὼν, καὶ φύσει εὐδαίμων, ἐξ ἑαυτῶ τελήϊός ἐντι.

b Dion. IV *de Div. nom.* Καὶ ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν, ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται, καὶ ὡς ὅλα ἐν ὅλοις εἰς ταὐτὸ συνάγον.

c Plato in *Hippia*. Τὸ μὲν χρήσιμον, καὶ ᾗ χρήσιμον, καὶ πρὸς ὃ χρήσιμον, καὶ ὁπότε χρήσιμον, καλόν φαμεν εἶναι· τὸ δὲ πάντῃ ἄχρηστον, αἰσχρόν.

1 Edit. Grets., p. 142. — 2 Vide lib. V *de Trin.* c. vi., nn. 8 et 9. — 3 Philop. lib. VII *de Opif.*, c. vi. — 4 Philop. p. 219, edit. Genev.

Ὅ, ἐστι καλὸν, φίλον ἐστί· τὸ δ' οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐστί. Potest enim vel *honestum* significare, vel *pulchrum*. Et per me quidem honestum esse potest. Ita enim Deorum cœtu, cantuque sit dignius. « Id solum, quod honestum est, amicum esse. »

II. Ita quidquid illud est, in quo boni naturam constituimus in antecedenti disputatione, convenit ei, quod pulchrum dicitur. Hoc enim *bonum* esse demonstravimus, quod est aptum et congruens. Sic etiam pulchrum in quadam convenientia situm est. Itaque pulchritudinem corporis definit Cicero in quarta *Tusculana*, ut sit « Apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate. » Quem imitatus Augustinus, « Omnis, inquit, corporum pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Ubi autem non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia parvum est (*aliter* pravum) aut ideo quia nimium (*aliter* minimum.) » Sed et Plato in *Hippiæ* loco, quem paulo ante laudavimus, ita τὸ καλὸν accepit, dum ait significare τὸ χρήσιμον ; ut cum dicimus « corpus esse utile καλὸν aliud ad cursum, aliud ad luctam ;» necnon animantia cætera, ut equum ad cursum : et instrumenta artium [a]. Ambrosius item in secundo libro in *Hexaemeron* sub finem, « Illa est enim vera pulchritudo, inquit, et in singulis membris esse quod deceat, et in toto ; ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo laudetur. » Ubi quam gratiam vocat, ea est quam Græci ὥραν nominant, vel εἶδος. In *Psalmo* XLIV, 5, duo ista distinguuntur, *species*, et *pulchritudo* : « *Specie tua, et pulchritudine tua*, etc. Quem ad locum Basilius adnotat, aliud esse ὡραῖον, quem *speciosum* idem vertit interpres ; aliud καλόν [b]. « Speciosum, inquit, est quod plenum et absolutum est, ad idoneum tempus, et ad congruentem vigorem perductum. Pulchrum autem, quod in membrorum compositione concinne ac decenter aptatum est, atque efflorescentem habet gratiam [c]. » Est enim ὡραῖον proprie, quod maturitatem est adeptum. Ambrosius in libro II in *Hexaemeron*, capite secundo : « Illa est, inquit, vera pulchritudo, et in singulis membris esse quod deceat, et in toto : ut in singulis gratia, in omnibus formæ convenientis plenitudo laudetur. »

Utile bonum

III. Hinc illa tria, quibus constare bonitatem supra diximus, ad pulchritudinem nihilominus pertinent, eamque componunt, *modus*, *species*, et *ordo*. Sic corpoream creaturam Augustinus ait esse « bonum infimum, et in suo genere pulchrum, quoniam forma et species continetur [1]. » Ubi forma potest esse modus, quasi determinatio quædam, et moderatio ab infinitate rem ad certam rationem redigens. Ordo item in eo consistit, quod suum inter bona locum, id est infimum, habere res corporeæ dicuntur. Quare pulchritudo rerum in eo quoque versatur, ut proprium obtineant dignationis gradum, et ordinem. Hinc Augustinus idem libro XI *de Civitate Dei*, capite XVIII, « ordinem ait sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestari. » Loquitur autem de malis, quæ Deo permittente bonis admista, ad universitatis, providentiæque divinæ pulchritudinem conferunt. Et in libro *de Natura boni contra Manichæos*, capite VIII. « Fit autem, inquit, decedentibus, et succedentibus rebus, temporalis quædam in suo genere pulchritudo, ut nec ipsa, quæ moriuntur, vel quod erant esse desinunt, turpent, aut turbent modum, et speciem, et ordinem universæ creaturæ, sicut sermo bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllabæ, atque omnes soni tanquam nascendo, et moriendo transcurrant. »

Rursus in libro IV *Confessionum*, capite XIII, de pulchro disputans obiter, hoc ab eo, quod est aptum, nonnullo discrimine secernit. « Quid est, ergo pulchrum, ait, et quid est pulchritudo ? Quid est quod nos allicit, et conciliat rebus, quas amamus ? Nisi enim esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent. Etenim animadvertebam, et videbam in ipsis corporibus aliud esse quasi totum, et ideo pulchrum ; aliud autem, quod ideo deceret, quoniam apte accommodaretur

a Plato in *Hippia majore*. Οὐκοῦν καὶ τὸ ὅλον σῶμα οὕτω λέγομεν καλὸν εἶναι, τὸ μὲν πρὸς δρόμον, τὸ δὲ πρὸς πάλην, etc.

b *Psal*, XLIV. 5. Τῇ ὡραιότητί σου, καὶ τῷ κάλλει σου.

c Basil. Ὡραῖον τὸ συμπεπληρωμένον εἰς τὸν ἐπιτήδειον καιρὸν πρὸς τὴν οἰκείαν ἀκμήν· καλὸν δὲ τὸ ἐν συνθέσει τῶν μελῶν εὐάρμοστον, ἐπανθοῦσαν αὐτῷ τὴν χάριν ἔχον.

1 Aug. lib. *de Vera relig.* cap. XX.

alicui: sicut pars corporis ad universum suum, aut calceamentum ad pedem. » De quo etiam argumento, hoc est de pulchro et apto, libros se duos vel tres ad Hierium genere Syrum, Romanæ urbis oratorem Græce Latineque disertissimum scripsisse meminit. Quocirca pulchritudinem in toto suis, et iisdem apte cohærentibus constante partibus constituere videtur; quod vero aptum vocatur, in singulis partibus.

IV. Verum non modo corpus integrum, ac totum, sed etiam unaquæque pars totius pulchra per se non minus dicitur, quam apta conveniensque toti. Et cum pulchritudo etiam illo modo sumpta, ex aptis et congruenter consertis invicem partibus conflata sit, nihil ab eo quod est aptum, differre videtur. Etenim ex multis aptis id, quod existit, aptum est et ipsum. Tam enim ipsum partibus aptum est suis, quam ipsi singulæ. Verumtamen in epistola v eamdem differentiam pulchri et apti commendat Augustinus: « Pulchrum enim, ait, per seipsum consideratur, atque laudatur, cui turpe ac deforme contrarium est. Aptum vero, cui ex adverso est ineptum, quasi religatum, pendet aliunde; nec ex semetipso, sed ex eo, cui connectitur, judicatur: nimirum etiam decens, atque indecens, vel hoc idem est, vel perinde habetur. » Nempe vox *aptum*, Latine est *connexum* vel *religatum*. Idem vero est ac decens, vel decorum. Ac nemo est quin hoc, quod est aptum, vel decens, cum ipsa pulchritudinis natura conjunctum esse censeat. Quo illud spectat ab Aristotele proditum in primo *Rhetoricorum*, capite v. « Pulchritudinem aliam aliis ætatibus convenire. Ac juvenis quidem pulchritudinem in eo sitam, ut habeat ad labores tolerandos utile corpus, tam qui ad cursum quam qui ad vim referuntur; ita ut aspectu suavis insuper sit ad fructum et oblectationem[a]. » Quo ex loco pulchritudinis superiorem illam definitionem Cicero confecit. Non igitur absolute pulchritudo constat, sed ad aliud comparatur, cui congruat; in quo decori posita ratio est. Tria sunt enim, ut sanctus Thomas docet, ad pulchritudinem necessaria: « Primo quidem integritas, sive perfectio. Quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. Et debita proportio, sive consonantia. Et iterum claritas. Unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur[1]. » Quinetiam quod Hilarius in secundo libro scripserat, « speciem esse in imagine, » id ad Filium pertinere, post Augustinum asserit ibidem sanctus Thomas, « inquantum est imago expressa Patris. Unde videmus, quod aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfecte repræsentat rem. » Augustinus vero, « Imago, inquit, si perfecte implet illud, cujus imago est, ipsa coæquatur illi, non illud imagini suæ. In qua imaginem speciem nominavit, credo propter pulchritudinem; ubi jam est tanta congruentia, et prima æqualitas, et prima similitudo nulla in re dissidens, et nullo modo inæqualis, et nulla ex parte dissimilis, sed ad identidem respondens ei, cujus imago est[2]. » Adeo perspicuum est, pulchritudinis rationem in convenientia, et quadam adæquatione consistere.

V. Quamobrem Dionysius in libro *de Divinis nominibus*, capite iv, Deum ait summum esse pulchrum, summamque pulchritudinem, « quod sit rebus omnibus congruentiæ, et convenientiæ causa, nec non nitoris et splendoris cujusdam[b]. » Ubi duas illas, quas ex Aristotele, Cicerone, et Augustino referebamus, pulchritudinis partes comprehendit, convenientiam, et coloris, sive nitoris suavitatem, et elegantiam. Tum idem mox Dionysius pulchritudinem, ut inest Deo, explicans, inter alia, « pulchritudine ait constare rerum omnium inter se mutuas connexiones, et cohærentias, ac pulchritudine omnia copulari[c]. » Item, « Pulchri, inquit, causa fiunt omnia, » etc. Mox, « Ideo pulchrum idem est cum bono; quoniam pulchri et boni per omnem causam cupiditate tenentur omnia, nec ulla res existit, quæ non pulchri sit ac boni particeps. » Quem ad locum Maximus martyr, « Etenim

a Arist. I. *Rhet.* cap. v. Κάλλος δὲ ἕτερον καθ' ἑκάστην ἡλικίαν ἐστί. νέου μὲν οὖν κάλλος, τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα, τούς τε πρὸς δρόμον καὶ πρὸς βίαν, ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν.

b Dion. Ὡς τῆς πάντων εὐαρμοστίας, καὶ ἀγλαίας αἴτιον.

c Dion. ibid. Καὶ διὰ τὸ καλὸν αἱ πάντων ἐφαρμογαὶ, καὶ φιλίαι, καὶ κοινωνίαι· καὶ τῷ καλῷ τὰ πάντα ἥνωται, etc.

Mox: Τοῦ καλοῦ γὰρ ἕνεκα πάντα γίνεται, etc.

Διὸ καὶ ταὐτόν ἐστι τἀγαθῷ τὸ καλὸν, ὅτι τοῦ καλοῦ, καὶ ἀγαθοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν πάντα ἐφίεται, καὶ οὐκ ἔστι τι τῶν ὄντων, ὃ μὴ μετέχει τοῦ καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ.

1 I. Par. q. xxxix, art. 8. Vide et 2. 2. q. cccxlv, art. 2. — 2. Aug. in VI *de Trinit.* c. x.

propter pulchrum, inquit, elementorum mutui nexus fiunt, quas cohærentias appellat; et eorum quæ sunt ordinatæ colligationes, quæ amicitiæ, communionesque vocantur[a].» Hoc verum non esset, nisi pulchritudo sita foret in aptitudine quadam, et congruentia, per quam res invicem adhærescunt, et quasi committuntur. Quocirca in συμμετρίᾳ, id est *proportionis commensu* pulchritudinem positam esse indicat Alcinous capite x libri *de Doctrina Platonis:* etsi verba illius paulo sunt obscuriora, dum ait « pulchrum eatenus esse Deum, quod natura plus aliquid habet, et est commensum[b]. » Quod non satis expedio. Intrepres quoque non satisfacit, ita vertens, « quod ipse natura sua utrumque sit, plus et æquale. » Atqui non ideo καλὸς appellabitur Deus, quod redundans habeat quippiam, sed quod congruens potius, et commensum. Forte ita scribendum sit, οὐ φύσει πλέον ἐστὶ καὶ σύμμετρον. Ut nimirum pulcher Deus propterea dicatur, *quod natura sua non excedit,* id est sic se rebus accommodat, vel ita ipse temperatus est, ut nihil non justum et adæquatum in eo sit: quæ est τοῦ καλοῦ ratio propria. Ita Basilius homilia in *Psalmum* XXIX, in συμμετρίᾳ eamdem statuit. « Pulchra, inquit, est omnis anima, quæ in bene temperato commensu propriarum facultatum consideratur[c]. »

Apud Diogenem Laertium Zeno καλὸν id esse definit, *quod ad usum sui moderatum est*[d]. Et Proclus libro secundo in *Timæum* Platonis τὰ καλὰ non minus, quam ἀγαθὰ, quæ « harmonia, et symmetria, et ordine constant. » Hæc, inquam, « pulchra, et bona esse contendit: Siquidem omne, quod est pulchrum, bonum est[e]. »

VI. Quocirca vera pulchritudo, quæ in animo potius, quam in corpore cernitur, ut in prima oratione Maximus Tyrius indicat, tum in virtute sita est omni, tum in ea maxime, quæ in proportione, et quadam aptatione consistit, qua est justitia. De quo sic Augustinus in *Enarratione Psalmi* XLIV: « Summa et vera pulchritudo justitia est. Ibi illum non videbis pulchrum (nempe Christum) ubi deprehendis injustum. Si ubique justus, ubique decorus. » Et epistola CCXXII: « Quid est autem aliud justitia, cum in nobis est, vel quælibet virtus, qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo? Etiam secundum hanc pulchritudinem magis, quam secundum corpus, facti sumus ad imaginem Dei. » Hæc illa est forma, et tanquam facies honesti, quæ, ut ex Platone scribit[f] Cicero, « si oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret sapientiæ[1]. » Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon,* illud ex Platone refert, « virtutem esse animæ pulchritudinem[g]. »

At enim nondum ipsa per sese pulchritudo quid sit, satis extricasse videmur. Non enim illam ab eo, quod est *bonum,* penitus disjunximus. Nam ambo ista nonnihil differunt. Sed quid sit illud, in quo invicem distant, difficile est judicium; idque adeo usu magis, et communi quadam notione percipi, quam explicari potest. Ut ex eo constet nobis, quod apud Platonem in fine *Hippiæ majoris* ait Socrates, « quam sit verum, quod in Proverbio dicitur: quæ pulchra sunt, esse difficilia[h]. » Joannes Philoponus libro septimo in *Hexaemeron,* capite VI, de pulchro bonoque agit, et ambo invicem confert; καλὸν itaque dici vult ab eo, quod est κηλεῖν, hoc est *mulcere,* vel a καλεῖν, ait Dionysius. Porro omne pulchrum ait esse bonum, at non omne bonum esse pulchrum[i]. Nam ægroto medica potio bona est, non tamen pulchra; nec non sectio, vel adustio, et si qua alia sunt aspera et injucunda remedia; non tamen καλὰ, id est *pulchra,* quia non mulcent, neque vocant ad se, sed offendunt potius. Verum levia ista sunt, et ad plebeiam trutinam, non ad state-

a MAXIM. Διὰ γὰρ τὸ καλὸν αἱ τῶν στοιχείων γεγόνασιν ἀλληλουχίαι, ἃς ἐφαρμογάς φησι, καὶ αἱ τῶν ὄντων εὔτακτοι συνδέσεις διαρκοῦσι, λεγόμεναι φιλίαι καὶ κοινωνίαι.

b ALCIN. Καλὸν δὲ ὅτι αὐτὸς τοῦ φύσει πλέον ἐστὶ, καὶ σύμμετρον.

c BASIL. Καλὴ μὲν οὖν πᾶσα ψυχὴ ἡ ἐν συμμετρίᾳ τῶν οἰκείων δυνάμεων θεωρουμένη.

d DIOG. LAERT. lib. VII. Καλὸν δὲ, ὅτι συμμέτρως ἔχει πρὸς τὴν ἑαυτοῦ χρείαν.

e PROCLUS. Τὴν ἁρμονίαν, καὶ τὴν συμμετρίαν, καὶ τὴν τάξιν· ταῦτα γὰρ καλά. πᾶν δὲ τὸ καλὸν, ἀγαθόν.

f PLATO. Δεινοὺς ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἰ τοιοῦτον ἑαυτῆς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.

g CLEM. Τὴν ἀρετὴν τὸ κάλλος τῆς ψυχῆς εἶναι.

h PLATO in fine *Hipp.* Ἐγὼ οὖν μοι δοκῶ, ὦ Ἱππία, ὠφελεῖσθαι ἀπὸ τῆς ἀμφοτέρων ἡμῶν ὁμιλίας. τὴν γὰρ παροιμίαν, ὅ, τί ποτε λέγει, τὸ, χαλεπὰ τὰ καλὰ, δοκῶ μοι εἰδέναι.

i PHILOP. Πᾶν μὲν οὖν καλὸν ἀγαθόν· οὐ πᾶν δὲ ἀγαθὸν καλόν.

1 Cic. *de Offic.*

ram philosophicam exacta. Quis enim veram illam esse notationem nominis concedat, ut ἀπὸ τοῦ κηλεῖν, id est a *mulcendo*, et *oblectando*, τὸ καλὸν dicatur? Quod si ἀπὸ τοῦ καλεῖν derivari placet, non minus tristibus illis, et acerbis remediis τοῦ καλοῦ vox, et significatio congruet. Siquidem talia propter utilitatem a prudentibus, et bene sibi consulentibus appetuntur.

Equidem dum attentius in ea contemplatione mentem defigo, videre mihi videor paululum quiddam interesse, idque esse ejusmodi. Bonum esse definivimus id, quod aptum est, et congruentiam quamdam habet. Hanc porro congruentiam non absolute sumi, sed referri ad usum aliquem atque fructum; quod est appetitionis proprium. Hinc bonum illud esse dicitur, quod omnia appetunt. At vero pulchrum illa est ipsa congruentia, qua non appetitionem præcise respicit, sed veram germanamque speciem, et absolutum exemplar sui, quam ἰδέαν Platonici nominant. Est enim rei cujuslibet perfecta quædam, et omnibus suis numeris, ac partibus constans, et absoluta forma: quæ inest primum in mente ipsa Dei; tum secundo in mente intelligentiaque ratione præditorum; cujus nonnulla vis, ac particula in sensus ipsos, præsertim interiores, qui in homine sunt, redundat. *Ideam.*

VII. Etenim, ut quod volo, Ciceronis potius in *Oratore ad Brutum*, quam meis verbis enarrem, « nihil est in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest, cogitatione tantum, et mente complectimur. Itaque et Phidiæ simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem, et manum dirigebat. » Sic rerum omnium insitæ sunt a natura, et ante perceptæ notiones, quas ἐννοίας, et προλήψεις appellari dicit in *Topicis* idem Cicero; quas intuentes, animoque tractantes judicium de singulis ferimus, ut quo unaquæque propius ad eam, quam informatam jam mente comprehendimus, speciem sui, et exemplar accesserit, eo pulchrior, et perfectior habeatur. Ac tametsi sit illud totum animi proprium et exemplar, et similitudinis cum eo, perfectique judicium; sit tamen arte, et exercitationis assiduitate, ut in sensibus ipsis notæ quædam impressæ videantur, ac species, ex quibus, ut est illis objectum aliquid eorum proprium, statim desit iis quippiam, necne ad perfectam illam rationem, naturæque consentaneam ipsorum animadvertunt. Quocirca pulchritudinem rei cujuslibet intelligo sic, ut sit convenientia quædam ipsius cum illa perfecta specie, et exemplari, ad quod exigi natura sua postulat. Sic pulchram imaginem dici paulo ante a sancto Thoma didicimus, quæ cum archetypo suo quadraret. Sic pulchrum corpus hominis vocamus (utamur enim similitudine corporum, ac sensuum, antequam intelligibilem illum decorem, qui est in animo, contemplemur) pulchrum ergo appellamus cum hominem, qui illam habet oris, ac vultus conformationem, eamque membrorum figuram, et elegantiam, atque illam denique coloris suavitatem, quam perfecta requirit humani corporis species, cujusmodi in sensibus nostris, animisque circumferimus. Itaque prout illa est diversa forma, quam interius cogitatam et expressam habemus; ita varium est de pulchritudine judicium hominum. Nam Æthiopes, exempli gratia, qui nigrum in corpore colorem candori præferunt, fœda esse censent candida corpora, nigra esse formosa judicant. Nos secus eadem de re sentimus; quia aliter instituti sumus. « Græci, inquit Alexandrinus Clemens, sicut hominibus forma similes, ita iisdem quoque, quibus ipsi, animi perturbationibus Deos ponunt obnoxios; et quemadmodum eorum formas sibi similes singuli describunt, ut ait Xenophanes, Æthiopes quidem nigros et simos, Thraces autem fulvos, et cæruleis oculis; sic etiam et animos assimilant iis, qui eos effingunt[a]. » *In quo consistat pulchritu-*

VIII. Constantior est, et ab opinionum varietate solutior de virtute, ac vera pul-

[a] Clem. Alex. VII *Strom.* Ἕλληνες δὲ ὥσπερ ἀνθρωπομόρφους, οὕτω καὶ ἀνθρωποπαθεῖς τοὺς θεοὺς ὑποτίθενται. καὶ καθάπερ τὰς μορφὰς αὐτῶν ὁμοίας ἑαυτοῖς ἕκαστοι διαζωγραφοῦσιν· ὥς φησὶν ὁ Ξενοφάνης· Αἰθίοπές τε μέλανας, σιμούς τε, Θρᾷκές τε πυῤῥούς, καὶ γλαυκούς· οὕτω καὶ τὰς ψυχὰς ὁμοιοῦσιν, καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀναπλάττουσιν.

chritudine animorum existimatio. Nam eadem fere hominum omnium est de honestate sententia; ac nemo non ea, quæ juste, fortiter, temperate, ac recte denique facta sunt, pulchra et laude esse digna judicat. Est enim virtutis, et honestatis a natura ingenita quædam species humanis mentibus, ex qua, nisi plane depravatæ sint, incorrupta, et sincera judicia de præclare, turpiterve gestis rebus existunt. Ad has itaque naturales, insitasque species, ac notitias referenda esse dico quæcumque pulchra vocantur; multoque magis ad illas intelligibiles, sempiternasque formas etiam transeuntium, caducarumque rerum, quæ insunt in mente divina, et *ideæ* nominantur. Nam eæ tum veræ, certæque sunt, tum immutabiles ac perpetuæ; quarum in humana ratione imitationes quædam, ac velut vestigia cernuntur.

Quamobrem tota pulchritudinis ratio, cum ad exemplaria illa, et archetypas formas comparari dicitur, ad cognitionem, et notitiam quoque referri simul intelligitur; ut, quemadmodum appetendi facultatem proprie bonitas, ita cognoscendi vim pulchritudo respiciat. Hoc mihi apud Platonem obiter indicasse visus est Socrates in *Hippia majore;* quo in libro de *Natura pulchritudinis*, id est τοῦ καλοῦ disputans, eam ipsam, quæ quidem sensu percipitur, in visu, et auditu collocat. « Id enim pulchrum ait esse, quod nos delectat, non de omni voluptate loqui se dicens, sed quæ per auditum, et visum affluit[a]. » Nam et picturæ, et variegata omnia artium opera, quæ oculos afficiunt, pulchra dicuntur; et cantus, ac vocum modulationes et orationes ac carmina itidem pulchra nominantur; cæteris sensibus quæ placent, ea non pulchra, sed bona, et jucunda solemus dicere. Nemo enim pulchrum cibum, aut odorem, aut ejusmodi aliquid vocet, sed suavem, et bonum. Cujus differentiæ causa hæc afferri potest, quod ex omnibus quinque duo illi sensus proxime ad animum, et intelligentiam accedunt, et in materiam minus immersi videntur. Itaque licet universe pulchritudinem ad cognitionem referre.

IX. Quod egregie sanctus Thomas animadvertit, ita scribens: « Pulchrum, inquit, et bonum in subjecto quidem sunt idem; quia super eamdem rem fundantur, scilicet super formam: et propter hoc bonum laudatur ut pulchrum; sed ratione differunt, nam bonum proprie respicit appetitum. Est enim bonum, quod omnia appetunt, et ideo habet rationem finis. Nam appetitus est quasi quidem motus ad rem. Pulchrum autem respicit vim cognoscitivam. Pulchra enim dicuntur, quæ visa placent. Unde pulchrum in debita proportione consistit; quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus: nam et sensus ratio quædam est, et omnis virtus cognoscitiva; et quia cognitio sit per assimilationem, similitudo autem respicit formam, pulchrum proprie pertinet ad rationem causæ formalis[1].

Ad summam pulchrum ita definiri potest, ut sit id, cujus cognitio ideo delectationem affert, quia exemplari suo ac formæ primigeniæ exacte respondet. Est autem ad pulchritudinis rationem adjungenda voluptas, quæ quidem ex illius cognitione oritur. Unde et apud Platonem in *Gorgia*, pulchritudo duobus istis circumscribitur, *delectatione*, et *bono*[b]. Pulchri definitio.

Basilius homilia secunda in *Hexaemeron*, τοῦ καλοῦ, id est *pulchri* rationem obiter indicans, ea dicit, quæ ad institutum sermonem faciunt, et ideo præterire non libet. Nam de illa Dei locutione cum agit, *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, ὅτι καλὸν, » nomen τοῦ καλοῦ non ad bonitatem retulit, sed ad pulchritudinem, atque ita scribit: « Ac si pulchrum, quod inest corpori, ex proportione partium inter se, et apparente coloris bonitate constat; quomodo in lumine, quod natura simplex, et partes habet similes, pulchri ratio retinetur? An quod luci temperatio illa non propter suas aliquas partes divino testimonio tribuitur, sed eo quod ad visum oculorum blandum ac benignum affluat? Sic enim et aurum pulchrum dicitur, non ex proportione ulla partium, sed ex sola jucunditate coloris id habens, ut visum alliciat, ac delectet; et Vesper stellarum est pulcherrima, non quod apta proportione distributas habeat partes, ex quibus componatur, sed quod miti quodam, et suavi, quem emittit, splendore permulcet

a Plato in *Hippia*. Ὅρα γὰρ εἰ ὃ ἂν χαίρειν ἡμᾶς ποιῇ· μή τι πάσας τὰς ἡδονὰς, ἀλλ' ὃ ἂν διὰ τῆς ἀκοῆς καὶ τῆς ὄψεως τοῦτο φαῖμεν εἶναι καλόν.

b Plato. Καὶ καλῶς γε νῦν ὁρίζῃ, ὦ Σώκρατες, ἡδονῇ τε, καὶ ἀγαθῷ ὁριζόμενος τὸ καλόν.

1 I Par. qu. v art. 4. ad 1

oculos[a].» Sic verum nihilominus est quod dixi, pulchritudinem in eo consistere, ut perfecte res aliqua speciei, et imagini, sive ideæ sui absolutissimæ respondeat; quam quidem vis et facultas cognoscens, cui illa proprie subjicitur, in se quodammodo continet, ac circumfert haustam ex illa, cujus creatum quodlibet particeps est cognoscendi principium, divina et sempiterna notione, et idea.

X. Ex iis omnibus potest hoc ipsum colligi, cujus gratia totam illam de pulchro quæstionem ingressi sumus, quæ sit proprie dicta, et quanta sit Dei pulchritudo. Ea vero duplici modo perspicitur : vel in seipsa, vel in effectis, et operibus. Priori modo scire licet ex antecedenti disputatione, absolutam et immensam esse divinam pulchritudinem; quod in eam perfectissime quadrat illius definitio. Est enim Deus primaria rerum omnium idea, et exemplar. Itaque, cum a seipso abhorrere nequeat, est exemplari perfectissimo accurate consentaneus. Et quia bonitas est, et jucunditas ipsa, quæ appetitionem, ac cognitionem explet omnem, universam vim, ac rationem infinitæ pulchritudinis exhaurit.

Dei pulchritudo infinita.

Præterea, cum pulchrum idem fere sit cum bono, ac nonnisi ratione differat; bonum vero idem, ac τὸ ὄν : insit autem in Deo bonum omne, et omne quod *ens*, ac τὸ ὂν dicitur, ut supra latius disputatum est : sequitur, in Deo omne pulchrum inesse, imo omnem ipsum esse pulchritudinem, sicut omnis est bonitas, et ὀντότης, id est *entitas* omnis. Hanc pulchritudinis in Deo vim illustrat Dionysius in quarto *de Divinis nominibus;* ubi « Pulchritudinem a pulchro distinguendam non esse docet in ea causa, quæ universa continet. Nam ista in iis, quæ sunt omnibus, in participationes, ac participantia dividentes, pulchrum appellamus id, quod pulchritudinis est particeps; pulchritudinem vero participationem pulchrificæ pulchrorum omnium causæ[b].» At in Deo ambo ista in unum concurrunt, ut et pulcher, et pulchritudo ipsa dicatur. Sic apud Platonem Hippias τὸ πρέπον, quod est *decens*, idemque τὸ καλὸν, id definit, « quo pulchra sunt omnia[c].» Rursus excellentia divinæ pulchritudinis in eo cernitur, quod, ut idem ait Dionysius, pulchrum est ejusmodi, « quod semper est, et eodem modo, ac sine ulla varietate pulchrum; ac neque oritur, neque occidit, neque crescit, neque minuitur. Non partim pulchrum, partim turpe; vel aliquando pulchrum est, aliquando non est; neque ad hoc quidem comparatum est pulchrum, ad hoc vero non est; neque hic non est; istic non est, tanquam quibusdam pulchrum sit, quibusdam non sit. Sed ideo, quod ipsum per se, secumque, et uniusmodi semper est pulchrum; et quod ipsum pulchritudinis, a qua pulchra omnia dicuntur, fontem in se excellenter ante complectitur, Etenim per simplicem et antecellentem pulchrorum omnium naturam pulchritudo omnis, et omne pulchrum una et simplici ratione secundum causam ante subsistit[d].» Hinc Alcinous, « magnum pulchri pelagus, » appellavit Deum. Subjicit et rationem aliam Herennius Platonicus philosophus *in Metaphysica*, qua summa Dei pulchritudo monstratur[e]. Etenim « pulchritudinem a forma potius oriri ait, quam a materia. Est enim in agente

a Basil. Εἰ δὲ τὸ ἐν τῷ σώματι καλὸν ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα τῶν μερῶν συμμετρίας, καὶ τῆς ἐπιφαινομένης εὐχροίας τὸ εἶναι ἔχει, πῶς ἐπὶ τοῦ φωτὸς ἁπλοῦ τὴν φύσιν ὄντος, καὶ ὁμοιομεροῦς, ὁ τοῦ καλοῦ διασώζεται λόγος; ἢ ὅτι τῷ φωτὶ τὸ σύμμετρον οὐκ ἐν τοῖς ἰδίοις αὐτοῦ μέρεσιν, ἀλλ' ἐν τῷ πρὸς τὴν ὄψιν ἀλύπῳ, καὶ προσηνεῖ μαρτυρεῖται; οὕτω γὰρ καὶ χρυσὸς καλὸς οὐκ ἐκ τῆς τῶν συμμετρίας, ἀλλ' ἐκ τῆς εὐχροίας μόνης τὸ ἐπαγωγὸν πρὸς τὴν ὄψιν, καὶ τὸ τερπνὸν κεκτημένος, καὶ ἕσπερος, ἀστέρων κάλλιστος, οὐ διὰ τὸ ἀναλογοῦντα ἔχειν τὰ μέλη, ἐξ ὧν συνέστηκεν· ἀλλὰ διὰ τὸ ἄλυπόν τινα, καὶ ἡδεῖαν τὴν ἀπ' αὐτοῦ αὐγὴν ἐμπίπτειν τοῖς ὄμμασιν.

b Dion. IV *de Divin .nom.* Τὸ δὲ καλὸν, καὶ κάλλος οὐ διαιρετέον ἐπὶ τῆς ἐν ἑνὶ τὰ ὅλα συνειληφυίας αἰτίας. ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ὄντων ἁπάντων, εἰς μετοχὰς, καὶ μετέχοντα διαιροῦντες, καλὸν μὲν εἶναι λέγομεν τὸ κάλλους μετέχον· καλλος δὲ, τὴν μετοχὴν τῆς καλλοποιοῦ τῶν ὅλων καλῶν αἰτίας.

c Plato in *Hippia majore*. Οὕτω δή φαμεν καὶ τὸ καλὸν, ᾧ καλὰ πάντα ἐστίν.

d Dion. ibid. Καλὸν δὲ ὡς πάγκαλον ἅμα, καὶ ὑπέρκαλον, καὶ ἀεὶ ὂν κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως καλὸν, καὶ οὔτε γινόμενον, οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον, οὔτε φθίνον, οὐδὲ τῇ μὲν καλὸν, τῇ δὲ αἰσχρόν. οὐδὲ τοτὲ μὲν, τοτὲ δὲ οὔ· οὐδὲ, πρὸς μὲν τὸ, καλὸν, πρὸς δὲ τὸ, αἰσχρόν· οὔτε ἔνθα μὲν, ἔνθα δὲ οὔ. ὡς τισὶ μὲν, ὂν καλὸν, τισὶ δὲ, οὐ καλόν. ἀλλ' ὡς αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ, μεθ' ἑαυτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὂν καλόν· καὶ ὡς παντὸς καλοῦ τὴν πηγαίαν καλλονὴν ὑπεροχικῶς ἐν ἑαυτῷ προέχον. τῇ γὰρ ἁπλῇ, καὶ ὑπερφυεῖ τῶν ὅλων καλῶν φύσει, πᾶσα καλλονὴ, καὶ πᾶν καλὸν ἑνοειδῶς, κατ' αἰτίαν προϋφέστηκεν.

e Alcin. cap. x. Τὸ πολὺ πέλαγος τοῦ καλοῦ.

magis, quam in patiente; quia quod patitur est aliquid potentia, quod vero actu est, agit[a]. » Est autem Deus perfectissimus actus, cui nihil admistum est potentiæ; cætera vero plus potentiæ habent, quam actus; tum ille ipse actus, qui est Deus, infinitus est. Quare infinita quoque est pulchritudo.

Ex effectis Dei pulchritudo monstratur.

XI. Jam ex operibus effectisque pulchritudo eadem Dei monstratur. «De magnitudine enim operum, ut scribit Hilarius in primo libro, et pulchritudine creaturarum, consequenter generationum conditor conspicitur. Magnorum creator in maximis est, et pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cum sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longe necesse est excedat operator. Pulchrum itaque cœlum, æther, terra, maria, et universitas omnis est: quæ ex ornatu suo, ut etiam Græcis placet, digne κόσμος, id est *mundus* nuncupari videtur. Sed si hanc ipsam rerum pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, ut etiam in quarumdam volucrum accidit specie, ut dum infra sententiam sermo est, sensus sibi ipse loquatur intelligens; nonne hujus ipsius pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi, ut cum æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus, ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi. » Dionysius vero, « Ex hoc, inquit, pulchro omnibus, quæ sunt, suppetit esse, ac secundum propriam rationem pulchra sunt singula; et propter pulchrum fiunt omnium coagmentationes, et amicitiæ, communionesque, ac pulchri quodam nexu conjunguntur omnia[b]. » Augustinus quoque lib. XI, *de Civitate Dei*, cap. IV. « Exceptis, inquit, propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate, et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus, et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter, atque invisibiliter magno, et ineffabiliter, atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat. » Et in IV *Confessionum*, capite x, de pulchris a Deo creatis loquens, « Nulla, inquit, essent, nisi essent abs te, quæ oriuntur, et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt, et crescunt ut perficiantur, et perfecta senescunt, et intereunt. »

E pulchritudine creaturarum ad Dei pulchritudinem assurgendum.

XII. Atque ea demum est causa, propter quam admirabilem quamdam pulchritudinem tum singulis a se conditis rebus aspersit Deus, tum in tota illarum universitate, in qua, ut idem scribit Augustinus, « eum modum nutu creatoris acceperunt, ut cedendo, ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere suo istius mundi partibus congruentem[1]. » Quæ verba pulchritudinis naturam supra constitutam a nobis adamussim exprimunt. Ac, cum inter omnes rerum affectiones præcipua vis sit pulchritudinis ad delectandum alliciendumque hominem, ut, quod ex Dionysio referebamus, imprimis pulchritudine deliniatur, ac velut evocetur; unde et nomen τὸ καλὸν accepit; fuit hoc exquisitæ cujusdam, singularisque providentiæ, captare hac illecebra pulchritudinis appetentissimum genus. Ideo « Cœlum, ac terra, et mare, ait Prosper, omnisque creatura, quæ videri, atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris[2]. » Tum testimonium, sine quo non semetipsum reliquisse Deum Paulus, *Actorum* XIV, dicebat, mundi esse pulchritudinem interpretatur, et cætera, « per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur; ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis, et publica divinæ institutionis doctrina legeretur. » Quo nimirum modo fieri docet Isidorus Hispalensis, « Ut ipsis vestigiis revertatur homo ad Deum, quibus aversus est; ut, quia per amorem pulchritudinis creaturæ a creatoris formâ se abstulit, rursum per creaturæ decorem ad creatoris revertatur pulchritudinem[3]. » Nec illud etiam philosophos gentiles latuit, maxime Platonem; qui teste Cyrillo Alexandrino, asserebat, « Oportere ab rerum pulchritudine,

a HEREN. Τὸ γὰρ καλὸν ἐν τῷ εἴδει μᾶλλον, ἢ ἐν τῇ ὕλῃ. ἐν γὰρ τῷ ποιοῦντι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ πάσχοντι· καὶ ἔστι πάσχον μὲν τὸ δυνάμει τι ὄν· τὸ δὲ ἐνεργείᾳ ὄν, ποιοῦν.

b DION. cap. IV. *de Divin. nom.* Ἐκ τοῦ καλοῦ τούτου πᾶσι τοῖς οὖσι τὸ εἶναι, κατὰ τὸν οἰκεῖον λόγον ἕκαστα καλὰ καὶ διὰ τὸ καλὸν αἱ πάντων ἐφαρμογαὶ καὶ φιλίαι, καὶ κοινωνίαι· καὶ τῷ καλῷ τὰ πάντα ἥνωται.

1 Aug. XII *de Civit. Dei*, c. IV. — 2 Lib. II *de Vocat.*, c. IV. — 3 Lib. I *de Summo bono*, c. IV.

quæ in sensus incidunt, ad intelligibilem Dei pulchritudinem ascendere; porro ex illa pulchritudine, quæ inest in legibus et institutis, ejusdem contemplandam esse virtutem[a]. » Quinetiam Galenus, ut cum memorabili ejus sententia locum hunc, caputque concludam, ex humani corporis structura, singularumque partium apta inter se, et cum toto, ratione, tum usu et opportunitate, in quo pulchritudo consistit, sic ad Dei cognitionem, et admirationem incensus est, ut in hanc vocem cujusdam sacri plenam furoris erumperet, libro *de Usu partium* tertio. « Sacrum ego sermonem, tanquam hymnum verum compono conditoris nostri; atque hunc revera cultum esse religiosum existimo, non si multas admodum illi taurorum hecatombas sacrificem, aut unguenta multa, et casias adoleam; sed si tum ipse cognoscam, tum aliis exponam, cujusmodi sit ille sapientia præditus, ac cujusmodi vi, et cujusmodi bonitate. Etenim quod sponte omnia quam exquisitissimo ornatu decorare voluit, nec ulli invidit bona, absolutissimæ bonitatis id esse argumentum statuo, atque hoc ille pacto tanquam bonus celebretur a nobis. Quod autem excogitare illa omnia potuit, quibus unumquodque quam ornatissimum fieri posset, summæ id est sapientiæ. Denique quod omnia quæcumque sibi proposuit, effecta reddidit, insuperabilis cujusdam est potestatis[b]. »

a Cyril. lib. III *cont. Jul.* Συμβῆναι δὲ τούτοις φαμὲν καὶ τὸν αὐτοῦ τοῦ Πλάτωνος λόγον. ἔφη γὰρ ὅτι ἀπὸ τοῦ κάλλους τῶν αἰσθητῶν ἐπὶ τὸ νοητὸν τοῦ θεοῦ κάλλος ἀναφοιτῆσαι δεήσει· ἀπὸ δὲ τοῦ ἐν τοῖς νόμοις καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι, τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ δεῖ θεωρεῖν.

b Galenus. Ἱερὸν λόγον ἐγὼ τοῦ δημιουργήσαντος ἡμᾶς ὕμνον ἀληθινὸν, συντίθημι, καὶ νομίζω τοῦτ' εἶναι τὴν ὄντως εὐσέβειαν· οὐχὶ εἰ ταύρων ἑκατόμβας αὐτῷ παμπόλλας καταθύσαιμι, καὶ τὰ ἄλλα μυρία μύρα θυμιάσαιμι, καὶ κασίας· ἀλλ' εἰ γνοίην μὲν αὐτός. ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγησαίμην, οἷος μέν ἐστι τὴν σοφίαν, οἷος δὲ τὴν δύναμιν, ὁποῖος δὲ τὴν χρηστότητα· τὸ γὰρ κοσμεῖν ἐθέλειν ἅπαντα τὸν ἐνδεχόμενον κόσμον, καὶ μηδενὶ φθονεῖν τῶν ἀγαθῶν, τῆς τελεωτάτης χρηστότητος ἐγὼ δεῖγμα τίθεμαι. καὶ ταύτῃ μὲν ὡς ἀγαθὸς ἡμῖν ὑμνείσθω· τὸ δ' ὡς ἂν μάλιστα κοσμηθείη πᾶν, ἐξευρεῖν, ἄκρας σοφίας· τὸ δὲ καὶ δράσαι πάντα ὅσα προείλετο, δυνάμεως ἀηττήτου.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER SEPTIMUS

IN QUO DE DEI VISIONE AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De proprietate illa Dei, quæ sub cognitionem et intelligentiam cadit, quam cognoscibilitatem vulgo nominant. Deum ut in se est naturæ vi non posse cognosci : sed neque fide sola. Anomœorum impudentia, qui se clare Deum, itidem ut se novit, percipere dixerunt : utrum isti de naturali, an naturam excedente scientia ita locuti sint. Horum firmamentum evertitur. Argumenta quibus veteres probant, Deum ut in se est perspicue non posse cognosci.

I. Hæc est primaria maximeque propria τοῦ ὄντος, hoc est *ejus, quod est,* affectio, ut cognitione aliqua percipi possit; intelligentiæ præsertim ac mentis, cujus *objectum,* ut vocant, illud est ipsum, *quod est,* ac τὸ ὂν Græcis, Latinis *ens* dicitur. Quare cum Deus omnium sit absolutissimum *entium* ac perfectissimum, imo cum tota amplitudine τοῦ ὄντος adæquetur, vel eam potius infinite, ac sine modo superet; eumdem necesse est cumprimis intelligibilem esse. Sed fit admirabili quadam ratione, ut quo magis intelligibilis est, eo minus intelligatur. Imo vero, cum cæteris, ut intelligantur, causa sit, ac veluti forma, cujusmodi lux est in iis, quæ corporis oculo cernuntur; tamen si in illum acrius intendas aciem animi, neque comprehendas omnino, et illius fulgore perstrictus ipse tibi cæcitatem consciscas. Quod ipsum in sole accidit : qui, ut ex Platone refert Gregorius Nazianzenus, « hoc in sensibilibus est, quod in intelligibilibus est Deus; quippe sic ille oculos illustrat, ut iste mentem, atque ut omnium ille, quæ videntur, pulcherrimum est, ita Deus omnium, quæ intelligentia capiuntur [a]. » Ac neutrum tamen perfecte cognosci discernique potest.

Entis.

Deus quod magis in se intelligibilis, eo minus a nobis intelligi potest.

II. De quo præclarum est Xenophontis dictum illud laudatum a nostris, ac frequenter usurpatum ex quarto libro *de Dictis memorabilibus Socratis.* Quo in loco Deum asserit, iis quidem, quæ rerum naturæ confert, opportunitatibus ac beneficiis manifestum se facere; ipsum autem, cujusmodi sit, a nemine cognosci. « Hic, inquit, maxima quidem agens cernitur; hoc autem administrans a nobis

a Naz. Orat. xxxiv. Τοῦτο ἐν αἰσθητοῖς ἥλιος, ὥσπερ ἐν νοητοῖς θεὸς, ἔφη τις τῶν ἀλλοτρίων. αὐτὸς γὰρ ὄψιν φωτίζων, ὥσπερ ἐκεῖνος νοῦν, αὐτὸς καὶ τῶν ὁρωμένων ἐστὶ τὸ κάλλιστον· ὥσπερ ἐκεῖνος τῶν νοουμένων.

conspici non potest. Animadverte vero quemadmodum sol ille, qui manifestus esse omnibus videtur, neutiquam accurate se videri ab hominibus permittit. Sed si quis impudenter illum contueri velit, huic visum eripit[a]. »

Deus soli comparatur

Quem Xenophontis locum Clemens Alexandrinus in *Protreptico,* et in V *Stromateon,* nec non Cyrillus in primo *contra Julianum* referunt; sed multum diversa est apud illos lectio ab ea, quam ex ipso Xenophonte descripsimus. Ejusdemmodi est et illud Ambrosii ex libro *de Bono mortis,* capite XI, ab Augustino citatum in quarto *Contra epistolas duas Pelagianorum* capite XI : « Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt, et si quis diutius e regione solis intenderit, cæcari solere perhibetur. Si creatura creaturam sine fraude, atque offensione sui non potest intueri; quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultum creatoris æterni, corporis hujus opertus exuviis? »

Igitur infinitus ille divinitatis splendor perfectam sui notitiam humanis aufert mentibus. « Si quid enim illud est, ait Origenes, quod sentire, vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo, quod sensimus, necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimæ lucernæ lumen aspicere, et eum, cujus acies oculorum plus de lumine capere, quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate ac splendore solis edocere, nonne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine, quod vides, ineffabiliter, et inæstimabiliter melior, ac præstantior est solis splendor? Ita mens nostra, cum intra carnis et sanguinis claustra concluditur, et pro tali materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, licet pro comparatione naturæ corporeæ longe præcellens habeatur, tamen, cum ad incorporea nititur, atque eorum intentionem rimatur, tunc scintillæ alicujus lucernæ vix obtinent locum[1]. » Quocirca quod in *Timæo* Plato scripserat, « Illum igitur effectorem et parentem universitatis istius invenire difficile est, et, cum inveneris, indicare in vulgus impossibile[b] : » pro quo Cicero « indicare in vulgus nefas » dixit; tanquam οὐ θεμιτὸν pro ἀδύνατον legerit : Illud, inquam, Platonis effatum Gregorius Nazianz. in *Oratione* XXXIV, corrigit, et pro eo quod *invenire* ait *esse difficile,* multo impossibile esse magis invenire, quam eloqui dicit.

III. Ac duobus modis utcumque Deum intelligimus hac in vita : primum ex effectis, et creatis ab illo rebus : quod in epistola *ad Romanos* primo capite, et *Sapientiæ* XIII Scriptura perhibet. « Interdum oculi nostri, ait Origenes, ipsam naturam lucis, id est substantiam solis intueri non possunt; splendorem vero ejus, vel radios fenestris forte et quibuslibet aliis receptaculis brevibus infusos intuentes, considerare possumus, fomes ipse, ac fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt Dei naturæ opera divinæ providentiæ, et universitatis hujus ad comparationem substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens nostra ipsum per se Deum, sicut est, non potest intueri, ex pulchritudine operum, et decore creaturarum, parentem universitatis intelligit[2]. » Alius cognoscendi modus ex fide, ac divini verbi significatione petitur. « Confugiendum est, inquit Augustinus, ad eorum præcepta, quos sapientes fuisse probabile est, etc. Ergo refugere in tenebrosa cupientibus per dispensationem ineffabilis sapientiæ, nobis illa opacitas auctoritatis occurrat, et mirabilibus rerum, vocibusque librorum, velut signis temperatioribus veritatis, umbrisque blandiatur[3]. » Nemo enim idoneus magis est divinorum interpres, ac fide dignior, quam Deus ipse, Deique Filius. *Deum nemo vidit unquam*[4], ait Evangelista Joannes : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Celebratur a christianis Patribus Platonis illud in *Timæo* dictum, quo dæmonum (sic autem inferiores Deos appellat) ignotam nobis, obscuramque generationem non melius ait quam ab ipsis Deorum filiis, declarari potuisse. Quæ in libro *de Universitate* reddidit Cicero : « Reliquorum autem, quos Græci δαίμονας appellant, nostri, opinor, lares, si modo hoc recte conversum videri potest, et nosse, et nuntiare ortum eorum, ma-

Deus
creat
cognos

Alius
nosce
modu
fid

a XENOPH. Οὗτος τὰ μέγιστα μὲν πράττων ὁρᾶται· τόδε δὲ οἰκονομῶν ἀόρατος ἡμῖν ἐστι. ἐννόει δὲ καὶ ὁ πᾶσι φανερὸς δοκῶν εἶναι ἥλιος οὐκ ἐπιτρέπει τοῖς ἀνθρώποις ἑαυτὸν ἀκριβῶς ὁρᾷν· ἀλλ' ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται.

b PLATO : Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.

1 Lib. I Periar., c. I. — 2 Origen. I Periar, c. X. — 3 Lib. I. *de Mor. Eccl.*, c. VII. — 4 *Joan.* V, 18.

jus est, quam ut profiteri scribere nos audeamus. Credendum nimirum est veteribus, et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt; nosse autem generatores suos optime poterant. Ac difficile factu est, a diis ortis fidem non habere : quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur. Sed quia de suis rebus notis videntur loqui, veteri legi, morique parendum est [a]. » Quo ex Platonis effato Clemens Alex. concludit in V *Strom.* « Inquisitionis illius, quæ de Deo est, inventionem esse doctrinam, quæ est importata per Filium [b]. » Ac paulo post : « Si igitur, ut Platoni visum est, vel a Deo, vel ab iis, qui orti sunt a Deo, duntaxat addisci veritas potest; merito e divinis Litteris testimonia seligentes, veritatem ab Dei Filio nos doceri gloriamur [c]. »

Utraque cognitio obscura.

IV. Neutra vero ratione perspicuum est, claram et evidentem Dei comparari notitiam, sed obscuram, et quæ magis ipsum esse, quam quid sit, et cujusmodi natura sit illius, ostendit; vel certe quid non sit potius, quam quid rei sit : quod idem in quinto *Stromateon* Clemens explicat [d]. Quapropter merito idem Basilidem hæreticum arguit, qui « naturaliter Deum sciri » a nobis existimavit [e]. Sed iste scientiam naturæ tribuit ejusmodi, quæ sit idem ac fides, et ad salutem pertineat; nempe quod, ut Valentinus, natura quosdam electos, ac fideles, et ad salutem idoneos esse crederet. An vero claram, et cujusmodi est in se, Dei notitiam naturaliter obtineri senserit, non est evidens. Quod Aetius postea, et Eunomius, et utriusque discipuli Anomœi docuerunt. De Aetio certe sic scribit Epiphanius : « Hic enim cum suis in eam vanitatis amentiam incidit, ut supra mortales omnes Deum se non sola fide, sed natura secundum scientiam nosse jactaret; quemadmodum alicubi supra memini, dicere illos, non simpliciter fidei aliqua notitia Deum sibi esse perspectum; sed perinde ac quispiam cognoscit quidquid oculis cernitur, aut manibus attrectatur. Velut si in manus assumat aliquis lapidem, aut lignum, aut materiæ alterius instrumentum. Ita audacissimus iste dicebat : Tam Deum novi, quam meipsum : Imo non tam novi meipsum, quam Deum [f]. » Hic φύσει Deum se perfectissime nosse, dixisse stolidum Aetium scribit Epiphanius, quod est *natura*. Verum hac voce solet uti in ea significatione, ut sit *revera*, vel *proprie*, non *ficte*, ac *specie tenus;* quod istic etiam locum habere puto. Ac videtur Aetius, et qui ejus sectam amplexi sunt, quæ de Deo disputabant, et in perfecta illa, quam præ se ferebant, scientia ponebant, ex divinis Scripturis, et christiana fide sumpsisse, ut non omnino naturalis haberi cognitio illa potuerit, sed ex fidei principiis ortum cœperit. Etenim *ingenitum* esse Patrem, quod illis erat eximiæ istius scientiæ caput, ac cætera deinceps, non ipsi naturali investigatione, sed fidei luce, ac divinis Scripturis edocti didicerant.

Anomœorum impudentia.

V. Verum naturalis potest eadem notitia censeri, quod etsi rebus fidei, ac divina significatione cognitis innixa sit, naturæ tamen, et ingenii viribus, et humana ratiocinatione constet; quemadmodum theologi ex illis effatis, quæ Scriptura fidesve suppeditat, nonnulla disputando colligunt, ac pro eo atque ingenio est acutiore quisque, et naturali præstat solertia, eo plura et explicatiora de Deo percipit. Quæ cognitio naturalis est, id est naturæ parta vi, non peculiari aliquo Dei instinctu, ac luce patefacta. Quamobrem Epiphanius illo eodem in loco demonstrat, hære-

Naturali scientia se nosse Deum jactabant Anomœi.

a PLATO in *Timæo.* Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς· πειστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν ἐκγόνοις μὲν θεῶν οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς τε αὐτῶν προγόνους εἰδόσιν, ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν καί περ ἄνευ τε εἰκότων, καὶ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγουσιν· ἀλλ' ὡς οἰκεῖα φάσκουσιν ἀπαγγέλλειν ἑπομένους τῷ νόμῳ πιστευτέον.

b CLEMENS ALEXANDR. V *Strom.* Τῆς τοίνυν περὶ θεοῦ ζητήσεως εὕρεσις μὲν, ἡ διὰ τοῦ υἱοῦ διδασκαλία.

c Mox idem. Εἴπερ οὖν καὶ κατὰ Πλάτωνα, ἢ παρὰ τοῦ θεοῦ, ἢ παρὰ τῶν ἐκγόνων τοῦ θεοῦ, τὸ ἀληθὲς ἐκμανθάνειν μόνως οἷόν τε, εἰκότως παρὰ τῶν θείων λογίων τὰ μαρτύρια ἐκλεγόμενοι, τὴν ἀλήθειαν αὐχοῦμεν ἐκδιδάσκεσθαι διὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.

d Idem. V *Strom.* Τῇ νοήσει τοῦ παντοκράτορος ἀμηγέπη προσάγοιμεν, οὐχ ὅ ἐστιν, ὃ δὲ μή ἐστι γνωρίσαντες.

e Ibid. Εἰ γὰρ φύσει τις τὸν θεὸν ἐπίσταται, ὡς Βασιλείδης οἴεται, etc.

f EPIPH. *Hær* LXXVI. Οὗτος γὰρ ἐφαντάσθη, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα ἄνθρωπον, οὐκ ἐπὶ τῷ εἰδέναι τὸν θεὸν κατὰ πίστιν, ἀλλὰ φύσει κατὰ εἴδησιν· ὡς καὶ ἄνω που ὑπέμνησα φασκόντων αὐτῶν, οὐχ ἁπλῶς εἰδέναι τὸν θεὸν ἐν γνώσει πίστεως· ἀλλ' ὡς ἐὰν γινώσκῃ τις πᾶν ὁρατὸν, καὶ χερσὶν αὐτοῦ ψηλαφώμενον. ὡς εἴ τις λάβοι μετὰ χεῖρας λίθον, ἢ ξύλον, ἢ ἄλλης τινὸς ὕλης ἐργαλεῖον· οὕτως ἔφη καὶ οὗτος ὁ γεννάδας, ὅτι οὕτως οἶδα τὸν θεὸν ὥσπερ ἐμαυτόν· καὶ οὐ τοσοῦτον οἶδα ἐμαυτὸν, ὡς τὸν θεόν.

ticos istos non se fide cognoscere Deum asseverasse, sed perfecta quadam scientia sic, quasi manibus attrectare : « Atque utinam, inquit, fide se nosse, et accurate percepisse (Deum) diceret; non scientia quadam attrectationis ausus ille esset, auderentque cæteri jactare, se cognoscere [a]. » Ergo isti dupliciter insaniebant; quod et Dei notitiam multo præstantiorem, quam quæ fide obtinetur, in hac vita sibi arrogabant : et quod plenam et exactam illam esse mentiebantur, ac velut contrectationem quamdam præsentis, manifestæque rei, adeo ut tam perfecte Deum cognoscerent, quam se Deus ipse cognoscit : quod execrandum blasphemiæ genus absque horrore vix audiri pronuntiarive potest. «Deum, inquiebant illi, ut scribit Epiphanius, tam perspicue scio, ac tantam cognitionem ejus habeo, ut non tam meipsum, quam Deum perfecte sciam [b]. » Atque huic illi scientiæ tantum tribuebant, ut eam solam ad salutem sufficere putarent; neque mandata Dei, aut virtutum, officiorumque præcepta, quæ in Scripturis plurima sunt, conferre quidquam arbitrarentur : prorsus ut Pyrrhonis et Herilli sententiam instaurasse viderentur, qui summum hominis bonum et finem ultimum in scientia collocabant. « Cum enim, ait idem Epiphanius [c], in eos aliquis inciderit, ac de mandatis Dei mentionem fecerit, hoc, quod ab illo profectum est, usurpant dictum : Nihil est aliud, quod Deus a nobis requirat, nisi ut cognoscamus ipsum tantum, quemadmodum Christus dixit his verbis : *Da ipsis, Pater, habere in se vitam. Hæc est autem vita, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti* [1] *Jesum Christum.* » Hanc eamdem Anomœorum impiam execrandamque vocem, Deum se tam exacte nosse, quam is se cognoscit ipse, jactantium, alii Patres commemorant, ac summa contentione propulsare, profligare conantur, Basilius, Gregorii ambo, Nazianzenus et Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus.

In hac sola Dei cognitione salutem collocabant.

VI. Qui omnes præcipuum contra hanc hæresim argumentum illud opponunt, quod ex humani imbecillitate ingenii petitur, quod nec angelos, neque cœlestes orbes, neque hanc mundi totius universitatem, neque animantia, stirpes, metalla, lapides, ac ne seipsos quidem perfecte norunt homines; neque naturam omnium istorum exacte compertam, et exploratam habere queunt, nedum procreatorem illorum Deum clare, et cujusmodi est in se, ac quemadmodum sese ipse novit, intelligunt.

Verum hanc illorum petitionem eludebant adversarii. Fatebantur, res illas a se ignorari corporatas et crassas; Deum vero, qui hæc omnia condidit, animo se percipere, cujusmodi sit, et quid sit, nec se quidquam illius latere. Ita Epiphanius in illius Hæresi [2]. Hanc vero causam diversitatis afferebant isti, quod Dei natura simplicissima sit ita, ut nihil in se habeat, quod non ipse sit. Quare qui unum aliquid Dei proprium intelligat, hunc totam ipsam Dei comprehendere naturam, ac Deum ipsum; idque perfecte adeo, ut ne se ipse quidem perfectius norit : quoniam ea rerum simplicium est conditio, uti vel tota nesciantur, vel tota percipiantur. Non enim parte sui duntaxat aliqua cognosci queunt, quam nullam habent; quod inter alios Basilius commemorat in epistola quadringentesima. Ex omnibus porro Dei nominibus et proprietatibus unum præcipue deligebant τὸ ἀγέννητον, quo Dei naturam et essentiam perfecte contineri dicebant. Unde cum istud ipsum *ingenitum* esse penitus comprehenderent, naturam quoque Dei a se omnino comprehendi. De hac Anomœorum stulta et parum subtili argutia multa disputavimus alibi, quæ hic necesse non erit repetere [3]. Horum duntaxat summa ante oculos habenda modo est; etsi Deus, cum ut in sese est, clareque cernitur, nonnisi totus videri possit, nec unum sine altero illius, quod vocant, *attributum* intelligi queat : tamen quamdiu nondum in se, et cujusmodi est, perspicue cognoscitur, sed sola fide, vel alio genere obscuræ, et, ut nominant, *abstractæ*

a Epiph. ibid. Καὶ εἴθε ἔλεγε τῇ πίστει εἰδέναι, καὶ ἠκριβωκέναι, ἀλλὰ μὴ κατὰ εἴδησίν τινα ψηλαφήσεως ἐτόλμα, καὶ τολμῶσι λέγειν.

b Ibid. *Hær.* LXXVI, num. 4. Ὅτι οὕτως, φησὶ, τὸν Θεὸν ἐπίσταμαι τηλαυγέστατα, καὶ τοσοῦτον αὐτὸν ἐπίσταμαι, καὶ οἶδα, ὥστε μὴ εἰδέναι ἐμαυτὸν, ὡς Θεὸν ἐπίσταμαι.

c Idem. Ὅταν γὰρ αὐτοῖς περιτύχοι τις, καὶ περὶ ἐντολῶν ὑπομνήσειε, τοῦτο φάσκουσιν, ὡς ἔφη, τὸ ῥητὸν, ὅτι οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ὃ ζητεῖ Θεὸς παρ' ἡμῶν, ἀλλ' ἵνα γινώσκωμεν αὐτὸν μόνον· ὡς καὶ ὁ Χριστὸς ἔφη, φησὶν, ἐν τῷ λέγειν αὐτόν· δὸς αὐτοῖς, πάτερ, ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς ζωήν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν.

1 *Joan.* XVII. 3. — 2 Hær. LXXVI, n. 1. — 3 Lib. I et tom. II, lib. V.

notionis, qualem in hac vita, et isto inclusi carcere corporis assequimur, nec ullam divinarum proprietatum liquido, ac distincte percipi, et quamlibet sine altera; imo sine natura ipsa confuse adumbrateque cognosci. Quas ἐπινοίας Græci theologi nuncupant, de quibus in primo et secundo libro fuse disseruimus.

Ex quo Aetii, et Eunomii sophismata, et argutæ conclusiunculæ dissolvuntur. Nam « omnis humana, ac terrena scientia, ut adversus illos disputat Gregorius Nazianzenus, nihil supra specula et ænigmata esse a Paulo statuitur; utpote quæ in exiguis veritatis simulacris tota consistit [a]. » Et paulo ante : « Nihil ad nos ait in hac vita pertingere de Dei notitia, nisi exiguum quemdam rivulum, ac velut parvum magnæ lucis radium [b]. »

VII. Atque hoc Scripturæ ipsæ gravissimis ac disertissimis sententiis passim approbant, ut mirandum valde sit, eos, qui vel nomine tenus pro Christianis ac fidelibus se gererent, et sacris utcumque Litteris credere se profiterentur, iis ipsis Scripturis tam aperte repugnare ausos esse. Nam quid eo Pauli testimonio clarius, quod Gregorius Nazianzenus eodem in illo loco adversus istos hæreticos intentat? *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum ergo venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* [1]. Tum : *Videmus nunc per speculum, et in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Et alibi : *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* [2]. Et Joannes apostolus : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est* [3]. Item Paulus in priore *ad Timotheum* capite VI, 16 : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quod perspicuum est vel de præsentis vitæ statu intelligi debere ; in quo *nemo Deum videbit, et vivet* [4]; vel de perfecta Dei comprehensione, de qua postea. Nam alioqui videri posse, et a beatis videri Deum, complura Scripturarum loca persuadent, quorum paulo post mentionem faciam. Sed de re cuique obvia, et protrita testimoniorum satis.

Quinetiam communis ipse naturæ sensus, et humani judicii, rationisque lux si ab illis adhiberetur, ad eorum illuminandam cæcitatem et caliginem abunde esse potuit. Tribus autem, quatuorve potissimum argumentis theologi veteres ostendere solent, non posse hac in vita, naturalique vi ingenii, ac facultate perfectam obtineri notitiam Dei; quæ argumenta partim ad homines solos pertinent, ea videlicet, quæ ex humanæ intelligentiæ conditione propria petuntur, partim creatas res omnes excludunt a perfecta Dei notione, cujusmodi sunt quæ ex ipsa Dei natura proficiscuntur. Horum primum illud est, quod solos homines excludit, quod omnis, quam in hac vita consequi possumus, rerum notitia circumscripta corpore est, corporisque sensibus; quod in *Metaphysicis* exponit Aristoteles [5].

Non possumus in hac vita naturali vi ingenii notitiam Dei acquirere.

Ideo quæcumque corpore carent, et iis rebus, quæ discerni sensibus nequeunt, ea pervidere, et exacte nosse humani acies ingenii non potest. « Nobis, inquit Gregorius Nazianzenus, qui terræ vincti sumus, ut Hieremiæ verbis utar [6], crassaque hac carne obtegimur, hoc perspicuum est, quemadmodum fieri nequit omnino, ut quis umbram suam transcendat, quantumvis festinet; tantumdem enim semper antevertit, quantum eam assequeris, etc. Ita etiam impossibile est iis, qui in corpore sunt, absque corporeis rebus, cum intelligibilibus omnino copulari [c]. » Et in eadem oratione scribit, nos « rebus intelligibilibus mentem admovere una cum sensibus, vel non sine sensibus, quibus undique jactamur, et in errorem trahimur, neque nuda mente cum nudis rebus versari, atque inde propius ad veritatem accedere, rebusque perceptis, ac comprehensis mentem informare possumus [d]. »

VIII. Pulchre illud a Philone Judæo scri-

a Nazian. Orat. XXXIV. Διὸ καὶ πᾶσαν τὴν κάτω γνῶσιν οὐδὲν ὑπὲρ τὰ ἔσοπτρα, καὶ τὰ αἰνίγματα τίθεται, ὡς ἐν μικροῖς τῆς ἀληθείας ἱσταμένην ἰνδάλμασι.

b Ibid. Τὸ δὲ νῦν εἶναι, βραχεῖά τις ἀποῤῥοὴ πᾶν τὸ εἰς ἡμᾶς φθάνον, καὶ οἷον μεγάλου φωτὸς μικρὸν ἀπαύγασμα. Vide Greg. Nyssen. lib. XII *cont. Eunom.* et Basil. tum in libris con. eumd., tum Ep. CDI et CDI.

c Nazianz. Orat. XXXIV. Ἡμῖν δ' οὖν ἐκεῖνο γνώριμον τοῖς δεσμίοις τῆς γῆς, ὅ φησιν ὁ θεῖος Ἱερεμίας, καὶ τὸ παχὺ τοῦτο σαρκίον προβεβλημένοις, ὅτι ὥσπερ ἀδύνατον ὑπερβῆναι τὴν ἑαυτοῦ σκιὰν καὶ τῷ λίαν ἐπειγομένῳ, (φθάνει γὰρ ἀεὶ τοσοῦτον, ὅσον καταλαμβάνεται,) etc., οὕτως ἀμήχανον τοῖς ἐν σώματι δίχα τῶν σωματικῶν πάντη γενέσθαι μετὰ τῶν νοουμένων.

d Ibid. Καὶ τοῖς νοητοῖς προσβάλλοντες μετὰ τῶν αἰσθήσεων, ἢ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεων, ὑφ' ὧν περιφερόμεθα, καὶ πλανώμεθα, καὶ οὐκ ἔχομεν γυμνῷ τῷ νοῒ γυμνοῖς τοῖς πράγμασιν ἐντυγχάνοντες μᾶλλόν τι προσιέναι τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τὸν νοῦν τυποῦσθαι ταῖς καταλήψεσιν. Vide Cyparissiot. lib. II, cap. V.

1 I *Cor.* XIII, 9. — 2 II *Cor.* V, 7. — 3 *Joan.* II, 2. — 4 *Exod.* XXXIII, 20. — 5 *Met.* c. I. — 6 *Thren.* VIII.

ptum est in libro *de Sacrificiis Abelis et Caini :* « Nos maxima ex parte affines esse rerum mortalium, et præter eas nihil cogitare posse, neque proprios morbos egredi. Sed in id, quod mortale est, subire, cochlearum more, ac tanquam illas circa nosmetipsos in orbem revolvi[a]. » Hinc ille stultorum ortus esterror, ut idem ait, quos Anthropomorphitas vocant, qui humanum corpus ac membra Deo tribuebant.

Huic annexa est altera ratio ; quod Deum nonnisi ex ejus effectis, ac rebus ab illo conditis neutiquam cognoscimus, ut idem ille Gregorius Nazianzenus exponit[1]. Quare liquidam et genuinam Dei notitiam informare nequimus, sed tota est creatarum fæce rerum implicata. Quæ ratio non ad solos homines pertinet, verum etiam ad Angelos; qui tametsi perfectius, quam nos Deum ex seipsis intelligunt, non tamen aut sine creaturis, aut exacte, et ut est in sese capiunt. Propterea de Deo Empedocles sic apud Clementem Alexandrinum cecinit[2].

Οὐκ ἔστιν πελάσασθαι ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν ἧπερ τε μεγίστη
Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἁμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.

« Illum non oculis nostris apprendere fas est,
Aut manibus, via, quæ revera est maxima, [mentes
Ut credant hominum, quæ mox deducere [possit. »

Præterea ut a Gregorio Nysseno demonstratum est in libro XII *contra Eunomium,* « Divina substantia, quodcumque tandem est secundum substantiam, una est, simplex est, et uniusmodi, non composita, ac nullo modo in varia quadam compositione spectatur. Humana autem anima humi jacens, et in hac terrena vita defossa, eo quod perspicue non potest videre quod quærit, multis notionibus, ac variis modis, et multifariam ad ineffabilem illam se naturam intendit, non unaquapiam cogitatione quod absconditum est venari studens[b]. » Quamobrem, cum rem adeo simplicem una et simplici intelligentia humana mens complecti nequeat, sed pluribus illam partiatur; non potest eam, ut in se est, clareque cognoscere. Quæ ratio plurimum ex iis lucis ac roboris accipit, quæ de *notionibus,* sive ἐπινοίαις, ac de Dei simplicitate in primo libro diximus.

IX. Aliud argumentum Chrysostomus suppeditat in oratione v *contra Anomœos,* ubi Christum refert apud Joannem dicentem, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo*[3], causam indicasse, cur ipse Patrem se perfecte nosse dixerit, videlicet quod ab ipso sit : « Etenim substantia excellentiorem substantiam non potest perfecte scire ; quamvis modicum discrimen intersit[c]. » Quod Angelorum exemplo confirmat, a quibus, cum parum distent homines, ut Propheta dixit : *Minuisti eum paulo minus ab angelis*[4], « Nihilominus quamlibet exigua distantia sit, quandoquidem omnino interjectum est aliquid, accurate non novimus angelorum substantiam : ac tametsi plurimum in eam contemplationem incumbamus, invenire non possumus[d]. » Igitur cum divina substantia infinito intervallo creatam quamlibet excedat, nunquam ab ea cognosci perfecte poterit.

Paululum ab hac ratione differt illa, quam in primo capite *de Divinis nominibus* tradit Dionysius : « Nam, cum notitiæ omnes sint entium, et in entia desinant; quæ entitatem superat omnem substantia, eadem cognitione omni superior est[e]. » Quem locum fuse

a Philo lib. *de Sacrif.* Ἀλλὰ πλεῖστον μετέχοντες τοῦ θνητοῦ, καὶ χωρὶς αὐτῶν ἐπινοῆσαι μηδὲν δυνάμενοι, μηδὲ ἐκβῆναι τὰς ἰδίας κῆρας ἰσχύοντες· ἀλλ' εἰς τὸ θνητὸν εἰσδυόμενοι, καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ αὐτοὺς ὥσπερ ἐκεῖνοι σφαιρηδὸν εἱλούμενοι.

b Nyss. XII *cont. Eunom.* Ἡ μὲν θεία οὐσία ὅ, τί ποτε κατ' οὐσίαν ἔστι, μία ἐστὶν, ἁπλῆ τις καὶ μονοειδὴς, καὶ ἀσύνθετος, καὶ κατ' οὐδένα τρόπον ἐν ποικίλῃ τινὶ συνθέσει θεωρουμένη· ἡ δὲ ἀνθρωπίνη ψυχὴ χαμαὶ κειμένη, καὶ ἐν τῷ γηΐνῳ τούτῳ βίῳ κατορωρυγμένη, τῷ μὴ δύνασθαι τηλαυγῶς κατιδεῖν τὸ ζητούμενον, πολλαῖς ἐννοίαις τῆς ἀφράστου φύσεως πολυτρόπως, καὶ πολυμερῶς ἐπορέγεται, οὐ κατὰ μίαν τινὰ διάνοιαν τὸ κεκρυμμένον θηρεύουσα. Vide Joannem Cyparissiotum lib. I. cap. vi.

c Chrys. hom. v. *cont. Anom.* Οὐσία γὰρ οὐσίαν ὑπερέχουσαν οὐκ ἂν δυνηθείη καλῶς εἰδέναι, κἂν ὀλίγον ᾖ τὸ μέσον.

d Ibid. Ἀλλ' ὅμως, εἰ καὶ βραχὺ τὸ μέσον, ἐπειδὴ ὅλως ἐστί τι μέσον, οὐκ οἴδαμεν μετὰ ἀκριβείας ἀγγέλων οὐσίαν· κἂν μυρία φιλοσοφήσωμεν εὑρεῖν οὐ δυνάμεθα.

e Dion. cap. i *de Div. nom.* Εἰ γὰρ γνώσεις πᾶσαι τῶν ὄντων εἰσὶ, καὶ εἰς τὰ ὄντα τὸ πέρας ἔχουσιν, ἡ πάσης οὐσίας ἐπέκεινα, καὶ πάσης γνώσεώς ἐστιν ἐξῃρημένη

1 Orat. xxxiv. — 2 Clem. Alex. V *Strom.* — 3 *Joann.* vi, 46. — 4 *Psal.* lxxx.

Joannes Cyparissiotus illustrat libro primo, capite sexto; imitatus est vero Joannes Damascenus in primo libro, capite quarto.

Ad extremum Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon* hoc argumento probat Deum minime posse cognosci. « Quoniam enim cujusque rei principium inventu difficile est; omnino primum, et antiquissimum omnium principium ad demonstrandum erit difficile : quod quidem cæteris causa est, ut producantur, et producta consistant. Nam qui tandem sermone potest explicari quod neque genus est, neque differentia, neque species, nec individuum, neque numerus; sed nec accidens, neque id, cui aliquid accidit [a]? » Non cadit ergo sub demonstrationem Deus; neque perfectam illam, quæ *a priori* vulgo dicitur, eo quod summum sit principium, quo nullum prius est; neque secundi generis alteram, quæ est *a posteriori*. Quia nihil aliud ex ea potest de Deo colligi, nisi ipsum existere; cujusmodi vero natura sit ejus, investigari non potest, cum nulla circumscribatur rerum, Entis. vel τοῦ ὄντος specie.

X. Merito itaque dictum est ab Cyrillo Hierosolymitano : « In iis quæ de Deo dicuntur, magnam eam esse cognitionem, inscitiam fateri [b]. » Etenim : « Hic est, ut ait Ambrosius, de quo et cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit [1]. » Tertullianus vero in *Apologetici* cap. XVII, pulchre illud exponit, ac breviter, quod nos toto hoc fere capite fusius explicavimus, quatenus cognosci Deus hac in vita possit, aut non possit, et quæ cur perfecte comprehendi nequeat, causa sit. De ea quippe Dei notitia loqui videtur, quam hic etiam ex fidei disciplina consequimur. « Invisibilis est, inquit, etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur : adeo verus, et tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis, quibus occupatur, et manibus, quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est : hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objecit, et ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. »

Hinc « illa caligo, qua circumfusum esse Deum affirmat Dionysius : in quam si quis penetrare se voluerit, non breviloquentiam inventurus sit, sed omnimodam sermonis, vel rationis, ac mentis etiam inopiam [c]. » Quas densissimas tenebras Deum inter et nos obductas, ut olim inter Ægyptios et Israelitas opaca nubes interposita fuit, Gregorius quoque Nazianzenus oratione quarta et tricesima commemorat. Nec minus eodem sunt referenda, quæ de utraque Dei cognitione dicta sunt in primo libro, tam ea, quæ negando, quam quæ affirmando colligitur; quarum prior jure ab antiquis anteponitur, eo quod certi nihil neque percipi de Deo, neque dicendo potest affirmari.

---

a Clem. Alex. V *Strom.* Ἐπεὶ γὰρ ἀρχὴ παντὸς πράγματος δυσεύρετος, πάντως που ἡ πρώτη, καὶ πρεσβυτάτη ἀρχὴ δύσδεικτος· ἥ τις καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν αἰτία τοῦ γενέσθαι, καὶ γενομένους εἶναι. πῶς γὰρ ἂν εἴη ῥητὸν, ὃ μήτε γένος ἐστὶ, μήτε εἶδος, μήτε ἄτομον, μήτε ἀριθμός· ἀλλὰ μήτε συμβεβηκός τι, μηδὲ ᾧ συμβέβηκέ τι;

b Cyril. Hierosol. *Catech.* VI. Ἐν τοῖς γὰρ περὶ Θεοῦ μεγάλη γνῶσις τὸ τὴν ἄγνοιαν ὁμολογεῖν.

c Dion. cap. III *de Myst. theol.* Καθάπερ καὶ νῦν εἰς τὴν ὑπὲρ νοῦν εἰσδύνοντες γνόφον, οὐ βραχυλογίας, ἀλλ' ἀλογίαν παντελῆ καὶ ἀνοησίαν εὑρήσομεν.

* His adde quæ tradit sanctus Hilarius in commentariis in illud *Psalmi* CXVIII : *Deprecatus sum faciem tuam*; et in illud *Psalmi* CXXXV : *Qui fecit cœlos in intellectu*; quo posteriore loco Deum *inconspicabilem* vocat. E. A. Z.

1 Amb. *de Divin. Filii*, cap. VI.

CAPUT II.

De Dei cognitione, quam post mortem adepturi sumus; ac primum illud explicatur, utrum corporis sensibus Deus percipi possit. Augustini de ea re dubitatio : imo propensio in affirmantem partem : et mira quidem, quod cum ante negasset, tanto postea doctior affirmare visus est. Non posse ullo modo videri oculis etiam beatorum, probatur auctoritatibus veterum : e quibus quæ allatæ sunt ab Augustino expenduntur : tum alia Patrum testimonia; quibus et argumenta junguntur. De corpore spirituali, maxime Christi, quod angelis subtilius esse dicit Anselmus.

An Deus in cœlo corporeis oculis a beatis videri possit.

I. Postquam ab Dei perfecta cognitione interclusa vis est naturalis intelligentiæ, cujusmodi vel hominum est, vel etiam cœlestium spirituum, si id unum spectetur, quid per se ipsi nitendo possint; ad illum nunc statum promovenda disputatio est, qui natura præstantior est, ut illud inquiramus, an in beata illa vita Deum clare ac perspicue beati videant. Quæ *videndi* vox admonet, ut ea primum defungamur quæstiuncula, minime illa quidem difficili, sed non tamen omittenda penitus : utrum corporis oculis intuendus sit a nobis illic Deus. Qua in quæstione fluctuasse scimus summum virum Augustinum, maxime in libro XXII *de Civitate Dei*, capite XXIX, ubi de hoc argumento fusius disserens, quid sentiat ipse diserte non explicat. Sed eo tandem propensior est, ut sic Deum oculis corporeis visum iri putet, quomodo nunc vitam aliorum, non a corpore quidem separatam, sed per corpus iisdem illis oculis cernimus. « Deinde vitam, inquit, suam, qua nunc vivit in corpore, et hæc terrena membra vegetat, facitque viventia, interiore sensu quisque non per corporeos oculos novit; aliorum vero vitas, cum sint invisibiles, per corpus videt. Nam unde viventia discernimus a non viventibus corpora, nisi corpora simul, vitasque videamus, quas nisi per corpus videre non possumus? Vitas autem sine corporibus corporeis oculis non videmus? » Mox autem ita rem decidit : « Quamobrem fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi, et terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, et universa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ gestabimus, et quæ conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus, etc. Sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus, mox, ut aspicimus, non credimus vivere, sed videmus; cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus; quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conspicimus. Ita quacumque spiritualia illa lumina corporum nostrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora contuebimur. »

Dubia mens Augustini.

II. Sic igitur, interpretante sancto Thoma[1], oculo corporeo visum iri Deum censuit Augustinus; quomodo illud, quod vocatur *sensibile per accidens,* velut est vita, « Quod quidem a visu non cognoscitur; sed statim cum sensu, ab aliqua alia virtute cognoscitiva. » Nimirum, ut subinde ait, « quod statim visis corporibus, divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum. » Verum plus aliquid sine dubio illo in loco voluit Augustinus, quam ut Deus, visis corporibus, statim intelligentia cognoscatur. Non enim oculo ipso videretur, quod ibi agitur; sed, de quo nec Augustinus dubitabat, et quod omnes fatentur, mentis acie. Quare non ita diceret, *fieri posse, valdeque credibile esse,* Deum, visis oculo corporibus, mente percipi : sed potius certissimum, et omnino credendum esse. Deinde quod post illa verba mox adtexit, sententiam illius magis explicat : « Aut ergo, inquit, per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur; quod ullis exemplis, sive Scripturarum testimoniis divinarum vel difficile, vel impossibile est ostendere; aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso. » Ex his duobus, quæ cum disjunctione ponit, quod prius est, idipsum est, quod proxime ante disseruit, ac valde esse credibile dixit : nempe, ut vitam cujusque, non sine corpore illius, oculis videmus, in ejus tamen corpore videmus; ita beatos oculis suis visuros Deum per ea, quæ intuebuntur corpora. Posterius vero non oculis visuros illos Deum asserit, sed spiritu, id est mentis contuitu, quando oculis sola corpora videbunt, quemadmodum nunc : *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*[2]. Nam et oculis modo

1 In par. I, qu. XII, art. 3, ad. 2 — 2 *Rom.* I.

nonnisi corpora percipimus; sed ea cum cernimus, vegetantem illa Deum, ac foventem, et mirabiliter in illis agentem utcumque animo videmus; quem multo tunc sane beati melius evidentiusque per eadem illa corporata cognoscent. Quare necesse est Augustinum in priori disjunctionis parte, de contuitu illo, qui est oculorum, loqui, ne nihil pars ista a posteriore discrepet, quæ de obtutu mentis id affirmat. Ita verisimile judicavit Augustinus, et valde credibile, beatos oculis suis Deum esse conspecturos in corporibus iis, in quæ illos intendent.

Sic in Epistola CXI et CXII, ubi de eadem quæstione disputat, dubius natat, nihilque certo constituit. Nam et epistolam CXII ita concludit: « De corpore vero spirituali, si Dominus juverit, opere alio experiemur, quid disputare valeamus. » Quod opus videtur esse ille ipse liber *de Civitate Dei* vicesimus secundus : cujus in capite XXIX ad eum, quem dixi, modum de ista re statuit. Ita enim in libro secundo *Retractationum*, capite XLI, nos docet.

III. Ac mirum id mihi profecto videtur, in posteriori hoc opere, in quod pleniorem illius argumenti tractationem rejecerat, minus, quam dudum fecerat, de eo probabilem, imo ne tolerabilem quidem opinionem explicasse. Non enim dubitantis partes, ut in superioribus, sed prorsus opinantis egit de eo, quod *fieri posse, valdeque esse credibile* dixit.

Atqui in epistola sexta, sine ulla hæsitatione, certo liquidoque pronuntiavit oculis corporeis Deum videri omnino non posse. Nam de luce agens illa, quæ Deus est, « Hoc, inquit, oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc poterit. » Quod subinde argumentis etiam approbat, quæ paulo post reddemus. Atque etiam opinionem illam vocat « insipientiam, ac dementiam, et perversam sententiam. » Quare iterum dicam, valde id esse mirum, in hanc ipsam, quam severe adeo notaverat, postea esse delapsum.

Sane Fulgentius in *Responsione ad inquisitionem tertiam Ferrandi*, non solum « oculis corporalibus Deum spiritum non videri pronuntiat; » sed Augustinum etiam auctorem citat in epistola sexta *ad Italicam*, in qua convictos illos ait, « qui hoc voluerunt de Christo credere, quod Deum Patrem oculis corporalibus videat. » Nam quod suspicari aliquis posset, Augustinum, ubi absolute negat, oculis corporis videri posse Deum; hoc intellexisse de iis oculis, quales habemus nunc; non cujusmodi post resurrectionem erunt; quemadmodum in epistola CXI dicit : ubi quod cuidam episcopo paulo commotior scripserat, « istius corporis oculos nec videre Deum, nec esse visuros, » sic interpretatur, ut, etiamsi visuros aliquis defendat, sed in alium statum mutatos, hoc illi non sit contrarium : « Aut enim istius (corporis) erunt, et non videbunt; aut non erunt istius, si videbunt : quoniam tanta commutatione longe alterius corporis erunt : » hoc inquam, modo excusari non potest. Etenim non de præsenti corporum statu in illa sexta epistola loquitur, uti nec in reliquis locis, ubi de ea quæstione disserit, sed de futuro ac beato; in quo et noverat; et ibidem asseverat in spiritualem quamdam conditionem transitura esse corpora nostra. Itaque nec videre nunc Deum posse, nec visuros tunc oculos nostros ait in sexta illa epistola; tum « in tantum visuros nos, in quantum similes ei erimus : quia et nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. » Quæ verba demonstrant, id quod eadem epistola tam asseveranter definit, non visuros Deum oculos nostros, de oculis intelligendum esse non istius corporis, sed jam beata immortalitate donatis. Meminit Gennadius in catalogo cujusdam episcopi, quem servum Dei vocat, qui scripsit « adversus eos, qui dicunt, Christum in hac vita degentem non vidisse carneis suis oculis Patrem, sed post resurrectionem ex mortuis, et ascensionem in cœlis. » Contra quos ille probavit « ipsum hominem factum Deum semper carnis suæ oculis et Patrem vidisse, et Spiritum sanctum per specialem et unitatem Dei et hominis societatem[1], » cui scilicet opinioni suffragatur Gennadius*.

IV. Verum neque videri modo corporis oculis Deum posse, nec in futura beatitudine, ac prorsus impossibilem rem esse, cum veterum auctoritate, tum argumentis firmissime probatur. Augustinus quidem[2], quod ad prius attinet, Ambrosium, Hieronymum, Athana- Deus oculis corporis videri non potest.

* Conantur tamen nonnulli, quos inter Witassius, Augustini mentem, in contrariam omnino partem pertrahere; qua in re utrum veritati inserviant, alii judicabunt. E. A. Z.

1 Tom. I Hier., col. 434. — 2 Epistol. CXI.

sium, et Gregorium Nazianzenum testes citat; e quibus Ambrosius, « de Christo cum ageret, secundum id, quod Verbum est, dixit : Non enim corporalibus, sed spiritualibus oculis Jesus videtur. » Ac deinde profert ejusdem verba ex *Commentariis in Lucam ;* ubi Deum indicat corde solum videri, non corporalibus oculis; ubi etiam de futuro beatorum statu loquitur.

Hieronymus vero ita scribit : « Videre Deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest [1]; » sed cum neque angelos, nec ullam creaturam videre statim asserat, magis est ut de oculo mentis intelligi debeat, quam corporis. Quanquam Augustinus sic illius mentem interpretatur, tanquam Angelos et ipse corporatos esse crediderit. Verum neque id ex illo loco consequens esse, et aliam Hieronymi sententiam fuisse, sequenti capite declarabitur. Porro idem Hieronymus alibi, « Deus, inquit, nequaquam sermonibus explicatur, nec oculo contemplabilis est, sed ab his videtur, de quibus scriptum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [2]. »

Athanasius ab eodem Augustino recte ad illud probandum allatus est. Nam adversus Arianos, qui « tantummodo Deum Patrem invisibilem esse contendebant, Filium vero et Spiritum sanctum visibiles; æqualem Trinitatis invisibilitatem Scripturarum sanctarum testimoniis, et diligentia suæ disputationis asseruit, instantissime suadens Deum non esse visum, nisi assumptione creaturæ; secundum deitatis autem suæ proprietatem omnino Deum esse invisibilem, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, nisi in quantum mente ac spiritu nosci potest. » Quod ipsum et Gregorius Nazianzenus affirmat.

V. Præter hos alii quoque Patres idem asseverant, ut Origenes in libro primo *de Principiis*, capite primo. Qui id ideo pro certo habet, ut inde quoque animam probet non esse corpus, quod res spirituales, et corpore carentes intelligat. « Si qui autem sunt, ait, qui mentem ipsam, animamque corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum, tam difficilium, tamque subtilium rationes assertionesque recipiat, unde ei virtus memoriæ, et unde ei rerum invisibilium contemplatio? unde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Unde etiam divina dogmata, quæ manifeste incorporea sunt, sentire, ac intelligere potest? » Quæ argumentatio vim suam non habet, si potest oculus, res utique corporea, Deum videre. Et in tomo septimo *contra Celsum* disertius : « Quod ad Dei cognitionem, inquit, pertinet, nullo modo indigemus corpore. Quod enim cognoscit Deum, non oculus est corporis, sed mens[a]. » Loquitur autem de statu corporum post resurrectionem; de quo et ista paulo post subnectit; « Falso igitur nobis Celsus imponit, dicens non sperare corporis oculis Deum esse visuros, e auribus vocem ejus audituros, ac manibust sensibilibus ipsum esse contrectaturos. Verum scimus, æquivoce cum corporis oculis appellatos esse ab Scripturis sanctis oculos alios[b], etc. » Quæ deinceps uberius exponit, ac Cynicum illum castigat existimantem, Christianos corporis sensibus affirmare se Deum percepturos esse post resurrectionem. Vide librum primum περὶ ἀρχῶν, capite primo sub finem. *De Principiis.*

Titus Bostrensis libro I *contra Manichæos*, « Corpus enim, inquit, corpus videt. Simile in simile intendit aciem; neque possunt oculi naturæ inferioris, quod natura præstantius et excellentius est videre, nedum quod naturæ contrariæ est. Si autem quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore, utpote corporeo, omnino non potest videri; sane contrarium a contrario, si modo est, videri non potest[3]. » Disputat autem adversus Manichæorum commentum aientium materiam Deum vidisse, ac plura de eadem re deinceps explicat.

Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* nona, « Carnis quidem oculis, inquit, contemplari Deum impossibile est; quod enim corporis est expers in carnis oculos cadere nequit[c]. »

a Orig. VII *cont. Cels.* Ἀλλ' ἐς γνῶσίν γε θεοῦ, σώματος οὐδαμῶς χρῄζομεν. τὸ γὰρ γινώσκον θεὸν οὐκ ὀφθαλμός ἐστι σώματος, ἀλλὰ νοῦς.

b Ibid. Καταψεύδεται οὖν ἡμῶν Κέλσος, λέγων προσδέχεσθαι ἡμᾶς ὀφθαλμοῖς σώματος θεὸν ὄψεσθαι, καὶ ὠσὶ τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούεσθαι, καὶ χερσὶν αἰσθηταῖς ψαύειν αὐτοῦ· οἴδαμεν δὲ ὁμωνύμως τοῖς σώματος ὀφθαμοῖς λεγομένους ὑπὸ τῶν θείων λόγων ὀφθαλμούς, etc.

c Cyril. Hieros. Σαρκὸς μὲν ὀφθαλμοῖς θεωρῆσαι τὸν θεὸν ἀδύνατον, τὸ γὰρ ἀσώματον σαρκὸς ὄμμασιν ὑποπίπτειν οὐ δύναται.

1 Apud Aug. Ep. cxi. — 2 Hier. in cap. lxiv *Esa.* col. 453. — 3 Tom. I *Bibl. Patrum.*

Ibi generalem affert dicti sui rationem, quæ ad futuram non minus, quam præsentem vitam attinet, atque eodem spectare putat, quod scriptum est : *Deum nemo vidit unquam.*

Ita Chrysostomus homilia XXXIX in *Genesim*, ubi de Abraamo disserit, qui Deum vidisse dicitur. Cui simillima leges apud Philonem in libro *de Nominum commutatione;* et in libro *de Cherubim*, « Sensu, inquit, percipi non potest intelligibilis natura[a] : » eique subscribit Judæus alter rabbi Moses Maiemonides in *Jad*, tractatu *de Fundamentis Legis*, capite IV. Claudianus quoque Mamertus in libro primo *de Statu animæ*, capite XIV, « valde stupere se dicit, quomodo quispiam christianus, cuilibet pulchro, cuilibet sublimi corpori, corpori tamen contemplabilem Deum fore » sentiat. Ergo nec a beato videri posse Deum existimat.

VI. Jam cur absolute Deus corporis oculis videri nequeat, causa hæc ab antiquis vulgo traditur quod Deus corpore non constet, sed merus sit spiritus : cujusmodi nonnisi ejusdem generis, id est, spirituali mentis acie potest conspici. Quapropter « oculi sola ea, quæ sub sensus cadunt intuentur[b], ait Philo Judæus in libro *de Nominum mutatione*. Siquidem par est intelligibile sola tantum intelligentia percipi. » Theodoretus item diserte in sermone primo *contra Græcos :* « Opus est, inquit, nobis intelligibilibus oculis ad ea percipienda, quæ sola intelligentia capiuntur; atque uti corporis oculis indigemus ad res aspectabiles intuendas[c], etc. » Quam eamdem rationem plerique illi Patres adhibent, quorum testimonio usi sumus. Sic etiam rabbi Moses loco citato tomi prioris *Jad :* « Formæ, inquit, quæ materia carent, non videntur oculo, sed oculo cordis cognoscuntur; sicut nos cognoscimus Deum omnium Dominum non visione oculi[d]. » Quæ ratio ea contemplatione juvanda est, quam in scholis explicare theologi solent : nimirum id, quod spirituale est, præque omnibus ejus generis Deum, extra modulum et captum esse sensuum; eo quod sensibilis non est, neque formis illis, et qualitatibus præditus, quibus circumscribuntur objecta sensuum. Nam neque colorem habet, neque sonum, neque cæterorum ejusmodi quippiam. Nulla autem cognoscendi vis et facultas extra objecti sui amplitudinem evagari potest, sicut oculus sonum videre nequit, nec auris audire colorem. « Omne quippe, ait Augustinus epistola sexta, quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec ubique sit totum; sed minore sui parte minorem locum occupet, et majore majorem. Non ita est Deus invisibilis, et incorruptibilis, etc. » Quod etiam in epistola CXI tradit. Deus enim ubique totus est; quare videri oculo non potest. « Nihil enim videre aliter istius corporis oculus potest, » quam ut loci spatio intervalloque distendatur. « Deus, inquit idem epistola CXI, charitas est, etc. Si ergo doceri potest, quod charitas corporalibus oculis aliquando videbitur, poterit fortassis et Deus. Si autem ista nunquam poterit, multo minus ipse fons ejus, vel si quid dici excellentius et convenientius de tanta re potest. »

VII. Deinde si oculo corporis potest Deus videri, cur non etiam sensibus cæteris percipi poterit, ut idem disserit : « Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam auribus percipi? Et halitus erit, ut sentiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut possit et bibi? Et moles erit, ut possit et tangi? » Quam argumentationem indicat Ambrosius[1] apud Augustinum verbis istis : « Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde; nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu; nec tactu tenetur; nec auditur affatu, nec sentitur incessu[2]. »

Nam quod secundum resurrectionem corpora nostra in spirituum sunt transitura qualitatem, eo omni, quod crassum et concretum nunc habent, exuto, quæ dubitandi causa fuit Augustino : nihil hoc adjuvat. Etenim quantumvis tenue fiat ac subtile, non tamen « hoc ipsum, quod corpus est, per gloriam resurrectionis amittet, et fiet spiritus[3]; » ut idem ratiocinatur. Sane Christi corpus post resurrectionem angelis ipsis esse subtilius putat Anselmus in libro *de Sacramento altaris*, capite IV. « Sicut enim, ait, dignioris, et sub-

a Philo. Αἰσθήσει δὲ ἀκατάληπτον νοητὴ φύσις.

b Philo, loc. cit. Οἱ μὲν γὰρ τὰ αἰσθητὰ μόνα ὁρῶσι· νοήσει γὰρ τὸ νοητὸν εἰκὸς μόνον καταλαμβάνεσθαι.

c Theodoret. Ser. I *contr. Græc.* Χρεία τοίνυν ἡμῖν καὶ νοερῶν ὀμμάτων εἰς τὴν τῶν νοητῶν κατανόησιν· καὶ καθάπερ δεόμεθα τῶν τοῦ σώματος ὀφθαλμῶν εἰς τὴν θεωρίαν τῶν ὁρατῶν, etc.

d Rabbi Moses. והצורות שאין להם גולם אינן נראין בעין אלא בעין הלב הן ידועין כמו שאנו יודעין אדון הכל בלא ראיי עין :

1 Lib. I *in Luc.* — 2 Ep. CXI. — 3 Ep. CXII.

tilioris naturæ spiritum rationalem constet esse, quam quodlibet corpus; illud tamen corpus, quod super omnes cœlos in eo, qui super omnia est, meruit exaltari, dignius, et ad omnia, quæ voluit, subtilius, et efficacius puto esse, quam sint aliqui non solum inferiores spiritus, sed et omnes illi, qui cœlorum nomine meruerunt appellari. »

Hinc etiam nonnulli, quos in epistola sexta perstringit Augustinus, ut oculo corporis Deum posse videri comprobarent, carnem Christi in medium adducebant, « et quasi interrogando premebant : Potuit Christus carni suæ præstare, ut oculis corporeis videret Patrem, an non potuit? » Sed eos Augustinus magis « desipere ait, quam qui carnem asserunt conversum iri in substantiam Dei, et hoc futuram esse, quod Deus est; ut sic eam saltem videndo Deo faciant idoneām, non tanta diversitate dissimilem. » Atqui neque Christi caro aliud futura est, quam caro; nec in naturam commutabitur divinitatis aut spiritus. Ideo nec aliter sensibus uti poterit, quam quemadmodum natura fert illorum.

Hunc Augustini locum citat Fulgentius *in Responsione ad quæstionem tertiam Ferrandi*, ubi et « oculis corporalibus Deum spiritum non videri adstruit. Hoc habent quippe oculi corporis, ut non solum corpora videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos, et ea, quæ vident, spatii cujusquam media intervalla fuerint. Inde est, quod cum alia plurima videant, seipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se. Nam et ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adjungitur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est, ut eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari. Quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est. Quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, et charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens, veraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ, veritatis, charitatisque constituit. »

VIII. Jam Scripturæ ipsæ, cum de visione Dei post hanc vitam loquuntur, satis ostendunt, non corporis, sed cordis, id est mentis oculis illum a beatis intuendum esse : « Beati mundo corde, inquit, quoniam Deum videbunt. Item cum legis, *Videmus nunc per speculum in ænigmate* [1], ait Augustinus, *tunc autem facie ad faciem* [2]. Intellige inde, nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utimur speculo, et ænigmate, sive illa patria, cum per speciem contemplabitur; pro qua visione positum est, Facie ad faciem. »

Item Joannes in *Canonica prima epistola*, capite tertio : *Scimus*, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum sicuti est.* In tantum ergo videbimus, Augustinus ait, in quantum similes ei erimus; quia et nunc in tantum non videmus, in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? In interiore igitur homine ista similitudo est [3], qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit illum [4]. »

Quocirca visibilem dici Deum nihil aliud est, quam intelligibilem, ut ea nostri parte videatur, quæ « insufflatione Dei nobis indita, in nobis est maxima, ait Marius Victorinus libro tertio. Adtingimur igitur cum eo, quo inde sumus, atque pendemus.

CAPUT III.

De Dei cognitione, sive visione, quæ fit mente, et intelligentia, ac primum de comprehensione. Explicatur Græci vocabuli τῆς καταλήψεως *propria notio; ejusdemque significationis alia quædam nomina. Explicatur ex Zenone philosopho quid sit* κατάληψις, *cujus ille auctor est vocis. Tum quid sit comprehendere. Nihil aliud esse, quam rem totam clare ac perspicue cognoscere sic, ut illius nihil lateat. Plenam hanc notitiam tum rei ipsius esse oportere secundum se, ac substantiam suam, tum eorum omnium, quæ illius in potentia continentur, quod eminenter inesse dicitur.*

I. Quæ de naturali Dei notitia, aut ea visione, quæ percipitur sensibus, pertractata sunt a nobis superioribus capitibus duobus, ea minus impeditam habent rationem. Facilis enim, si uti judicio suo quis velit, in illis est

1 I *Cor.* XIII. — 2 Ep. XII. — 3 Ep. ead. — 4 *Col.* III, 10.

investigatio veri. Paulo sunt illa reconditiora, quæ deinceps aggredimur, de ea cognitione, quam non naturæ vi, neque sensibus haurimus, sed animo ac mente divina ope corroborata, qualem in sempiterna felicitate sancti omnes accipiunt. Et quoniam cum de clara, et perspicua Dei cognitione agitur, quam *visionem* appellamus, frequens est, et multum implicata cum illa *comprehensionis* mentio, adeo ut sine hac explicari vix altera possit, tum quod obscura magis ac difficilior est ad enodandum illa de comprehensione quæstio, visum nobis est ante de hac, quam de simplici Dei visione, sermonem instituere, ut eo perfuncti, quod laboriosius est, faciliorem in reliquis exitum habeamus. Erit autem, id quod in omni disputatione usuvenit, dilucidior tota illius loci tractatio, si vocabulum ipsum, quo res tota continetur, penitus animadversum perspectumque fuerit. Id autem est *comprehensionis* apud Latinos, apud Græcos καταλήψεως. Et quoniam prius et antiquius est hoc illo, a quo et est ortum, postquam Græcos Latini tum in rebus ipsis, tum in vocibus imitandos sibi proposuerunt : res ita fert, ut de Græco nomine καταλήψεως hic nonnulla promantur.

Explicatur vox κατάληψις, Latine comprehensio.

II. Καταλαμβάνειν proprie idem est quod *assequi*, vel *attingere*, id præsertim, quod persecuti, et ad adipiscendum conati ante sumus. Hinc ad animi notitiam translata dictio obscuræ, et hactenus occultæ, ac multum quæsitæ rei claram et firmam perceptionem significat, quam Græcos, uti diximus, imitati, *comprehensionem* Latini nominarunt. De utraque voce multum et accurate disputatur a Cicerone in libro *Academicarum quæstionum*, de quo postea; nam Græcum verbum idipsum, quod dixi, significare, demonstrat insignis locus Apostoli in epistola *ad Philippenses : Non quod jam acceperim*, inquit, *aut jam perfectus sim : sequor autem si comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse* [a]. Quo in loco similitudo inest a cursoribus et stadiodromis petita; quorum exemplo se ad beatæ immortalitatis præmium contendere dicit, et eam apprehendere conari, ut Chrysostomus exponit : qui et ad vitæ sanctitatem, præclaraque facta, quibus præmium illud promereamur, κατάληψιν illam refert. At in homilia prima *contra Anomœos*, quæ περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου inscribitur, aliter sentit, et verbum καταλαμβάνειν de cognitione perfecta, et *comprehensione*, id est *perceptione* potius interpretatur, eamdem tamen metaphoram retinet a cursoribus, aut iter agentibus. « Quod, inquit, adhuc in via consistit, et ambulat, et ulterius pergit, terminum vero nondum omnino attigit [b]. » Atque hoc modo dicere Apostolum existimat, nondum se penitus Dei, cujus ad perfectam notitiam anhelabat, naturam, ut est in se, comprehendisse. Latini quidam codices *apprehendisse* olim habuerunt, eadem prorsus vi translationis; atque ita Augustinus libro tertio contra *duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium*, capite VII, ubi hunc locum illustrat. Hoc etiam Philo Judæus sensu κατάληψιν usurpat in libro primo *de Monarchia* [1], pro eo, quod est accurate, et ut est in sese, rem aliquam percipere, et intueri. Itaque δυσθήρατον, et δυσκατάληπτον esse Deum asserit, id est *inquisitu, inventuque difficilem*.

De incomprehensibili.

Ita Clemens Alexandrinus in septimo *Stromateon*, quæ post hanc vitam bona sperantur, eorum comprehensionem sperari dicit [c]. Idem et in primo libro κατάληψιν τῆς ἀληθείας, id est, *perceptionem veritatis* tradi ait a philosophia. Et in quinto, « neminem unquam posse, quandiu vivit, Deum perspicue comprehendere [d]. » In octavo denique καταλαμβάνεσθαι opponit Scepticorum ἐποχῇ, quæ est incerti, et dubia re nondum assentientis animi suspensio. Dogma itidem definit, *perceptionem, quæ ratione fit*. Perceptionem vero *habitum, et assensum mentis* [e].

III. Gregorius item Nyssenus in primo libro *contra Eunomium*, proprietatem vocis ejusdem scite demonstrat, ut sit rem occultam, et abstrusam quasi e latebris ad educere, et

a *Phil.* III, 12. Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι· διώκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ. Ἀδελφοὶ, ἐγὼ ἐμαυτὸν οὐ λογίζομαι κατειληφέναι.

b Chrys. Hom. II *de Incomp.* Ὅτι ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τέως ἕστηκε, καὶ βαδίζει, καὶ πρόεισι περαιτέρω, τοῦ δὲ τέλους πάντως οὐκ ἐπείληπται.

c Clem. Ἀλλὰ τὰ ἐλπιζόμενα, μᾶλλον δὲ τὰ ἐγνωσμένα ἤδη, εἰς κατάληψιν δὲ ἐλπιζόμενα.

d Idem. Δῆλον γὰρ, μηδένα ποτὲ δύνασθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν Θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι.

e Idem, *Strom.* Καὶ τὸ μὲν δόγμα ἐστὶ κατάληψίς τις λογική· κατάληψις δὲ, ἕξις καὶ συγκατάθεσις τῆς διανοίας.

1 Phil. I *de Monar.* — 2 P. 137 ed. Com.

eam indagando pervenire; cum Eunomium irridens, qui divinarum sibi rerum accuratam notitiam vindicabat, eum se mirari dicit, « qui tantum facultatis habens, ut ea, quæ naturam nostram superant, comprehendendi solertia transcendat, principium ignorasse, per quod omnis ignotæ rei in istis tractationibus, quæ ratiocinatione constant comprehensio fiat[a]. » Sic Gregorius alter Nazianzenus oratione XXXIV « Non posse nos ait nuda mente nudis cum rebus versari, rerumque comprehensionibus mentem informare[b]. » Ac deinceps cursorum similitudine rem explicat, et καταλαμβάνειν idem esse, quod ἐφικέσθαι demonstrat, id est *assequi*, nec non vocabulo τῆς περιδράξεως utitur, quod *arripere* significat.

Idem etiam in fine orationis XXV : « Et hinc, ait, ad illam transibis beatitudinem. Hæc est autem, ut mihi videtur, horum ipsorum magis expressa comprehensio[c]. » Dei ac divinarum rerum et personarum liquidiorem perceptionem, hoc est κατάληψιν, æternam esse felicitatem asserit. Est igitur κατάληψις clara et perspicua cognitio. Non enim audiendi sunt, qui comprehensionem putant apud Gregorium Nazianzenum sumi, non pro perceptione ac cognitione animi, sed pro adeptione finis ultimi : quod perspicue constat esse falsum[1]. Velut etiam in illis ejusdem Gregorii verbis ex oratione XXXIV : « Enoch vero translatus est quidem ; sed nondum constat an Dei naturam comprehenderit, an comprehensurus sit[d]. » Hic est usus verbo περιλαβεῖν, non καταλαβεῖν, quod amborum eadem est potestas. Ita Basilius epistola CD et CDI, κατάληψιν pro accurata notione sumpsit. Ut cum ita scribit, « Scientiam Dei illam esse, qua novimus illum esse incomprehensibilem ; ac venerationem mereri, non quod comprehensum de eo fuerit, quæ sit ejus essentia, sed hoc ipsum, quod constet essentiam ejus existere[e]. »

Sic Origenes in tomo sexto *contra Celsum* τὰ νοητὰ, id est *intelligibilia*, νῷ μόνῳ καταληπτὰ, *sola mente comprehendi* posse, id est *perspicue cognosci*, asserit. Et in eodem libro τὸ καταληπτὸν, et ἐφικτὸν pro eodem accipit, ut si id, quod clara et exacta perceptione possumus assequi.

Nec aliter Cyrillus Alexandrinus, qui in *Thesauri* libro XIII, καταλαμβάνειν et ὁρᾷν promiscuo usu accipit. Quod enim videtur, quantum quidem capi sensibus potest, id perfecte ac perspicue cognoscitur. Est enim videndi sensus omnium acerrimus. Ideo perfecte Deum cognoscere, quod est comprehendere, videre dicitur. Sed et Proclus in *Epistola ad Armenos* ad eam τοῦ καταλαμβάνειν significationem et originem scite alludit, quam supra proposuimus, ut sit enitendo, et persequendo aliquid assequi ita, ut perspicue videatur : « Fidem enim ait facere, ut ea clare mens conspiciat, quæ eo ipso, quod ea pertingi non possunt, videntur, et quod accedere ad ea non licet, comprehenduntur[f]. » Hanc verbi καταλαμβάνειν proprietatem exprimit Hebraica vox, quæ ei respondet מצא, quod est *invenire*, *Jobi* undecimo : *Forsitan vestigia Dei comprehendes*. Ibi enim est תמצא, *invenies*. Quod enim studiose quæritur, adinventum comprehenditur.

IV. Sed hæc τῆς καταλήψεως vis et potestas in sequentibus fiet illustrior. Nunc illud adnotamus, quod ad totam hanc quæstionem enodandam non parum conferet, præter κατάληψιν alia quædam esse vocabula, quæ ad idem significandum accommodantur a Græcis Patribus. E quibus ista modo in memoriam mihi veniunt : primum περιλαμβάνειν, quod proprie sit *amplecti*, vel *circumplecti*, aut *continere*. Plotinus *de Primo bono*, id est Deo, loquens ait, non posse nos illud comprehendere, id est περιλαμβάνειν[g]. Ita Gregorius Nazianzenus paulo ante citatus anobis,

a Nyss. I *cont. Eunom.* Ἐπεὶ τοσοῦτον αὐτῷ περίεστι τῆς ἐν τούτῳ δυνάμεως, ὥστε καὶ εἰς τὰ ὑπερέκεινα τῆς φύσεως ἡμῶν διὰ τῆς καταληπτικῆς ἐφόδου ὑπερεκτείνεσθαι, πῶς ἠγνόησε τὴν ἀρχὴν, δι' ἧς παντὸς κεκρυμμένου πράγματος ἐν ταῖς λογικαῖς ταύταις ἐπιχειρήσεσιν ἡ κατάληψις γίνεται.

b Nazianz. Orat. XXXIV. Καὶ οὐκ ἔχομεν γυμνῷ τῷ νοῒ γυμνοῖς τοῖς πράγμασιν ἐντυγχάνοντες, μᾶλλόν τι προσιέναι, καὶ τὸν νοῦν τυποῦσθαι ταῖς καταλήψεσιν.

c Idem, Orat. XXV. Καὶ μεταβήσῃ ἐντεῦθεν εἰς τὴν ἐκεῖθεν μακαριότητα· ἡ δέ ἐστιν, ὡς ἔμοιγε δοκεῖ, ἡ τούτων αὐτῶν ἐκτυπωτέρα κατάληψις.

d Naz. Orat. XXXIV Ἐνὼχ δὲ μετετέθη μὲν, οὔπω δὲ δῆλον, εἰ Θεοῦ φύσιν περιλαβὼν, ἢ περιληψόμενος.

e Basil. ep. CD. Γίνεται εἴδησις ἄρα τῆς θείας οὐσίας, καὶ αἴσθησις αὐτοῦ τῆς ἀκαταληψίας, καὶ σεπτὸν, οὐ τὸ καταληφθὲν τίς οὐσία, ἀλλ' ὅτι ἐστὶν ἡ οὐσία.

f Procl. *ad Arm.* Ποιεῖ γὰρ τρανῶς ἐκεῖνα ὁρᾷν, ἃ τῷ μὴ φθάνεσθαι ὁρᾶται· καὶ τῷ ἀπροσίτῳ καταλαμβάνεται.

g Plotin. *Enn.* V, lib. V, cap. VI. Οὐδαμοῦ αὐτὸ περιλαμβάνει. γελοῖον γὰρ ζητεῖν ἐκείνην τὴν ἄπλετον φύσιν περιλαμβάνειν.

1 Ruis *de Scientia Dei*, disp. VI, sect. 1.

oratione XXXIV, περιλαβεῖν pro καταλαβεῖν usurpavit. Gregorius item Nyssenus in libro *ad Ablabium*, quo non esse Deos tres ostendit, περίληψιν pro *comprehensione* posuit, sed ejusmodi, qua aliquid coercemus ac continemus, totumque complectimur, et concludimus. « Nos minime definitam, neque comprehensam divinam naturam esse credentes, nullam ejus comprehensionem animo cogitamus[a]. » Sic in *Timæo* Plato τὸ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτὸν dixit, quod interpretans Cicero in libro *de Universitate* sic vertit, *quod intelligentia et ratione comprehenditur.*

Deinde περινοεῖν usurpant. Hinc Gregorius Nyssenus ἀπερινόητον τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν dixit[1]; nec non Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Valerianum episcopum. Alias verbum κατανοεῖν, ut Gregorius idem Nyssenus[2]. Cujus insignis locus est in duodecimo libro *contra Eunomium*, qui præterquam quod et alia nomina idem significantia suppeditat, mirifice totam hanc, quam enucleamus, τῆς καταλήψεως vim, naturamque declarat ut hic, etsi est paulo longior, adscribendus sit. « Divina, inquit, natura quemadmodum se habeat, attingi, comprehendique non potest, omnique comprehensione, quæ rationibus constat, sublimior est. At humana mens curiose, et sollicite pervestigans, et perscrutans, quibus potest argumentationibus inaccessam, et excelsam expetit attingitque naturam; neque tam acute cernens, ut id, quod videri nequit, perspicue videat, neque penitus ab accessu ita semota, ut nullam ejus, quod quærit, conjecturam possit capere. Sed partim quidem de eo, quod quæritur, per ratiocinationum attactum conjectura consequitur; partim vero ex eo, quod nequeat ipsum perspicere, quodammodo cognovit, tanquam evidentem aliquam cognitionem illud habens, quod cognitione sit omni superius, id quod quæritur[b]. »

V. In his Gregorii verbis imprimis proprietas ipsa τῆς καταλήψεως elucet, quam nos esse dicebamus rei sedulo quæsitæ, et studiose affectatæ prehensionem, ac manus injectionem. Quod, cum de mente intelligentiaque loquimur, in perspicua, et evidenti, ut res est in se, cognitione consistit. Id enim tum persequimur; ac finis inquisitionis hujus non est alius, quam plena et distincta ejus, quod scire ac videre voluimus, perceptio.

Deinde notentur voces illæ diversæ, quæ ad hoc ipsum significandum adhibitæ sunt a Gregorio ἐπαφὴ, κατανόησις, ἀντίληψις, θιγγάνειν, ἐναργῶς ἰδεῖν et ὁρᾶν. Quibus Latinæ respondent: *attrectatio*, *perceptio*, *prehensio*, *contactus*, *clara et perspicua visio.*

Nec abludit ab his verbum ψηλαφᾶν, quod est *attrectare*, quo Paulus apud Areopagitas usus est. *Quærere Deum*, inquit, *si forte attrectent eum*, *et inveniant*[c]. Quem imitatus Epiphanius, comprehensionem illam Dei, qua se stolide venditabat Aetius, graphice descripsit in hæresi LXXVI, ψηλάφησιν eam vocans, cujus verba supra posui.

Nonnunquam et περιγραφὴν vocant *comprehensionem*, velut quamdam cognitæ rei circumscriptionem. Ita Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV: «Nondum illud dico, circumscriptione aliqua definiri posse omnino Deum, si mente comprehendi potest. Est enim species una circumscriptionis comprehensio[d]. »

Denique verbum χωρεῖν, quod est *capere*, et *in se quasi continere*, non aliorsum spectat. Usus est hoc verbo Dionysius in capite XIII, *de Divinis nominibus*, cujus verba mox reddam.

Chrysostomus oratione tertia *contra Anomœos* omnia pene vocabula, quibus illa Dei proprietas appellari potest, paucis complectitur. « Vocemus igitur inexplicabilem illum, incomprehensibilem illum, quem nemo cogitare, nemo videre, nemo assequi potest; qui

a NYSSEN. *ad Ablab.* Ἡμεῖς μὲν γὰρ ἀόριστον καὶ ἀπερίληπτον τὴν θείαν φύσιν εἶναι πιστεύοντες, οὐδεμίαν αὐτῆς ἐπινοοῦμεν περίληψιν.

b NYSS. lib. XII *cont. Eunom.* Τὸ θεῖον, ὅπως ἂν κατὰ τὴν φύσιν ἔχῃ, ἀνέπαφόν τε ἐστι, καὶ ἀκατανόητον, καὶ πάσης ἀντιλήψεως τῆς ἐκ τῶν λογισμῶν ὑψηλότερον. ἡ δὲ ἀνθρωπίνη διάνοια πολυπραγμονοῦσα, καὶ διερευνωμένη δι' ὧν ἂν ᾖ δυνατὸν λογισμῶν, ἐπορέγεται καὶ θιγγάνει τῆς ἀπροσπελάστου, καὶ ὑψηλῆς φύσεως· οὔτε τοιοῦτον ὀξυωποῦσα, ὡς ἐναργῶς ἰδεῖν τὸ ἀόρατον· οὔτε καθάπαξ ἀπεσχοινισμένη τῆς προσεγγίσεως, ὡς μηδεμίαν δύνασθαι τοῦ ζητουμένου λαβεῖν εἰκασίαν· ἀλλὰ τὸ μέν τι τοῦ ζητουμένου διὰ τῆς τῶν λογισμῶν ἐπαφῆς ἐστοχάσατο· τὸ δὲ αὐτὸ (fort. αὐτῷ) τῷ μὴ δύνασθαι διϊδεῖν, τρόπον τινὰ κατενόησεν· οἷόν τινα γνῶσιν ἐναργῆ τὸ ὑπὲρ πᾶσαν γνῶσιν τὸ ζητούμενον εἶναι ποιησαμένη.

c *Act.* XVII, 27. Ζητεῖν τὸν κύριον, εἰ ἄρα γε ψηλαφήσειαν αὐτὸν, καὶ εὕροιεν.

d NAZ. Orat. XXXIV. Καὶ οὔπω λέγω, τὸ περιγραπτὸν πάντως εἶναι τὸ θεῖον, καὶ εἰ διανοίᾳ καταληπτόν. ἓν γὰρ περιγραφῆς εἶδος καὶ ἡ κατάληψις.

1 Nyss. XII *cont. Eun.* — 2 Idem tom. V, par. II, p. 163, et *ad Monachos*, p. 178.

humanæ linguæ vim excedit: qui mortalis intelligentiæ comprehensionem transcendit: quem nec investigare angeli possunt, nec archangeli perscrutari: neque contemplari seraphim: neque cherubim mente percipere; qui invisibilis est principatibus, dominationibus, virtutibus, et omnino toti creaturæ, sed a solo Filio, et Spiritu sancto cognoscitur [a]. »

Comprehensionis.

VI. Cæterum καταλήψεως propriam, ac genuinam notionem imprimis aperit origo illius, ususque vocabuli, quod ad firmam animi perceptionem significandam transtulisse primus Zeno dicitur Stoicæ auctor sectæ, ut in primo *Academicarum quæstionum*, testis est Cicero. « Visis, inquit de Zenone loquens, non omnibus adjungebat fidem, sed his solum, quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur. Id autem visum cum ipsum cerneretur, comprehensibile. Feretis hoc? Nos vero, inquam. Quonam enim modo καταληπτὸν diceres? Sed cum acceptum jam, et approbatum esset, comprehensionem appellabat, similem iis rebus, quæ manu prehenderentur; ex quo etiam nomen hoc duxerat: at cum eo verbo ante nemo tali in re usus esset, plurimisque idem novis verbis (nova enim dicebat) usus est. » Hanc κατάληψιν ortam ab sensibus Zeno putabat inchoatam esse perceptionem, ut ibidem et in quarto *Academicorum* tradit Cicero, eamque mediam collocabat inter scientiam, et inscientiam. « Quod enim erat sensu comprehensum, ait idem in primo, idipsum sensum appellabat: et si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam, sin aliter, inscientiam nominabat, ex qua existeret etiam opinio, quæ esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis. » Idem in fine quarti libri κατάληψιν Zenonis ex eodem clarius exponit sic: « Cum extensis, inquit, digitis adversam manum ostenderat, Visum, inquiebat, hujusmodi est; deinde cum paulum digitos contraxerat, assensus hujusmodi: tum cum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. Qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit. Cum autem lævam manum admoverat, et illum pugnum arcte vemehenterque compresserat, scientiam talem esse dicebat. » Cui concordat et Diogenes Laertius, qui in Zenone stoico scientiam sic ab illo definiri ait, ut sit « vel certa comprehensio, vel habitus in visorum susceptione, qui ratione convelli nequeat [b]. »

Hanc porro κατάληψιν sustulit e medio Arcesilaus Academiæ conditor novæ; et qui Sceptici ab eo dicti sunt, quod nihil posse percipi, ac comprehendi crederent; quam ἀκαταληψίν vocabant, quoniam nihil tam verum judicari posset, cui non simile posset videri falsum: proinde nihil habere non comprehensi, percepti, cogniti, constituti. Est igitur καταλαμβάνειν ex mente Stoicorum, et Academicorum idem quod accurate, ac perspicue rem cognoscere.

Galenus in libro, quem scripsit de optimo docendi genere contra Academicos, et Pyrrhonios de hac voce multa disputat, et inter cætera: « Ego vero, inquit, neque quidquam aliud significare puto comprehensibile, quam cognoscibile, nec aliud comprehendere, quam certo cognoscere [c].

Satis hæc esse arbitror ad intelligendam cum Græcæ vocis τῆς καταλήψεως proprietatem, tum Latinæ, *comprehensionis*, quæ ex illa cepit originem. Cujus quidem ratio omnis ac notio ad Græcæ illius usum, et institutionem, velut regulam, exigi debet, cum apud incorruptæ, certe nondum penitus infuscatæ barbarie auctores Latinitatis occurrit: quales ii fere sunt Patres, quorum dogmata atque placita sedulo hic inquirimus, atque ex vocabulorum proprietate, quæ multum sine dubio confert ad veri investigationem, de illis argumenta capimus.

VII. Exponamus itaque modo, quemadmodum comprehensionis nomen Latini illi

a Chrysost. Καλῶμεν τοίνυν αὐτὸν τὸν ἀνέκφραστον, τὸν ἀπερίληπτον, τὸν ἀπερινόητον θεὸν, τὸν ἀόρατον, τὸν ἀκατάληπτον, τὸν νικῶντα γλώττης ἀνθρωπίνης δύναμιν, τὸν ὑπερβαίνοντα διανοίας, θνητῆς κατάληψιν, τὸν ἀνεξιχνίαστον ἀγγέλοις. τὸν ἀνεξερεύνητον ἀρχαγγέλοις, τὸν ἀθέατον τοῖς Σεραφὶμ, τὸν ἀκατανόητον τοῖς Χερουβὶμ, τὸν ἀόρατον ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, καὶ δυνάμεσι, καὶ ἁπλῶς πάσῃ τῇ κτίσει, ὑπὸ δὲ υἱοῦ, καὶ πνεύματος μόνου γνωριζόμενον. Vide eumdem, de ἀκαταλήπτῳ.

b Diog. Laert. Αὐτήν τε τὴν ἐπιστήμην φασὶν ἢ κατάληψιν ἀσφαλῆ, ἢ ἕξιν ἐν φαντασιῶν προσδέξει ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου.

c Galen. Ἐγὼ δ' οὔτ' ἄλλο τι καταληπτὸν ἡγοῦμαι σημαίνειν παρὰ τὸ γνωστόν· οὔτ' ἄλλο τι τὸ καταλαμβάνεσθαι τοῦ βεβαίως γινώσκειν.

Quo sensu Deum comprehendi, vel non comprehendi, Patres Latini existiment.

Patres usurpaverint; tum quatenus, quove sensu comprehendi vel non posse, vel posse Deum existiment.

Augustinus in epistola CXII, capite IX, comprehensionis rationem omnium accuratissime descripsit : « Aliud est, inquit, videre, aliud totum videndo comprehendere, quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur : totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possint; sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui. » Idem in Sermone XXXVIII, *de Verbis Domini*, capite tertio : « Sed corpus, inquit, oculo comprehendere te putas? Omnino non potes. Quidquid enim aspicis, non totum aspicis. Cujus hominis faciem vides, dorsum non vides eo tempore, quo faciem vides. Et quando dorsum vides, eo tempore faciem non vides. Non sic ergo vides, ut comprehendas; sed quando aspicis aliam partem, quam non videras, nisi memoria tecum faciat, ut memineris te vidisse, unde recedis, nunquam te diceres aliquid vel in superficie comprehendisse. » Idem etiam in libro XII *de Civitate Dei*, capite XVIII, comprehensionis naturam similiter explicat, ut sit exacta totius perceptio, cum adversus eos disputat, qui infinitos numeros divina scientia comprehendi negabant. Contra quos ita disserit : Quapropter, si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est. Sic in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione XIV : « Omne, inquit, quod se intelligit, comprehendit se; quod autem se comprehendit, finitum est sibi. Et intellectus intelligit se : ergo finitus est sibi. Nec infinitus esse vult, quamvis possit, quia notus sibi esse vult : amat enim se. » Quo in loco videtur Augustinus *comprehensionem* non minus ad voluntatis effectum referre, quam ad intelligentiam, et notitiam. Est enim quædam amoris comprehensio, qua id, quod diligimus, velut amplexando stringimus.

Ambrosius item in tractatu in *Symbolum Apostolorum*, capite X, comprehensionis vim non absimili ratione declarat his verbis : « Incomprehensibilia sunt judicia Dei; quia quamvis proficiat quis in scientia, et sapientiæ arcana rimetur tamen creata natura increati substantiam, ut talis est, nunquam potest ad plenum comprehendere. Nam cum de illa aliquid apprehenderit, alia plurimum se rursum offerunt quæstioni; et cum illa perceperit, alia etiam altiora quæque occurrunt. Tanta itaque quærenti investigandi materia suggeritur, ut reliquorum perscrutatio oblivione volvat etiam priorum scientiam. »

VIII. Quare comprehendere rem aliquam, est totam percipere, et cognitione clara, atque distincta magnitudinem assequi illius et exæquare. Quam ego notionem apud Latinos *comprehensionis* esse communissimam, ac verissimam arbitror. Sed et κατάληψιν a Græcis itidem sumi, cum eam negant haberi ab creata intelligentia de Deo posse : quod utriusque generis auctoribus insuper adductis in medium affirmare pergam.

Irenæus in quarto libro, capite XXXVII : « Igitur secundum magnitudinem non est cognoscere Deum. Impossibile est enim mensurari Patrem, secundum autem dilectionem ejus, » etc. Hinc apparet, comprehensionem (scripsisse autem vel κατάληψιν, vel περίληψιν debet, esse totius rei perceptionem, et intuitum ex Irenæi sententia; cum scilicet, tota quanta quanta est, metimur cognitæ rei magnitudinem sic, ut pars ejus nulla notitiam nostram effugiat.

Sic Origenes in primo *Periarchon*, cujus verba supra reddidimus, Deum incomprehensibilem esse cum dixisset, subinde ita declarat, ideo talem esse, quia quantumvis de illo capere, et intelligere possumus, longo id, quod assequimur, intervallo superat. Ut si quis modicum aliquod lumen, ut puta lucernæ, contueri vix potest, sic eum cujusmodi solis sit splendor edocebimus : « Quia omni hoc lumine, quod vides, ineffabiliter, et inæstimabiliter melior, ac præstantior est solis splendor. » Quocirca comprehenditur id mentis acie, quod, uti jam dixi, quantum est in sese pervidetur, ac capitur.

Hilarius item sub initium secundi libri *de Trinitate*, eamdem, cur comprehendi nequeat Deus, affert rationem, quoniam « intelligentiæ capacitatem quidquid fine nullo continetur excedit. » Ac paulo post : « Intelligentiam communi, et totum mente complectere, nihil tenes; quia totum hoc habet reliquum : reliquum autem hoc semper in toto est. Ergo neque totum ei est, cui reliquum est : neque reliquum est, cui omne quod est, totum est. Reliquum enim portio est; omne vero, quod totum est. Deus autem et ubique est, et totus ubique est. Ita religionem intelligentiæ exce-

dit, et extra quem nihil est, et cui est semper sit. » Deum ecce comprehendi non posse vult, quia totus percipi nequit; neque sic cognoscitur, ut non cognoscendum aliquid restet. Hoc autem ipsum reliquum totus est Deus, quia nulla pars in Deo est. Quare idcirco comprehendi non potest, quia totus nunquam capitur *. Ita Gregorius Nazianzenus oratione quarta et tricesima, comprehensionis vim illam significationemque declarat, cum ait, « Deum humana mente capi non posse, neque totum, quantus est, informari cogitatione[a]. »

IX. Epiphanius vero plene rem eamdem enucleateque declarat in hæresi LXX. Ubi « infinitum Deum ait videri, non ut se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest[b]. » Quod subinde duplici similitudine eodem pertinente sic explicat : « Veluti si quis per angustum foramen cœlum aspiciat, ac dicat : Video cœlum, non utique mentiatur, videt enim revera cœlum. Quod si quis prudenter ei dicat : Non vidisti cœlum ; neque iste mentietur. Tam enim qui ait vidisse, non mentitur, quam qui ei dicit, non ipsum vidisse, vera loquitur. Quippe non vidit illius exporrectionem, neque latitudinem[c]. » Subjicit aliud exemplum ad rei declarationem evidentius. « Sæpe, inquit, accidit, ut ex alto montis vertice mare prospiciamus. Quod nos illud vidisse dicamus, non mentiemur ; neque si contradixerit aliquis, ac vidisse nos negaverit, non ille verum dicet ; propterea quod, cum homo sit, quo illius latitudo, aut longitudo, quo altitudo pertingat, quamque alti sint voraginis illius recessus, sed nec illius effecta pervidere potest[d]. »

Hic Epiphanii locus quantivis est ad eam, quam quærimus, comprehensionis naturam ac rationem explicandam. Id enim comprehendi, hoc est perfecte capi, intelligentiaque percipi demonstrat, quod tum ipsum per sese, quantum est, in cognitionem venit sic, ut nihil extra relinquatur ; tum illius effecta omnia. Hæc enim ἀποτελέσματα vocantur. Nisi forte ἀποτελέσματα pro *fine ac termino* sumpsit Epiphanius. Sed de hac re paulo post iterum agemus.

X. Ad hanc Epiphanii similitudinem proxime Gregorius Magnus accedit, estque germanus illi locus in decimo *Moralium*, capite septimo, ubi de Dei cognitione agit illa, quam in retributione, id est æterna felicitate possident electi; eamque negat adæquari cum Dei natura, et essentia. « In retributionis, ait, culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest; quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus, non tamen ejus essentiam plane contuemur. Angelica etenim, vel humana mens, cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, coangustat, et super se quidem per profectum tendit, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit, qui, et transcendendo, et portando omnia, et implendo concludit. »

Tum eodem in capite uberius ad illa Jobi verba disputans : *Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari*[1] ; hæc ipsa de comprehensione Dei, quam ne beatæ quidem mentes assequuntur, exponit. Quod etiam proxime antecedens versus ostendit, in quo comprehensionis natura, cujusmodi a nobis est tradita, pulchre significatur. *Forsitan*, inquit, *vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Hebraice porro : *An investigationem Dei invenies?* Græce vero : *An vestigium Domini invenies, aut ad extrema pervenisti, quæ fecit Omnipotens*[e]*?* Quæ omnia *comprehensionis*, qua

a Naz. Orat. xxxiv. Τὸ μὴ ληπτὸν εἶναι ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ τὸ θεῖον, μηδὲ ὅλον ἐστὶ φαντάζεσθαι.

b Epiph. *Hær.* lxx, nu. 7. Καὶ ὃ εἶδε τὸ ἀόρατόν τε καὶ ἄπειρον, οὐ καθὼς ἔσχε τὸ ἄπειρον, ἀλλ' ὡς ἠδύνατο χωρεῖν ἡ φύσις.

c Ibid., num. 8. Ὡς εἴ τις θεάσοιτο δι' ὀπῆς μικροτάτης τὸν οὐρανὸν, καὶ εἴποι· ὁρῶ τὸν οὐρανόν· καὶ οὐκ ἂν ψεύσοιτο ὁ τοιοῦτος. ὁρᾷ γὰρ τὸν οὐρανὸν τῷ ὄντι. εἴποι δέ τις αὐτῷ συνετῶς, ὅτι οὐχ ἑώρακας τὸν οὐρανόν· καὶ οὐκ ἂν ψεύσοιτο ὁ τοιοῦτος· ὁ μὲν γὰρ λέγων ἑωρακέναι, οὐ ψεύδεται· καὶ ὁ φήσας πρὸς αὐτὸν μὴ ἑωρακέναι τὸ αὐτὸ, ἀληθεύει. οὔτε γὰρ εἶδε τὴν ἐπέκτασιν, οὔτε τὸ πλάτος.

d Mox : Πολλάκις γὰρ καὶ ἐπὶ ἀκρωρείᾳ ὄρους ἑστῶτες θεώμεθα καὶ τὴν θάλασσαν. καὶ ἐὰν εἴπωμεν ἑωρακέναι θάλασσαν, οὐκ ἐψευσάμεθα. εἰ δέ τις ἀντείποι λέγων, ὅτι Οὐχ ἑώρακας, καὶ αὐτὸς οὐ ψεύδεται. ποῦ γὰρ διϊκνεῖται τὸ πλάτος, ποῦ τὸ μῆκος, ποῦ τὸ βάθος, ποῦ οἱ μυχοὶ τοῦ βυθοῦ, καὶ τὰ ἀποτελέσματα, οὐ δύναται εἰδέναι ἄνθρωπος ὤν.

e *Job* xi, 7. החקר אלוה תמצא אם עד תכלית שדי תמצא.

Septuagin. Ἢ ἴχνος Κυρίου εὑρήσεις, ἢ εἰς τὰ ἔσχατα ἀφίκου, ἃ ἐποίησεν ὁ παντοκράτωρ;

* Vide eumdem Hilarium in libro *de Synodis*, num. 62.

1 *Job* xi, 8.

merito noster usus est interpres, vim, ac notionem proprie significant, non solum ut inventio sit ejus, quod quærebamus, cupideque assequi studebamus, sed etiam ut ejus ipsius perfectam possessionem adipiscamur; cujusmodi in cognitione est rei totius, nulla detracta parte, absoluta pervestigatio; ad quam insuper attinet eorum omnium, quæ res eadem illa potest efficere, clara, et perspicua notitia; quod Septuaginta interpretes demonstrant, de quo paulo post.

Redeo ad Gregorium, ac Jobi sequentia verba, quibus ille doceri vult, Deum neque ab angelis, neque ab ulla re creata comprehendi posse; quod videlicet totus, quantus est, nullius sepiri cognitione possit, ac veluti circumdari : quæ vocabula ad id tantummodo referuntur, nulla ut sui parte cognita res intelligentiæ nostræ aciem effugiat. Id enim pro more, atque captu nostro, et ex corporum similitudine nominibus illis explicatur, quæ dimensionis, et corporei circumplexus propria sunt, longi, lati, atque profundi. « Excelsior itaque est cœlo, ait Gregorius, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant, » etc. Ac paulo post : « Excelsior igitur cœlo fit, cum ipsa in eum nostra contemplatio deficit. »

XI. Eleganter etiam, nec minus ad rem accommodare Dionysius in libro *de Divinis nominibus* τὸ ἀκατάληπτον describit, causam ejus in Deo referens ad infinitatem perfectionis ipsius, qua superat omnia, et intervallo post se maximo relinquit. « Perfectum est igitur, inquit, non solum tanquam per se absolutum, et in se a semetipso simpliciter definitum, ac totum ex toto perfectissimum; sed etiam tanquam superperfectum : quatenus excedit omnia, et cum infinitatem omnem determinat, tum præter omnem terminum expanditur, et a nullo capitur, aut comprehenditur; quin et ad omnia simul, ac super omnia pertingit perpetuis largitionibus, ac nunquam interruptis efficientiis[a]. » Hæc, ut dixi, τὸ ἀκατάληπτον graphice describunt; quod scilicet nullo limite coerceri potest : tum quod infinitam habet amplitudinem, et in immensum extenditur, non mole, vel quantitate, sed vi, et efficientia. Ex quo sequitur, e contrario comprehendi omne id, cujus non natura solum, sed vis etiam et affectio cognitione clauditur.

Incomprehensibile.

Addamus his et Albini Flacci[1] perinde utilem expressamque sententiam : « confirmat, inquit, Evangelista, Dei esse naturam omnimodo invisibilem, ubi ait: *Deum nemo vidit unquam*; quia plenitudinem divinitatis, quæ in Deo est, nemo mente comprehendit. Nec etiam angelicæ naturæ comprehensibilis est Deus; quia vere incomprehensibilis dicitur. Sed secundum mensuram donationis Dei, ita Deum vel angeli, vel animæ sanctorum intelligunt. Proinde quamvis usque ad æqualitatem angelicam humana post resurrectionem natura proficiat, et ad contemplandum Deum glorificata consurgat, videre tamen ejus essentiam plene non valet; sed unicuique sanctorum ad suæ sufficientiam beatitudinis manifestabitur gloria ejus. » Ruffinus denique *Invectiva prima in Hieronymum*, « Invisibilem, incomprehensibilem Trinitatem, et sibi soli, ut est, ad perfectum notam, » sensu eodem dixit.

XII. Hæc tam multa Græcorum, ac Latinorum Patrum testimonia, totamque superiorem disputationem si quis attente perspexerit, sciet cujusmodi sit illa notitia, quam κατάληψιν Græci, Latini *comprehensionem* vocant, cujusmodi de Deo non posse creatas res assequi, iisdem illis in locis antiqui demonstrant. Est autem ejusmodi cognitio, quæ perfecte totum id continet, ac velut exhaurit, adeo quidem, nihil ut ejus ignoretur, aut non eadem perspicuitate noscatur. Hæc vera est et sincera comprehensionis notio, ex priscorum theologorum, ut superiora docent, auctoritate confecta. Nam posteriores novam quamdam rationem excogitarunt, de qua post paulo disputabitur. Cujus quidem comminiscendæ occasionem illis attulit difficultas explicandi, cur ab iis, qui Deum, et naturam divinam clare, ac nullo interjecto speculo contuentur, quemadmodum a beatis videri postea demonstrabitur, non ille quantus est, totusque cer-

Quænam Dei cognitio non possit a creata mente haberi.

[a] Dion. cap. xiii *de Divin. nom.* Τέλειον μὲν οὖν ἐστιν, οὐ μόνον ὡς αὐτοτελὲς, καὶ καθ' ἑαυτὸ ὑφ' ἑαυτοῦ μονοειδῶς ἀφοριζόμενον, καὶ ὅλον δι' ὅλου τελειότατον· ἀλλὰ καὶ ὡς ὑπερτελὲς, κατὰ τὸ πάντων ὑπερέχον, καὶ πᾶσαν μὲν ἀπειρίαν ὁρίζον, παντὸς δὲ πέρατος ὑπερηπλωμένον, καὶ ὑπὸ μηδενὸς χωρούμενον, ἢ καταλαμβανόμενον· ἀλλὰ καὶ διατεῖνον ἐπὶ πάντα ἅμα, καὶ ὑπὲρ πάντα ταῖς ἀνεκλείπτοις ἐπιδόσεσι, καὶ ἀτελευτήτοις ἐνεργείαις.

[1] Alb. lib. II *de Trin.* c. xvi.

natur, hoc est comprehendatur. Rei enim et simplicis, et nulla mole distentæ pars est nulla, nullique recessus, aut latebræ; nec inest omnino quidquam, quod cæteris cognitis, et conspectis sese subtrahat, intuentesque fallat. Qui fit igitur ut Deum beatus aspiciens non id omne cognoscat quod in Deo est, imo quod est Deus; aut si nihil non videt, non illum comprehendisse dicatur? Nam quidquid illud est, quod ejus aciem subterfugit, vel est Deus, vel alienum aliquid et adventitium. Hoc vero posterius nec est ullum in Deo, et ut sit, nihil interest nostra, qui de eo solum quærimus, quod naturale sit Deo. Sin Deus est idipsum, quod videntem latet, latere prorsus non potest; ne partibus constare credatur, quarum una palam sit, altera celetur. Ita nos undecumque constringi videmur.

Sed imprimis non magnopere de respondendo sollicitos et anxios esse nos oportet. Non enim, ut inscitiam illius rei nostram comiter fateamur, vel pudere nos magis, vel reprehendi, aut irrideri par est, quam in aliis innumeris, quæ ut esse revera novimus, sic quemadmodum se habeant si non ingenue agnoscimus, temere divinando conjicimus; quandoquidem, ut ait Hebræorum doctissimus Rabbi Moses, « nihil eorum novimus, præter exstantiam, non autem quidditatem[a]. » Talia sunt pleraque omnia christianæ mysteria fidei; quæ sic reipsa esse cognoscimus, ut eorum modos omnes, ac rationes scire se nemo prudens profiteri possit. Ad hunc modum videri Deum a beatis, et clare distincteque cognosci, nemo hodie catholicus, nedum theologus dubitat. Quid sit autem, cur non penitus comprehendatur, hoc est ex toto, perfecteque videatur, sic ut nihil in eo, quod intelligatur, supersit, si nescire me fatear, ignoscendum mihi erit, opinor, nec ad invidiam trahendum. Verum non deest omnino, quod hac de re probabiliter dici queat, quodque non nimis curioso, ac moroso inquisitori satisfaciat. Cujus quidem in superioribus veterum afferendis, expendendisque testimoniis jam nonnulla jacta sunt semina.

Deus incomprehensibilis quia tota ejus efficientia cognosci nequit.

XIII. Nam testimoniorum istorum quædam hoc significant, idcirco comprehendi non posse Deum, quia non potest tota illius efficientia cognosci, nec effecta omnia capi, quæ ab illo manare possunt. Hoc Epiphanius, hoc Dionysius, hoc LXX ipsi seniores in Jobi translatione demonstrant. Tum cætera, quæ de comprehensione sunt allata, veterum loca, tametsi hoc diserte non exprimunt, eodem nos dirigunt. Cum enim comprehensionem rei cujuspiam in eo sitam esse judicant, ut illa tota cognitioni pateat nostræ, et quasi complexu quodam coerceatur, uti tota ejus plenitudo capiatur, ut definiatur, circumscribaturque notitia, ut ipsius pars nulla subterfugiat; cum hæc, inquam, et similia de καταλήψει, ac perceptione animi perfecta, plenaque statuunt, iidem porro Deum rem unam esse simplicissimam, nullisque constantem partibus aperte sentiant, non alio, quam quo dixi modo, illorum exponi mens ac sententia poterit. Nimirum sic illos, qui Deum clare ac perspicue contuentur, totam ejus essentiam, naturam, ac proprietates omnes videre, ut non ad universa, quæ infinita sua vi, et efficientia moliri potest, clara, et distincta illorum cognitio pertineat. Habet hæc opinio recentiores quosdam de schola fautores theologos, qui et enucleatius rem ita definiunt. Eorum, quæ inesse Deo cogitantur, quædam per se, ac proprie, quod illi *formaliter* vocant, in ejus natura contineri; alia non per se, sed vi sola et efficientia, quatenus produci ab illo ista possunt, quo modo contineri *eminenter* aliqua dicuntur. Atque hoc in solis exemplo manifestum est. Hic enim uniusmodi forma, et qualitate præditus est, luce, ac splendore, quam proinde *formaliter* habet in sese; calorem vero ac siccitatem, qualitatesque cæteras in sola virtute ac potestate continet, hoc est effecta omnia, quorum causa est, et origo. Non enim, exempli causa, aurum est, aut lapis, quod in aurifodinis, ac lapicidinis illius vi, et efficacia corpora ista formantur. Quamobrem qui solem ipsum plene ac perfecte vel oculis videt, vel mente percipit, totum quidem intuetur, et substantiam ejus omnem intelligendo capit, ac quidquid est in eo, quo substantia ipsa formatur, ut *formaliter* inesse dicatur. Non omnia tamen distincte necesse est ab illo cognosci, quæ vi ejus, et efficientia proferuntur. Quod si assequi potuerit, tum absolutam illius notitiam, id est comprehensionem erit adeptus. Ita Deum qui mentis oculo perspicue, sive, ut Scriptura loquitur, *facie ad faciem* videt, totum id, quod Deus est, distincte cernit; non tamen universa cognoscit, quæ infinita vi sua procreare potest.

[a] RAMBAM. in lib. I *More Neb.* cap. LVIII. כלא ושיג אלא ישותי לבד לא מהותי.

In quo sita est comprehensio illa, quam angelis, et hominibus æterna felicitate potientibus veteres theologi detrahunt.

XIV. Qua in re considerandum illud est, quod in philosophorum scholis usu contritum est, effecta omnia vi ac δυνάμει in causis contineri suis, et quo perfectior est causa, eo tum plura, tum etiam præstantiora posse producere. Quare quæ infinite perfecta est, ea infinitas rerum species et formas habet in potestate. Est autem causa in universum id a quo aliquid habet ut sit, cui ex adverso respondet effectum. Unde et causæ notio non est absoluta, sed σχετικὴ, id est *relativa*, naturalemque habet ad rem productam comparationem et ordinem. Quod in efficientis genere maxime cernitur, quæ rem ex sese profert et efficit. Itaque neque universe cognosci causa, qua causa est, potest, nisi effectæ rei generalis saltem habeatur, et confusa notitia; neque penitus, ac distincte percipi, nisi omnia illius effecta noscantur. Igitur quia Deus summa est, et universalis causa rerum omnium, præsertim efficiens, et exemplaris, non potest, quatenus est causa, perfecte ac prorsus intelligi, nisi quæ ab illo produci queunt, ejusque participare naturam, omnia videantur.

CAPUT IV.

De comprehensione agitur porro, et superiori capite constituta ratio illius adstruitur ex auctoritate veterum, qui perfectam Dei cognitionem in eo collocant, ut quæcumque potest facere percipiantur; maxime illi, qui adversus Anomœos disputarunt. Quæ sint profunda Dei, et quomodo scrutatur illa Spiritus sanctus. De Christi cognitione, qua Patrem comprehendit. Probatur eadem comprehensionis notio ex sancto Thoma. Nova scholasticorum quorumdam de comprehensione sententia proponitur, et rejicitur. Quibusdam Patrum testimoniis eam fulciri, sed perperam. Fulgentii locus insignis, quo præcipue illa convincitur.

I. Sed ut penitus res tota conficiatur, nec jure quispiam dubitare amplius possit, id, quod de comprehensione posui, de antiquorum omnium theologorum sententia esse dictum : tum intelligere nos comprehendi Deum, cum et tota ipsius substantia, quidquid in ejus vi et omnipotentia continetur, perspicue cognoscitur : certam adhibebo rationem, quæ ex illorum adversus Arianos disputatione petitur. Nam cum isti Filium neque vere summeque Deum, neque parem, æqualemque Patri inde esse concluderent, quod extremi diem judicii non cognosceret, contra hos differentes nostri, duo quædam significant : alterum, creatas res omnes, et effecta virtutis ac potentiæ divinæ in Deo inesse, continerique : alterum, res ipsas easdem creatas, adeoque diem illam novissimam, a Christo, qua Deus est, ideo cognosci, quoniam Patrem suum perfecte, atque ex toto comprehendit. Expositus est in secundi libri *de Trinitate* capite tertio accurate locus iste de extremi judicii notitia, ostensumque, nonnullos eam Christo, qua est homo, detrahere, sed eidem, ut est Deus sine ulla controversia tribuere; quod ad Arianos retundendos satis fuit. Nunc iisdem ex Patribus, quæ ibi prætermissa sunt, quia minime erant necessaria, hunc in locum, ubi ita res postulat, quædam conferemus.

Ratio comprehensionis supra, exposita testimoniis Patrum confirmatur

Imprimis Athanasius oratione quarta sic hæreticos illos redarguit : « Si Filius est in Patre, et Pater in Filio : porro diem illum cognoscit Pater, et horam; manifestum est etiam Filium, qui est in Patre, et novit ea quæ sunt in Patre, diem illum horamque scire. Deinde si vera est imago Patris Filius, novit autem Pater diem illam, et horam, perspicuum est in eo, quod ista perinde novit, similitudinem Patris habere Filium [a]. » Hinc illud apparet, diem illum judicii, quod idem et de creatis rebus cæteris dicere oportet, in Deo contineri. Hæc enim ratio est, cur a Filio cognosci debeat, quia videlicet omnia scit, quæ sunt in Patre. Porro non *formaliter*, ut loquuntur, inest, sed *eminenter*. Cum igitur perfectam Dei notitiam illam esse censeat Athanasius, quæ cum omnibus adæquatur, non solum quæ Deus est, sed etiam quæ in Dei virtute continentur; evidens est, *comprehensionem*, hoc est perfectissimam, et qua major est nulla, ut propterea solius propria

a Athan. Orat. iv. Εἰ ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ, οἶδε δὲ ὁ πατὴρ τὴν ἡμέραν, καὶ τὴν ὥραν· φανερὸν ὅτι ὁ υἱὸς ἐν τῷ πατρὶ ὢν, καὶ εἰδὼς τὰ ἐν τῷ πατρὶ, οἶδε καὶ αὐτὸς τὴν ἡμέραν, καὶ τὴν ὥραν· εἰ δὲ εἰκών ἐστιν ἀληθινὴ τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς, οἶδε δὲ ὁ πατὴρ καὶ τὴν ἡμέραν, καὶ τὴν ὥραν, δῆλον ὅτι καὶ εἰδέναι ταῦτα τὴν ὁμοιότητα τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς ἔχει. Puto leg. ἐν τῷ εἰδέναι.

sic divinitatis, scientiam Dei hanc ipsam haberi, quæ omnia complectitur, quæ in Dei sunt virtute, et ab eo procreari possunt.

II. Gregorius Nazianzenus oratione sexta et tricesima eidem respondens Arianorum argumento, commodissime, atque ad mentem nostram aptissime loquitur sic : « Qui ita novit quæ Dei sunt, ut spiritus hominis quæ sunt in ipso. (Subaudi ex antecedentibus : Potestne diem ignorare judicii?) Quid enim ista cognitione perfectius[a]? » Dei vocat illa, et in Deo esse dicit, quæ facit Deus, ac nihil ea cognitione perfectius esse, quæ omnia continet, quæ hoc modo sunt in Deo. Quare cum ea cognitio, quam sub nomine *comprehensionis* inquirunt scholæ theologorum, ejusmodi sit, ut omnium, quæ sunt, esseque possunt, perfectissima sit, non erit alia, quam ista.

Præterea in illis Gregorii verbis inest etiam alterum argumentum, quo comprehensionis a nobis adducta ratio mirum in modum approbatur. Allusit enim ad id, quod Paulus in *Prima ad Corinthios,* capite secundo, de Spiritu sancto docuit. Nam cum dixisset Christianæ mysteria fidei occulta fuisse, et ignota sapientibus hujus sæculi, *Nobis autem revelasse Deum per Spiritum suum ;* mox cur hoc per Spiritum illum nobis obvenerit, causam reddit : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* [1]. Quo in loco manifestum est, Apostolum Spiritui sancto cognitionis genus illud attribuere, quod summum sit, et absolutissimum, ac solius proprium divinitatis. Siquidem ex illo ipso loco, Deum esse Spiritum sanctum, contra Pneumatomachos et Arianos demonstrant Patres, uti lib. II *de Trinitate*[2] dicam, atque ita ratiocinantur; eam notitiam, quæ omnia complectitur, quæ sic in Deo sunt, ut esse creata dicuntur, tum perfectissimam, tum Dei unius esse propriam. Hanc Fulgentius « plenitudinem cognitionis appellat, quam sola possidet unitas naturalis[3]; » hanc, inquam, cognitionem, qua omnia, quæ sunt in Deo, scrutatur Spiritus, et τὰ βαθέα τοῦ θεοῦ, hoc est quæ in altissimo, et occultissimo divinæ voluntatis recessu latent; qualia sunt effecta potestatis illius ac providentiæ : quæ utique creata sunt, ac nonnisi virtute, et *eminenter* insunt in Deo. Nam quæ *formaliter* in illo sunt, ea patent omnibus, qui Deum utcumque vident : ut eorum notio divinitatis neque propria sit, neque certum illius argumentum habeat.

Hunc divinæ potentiæ altissimum, ac profundissimum recessum ab Joanne sinum vocari Clemens Alexandrinus interpretatur, cum ita scribit : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* [4]. De quo Clemens sic sentit : « Cum autem id quod in Deo aspectabile atque effabile non est, sinum nominaverit Dei, hunc ipsum profundum appellaverunt idcirco aliqui; ut qui omnia comprehenderit, ac velut sinu suo complexus fuerit, nec eum assequi possit ullus, et sit infinitus[b]. » Paucis iis verbis rem omnem attigit, ut illam Dei profunditatem, id est infinitatem substantiæ, quæ id efficit, ut a nullo comprehendi Deus possit, intelligeres in eo esse sitam, quod universa contineat, tam quæ aliquando in rerum naturam prodeunt, quam quæ absoluta illius potestate possunt existere, tametsi nunquam emersura sint.

Est igitur illa perfectissimæ Dei cognitionis nota, descriptioque propria, ut ei subjiciantur omnia, quæ sunt, τὰ τοῦ θεοῦ, vel τὰ βαθέα τοῦ θεοῦ, ut Paulus loquitur; hoc est, quæ in Deo continentur, et in consiliorum illius secreto reposita sunt : nimirum quæ aliquando facere destinavit, ut ex Apostoli oratione constat.

III. Huic Apostoli testimonio, et argumentationi ex eo deductæ, sententiæque nostræ robur ac pondus maximum addit Epiphanius in *Ancorato*, dum eorumdem illorum, quos attigi, hæreticorum calumnias refellens, hanc inter alias commemorat, quod adversus illum Apostoli locum exciperent, *Scrutari quidem Spiritum sanctum profunda Dei* dixisse Paulum, sed ea comprehendere non dixisse. Quod me-

a Gregor. Naz. Orat. xxxvi. Ὁ οὕτω τὰ τοῦ θεοῦ γινώσκων, ὡς τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὰ ἐν αὐτῷ; τί γὰρ ταύτης τῆς γνώσεως τελεώτερον;

b Clem. Alex. V *Strom.* Τὸ δ' ἀόρατον, καὶ ἄρρητον, κόλπον ὀνομάσας θεοῦ, βαθὺν αὐτὸν κεκλήκασιν ἐντεῦθέν τινες, ὡς ἂν περιειληφότα καὶ ἐγκολπισάμενον τὰ πάντα, ἀνέφικτόν τε, καὶ ἀπέραντονα.

1 I *Cor.* ii, 10. — 2 Lib. II, cap. xiv, n. 17. — 3 *In Resp. ad inquis. Ferrandi.* — 4 *Joan.* i, 18.

rito Epiphanius irridet. Nam etiam de Deo scriptum est : *Scrutans corda et renes Deus*[1] : nec additur, et comprehendens[a]. Mox subjicit : « Sic igitur et de Spiritu sancto dictum est, ipsum *scrutari ;* neque necesse fuit dicere, et insuper comprehendere. Nam in eodem sermone demonstrat, inesse Spiritui sancto Dei cognitionem, et profundorum Dei; tametsi non dixerit, comprehendit[b]. » Est ergo *scrutari* apud Apostolum idem omnino, quod *comprehendere :* hoc est perfectissima notione, ac solius propria divinitatis illum cognoscere. Atqui notitia illa, qua parte est ejusmodi, ut soli congruat Deo, nec eam creata res ulla potest assequi, nihil habet aliud, nisi quod quæ in Deo sunt, ac consiliorum ejus altitudinem scrutatur, et perspicit. Hoc enim solum illo in loco designat Apostolus : hoc antiqui Patres intelligunt, dum et Filium, et Spiritum sanctum illo ipso testimonio creaturas non esse confirmant. Nimirum quod ut hominis spiritus ea comprehendit, quæ sunt in homine, ita Dei Spiritus ea, quæ in Deo sunt. Porro spiritum hominis cum Paulus asserit quæ in homine sunt scrutari, ac plene cognoscere, neque naturam ipsam hominis, et essentiam intelligit, nec ipsas in sese actiones mentis, aut voluntatis, earumque, ut sic dicam, substantiam. Id enim, donec corpore continetur, assequi non potest. Sed ea duntaxat significat, quæ vel cogitando sibi objicit, vel volendo expetit, hoc est *objecta*, ut vocant, ipsa potius actionum, quam aut actiones, aut substantiam, unde illæ proficiscuntur. Quare, uti similitudo constet, cum Dei Spiritum ait ea, quæ sunt in Deo, et quæ habet in alto posita scrutari, et cognoscere, de his loquitur, quæ suapte vi ac potestate continet Deus : nimirum creata omnia, quæ in illo *eminenter* inesse dicuntur. Hæc erit κατάληψις, eodem Epiphanio teste : cui ἀκαταληψίαν, id est, *incomprehensibilitatem*, ut sic loquar, opponit in sequentibus. Quam ait Spiritum sanctum declarare sanctis. Ex quo divinitatem ipsius colligit. « Non enim de angelis dixit, Dei illos profunda scrutari, nec de archangelis. Etenim nullus diem novit, nec horam[c]. » Eodem sensu etiam illud accipiendum est, quod Christus ait : *Nemo novit Patrem, nisi Filius, et nemo novit Filium, nisi Pater*[2]. Ex quo Epiphanius[3], ac reliqui fere illud de inscitia novissimi diei hæreticorum argumentum diluunt; quod qui Patrem novit, id est perfecte comprehendit, non possit ignorare quod longe est minus, diem illum, creatasque res omnes. Quocirca notitia illa singularis, et Dei propria, qua Pater Filium, Filius Patrem, et utrumque Spiritus sanctus novit ac comprehendit, nihil est aliud, quam *profundorum Dei*, id est occultorum operum intelligentia; quæ, quia solæ personæ tres sine ulla exceptione, integreque norunt, comprehendunt et ipsæ solæ Deum : quod creata res nulla potest obtinere.

IV. Ambrosius de eodem disputans hæreticorum argumento[4], cognitionem illam, quam Filio detrahebant isti, plenam ac perfectam vocat : cui ex adverso respondere facit illam, quam *ex parte* nominat Apostolus. « Quomodo, inquit, nesciret diem Dei Filius, cum in ipso sint thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi[5] ? etc. Non ergo nescivit diem. Neque enim sapientiæ Dei est ex parte scire, et ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire, quam facere? Multa enim scimus, quæ facere non possumus; nec eodem modo omnes scimus, sed ex parte cognoscimus. Novit enim ventorum vim, stellarumque cursus aliter rusticus, aliter civitatis incola, aliter gubernator. Etsi omnia non norunt, omnes tamen nosse dicuntur. Solus autem plene novit ille, qui fecit. » Vel hoc exemplo comprehensionis ratio perspicue declaratur. Etenim qui stellas considerat, totas illas videt, ac discernit singulas; nec usus tamen earum opportunitatesque omnes intelligit, sed eos tantum, quorum notitiam ars illi sua suppeditat. Unde alia stellarum effecta gubernator navis, alia rusticus et arator persequitur.

a Epiph. *Ancor.* n. 15. Χρεία γὰρ ἦν, ὦ θεήλατε, μετὰ τὸ εἰπεῖν, ἐρευνᾷ, εἰπεῖν τὸ, καταλαμβάνει.

b Ibid. Οὕτως οὖν καὶ περὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου εἴρηται, ὅτι ἐρευνᾷ· καὶ οὐ χρεία ἦν εἰπεῖν, ὅτι καὶ καταλαμβάνει, ἐπ' αὐτοῦ λόγου δηλοῖ, ὅτι ἐστὶν ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ, καὶ τῶν βαθέων τοῦ Θεοῦ, κἄν γε μὴ εἴπῃ καταλαμβάνει.

c Epiph. *Ancor* .n. 16. Καὶ τὴν τούτου ἀκαταληψίαν τοῖς αὐτοῦ ὑποδεικνύει· ἄρα γοῦν οὐκ ἀλλότριον τοῦ Θεοῦ τὸ πνεῦμα. οὐ γὰρ εἶπε περὶ ἀγγέλων, ἐρευνᾷν βάθη Θεοῦ, οὐδὲ περὶ ἀρχαγγέλων· οὐδεὶς γὰρ οἶδε τὴν ἡμέραν, οὐδὲ τὴν ὥραν.

1 *Psal.* VII, 10. — 2 *Matth.* XI, 27. — 3 In *Ancor.* n. 19. — 4 Lib. V *de Fide*, c. VII. — 5 . *Coloss.* II, 3.

Itaque singuli « plene non norunt, *id est non comprehenderunt* : Sicut ille *qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans* [1]; quem utique non fallit operis sui virtus, ait idem Ambrosius.» Itaque *plene novit*, qui non solum stellas ipsas, id est earum substantiam perspectam habet, sed etiam earum virtutem. Proinde quia « Omnia in sapientia Pater fecit [2], id est, omnia per Filium fecit, qui est virtus Dei, et sapientia; sapientiæ autem id convenit, ut suorum operum et virtutes norit et causas : et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donavit. Novit ergo diem qui fecit. » Tum postea Filium omnia quæ fecit, facturusve est, nosse demonstrat, quoniam ea « quæ futura sunt, jam fecit. Quomodo ergo facta sunt quæ futura sunt : nisi quia operatoria virtus, et scientia comprehendit numerum omnium sæculorum ? Sicut enim vocat quæ non sunt, tanquam quæ sint; sic et fecit quæ futura sunt, tanquam quæ sint, quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt, quæ esse præcepit [3].» Nimirum in Verbo suo Deus jam futura dixit, id est suo tempore facienda decrevit, ut alibi dictum est. Quare Verbum ipsum novit illa, imo est eorum expressa notitia, nec illorum tantum, sed etiam omnium, quæ possunt fieri, quæque Pater ipse cognoscit. Ideo comprehendit uterque communem naturam.

V. Hæc porro Dei comprehensio in eo sita est, quod et omnem illius virtutem, hoc est quæ ab eo possunt fieri universa, sub aspectum habet, sed etiam simul contuetur omnia, non singillatim, et unum post aliud. Quemadmodum Epiphanius paulo ante citatus a nobis, cœlum, ac mare nos dixit interdum videre, non tamen omnes utriusque dimensiones simul contueri. Nam non eodem momento longitudinem, quo latitudinem prospicimus, neque simul cum his profunditatem. Quocirca comprehensio, perfectave rei cognitio id postulat, ut tota res ipsa, ejusque vis et efficientia, id est effecta ejus omnia clare distincteque, tum vero simul universa videantur.

Pergit idem Ambrosius, et quia Patrem novit Filius eo modo, quo creata res nulla novit, id est comprehendit, etiam judicii diem scire illum asserit. Sic de Spiritu loquens, « quia, inquit, omnia scrutatur, etiam alta Dei, utique quia alta Dei scrutatur, cum Deus noverit judicii diem, etiam Spiritus novit. » Ac mox : « Quæ Dei sunt, cognovit et Dei Spiritus; quæ autem non cognovit Spiritus Dei, utique Dei non sunt. » Prorsus ergo Dei sunt, et ad Deum pertinent, ac plenam et perfectam ejus comprehensionem, quæ fecit facturusve est, aut potest facere.

Non aliter Cyrillus Alexandrinus, atque iisdem quibus Athanasius vestigiis insistens, similibus plane argumentis, ac verbis interdum utitur, ut et Filio, et Spiritui sancto, illi, quia per ipsum facta omnia dicuntur, isti, quia omnia etiam profunda scrutatur, novissimi scientiam diei illius assignet. Ut in libro *Thesauri* XXII, ubi etiam pulcherrimo nexu, et ἀλληλουχία, pari de utroque, Filio et Spiritu sancto, ratiocinatione concludit. « Nam si Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei, ut scriptum est, novit utique omnia, quæ sunt in ipso. Ac si Spiritus, qui omnia novit, et omnia curiose considerare potest, a Filio accipit, *ille enim*, inquit, *de meo accipiet*, quomodo Verbum ignorat, quod omnia cognoscentem Spiritum suppeditat [a] ? » Rursus in libro XXXIII operis ejusdem : « Si humanus spiritus non ex alterius revelatione novit quæ in ipso sunt; sed tanquam is, qui naturaliter, et proprie est ipsius, cordis profunda cognoscit, et scrutatur : sic in Deo ac Patre Spiritus sanctus. Divinæ itaque naturæ erit, sicut hominis est humanus spiritus [b]. » Vide et dialogum septimum *de Trinitate* in ejus fine.

VI. Ad hæc Hilarius in nono libro, sub finem, perinde ut illi, quos commemoravi, sciri diem illum a Christo adstruit, quia omnia in ipso sunt, et ea novit, quæ in Deo continentur. Id enim cogitandum esse dicit,

a Cyr. lib. XXII *Thes.* Εἰ γὰρ τὸ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ, καθὰ γέγραπται, οἶδε δηλονότι πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ εἰ τὸ πνεῦμα τὸ πάντα εἰδὸς, καὶ τὰ πάντα περιεργάζεσθαι δυνάμενον παρὰ τοῦ υἱοῦ λαμβάνει· ἐκεῖνο γὰρ, φησὶν, ἐξ ἐμοῦ λήψεται. πῶς ὁ λόγος ἀγνοεῖ, ὁ τοῦ πάντα εἰδότος πνεύματος χορηγός;

b Cyril. lib. XXXIII *Thes.* Εἰ τὸ πνεῦμα τὸ ἀνθρώπινον οὐκ ἐξ ἀποκαλύψεως ἑτέρου τινὸς οἶδε τὰ ἐν αὐτῷ, ἀλλ' ὡς φυσικῶς καὶ κυρίως ὑπάρχον αὐτοῦ, τὰ τῆς καρδίας βάθη γινώσκει καὶ ἐρευνᾷ· οὕτω δὲ ἐν θεῷ, καὶ πατρὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τῆς φύσεως ἄρα τῆς θείας ἔσται, καθάπερ καὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἀνθρώπινον.

1 *Psal.* CXLVI, 4 — 2 *Psal.* CIII, 24. — 3 *Esai.* XLV.

« an credibile esse possit, ut aliquid ex omnibus nesciat qui in omnibus ad id, quod sunt atque erunt, auctor est. Si enim omnia per Christum, et in Christo, et ita per ipsum, ut omnia in ipso sint; id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia ejus sit? etc. At vero quod causam nisi ex eo non sumit, et motum ad id quod est eritque, nisi intra se non capit; quomodo extra ejus naturæ scientiam est, per quam, et in qua id, quod efficiendum sit, continetur? » Ac subinde: « Naturæ ergo ejus virtus, quæ cognitionem rerum non exstantium capit, et quiescentium adhuc animorum subituras inquietudines non ignorat, id quod per se intraque est, nescisse existimabitur, et alieni potens, impotens sui esse. » Hoc autem ideo dicit, quod Christus cogitationes nondum existentes, sed futuras videbat, ut cum Joannis VI, scisse dicitur, « qui esset traditurus eum. » Deinde vero, « Humanæ naturæ, inquit, quod agere diffiniunt, quantum in se est, præsciunt, et sequitur gerendorum cognitio voluntatem agendi : Deus vero natus quod in se, et per se est nescit? Per eum enim tempora, et in eo dies est, quia et per ipsum futurorum constitutio est, et in ipso adventus sui dispensatio est. » Denique ad idem argumentum accommodat id, quod Apostolus ait, in Christo « *omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos esse*[1]. Portioni vero et universitati non potest convenire; quia neque pars omnia intelligitur, et omnia partem non patiuntur intelligi. Filius enim si diem nescit, jam non omnes in eo scientiæ thesauri sunt. » Hinc apparet, res omnes creatas, quæ aut futuræ sunt, aut esse possunt, in Deo, ac Dei Filio contineri, et inesse illo, quem dixi, modo eminentis, et pertinentis ad omnia virtutis ac potentiæ. Unde perfecta inest illi, ac plena Dei cognitio, cum naturam ipsius, et quidquid ea complectitur, exhaurit intelligentia, nec extra esse quidquam patitur.

fuic com-
rehensio-
is notioni
uffragatur
. Thomas
eamque
onfirmat.

VII. Huic comprehensionis, et quidem proprie, restricteque sumptæ notioni suffragatur sanctus Thomas in quæstione X, partis tertiæ, articulo secundo, ubi inquirit illud : an Christi anima in Verbo, id est in divina essentia, omnia noverit tam quæ sunt, eruntve, quam quæ esse possunt, etsi nunquam futura sunt. Cui respondet, videre illam quidem omnia quæ sunt, aut erunt; non tamen quæ esse possunt. « Hoc enim esset, inquit, comprehendere omnia quæ Deus potest facere : quod esset comprehendere divinam virtutem, et per consequens divinam essentiam. Virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest. » Sane comprehendere causam, qua causa est, nihil aliud est, nisi totam illius efficientiam, et omnia ejus effecta cognoscere. Quare, si quodcumque Deus infinita sua potentia moliri potest, hoc est creatæ res omnes, quæ ab illa produci possunt, cognitæ sunt, non est dubium, quin illius omnipotentia, sive Deus ipse, qua est causa, perfecte cognoscatur, et comprehendatur; unde consequens sit, comprehendi Deum ipsum: quoniam proprietas quælibet Dei, quod *attributum* vocant, Deus est. Quinetiam in prima parte *Summæ theologicæ* idem sanctus Thomas non dissimilem rationem attulit[2], cur a creata mente comprehendi non potest Deus, quod videlicet « nullus intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis divinæ essentiæ, quo cognoscibilis est. Unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur, cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. » Facit igitur infinitas objectæ rei, ut eam comprehendere creaturæ nullius intelligentia possit. Quod etiam Hilarius in lib. II significat. « Sensus, inquit, contemplationem imperspicabile lumen obcæcat; intelligentiæ capacitatem quidquid fine nullo continetur, excedit. » Et paulo post: « Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem et eloquendum sermo sileat, et investigandum sensus hebetetur, et complectendum intelligentia coarctetur. » Etenim infinitæ Dei amplitudini *intelligentiæ coarctationem*, et angustias humanæ mentis opponit. Itaque perfectus ille cognitionis modus, quo comprehensionem definit sanctus Thomas, est qui cum tota objectæ rei magnitudine adæquatur. Porro « Deus non mole, sed virtute magnus est[3], » ut ait Augustinus. Quæ ejus magnitudo ipse Deus est; qui « seipso magno magnus est; quia ipse sua est magnitudo[4], » ut idem scribit. Quare non aliter comprehendi dicitur, quam dum ejus virtus, id est δύναμις, quæ est

1 *Col.* II. — 2 S. Th. in I par., qu. XII, art. 7, — 3 Epist. III, p. 5. — 4 Idem lib. V *de Trinit.*, c. X.

agendi vis et omnipotentia, plene ac perfecte cognoscitur. Tunc autem agendi, efficiendique vis perfecte nota sit, cum quidquid potest (inde enim potentiæ nomen oritur) intelligentia capitur. Ex quo etiam sequitur comprehendi Deum ipsum, quocum unum est sua virtus ac magnitudo. Hæc quam sint inter se colligata, et consentanea, profecto nemo non videt.

VIII. Atque hanc posteriorem argumentationem, quæ comprehensionem Dei perfecta virtutis ejus cognitione metitur, sanctus Thomas in tertio *contra Gentiles*, capite LVI, tradidit ita scribens : « Ex hoc autem apparet, quod intellectus creatus, etsi divinam substantiam videat, non tamen omnia cognoscit, quæ per divinam substantiam cognosci possunt. Tunc enim solum necesse est, quod, cognito aliquo principio, omnes ejus effectus cognoscantur per ipsum, quando principium comprehenditur intellectu. Sic enim principium aliquod secundum suam totam virtutem cognoscitur, quando omnes ejus effectus cognoscuntur, qui causantur ex ipso. Per divinam autem essentiam alia cognoscuntur, sicut cognoscitur effectus ex causa. Quum igitur intellectus creatus non possit divinam substantiam cognoscere, sic, quod ipsam comprehendat, non est necessarium, quod videndo ipsam, omnia videat, quæ per ipsam cognosci possunt. » Cæterum in proxime antecedente capite disputarat idem doctor, idcirco non posse Deum a creatura comprehendi, quia divina claritas infinita est ; principium autem videndi, id est intelligentia creata, et *lumen gloriæ*, infinita non sunt. Unde, « cum modus actionis sequatur efficaciam activi principii (magis enim calefacit, cujus calor virtuosior est), oportet quod etiam modus cognitionis sequatur efficaciam principii cognoscendi. » Facit igitur infinita vis, et efficientia Dei, ut totus ab creata intelligentia capi nequeat ; quia effecta ejus omnia perviderí non possunt : adeoque nec essentia ipsa quanta est, hoc est quam est perfecta, comprehendi. Quippe est eo causa perfectior, quo plura et præstantiora potest producere, ut supra dicebam. Ut si sol reliqua omnia, præter metalla, aut hæc etiam, auro excepto, procreare posset, minus esset, quam est modo, perfectus. Atque ut est modo, si quæ ab illo produci queunt, omnia cognoscerem, præterquam metalla, aut aliud quodvis, nondum ipsum plene perfecteque nossem. Ad eum itaque modum Deus cognosci penitus comprehendique non dicitur, nisi cum ea videntur omnia, quæ ab illo possunt effici.

Complu
scholast
ad alit
compreh
sionen
extendu

IX. At scholastici theologi complures simplici, et ingenua illa comprehensionis ratione minime contenti, alteram amplexi sunt. Non enim satis istam esse putant velut infinitam extensionem cognitionis, ut comprehensio dici mereatur ; sed hoc præterea requiri, ut « tanta sit perfectio cognitionis, quanta est in objecto perfectio cognoscibilitatis [1]. » Vel, ut tam perspicua tamque perfecta cognitione percipiatur, quam ex sese postulat. Atqui Deus per se hoc exigit, ut, quemadmodum infinitus est, sic infinita notitia cognoscatur ; quæ proinde cognitio Deus ipse sit. Ex quo sequitur ab nullo alio, quam a seipso comprehendi posse Deum ; quia nullus præter hunc unum aut infinitus esse potest, aut Deus.

Illorum
sente..t
rejicitu

Sed etsi verum sentiunt, infinitam illam cognitionem Dei tum esse comprehensionem, tum ad eam creatam rem nullam posse pertingere ; plus tamen habet in se hujusmodi cognitio, quam ad veram proprieque dictam comprehensionem est necesse. Non enim opus est, ut cognitio cum re cognita paria faciat in omnibus. Alioqui quælibet substantia ab nullo alio, quam a Deo comprehendi poterit, eo quod omnis cognitio, quantumcumque perfecta, accidens est, atque idcirco longo abest intervallo ab substantia. Quamobrem hoc unum in comprehensione requiritur, ut cum amplitudine cognitæ rei adæquetur ; hoc est ut nihil in objecta re sit, aut ab ea naturaliter effici possit, quo non intelligentia ipsa pertineat. Est igitur æqualitas, sive commensus amborum eatenus necessarius, ut nihil, quod objectæ rei sit, cognoscentem lateat, sed omnia illius animo repræsentet ista cognitio ; ut *repræsentatitia* potius, ut ita dicam, quam οὐσιώδης, id est *essentialis* sit æqualitas, vel, quod usurpare solent philosophi, *objectiva*, et *intentionalis* magis sit, quam *entitativa*. Hanc vero comprehensionis naturam veram et unicam esse nullus ambiget, qui cum judicio tot illa, quæ supra retuli, veterum testimonia perpenderit. Est enim posterior hæc comprehensionis ratio eruditæ antiquitati prorsus ignota. Quan-

1 Ruis *de Scientia Dei*, disp. VI, sect. 2.

quam auctoritate quoque tueri se veterum student, qui in illa opinione sunt, ac Græcorum, Latinorumve Patrum non pauca pro ea loca proferunt. Sed ejusmodi ista sunt, ut ad superiorem, quam dixi, pertineant potius, quam hanc recentem theologorum fulciendam sententiam: ad quam nonnisi invita, et repugnantia detorquentur. Etenim sive « secundum magnitudinem cognosci non posse Deum, » Irenæus affirmat; « sive totum, quantus est, cogitatione capi[1] » negat Gregorius Nazianzenus[2]; sive ob infinitatem idem fieri non posse scribit Epiphanius[3]; sive denique aliud ejusdemmodi apud Patres occurrit; non ad hoc valet, ut ipsam cognitionis naturam, talem esse oportere statuant, uti comprehensio sit, utputa infinitam, et ipsam quoque substantiam; sed ut ad infinita, id est omnia, quæ in re sunt cognita, sese porrigat, et universa pervadat.

[Explicantur qui huic sententiæ favere videntur Patres.]

X. Nonnullæ tamen afferri possunt Patrum sententiæ, quibus novum illud scholarum dogma plausibilius adstrui videtur. Chrysostomus imprimis homilia v, *adversus Anomœos*, in qua περὶ ἀκαταλήπτου, id est *incomprehensibili* disputat, κατάληψιν, id est *comprehensionem* Dei talem esse demonstrat, quæ sit « accurata cognitio, et cujusmodi est ea, qua se Deus ipse cognoscit[a]. » Verum nihil de adæquatione cognitionis cum divina substantia secundum naturam et essentiam illic agitur; sed hoc unum requiritur, ut exacte complectatur omnia, quæ sunt in re cognita. Nam subinde probat, talem in Patre Filii, et in Filio Patris inesse notitiam, quam eorum, quæ sunt in alterutro, nihil prætereat[2]: « Novit, inquit, Filium Pater, et totam illius cognitionem habet; ac nihil ipsum latet eorum, quæ sunt in Filio. Sed perfecta est ista scientia[b]. » Quam quidem perfectionem ita definit, ut omnia, quæ in re sunt, perspecta habeat; ut ex sequentibus ibidem constat.

Marius quoque Victorinus in primo *adversus Arium*, scholasticorum illi dogmati clarius assentiri videtur. Nam de illis agens Christi verbis: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*[4], sic scribit[5]: « Quæ causa, solum Filium scire Patrem, aut Patrem ut cognoscat Filium, nisi quod nullus habet substantiam ejus? Omnia enim, quæ in claritudine, et in divinitate, in potentia, in ipsa actione, et cognoscunt Patrem, et colunt. Sed quoniam cognoscere, hoc est scire ipsius Dei, ipsum quod est ei esse, hoc est substantiam[c] ejus; idcirco nullus cognoscit Deum, nisi substantiam eamdem habens Filius, et habens ab ipso. » Ibi comprehensionem Dei cognitionis nomine Victorinus intelligit, qua cognitione Christus ait ab solo Patre Filium, et ab Filio percipi Patrem. Cujus causam reddit hanc, quod solus Filius eamdem cum Patre substantiam habet; quasi non aliter comprehendi Deus possit, quam si ejusdem qui cognoscit cum eo substantiæ sit. Quod sane verum est. Nam nemo omnia, quæ Deus potest facere, et quæ in ipso continentur, distincte, ac simul cognoscere potest, nisi Deus sit, ut idem sit illi cognoscere, quod esse. Sed ex eo non sequitur, comprehendere Deum, si proprie præciseque loquimur, in eo situm esse, ut si cognitio idem ac divinitas. Quod ex simili Victoriniani illius planeque germano Cyrilli loco patefiet, qui est in libro XXXI *Thesauri*. « Simplex, inquit, et non compositus Deus omnium confessione prædicabitur. Quare absurdum est dicere, talem ipsum sui notitiam habere, qualem nos habemus. Nam si ipse aliud quippiam est, alia vero ab ipso cognitio, quæ inest ei, compositus erit, non simplex. Quum autem sine ulla dubitatione sit simplex cognitio, quæ est in ipso, non est ab eo diversa. Nos autem aliter habemus. Nam proprie, ac seorsim secundum substantiam sumus; in substantia vero sitam habemus cognitionem, velut colorem in corpore. Non ergo eodem quo Deus modo cognoscemus aliquid, qui non similiter atque ille sumus. Verum ipse quidem tanquam istud ipsum mens omnium suprema contemplabitur, uti Deo dignum est, ea quæ sunt, et seipsum. Nos autem, qui mensuram nobis concessam excedere non possumus,

a Chrys. Ὅτι δὲ αὐτὸν ἀκριβῶς γινώσκει, καὶ οὕτως ὡς αὐτὸς ἑαυτόν.

b Chrys. ibid. Οἶδεν ἀκριβῶς τὸν υἱὸν ὁ πατὴρ, καὶ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν γνῶσιν ἔχει, καὶ οὐδὲν αὐτὸν λανθάνει τῶν κατὰ τὸν υἱόν· ἀλλ' ἀπηρτισμένη ἐστὶν ἡ εἴδησις.

c *Forte* Substantiæ.

1 Lib. IV, c. xxxvi. — 2 Or. xxxiv. — 3 Hær. lxx. — 4 *Matth.* xi, 27. — 5 Vict. lib. I, col. 189. Tom. IV *Biblioth. Patrum.*

tanquam in speculo, et ænigmate Deum incomprehensibilem videmus [a]. » Hoc loco Cyrillus cognitionem, qua Deus semetipsum resque cæteras intelligit, idem esse cum Dei substantia docet, indeque adversus Anomœos recte concludit, non esse notitiam nostram divinæ similem, quoniam Deus per semetipsum tam se, quam quæ sunt omnia cognoscit : nostra vero definita, et certo modo circumscripta cognitio est. Ubi perfectam cognitionem, sive comprehensionem tacite interpretatur eam esse, qua Deus tam seipsum, quam τὰ ὄντα, id est *entia* omnia cognoscit. Quod ipsum bene probatur inde, quod cognitio sit ipsa Dei substantia, quæ eminenti quadam rationi universa complectitur.

Non aliena est ab superioribus istis, et eodem intelligenda modo Gregorii Magni sententia. « Videbimus, inquit, Deum, si per cœlestem conversationem supra homines esse mereamur. Nec tamen ita videbimus, sicut videt ipse seipsum. Longe quippe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem. Nam quantum ad immensitatem Dei, quidam nobis modus fingitur contemplationis ; quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus [1]. »

XI. Postremo Fulgentius omnium clarissime totam quæstionem decidit, ostenditque, comprehensionem in eo positam esse, ut plene totius rei habeatur notitia ; idque diversum esse ab eo, ut sit idem notitia illa cum cognoscentis substantia. Nam in *Responsione ad tertiam quæstionem Ferrandi*, cum is sciscitatus esset, « Utrum anima Christi susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam ; et quemadmodum se invicem norunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ita idem Filius seipsum per id, quod homo est, in eo quod Deus noverit ex utraque atque in utraque substantia totum capiens Patrem : » Fulgentius primum difficilem esse quæstionem ait, eo quod considerata « creatoris creaturæque distinctio incomprehensibilem monstrat, atque inexplicabilem intellectui creaturæ magnitudinem creatoris. » Quæ cum dicit haud dubie indicat, Ferrandum de comprehensione Dei interrogasse, eamque vocasse « plenam notitiam, qua totus capitur Pater. » Hæc autem, si tricari nolumus, neutiquam illum cognitionis modum significant, quo nihil a cognoscentis substantia differt notitia, sed eum potius, quem nos defendimus ; ut tota cum in se, tum in iis, quæ potentia continet, substantia rei capiatur. Deinde quæstionem ipsam penitus absolvens asserit, « animæ Christi plenam totius divinitatis inesse notitiam ; » hoc est divinitatem comprehendere, quia non ad mensuram Spiritum accepit anima Christi. « Ac per hoc non solum ad divinitatem Christi, sed ad ejus quoque animam illa perfectionis prærogativa pertinet, quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus dicens, *In quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei* [2]. Si enim non ad mensuram accipit Spiritum sapientiæ et scientiæ, necesse est, ut omnes thesauros sapientiæ et scientiæ habeat. Quod si ei aliquid ejus plenitudinis demitur, consequens est, ut ad mensuram accepisse Spiritum prædicetur. Et quis est, cui non ad mensuram Deus Spiritum dederit, si eum ad mensuram Christus accepit? In quantum enim Spiritus datur, in tantum cognitio divinitatis accipitur ; ubi autem Spiritus est mensura, necesse, ut plena sit divinitatis immensa notitia. » Ac subinde : « Quod si anima Christi minorem habet in aliquo deitatis suæ notitiam, non in se habet totam sapientiam, totamque virtutem ; participium ergo habet, non ipsa est Christus, si partem habet notitiæ divinitatis suæ. » Atque hanc ipsam cognitionem mox appellat « altitudinem plenam sapientiæ et scientiæ Dei ; » cujusmodi sunt illa βάθη, id est *profunda Dei*, quæ *scrutari Spiritum* ait Apostolus, ut supra meminimus. Postremo, « Sicut ergo Christus, ait, homo singulariter habet, ut Deus verus sit,

a Cyr. lib. XXXI *Thes.* Ἁπλοῦς καὶ ἀσύνθετος ὢν ὁ θεὸς πρὸς ἁπάντων ὁμολογηθήσεται. οὐκοῦν ἄτοπον τὸ λέγειν τοιαύτην ἔχειν αὐτὸν περὶ ἑαυτοῦ τὴν γνῶσιν, ὁποίαν ἂν καὶ ἡμεῖς. εἰ γὰρ αὐτὸς ἕτερόν τι ἐστὶν, ἑτέρα δέ τις παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις, σύνθετος ἔσται, καὶ οὐχ ἁπλοῦς. ἐπειδὴ δὲ ἁπλοῦς ὁμολογουμένως, οὐχ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις, ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως. ἐσμὲν γὰρ κατ' οὐσίαν ἰδίως· ἐν δὲ τῇ οὐσίᾳ κειμένην ἔχομεν τὴν γνῶσιν, ὥσπερ χρῶμα ἐν σώματι. οὐκ ἄρα παραπλήσιον εἰσόμεθά τι τῷ θεῷ οἱ μὴ οὕτως ὄντες ὡς αὐτός· ἀλλ' αὐτὸς μὲν ὡς αὐτὸ δὴ τοῦτο νοῦς ὁ πάντων ἀνωτάτω, θεωρήσει θεοπρεπῶς τά τε ὄντα, καὶ ἑαυτόν. ἡμεῖς δὲ τὸ δοθὲν ἡμῖν μέτρον ὑπερβαίνειν οὐ δυνάμενοι, ὡς ἐν ἐσόπτρῳ καὶ αἰνίγματι τὸν ἀκατάληπτον ὁρῶμεν θεόν.

1 Lib. XVIII *Mor.* c. IV, in fine. — 2 *Col.* II, 3.

sic totam divinitatem suam singulariter novit. » Apparet in iis omnibus, Fulgentium eam Dei cognitionem describere, quam inquirimus, hoc est perfectam ac plenam, et cui comprehensionis appellatio tribuitur; et hanc ipsam tamen non esse talem affirmat, qualis est notitia, quam de se Deus habet, et quam solam recentiores theologi comprehensionem nominant. « Possumus plane dicere, inquit, animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ. Nescio tamen, utrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem noverit, quemadmodum se ipsa divinitas novit; an hoc potius dicendum est, quia novit quantum illa, sed non sicut illa? Ipsa enim deitas sic se novit, ut hoc se naturaliter inveniat esse, quod novit; anima autem illa sic totam deitatem suam novit, ut ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo illa ipsa est naturaliter notitia sua; anima vero illa ab ipsa deitate, quam plene novit, accepit ut noverit. Naturaliter ergo deitas Christi hoc est, quod novit; anima vero illa in eo, quod scit, deitatem suam, non hoc se invenit esse, quod novit. Non ergo quemadmodum se noverunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sic animæ suæ secundum divinitatem notus est Christus; quoniam quidem habet anima illa plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet unam cum Trinitate naturam. » Vel hic unus Fulgentii locus comprehensionis rationem adstruere potest, et ab nova opinione vindicare.

CAPUT V.

De clara et perspicua Dei cognitione, qua in cœlo beati fruuntur; ecquid essentiam illius videant. Veterum de ea re sententiæ, qui negasse videntur; ut Chrysostomus, cujus verba commoda interpretatione leniuntur; tum Gregorii, Nyssenus, et Nazianzenus; Cyrilli ambo, Hierosolymitanus et Alexandrinus, Dionysius, Cæsarius; qui omnes cum vero dogmate conciliantur, contra quam recentioribus theologis videtur.

I. Multum interesse inter hanc, de qua deinceps hoc capite disputabimus, claram Dei perceptionem, et perfectam comprehensionem superiore a nobis expositam, abunde puto constare; imprimisque ex ea similitudine, quam ex Epiphanio proposuimus, vastissimi, et immensum porrecti maris, quod sic oculi prospicientium aperte contuentur, ut totum, quantum est, nulla relicta parte, capere nequeant. Illud superest disceptandum, an, ut comprehendi Deus non possit, id est totus videri, et ex toto, perspicue saltem in æterna illa felicitate videatur. Cujus profecto, si antiquorum quorumdam suffragiis res agatur, anceps ac difficilis erit æstimatio, cum ipsum per sese dogma Ecclesiæ catholicæ judicio fixum hodie sit, et extra seriam controversiam positum : Nam sunt aliqui veterum Patrum, qui sic ea de re sunt locuti, ut longe aliter, ac communis habet Christianorum fides, aut senserint revera, aut justam posteris suspicionem contrarii dogmatis reliquerint. Quanquam non desunt, qui illorum dicta comiter interpretari, ac meliorem in partem flectere conantur; quod esse difficile ne ipsi quidem negant. Alii vero, plane ut præ se illorum verba ferunt, existimasse eos asserunt, Deum clare et perspicue, atque ut est in sese, et in substantia, vel essentia sua, non videri a beatis sive angelis, sive hominibus; sed eatenus, quod imbecillitas creatarum mentium capere potest : quemadmodum in antiqua lege, imo ante eam et ab origine prima rerum Patriarchæ, ac Prophetæ Deum etiam *facie ad faciem*, id est clarissime intuiti esse dicuntur, cum tamen illius essentiam non viderint : de quo postea.

Claram Dei cognitionem in cœlo negare videtur Chrysostomus.

II. Qui hoc disertissime omnium asseverasse videtur, primo loco ponendus est Chrysostomus, quem alii fere deinceps Græci nominis sunt secuti. Hic pluribus in locis idipsum confirmat; ut in *Commentariis ad Evangelium Joannis*, ejusque verba hæc : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*[1]. Quem ad locum adnotat, « Deum cujusmodi est in se non solum prophetæ, sed nec angeli viderunt, nec archangeli. Sed, si ipsos interroges, audies nihil tibi quidem de substantia ipsa respondentes, verum gloriam in excelsis tribuentes Deo, et in terra pacem, in hominibus bonam voluntatem, etc[a]. » Deinde : « Solus ipsum

[a] Chrys. Hom. xv *in Joan.* Ἐπεὶ αὐτὸ, ὅπερ ἐστὶν ὁ Θεὸς, οὐ μόνον προφῆται, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἄγγελοι εἶδον, οὔτε ἀρχάγγελοι. ἀλλ᾽ ἐὰν ἐρωτήσῃς αὐτοὺς, ἀκούσῃ περὶ μὲν τῆς οὐσίας οὐδὲν ἀποκρινομένους, δόξαν δὲ ἐν ὑψίστοις ἀναπέμποντας Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνην, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίαν, etc.

1 *Joan* I, 18

videt Filius, et Spiritus sanctus. Etenim natura creata omnis qui tandem increatum illum potest videre? Nam si qualiscumque virtutis corporis expertis, tametsi facta sit, claram contemplationem capere non possumus, idque sæpe in angelis ostensum est, multo magis illius ferre non poterimus, quæ et corpore caret, et est increata [a]. » Tum ista subtexit : « Quod autem videri ipse nequeat non solum ab hominibus, sed neque ab cœlestibus virtutibus, Paulus ostendit. Cum enim dixisset, *Manifestatum esse illum in carne*[1]; subjecit statim, visum esse angelis. Itaque angelis etiam ipsis tunc visus est, quando carnem induebat. Antea vero non sic illum videbant, quoniam ipsis etiam non erat aspectabilis substantia [b]. » Verum subinde objicit sibi, quod Christus dixit : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, *qui in cœlis est*[2]; ac respondet, non sequi, videri ab illis essentiam ipsam, sed perinde intelligendum illud, atque hoc, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[3]. Ubi intelligi ait, « mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est, et notionem Dei, quam habemus. Sic etiam in angelis accipiendum est, propter puram ipsorum ac vigilem naturam, nihil ipsos aliud, præterquam Deum, animo unquam videndum sibi proponere [c]. » Quo etiam pertinere illud ait, *Nemo novit Patrem nisi Filius*[4]. « Quorsum istud? inquit. An omnes in ignorantia versamur? Absit. Sed nimirum nemo novit, ut Filius. Quemadmodum ergo multi illum viderunt, pro eo ac videndi capaces erant, ejus vero essentiam nemo vidit illorum; sic multi Deum novimus, hujus autem essentiam nemo scit, hoc est quid tandem ea sit, præter illum solum, qui ab ipso genitus est. Nam cognitionem ibi vocat accuratam contemplationem, et comprehensionem, ac tantam, quantam Filii notitiam habet Pater [d]. »

III. Quibus verbis aperte satis indicat, Dei essentiam, et ipsum adeo, ut in se est, Deum ab nullo, præterquam a seipso videri, ac perspicue posse cognosci. Et quod præcipuum e Scripturis argumentum colligitur ad verum, et catholicum dogma tuendum, quod *Angeli faciem Patris vident*, id ille interpretatione sua detrahit, dum nihil aliud intelligi vult, nisi continuam, et nunquam interruptam de Deo cogitationem : quæ profecto sine claro ejus intuitu potest consistere. Sed alia porro ejusdem loca videamus.

In oratione tertia contra Anomœos *de Incomprehensibili*, Deum ejusmodi esse dicit, « quem nec investigare possunt angeli, nec scrutari archangeli, nec videre Seraphim, nec Cherubim percipere, nec videre principatus, et potestates, ac virtutes : uno verbo quem nulla creatura intueri potest; sed quem solus Filius, ac Spiritus sanctus cognoscunt [e] : » et mox, « ab nulla re facta et creata comprehendi posse, » id est ἀκατάληπτον esse docet [f]. Est autem κατάληψις, ut supra dictum est, *clara et perspicua cognitio*. Quanquam et pro illa sumitur cognitione Dei, quæ immensam ejus efficientiam exhaurit, ut superius ostendi. Sed quominus de hac interpretemur Chrysostomum, faciunt ea, quæ ibidem subjicit. Nam ne angelos quidem, ipsosque Seraphimos Dei naturam vidisse dicit, cum vel emicantem ex ejus solio splendorem ferre non possent.

a Chrys. Mox : Μόνος δὲ αὐτὸν ὁρᾷ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἡ γὰρ κτιστὴ φύσις ἅπασα πῶς καὶ ἰδεῖν δύναται τὸν ἄκτιστον; εἰ γὰρ ἁπλῶς τῆς ὁποιασοῦν ἀσωμάτου δυνάμεως, καί τοι γε γενητῆς οὔσης, οὐ δυνάμεθα δέξασθαι θεωρίαν σαφῆ, καὶ τοῦτο πολλάκις ἐπὶ τῶν ἀγγέλων ἐδείχθη· πολλῷ μᾶλλον τῆς καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀγεννήτου οὐσίας.

b Ibid. Ἐπεὶ ὅτι καὶ αὐτὸς ἀόρατος, οὐ μόνον ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄνω δυνάμεσι δείκνυσιν ὁ Παῦλος· εἰπὼν γὰρ ὅτι ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐπήγαγεν, ὅτι ὤφθη ἀγγέλοις. ὥστε καὶ τοῖς ἀγγέλοις τότε ὤφθη, ὅτε σάρκα περιεβάλετο. πρὸ τούτου δὲ οὐχ ἑώρων αὐτὸν οὕτως, ἐπειδὴ καὶ αὐτοῖς ἀόρατος ἡ οὐσία ἦν.

c Ibid. Τὴν κατὰ διάνοιαν ὄψιν φησὶ τὴν ἡμῖν δυνατὴν, καὶ τὴν ἔννοιαν τὴν περὶ θεοῦ. οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν ἀγγέλων ἐκληπτέον, ὅτι διὰ τὴν καθαρὰν αὐτῶν, καὶ ἄγρυπνον φύσιν, οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ' ἢ τὸν θεὸν, ἀεὶ φαντάζονται.

d Ibid. Τί οὖν; πάντες ἐν ἀγνοίᾳ ἐσμέν; μὴ γένοιτο. ἀλλ' οὕτως οὐδεὶς οἶδεν, ὡς ὁ υἱός. ὥσπερ οὖν εἶδον αὐτὸν πολλοὶ κατὰ τὴν ἐγχωροῦσαν αὐτοῖς ὄψιν, τὴν δὲ οὐσίαν οὐδεὶς ἐθεάσατο· οὕτως ἴσμεν πολλοὶ τὸν θεὸν, τὴν δὲ οὐσίαν οὐδεὶς οἶδεν ὅ, τί ποτέ ἐστιν, εἰ μὴ μόνος ὁ γεννηθεὶς ἐξ αὐτοῦ. γνῶσιν γὰρ ἐνταῦθα τὴν ἀκριβῆ λέγει θεωρίαν τε, καὶ κατάληψιν, καὶ τοσαύτην, ὅσην ὁ πατὴρ ἔχει περὶ τοῦ παιδός.

e Chrys. Τὸν ἀνεξιχνίαστον ἀγγέλοις, τὸν ἀνεξερεύνητον ἀρχαγγέλοις, τὸν ἀθέατον τοῖς σεραφὶμ, τὸν ἀκατανόητον τοῖς χερουβὶμ, ἀόρατον ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις, καὶ δυνάμεσι, καὶ ἁπλῶς πάσῃ τῇ κτίσει· ὑπὸ δὲ υἱοῦ, καὶ πνεύματος μόνου γνωριζόμενον.

f Ἀλαζονεία γὰρ οὐ τὸ λέγειν ὅτι τῆς τῶν γεννητῶν ἁπάντων καταλήψεως ἀνώτερός ἐστιν ὁ δημιουργός.

1. I *Tim* III, 16. — 2 *Matth.* XVIII, 10. — 3 *Matth.* V, 8. — 4 *Matth.* XXVII.

« Atqui, inquit, non merum ipsum lumen intuebantur, neque sinceram ipsam substantiam. Sed quædam Dei se demittentis accommodatio fuit id, quod videbatur. Quid est autem accommodatio sui? Quando, non ut est, Deus apparet, sed ut capere potest is, cui videndi fit facultas, ita seipsum exhibet, pro intuentium imbecillitate visionis ostensionem exhibens [a]. » Hanc autem fuisse συγκατάβασιν probat ex eo, quod in illa prophetica narratione multa dicuntur, quæ a Dei natura, et majestate aliena sunt; velut quod in throno sedens conspectus sit [1]. Itaque, « cum Propheta vidisse Dominum ait, non est suspicandum, illam ab eo visam esse substantiam, sed ipsam potius demissionem ejus, et accommodationem, et eam obscurius, quam cœlestes illæ virtutes aspicerent. Non enim tantum intueri possent, quantum Cherubimi [b]. » Videtur ergo Chrysostomus non putasse, divinam ipsam essentiam, et substantiam ab angelis clare, et ut in se est, videri, uti nec a prophetis. Cujusmodi enim κατάληψιν intelligat, quam prophetæ non sunt assecuti, in oratione quarta sic exponit, cum scribit, illos « accuratam non habuisse notitiam, neque quemquam explicatam, et articulatam habere cognitionem [c]. » Quam quidem notitiam mox cœlestibus illis virtutibus adimit. Has, inquam, ὅρασιν, id est γνῶσιν habuisse negat : « Quod enim nobis est, inquit, visio, id illis est cognitio [d]. » Sic in oratione V eadem illa copiosius inculcat; et quod Joannes dixit, *Deum nemo vidit unquam*, hoc non ad solos spectare homines contendit, sed etiam ad angelos, et virtutes cœlestes, ac naturam creatam universam. Idem Chrysostomus in *Catena Græca in Job*, « Deus, inquit, nulli creatæ naturæ aspectabilis [e]. »

Accommodationem.

Visionem id est cognitionem.

IV. Hunc in modum de intuitu Dei locutus est Chrysostomus, cujus, antequam ad alios transeam, disceptanda causa est, propter et auctoritatem illius, quæ summa merito ducitur, et quod sæpius idipsum cæteris, ac manifestius expressisse videtur. Triplex a piis, doctisque theologis tradita ratio est excusandi hujus, et ad verum, et catholicum dogma revocandi, quam Sixtus Senensis refert [2]. Prima, ut de corporis aspectu intelligamus talia ab illo esse dicta. Secunda, ut ad vitæ præsentis statum ista referantur, in qua Deum nemo perspicue potest intelligentia capere. Tertia, ut neminem dicat neque hic, neque in vita futura Deum tam perfecte nosse, quam seipsum ille cognoscit. Ex iis tribus interpretandi modis postremum duntaxat sanctus Thomas amplexus est in prima parte *Summæ theologicæ* [3], et in quartum librum *Sententiarum* [4]. Quod si comprehensionem illo vulgari ac translatitio in scholis sensu idem doctor intelligeret, de quo capite antecedente meminimus, non equidem interpretari sic ab eo Chrysostomum ferrem. Nam talis comprehensionis ratio nunquam Patribus antiquis, ac theologis venit in mentem; ac ne ipse quidem, quod plerique tamen asserunt, sanctus Thomas eam in illo, quem indicant, loco docere mihi videtur, articulo videlicet septimo quæstionis duodecimæ partis primæ, uti supra demonstratum esse confido. Itaque de isto genere comprehensionis non est locutus Chrysostomus, de quo nunquam cogitavit. Sed si comprehensionem sic accipimus, ut ex communi Patrum opinione definiendam esse constat ex antecedentibus; puto non incommode, imo probabiliter admodum ad illum sensum, quem sanctus Thomas præstituit, posse Chrysostomi dicta revocari. Ut autem sic judicem, facit eximius ille locus sancti Epiphanii, adductus supra ex hæresi LXX, ubi Deum ait et ὁρατὸν, id est *aspectabilem* esse, et simul ἀόρατον, id est *minime aspectabilem*. Ut si quis, inquit, mare se ex edita specula vidisse dicat, non mentiatur si quidem viderit; sed neque mentietur, qui cum vidisse negaverit. Vidit enim, et non vidit; quia totum non vidit, ac secundum di-

Quonammodo benigne interpretandus.

a Chrys. Καί τοι γε οὐκ αὐτὸ ἄκρατον ἑώρων τὸ φῶς, οὐδὲ αὐτὴν ἀκραιφνῆ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ συγκατάβασις ἦν τὰ ὁρώμενα. τί δέ ἐστι συγκατάβασις; ὅταν μὴ ὡς ἔστιν ὁ Θεὸς φαίνηται, ἀλλ' ὡς ὁ δυνάμενος αὐτὸ θεωρεῖν οἷός τέ ἐστιν, οὕτως ἑαυτὸν δεικνύῃ ἐπιμετρῶν τῇ τῶν ὁρώντων ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπίδειξιν.

b Idem : Ὥστε κἂν τοῦ προφήτου λέγοντος ἀκούσῃς· εἶδον τὸν κύριον, μὴ τοῦτο ὑποπτεύσῃς ὅτι τὴν οὐσίαν εἶδεν ἐκείνην, ἀλλ' αὐτὴν τὴν συγκατάβασιν, καὶ ταύτην δὲ ἀμυδρότερον, ἤπερ αἱ ἄνω δυνάμεις. τοιοῦτον γὰρ ἰδεῖν οὐκ ἂν ἴσχυσεν, ὅσον τὰ χερουβίμ.

c Id. Orat. IV. Ἵνα μάθῃς ὅτι τὴν ἀκριβῆ αὐτοῦ κατάληψιν, καὶ τὴν τετρανωμένην γνῶσιν οὐδεὶς ἔχει.

d Ibid. Ἀλλ' ὅπερ ἐφ' ἡμῶν ἐστιν ὅρασις, τοῦτο ἐπ' ἐκείνων γνῶσις.

e In *Cat. Græco-Lat.* Ὁ μὲν Θεὸς ἀόρατος πάσῃ γεννητῇ κτίσει.

1 *Isa.* VI. — 2 Lib. VI *Annotat.* 182. — 3 Artic. I, ad I. — 4 Dist. XLI, q. I, art. 9, ad I.

mensiones omnes, uti neque cœlum videmus e terra : multoque minus acie mentis intelligimus, quia neque totum, neque ex toto capimus. Quod in Deo multo magis valere debet, ad cujus infinitatem quantalibet nostra cognitio non est parva, sed nulla.

V. Et quoniam ex trito illo in scholis effato philosophorum, modus cognoscendi modum *exstandi*, vel, ut barbarissantes dicunt, *essendi* sequitur, eique quadam proportione respondet; quale sit, quod dixi, facile ex eo erit animadvertere. Deus enim sic a Dionysio, aliisque Patribus proprie esse dicitur ὁ ὢν, *qui est*, vel τὸ ὄν, id est *ens*, ut res cæteræ non esse censeantur, et esse *non entia;* quia quidquid cum Deo componitur sic est, quasi non sit. Quocirca si quis apud antiquos legat, creatas res non esse; vel illud Isaiæ : *Omnes gentes quasi non sint*, *sic sunt coram eo*, *et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei* [1]; et hujus similia multa; non is continuo bona fide, ac serio dici arbitretur ab Isaia, populos omnes nihil esse penitus, ac nullam exstantiam, aut substantiam habere, et esse non ens; sed nimirum comiter, ac prudenter dictum illud ac-
Relative. cipiet, uti non absolute, sed σχετικῶς intelligat : videlicet, si cum Deo illorum essentia, vis, potestas, scientia, ac reliqua, quæ sunt in eis, omnia conferantur. Ita enim nihil sunt; quoniam infinito ab illo intervallo distant. Ita ergo cognitio illa, qua Deum utcumque novimus, non solum hac in vita (de qua et Chrysostomum, et alios, qui sibi Anomœos debellandos sumpserant, magna ex parte locutos esse scimus), sed etiam qua fruuntur angeli, ac beati homines, etsi non sit nulla, sed aliqua, et in illa quoque felicitate pro modulo suo clara atque distincta, ut *visionis* nomen obtineat; eadem tamen si cum illa contendatur, qua vel semetipsum videt Deus, vel totus ipse comprehenditur, hoc est omnia, quæ in eo sunt, et ab eo fieri possunt, perfecte capiuntur, neque clara dici cognitio debet, nec omnino visio : ut hac ratione videri Deum ab creata intelligentia possit negari, quia sic videtur, quasi nullus videatur; hoc est nihil ipsa cognitio sit, tam ut res est aliqua, quam ut certa res est, nempe cognitio. Ad summam visio illa Dei, quam vel Angelis ipsis detrahit Chrysostomus, est plena, et ex toto perfecta Dei cognitio; cujusmodi et illa est, qua se Deus ipse cognoscit, et hæreticorum stolidissimi juxta et arrogantissimi Anomœi sibi sumpserant, nihil ut eorum, quæ Deus habet in substantia sua, vel virtute, et efficientia, videntem effugiat. Quamobrem velut idem significantia, συνώνυμα Chrysostomus ista *Synonym.*
ponit : ἀνεξιχνίαστον, ἀνεξερεύνητον, ἀθέατον, ἀκατανόητον, ἀόρατον : id est *impervestigabilem, inscrutabilem*, *invisibilem*, *imperceptibilem*, *non aspectabilem :* his enim vocabulis, opinor, uti licebit [2]. Itaque quod inter ejusdem sententias minus tractabile, et abhorrens magis ab nostra interpretatione videri potest, ad eumdem sensum accommodari debet : angelos hactenus non vidisse Dei Filium, donec homo factus in mundum veniret; hoc est non perfecte, integreque totum illum mente potuisse pervadere [3*].

Ita Gregorius Nyssenus « non esse dicit in *Benigne interpretantur.*
hominum natura vim ad accuratam perceptionem divinæ substantiæ. Ac fortasse parum est istud de sola vi humana pronuntiare. Verum etiam, si qui naturam corporis expertem inferiorem esse dicat, quam ut infinitam naturam capere, et complecti cognitione possit, non ille penitus aberrabit [a]. » Quare visionem ejusmodi potest existimari Chrysostomus angelis ademisse; non illam universe, absoluteque, quam catholicum, et hodie fixum, ac definitum dogma concedit. Sed alios, de quibus similis est controversia, deinceps videamus.

VI. Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesi* sexta, verba illa Joannis exponens, *Deum nemo vidit unquam* [4], necessariam quæstionem movet : quinam ergo scriptum sit, *Angelos videre faciem Patris qui in cœlis est?* Cui mox occurrit, « Videre angelos Deum, non sicut Deus est, sed quantum capere ipsi possunt [b], » et pro rata quemque portione; ut qui celsiore in gradu, et ordine censentur, perfectius vi-

a Greg. Nyss. lib. XIII *cont. Eun.* Οὐκ ἔστιν ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει δύναμις εἰς ἀκριβῆ κατανόησιν θεοῦ οὐσίας. τάχα δὲ μικρόν ἐστιν ἐπὶ μόνης ἀποφήνασθαι τοῦτο τῆς ἀνθρωπίνης δυνάμεως. ἀλλὰ καὶ τὴν ἀσώματον κτίσιν ἐλάττονά τις εἰπὼν, ἢ ὥστε χωρῆσαι, καὶ περιλαβεῖν τῇ γνώσει τὴν ἀόριστον φύσιν, οὐ τοῦ παντὸς ἁμαρτήσεται.

b Cyr. Hier. *Cat.* VI. Ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν βλέπουσι διὰ παντὸς τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς· ἀλλὰ βλέπουσιν οὐ καθώς ἐστιν ὁ Θεὸς, ἀλλὰ καθόσον καὶ αὐτοὶ χωροῦσιν.

* Confer Witassium quæst. I, artic. 3, sect. 2.

1 *Isa.* XL, 17. — 2 Orat. IV *cont. Anom.* — 3 Hom. XV in *Joan.* — 4 *Joan.* I, 18.

deant, quam minores alii. Idem in sequenti *Catechesi* : « Qui est ex Deo, ipse vidit Deum, inquit. Cujus faciem angeli semper vident in cœlis. Vident autem pro mensura quisque ordinis sui. Cæterum pura, et liquida Patris visio proprie Filio, ac Spiritui sancto reservatur [a]. » Hæc Cyrilli verba communem ad sensum et sententiam haud invita trahuntur ; ut hoc tantum significent, non plene, et ex toto videri ab angelis Dei substantiam : videri tamen, hoc est βλέπεσθαι, quod verbum de qualicumque cognitione non dicitur ; sed de clara, distincta, et quæ in mente animoque proportione quadam respondeat oculorum aspectui, quo res corporeas et coloratas discernunt.

Simile quiddam huic Cyrilli sententiæ Gregorius Nazianzenus tradidit oratione XXXIV. Ibi enim, postquam docuit « Deum animo comprehendere omnino impossibile esse : » mox quasi dubitando, « Atque haud scio, inquit, an hoc quoque sublimioribus illis, et intelligentibus naturis negatum sit ; quæ, quia Deo propius conjunctæ sunt, et toto illo splendore collustrantur, perspicuam fortasse notitiam habent, etsi non penitus, perfectiorem tamen expressioremque nostra, atque aliæ itidem aliis uberiorem, aut parciorem pro ratione ordinis cujusque [b]. » Hic videri potest, liquidam, et manifestam Dei visionem, quam hominibus utique præsenti in statu detrahit, ne angelis quidem concedere ; sed de illa perspicuum est eum agere, quam adversarii, contra quos agit, impudenter arrogabant sibi : hæc autem perfecta est, et omni ex parte cumulata, qualem sibi Anomœi sumebant, et cujusmodi Deus habet ipse, qualem ne in angelis quidem inesse non dubitat, tametsi dubitantis, ut sit, more istud enuntiet. Sed hic mos est oratorum, et μείωσις figura ista vocatur, cum leviore utimur verbo, quam pro rei merito, ac dignitate.

VII. Basilius itidem, quem de claro Dei intuitu haud satis recte existimasse putant aliqui, mihi non videtur ab eadem abhorrere interpretationis formula. Hic enim libro primo *contra Eunomium*, quem librum illius erroris suspicione perstringunt, « Non solum homines, ait, sed etiam ratione præditam naturam omnem arbitror superare comprehensionem illius. Ratione porro præditam dico naturam, quæ quidem creata sit. Nam soli Filio cognitus est Pater, nec non Spiritui sancto [c]. » Tum illa subtexit de Spiritu sancto, quem Apostolus *scrutari* ait *profunda Dei* [1]. Ex quibus evidens est de perfecta, et omnia pervadente notitia loqui Basilium. Velut etiam cum Dei substantiam ἀπερίοπτον esse dicit, hoc est « neutiquam esse circum aspectabilem, præterquam unigenito Filio, et Spiritui sancto [d]. »

Potest, ac debet eodem sensu Cyrillus Alexandrinus accipi, cum ita scribit, « nullam creatarum rerum intelligentiam divinam substantiam amplecti ullo modo posse, eo quod omnem superet mentem, et omnem intelligentiam excedat præstans illa, et incorrupta pulchritudo, ut a seipsa sola id, quod est, suapte natura cognoscatur [e]. » Cui annumerandus est et Cæsarius, qui « Deum secundum naturam ne a Cherubimis quidem conspici ait ; ac propterea prætentis pennis suis illos velare faciem suam, quod illam capere nequeant [f]. » Quæ sic interpretari licet, ut supra demonstravimus, ut de perfecto, et omnia comprehendente Dei contuitu loquan-

a Idem. *Cat.* VI. Ὁ γὰρ ὢν ἐκ τοῦ θεοῦ, αὐτὸς ἑώρακε τὸν θεόν· οὗ τὸ πρόσωπον οἱ ἄγγελοι διὰ παντὸς βλέπουσιν ἐν τοῖς οὐρανοῖς· βλέπουσι δὲ κατὰ τὸ μέτρον τῆς οἰκείας τάξεως ἕκαστος. τὸ δὲ ἀκραιφνὲς τῆς τοῦ πατρὸς θεωρίας εἰλικρινῶς υἱῷ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι τετήρηται.

b Naz. Orat. XXXIV. Τὸ δὲ τοσοῦτο πρᾶγμα τῇ διανοίᾳ περιλαβεῖν πάντως ἀδύνατον, καὶ ἀμήχανον.

Mox : Οὐκ οἶδα εἰ μὴ καὶ ταῖς ἀνωτέρω καὶ νοεραῖς φύσεσιν, αἳ διὰ τὸ πλησίον εἶναι θεοῦ, καὶ ὅλῳ τῷ φωτὶ καταλάμπεσθαι, τυχὸν ἂν καὶ τρανοῖντο, εἰ καὶ μὴ πάντῃ, ἀλλ' ἡμῶν γε τελεώτερόν τε, καὶ ἐκτυπώτερον· καὶ ἄλλων ἄλλαι πλεῖον, ἢ ἔλαττον, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς τάξεως.

c Basil. lib. I *cont. Eun.* Οἶμαι δὲ οὐκ ἀνθρώπους μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν λογικὴν φύσιν ὑπερβαίνειν αὐτῆς τὴν κατάληψιν, λογικὴν δὲ νῦν τὴν ἐν τῇ κτίσει λέγω. υἱῷ γὰρ μόνῳ γνωστὸς ὁ πατὴρ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

d Idem. Εἰκὸς αὐτὴν μὲν τὴν οὐσίαν ἀπερίοπτον εἶναι παντὶ, πλὴν ἢ τῷ μονογενεῖ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

e Cyril. Alex. XXXII *Thesaur.* Οὐ δυναμένης τῆς τῶν γενητῶν διανοίας περιδράττεσθαι τρόπον τινὰ τῆς θείας οὐσίας, διὰ τὸ πάντα ὑπερκεῖσθαι νοῦν, καὶ πᾶσαν διάνοιαν ἐξάλλεσθαι τὸ ὑπερφυὲς αὐτῆς καὶ ἀκήρατον κάλλος· ἥτις ὑπὸ μόνης ἑαυτῆς ὅπερ ἐστὶ κατὰ φύσιν γινώσκεται.

f Cæsar. Dial. III. Οὐδ' αὐτοῖς γὰρ κατὰ φύσιν ὁρᾶται τοῖς χερουβὶμ τῇ προβολῇ τῶν πτερύγων σκιαζομένων τὴν ὄψιν διὰ τὸ ἀχώρητον αὐτῆς.

1 I *Cor.* II.

tur. At Dionysius, dum in quarto capite libri *de Cœlesti Hierarchia* scribit, « ipsum Dei secretum quid sit tandem neminem vidisse, neque porro esse visurum [a], » tum eodem modo intelligendus est, tum ut de conspectu illo Dei loquatur, quem inclusi corporibus homines assequuntur. Nam de Prophetis ac Patriarchis ibi sermonem habet, quibus identidem Deus apparuit; atque ita Maximus martyr exponit. Sic, cum idem initio libri *de Divinis nominibus* « supersubstantialem infinitatem mentibus omnibus superiorem esse [b] » dicit, de naturali, et propriis viribus comparata notitia Dei interpretandus est. Priore itidem sensu Cyrillus Alex. explicari potest in primo *Commentariorum in Joannem;* ubi « naturali Filio soli aspectabilem esse Patrem asserit, et ita ut conjicere aliquis possit, pro eo atque dignum est Deo, divinam videre, viderique substantiam [c]. » Hæc enim de perfecta, et cum divina infinitate paria faciente notitia possumus exponere.

Gregorius porro Nyssenus oratione VI, *de Beatitudinibus*, Dei quidem naturam ipsam per se, cujusmodi est, videri non posse sentit, « et omnem comprehendendi solertiam effugere, quippe conjecturalibus omnibus notitiis inaccessam esse [d]. » Sed de ea cognitione loquitur, quam in præsente vita consequuntur homines; atque ita Christi verba illa declarat, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [1], ut dupliciter bono illo perfruamur : videlicet ex operibus, et effectis Deum considerantes et videntes, et eumdem intra nos habentes; quemadmodum Christus ostendit his verbis, *Regnum Dei intra vos est* [2]. Itaque non de statu illo futuræ beatitudinis agit, et visione, qua *facie ad faciem* videbimus Deum *sicuti est;* verum de fructu illo puræ mentis, qui in hac vita repræsentatur. Atque hunc in modum conciliare studet diversa illa, et in speciem contraria loca Scripturæ, quorum alia videri Deum, ut est in sese prædicant, alia videri omnino posse negant. Hucusque Græcos illos Patres enumeravimus, quos etsi ad contrarii decreti patrocinium advocare nonnulli solent, possunt tamen cum vero, et catholico dogmate conciliari. Nunc alios adjungam, quorum verba difficile sit ad eamdem sententiam inflectere, nisi obtorto quodammodo collo, vique iis illata, et invita rapiantur; quod ut ab officio probi ac prudentis theologi, sic a meis moribus et institutis alienissimum est.

CAPUT VI.

Proponuntur aliorum testimonia Patrum, quæ diserte, ne ab angelis quidem, ac beatis hominibus clare videri Deum adstruant. Quorumdam tamen explicata, et ad veram sententiam accommodata, ut Hieronymi et Ambrosii.

I. Primus eorum, qui Dei naturam perspicue, ac per se non videri diserte significant, Titus Bostrensis in medium veniet. Is in libro primo *contra Manichæos*, hoc eorum delirium refellens, materiam adamasse potestatem quamdam a Deo missam, cum in boni cognitionem repente venisset, qua hactenus carebat, « Nonne, inquit, amentia est putare, eam quæ in se non habet, unde cognoscat esse bonum, potuisse videre, et postquam vidit, desiderasse? Longe enim majus est, substantiam aspectu videre, quam cognoscere esse. Primum non solum nos, sed potestates angelicæ excellentiores, esse quidem bonum cognoscimus, ac cognitione sola ad pietatem in Deum alimur, tanto vero excellentius angeli, quanto natura sunt excellentiores. Videre autem substantiam Dei neque nobis, nec illis licet. Siquidem nos, quamdiu corpus secundum naturam induti sumus, nec angelos ipsos videre possumus. Manifestum enim est, et plane confessum, qui videt, simile sibi videre [3]. » Quod effatum de ea similitudine mox interpretatur, quæ est secundum genus; velut est corpus, et coloratum. Ex quo intelligitur, corporis expertes ab eo poni angelos, ut propterea corporati nos hac in vita illos videre

a DION. IV *de Cœlest. Hierarch.* Ὡς αὐτὸ μὲν ὅ, τί ποτέ ἐστι τὸ τοῦ Θεοῦ κρύφιον οὐδεὶς ἑώρακεν, οὐδὲ ὄψεται.

b DION. Ὑπέρκειται τῶν οὐσιῶν ἡ ὑπερούσιος ἀοριστία.

c CYR. I *in Joan.*, cap. X. Μόνῳ γὰρ υἱῷ τῷ κατὰ φύσιν ὁρατὸς ὁ πατὴρ, καὶ οὕτως, ὡς ἄν τις εἰκάσαι θεοπρεπῶς τὴν θείαν ὁρᾷν, καὶ ὁρᾶσθαι φύσιν· ἑτέρῳ δὲ ὄντων οὐδενί.

d GREG. NYSSEN. Ἡ θεία φύσις αὐτὴ καθ' αὑτὴν ὅ, τί ποτε κατ' οὐσίαν ἐστὶ, πάσης ὑπέρκειται καταληπτικῆς ἐπινοίας ἀπρόσιτος, καὶ ἀπροσπέλαστος οὖσα ταῖς στοχαστικαῖς ἐπινοίαις.

1 *Matth.* IV. — 2 *Luc.* XVII. — 3 Tom. IV *Biblioth. Patrum.*

nequeamus. Cum autem ne ipsos quidem angelos videre Deum asseveret, manifestum est non de corporeo quodam illorum intuitu loqui Titum, sed de clara et perspicua intelligentia, quæ visio dici mereatur, cui eadem, quam de nobis assumpsit, argumentatio suffragatur; ob id non intueri angelos Deum, quia sunt ita dissimiles ejus, ut in nullo genere conveniant.

II. Theodoretus in dialogo primo, qui Ἄτρεπτος inscribitur, Deum in natura sua ne ab angelis quidem videri posse scribit; visum autem tunc ab iis esse, cum carnem induit, et homo est factus: « Quinam ergo poterat sine corpore videri natura sub visum non cadens? Nonne recordaris illorum Apostoli verborum, quæ perspicue docent divinam non esse naturam aspectabilem? Sic autem dicit: *Quem nemo vidit hominum, neque videre potest* [1]. Quamobrem, si impossibilis est hominibus, imo etiam angelis dixerim, divinæ naturæ contuitus, dic, sodes, quomodo visus est terris, qui videri cernique non potest [a]? » Quod subinde ex altero ejusdem apostoli loco declarat, in quo scribit: *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, apparuit angelis* [2], et cætera, quomodo in Græco legitur; nam aliter Latine sonant. Quibus ista nectit: « Manifestum est igitur, videri non posse divinam naturam; esse autem aspectabilem carnem, perque hanc aspectabilem, illam quæ minime est aspectabilis, esse conspectam [b]. » Ac paucis interjectis: « Consentanee ergo, inquit, divinus Apostolus dixit, *Deus manifestatus est in carne*. Per illam enim minime aspectabilis est visa natura; per illam et angelorum turmæ istam viderunt; *Visus est enim*, ait, *angelis*. Itaque nobiscum beneficio isto corporis etiam expertium natura potita est [c]. » Cum autem ex adverso hæreticum induxisset objicientem illud sibi, *Angelos parvulorum semper videre faciem Patris* [3]; respondet, non ipsam Dei naturam aspicere, sed eodem videre modo, quo Moses Dominum vidisse *facie ad faciem* [4] dicitur. Nam nec ille, nec prophetæ cæteri Dei essentiam viderunt, quæ videri ab hominibus non potest; « sed visiones quasdam ad eorum vim captumque temperatas [d], etc. Sic igitur et de angelis intelligamus, cum audimus, eos quotidie videre faciem Patris nostri. Non enim divinam substantiam vident, quæ neque circumscribi potest, neque comprehendi, neque cogitatione sepiri; et universa complectitur, sed gloriam quamdam ad illorum naturam temperatam [e]. » Porro ubi carnem suscepit, etiam ab angelis ipsis ait videri cœpisse [f], Apostoli verbis illis inductus, *Visus est angelis*. Ad quæ Theodoretus idem hæc adnotat: « Quippe invisibilem divinitatis naturam ne illi quidem videbant; itaque incarnatum viderunt [g] *. » Ita etiam Œcumenius, qui testem hujus citat Clementem Alexandrinum in septimo *Hypotyposeon*. Iisdem quoque, quibus Œcumenius, verbis utitur Theophylactus. « O mysterium! aiunt ambo, nobiscum angeli Christum viderunt, quem antea non videbant [h]. »

III. Theodorus item Mopsuestenus non solum in eadem est opinione, sed insuper Deum ait initio sine ulla voce, quæ audiri posset, cœlum ac terram creasse; quod non-

a Theod. Dial. I. Ποῦ τοίνυν οἷόν τε ἦν ὀφθῆναι δίχα σώματος τὴν ἀόρατον φύσιν; ἢ οὐ μέμνησαι τῶν Ἀποστολικῶν ἐκείνων ῥητῶν, ἃ διδάσκει σαφῶς τῆς θείας φύσεως τὸ ἀθέατον; λέγει δὲ οὕτως· ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὔτε ἰδεῖν δύναται. εἰ τοίνυν ἀδύνατος ἀνθρώποις· ἐγὼ δέ φημι καὶ ἀγγέλοις· ἡ τῆς θείας φύσεως θεωρία· εἰπὲ πῶς ἐπὶ τῆς γῆς ὁ ἀθέατος καὶ ἀόρατος ὤφθη.

b Ibid. Δῆλον τοίνυν, ὡς ἀόρατος μὲν ἡ θεία φύσις, ὁρατὴ δὲ ἡ σὰρξ, καὶ διὰ τῆς ὁρατῆς ἡ ἀόρατος ὤφθη.

c Theod. ibid. Ἁρμοδίως τοίνυν ὁ θεῖος Ἀπόστολος εἶπε· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. δι' ἐκείνης γὰρ ἡ ἀθέατος ἐπεφάνη φύσις· δι' ἐκείνης αὐτὴν εἶδον καὶ τῶν ἀγγέλων οἱ δῆμοι· ὤφθη γὰρ, φησὶν, ἀγγέλοις. μεθ' ἡμῶν οὖν ἄρα τῆς δωρεᾶς ταύτης καὶ τῶν ἀσωμάτων ἡ φύσις ἀπέλαυσεν.

d Ibid. Οὐ τὴν θείαν φύσιν, ἀλλὰ ὄψεις τινὰς τῇ σφῶν δυνάμει συμμέτρους.

e Ibid. Οὕτω τοίνυν καὶ περὶ τῶν ἀγγέλων νοήσωμεν ἀκούοντες, ὅτι καθ' ἡμέραν ὁρῶσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς ἡμῶν. οὐ γὰρ τὴν θείαν οὐσίαν ὁρῶσι, τὴν ἀπερίγραπτον, τὴν ἀκατάληπτον, τὴν ἀπερινόητον, τὴν περιληπτικὴν τῶν ὅλων· ἀλλὰ δόξαν τινὰ τῇ αὐτῶν φύσει συμμετρουμένην.

f Ibid. Μετὰ μέν τοι τὴν ἐνανθρώπησιν ὤφθη καὶ τοῖς ἀγγέλοις κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον· οὐχ ὁμοιώματι δόξης, ἀλλ' ἀληθεῖ, καὶ ζῶντι χρησάμενος οἷόν τινι παραπετάσματι τῷ τῆς σαρκὸς προκαλύμματι.

g Id. in I *Tim.* III, 16. Τὴν γὰρ ἀόρατον τῆς θεότητος φύσιν, οὐδὲ ἐκεῖνοι ἑώρων, σαρκωθέντα δὲ ἐθεάσαντο.

h Œcum. et Theoph. Ὦ μυστήριον· μεθ' ἡμῶν εἶδον οἱ ἄγγελοι τὸν χριστὸν, πρότερον οὐχ ὁρῶντες.

* Witassius quæst. XI, artic. 2, sect. 2, Theodoreti sententiam multis conatur delinire. Eam videsis.

1 I. *Tim.* VI, 16. — 2 I. *Tim.* III, 16. — 3 *Matth.* XVIII, 10. — 4 *Exod.* XXXIII, 11.

dum existerent qui loquentem audirent. « Postquam autem producti sunt, qui opificem ex voce deberent agnoscere, cujus invisibilis est substantia, tunc præcedebat vox, prout Deo visum est; opus autem vocem est secutum [a]. » Quod Theodori dictum Philoponus irridet.

At Basilius Seleuciensis oratione prima eamdem illam Theodori sententiam approbat, et iis verbis exprimit : « Nam quia infinitæ angelorum multitudines quæ fiebant intuebantur; factorem autem videre non poterant; (si quidem divinæ naturæ proprietas illa, ut invisibilis sit, ipsos etiam angelicos oculos excedit) merito nunc vocem assumit, quæ ad sensum, et admirationem ejus, quod fiebat, angelorum *cœtus excitaret* [b]. »

Anastasius vero Sinaita [1] libro primo in *Hexaemeron* scribit, homines quem in essentia non videbant, nec videre possunt angeli, prius in carne vidisse. « Homines, inquit, angelis Deum ostenderunt, quem prius non videbant. Miracula incomprehensibilia! Deum suum hymnis celebrabant, et non videbant quem celebrabant. Ferebant eum, qui vehebatur, Throni, et non videbant, quem ferebant. Adorabant, et glorificabant assidue, et citra silentium, sex alas, et multos oculos habentia, et non animadvertebant quem ornabant laudibus. Flexis itaque genibus cupiebant, sitiebant, orabant, supplices postulabant videre eum, qui non videtur, aspicere eum, qui non cadit sub aspectum, aut etiam solum tanquam in speculo et ænigmate in eum oculos defigere, et non poterant; propterea quod ad divinam essentiam appropinquari non potest, neque ea potest comprehendi. »

Non minus expressa ista sunt ejusdem Anastasii in libro, qui Ὁδηγὸς inscribitur, capite octavo : ubi πρόσωπον et φύσιν differre probat ex illo ipso loco Matthæi, *Angeli eorum semper vident* πρόσωπον, id est *faciem* (sed pro persona sumpsit) *Patris mei*. « Quod si, inquit, idem est φύσις et πρόσωπον, converso sermone dico : Angeli eorum semper vident naturam Patris mei qui in cœlis est. Atqui impossibile est hoc, et fieri omnino non potest; quemadmodum Deus Verbum nos docet ita loquens : *Deum nemo vidit unquam : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Porro cum dixit, nemo Deum vidit, non de hominibus solum hoc dixit, sed etiam de angelis. De cætero explicet Acephalus, qui tandem πρόσωπον Patris videntes angeli naturam non vident, si idem est, ut vos dicitis, natura, quod πρόσωπον [c]. » Qui locus Anastasii profecto mirificus est, et in Græco προσώπου nomine ambigue conflictatur. Nam πρόσωπον, qua differt a φύσει, *personam* significat; at in illo Matthæi loco, *faciem*. Non potest autem videri persona, quin natura videatur. Sed apparet inde, quid Anastasius de clara et perspicua Dei visione senserit; quam quidem cum ipsis angelis detrahat, multo minus hominibus concesserit.

IV. Auctor præterea homiliæ *De sanctissima Deipara*, quæ Athanasii nomen præfert, divinam ipsam, ut in se est, essentiam ne ab homine quidem Christo videri putat. Nam illa angeli verba ad beatam Virginem, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* [2], declarans, « Ut inde formata, inquit, videre posset, quatenus poterat videre, qui in ejus utero gestabatur, specie carentem Deum. Non enim existimandum est, secundum simplicem naturæ proprietatem, potuisse Virginem videre Deum illum, qui in ipsa habitaverat. Hoc enim ne ipsa quidem animata, rationalis, et intelligens

a Theod. Mops. apud Joan. Philop. lib. I *de Mundi creat.*, cap. xxii. Ὅτε γὰρ ἦν λοιπὸν τὰ τὸν δημιουργὸν ὀφείλοντα μαθεῖν διὰ τῆς φωνῆς, ἀόρατον ὄντα τὴν οὐσίαν, τότε προηγεῖτο μὲν ἡ φωνὴ κατὰ τὸ δοκοῦν τῷ Θεῷ, εἵπετο δὲ τῇ φωνῇ τὸ ἔργον.

b Basil. Seleuc. Ἐπειδὴ γὰρ ἄρτι πλασθεῖσαι τῶν ἀγγέλων αἱ μυριάδες ἑώρων μὲν τὰ γινόμενα, τὸν δὲ ποιοῦντα βλέπειν οὐκ ἴσχυον· ὑπερβαίνει γὰρ καὶ ἀγγέλων ὀφθαλμοὺς τὸ τῆς θείας οὐσίας ἀθέατον· εἰκότως νῦν προσλαμβάνει φωνὴν πρὸς αἴσθησιν, καὶ θαῦμα τοῦ γινομένου κινοῦσαν τῶν ἀγγέλων τοὺς δήμους.

c Anast. in Ὁδηγῷ. Εἰ δὲ ταὐτὸν φύσις καὶ πρόσωπον, ἀντιστρέφω τὴν φωνὴν, καὶ λέγω, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν διὰ παντὸς βλέπουσι τὴν φύσιν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἀλλὰ μὴν ἀδύνατον τοῦτο, καὶ παντελῶς ἀμήχανον, καθὼς αὐτὸς ὁ Θεὸς λόγος διδάσκει ἡμᾶς λέγων· ὅτι τὸν Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ὁ μονογενὴς ὁ υἱὸς ὁ ὢν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. εἰπὼν δὲ ὅτι οὐδεὶς Θεὸν ἑώρακεν, οὐ περὶ ἀνθρώπων μόνον τοῦτο εἴρηκεν, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν ἀγγέλων. Λοιπὸν λεγέτω ὁ Ἀκέφαλος πῶς τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς οἱ ἄγγελοι βλέποντες τὴν φύσιν οὐ βλέπουσιν, εἰ ἄρα ταὐτόν ἐστι, καθὰ φάσκετε, ἡ φύσις, καὶ τὸ πρόσωπον.

1 Tom. I *Biblioth. Patrum*. — 2 *Luc*. I.

incarnatio intueri poterat[a]. » Hæc si sola dixisset, recte ad eum sensum accommodari possent, ut neque beata Virgo, neque Christi anima per se, et si solam utriusque naturæ conditionem spectes, Deum posse videre dicantur. Sed aliorsum hæc trahenda, quæ mox subjecit, ostendunt, « Ut enim, ait, nos animam habentes in carne nostra incolentem, non ut est in se anima, sic eam cernere possumus; sed tantummodo velut umbras illius, et figuras ex ejus facultatibus, et operationibus expressas. Ita Virgo, et rationalis ipsa, et intelligens anima (nempe, ut apparet, Christi) videre poterat. Sed et nunc potest, ex facultatibus, et operationibus, quæ ipsi communicantur[b]. » Manifestum est, his in verbis doceri, animam Christi divinitatem ipsam non aliter videre modo, quam ex effectis, quæ in illam ab ea derivantur : quam cognitionem nostri in scholis *abstractivam* nominant. Sed homiliæ istius nulla prorsus est auctoritas, quam Athanasii non esse certo constat. Eadem quoque demonstrare videtur auctor *Dialogorum de sancta Trinitate,* qui inter Athanasii spuria leguntur, dum ait divinas personas « sub humana specie veteribus apparuisse; quoniam id quod natura Deus est, nullus neque vidit, neque videre potest[c]. »

V. Inter Origenis errata commemorari et istud solet : « Deum Patrem per naturam invisibilem, etiam a Filio non videri. » Quod ex
De principiis. libro περὶ ἀρχῶν primo refert Hieronymus in epistola LIX *ad Avitum,* et Epiphanius uberius idipsum declarans, «Principio, inquit, eo temeritatis progressus est, ut asserat, unigenitum Filium non posse videre Patrem; sed neque Spiritum posse Filium intueri, neque porro angelos Spiritum : neque homines angelos[d].» Credo in germanis, et ab Origene ipso editis exemplaribus ita scriptum fuisse, ut sine ambiguitate doceret, Patrem a Filio non videri mentis videlicet aspectu, non oculi; uti nec Filium a Spiritu, neque hunc ab angelis, quorum natura suspicionem corporeæ visionis excludit. At in hodiernis codicibus, quos Rufini flagitio depravatos habemus, aliter iste locus ab eodem incrustatus legitur. Nam in capite primo inter visum et cognitionem animi distinguit, ac naturam Dei prorsus invisibilem esse defendit, adeo ut ne ab Filio quidem videatur. « Aliud est, inquit, videre, aliud est cognoscere. Videri et videre corporum res est; cognosci et cognoscere, intellectualis naturæ est. Quidquid ergo proprium corporum est, hoc nec de Patre est, nec de Filio sentiendum, etc. » Tum allatis Christi verbis istis : *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius*[1], ista subtexit : « Ex quo manifeste indicatur, quod quidquid inter naturas corporeas videri et videre dicitur, hoc inter Patrem et Filium cognoscere dicitur, et cognosci per virtutem scientiæ, non per visibilitatis fragilitatem. Quia igitur de incorporea natura, et invisibili nec videre proprie dicitur, nec videri; idcirco neque Pater a Filio, neque Filius a Patre videri in Evangelio dicitur, sed cognosci. » Hæc si sincera forent, extra culpam esset Origenes. Nam videri corporis oculis ne ab homine quidem Christo divinitatem certissimum est, de quo supra. Sed ex iis, quæ in primo hujus operis libro de Origene diximus, magis Hieronymo, et Epiphanio, ut de cæteris taceam, credendum est, qui incorrupta et germana illius exemplaria præ oculis habebant, quam Rufino depravatori, aut recentioribus viris alioqui doctis, qui isto minime locuplete, et idoneo teste freti, benignius, quam solidius de Origene statuunt; ac tantorum Patrum, imo Ecclesiæ totius auctoritatem, ac fidem elevant.

Œcumenius in *Commentariis ad epistolam primam Joannis*, ejusque verba illa : *Similes ei erimus*, *quia videbimus eum sicuti est*, Deum

a ATHAN. Ἵνα ἔνθεν τυπουμένη ἰδεῖν δύνηται, καθόσον δύναται ἰδεῖν τὸν ἐν αὐτῇ κυοφορούμενον ἀνείδεον θεόν. μὴ γὰρ ὑποληπτέον ὅτι καθ' ἁπλῆν τῆς φύσεως ἰδιότητα ἰδεῖν ἠδύνατο τὸν ἐν αὐτῇ ἐνσκηνώσαντα θεὸν ἡ παρθένος. τοῦτο γὰρ οὔτε αὐτὴ ἡ ἔμψυχος λογική τε καὶ νοερὰ σάρκωσις ἰδεῖν ἠδύνατο.

b Ibid. Καὶ ὥσπερ ἡμεῖς αὐτοὶ ψυχὴν ἐνσκηνοῦσαν ἐν τῇ σαρκὶ ἡμῶν ἔχοντες, οὐχ ὡς ἔστιν ἡ ψυχὴ, ἰδεῖν αὐτὴν δυνάμεθα· ἀλλ' οἷον σκιὰς αὐτῆς, καὶ τύπους ἀπὸ τῶν δυνάμεων αὐτῆς, καὶ ἐνεργειῶν· τοιοῦτον ἥ τε παρθένος, καὶ αὐτὴ ἡ λογικὴ, καὶ νοερὰ ψυχὴ ἰδεῖν ἠδύνατο, καὶ νῦν δὲ δύναται, ἐκ τῶν ἐνδιδομένων αὐτῇ δυνάμεων, καὶ ἐνεργειῶν.

c Tom. II ATHAN. Dial. III. Διὰ γὰρ τοῦτο ὡς ἄνδρες ὤφθησαν, ἐπειδὴ ὅ ἐστι τῇ φύσει, οὐδεὶς οὔτε εἶδεν, οὔτε ἰδεῖν δύναται.

d EPIPH. *Hær.* LXIV, num. 4. Φάσκει γὰρ οὗτος τολμήσας δῆθεν κατὰ τὴν ἀρχὴν λέγειν· πρῶτον μὲν ὅτι υἱὸς ὁ μονογενὴς ὁρᾷν τὸν πατέρα οὐ δύναται· ἀλλ' οὔτε τὸ πνεῦμα τὸν υἱὸν δύναται θεάσασθαι· οὔτε μὴν ἄγγελοι τὸ πνεῦμα· οὔτε οἱ ἄνθρωποι τοὺς ἀγγέλους.

1 *Matth.* XI.

clare, ac secundum naturam videri non posse declarat hæc adnotans : « Videbimus ipsum sicut est, non secundum naturam utique (id enim naturæ creatæ impossibile est); sed quid? Justum justi, et castum casti videbimus. Nam ad similem adhærebunt similes[a]. » Sed hæc Joannis interpretatio cavillatoria est. Quamobrem inter eos annumerandus venit Origenes, qui Dei naturam nulla posse intelligentia percipi putarunt. Quod eo improbius, quam reliqui, defendit, quod ne ab ipso quidem Filio, vel Spiritu sancto videri, id est clare, ac perspicue, et ut in se est, cognosci docuit. De quo illius errore diximus in primo *de Trinitate* libro. Sed de Græcis hactenus Patribus satis multa. Nam, si qui sunt alii, ii sententias illorum, ac verba etiam usurpare fere solent, præsertim vero Chrysostomi.

VI. Nunc Latinos quosdam percenseamus, quos recentiores theologi deteriorem in partem citra ullam controversiam trahunt; cum sint tamen nonnullorum ambigua dicta, ut eodem modo, quæ Græci illi superius citati, credi possint talia scripsisse.

Primum Hieronymus ab illis notatur[1]; qui in *Commentariis ad primum Isaiæ caput*, hæc habet, quæ et ab Augustino referuntur[2] : « Homo igitur Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus, et potuerimus cum Apostolo dicere : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, quasi a Domini spiritu.* Licet faciem Domini juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura; tamen tunc mente cernitur, quando invisibilis creditur[b]. » Ob hæc postrema putant, funditus denegari ab Hieronymo etiam angelis ipsis, ac beatis adeo cæteris claram divinæ naturæ perceptionem. Quod nihil tamen est necesse. Certe Augustinus aliud concludit iisdem ex verbis : « In his, inquit, verbis hominis Dei multa consideranda sunt. Primum, quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit, tunc nos visuros faciem Dei, cum in angelos profecerimus : quod erit utique in resurrectione mortuorum. » Quamobrem manifeste Deum ab angelis, et ad horum similitudinem evectis hominibus conspici non dubitavit Hieronymus, ut ejus mentem declarat Augustinus. Quod autem « juxta naturæ suæ proprietatem ab nulla videri creatura » dixit, eo sensu intelligendum est, quem supra posui; nimirum ut plene atque ex toto videri nequeat, neque cum infinitate illius adæquari possit intelligentiæ nostræ cognitio.

Nec aliter exponenda sunt, quæ ex eodem Hieronymo commemorat Augustinus : « Videre Deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest; non solum homo, nec angeli, nec throni, nec potestates, nec dominationes, nec omne nomen, quod nominatur. Neque enim creatura potest aspicere creatorem suum. » Quæ quidem Augustinus sic attulit, ut de corporis aspectu ea putet ab Hieronymo esse scripta; nimirum quod etiam angelos corporatos esse crederet. Quod tamen et Hieronymum sensisse non probat. Itaque verisimilius est non de solo visu corporis, sed de mentis etiam obtutu Hieronymum ista dixisse, et aspectum talem significasse, quo et Dei substantia, et quæ in ea continentur, perspicue ac penitus videntur : quam esse comprehensionem illam soli de se concessam Deo supra demonstravimus, non alteram illam, ut in scholis detritam, sic antiquis ignotam theologis. Poterat autem Augustinus, qui corporis oculo Deum non videri ex Hieronymo studebat ostendere, disertiore ejus uti testimonio, quod est in *Commentario ad sextum caput Isaiæ;* ubi quærenti, « quomodo Propheta Dominum vidisse se dicat, cum evangelista Joannes dixerit, *Deum nemo vidit unquam;* » respondet, « Non solum Patris divinitatem, sed ne Filii quidem, et Spiritus sancti, quia una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis, » etc. Ac demum concludit sic : « Ergo Deus natura non cernitur, (nempe corporis aspectu), sed videtur hominibus, ut voluerit, » velut prophetis et patriarchis, de quibus sermo illic est.

VII. Ambrosius item fautor ejusdem opinionis ab nuperis theologis laudari solet,

a OEcum. in I *Joan* iii. 2. Ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστιν, οὐ κατὰ τὴν φύσιν δηλονότι· τοῦτο γὰρ ἀμήχανον γενητῇ φύσει· ἀλλὰ τί; δίκαιον δίκαιοι, ἁγνὸν ἁγνοί. τῷ γὰρ ὁμοίῳ προσφύσονται καὶ οἱ ὅμοιοι.

b Aug. legit : *Et tunc mente cernatur.*

1 Ad ver. 10. — 2 Epist. cxi.

tanquam is Deum ne ab angelis quidem videri scripserit. Sane in *Commentariis ad Lucam* sic ille loquitur : « Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cœlestibus virtutibus, et potentatibus legerimus, quia Deum nemo vidit unquam?» Verum subinde cujusmodi visionem intelligat ostendit. «Ideo, inquit, Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.» Non ergo videri mente, id est clare perspici, negat simpliciter Deum; sed ita videri, ut tota ipsa plenitudo divinitatis comprehendatur.

Idem in libro *de Incarnatione*, cap. CXI, de Joannis verbis istis agens, *Quod vidimus, et quod audivimus*[1], etc. «Ille enim vidit, inquit, quod vidit, non utique divinitatem, quæ secundum naturam suam videri non potest; sed quia secundum naturam suam eum videre non poterat, suscepit quod erat præter naturam divinitatis, ut secundum naturam corporis videretur.» Sed de corporeo visu manifestum est istic Ambrosium loqui, dum ideo factum hominem esse Filium Dei asserit, ut ab hominibus, qui hactenus non videri poterat, videretur. Quod longe cautius ab Ambrosio, quam ab Græcis illis usurpatum est; qui causam illam assumendæ carnis adducunt, uti non solum oculis videri potest ab hominibus, sed etiam mente ab angelis percipi, ut supra meminimus. At Gennadius in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus*, meo quidem judicio, purgari non tam facile potest, quin Deum videri prorsus a creaturis negaverit. Scribit enim cap. XI : « Nihil corporeum, et invisibile natura credendum, nisi solum Deum, et ideo invisibilem omnibus creaturis, quia incorporeus est.» Ubi corporeum esse id interpretatur, capite sequenti, quod certo loco definitum, circumscriptumque est. Hoc vero solum, quia videri, id est clare cognosci comprehendique potest, idcirco Deum, qui est ubique, neque spatio definitus est, solum invisibilem esse, ut et incorporeum.

VIII. Proxime ad hunc Eucherius Lugdunensis accedit qui in libro de *Formula spiritualis intelligentiæ*, « Invisibilis est, inquit, quia in essentia sua videri omnino non potest, Apostolo attestante, qui ait, *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*[2]. Et in Evangelio : *Deum nemo vidit unquam*[3].» Quæ duo Scripturæ loca aliter, et puto, commodius exponit Isidorus Hispalensis in septimo *Originum* : « Invisibilis, ait, quia nunquam per substantiam suam apparuit mortalium oculis Trinitas, nisi per speciem subjectæ creaturæ, ejusdemque corporeæ. Nam nemo potest ipsam majestatem* essentiæ videre, et vivere, sicut dictum est Mosi. Unde et Joannes in epistola sua dicit : *Deum nemo vidit unquam*. Res est enim invisibilis, ideoque non oculo, sed corde quærendus est.»

Aliter Manifestationem

Aliter Evangelio.

At idem capite XLI, in *Exodum* quiddam ait, quod difficiliorem habet interpretationem. «Quid est, inquit, *Faciem meam videre non poteris*, nisi quia, quamvis usque ad parilitatem angelicam humana etiam post resurrectionem natura perferatur; et ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen ejus essentiam plene non prævalet, quam nec ipsa perfectio angelica in toto, vel integre attingit scire, etc. Sola enim sibi integre nota est Trinitas, et humanitati susceptæ, quæ tertia est in Trinitate persona.» Videtur claram et manifestam Dei cognitionem soli excipere Deo, et homini in personæ divinæ communionem assumpto. Sed, ut opinor, de perfecto illo intuitu divinæ essentiæ loquitur, qui antonomastice visio, et comprehensio dicitur. Qui, utrum revera humanæ in Christo naturæ competat, suo loco disputabitur. Postremo non recte mihi Primasius ab iisdem illis recentioribus eadem suspicione perstringi videtur ob ea, quæ in *Scholiis* adnotavit ad prioris *ad Corinthios* cap. XIII, et illa verba : *Tunc cognoscam sicut et cognitus sum*, ubi sic scribit : *Cognoscam tunc Deum, et quæ sunt Dei*. Tamen in quantum potest de Deo mens humana cognoscere. Nam quis potest Deum, ut est, scire?» Verum extra erroris invidiam iste est locus; imo vero necessario ita conceptus est, ne quis ob Apostoli verba illa persuaderet sibi, tam perfectam Dei notitiam adepturos homines, quam habet hominum modo Deus.

1 I *Joan*. I. — 2 *Tim*. 6. — 3 *Joan*. I.

CAPUT VII.

Deum in futura vita clare, et secundum essentiam videri primum ex antiquorum Patrum auctoritate colligitur, tam Græcorum, quam Latinorum; tum ex Scripturis. Græci et Armeni contra sentientes refutati, et eorum firmamenta discussa.

Divinam essentiam sancti mente percipiunt.

Quod communis habet christianorum hodie fides, et catholicæ consensus Ecclesiæ, id sine ulla dubitatione pronuntiandum est : Deum in beata et immortali vita sic videndi sui copiam sanctis facere, ut ejus intimam naturam, et substantiam non corporis oculis, sed mente, intelligentiaque percipiant. Quod antequam majore auctoritatis pondere, hoc est Scripturæ, et Ecclesiæ, si qua sunt, decretis asseveretur, quoniam ab antiquorum Patrum in utramque partem expendendis testimoniis usi sumus, quædam hoc in caput conferemus, quæ liquido, ac diserte catholico dogmati suffragantur.

Irenæus in quarto libro, cap. XXXVII, pulchre istud significat verbis iis, quorum partem ex Antonio Melissa Græce reddimus. « Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt; sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes (Anton. participantes) ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas; percipiunt ergo vitam qui vident Deum[b]. » Hactenus ex Irenæo Antonius. Pergit vero Sanctus : « Et propter hoc incapabilis et incomprehensibilis visibilem se, et comprehensibilem, et capacem hominibus præstat; ut vivificet percipientes, et videntes se. Quemadmodum enim magnitudo ejus investigabilis est, sic et benignitas ejus inenarrabilis, per quam vitam præstat iis, qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est; subsistentia vitæ autem de Dei participatione evenit : participatio autem Dei est, videre Deum, et frui benignitate ejus. Homines igitur videbunt Deum, et vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum. » Porro de clara et perspicua Dei cognitione loqui Irenæum ex iis, quæ toto illo capite disserit, obscurum esse non potest. Nam paulo ante et post verba illa docet, antiquos prophetas quos Deum vidisse Scriptura testatur, non ipsam Dei substantiam aspexisse : hoc est Patrem nihilominus invisibilem mansisse, dum Filius variis modis et imaginum, ac figurarum adumbrationibus qualemcumque sui visionem illis aspergeret. Igitur « secundum magnitudinem quidem ejus, ait, et mirabilem gloriam, nemo videbit Deum, et vivet; incapabilis enim Pater. Secundum autem dilectionem, et humanitatem, et quod omnia possit, etiam hoc concedit his, qui se diligunt, id est videre Deum, quod et prophetabant prophetæ. Quoniam quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum. Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, et quando vult, et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus. »

II. Clemens Alexandrinus in quinto *Stromateon* cum Platonis sententia ex *Epinomide*, qua paucos ex hominum numero felicitatis compotes ait fieri, illud Mosis confert, *Nemo videbit faciem meam, et vivet*[1]; cui sic subscribit Clemens : « Perspicuum est enim, nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicue comprehendere. *Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt*[2], postquam extremam perfectionem attigerint[c]. » Quo in loco manifeste significat, in futura vita τὴν ἐναργῆ κατάληψιν Dei, id est *claram et perspicuam comprehensionem, sive perceptionem* habituros esse homines, quam duntaxat in præsenti vitæ statu negat obtineri.

Epiphanius quoque insignem de hac re sententiam explicat hæresi LXX, ubi Deum quidem ἀόρατον, et ἀκατάληπτον *invisibilem*, et *incomprehensibilem* esse dicit. « Sed eumdem rursus posse quidquid velit facere. Non enim quemquam voluntati ejus obsistere. Natura igitur invisibilis est, et ejus comprehendi non potest gloria. Verum, cum producto a se

a IREN. apud Anton. Mel. *Serm.* I. *de Fide.* Ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς, ἐντός εἰσι τοῦ φωτὸς, καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν. οὕτως οἱ βλέποντες τὸν Θεὸν, ἐντὸς γίνονται τοῦ Θεοῦ, μετέχοντες αὐτοῦ τῆς λαμπρότητος· ζωῆς οὖν μεθέξουσιν οἱ ὁρῶντες Θεόν.

c CLEM. V *Strom.* Δῆλον γὰρ, μηδένα ποτὲ δύνασθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν Θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι. Οἱ καθαροὶ δὲ καρδίᾳ τὸν Θεὸν ὄψονται, ἐπὰν εἰς τὴν ἐσχάτην ἀφίκωνται τελείωσιν.

1 *Exod.* XXXIII, 20. — 2 *Matth.* V.

homini apparere voluerit, nihil ejus voluntati refragatur[a], » etc. Deinde, « Deum quidem videre, maxime humanæ naturæ impossibile est; neque quod visibile, est id intueri potest, quod est invisibile. Sed invisibilis Deus per humanitatem, et potentiam suam, id quod imbecillum est corroborans, id ei dignatur concedere, ut quod est invisibile videat. Porro, cum invisibile illud, et infinitum aspicit, non ut in se est, infinitum illud videt; sed quantum ejus, quod imbecillum est, natura capere potest ita corroborata, ut ad potentis illius notitiam pertingere possit.[b] » Hic, tametsi de illa Dei visione loquitur Epiphanius, quæ prophetis, et patriarchis tributa legitur, quod minime cum aliis Scripturæ locis pugnare demonstrat, in quibus Deus videri non posse dicitur, eo quod natura quidem sua invisibilis est, tamen in potestate habet ut videatur; vel ut Ambrosius loquitur, « In potestate nostra non est eum videre, sed in potestate illius est apparere [1] : » licet ergo de claro Dei intuitu dicere ista non videtur Epiphanius, cujusmodi constat minime adeptos esse prophetas, tamen aliter illius et mens habet, et oratio. Primum enim prophetas perspicue divinam vidisse substantiam arbitratur, ut et alii quidam veteres; deinde de illa quoque Dei visione agit, qua *Angeli vident faciem Patris*[2], quæ est clara, et manifesta divinitatis inspectio. Quare hanc etiam in potestate esse Dei non minus, quam figuratam illam adumbratamque credidit Epiphanius. Imo de illo potius, quam de isto Dei conspectu loqui putandus est, ob eam causam, quod non tantopere ad summam Dei potentiam confugiendum putaret, quæ, quod natura ipsa non fert, id absoluta vi hominibus concederet, ut invisibilem videret Deum. Siquidem non amplissimæ potestatis est, et omnipotentiæ, sub imagine, ac figura videndi sui copiam facere, sed vulgaris, et usitatæ facultatis; quam habent etiam angeli, qui variis formis apparere possunt. Quamobrem inusitata quædam, et naturæ vires supergressa visionis ibi species agitur, quam pro magnitudine potentiæ suæ Deus indulget; cujusmodi sola esse potest divinæ ipsius essentiæ clara, atque distincta perceptio : qualem utique angeli habent ipsi, qui Dei faciem intueri dicuntur.

III. Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV, Deum in beata illa vita clare, et, ut in se est, visum iri satis aperte profitetur. Etenim « humana intelligentia capi non posse, comprehendique Deum docet imprimis, neque totum, quantus est, cogitari ac mente describi. Id autem non invidia illius fieri[c], » quæ nulla insit ipsi; sed ne facilitas ipsa divinæ adipiscendæ cognitionis negligentes nos faceret: tum ne, similiter ac princeps ille angelici ordinis Lucifer superbia inflati in præceps ageremur. Ac denique, ut « præmium quoddam amplius ac præstantius in vita futura suscepti laboris, vitæque honeste transactæ habeant, qui hic purgati fuerint, et rem desideratam patientibus animis expectant[d]. » Manifestum est, ex tota illa oratione Gregorium putasse, illam ipsam perfectam Dei comprehensionem, hoc est clarum Dei conspectum, quem humanæ naturæ, et intelligentiæ viribus denegat, neque impossibilem esse, ut ne Deus quidem ipse impertiri, si velit, possit, et in æterna felicitate præmii id loco justis, ac sanctis esse tribuendum. Nam in potestate esse Dei confitetur illum concedere; quod in præsente vita non ex invidia, sed nostra causa nondum illum facere demonstrat, et reipsa mercedis loco istud esse largiturum asserit; illud, inquam, quod paulo ante dixerat, humana cogitatione, et intelligentia capi non posse, nimirum uti totus, quantus est videatur Deus. Quod habita sem-

a Epiph. *Hær.* LXX, nu. 7. Καὶ ὅτι μὲν ὁ ἀόρατος θεὸς, καὶ ἀκατάληπτος τοῦτο δῆλόν ἐστι, καὶ ὡμολόγηται. ἀλλὰ πάλιν δυνατός ἐστι ποιεῖν ὃ βούλεται. οὐ γάρ τις ἀντιτίθησιν αὐτοῦ τῷ βουλήματι. ἀόρατος οὖν ἐστι τὴν φύσιν, καὶ ἀκατάληπτος τὴν δόξαν, βουλομένου δὲ τῷ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότι ἀνθρώπῳ ὀπτάνεσθαι οὐδὲν ἐναντιοῦται τῷ αὐτοῦ βουλήματι.

b Mox : Καὶ ἀδύνατόν ἐστιν ἰδεῖν θεὸν, μάλιστα ἀνθρωπίνην φύσιν. καὶ οὐκ ἐγχωρεῖ τὸ ὁρατὸν ὁρᾷν τὸ ἀόρατον. ἀλλ' ἀόρατος θεὸς ἐν φιλανθρωπίᾳ, καὶ δυνάμει ἐνισχύσας τὸ ἀδύνατον. κατηξίωσε τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει, ὅπως ἴδῃ τὸ ἀόρατον, καὶ ὃ εἶδε τὸ ἀόρατόν τε, καὶ ἄπειρον, οὐ καθὼς ἔσχε τὸ ἄπειρον, ἀλλ' ὡς ἠδύνατο χωρεῖν ἡ φύσις ἐνδυναμωθεῖσα τοῦ ἀδυνάτως ἔχοντος πρὸς ἐπέκτασιν τοῦ δυνατοῦ.

c Greg. Naz. Orat. XXXIV. Τὸ μὴ ληπτὸν εἶναι. ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ τὸ θεῖον, μηδὲ ὅλον ὅσον ἐστὶ φαντάζεσθαι· καὶ τοῦτο οὐ διὰ φθόνον·

d Ibid. Τυχὸν δὲ ἵν' ᾖ τί πλέον ἐκεῖθεν ἆθλον φιλοπονίας, καὶ λαμπροῦ βίου τοῖς ἐνταῦθα κεκαθαρμένοις, καὶ μακροθυμοῦσι πρὸς τὸ ποθούμενον.

1 Lib. I in *Luc.* col. 11. — 2 *Matth.* XVIII, 10.

per humani captus, ac moduli ratione intelligendum est, ne quis, etiam post hanc vitam, ex toto Deum a nobis posse cognosci putet, ac tam perfecte, quam novit ipse se : quod illi, quos contra disputat, hæretici vel in præsenti fieri vita stolide jactabant. Sed citra hanc absolutissimam, et infinitam, ac soli Deo convenientem κατάληψιν, perspicuum est, in illo Gregorium loco claram, et propriam Dei notitiam, quæ *visio* dicitur, creatis cum rebus communicari credere.

Comprehensionem.

IV. Quod quidem postea majori etiam luce orationis exponit. « Deum, inquit, cujusmodi natura, et substantia sit, nullus unquam invenit hominum, neque porro reperiat. An vero aliquando sit reperturus, quærat hoc qui volet, ac studiose perscrutetur. Mea quidem sententia tunc reperiet, cum deiforme hoc, ac divinum, id est mens nostra, et ratio cum natura cognata conjuncta fuerit, et imago ad archetypum ascenderit, cujus modo desiderio tenetur. Atque illud mihi esse videtur, quod tanto studio commentamur, et exquirimus[1] : nempe nos aliquando tantum cognituros, quantum cogniti sumus [a]. » Hinc vero sine ulla ambiguitate clarum et manifestum divinæ naturæ conspectum affirmat Gregorius ; nec ulla interpretationis calumnia illius verba detorqueri possunt. Eodem spectat quod in oratione x, *in fratrem Cæsarium* ait, sanctos post mortem non amplius per ænigma et speculum, sed « pura mente puram veritatem intueri [b]. » Et oratione funebri *in sanctum Basilium*, quæ est xx, eosdem beatos indicat « sanctam, ac beatam Trinitatem videre purius, ac perfectius [c]. »

Auctor ille libri *de Trinitate*, qui Novatianus vocatur, non dubius eidem asseverando dogmati testis accedit capite xxvi, ubi Patrem in veteri lege non esse conspectum ait ; sed Filium solum, qui varia sub imaginum specie « descendere solitus est, et videri quia descenderit. Sic ergo et Christus, id est imago Dei, et Filius Dei ab hominibus inspicitur, qua poterat videri. Et ideo fragilitas, et mediocritas sortis humanæ per ipsum alitur, producitur, educatur, ut aliquando Deum quoque ipsum Patrem, adsueta Filium conspicere, possit, ut est, videre ; ne majestatis ipsius repentino et intolerabili fulgore percussa intercipi possit, ut Deum Patrem, quem semper optavit, videre non possit. » Videndus est ergo Deus aliquando Pater clare, et ut est, hoc est natura illius ; citra quam non videtur ut est. Ambrosius item in *Commentariis in Lucam*, illis verbis, quæ laudavit et expendit Augustinus, videri Deum in beata resurrectione sentit, « non corporalibus oculis, sed mundo corde[2]. » Quod ex Matthæi capite quinto probat : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

V. Augustinus vero pluribus in locis idipsum confirmat ; ut in epistola cxi, illud, quod scribit Apostolus, *Regi sæculorum invisibili, incorruptibili*[3], sic enarrat : « Incorruptibili quidem in sæcula sæculorum ; invisibili autem non in sæcula sæculorum, sed tantum in hoc sæculo. Verum quia nec ista testimonia falsa esse possunt, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[4]. Et, *Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum sicuti est*[5] ; negare non possumus, filios Dei visuros Deum, sed sicut videntur invisibilia, etc. Unde autem invisibilia videntur, nisi oculis cordis ? » Et in epistola cxii, sæpe idem inculcat ; atque hujus etiam argumentum rei suppeditat ex piorum sanctorumque desiderio petitum. « Desiderium autem veraciter piorum, ait capite octavo, quo videre Deum cupiunt, et inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, qua, ut vult, apparet quod ipse non est, sed in eam substantiam, qua ipse est quod est. » Quod etiam ex Mosis desiderio, et oratione probat, *Ostende mihi temetipsum*[6]. « Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat, ait, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moses videre cupiebat. Ea quippe pro-

a Greg. Naz. Orat. xxxiv. Θεὸν, ὅ, τί ποτε μέν ἐστι τὴν φύσιν, καὶ τὴν οὐσίαν, οὔτε τις εὗρεν ἀνθρώπων πώποτε, οὔτε μὴν εὕρῃ. ἀλλ' εἰ μὲν εὑρήσει ποτὲ, ζητείσθω τοῦτο, καὶ φιλοσοφείσθω παρὰ τῶν βουλομένων. εὑρήσει δὲ, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, ἐπειδὰν τὸ θεοειδὲς τοῦτο καὶ θεῖον· λέγω δὲ τὸν ἡμέτερον νοῦν τε, καὶ λόγον· τῷ οἰκείῳ προσμίξῃ, καὶ ἡ εἰκὼν ἀνέλθῃ πρὸς τὸ ἀρχέτυπον, οὗ νῦν ἔχει τὴν ἔφεσιν. καὶ τοῦτο εἶναί μοι δοκεῖ τὸ πάνυ φιλοσοφούμενον, ἐπιγνώσεσθαί ποτε ἡμᾶς, ὅσον ἐγνώσμεθα.

b Naz. Αὐτῇ τῇ πηγῇ τοῦ καλοῦ, μετὰ ταῦτα ἐντύχοιμεν, καθαρῷ νῷ καθαρὰν τὴν ἀλήθειαν ἐποπτεύοντες

c Ib. Καὶ συνεποπτεύοντες τὴν ἁγίαν, καὶ μακαρίαν Τριάδα καθαρώτερόν τε, καὶ τελειότερον.

1 *Cor.* xiii, 12. — 2 Epist. cxi. — 3 I *Tim.* i, 17. — 4 *Matth.* v. — 5 I *Joan* iii. — 6 *Exo.* xxxiii.

mittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Mosi, verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, et vivere; id est, nemo potest eum in hac vita videre vivens, sicuti est. » Et in capite nono : « Eo autem modo, quo videtur sicuti est, nunc fortasse videtur a quibusdam angelis; a nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales. » Hic a quibusdam angelis videri ait, non quod ullum bonorum excipiat, sed ut malos excludat. Etsi mirum est, de iis ipsis bonis quasi dubitando dixisse, fortasse ab illis Deum videri. Nam videri utique Christus ipse testatus est; eamque visionem claram, et perspicuam esse tum verba illa significant, *videre faciem Patris ;* tum Augustinus existimat, qui inde nos etiam perspicue visuros esse confirmat, eo quod angelis similes futuri sumus [1]. Atque idem libro XXII *de Civitate Dei,* capite XXIX, videre Deum, sicuti est, angelos omnes ostendit. Et, « Sicut illi vident, inquit, ita et nos visuri sumus; sed nondum ita videmus, etc. Præmium itaque fidei nobis visio ista servatur. » Vide et librum XII *de Genesi ad litteram*, capite XXVI, et librum tertium *contra Maximinum* capite nono. Hieronymus quoque tum apertum divinitatis modo conspectum angelis omnibus attribuit, tum nobis ipsis in futura vita, verbis iis, quæ ex illo refert Augustinus in epistola CXI. « Homo, inquit, Dei faciem videre non potest. Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei; et nunc in speculo videmus, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus. » Vide Augustinum tractatu XXI *in Joannem,* ubi formam Dei a beatis visum iri luculenter affirmat.

VI. Ad illos tres Latine doctores Ecclesiæ, quartus adjungendus est Gregorius M. qui in libro XVIII *Moralium*, capite XXVIII, propositam hanc a nobis quæstionem ita dissolvit : « Sciendum vero est, quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent, etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit. Neque enim illi simplici, et incommutabili essentiæ aliud est claritas, et aliud natura : sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est. Quia enim suis dilectoribus hæc Dei sapientia se quandoque ostenderet, ipse pollicetur dicens: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo ; et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi* [2]. Ac si patenter dicat: Qui in vestra me cernitis, restat ut in mea me natura videatis. » Tum varia subjungit Scripturæ testimonia, quibus illa videndi perspicuitas approbatur.

Prosper in primo libro *de Vita contemplativa*, cap. IV: « Quod hic crediderant, inquit, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes. » Et capite XIII : « Tam rerum omnium notitia, quam ipsa Dei substantia plene et perfecte videbitur. » Auctor libri *de Speculo*, capite XXVII [3], Dei naturam, personas tres, ac quidquid ipse est, a beatis conspici latius explicat, atque ipsis Gregorii Papæ verbis, naturam eamdem esse cum claritate dicit.

Bernardus Sermone IV, in *Festum omnium sanctorum*, « Tripliciter, ait, in æterna illa, et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis; et quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriam illam sine ullo ænigmate, mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna, et perfecta, ut cognoscamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu, et videamus Deum sicuti est, id est, non modo sicut inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. » Et sermone I de verbis Apostoli, *Non est regnum Dei esca et potus* [4], ait beatos « nudis oculis divinitatis intueri essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione deceptos. » Vide et sermonem XXXI, *in Cantica.* Demum id in Florentina synodo sancitum est : « Exutas corporibus animas, quæ in gratia Dei decesserint, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est. »

VII. Neque vero dubiis, et obscuris Scripturæ sententiis, sed adeo manifestis commendatum istud est, ut in controversiam vocare, hoc præsertim tempore, catholico nemini liceat. Commemorari ea Scripturæ loca solent a sanctis Patribus, qui de hac re sermonem faciunt, quos supra percensuimus. Quibus ex locis disertissimum est imprimis illud *Matthæi* XVIII : *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ut autem angelos videre Deum inde constat, sic de hominibus idem est consequens ex eo, quod *Matthæi* XXII, *similes fore* dicuntur *angelis Dei.* Videbunt igitur et ipsi faciem Dei. Quod

Probatur ex Scripturis sanctos clare Deum intueri.

1 *Matth.* XXII, 30. *Mar.* XII, 25. — 2 *Joan.* XIV, 21. — 3 In app. tom. IX Aug. — 4 *Rom.* XIV.

disertis verbis confirmat Apostolus, dum ait, nos Deum *nunc videre per speculum, et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*[1]. Porro « Facies Dei manifestatio ejus intelligenda est, ut ait Augustinus, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus[2]. » Hujusmodi aliquid Moses a Deo postulabat, cum ei diceret : *Ostende mihi faciem tuam*[3] : quod Dominus non præcise negavit ; neque id absolute fieri non posse respondit ; imo post hanc vitam obtinendum esse docuit, dum de hujus tempore duntaxat excepit. Est ergo videre faciem Dei, « videre eum sicuti est[4], » ut idem ait Augustinus. Sic illud Joannis evidentissime hoc declarat : *Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*[5]. Nam quomodocumque videbitur a nobis, et cognoscetur Deus, nisi clare, et manifeste illum intuebimur, hoc est ejus naturam et essentiam, non eum videbimus sicuti est. Non enim est nisi in essentia, et per essentiam suam, quæ proinde si non videtur, aliter atque est, videtur Deus.

Rursus idem confirmant et Apostoli verba illa prioris *ad Corinthios : Tunc cognoscam sicut et cognitus sum*[6]. Quod de perfecta cognitione et manifesta dici perspicuum est, cum ei sit oppositum, quæ est adumbrata, et per ænigma, alienamque speciem objicitur. Sunt et alia haud pauca Scripturæ testimonia, quæ ad idem probandum valent ; quorum nonnulla iis in Patrum sententiis expressa sunt, quas supra posui ; ut minime hic repetenda sint, præsertim cum haud magna sit hodie de hac re controversia ; et si qua fortasse movebitur, nulla sint adversus commune dogma disputantium satis firma præsidia : de quibus breviter, ne quid hic desideretur, agendum duximus.

Solvuntur objectiones.

VIII. Qui divinam naturam ne a beatis quidem mentibus clare, et ut est in sese, videri ex professo defenderint, cum ab antiquioribus illis discesseris, qui id vel obscure, vel evidentius asserunt, ut superius ostendi ; recentioris habemus memoriæ potissimum Græcos, et Armenos. De utrisque testis est Richardus Radulphus Archiepiscopus Armacanus in libro XIV *de Quæstionibus Armenorum*, capite primo. Nec dubium est, quin Armenis Græci auctores illius erroris fuerint, ut et cæterorum fere. Apud Græcos autem vindex et propugnator ejusdem acerrimus fuit Gregorius Palamas novæ illius factionis coryphæus ; cujus historiam, et ridicula dogmata in primo hujus operis libro descripsi. Nam inter alia, lucem quamdam esse dicebant increatam, et oculis aspectabilem, velut manantem ex Deo fulgorem, qualem in Thabore monte viderunt apostoli ; cujus aspectu fruerentur in cœlo beati : in eoque spectaculo velut summa felicitatis acquiescerent : quod natura ipsa Dei, qualis in se est, a nemine conspici posset. « Etenim sancti omnes, ait monachus David in *Narratione dissidii Barlaami et Palamæ*[7] hujus opinionem referens) tam homines, quam angeli, gloriam quidem Dei temporis expertem vident, et sempiternam gratiam ac donum recipiunt ; substantiam autem Dei nemo unquam vidit homo, neque angelus, neque potest videre[a]. » Sed est putida et barbara hæc de sempiterna et aspectabili luce fabula, contra quam alio loco disseruimus. Quare hac omissa parte, in eo solum hærebimus, quod ne mente quidem clare Deum aspici posse docuerunt, etiam ab angelis. Cui approbandæ opinioni Scripturæ quasdam afferebant sententias, tritas illas et vulgatas, ut quod Joannes Evangelista scribit : *Deum nemo vidit unquam*[8]. Et quod *invisibilis*[9] a Paulo nominatur. Et, *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*[10]. Verum levia ista sunt argumenta, et quæ facili locorum illorum explanatione diluuntur.

IX. Etenim quod ait, « neminem vidisse Deum » Origenes in septimo *contra Celsum* de corporis oculis accipit ; Gregorius *Moral.* XVIII c. XXVIII, ad statum vitæ præsentis, et in corpore adhuc hærentem animum refert. Alii de perfecta Dei notitia, quæ comprehensio dicitur, intelligunt, ut Ambrosius in *Lucam* apud Augustinum epistola CXII. Vera est autem ea ratio, quam ex Gregorio retulimus, nulli in corpore degenti homini nec oculis, nec intelligentia conspectum esse Deum, ac ne Mosi quidem et prophetis cæteris. Hoc enim propterea Joannes dixit, ut ostenderet, a quo tam divina, et stupenda arcana didi-

a DAVID. Mon. Οἱ γὰρ ἅγιοι, πάντες καὶ ἄνθρωποι, καὶ ἄγγελοι δόξαν μὲν ἄχρονον ὁρῶσι τοῦ Θεοῦ, καὶ χάριν, ἀΐδιον δέχονται, καὶ δωρεάν. οὐσίαν δὲ Θεοῦ οὐδείς ποτε ἄνθρωπος, οὔτε ἄγγελος οὔτε εἶδε, οὔτε ἰδεῖν δύναται.

1 *Cor.* XIII. — 2 Lib. XXII *de Civit.* c. XXIX — 3 *Exod.* XXXIII. — 4 Ep. CXII, c. VIII. — 5 I *Joan.* III, 2. — 6 I *Cor.* XIII. — 7 In cod. quodam Bibl. Aug. apud. Rad. in *Notis ad lib.* II *hist. Can. tac.* — 8 *Joan.* I, 18. — 9 I *Tim.* I, 17. — 10 I *Tim.* VI, 16.

cisset, quæ ante narraverat de Verbo Dei Filio, et ejus æternitate, suscepta carne, illataque per ipsum hominibus gratia. Hæc enim se ait non ab homine accepisse, ut olim Judæi a Mose testamentum vetus ac legem, sed ab ipso Dei Filio; quoniam Deum nemo vidit hominum, et ut in se est, ut intima illa Dei secreta, et ad divinitatem spectantia perciperet, aliisque nuntiaret. Ita fere Augustinus libro *contra Adimantum*, capite nono, et in tertio *contra Maximinum* capite nono, nec non tractatu tertio *in Joannem*. Et Cyrillus Alexandrinus libro primo *in Joannem* capite x. Reliqua Pauli testimonia non dissimilem habent interpretationem, ut aut de visu corporis, aut de statu vitæ mortalis, aut de perfecta intelligentia et comprehensione dicta videantur. Quare non est in illis longior mora facienda.

CAPUT VIII.

De modo, quo Deus videtur a beatis. Opus esse divino quodam auxilio; quod lumen gloriæ vulgo dicitur. Cujusmodi autem sit non plane constare ex fidei principiis; ac videri ex veterum doctrina magis ad objectum, quam ad efficientem causam referri. Ostenditur, summam felicitatis in illa perspicua Dei visione consistere. Nulli creaturæ naturalem esse posse eamdem Dei visionem, adeoque nec gloriæ lumen illud ostenditur.

I. Neque corporis aspectu, neque propriis animi ac mentis viribus Deum perspicue, et, ut in se est, videri posse, nemini non probatum esse confido, qui quidem superioribus a nobis aliquot capitibus disputata perlegerit. Ex quo ea, quæ sunt quæstionis totius reliqua, concludi facile possunt. Nam si ab homine, uti ab Angelo, *cordis*, ut Scriptura nominat, id est mentis *oculo* potest Deus aspici, et id per se, ac domesticis præsidiis neutri consequi possunt; vel tacente me sequitur, alienis illos adjumentis ac viribus, ut eo pertingant, adjuvandos esse. Itaque corroborandus est divinis auxiliis, ac firmandus ille mentis oculus, et ab nativa imbecillitate, vel ab insita potius caligine, ac tenebris, ad cœlestem quamdam lucem splendoremque transferendus. Quod ex antiquis luculenter ac copiose declaravit Epiphanius in hæresi LXX, ubi *adversus Audianos* de visione Dei disserens, eam humanis, imo creatis viribus diffidendam esse docet; posse tamen a Deo præstari. « Deum, inquit ille, videre est impossibile, præsertim naturæ hominis; neque ei, quod aspectabile est, id quod videri omnino non potest, intueri licet. Verum invisibilis Deus pro sua benignitate, ac potentia imbecillitatem vi sua corroborare dignatus est, ut quod invisibile est cerneret. Porro quod videat id, quod invisibile est, et infinitum, non sic videt, qua infinitum est, sed quatenus natura fert ejus, quod assequi non potest, adeo valens reddita, ut extentis viribus id facere possit[a]. »

II. Itaque nemo in dubium vocat divini necessitatem auxilii, quæ naturæ vires sufficiat. Sed cujusmodi id sit auxilium, non satis explicata res est. Videmus hoc quidem passim, lucis ac splendoris nomen adhiberi, cum de beatæ immortalitatis statu, ac divinæ naturæ consortio, et aspectu vel Scripturæ loquuntur, vel antiqui Patres. Sed non eo sensu, quo in scholis *lumen gloriæ* sumitur, perspicuus illic est usus appellationis istius. Nam *lumen gloriæ* tanquam efficiens quoddam videndi principium, ac facultatis et habitus instar constituunt, ut est in oculo videndi sensus, quo mentis acies per se imbecilla, nec ad Deum intuendum satis virium habens, perficitur, et ut possit, plenam virtutem accipit. Quæ scholasticorum ratio magis ex rerum naturalium similitudine, et analogia, quam ex liquida divinarum Litterarum auctoritate ducitur. Nec de ea prisci theologi satis aperte locuti sunt. Fit quidem in *Psalmo* XXXV, luminis mentio verbis his: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*. Verum *lumen* illo in loco Christum ipsum interpretatur Augustinus, et ante hunc Origenes in primo libro *de Principiis*, capite primo, quasi Propheta diceret: *In Verbo, et sapientia tua videbimus te Patrem*; quemadmodum etiam Cyrillus libro primo *in Joannem* explicat. « Quid enim,

[a] EPIPH. *Hær.* LXX, num. 7. Καὶ ἀδύνατόν ἐστιν ἰδεῖν Θεὸν, μάλιστα ἀνθρωπίνην φύσιν· καὶ οὐκ ἐγχωρεῖ τὸν ὁρατὸν ὁρᾷν τὸν ἀόρατον. ἀλλ᾽ ὁ ἀόρατος Θεὸς ἐν φιλανθρωπίᾳ καὶ δυνάμει ἐνισχύσας τὸ ἀδύνατον, κατηξίωσε τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει, ὅπως ἴδῃ τὸ ἀόρατον, καὶ ὃ εἶδε τὸ ἀόρατόν τε καὶ ἄπειρον, οὐ καθὼς ἔσχε τὸ ἄπειρον, ἀλλ᾽ ὡς ἠδύνατο χωρεῖν ἡ φύσις ἐνδυναμωθεῖσα τοῦ ἀδυνάτως ἔχοντος πρὸς ἐπέκτασιν τοῦ δυνατοῦ.

inquit Origenes, aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quam quis illuminatur, vel veritatem rerum omnium pervidet, vel ipsum Deum cognoscit, qui veritas appellatur[1]? » Quo etiam illud Joannis refert: *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*[2]. De eadem luce, quæ videtur, et est Deus, et per quam videtur Deus, et sine qua non videtur, luculentum est Irenæi testimonium in libro quarto capite XXXVII, antecedentis capitis initio descriptum, quo et idipsum confirmat, quod ex Epiphanio paulo ante demonstravimus, divina vi et ope corroborari mentes nostras, ut quo natura sua pertingere nequeunt, Deum videant.

III. Dionysius verum cum de intuitu Dei loquitur φωτὸς et ἐλλάμψεως, id est *collustrationis* et *illuminationis* passim meminit; sed ita, ut eam lucem in eo, quod videtur, constituat, indidemque manare in videntem significet: quemadmodum in sole, et aspectabili fulgore contingit. Sic in primo capite libri *de Divinis nominibus*, de divinis agens mentibus, ait, illas « constanter, et immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, et congruo permissarum sibi illuminationum amore cum sacra quadam reverentia, temperanter, et sancte, quibusdam velut in altum pennis sublevari[a]. »

Et in eodem capite duplicem beatis hominibus affulgere lucem ait, unam aspectabilem, qualis in monte visa est apostolis, alteram spiritualem, et communem cum angelis, de qua sic scribit : « Intelligibilis vero ipsius illuminationis in passionis et materiæ experte mente participes facti; necnon conjunctionis ejus, quæ mentem excedit, in splendidissimorum radiorum ignotis, ac beatis immissionibus, atque in diviniore quadam imitatione supercœlestium mentium[b]. » Tum in libro *de Cœlesti Hierarchia* passim *lucis*, et *illuminationis illustrationisque* meminit. Verum quæ sit illa lux ex antiquorum opinione declarat Augustinus in epistola sexta. « Lux, inquit, illa Deus ipse est; *quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*[3]; sed lux mentium purgatarum, non istorum corporis oculorum. » Et in libro *Soliloquiorum*, qui tamen Augustini esse non creditur, capite XXXIV, de ista luce loquens, perspicue Deum a se ipsum intelligi demonstrat. « *Videbimus,* inquit, *in lumine tuo lumen tuum. Quoniam apud te est fons vitæ; et in lumine tuo videbimus lumen*[4]. Quale autem lumen? Lumen immensum, lumen incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile, lumen indeficiens, lumen inextinguibile, lumen inaccessibile, lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum, quod illuminat oculos angelorum, quod lætificat juventutem sanctorum, quod est lumen luminum, et fons vitæ : quod es tu, Domine Deus meus. Tu es quippe lumen, in cujus lumine videmus lumen, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus facie ad faciem. Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait Apostolus, *cognoscere sicut et cognitus sum*[5]? Cognoscere veritatem tuam, et gloriam tuam, hoc est cognoscere faciem tuam. Cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summæ Trinitatis unam et individuam essentiam. » Quocirca de illo lucis officio, et usu, qui in scholis percrebuit, nihil apud antiquos expressum habetur, nisi quod vis quædam naturali superior, et auxilium requiri dicitur, quo mens ad tantam contemplationem possit assurgere. Cujusmodi, et in Viennensi synodo, Clemente V, summo Pontifice, luminis illius explicata necessitas his verbis legitur, dum hæreticorum quorumdam stulta dogmata damnantur. « Quinto, inquit, quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum[6]. » Huic ergo sententiæ, damnationique subjiciuntur ii, qui nullo ad intuendum Deum auxilio creatæ menti opus esse prædicant. Qui et hac Augustini sententia pulsantur, quam ex libro XIX *de Civitate Dei*, capite XXV, Prosper centesimam sexagesimam septimam fecit : « Sicut non est a carne, sed supra carnem, quod eam facit vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere : quia

a Dion. cap. I. *de Div. nom.* Ἀλλ' εὐσταθῶς τε, καὶ ἀκλινῶς ἐπὶ τὴν ἀκτῖνα τὴν αὐτοῖς ἐπιλάμπουσαν ἀνατεινομένους, καὶ τῷ συμμέτρῳ τῶν θεμιτῶν ἐλλάμψεων ἔρωτι, μετ' εὐλαβείας ἱερᾶς, σωφρόνως τε, καὶ ὁσίως ἀναπτερουμένους.

b Ibid. Τῆς δὲ νοητῆς αὐτοῦ φωτοδοσίας ἐν ἀπαθεῖ, καὶ ἀΰλῳ τῷ νῷ μετέχοντες, καὶ τῆς ὑπὲρ νοῦν ἑνώσεως ἐν ταῖς τῶν ὑπερφανῶν ἀκτίνων ἀγνώστοις, καὶ μακαρίαις ἐπιβολαῖς, ἐν θειοτέρᾳ μιμήσει τῶν ὑπερουρανίων νοῶν.

1 Cap. VIII. — 2 I *Joan.* I. — 3 I *Joan.* I, 5. — 4 *Psal.* XXXV, 10. — 5 I *Cor.* XIII, 12. — 6 Clem. *Ad nostrum de Haret.*

ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est. » Et in tractatu XXIII *in Joannem :* « Quomodo anima, quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, id est corpus, facit vivere, sic eamdem animam non facit beate vivere, nisi quod ipsa anima est superius. »

…cile est …finire …id sit …umen …oriæ.

IV. Quale autem sit necessarium illud auxilium, sive *lumen gloriæ*, quo ad Deum videndum natura fulcitur, nemo liquido demonstravit; minime omnium efficientis quoddam genus esse causæ, ac velut habitum, et δύναμιν, sive facultatem actuosam : quod passim in scholis percrebuit. Imo vero si ex iis, quæ palam et aperte significarunt, conjecturam de eo facere volumus, cujusmodi lumen illud sit; magis erit, ut ad objectam intelligentiæ, ac visioni rem illud referamus, quam ad efficientem visionis potentiam : quemadmodum externa lux illa, qua illustrata corpora cernuntur oculis corporis, ad subjecta visui colorata potius corpora, quam ad videndi sensum pertinet, et in *objecti*, ut loqui solent, censu apparatuque numeratur, non ipsius videndi facultatis. Etenim beatam illam lucem fere ipsum esse Deum interpretantur, partim diserte, partim haud obscura significatione, dum istam ipsam videri lucem a beatis asserunt. Ut hanc instar esse illius appareat, quod εἶδος nominat Aristoteles, Latini *speciem intelligibilem;* quam rei objectæ cognitæque vicariam esse tradit ille. « Non enim lapis, inquit, in anima est, sed ejus species[a]. » At vero Deus, hoc est lux illa, *speciei* est loco, ut quidem vulgo in scholis dictitant. Sane claritatem illam, cujus meminerunt veteres, cum de visione Dei beata disputant, ipsam esse naturam Dei, ac Deum affirmant, præsertim Gregorius Papa, superiore citatus capite[1]. Aut si quid ab illo transfusum ac derivatum esse demonstrant in beatarum mentium acies, idipsum *objecti* potius, ut dixi, vel *speciei*, quam *facultatis* ac *potentiæ*, sive *habitus* rationem habet. De quo singularis est Plotini locus, imprimisque commemorandus, quod cum sacrorum auctoritate librorum, et verbis ipsis est, et sententia consentaneus. « Hoc, inquit, verus est animæ finis lumen illud attingere, et per ipsum intueri; non alterius, inquam, lumine contueri, sed per ipsummet, per quod et videt. Per quod enim illuminata est, idipsum est, quod videre oportet. Neque enim solem per alienum lumen aspicimus[b]. » Hinc Deum *formam*, ac *speciem* interdum nominant, ut auctor libri *de Speculo.* « Tua, inquit, essentia et species dici potest, et forma[2]. » Sed hoc, ut dixi, rationem potius *objecti*, quam causæ efficientis ostendit.

…Objecti …iusquam …cultatis …tionem …habet.

Augustinus quoque in primo libro *de Peccatorum meritis*, cap. X, de eodem lumine sic meminit : « Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manet in æternum, justificatos præsentia creatoris illuminat. » Ibi lumen nescio quod a divina essentia diversum indicat, quo beati collustrantur, ut illam videant. Quod sane instar lucis aspectabilis, ad objectam rem potius, ut dixi, quam ad videndi principium, facultatemque pertinet.

In Dei clara visione essentiam beatudinis plures collocant.

V. Hæc luminis illustrationisque tam expressa et inculcata mentio, cum de cœlesti felicitate disserunt Patres, propriam hujus conditionem ac naturam intelligentiæ nostræ subjicit; qui locus hic attingendus est. Ostendit, inquam, lucis ista similitudo, quæ ad visum proprie pertinet, in mentis intuitu ac visione, qua Deum, ut est in se, contemplatur, summam, id est *essentiam* felicitatis illius esse positam. Quod iis verbis declaratum putant a Christo[3] : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*[4]. Sed de summa et ultima felicitate non illic agi verisimilius est; verum de inchoata, et vitæ præsentis propria, in qua per fidem et Dei cognitionem ad illam futuram tendimus. Quare res est in opinione posita. De qua ita, ut dixi, sentire videtur Basilius, qui in epistola CXLI, « Nihil aliud, fratres, regnum cœlorum putabitis, inquit, quam veram eorum, quæ sunt, notitiam, quam et beatitatem vocant divinæ Scripturæ. *Regnum quippe cœlorum intra vos est*[5]. Atqui circa interiorem

a Arist. lib. III *de Anima*, c. VIII. Tex. 38. Οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος.

b Plotin. *Enn.* V, lib. III, cap. XVII. Καὶ τοῦτο τὸ τέλος τἀληθινὸν ψυχῇ, ἐφάψασθαι φωτὸς ἐκείνου, καὶ αὐτῷ αὐτὸ θεάσασθαι· οὐκ ἄλλου φωτὶ, ἀλλ' αὐτῷ δι' οὗ καὶ ὁρᾷ. δι' οὗ γὰρ ἐφωτίσθη, τοῦτο ἐστὶν ὃ δεῖ θεάσασθαι. οὐδὲ γὰρ ἥλιον διὰ φωτὸς ἄλλου.

1 Lib. XVIII *Mor.* c. XXVIII. — 2 In App. tom. IX Aug. c. XXVII et XXXIII. — 3 S. Th. Part. I. qu. XII, part. VI. — 4 *Joan*, XVII, 3. — 5 *Luc.* XVII, 21.

hominem nihil præter contemplationem consistit. Quare reliquum est, ut contemplatio sit regnum cœlorum[a].» Cyrillus item Alexandrinus in tertio *contra Julianum* : « Res est, inquit, in confesso apud omnes, summam et caput felicitatis hominum in contemplatione consistere. Est enim præstantissimæ facultatis animæ, quæ est mens, operatio ista[b].» Quibus verbis rationem illam complexus est, quam ex Aristotele sanctus Thomas[1] aliique reddunt, cur in actione mentis, hoc est contemplatione, beatitatis posita sit essentia. « Quod enim naturæ cujusque est accomodatum, concludit Aristoteles, id præstantissimum, et unicuique jucundissimum. Ergo etiam homini vita, quæ secundum mentem degitur; siquidem id maxime est homo. Hæc igitur est felicissima[c].» Porro in eodem opere demonstrat in contemplatione proprie collocari beatitatem. Nec aliud Augustinus tradidit in sermone CXXI, *de Diversis*, cap. XXX, ubi postquam Christi verba illa, quæ supra posui, ad hoc probandum attulit, « Hæc est vita æterna, ut cognoscant, » etc., ista subjicit : « Nam quia illa vita in contemplatione veritatis non solum ineffabiliter, sed quia et delectabiliter permanebit, multis locis Scriptura testatur, quæ omnia commemorare non possumus. Inde est illud, Qui diligit me, mandata mea custodit, et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi. Tanquam enim fructus, et merces ab eo quæreretur, quia mandata ejus custodiuntur : Ostendam, inquit, meipsum illi, perfectam beatitudinem ponens, ut cognoscatur sicuti est. Inde est illud : *Dilectissimi, filii Dei sumus; sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quia, cum apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est.*» Et in primo *de Trinitate*, capite XIII : «Nam visio formæ Dei, inquit, non nisi mundis corde, quia ipsi Deum videbunt, id est solis piis exhibebitur, quorum dilectioni hoc ipsum promittitur, quia seipsum ostendet illis. »

Et in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione XXXV : « Quid est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo recte fiditur; quod amanti auferri non potest : idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere, quam nosse. Omnium enim rerum præstantissimum est, quod æternum est, et propterea id habere non possumus, nisi ea re, qua præstantiores sumus, id est mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur, » etc. Ac subinde ex illa notitia consequi amorem asserit.

Auctor etiam libri *Soliloquiorum*, qui alterius esse, quam Augustini videtur, in cap. XXXVI : « Videre, inquit, faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium angelorum, atque omnium sanctorum, præmium vitæ æternæ, etc. Hæc est plena beatitudo, et tota glorificatio hominis, videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cœlum, et terram, » etc.

Et Fulgentius in *Responsione ad Inquisitionem tertiam Ferrandi*: « Visio autem, inquit, illa non solius carnis, secundum quam solum solus filius ab impiis videtur ad eorum condemnationem perpetuam; sed erit visio deitatis, secundum quam ipsa Trinitas ita videndam præbebit se justis, ut illa divinitatis indesinens visio ipsa sit beatitudinis indeficiens plenitudo. » Augustinus ad *Psalmum* XC : « Tota merces nostra visio est. »

VI. De hac porro beata Dei contemplatione, ac felicitate illud in scholis disputari solet, an creari ab omnipotente Deo res aliqua possit, cui sit illa naturalis; hoc est cui lumen illud gloriæ velut nativa quædam proprietas, et affectio conveniat, ita ut non sit extraordinarium, et ut loquuntur, *supernaturale* quoddam beneficium, et gratuito concessum. Quæ quidem quæstio nusquam, quod meminerim, ex professo disceptata est apud antiquos Patres. Quid sit tamen illorum menti ac judicio consentaneum divinare est facile. Nam, cum status ille felicitatis extremæ, ac Dei conspectus ejusmodi sit, ut peccatum omne penitus excludat, si cui naturalis is esset status, perinde

Impeccabilitas beatis non est naturalis.

a Basil. Ep. CXLI. Καὶ μηδὲ ἄλλό τι, ἀδελφοὶ, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν νομίσετε, ἢ τὴν τῶν ὄντων ἀληθῆ κατανόησιν, ἣν καὶ μακαριότητα ὀνομάζουσιν αἱ θεῖαι γραφαί. ἡ γὰρ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. περὶ δὲ τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον οὐδὲν ἕτερον ἤ θεωρία συνίσταται. θεωρία ἂν εἴη λοιπὸν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

b Cyr. III *cont. Jul.* Ὁμολογεῖται μὲν οὖν τὸ εὐδαιμονεῖν τοῖς ἀνθρώποις ἔχειν τὸ κεφάλαιον ἐν θεωρίᾳ. τῆς γὰρ τιμιωτάτης τῶν τῆς ψυχῆς δυνάμεων, ἥ τίς ἐστιν ἡ κατὰ νοῦν, ἥδε ἡ ἐνέργεια.

c Arist. in fine cap. VII, lib. X. *Ethic.* Τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει, κράτιστον, καὶ ἥδιστόν ἐσθ' ἑκάστῳ. καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος· εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος. οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος.

1 In. I, II, qu. III, art. 4 et 5.

ἡ ἀναμαρτησία (liceat *impeccabilitatem* dicere) naturalis eidem foret. At id creatarum rerum conditio non patitur. Nam creatura quælibet eo ipso, quo ex nihilo producitur, mutationis ac varietatis est capax, quæ est stirps et origo peccati, ut passim antiqui prædicant; atque inter cæteros Gregorius Nyssenus in libro *Catechetico*, cap. VI. « Omne, inquit, quod creatione productum est, mutationi est affine; quandoquidem etiam ipsa creaturæ exstantia a mutatione initium habuit, eo ipso, quod non erat, in id, ut esset, divina virtute translato[a]. » Atqui, ut idem capite VIII, tradidit : « solum id immutabile est quod non creatione ortum accipit[b]. » Hoc ipsum et Prudentius in *Apotheosi* versibus istis docet.

« Miraris peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, cum peccet et ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabifluæ; peccat, quia factus et ipse est,
Non genitus. »

Basilius itidem in libro *de Spiritu sancto* Deum esse Spiritum sanctum ex eo, quod natura sanctus est, et peccare non potest, demonstrat. « Non enim natura sanctæ sunt cœlestes virtutes. Alioqui nullum inter hos, et Spiritum sanctum discrimen interesset[c]. » Quare nullus, præter Deum, natura sanctus esse potest, ac proinde neque lumine illo gloriæ, ac beata Dei visione, tanquam naturali jure præditus. Augustinus in lib. XII *de Civitate Dei*, cap. I. « Dicimus itaque, ait, immutabile bonum non esse, nisi unum verum Deum beatum; ea vero, quæ fecit, bona quidem esse, quod ab illo; verumtamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. » Quod si natura sua quidquid est creatum, peccati capax est, nec habet naturalem, et necessariam peccandi immunitatem: sane neque beatum esse natura potest, hoc est clare Deum, ac perspicue videre; et quod inde necessario sequitur, super omnia toto animi ardore diligere.

Cyrillus denique nono libro *Commentariorum in Joannem*, Dei Filium eo ipso peccati expertem esse ait, quod *de illo*, ut loquitur Augustinus, id est de ipsa Dei Patris substantia immutabili ortus, immutabilis est et ipse. « Deum, inquit, natura et ipsum, atque ex sua productum substantia, et immutabilitatem naturaliter habentem, quæ proprietatis est ipsius, ac propterea in peccatum prolabi funditus nescientem, sive ad id, quod rectum non est, deflecti, in peccatum tamen carni subjectum descendere fecit ultro[d], » etc.

CAPUT IX.

De eo, quod beatæ visioni subjicitur. Deum, et quæ in Deo formaliter, ut vocant, continentur, ab omnibus videri beatis. De iis autem, quæ eminenter insunt, tota est quæstio. Quid sit videri in Verbo. Non omnia, quæ fieri a Deo possunt, beatos cognoscere, quod est comprehendere Deum; idque videri ex sacrarum Litterarum auctoritate catholica fide compertum.

De efficiente causa visionis beatæ satis est dictum; hoc est de creata mente, quæ Deum potest intueri, deque vi et ope divina naturam adjuvante, et ut videre possit, plenam efficientiam tribuente : cujusmodi lumen esse gloriæ theologi hodie omnes arbitrantur. Nunc de eo, quod visioni illi subjicitur, quam brevissime potero dicam. Qua in re primum Quæ in Deo sunt formaliter omnia a beatis videntur.
illud pro certo habendum est, beatos omnes clare, ac distincte illud in Deo contueri, quod idem est cum ipso, nec ab ejus natura, et substantia reipsa discernitur. Ejusmodi sunt proprietates divinæ omnes, quæ *attributa* nominant, tam absolutæ, ut sunt bonitas, justitia, et cæteræ, quam relativæ, ut paternitas, filietas, etc. Ex quo etiam fit consequens, personas ipsas tres necessario videri; quia

a GREG. NYSS. cap. VI *Catech.* Πᾶν δὲ τὸ διὰ τῆς κτίσεως ὑποστὰν, συγγενῶς πρὸς τὴν ἀλλοίωσιν ἔχει. διότι καὶ αὐτὴ τῆς κτίσεως ἡ ὑπόστασις ἀπὸ ἀλλοιώσεως ἤρξατο, τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι θείᾳ δυνάμει μετατεθέντος.

b Ibid. cap. VIII. Μόνον ἀναλλοίωτόν ἐστι κατὰ τὴν φύσιν, τὸ μὴ διὰ κτίσεως ἔχον τὴν γένεσιν.

c BASIL. Οὐ γὰρ φύσει ἅγιαι αἱ τῶν οὐρανῶν δυνάμεις. ἢ οὕτω γὰρ οὐδεμίαν πρὸς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὴν διαφορὰν ἔχοιεν.

d CYRIL. Θεὸν γὰρ ὄντα κατὰ φύσιν, καὶ ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ πεφηνότα, καὶ τὸ ἄτρεπτον ἔχοντα φυσικῶς τῆς ἰδιότητος αὐτοῦ, διά τε τοῦτο μὴ εἰδότα παντελῶς τὸ διολισθεῖν εἰς ἁμαρτίαν, ἤγουν παρατρέπεσθαί ποι πρὸς τὸ μὴ ἔχον ὀρθῶς, εἰς τὴν ὑποπίπτουσαν τῇ σαρκὶ ἁμαρτίαν καταβῆναι παρεσκεύασεν ἐθελοντί.

licet a se invicem re distant, tamen unum idemque sunt cum natura, et unam cum ea rem faciunt. Necessario videri dixi, ut illam quorumdam de schola theologorum opinionem intercluderem, quæ etsi reipsa, et ordinaria lege cum Dei essentia videri proprietates omnes, ac personas asserit; posse tamen dicit omnipotentem id facere Deum, ut sola sine personis natura videatur, vel una etiam persona sine reliquis. Tum unam proprietatem sine alia, aut naturam sine proprietatibus posse conspici. Quæ omnia ex iis, quæ de Dei simplicitate supra disputavimus, esse falsa constat. Non enim reipsa, vel citra cogitationem nostram invicem ista separantur; sed sunt una res, eaque simplicissima, quæ proinde si, ut est in sese, id est clare, ac dilucide cernitur, tota cernitur, neque potest ulla ejus proprietas latere. Non enim videretur id, quod est, adeoque, *sicuti est*. Quia id est, quod tum lateret. Proinde tota lateret, quia tota illud est; nec enim pars est ulla Dei, naturæque divinæ. Ac longius in ea quæstione commorari, nullum est operæ pretium; præsertim cum nihil, quod equidem meminerim, de illa traditum sit a veteribus, quod minime dubitarent, quin aut totus videretur Deus, aut omnino non videretur.

Tres personæ s. Trinitatis simul videntur.

II. Hujus tamen tractationis, ac disputationis segetem aliquam in illorum controversia reperimus, quam cum Arianis, et Anomœis gravissimam habuerunt, imo cum Arianorum, vel potius hæreticorum stirpe, ac parente omnium Origene. Hic enim, ut in primo *de Trinitate* dicam, Patrem a Filio videri, id est clare ac perspicue non putavit intelligi, uti nec a Spiritu sancto Filium. Itaque nullum illi dubium erat, quin videri una persona posset, neque persona altera, neque divina essentia conspecta : cum hanc prorsus extra mentis intuitum omnem poneret, non modo creatæ, sed etiam cujusmodi in Filio erat, ac Spiritu sancto. Idem et Arianorum sensus fuit, præsertim Anomœorum; qui ne ipsi quidem clare, aut saltem perfecte cognosci Patrem a duabus reliquis personis arbitrati sunt. Contra quæ nefaria humani erroris inventa veteres illud præ cæteris opponere solebant, Filium perfectam et exactam esse Patris imaginem, a qua nihil abesset eorum, quæ in Patre sunt, ut propterea videri non posset Filius, quin Pater ipse videretur. Quin iidem Patres, hæreticos illos extremi judicii diem ignotum esse dicentes Filio, hoc argumento confutabant, quod qui Deum Patrem perfecte contuetur, nihil eorum latere illum potest, quæ insunt ipsi : de quibus in secundo *de Trinitate* agemus postea[1]. Quocirca ex antiquorum Patrum argumentationibus istis hoc velut πορίσματος, et *corollarii* loco conficitur, non posse personam quamlibet videri, quin cæteræ conspiciantur ; et quæ in Deo sunt sic, ut Deus ipsa sint (cujusmodi omnia illa sunt, quæ *formaliter*, ut loquuntur, insunt) viso eo, necessario perspici; quoniam unum idemque omnia sunt, et hoc simplicissimum, ac nulla divisione interceptum, aut partibus distinctum. Nec, ut puto, necesse est pluribus ista persequi, quæ sibi latius disceptanda scholæ proprio jure vindicarunt.

III. Quod autem ad ea pertinet, quæ in Deo sic continentur, ut non sint ipse Deus, sed opera sunt ejus suis temporibus edenda, quæ in illius interim potentia, ac sapientia, sive idea comprehenduntur, ac non *formaliter*, sed *eminenter* inesse dicuntur, de iis nonnulli veterum sic interdum dixerunt, tanquam Deo conspecto, illa necesse sit omnia videri. Quod hoc etiam argumento suaderi potest. Nam creatæ res omnes eatenus inesse Deo dicuntur, quod in ejus arte quadam, hoc est sapientia, et virtute, atque exemplari, sive idea continentur. Quæ cum omnia vel sint Verbum ipsum, vel ei peculiari quadam inscribi ratione soleant, idcirco quæ in Deo videntur, hoc est eo perspecto conspiciuntur, dicuntur *in Verbo videri*. Quæ loquendi ratio Augustinum habet auctorem[2]. Hic enim duplicem angelis ac beatis cognitionem rerum creatarum assignat; alteram qua res illas in sese contuentur, quam vocat cognitionem *vespertinam*, ut quæ sit obscurior, et quodammodo decoloratior; qualis inclinante jam in occasum sole lux est, quæ propterea *crepera*, id est *dubia* ab antiquis appellata est, unde et *crepusculum* dictum : alteram *matutinam*, qua res eædem non jam in se, sed in earum molitore et artifice Dei Verbo considerantur. Est enim Verbum virtus et sapientia Dei Patris, ejusque vis et efficientia, ut postea demonstrabimus. Ideo quæ a Patre fiunt, uti nonnisi per illud fiunt, sic nonnisi per illud, et in illo videntur. Cognitio quippe creaturæ, ait Augustinus, « in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in

Melius in Verbo quam in se res cunctæ videntur.

1 Cap. III et XI. — 2 Lib. IV *de Gen. ad lit.* c. XXII, et seq. et XI *de Civ.* c. VII.

arte, qua facta est. Ideo vespera congruentius, quam nox dici potest[1].» Jam vero cum et virtus ipsa Dei, ac voluntas, ejusque proposita decretaque omnia, et exemplares formæ, quas ideas nominant, nihil ab Dei natura discrepent, sed una sint cum ea, simplicissimaque res, necesse videtur, quidquid in exemplaribus et efficientia Dei comprehenditur, ab eo conspici, qui Dei naturam intuetur. Quod quidem ex illa Prosperi sententia, et argumentatione videtur effici. « Nec latebit, inquit, jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum [2]. » Et alibi, « non solum omnium creaturarum, ait, rationem, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie revelata conspicient [3]. » Tum auctor *Speculi* apud Augustinum, capite XXVII : « Quid nos tunc latere poterit, quando tu Deus noster, vita viventium, causa causarum, forma formarum, informata te nobis clara visione insinuabis? » Possunt et alia non pauca colligi loca veterum, in quibus infinite ita traditur, videri a beatis quidquid rerum creatarum inest in Deo, vel ejus potestate, ac scientia.

[...]umque [...]runt, [...]nt et [...]unt, a [...]eatis [...]entur.

IV. Quod si quis omnia illa, quæ a beatis in Deo cognosci universe demonstrant Patres, de iis intelligenda neget, quæ fieri a Deo possunt, tametsi nunquam futura sunt; illud saltem restare videtur, ut quæcumque fuerunt, aut sunt, eruntque, beati ex æquo omnes aspiciant. Nam illorum verba infinite concepta sunt, quibus ab angelis, vel hominibus in Deo spectari omnia docent. Sic Basilius in primo libro *de Vera virginitate*, virginem Deo consecratam admonet, ut non tantum angelos vereatur, sed etiam homines sanctos, ac patres. « Et quid singula commemoro, inquit, angelorum innumerabiles multitudines, cumque iis sanctos Patrum spiritus? Nullus enim eorum est, qui non ubique prospiciat, cum ipse quidem corporis oculis non conspectus, incorporeo tamen visu ad notitiam universa complectatur [a]. » Augustinus item angelos scribit, « procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius novisse, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo, per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura [4]. » Gregorius item Papa in homilia XL : « Qui creatoris sui claritatem, inquit, vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint. » Albinus Flaccus lib. *de Divinis officiis*, capite *de celebratione Missæ* : « Nec dubitandum est, ait, fidelium petitiones a justorum spiritibus sciri; quia qui intus Dei claritatem vident, non est credendum, quia sit aliquid foris, quod ignorent [5]. » Cujusmodi antiquorum testimoniis hodierni Hagiomachi pulsantur, qui a sanctis cum Christo regnantibus exaudiri preces nostras, ac statum conditionemque nostram sciri et intelligi non putant; contra quos alias disputandum erit : id enim obiter tantummodo nunc agimus. Atque ut hunc absolvamus locum, principio minime verum illud arbitramur, beatos sive angelos, sive homines omnia, quæ fieri a Deo possunt, intueri, et cum infinita omnipotentiæ illius amplitudine intelligentiam, ac scientiam adæquare suam. Quod ex iis necesse est sequi, quæ de perfecta Dei cognitione, quam *comprehensionem* nominant, supra docuimus. Ostensum est enim, absolutam illam Dei comprehensionem, quam creata res nulla potest consequi, in eo consistere, quod infinita Dei omnipotentia plene cognitioni nostræ pateat. Id autem tum fieri, cum res omnes, quas *possibiles* vocant, distincte perspiciuntur.

V. Sed sunt aliqui, qui, etsi Deum minime comprehendi creatarum mentium intelligentia posse fatentur; non id tamen vel sacras Litteras, vel antiquos Patres satis diserte tradidisse putant. Ac si comprehensionis ea tenetur ratio, quæ in scholis jam inveteravit, ut sit cognitio nativæ rei cognitæ dignitati pari excellentia respondens, nemini fas sit ambigere, quin nulla, ne extraordinaria quidem Dei vis illam possit efficere : verum ea seposita, vel repudiata potius, ut quæ veteri theologiæ funditus ignota sit, quicumque tandem alius comprehensionis modus adhibeatur, ac noster ille præsertim antecedenti disputatione confectus, an ex Scripturis, priscisque Patri-

a Basil. I. *de Virg.* Καὶ τί λέγω καθ' ἕκαστον; τῶν ἀγγέλων ἀναρίθμητα πλήθη, καὶ μετὰ τούτων τῶν πατέρων ἅγια πνεύματα; οὐδεὶς γὰρ τούτων ἐστὶν, ὃς οὐχὶ πανταχοῦ καθορᾷ, αὐτὸς μὲν σώματος ὄμμασιν οὐχ ὁρώμενος, ἀσωμάτῳ δὲ βλέμματι περιλαμβάνων εἰς γνῶσιν τὰ σύμπαντα.

1 Lib. XI *de Civ.* c. VII. — 2 Pros. lib I *de vita Cont.* c. IV. — 3 Idem, lib. III, c. XXXIII. — 4 Lib. IV *de Gen. ad lit.* c. XXIX. — 5 *Biblioth. Patrum, de Div. off.*

bus ita comprobari possit, ut ad christianam spectet fidem, id in controversiam adducitur. De quo breviter statuimus sic : Videri tam ex divinis Litteris, quam ex antiquorum consensu prorsus obfirmatam illius dogmatis fidem, ut de eo nullus hæsitandi sit relictus locus. Etenim Scripturæ, Deum videri non posse sæpius prædicant, et *invisibilem* illum nominant, non solum eo sensu, ut vel de vitæ mortalis statu, vel de oculo corporis interpretandæ sint; sed interdum ita, ut perfectum aliquem mentis intuitum agi constet, qui a creatura sit omnino removendus. Christus apud Joan. evangelistam : *Non quia Patrem*, ait, *vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem* [1]. Et idem evangelista cap. I : *Deum nemo vidit unquam* [2]. Apostolus item in priore *ad Timoth. : Regi. sæculorum immortali invisibili* [3]. Et in ead. epist. : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* [4]. Item in priore *ad Corinthios : Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* [5], etc. Et, *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Omnia quæ a Deo fieri possunt beati non vident.

VI. Hæc et ejusdemmodi cætera loca, quæ in utroque Testamento aut non videri docent, aut perfecte non cognosci Deum, etsi variis, imo etiam probabilibus interpretationibus aliorsum trahi singula possunt, mihi tamen persuadent, non posse comprehendi Deum, esseque ἀκατάληπτον, et *incomprehensum*. Persuadent vero propterea, quod ex illis christiana fere omnis vetustas dicit, Deum nec ab angelis, nec ab ulla creata intelligentia videri, perfecteque cognosci. Quod cum de sola, et simplici, ac perspicua nihilominus, claraque Dei visione neutiquam intellexerint, quam in æternæ statu felicitatis adepturos esse beatos sentiunt ; profecto nihil aliud in animo videntur habuisse, nisi hoc, quod sæpe diximus, ita videri Deum, ut ex toto, et ut in se est, a seque ipso videtur, creata res illum nulla contueri possit. Relegantur superiora capita, in quibus veterum illorum quamplurimas sententias attulimus, quæ videri non posse Deum, ut in se est, aut similia quædam asserunt. Easdem porro non sic accipiendas esse, uti recentiores aliqui censent, tanquam clarum divinæ naturæ intuitum funditus detrahant, ibidem ostendimus. Igitur ex communi sensu, et interpretatione veterum Patrum illæ ipsæ Scripturæ significant, perspicue videri quidem a beatis Deum, sed non perfecto aliquo notitiæ genere, quo quidquid in Deo, ejusque vi ac potentia continetur omnino percipiant. Hoc autem illud ipsum est, quod comprehensionem dicimus. Quamobrem si in explanandis divinis Litteris, et ex earum testimonio conficiendis catholicis dogmatibus, non tam verba, quam sententias observare decet, tum istæ ipsæ sententiæ ex antiquorum Patrum usu, et auctoritate dijudicandæ sunt, quid ex eo sit consentaneum, facile est discernere. Nimirum id, quod dixi, consequens erit, perfecte cognosci, comprehendique Deum ab nullo alio, quam a seipso posse ; idque ipsum Scripturis testibus approbatum, adeoque catholica fide compertum haberi. Sed legenda, pauloque attentius inter se comparanda sunt, quæ superioribus in capitibus exposuimus, ne idem hoc loco repetere, ac longiores esse cogamur. Quamobrem, cum non ex toto comprehendatur a beatis mentibus Deus, nec omnia, ad quæ illius omnipotentia pertinet, ab illis cognoscantur, hoc perinde certissime constat, cum alios aliis clarius ac perfectius Deum cernere, tum plura, vel pauciora pro meritis ac modulo felicitatis suæ illius effecta percipere. Quæ res propriam habet quæstionem, quæ in sequenti capite disceptabitur.

CAPUT X.

De inæqualitate visionis Dei, et æternæ felicitatis, quæ ex sacris Litteris primum adstruimus : tum ex antiquorum Patrum testimoniis. Joviniani, et fortassis Origenis error discutitur. Undenam diversitas illa, et inæqualitas oriatur.

I. Quemadmodum bonis justorum operibus constitutum a Deo præmium est æternæ beatitudinis ; sic non omnibus par, idemque propositum esse ; sed pro meritis cujusque diversum et inæquale, Scripturarum omnium, et antiquorum Patrum monumenta testantur. Nam loca sunt innumera sacrorum Librorum, quibus hoc aperte, ac sine ambiguitate traditur, quibus Jovinianum sui temporis hæreticum pro sempiternæ mercedis æqualitate certantem arguit Hieron. in posteriore libro duorum, quos adversus illum edidit. Asserebat enim ille [6], « duos esse tantum ordines, ovium et hircorum ; alterum justorum, alterum peccatorum ; alios stare a dextris, alios a sinis-

1 *Joan* VI, 46. — 2 *Joan* I, 18. — 3 *Tim.* I, 17. — 4 *Tim.* VI, 16. — 5 I *Cor.* II, 10. — 6 Hieron. II *cont. Jov.*

tris. » Itaque Stoicorum more tam æqualia esse omnia peccata, quam recte factorum merita dicebat, adeo ut « inter Joannem, et ultimum pœnitentem nulla sit distantia [1]. »

Quam impudentis, et indocti hominis proterviam divinarum Litterarum auctoritate frangit Hieronymus; quæ, ut dixi, meritorum ac præmiorum inæqualitatem sine ulla ambiguitate persuadent. Quid enim aliud Apostolus in priore *ad Cor.* cap. III [2], verbis istis significare voluit : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem?* Tum tota illius loci disputatio eodem spectat, cum operum diversitatem commemorat, quæ super unum fundamentum, qui est Christus, excitantur. *Uniuscujusque opus*, inquit, *manifestum erit.* Ac « si is, cujus opus (verba sunt Hieronymi) arsit, et periit, et damnum sustinuit laboris sui, perdet quidem laboris præmium, sed ipse salvabitur, non tamen absque probatione ignis; ergo is, cujus opus manserit, quod superædificavit, sine ignis probatione salvabitur; et inter salvationem et salvationem utique erit diversitas aliqua. » Rursus in eadem epistola, *Alia claritas*, inquit, *solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* [3]. Et in posteriore epistola : *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus* (id est abunde), *de benedictionibus et metet* [4]. Ad hæc Apostolus ipse multum se de jure suo remisisse ait, et quæ alioqui erant licita, et ab aliis usurpabantur, iis uti noluisse [5], velut cum gratis Evangelium prædicare instituit, nulla accepta mercede, ut uberiora a Deo promereretur. *Quæ est ergo merces mea?* inquit. *Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium: ut non abutar potestate, quæ data est mihi in Evangelio* [6]. « Numquid potes dicere, peccare eos (verba sunt Hieronymi) qui vivunt de Evangelio, et qui de sacrificiis participantur? etc. Apostolus autem, qui non abutitur hac licentia, sed laborat manibus suis, ne quem gravet, et die ac nocte operatur, et ministrat eis, qui secum sunt, utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat. » Sic *Joannis* XIV, Christus apostolis loquens, *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus, dixissem vobis, quia vado vobis parare locum.* Quæ verba demonstrant præmiorum, ut et meritorum inæqualitatem. « Non quomodo multæ mansiones apud Patrem, ait Tertull. *Scorpiac.*, cap. VI, si non pro varietate meritorum? Quomodo et stella a stella distabit in gloria, nisi pro diversitate radiorum? » Et Greg. Papa lib. IV *Moral.* cap. XXXI : « Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum; ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Unde in Evangelio veritas dicit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* » Et in libro XXXV, capite XIV : « Apud Patrem quippe mansiones multæ sunt, quia in illa beatitudinis vita non dispari unusquisque, juxta dispar meritum, locum disparem percipit; sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit. »

[Margin: ...mia in ...do ...qualia.]

II. Præter Jovinianum haud scio, an non Origenes æqualitatem illam gloriæ saltem post occasum mundi hujus agnoverit homilia I in *Matthæum.* Ubi locum illum Apostoli, *Stella a stella differt in claritate* cum eo comparans, quod Christus ait, *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* [7], putat initio beatitudinis justos inæquali splendore fulgere; post judicium vero, in unicum solare lumen esse conflandos. « Opinor equidem, ait, quod in exordiis beatitudinum, quæ sunt in iis, quæ (qui) salvi fiunt, quoniam nondum purificati sunt, qui tales non sunt, differentia sit luminis eorum, qui salvi fiunt. Cæterum ubi, quemadmodum diximus, collecta fuerint a toto Christi regno omnia scandala, et cogitationes, quæ gignunt iniquitatem, conjectæ fuerint in caminum ignis, consumptaque fuerint deteriora : et dum hæc geruntur, ad se redierunt qui receperant sermones, mali illius filios, tunc justi unicum solare lumen facti, fulgebunt in regno Patris sui [8]. » Qui locus ad execrandum illud ejusdem Origenis dogma referendus videtur, quo, damnatos omnes, ac dæmones, post longissimi temporis purgationem, ad salutem et cœlestem gloriam perventuros esse docuit; ut alibi dicemus. Tunc igitur, cum restituti omnes in integrum fuerint, et ab omnibus creaturis, ut Gregorius etiam Nyssenus ibidem citandus loquitur, una quædam glorificatio offerri Deo cœperit; tunc, inquam, eodem, et uno splendore, solis instar, beatos omnes illuminandos esse mihi Origenes dicere videtur.

III. Sed contemnenda est hominis μικρολογία,

1 Hier. II *cont. Jov.* — 2 Vers. 8 — 3 I *Cor.* XV, 41, 42. — 4 II *Cor.* IX, 6. — 5 I *Cor.* IX. — 6 Ibid. vers. 18. — 7 *Matth.* XIII, 43. — 8 Orig. in *Matth.* col. 3.

et in Scripturæ vocibus exiliter, et Judaico more perpendendis nimia, et affectata curiositas, quod capitale isti fuit, ac fons errorum omnium, quorum ad posteritatis memoriam infamia laboravit. Nam locus ille Apostoli de inæquali stellarum claritate, quam inepte detortus, ac præter omnem communis sensus, et rationis speciem! Itaque præpostera illa interpretatione spreta, catholici doctores omnes disparem illic in beatis felicitatis, ac Dei videndi modum exprimi judicarunt. Ut Hilarius, qui in *Enarratione Psalmi* LXIV, tum ex hoc Pauli, tum ex aliis locis inæqualitatem istam approbat. « Itaque non res indiscreti judicii electio est, inquit, sed ex meriti delectu facta discretio est, etc. Multas mansiones Dominus in cœlis esse testatur. Sed Patrem orat, ut apostoli ubi et ipse sit maneant, dicens : *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi sum ego, ibi et illi sint mecum*[1]. Ex plurimis ergo mansionibus apostolis suis eam, quæ sibi est propria, communicat. » Ac mox : « Sed non ob id bonorum cœlestium spes adimitur, si non omnes ad cohabitationem Dei eligentur. Plures enim mansiones diversæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet diversa sit dignitas, differt enim stella stellæ in gloria, tamen quotquot habitationibus, variis licet, digni habebuntur, fidei fructum, et honorem cœlestis gloriæ sortientur. »

Augustinus item in libro *de Sancta virginitate* : « Stella tamen, inquit, ab stella differt in gloria. Sic et resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diversa sanctorum. » Et in tract. LXVII, *in Joan* : « Multæ, inquit, mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum. Stella enim a stella differt in gloria; sic et resurrectio mortuorum; tanquam stellæ sancti diversas mansiones, diversas claritates, tanquam in cœlo sortiuntur in regno. » Et alibi sæpius idem repetit[2]. Fulgentius quoque in libro CXI *ad Trasimundum* : « Et adoptantis gratia, cunctis ex Deo nascentibus, quamvis diversæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, unum tamen cunctis filiorum nomen accommodat, et una per fidem veram renatis vita cœlestis regni promittitur, quamvis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo beato dicente : Alia claritas solis[7], etc. »

IV. Ita Chrysostomus homilia XLI in *Priorem ad Corinthios* : « Tametsi in regno cœlesti sint omnes, non omnes tamen iisdem potiri præmiis significari docet illa similitudine stellarum; uti nec in gehenna peccatores omnes eadem tormenta patientur[a]. » Et Theodoretus ad eumdem Apostoli locum, « Non omnes, ait, justi ejusdem præmii erunt participes; sed recte factis congruam habebunt remunerationem[b]. » Quod et Christum iis verbis indicasse scribit : *Multæ sunt mansiones apud Patrem meum*[3]. Idem et Macarius docet homilia XL. Ad easdem mansiones alludens Ambrosius, « Homines, inquit, a primo cœlo ad secundum, et deinceps a secundo ad tertium, et ab illo per distinctiones fere ad septimum cœlum, atque in ipsam apsida, et summitatem cœlorum, qui merentur ascendunt[4]. » Tanquam variis in cœlis mansiones illæ sint attributæ. Atque idem in libro V in *Lucam* : « Cum fueris, inquit, in regno cœlorum, tunc processus est mansionum. Etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno cœlorum. »

Prosper item in sententia CCCLX : « Multæ mansiones in una vita varias meritorum significant dignitates. Sed ut Deus omnia in omnibus erit, sic etiam in dispari claritate per gaudium, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. » Nam ut idem ait in epigrammate LXVI :

« Ut sacri templi quacumque in parte locetur,
Magnum erit, in capitis corpore quidquid [erit. »

Denique Fulgentius in libro *de Trinitate* : « Tantum, ait, amplius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit, præceptisque ejus obediens fuit. » Quod ex Apostolo confirmat, qui sic scribit : *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*[5]. Hoc ipsum omnia illa Scrip-

a Chrys. Ὅτι εἰ καὶ ἐν βασιλείᾳ πάντες, οὐ πάντες τῶν αὐτῶν ἀπολαύσονται· καὶ εἰ πάντες ἐν γεέννῃ οἱ ἁμαρτωλοὶ, οὐ πάντες τὰ αὐτὰ ὑπομενοῦσι.

b Theodor. Οὐδὲ γὰρ ἅπαντες οἱ δίκαιοι τῶν αὐτῶν μεθέξουσιν· ἀλλὰ σύμμετρον τοῖς κατορθώμασι τὴν ἀντίδοσιν λήψονται.

1 *Joan.* XVII. — 2 Tom. X Ser. LXVI, *de Verb. Dom.* c. III, et lib. II *de Gen. ad lit.* c. XVI, lib. *de Spir. et lit.* c. XXVIII. — 3 *Joan* XIV. — 4 Amb. in *Psal.* XXXVIII, ver. 38. — 5 I *Cor.* III.

turæ, ac sanctorum testimonia persuadent, quæ unicuique justorum, ac sanctorum pro meritorum, ac laborum modulo, consentaneam felicitatis æternæ mercedem esse persolvendam adstruunt, quæ sunt innumerabilia. Tum imprimis ea, quibus certis operibus, quæ vel præstantiora, vel sine ullius necessitate præcepti sponte suscepta fuerint, uberioris præmii compensatio promittitur. Quæ quidem supererogata opera dicuntur, de quibus alibi diximus [1].

V. Undenam vero inæqualis ille rei simplicissimæ, individuæque contuitus existat, hoc est qui fiat, ut eadem Dei natura, pro meritorum diversitate, clarius, aut minus perspicue videatur : tum utrum naturalis intelligentiæ vis, ac mentis acies, itidem ut in doctrinis percipiendis usuvenit, ad beatæ illius visionis perfectionem aliquid conferat, ac propterea angeli Deum melius, quam homines ipsi, videant, longis accuratisque certationibus disputant scholæ. Quod ideo a proposito nostro alienum est, quia perexiguam controversiarum istarum significationem antiquorum scripta perhibent, e quibus instituta hic a nobis theologicorum dogmatum tractatio tota dependet. Unum hoc paucos ex illis animadverti dicere, pro mentis, ac cognoscentis facultatis conditione, visionis istius, et eorum, quæ una percipiuntur, varietatem, et inæqualem perfectionem existere. Nam Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesi* VI, ubi de beata Dei contemplatione loquitur, postquam illa scripsit, quæ nos supra ex eo descripsimus, angelos Deum intueri « quatenus capere ipsi queunt [a], » ac solum unigenitum Filium cum Spiritu sancto perfecte conspicere : superioris autem ordinis angelos, veluti thronos, et dominationes plenius videre, quam inferioris, ut sunt angeli et archangeli [b] : deinceps disparis illius contemplationis causam hanc subjicit, quod « unicuique, quantum capax est, revelatur a Filio et Spiritu sancto Deus [c]. » Tum vero, « Unicuique angelorum, ait, pro modulo virium, revelat cum Spiritu per Spiritum sanctum Unigenitus [d]. »

Ita Gregorius Nazianzenus oratione XXXIV, « angelos, prout illorum est ordo, plus minusve Deum cernere [e], » non sine dubitatione scribit. Sic Dionysius in capite primo *de Divinis nominibus*, « Si quid sapientissimæ, ac verissimæ theologiæ decreto fidei est habendum, pro ratione uniuscujusque mentis, divina revelari, et inspici asserit, eo quod divina illa et principalis bonitas præ modi ac mensuræ servatrice justitia, immoderatum omne, tanquam id, quod capi non potest, secernit [f]. » Qui locus insignis est; in quo, uti Maximus observat, de angelis non minus, quam de hominibus loquitur. Imo de illis præsertim : quoniam νόες, id est *mentes*, proprie vocantur angeli. Igitur beatis mentibus « pro cujusque modulo, ac facultate perspicua Dei illuminatio tribuitur, [g] » ait Maximus. Quod est justitiæ proprium. « Hujus enim est pro cujusque merito ac dignitate partiri. Quocirca modum omnem superat quidem Dei cognitio ; nos autem modo ac mensura opus habemus. Nam si immoderate nobis revelaretur, ab interitu servari non possemus, uti neque corporis oculus si totum solem reciperet [h]. » Idem etiam et in capite nono libri *de Cœlesti Hierarchia* tradit Dionysius : « pro intelligibilium oculorum, visionumque dissimilitudine divini splendoris ac

a CYRIL. *Cat.* VI. Ἀλλὰ βλέπουσιν οἱ ἄγγελοι, οὐ καθώς ἐστιν ὁ Θεὸς, ἀλλὰ καθόσον καὶ αὐτοὶ χωροῦσιν.

b Et mox : Βλέπουσιν οὖν οἱ ἄγγελοι καθ' ὃ χωροῦσι· καὶ ἀρχάγγελοι καθ' ὃ δύνανται, θρόνοι δὲ, καὶ κυριότητες μειζόνως μὲν παρὰ τοὺς πρώτους, ἔλαττον δὲ τῆς ἀξίας.

c Ibid. Οὐδὲ γὰρ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, φησὶν, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἂν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ. βλέπει καθ' ὃ δεῖ, καὶ ἀποκαλύπτει σὺν τῷ πνεύματι, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος, καθ' ὃ ἕκαστος χωρεῖ, τὸν Θεόν.

d Ibid. Κατὰ γὰρ τὴν οἰκείαν ἑκάστῳ δύναμιν, ἀποκαλύπτει σὺν τῷ πνεύματι διὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ὁ μονογενής.

e NAZ. Αἵ (sub. φύσεις αἱ ἀνωτέρω) διὰ τὸ πλησίον εἶναι Θεοῦ, καὶ ὅλῳ τῷ φωτὶ καταλάμπεσθαι, τυχὸν ἂν καὶ τρανοῖντο, εἰ καὶ μὴ πάντῃ· ἀλλ' ἡμῶν γε τελεώτερόν τε, καὶ ἐκτυπώτερον, καὶ ἄλλων ἄλλαι πλεῖον ἢ ἔλαττον, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς τάξεως.

f DION. initio libri *de Div. nom.* Καὶ γὰρ εἴ τι δεῖ τῇ πανσόφῳ, καὶ ἀληθεστάτῃ θεολογίᾳ πείθεσθαι, κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἑκάστου τῶν νοῶν, ἀνακαλύπτεται τὰ θεῖα, καὶ ἐποπτεύεται.

g MAXIM. ad cap. I. *de Div. nom.* Κατὰ τὸ μέτρον τῆς ἑκάστου δυνάμεως ἡ παρὰ Θεοῦ χορηγεῖται σαφῶς ἔλλαμψις.

h Ibid. Δικαιοσύνης γὰρ ἴδιον τὸ κατ' ἀξίαν ἐπιμετρεῖν ἑκάστῳ. τοιγαροῦν ἀμέτρητος μὲν ἡ περὶ Θεοῦ γνῶσις. ἡμεῖς δέ μέτρων δεόμεθα. εἰ γὰρ ἀμέτρως ἡμῖν ἀπεκαλύπτετο, οὐκ ἂν ἐσώθημεν· ὡς οὐδὲ σωματικὸς ὀφθαλμὸς ὅλον ἥλιον δεχόμενος.

1 Vide lib. II *Dissert. Eccl.* c. VI.

radii communicationem esse diversam [a]. » Epiphanius denique in hæresi *Audianorum,* divinæ voluntati, ac potentiæ diversos illos divinæ visionis gradus assignat [1].

Solet autem in scholis disputari subtilius, an ad perfectionem divini illius aspectus quippiam conferat mentis et intelligentiæ vis naturalis; an nihil intersit omnino : sed varietatis illius, et inæqualitatis causa ex eo solo, quod *gloriæ lumen* vocatur peti debeat. De quo nihil hic dicimus.

CAPUT XI.

De parabola Operariorum, quæ est Matthæi XX, *ex qua æternæ compensationis æqualitas videtur adstrui. Diversæ illius interpretationes attinguntur ; quibus simplex quædam antefertur. Generalis regula Parabolarum explicandarum. Solum id in nostra spectasse Christum, ut æternæ felicitatis præmium ex solo gratiæ fonte proficisci monstraret.*

I. Ex multis divinæ Scripturæ locis, quæ et præmiorum æqualitatem utcumque suadere videntur, et a Joviniano allata, ab Hieronymo in secundo adversus illum libro sunt exposita, una mihi seligenda parabola est, quam Matthæi vigesimo cap. Christus edisserit. Hæc enim cæteris ad explicandum difficilior est, et magna interpretationum varietate jactata. Igitur simile esse regnum cœlorum dicitur, hoc est perinde regni, sive Ecclesiæ, ac fidelium status administrari, et operæ in illo ac mercedis ratio procedere, ac si paterfamilias ad colendam vineam operarios conducat, et prima diei hora alios mittat, alios hora tertia, alios sexta, et nona et undecima; tum diurno labore functis eumdem omnibus denarium, de quo cum prima hora conductis convenerat, persolvat, ita ut nihilo plus tribuat iis, qui totum diem in opere consumpserant, quam qui tardius; imo ultima hora in laboris partem venerunt. Hæc enim figurata Christi oratio eum sensum prima specie objicit; parem omnibus post mortem inæqualium alioqui recte factorum mercedem esse propositam, ut neque qui plus laboris in vita sumpserit, neque qui diutius ac fortius in opus incubuerit, copiosiore sit remuneratione donandus eo, qui levius, ac breviori tempore in opere sit versatus. Quod quidem, cum, ut est revera, sic iniquum, absonumque vulgo videretur, nemini dubium fuit, præterquam Jovinianis, Epicureisque porcis, quin aliqua interpretatione opus illic esset; atque ut meritorum ratio dispar ibidem cernitur, ita præmiorum investiganda esset aliqua dissimilitudo. Hoc vero non uno ab omnibus modo constituitur.

II. Etenim plerique duo quædam in æterna compensatione spectarunt, quorum alterum uniusmodi, et commune sit universis, alterum cujusque proprium, et pro meritorum varietate diversum. Illud sub denarii vocabulo, ac figura comprehendi; hoc vero tacite intelligi. Ac prius quidem partim ejusmodi esse voluerunt, quod velut individuum sit, nec amplius, aut minus in uno esse, quam in altero suapte natura possit, velut est æternitas, aut vita, quæ gradibus non constant; partim id specie, universeque pro uno accipi putarunt, quod in singulis inæquale esset, ac dissimile; ut qui gloriam, ac felicitatem interpretati sunt. Augustinus in sermone LIX, *de Verbis Domini,* capite IV. « Denarius, inquit, ille vita æterna est, et in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est. Quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi. » Et Hieronymus : « Unus autem denarius non unum est præmium; sed una vita, et una de gehenna liberatio [2]. » Ambrosius quoque : « O si nos quoque mercenarios digneris conducere, licet sero venientes! Nam et undecima conducis hora, et æqualem dignaris mercedem solvere; æqualem mercedem vitæ, non gloriæ [3]. » Ita rursus Hieronymus sub finem epistolæ CXLVI. « Et tu, qui hora sexta conductus es, novissimo invides, cur tecum denarium, id est æqualem consequatur salutem, licet salutis pro labore diversa sit gloria. » Et Augustinus in tractatu LXVII *in Joannem.* « Quo utique denario, inquit, vita significatur æterna; ubi amplius nemo vivit, quoniam

Quid in beatis omnibus æquale.

a Dion. cap. IX *de Cœl. Hier.* Ἀλλ' ἡ τῶν νοερῶν ὄψεων ἀνομοιότης, etc. τὰς μετουσίας ποιεῖ διαφόρους.

1 Hær. LXX n. 7. — 2 Lib. II *cont. Jovin.* — 3 Lib. VII *in Luc.* ad. c. XV.

vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates. » Vide et librum *de sancta Virginitate*, capite XXVI. Quo illud Prosperi spectat libro IV *de Vita contemplativa*, capite IV. « Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint, ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri sunt. »

III. Alii, ut Gregorius Nazianzenus, denarium æqualem significare mercedem ac gloriam existimant, quæ ideo novissime ad operam spe mercedis auctoratis par et eadem repræsentatur ac prioribus, et diuturniori labore confectis : quod illi perbrevi temporis spatio merita priorum assecuti sunt, imo etiam fortasse superarunt. « Deinde, inquit, etsi ad laboris modum plus contulerint qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis modum. Propter quam etiam fortasse postremis amplior merces debebatur; quamvis absurdum quodammodo potest videri quod dico[a]. » Ergo voluntatis in novissimis alacritas, et animi candor, atque æquitas cum longiore priorum mora compensatur, ut ibidem disputat Gregorius. Qui et mature conductos illos invidos fuisse, et murmurasse notat, cum postremi comiter quod datum sibi erat, accepissent, sic utrosque in bonis, et munerandis statuit Gregorius. Quod aliis non placet; qui obtrectatores illos, et murmuratores alienos ab salute, ac præmio esse malunt. Maldonatus prius illud Gregorii obtinet, parem utrisque repræsentatam esse mercedem, quod tardius conducti tantum una hora elaborarunt, ac tantum promeriti sunt, quantum cæteri diuturna opera. Sunt qui parabolæ sensum ejusmodi subjiciunt, ut non ad æternum futuræ vitæ præmium referatur, sed ad vocationem et donationem gratiæ, quam Deus pro sua voluntate partitur. Ita Vasquezius, qui auctorem illius sententiæ Jansenium citat; quod equidem miror. Etenim Jansenius capite CI *Concordiæ*, quem locum ille designat, diserte « operari ad statum præsentem : mercedem autem ad futurum pertinere » dicit[1]; ac sic enarrat, ut æternæ vitæ præmium sub denarii similitudine comprehendat.

IV. Sed ut aliorum opinionibus recensendis supersedeam, mihi supervacaneum videtur, omnes similitudinis partes tam anxie persequi, ut cum re significata id, unde sumpta parabola est, ad amussim congruat; quod plerumque puto esse vitiosum. Nam, ut eleganter disputat Augustinus[2], « Sicut in citharis, et hujuscemodi organis musicis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ; cætera tamen in toto citharæ corpore ideo fabricata sunt, ut esset ubi vincirentur, unde et quo tenderentur illæ, quas ad cantilenæ suavitatem modulaturus, et percussurus est artifex, ita in his propheticis narrationibus, quæ de rebus gestis hominum prophetico spiritu deliguntur, aut aliquid jam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit, unde illa significantia tanquam sonantia connectantur. » Sic Jovius Monachus apud Photium, « talem esse fingendarum parabolarum rationem ait, ut non ea tantum, quæ sunt facta, vel futura disserant, sed etiam illa, quæ quis intexens, evidentius quod in iis terrificum est, aut jucundum, aut consentaneum, aut omnino quod traditu facile sit, et utilitatem habeat, ostendat[b]. » Idipsum et Tertullianus affirmat, parabolas non omnibus sui partibus rei significatæ respondere. « Sunt autem, ait, quæ et simpliciter posita sunt ad struendam, et disponendam et texendam parabolam, ut illuc perducantur, quo exemplum procuratur[3]. » Eustathius item Homeri interpres recte illud observavit, « Non omnem parabolam omni ex parte cum re ipsa congruere, sed quædam interdum habere dissimilia, quæ negligere oportet, ea seligentes,

a Gregor. Nazian. Orat. XL. Ἔπειτα εἰ καὶ τῷ μέτρῳ τοῦ μόχθου πλεῖον εἰσήνεγκαν προεισελθόντες, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τῷ μέτρῳ τῆς προαιρέσεως. καὶ τυχὸν τοῖς τελευταίοις ἐκ ταύτης καὶ πλεῖον ὠφείλετο, εἰ καὶ παράδοξός πως ὁ λόγος.

b Apud Phot. cod. CCXXII. Ἀλλὰ γὰρ τοιοῦτον ἡ διάπλασις τῶν παραβολῶν. οὐ γὰρ τὰ γεγόνοτα μόνον, ἢ γενησόμενα διαλαμβάνουσι· ἀλλὰ καὶ ἃ ἄν τις συνυφηνάμενος ἐναργέστερον αὐτῶν τὸ καταπληκτικὸν, ἢ τὸ ἡδῦνον, ἢ τὸ ἀκόλουθον· ἢ ἁπλῶς τὸ εὐπαράδοτον παραστήσει, καὶ ὠφέλιμον.

1 In I part. disp. XLVII. c. IV. — 2 Lib. XXII *cont. Faust.* cap. XCIV et lib. XVI *de Civit. Dei* c. XI. — 3 Tert. *de Pud.* cap. IX.

quæ similia sint [a]. » Denique Chrysostomus ipse, dum hanc nostram parabolam exponit, cum de hac, tum universe de omnibus præscribit, « Non oportere omnia, quæ parabolæ continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutæ sunt, eoque percepto, et usurpato, nihil amplius inquirere [b]. » Ac, quemadmodum deinceps enarret, longum est exponere, quod quisque legendo facile percipiet.

Parabolæ scopus.

V. Mihi parabolæ finis, ac scopus in eo situs videtur, uti Christus demonstret, regni cœlestis, et æternæ salutis adipiscendæ modum, ac rationem non ex humanis æstimari judiciis, neque ex eo, quod in usu hominum, et consuetudine versatur, sed sola Dei gratuita voluntate, ac pro ejus arbitrio totum illud administrari. Ut quos quisque idoneos maxime putet ad æternam felicitatem obtinendam, et ad eam jure suo quodam admittendos; ii tamen præter omnium opinionem ab ea sæpius excidant. Contra autem, quos ab illius regni, ac felicitatis consortio prorsus alienos, nec unquam participes futuros haberet humana suspicio, eos præter omnium opinionem compotes fieri. Hunc esse parabolæ sensum ac finem, clausula ipsa nos docet : *Multi enim sunt vocati; pauci vero electi.* Hinc enim apparet solos ibi electos opponi reprobis, cum omnes vocati fuerint; nec de majori aut minori gloria electorum agi. Itaque cætera parabolæ istius extra sensum, et ἀπόδοσιν consistunt, nec in interpretatione locum habent. Velut est unus omnibus datus denarius, laboris operæque dispar mora, maturius conductorum querela, et id genus alia : quæ adornandæ, et instruendæ similitudini serviunt, qua id unum quæritur, ut intelligant totum salutis, regnique cœlestis negotium ex Dei arbitrio et voluntate pendere; quod ab Apostolo traditum sæpe adversus Pelagianos, et eorum reliquias inculcat Augustinus. *Gratia*, inquit, *salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est; non ex operibus, ut nemo glorietur* [1]. Neque vero propterea merita bonorum operum excludimus. Sed, cum et « bona ipsa vita, cui æterna vita redditur, Dei gratia sit, ut idem scribit Augustinus, et ipsa æterna vita gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur [2]. » Hoc ergo, quod in beatæ immortalitatis adeptione gratuitum est, sine ullo jure electorum, ac justitia respexit tantummodo Christus; ut et Augustinus, cum, vitam æternam dici gratiam, ab Apostolo, interpretatus est. De meritis autem nihil hic attigit. Alludit autem potissimum Christus ad Judæorum abdicationem, qui filii regni vocantur, et adoptionem gentium, quando illa Christi comminatio exitum habuit : *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus*[3]. Etenim « illi juxta vocationis ordinem primi fuerunt, ait Hieronymus, et appellabantur caput. Nos secundi, qui dicebamur cauda, versi sumus in caput, et Dei appellamur filii [4]. » Ad hunc modum si quis parabolam exponat, innumeras tricas, ac molestias vitabit, quæ particulatim omnia, vel pleraque invicem aptantibus occurrunt; in quibus neque ipsi sibi, neque lectori satisfaciunt.

Proposi-tionem.

Sane Augustinus in secundo *de Peccatorum meritis et remissione,* capite XVIII, parabolam istam sic accipit, ut quos temporius conduxit paterfamilias, et quibuscum pactus est de denario, ad reprobos referat, quibus Deus ex justitia reddit, quod merentur; novissimos autem, ad electos, quibus gratiam et misericordiam indulget. « Quare autem illos velit, inquit, convertere, illos pro aversione punire, quanquam et in beneficio tribuendo nemo juste reprehendat misericordem, et in vindicta exercenda nemo juste reprehendat veracem; sicut in illis Evangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem nullus juste culpaverit : consilium tamen occultioris justitiæ penes ipsum est. » Adeo nullum alium parabolæ illius scopum agnovit, nisi ut quidquid libitum sibi fuerit intelligamus Deum in nostræ salutis, et gratiæ negotio facere; ita, ut nemo vel rejectus, vel ascitus jure possit conqueri.

a EUSTATH. in *Iliad.* A. Οὐ πᾶσα παραβολὴ ὅλη διόλου κολλᾶται τῷ πράγματι· ἀλλ᾽ ἔστιν ὅτε καί τινα ἔχει ἀνόμοια ὧν ἀμελητέον ἐπιλεγομένους τὰ ὅμοια.

b CHRYS. Hom. LXIV, in *Matth.* Διόπερ οὐδὲ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι· ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι᾽ ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω.

1 *Eph.* II, 8 — 2 Lib. *de Grat. et lib. arbitr,* c. VIII. — 3 *Matth.* XXI, 43. — 4 In c. XI *Esa.* 5, 2.

CAPUT XII.

Utrum Patriarchæ, ac Prophetæ in antiqua lege Deum clare viderint. Nonnulli vidisse putarunt; sed probabilius est, nonnisi per speciem, et adumbrate vidisse, etiam Mosem, de quo dubitandi ratio potior. Tertullianus explicatur.

I. Uti perpetua, nec unquam interrupta Dei visio, quæ est plena felicitatis possessio, nulli in hac vita contigit : sic usus quidam illius perbrevi tempore concessus videtur : eoque potiti feruntur interdum patriarchæ veteres, ac prophetæ, de quo nobis hoc in capite perpauca disserenda sunt. Ac sunt antiquorum Patrum aliqui, qui vidisse Deum, ut est in sese, viventes adhuc illos vel affirmate dicunt, vel saltem suspicantur; quandoquidem hoc de nonnullis asseverant sacræ Litteræ, ut de Abraamo, Mose, Esaia, et similibus. Quinetiam ex eo adversus Arianos argumentantur, Dei Filium verum esse Deum, quod, ut communis tum ferebat opinio, solus in visis istis, et ἐπιφανείαις copiam faciebat sui Filius, latente interim Patre; qui ob idipsum invisibilis maxime habeatur : de qua veterum sententia dicetur alibi [1].

Hilarius certe libro quinto multum instat hoc de Mose, et Esaia Scripturæ testimonio. Quorum ille angelum Dei vidit in rubo, et eumdem nihilominus Deum. « Habes dispensationem, inquit, in angelo; quia in angelo officium est, non natura : habes in naturæ nomine Deum, quia angelus Dei Deus est. Sed forte non verus est. Numquid non verus est Deus Abrahæ, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Horum enim angelus de rubo loquens Deus in æternum est [2]. » De Esaia vero paulo post : « Esaias, inquit, Deum vidit, et cum scriptum sit; *Deum nemo vidit unquam*, *nisi Unigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris*, *ipse enarravit :* Deum tamen Propheta vidit, et gloriam ejus usque ad invidiam propheticæ dignitatis aspexit. Nam in judicium mortis ob hanc causam a Judæis actus est. » Alludit autem ad historiam illam, quæ de Esaiæ morte circumferebatur, quam Rupertus refert in libro tertio *de Victoria Verbi Dei*, capite XXVIII. « Esaiam, inquit, serratum esse accipimus, quasi justo, et legis judicio damnatum, eo quod dixerat : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* [3]. Contrarius enim ipsi Domino in hoc dicto esse judicatus est, quia de seipso dixit, *Non me videbit homo, et vivet* [4]. » Isidorus vero Hispalensis libro *de Vita et morte sanctorum*, capite XXXVII, tum ob hanc causam interfectum ait, tum etiam « quod Judæos appellasset principes Sodomorum et populum Gomorrhæ. »

II. Sed sic Hilarii mens potest a nobis accipi, ut non propterea clare, et ut in se est, Esaiam, vel Mosem, aut quemlibet cæterorum vidisse putet Deum, sed in aliqua specie, et effigie externa, ipsam Filii Dei conspectam illis esse personam. Ita enim nihilominus adversus Arianos illius procedet ratio, cum iste ipse, qui in imagine apparuit illa, verus nominetur Deus, et a Patre distinctus, etiam Filium verum credi Deum oportere.

Augustinus vero visum, ut in se est, a Mose Deum perspicue declarat in libro duodecimo *de Genesi ad litteram*, capite XXVII. Nam de eo agens, quod ille petens a Domino dixit : *Ostende mihi faciem tuam* [5], scribit sic. « Concupiverat enim, ut in *Exodo* legimus, videre Deum, non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur; neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum, sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis, et intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, et ab omni ſignificativo ænigmate spiritus. Sic enim scriptum est : Si *ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste*, *ut videam te*, etc. » Ac Dominus quidem negasse hoc illi visus est, cum ita respondit, *Non poteris videre faciem meam* [6]. Verum figurate hoc esse dictum censet Augustinus, et ad Ecclesiam pertinere, non ad Mosem. Quem id, quod petebat, viventem esse consecutum his verbis significat : « Nisi tamen concupitam, et desideratam Dei claritatem Moses videre meruisset, non in libro *Numerorum* diceret Deus ad Aaron, et Mariam fratres ejus, etc. *Os ad os loquar ad illum in specie, et non per ænigmata et claritatem Domini vidit* [7]. Ac demum quod dixit Dominus : *Non videbit me*

1 In I *de Trinit.* c. III et lib. VIII, c. II. — 2 *Exod.* II. — 3 *Esa.* VI. — 4 *Exod.* XXXIII. — 5 *Exod.* XXXIII, 13. — 6 Ibidem vers. 20. — 7 *Numer.* XII, 8.

homo, et vivet [1], ita Augustinus explicat : « Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus, et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam rapitur, et subvehitur visionem. » Atque hoc de Paulo etiam Apostolo probabile putat sequenti capite. Vide et epistolam ejusdem Augustini CXII, ubi de Mose id obiter significat. De quo homilia prima in *Hexaemeron* Basilius quoque, et Ambrosius [2] idem arbitrantur. «Qui octogesimum ætatis agens annum, ait Basilius ex Eustathii versione, vidit Deum, ut erat homini videre possibile ; imo ut nemini potius licuit alii [a]. » Ac ne de homine in mortali hoc corpore degente putes illum ista dixisse, statim addidit : « Hic itaque, qui in potiendis præsentibus Dei conspectibus angelis fuerat coæqualis, quæ auscultavit a Deo, disserit nobis. » Et Ambrosius, « Non in visione, neque in somniis, sed ore ad os cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentiæ divinæ cognitione dignatus. »

III. Verum non esse reipsa, et ut in se est, conspectum Deum ab antiquis prophetis, et patriarchis certior est fides, veterum fere omnium firmata consensu. Inter quos accurate, ac luculenter affirmat hoc Irenæus in libro quarto, capite XXXVII, ubi solum illis apparuisse putat Dei Filium, non in propria specie, ac natura, sed figuris, ac formis adumbratum humani præsertim corporis : «ut invisibilitatem Patris custodiret, nequando homo fieret contemptor Dei. » Ac subinde : « Non igitur manifeste ipsam faciem Dei videbant prophetæ, sed dispositiones, et mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum. » Ac demum : « Igitur si neque Moses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cœlestibus viderunt ; quæ autem ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini, et prophetiæ futurorum : manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo et Dominus dixit : *Deum nemo vidit unquam* [3] ; Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, et ad utilitatem videntium claritatem monstrabat Patris, et dispositiones exponebat. »

De Elia locus est Tertulliani, quem haud recte Pamelius accepit, in capite XV libri *de Patientia :* « Sedet, inquit, in throno Spiritus ejus mitissimi, et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus, et simplex, quem tertio vidit Elias. » Quod hic tertio vidisse dicitur Elias, nubem interpretatur Pamelius ; quam primum ostendit famulo suo, *quasi vestigium hominis* [4] : deinde quando ignea nube in cœlum est evectus [5], tertio quando in monte cum Christo apparuit [6]. Sed hæc diluta, et insulsa est expositio. Plane ad historiam illam alludit Eliæ, quæ est in tertio *Regum*, capite XIX, ubi Jezabelem fugiens abiit in desertum, et in spelunca Deum alloquentem audiit. Nam primo ventus ingens exortus est *subvertens montes, et conterens petras ;* tum commotio, id est tremor montis ; deinde ignis, ac postremo sibilus auræ tenuis, in qua Dominus affuit. Sed Tertullianus commotionem adjunxit vento, et pro uno, et eodem accepit, ut tertio demum in leni susurro Dei ἐπιφανείᾳ, et præsentia potitus sit.

IV. Philo Judæus in libro *de Nominum mutatione*, Mosem ait « naturæ haud aspectabilis, ac Dei inspectorem [b], » cum Deum, ut in se est, videre cuperet, voti compotem non esse factum, nec nisi Dei posteriora vidisse, hoc est creaturas corporeas ; cum ne spirituales quidem liquido perspicere fas illi fuerit.

Sic Athanasius, Gregorius Nazianzenus, aliique, quos Augustinus laudat epistola CXI Mosi, cæterisque, « alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate » Deum visum esse testantur ; et inter hos Ambrosius commentario *in Lucam*. Quem proinde verisimile sit, cum eo in loco, quem supra citavimus, Mosem ait Deum clare, et perspicue vidisse, non de ipsa illius natura, et essentia loqui ; sed de extraordinario, et clariore, præstantioreque, quam vulgo concessum sit, Dei contuitu, quemadmodum et Philo proxime commemoratus existimat. Nimirum, ut ait Gregorius Nazian-

a BASIL. hom. I. *Hexaem.* Ὅς ὀγδοηκοστὸν ἤδη γεγονὼς ἔτος εἶδε θεὸν, ὡς ἀνθρώπῳ ἰδεῖν δυνατόν· μᾶλλον δὲ ὡς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὑπῆρξε.

MOX : Οὗτος τοίνυν ὁ τῆς αὐτοπρωσώπου θέας τοῦ Θεοῦ ἐξ ἴσου τοῖς ἀγγέλοις ἀξιωθεὶς, ἐξ ὧν ἤκουσε παρὰ τοῦ Θεοῦ, διάλεγεται ἡμῖν.

b PHILO. Μωσῆς οὖν ὁ τῆς ἀειδοῦ φύσεως θεατὴς, καὶ θεόπτης, etc.

1 *Exod.* XXXIII, 20. — 2 Lib. I, cap. II. — 3 *Joan* I, 18. — 4 III *Reg.* XVIII, 44. — 5 IV *Reg.* II. — 6 *Matth.* XVII.

zenus, « Si quis Deum novit, aut cognovisse perhibetur, eatenus cognovit, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quam qui minus lucis divinitus accepit. Ita exsuperantia hæc, plena, et numeris omnibus absoluta cognitio habita est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum, et facultatem perpensa[a]. » Quod subinde latius exponit. Probat id vero Basilius adversus Eunomium disputans, ut in *Eclogis* refert Joannes Damascenus, hoc argumento, « quod diversis omnes modis prophetæ viderunt Deum. Etenim Deus est simplex, et non compositus, neque figuram habet. At illa varias intuebantur figuras[b]. » Ibidem quoque Damascenus, Severianum Gabalitanum episcopum citat, qui ob eamdem causam existimat prophetas divinam ipsam essentiam non vidisse, quod multis modis ab illis ea conspiceretur.

V. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi IX, indidem quoque de prophetis id approbat, quod scriptum sit : *Nemo faciem meam videbit*[1], *et vivet*. Tum addit : « Singulari Dei benignitate factum esse, ut divinitati suæ tanquam velum cœleste corpus oppanderet, ne nos periremus[c]. »

Epiphanius vero in hæresi *Audianorum*[2] copiose de hoc argumento agit, ac prophetis, patriarchis, ac cæteris vere quidem apparuisse docet, non tamen ut in sese est, sed qua voluit specie. Nec minus Chrysostomus, et in his libris, quos contra Anomœos elucubravit, ut supra meminimus, et in homilia XV, *in Joannem*, et initio homiliæ primæ in epistolam *ad Hebræos*. Ac passim hanc Dei visionem κατὰ συγκατάβασιν esse factam asseverat, et imagine tenus, non secundum propriam substantiam ; cui et Græci, qui post eum scripserunt, assentiuntur. Adstipulator et Dionysius accedit, præsertim in capite IV libri *de Ecclesiastica Hierarchia*, qui etiam omnes illas ἐπιφανείας per angelos administratas fuisse vult, tanquam αὐτοπροσώπως, ac per se Deus sese illis non objecerit. Quod tamen moderatione aliqua temperandum videtur, id quod alibi faciemus[3].

Manifestationes.

Gregorius item Nyssenus lib. XII *contra Eunomium*, uberem de hoc ipso orationem expromit, ac nominatim Abraamum, qui Deum, quatenus in præsenti vita conspici fas est, vidisse legitur, non ipsam ejus vidisse substantiam demonstrat. Accurateque idem docet Cyrillus Alexandrinus libro nono *in Joannem*.

Recte idipsum probat auctor *Quæstionum ad Antiochum*, quæ inter Athanasii opera clusæ sunt, ex eo, quod longo post prophetas illos, et patriarchas, eorumque visiones tempore Joannes Evangelista nihilominus dixerit, *Deum nemo vidit unquam*. Et Paulus : *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*. Quare « nullus, inquit, hominum potest Dei substantiam nudam usquam cernere. Verum Deus ad humanam se demittens imbecillitatem, sub diversis figuris prophetis apparebat[d]. » Vide et dialogum tertium Macedoniani, et orthodoxi in eodem tomo operum Athanasii.

Phœbadius quoque in libro *contra Arianos*, refellens id, quod illi jactitabant, solum Deum Filium aspectabilem esse ; Patrem autem videri non posse, « Quasi, inquit, usquam inveniamus vel Filium sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obediens fieret ex æternitate corporeus. » Quod singillatim deinde probat[4].

---

a Naz. Orat. XXXIV. Ὥστε καὶ εἴ τις ἔγνω Θεὸν, ἢ ἐγνωκέναι μεμαρτύρηται, τοσοῦτον ἔγνω, ὅσον ἄλλου μὴ τὸ ἴσον ἐλλαμφθέντος, φανῆναι φωτοειδέστερος, καὶ τοῦ ὑπερβάλλον, τέλεον ἐνομίσθη οὐ τῇ ἀληθείᾳ, τῇ δὲ τοῦ πλησίον δυνάμει παραμετρούμενον.

b Basil. apud Dam. *in Eclog.* tit. XLVIII. Ὅτι γὰρ πάντα ἐκεῖνα συγκατάβασις ἦν, καὶ ἀκραιφνῆ τὴν οὐσίαν οὐδεὶς εἶδεν, ἐξ ἐκείνων δῆλον, ἐκ τοῦ διαφόρως ἕκαστον ὁρᾷν. ὁ γὰρ δὴ Θεὸς ἁπλοῦς, καὶ ἀσύνθετος, καὶ ἀσχημάτιστος· οὗτοι δὲ πάντες σχήματα ἔβλεπον διάφορα.

c Cyril. Hieros. *Cat.* IX. initio. Διὰ τοῦτο κατὰ τὴν μεγίστην αὐτοῦ φιλανθρωπίαν ὁ Θεὸς παραπέτασμα τῆς οἰκείας θεότητος ἐξέτεινε τὸν οὐρανὸν, ἵνα μὴ ἀπολώμεθα.

d Quæst. XXVIII, *ad Ant.* Ὥστε οὐδεὶς ἀνθρώπων δύναται Θεοῦ οὐσίαν γυμνὴν ἰδεῖν οὐδαμοῦ· ἀλλὰ πρὸς τὴν τῶν ἀνθρώπων ἀσθένειαν συγκαταβατικῶς ὁ Θεὸς σχηματιζόμενος τοῖς προφήταις ἐφαίνετο.

1 *Exod.* XXXIII, 20. — 2 Num. 6 et seq. — 3 Lib. VIII *de Trinit*, cap. I. — 4 Tom. IV *Biblioth. Patrum*.

CAPUT XIII.

Ecquid sancti æternæ modo sunt felicitatis compotes; quod hodie in fidei dogma susceptum, olim dubios habuit nonnullos Patres. Idem vero auctoritate veterum approbatur, Græcorum et Latinorum. Hoc ipsum eo significari, quod in cœlum, ac paradisum recipi dicuntur. Tum ex descensu Christi ad inferos idem adstruitur.

I. Superest illa veluti clausula disputationis totius, quam de Dei visione hactenus instituimus: an beati modo illius sint compotes: an in fine tantum, ac post extremum judicium illa velut mercede donandi sint. Quæ res incredibile est, quanta sententiarum varietate sit excepta; quæ eo notabilior est, quod non alii duntaxat aliter de illa quæstione pronuntiant, invicemque contrarii sunt, sed iidem quoque nonnunquam diversa, neque satis consentanea scriptis prodiderunt, ut fit in re nondum liquido fixa, atque perspecta. Quoniam autem de hoc argumento summa jam copia, et diligentia viri docti disputarunt, et inter alios Alphonsus a Castro libro tertio *contra Hæreses*, et Bellarminus in libro primo *de Sanctorum beatitudine*, non necesse habebimus vehementius in eam tractandam incumbere, sed paucis ac leviter ea delibabimus, quæ ex veterum lectione notata, ac selecta in adversariis invenimus.

Ac primum illud velut fundamenti loco jaciendum est, non eam amplius apud catholicos esse controversiæ rem, sed in ratum, et constitutum fidei dogma transisse, postquam ita generalium synodorum duarum auctoritas sanxit, Florentinæ[1], ac Tridentinæ[2]. At antea variabant, uti dictum est, opiniones veterum; quorum permulti beatos post obitum perfecta peccatorum expiatione functos ad æternam admitti felicitatem perspicue dixerunt; alii etsi minus aperte, eo tamen sermonis significarunt genere, quocum illud implicatum est, ex eoque sequitur; quidam disertis alibi verbis negarunt, ante judicium extremum sanctorum animas Dei conspectu frui, alibi contrarium vel tacite, vel etiam plane professi sunt. Horum omnium aliquot exempla commemorabo; quominus vero plura proferri necesse sit, eorum, quos superius attigi, diligentia perfectum est.

II. Docet igitur hoc clare, accurateque Gregorius Nyssenus *Oratione funebri in Pulcheriam Theodosii*, ut arbitror, Imperatoris filiolam: « Igitur, inquit, si a te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clausit; verum sempiterno lumini aperuit. A tua mensa discessit; sed ad angelicam adjuncta est. Hinc est avulsa planta; verum in paradiso consita est. A regno in regnum translata est. Purpuræ florem exuit, ac cœlestis regni amictum induit[a]. » Ac subinde: « Doles, quod illa corporis pulchritudo non amplius videatur. Non enim veram illius animæ pulchritudinem intueris quæ nunc in festo conventu cœlestium exultat. Quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit. » In oratione vero secunda *in* XL *Martyres*, etiam quæstionem eamdem, quæ hic a nobis tractatur, proponit sibi sub paradisi illius specie, cui, post ejectum Adamum, custos est impositus Cherub cum gladio versatili. Ex quo ita quæstionem informat: « Ecquid sanctis inaccessus est paradisus ob versatilem gladium? Atqui si athletæ excluduntur a paradiso (respondet statim) quæ tandem est illa promissio, cujus gratia pietatis certamina suscipiunt? Ac num deterior illorum erit conditio, quam latronis, cui dixit Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso?* Atqui latro ille non sponte accessit ad crucem[b]: etc. Ergone in paradisum illi aditus

Animas sanctorum ante judicium ultimum Dei conspectu frui docent Patres Græci

a GREG. NYSS. Οὐκοῦν εἰ καὶ σοῦ ἀπεφοίτησεν τὸ παιδίον, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεσπότην ἀπέδραμεν· σοὶ τὸν ὀφθαλμὸν ἔκλεισεν. ἀλλὰ τῷ φωτὶ τῷ αἰωνίῳ διήνοιξεν. τῆς σῆς ἀπέστη τραπέζης· ἀλλὰ τῇ ἀγγελικῇ προσετέθη· ἔνθεν τὸ φυτὸν ἀνεισπάσθη· ἀλλὰ τῷ παραδείσῳ ἐνεφυτεύθη. ἐκ βασιλείας εἰς βασιλείαν μετέστη. ἐξεδύσατο τὸ τῆς πορφύρας ἄνθος. ἀλλὰ τῆς ἄνω βασιλείας τὴν περιβολὴν ἐνεδύσατο, etc.

MOX: Λυπεῖ σε τὸ τοῦ σώματος κάλλος μηκέτι φαινόμενον· οὐ γὰρ ὁρᾷς αὐτῆς τὸ ἀληθινὸν τῆς ψυχῆς κάλλος, ὃ νῦν ἐν τῇ πανηγύρει τῶν οὐρανίων ἀγάλλεται. ὡς καλὸς ἐκεῖνος ὁ ὀφθαλμὸς ὁ τὸν θεὸν βλέπων.

b NYSS. Orat. II *de* XL *Mart.* Τὸ μὲν οὖν ζητούμενον τοῦτο ἦν· εἰ καὶ τοῖς ἁγίοις ἄβατός ἐστιν ὁ παράδεισος διὰ τῆς στρεφομένης ῥομφαίας; καὶ εἰ τοῦ παραδείσου οἱ ἀθληταὶ ἀποκλείονται, τίς ἡ ἐπαγγελία λοιπὸν, ὑπὲρ ἧς ἀναδέχονται τοὺς τῆς εὐσεβείας ἀγῶνας; καὶ εἰ τοῦ ληστοῦ ἔλαττον ἕξουσι, πρὸς ὃν εἶπεν ὁ Κύριος· ὅτι σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ; καὶ τοί γε οὐχ ἑκουσίως ὁ λῃστὴς τῷ σταυρῷ προσῆλθεν, etc.

1 In Dec. fid. — 2 Sess. 25.

conceditur; sanctos vero igneus ille gladius ingressu prohibebit? An potius ex ipsamet Scripturæ narratione quæstionis illius explicatio peti debet[a]? » Respondet ergo, gladium ideo versatilem nominari, quod indignos coram intentatus arceat: dignis vero subeuntibus ad tergum obvertatur, et introitum permittat. Quos ad vitam admitti, ac flammam illæsos ait pervadere, « quam et nos, inquit, intrepide penetrantes, utinam intra paradisum recipiamur illorum intercessione corroborati[b]? » Hoc loco certissimum est, Gregorium Nyssenum paradisi nomine non ejusmodi aliquem significare, in quo primus parens vixit, et cujus ob peccatum possessione excidit; sed æternam felicitatem, ipsumque adeo cœleste regnum. Primum, quia sæpius alibi sanctos corpore defunctos in cœlum, et Dei, atque angelorum consortium admitti docet, ut postea videbimus. Deinde, quia istum ipsum esse paradisum ait, in quem et latro est receptus, et nos post obitum perduci cupimus. Nemo autem fidelium, cum paradisum optat, speratque, terrenum nescio quid cogitat, neque hortos quamlibet amœnos; sed cœlum ipsum, Deique conspectum. Denique in loco illo priore Pulcheriæ infantis animam Deum clare contueri asserit. Non igitur in novissimum tempus, ac mortuorum resurrectionem beata illa Dei visio differtur.

III. Gregorius item Nazianzenus in orat. xx quæ est *de sancto Basilio* sub finem, hunc et in cœlo tum fuisse, et ut post obitum suis illis sese tabernaculis excipiat precatur, ut ambo pariter sacrosanctam Trinitatem aspiciant[c]. Et in oratione decima, quam *in fratrem Cæsarium* mortuum scripsit non solum ejus animam « in cœlum penetrasse dicit, et angelorum choreas, ac beatorum virorum gloriam, splendoremque spectare, vel potius una cum eis tripudiare et exultare[d]; » sed etiam « magno Regi assistere, et emicante inde lumine compleri. » Quam subinde « mercedem esse dicit laborum, ac bonorum operum, et sacræ nostræ mystagogiæ finem tum ab Libris sacris, tum ab theologis definiri[e]. » Quare beatorum animis etiam ante resurrectionem corporum summa illa felicitas repræsentatur, ac magni Regis, et sacrosanctæ Trinitatis perfecta visio. Quod et clarius in calce undecimæ orationis indicat, quam in Gorgoniam sororem suam habuit. Nam beatitatis, cujus compos erat, capita dinumerans, ponit « Angelorum choreas, ordinem cœlestem, contemplationem gloriæ tum cæteræ, tum supremæ, Trinitatis puriorem, et perfectiorem illuminationem, quæ non amplius vinctam mentem effugiat, et per sensus dissipatam; sed totam se toti menti contemplandam, et tenendam præbeat, totoque divinitatis lumine animis nostris affulgeat[f]. » Sic priore *Invectiva in Julianum*, de Constantio loquens ait, « illum cum Deo degere, et illius gloriæ hæreditatem adiisse[g]. » Et in oratione xviii in *sanctum Cyprianum*, hunc martyrem ait in cœlo esse, et sanctæ Trinitati assistere[h]. »

IV. Chrysostomus itidem multis in locis, sanctorum animas, statim atque e corporibus excesserunt, Dei conspectu, et consortio frui testatur. Sic in oratione panegyrica *de sancto Philogonio*, « beatum illum sanctum prædicat, quod hinc abiens, et civitatem suam re-

a Nyss., mox: Εἶτα ἐκεῖνος μὲν ἀξιοῦται τοῦ παραδείσου· ἐπὶ δὲ τῶν ἁγίων ἡ φλογίνη ῥομφαία διακωλύει τὴν εἴσοδον; ἢ αὐτόθεν ἔχει τὴν λύσιν τὸ ζήτημα;

b Deinde: Ἧς ἐντὸς ἐκεῖνοι γεγονότες τῇ παῤῥησίᾳ τῶν ἀγώνων, ἀπαθῶς τὴν φλόγα περάσαντες, ἣν καὶ ἡμεῖς ἀδεῶς περάσαντες, τοῦ παραδείσου ἐντὸς γενοίμεθα, διὰ τῆς πρεσβείας αὐτῶν δυναμωθέντες, etc.

c Naz. Orat. xx. Σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν ὦ θεία, ἱερὰ κεφαλή.

Mox: Εἰ δὲ μετασταίημεν, δέξαιο κἀκεῖθεν ἡμᾶς ταῖς σαυτοῦ σκηναῖς, ὡς ἂν ἀλλήλοις συζῶντες, καὶ συνεποπτεύοντες τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν τριάδα, καθαρώτερον, καὶ τελειότερον, ἧς νῦν μετρίως δεδέγμεθα τὰς ἐμφάσεις.

d Naz. Orat. x. Σὺ δὲ ἡμῖν οὐρανοὺς ἐμβατεύοις, etc. καὶ ἀγγέλων ἐποπτεύοις χορείαν, καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε, καὶ λαμπρότητας· μᾶλλον δὲ συγχορεύοις, καὶ συναγάλλοιο.

Mox: Βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ παριστάμενος, καὶ τοῦ ἐκεῖθεν φωτὸς πληρούμενος.

e Ibid. Καὶ τοῦτον μισθὸν εὑρισκόμενοι τῆς περὶ τὸ καλὸν ἐνταῦθα φιλοπονίας, τὴν τελεωτέραν ἐκεῖσε τοῦ καλοῦ μετουσίαν, καὶ θεωρίαν· ὅπερ δὴ τῆς ἡμετέρας τέλος μυσταγωγίας βίβλοι τε, καὶ ψυχαὶ θεολόγοι θεσπίζουσιν.

f Nazian. Ἀγγέλων χορεία, τάξις οὐρανία, δόξης θεωρία, τῆς τε ἄλλης καὶ τῆς ἀνωτάτω, τριάδος ἔλλαμψις καθαρωτέρα τε, καὶ τελεωτέρα, μηκέτι ὑποφευγούσης τὸν δέσμιον νοῦν, καὶ διαχεόμενον ταῖς αἰσθήσεσιν, ἀλλ' ὅλης ὅλῳ νοῒ θεωρουμένης τε, καὶ κρατουμένης, καὶ προσαστραπτούσης ταῖς ἡμετεραῖς ψυχαῖς ὅλῳ τῷ φωτὶ τῆς θεότητος.

g Id. Orat. iii. Μετὰ τοῦ θεοῦ τεταγμένον, καὶ τῆς ἐκεῖ δόξης κληρονομήσαντα.

h Id. Σὺ δὲ ἡμᾶς ἐποπτεύοις ἄνωθεν, etc. καὶ τὴν τῆς ἁγίας τριάδος ἔλλαμψιν. ἧς σὺ νῦν παραστάτης.

linquens, in alteram, quæ est Dei, civitatem ascendit, et hanc Ecclesiam deserens, in illam conscriptus est, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis, ac festis istis relictis, ad celebrem angelorum conventum translatus est[a]. » Qua « in celebritate, ac medio conventu versari Regem ipsum[b], quem vident omnes, quantum capere possunt, tum præsentem, tum splendore majestatis suæ omnes qui cum eo sunt, collustrantem[c]. » Nihil hac oratione ad id, quod agitur, expressius. Non enim tantum Dei consortio potiri sanctorum animas asserit, sed ipsum quoque contueri, quod perfectæ felicitatis est caput. Quanquam et Paulus ipse *dissolvi cupiens, et esse cum Christo*, satis[1] illud significat. Non enim post mortem esse cum Christo, nisi beatitatis compos quispiam potest. Idque velut supremæ felicitatis cumulum electis omnibus, et petiit a Patre Christus, et impetravit sub mortem : *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*[2]. Et alibi : *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit*[3]. » Paulus itaque felicitatis æternæ statim post obitum caput et summam sibi a Deo sperabat. Cujus verba Chrysostomus expendens, magnitudinem illius animi demiratur, quod tanti boni copiam fore sibi certo confidens, hæsitaret, an adhuc in corpore maneret, in fidelium gratiam. « Quid ais? inquit, cum in cœlum migraturus sis, et cum Christo futurus ignoras quid eligas[d]. » Huic Isidorus Pelusiota consentiens, « certaminum finem initium ait esse coronarum[e]. Quanquam initii nomen ambiguo sensu accipi potest, ut complementum beatitudinis et perfectam coronam nonnisi in extremo judicii die consequantur. Sane Græci in *Menologio*, sanctos vita functos, *adstare Trinitati* in cœlo dicunt. Ut de Basilio in tomo I. Βασίλειε σοφὲ, παρεστὼς τῇ τριάδι : *Basili sapiens, qui assistis Trinitati.*

V. Ex Latinis Cyprianus luculenta, et aperta oratione significat, non differri cœlestem gloriam in judicii novissimi exitum, sed statim a morte repræsentari. Nam in calce libri *de Exhortatione martyrii* : « Quanta est dignitas, inquit, et quanta securitas, exire hinc lætum, exire inter pressuras, et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus? Tam feliciter migrandi quanta velocitas? terris repente subtraheris, ut in regnis cœlestibus reponaris? » Hic duo sunt expressa, quibus summæ felicitatis descriptio continetur, habitatio in cœlesti regno, et Dei visio. Sic in fine libri *de Mortalitate*, sanctorum ordines omnes coronatos in cœlo remuneratosque dicit. « Ad horum, inquit, conspectum, et complexum venire, quanta et illis, et nobis in commune lætitia est? qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi? quam summa, et perpetua felicitas? Illic apostolorum gloriosus chorus : illic prophetarum exultantium numerus : illic martyrum innumerabilis populus, ob certaminis, et passionis victoriam coronatus : triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis, et corporis continentiæ robore subegerunt, remunerati misericordes, » etc. Idem docet Latini.

Augustinus etiam tractatu CXXIV *in Joannem*, ubi de Joannis Evangelistæ obitu loquitur, quem adhuc vivere, et in sepulcro dormire falso quidam asserebant, ait non esse consentaneum, « ut ei discipulo Jesus, quem diligebat præ cæteris in tantum, ut super pectus ejus discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum ; cum beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam, ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quod apostolus Paulus se concupisse dixit, et scripsit : *Dissolvi et esse cum Christo*[4].» Porro Apostoli votum ad summam spectabat, perfectamque beatitatem, quæ pe-

a CHRYS. Hom. LXXI. Δι' ὃ μάλιστα μακαρίζω τὸν ἅγιον τοῦτον, ὅτι εἰ καὶ μετετάξατο, καὶ πόλιν ἀφεὶς τὴν παρ' ἡμῖν, εἰς ἑτέραν ἀνέβη πόλιν, τὴν τοῦ Θεοῦ, καὶ καταλιπὼν τὴν ἐκκλήσιαν ταύτην, εἰς ἐκείνην τελεῖ τὴν τῶν πρωτοτόκων, τῶν ἀπογεγραμμένων ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰς ἑορτὰς ταύτας ἀφεὶς, πρὸς τὴν τῶν ἀγγέλων μετέστη πανήγυριν.

b Ib. Καὶ τὸ δὲ πάντων μεῖζον, ὅτι ἐν μέσῃ τῇ πανηγύρει στρέφεται τούτων ἁπάντων ὁ βασιλεύς.

c Ἐκεῖ δὲ διηνεκῶς οἱ παρόντες ὁρῶσιν, ὡς αὐτοῖς δυνατὸν, καὶ παρόντα, καὶ τῇ τῆς ἰδίας δόξης λαμπρότητι κοσμοῦντα τοὺς συνόντας ἅπαντας.

d CHRYS. Hom. I in epist. *ad Phil.* init. Τί λέγεις μέλλων ἐντεῦθεν πρὸς τὸν οὐρανὸν μεθίστασθαι, καὶ μετὰ Χριστοῦ εἶναι, οὐ γνωρίζεις, τί αἱρήσῃ;

e ISID. PEL. lib. III, epist. III. Τὸ γὰρ τῶν ἄθλων πέρας, ἀρχὴ τῶν στεφάνων καθέστηκε.

1 *Phil.* I, 23. — 2 *Joan.* XVII, 24. — 3 *Joan.* XII, 26. — 4 *Phil.* I, 23.

regrinationi modum adhiberet. Cui peregrinationi respondet fides, et utrique est opposita species, id est clara, et ænigmate soluta divinitatis visio, ut alio loco idem Paulus ostendit. *Audentes igitur semper*, inquit, *et scientes, quoniam, cum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem : audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum*[1].

VI. Illustris hic vero locus, et ad quæstionem nostram imprimis accommodatus. Etenim videre per speciem, ut sæpe Augustinus exponit, est liquido, et ut in se est, Deum intueri. Cum igitur Apostolus ideo corpore optet exsolvi, ut et peregrinari desinat, atque in fide ambulare, et Domino præsens assistat, eumque per speciem videat; nimirum putavit, statim sibi atque a vita migrasset, perspicue videndi Dei copiam futuram. Magni itaque faciendus est hic locus, ex quo illud efficitur, cum Græci, Latinique Patres, sanctos, ubi e vivis excesserunt, cum Deo, vel Christo esse dicunt, quod frequenter usurpant; eosdem significare manifesto Dei frui conspectu, in quo absoluta est animorum felicitas posita. Hunc Augustini esse sensum, celebri ex ejus cum Pelagianis contentione licet interpretari. Isti enim parvulos sine baptismo morientes, quod originali peccato careant, vitam ac salutem adipisci statim asserebant, non tamen *regnum cœlorum* consequi, quo nemo baptismi expers ingredi potest. Ergo illi perfectam, et absolutam felicitatem statuebant in regni aditu et possessione cœlestis. A quorum judicio non recedens Augustinus de hoc ipso cœlorum regno cum illis acriter confligit, ac tum excludendos ab illius aditu negat parvulos, si sine baptismo mortui, peccati nihil habeant; tum eos tantummodo, qui baptismo initiati sunt, tam ad cœlorum admitti regnum, quam vitæ, ac salutis compotes esse defendit. Hanc Pelagianorum opinionem exponit, in primo lib. *de Peccatorum meritis, et remissione*, cap. xx, cujus in libri cap. xxviii, medium illum locum refellens, « non esse nisi cum diabolo dicit, qui non est cum Christo. » Ut esse constet felicitatis hanc summam, in regno cœlorum, et cum Christo degere. Vide lib. IV *contra Julianum*, cap. viii, et libro de *Prædestinatione sanctorum*, cap. xiii, et serm. xiv *de Verbis Apostoli*, et alia ejusdem loca, in quibus Pelagianum illud commentum redarguit. At in eodem illo quarto lib. *contra Julianum*, octavoque cap. nominatim parvulos post baptismum morientes « intrare ait in regnum Dei; » alios excludit. « Nihil autem aliud est regnum, quam vita æterna, » ait Augustinus[2]. Porro vita æterna, ut et regnum cœlorum, nihil aliud est, quam videre Deum sicuti est. Nam si hoc non est, qualecumque tandem est, minus est, quam videre Deum sicuti est, quo solo Dei similes efficimur, ut ait Joannes[3]. Nihil autem præstantius, nihil optabilius æterna vita, regnoque cœlorum. Quin ipsemet August. tract. xxi *in Joannem*, vitam æternam idipsum esse docet, videre Deum.

VII. Quocirca qui sanctorum animas corpore functas æterna vita, regno cœlorum, Dei ac Christi consortio frui dicit, is perfectam animi felicitatem, et qua major est nulla, jam eas dicit adeptas. Hoc autem innumeri Patres Græci, Latinique scripserunt.

Ambrosius libro X *in Lucam*, de Petri negatione agens. « Unde te, inquit, evocem, Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? Unde te, inquam, evocem? De cœlo, ubi jam choro insertus est angelorum? » Sic idem in epist. liv, *de SS. Gervasio, et Protasio :* « Quorum, inquit, anima in cœlo, corpus in terra. » Et in libro *de Bono mortis*, cap. cxi. « Docuit, inquit, Apostolus eum, qui evaserit ex hoc corpore, si meruerit tamen, cum Christo futurum. » Et quibusdam interpositis : « Mors igitur solutio est animæ, et corporis. Denique et in Apostolo docuimus lectum, dissolvi, et cum Christo esse, multo melius. Solutio autem ista quid aliud agit, nisi ut corpus resolvatur, et quiescat, anima autem convertatur in requiem suam, et sit libera? quæ si pia est, cum Christo futura sit. » Tum capitibus x et xi, animas corpore functas statim recipi ait in paradisum cum sanctis omnibus, ac latrone ipso sancto, atque in mansiones illas, quas præparaturum se suis Christus ipse promisit. De quo Ambrosii loco postea plenius.

Petrus Chrysologus sermone lxvi de Lazaro agens, et interjecto chao « Dicendo sic, inquit, tam justos, quam injustos ante adventum Domini apud inferos fuisse declarat, et discretis locis tantum, non regionibus aperit fuisse divisos. Postquam vero Dominus resurgens a mortuis aperuit infernum, patefecit cœlos, paradisi claustra reseravit, dedit

1 II *Cor.* v, 6. — 2 Serm. xiv *de Verb. Apost.* c. iii et iv. — 3 I *Joan* iii, 2.

sanctis paradisi intrare requiem, ad cœli gloriam pervenire.» Profecto nihil his verbis disertius fieri potest. Nam et cœli habitatio, et ejus gloria nihil aliud est, quam perfecta felicitas, quæ sine Dei conspectu esse nequit.

Antoninus item ad Arcadium exulantem pro fide, «Qualis eris, inquit, cum te cum sancto Stephano videris? Qualis eris, cum Petrum, et Paulum, quos rogare solebas ut patronos, habebis amicos? Christum mox tua anima videbit, et corpus tuum erit in refrigerio resurrectionis, ut et ipsa caro videat, quod tua anima, cum exierit, mox videbit[1].»

Græci quoque Patres sæpenumero, sanctos in cœlum transferri, ibique statim obita morte degere profitentur. Sic illi, quos supra nominavi, ut Gregorius Nazianzenus, et Nyssenus, Basilius[2], aliique, quos Bellarminus cæterique laudant.

VIII. Quinetiam est hoc in illorum usu non infrequens, discrimen status utriusque sanctorum ante, et post Christi passionem in eo consistere, quod illi in inferorum carceres tantisper relegabantur, donec eos Redemptor exemisset. At postquam is venit, non amplius detruduntur in inferos animæ sanctorum; sed evehuntur in cœlum, et ad Christi convictum, et consortium. Insignis hac de re est oratio Chrysostomi, in homilia *de sanctis Berenice, Prosdoce et Domnina,* ubi de mortis metu, qui in antiqua lege summus fuit viris etiam sanctissimis, in nova nullus vel in puellis, ac parvulis extitit, late, eleganterque disserit. Quod «merito accidisse dicit. Nam antea mors ad inferos deducebat, nunc autem mors ad Christum perducit[a].»

Cyrillus Alexandrinus in libro *ad Reginas:* «Olim, inquit, corporibus liberatæ in subterranea profunda demittebantur animæ sanctorum, mortis receptacula complentes. Postquam vero Christus spiritum suum Patri commendavit, hanc etiam nobis dedicavit viam. Non enim nunc ad inferos descendemus; sed in eo potius illum sequemur, ac fideli creatori animas nostras commendantes in spe bona vivimus; suscitabit enim nos omnes Christus[b].» Atque hoc idem scribit auctor sermonis *de Consolatione mortuorum*[3]: «Merito flebant, inquit, quia nondum de cœlis venerat Christus, qui fontem illum lacrymarum sua resurrectione siccaret. Merito lamentabantur, quia adhuc sententia permanebat.» Tum Pauli verba hæc expendens[4]: *Optabam dissolvi, et esse cum Christo, multo enim melius*[5], item illa: *Dum sumus, in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem: Habemus autem magis bonam voluntatem peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum*[6], his, inquam, allatis, sic auctor ille pergit: «Quid agimus nos parvæ fidei homines, qui anxiamur, et deficimus, si aliquis de charis nostris migret ad Dominum?» Ac paulo post: «Quid nobis præstitit Deus per suum Unigenitum, si adhuc mortis timemus occasum? etc. Ipse Dominus clamat: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi ego sum, et minister meus erit*[7]. Putas si rex terrestris ad suum palatium, et convivium aliquem vocet, nonne libens, et congratulans properabit? Quanto magis ad cœlestem currendum est regem, qui quos receperit, non solum convivas, sed etiam conregnatores efficiet?» Denique, «hæc est, inquit, christianæ fidei summa: vitam veram expectare post mortem, reditum sperare post exitum.» Ergo statim post mortem sancti et ad Christum properant, et cum eo regnant, epulantur, vitam veram consequuntur; quibus omnibus suprema solet animorum felicitas adumbrari. Nam et illa statim post excessum e corpore obtineri docet ille; et nisi ita sentiret, haud recte illius consolatio procederet.

IX. Huic est affine quod complures itidem antiqui perhibent, Christum ad inferos descendisse, ut captivos inde Patres secum eveheret in cœlum. «In inferna loca descendit, ait Gregorius Nazianzenus, sed inde animas evehit[c].» Idem sentit Athanasius[8] et Cyrillus Hierosolymitanus catechesi IV, et Augustinus epistola XCIX, et ante hos Irenæus libro V,

a CHRYS. Hom. LXV. Καὶ μάλα εἰκότως. τὸ μὲν γὰρ πρότερον ὁ θάνατος εἰς τόν ᾅδην κατῆγε. νῦν δὲ ὁ θάνατος πρὸς τὸν Χριστὸν παραπέμπει.

b In Conc. Eph. Par. I. Πάλαι μὲν γὰρ ἀπαλλαττόμεναι τῶν σώματων ἐν τοῖς ὑπὸ χθόνα μυχοῖς αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαὶ κατεπέμποντο, πληροῦσαι τὰ τοῦ θανάτου ταμιεῖα· ἐπειδὴ δὲ Χριστὸς τὸ ἴδιον πνεῦμα παρέθετο τῷ πατρὶ, καὶ ταύτην ἡμῖν ἐνεκαίνισε τὴν ὁδόν· βαδιούμεθα γὰρ οὐκ εἰς ᾅδου· πόθεν, ἑψόμεθα δὲ μᾶλλον καὶ κατὰ τοῦτο, αὐτῷ τῷ πιστῷ κτίστῃ τὰς ἑαυτῶν παρατιθέμενοι ψυχὰς, ἐν ἐλπίσιν ἐσμὲν ἀγαθαῖς. ἐγερεῖ γὰρ ἅπαντας ὁ Χριστός.

c OR. XXXV. Εἰς ᾅδου κάτεισιν· ἀλλ' ἀνάγει ψυχάς.

1 Tom III *Biblioth. Patrum.* — 2 Orat. in LX *Mart.* et *in S. Gord.* 5. — 3 Ser. I, c. IV, August. — 4 Cap. VI. — 5 *Phil.* I, 23. — 6 II *Cor.* V, 6. — 7 *Joan.* XII, 26. — 8 Orat. *de Incarn. Christ.*

cap. XXXI, Clemens Alexandrinus VI *Stromateon*, Origenes homilia XV, *in Genesim*, Ignatius epistola secunda *ad Trallianos*, aliique non pauci, de quibus alias. Sed non est omittendus Gregorius papa, qui tum illud affirmat, tum de præsenti felicitate sanctorum omnium apertissime communi, et catholico suffragatur dogmati in libro IV *Moralium*, cap. XXVII. « Postquam, inquit, de corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a cœlestis patriæ perceptione differuntur. Mox quippe, ut a carnis colligatione exeunt, in cœlesti sede quiescunt, Paulo attestante, qui ait : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cœlis*[1]. Prius autem, quam Redemptor noster morte sua humani generis pœnam solveret, eos etiam, qui cœlestis patriæ vias sectati sunt, post egressum carnis inferni claustra tenuerunt, etc. Unde et idem Redemptor noster pro nostræ culpæ debito occumbens, inferna penetrat, ut eos, qui ei inhæserant, ad cœlestia reducat. » Et libro XXXV, cap. IX : « Ante resurrectionem sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri sunt ; quia cum mentis beatitudine, etiam carnis beati gloriam possidebunt. » Idem etiam in quarto *Dialogorum* non semel testatur.

CAPUT XIV.

De eadem præsenti sanctorum felicitate expenduntur aliorum Patrum loca, vel quorumdam etiam e superioribus, quæ dogmati illi videntur esse contraria. Irenæus Millenariorum imbutus errore ; ut proinde mirum non sit, ab eo sanctorum differri beatitudinem. Quod idem et de Lactantio, ac Tertulliano dicendum. De latrone, et paradiso, in quem receptus est, variæ sententiæ.

I. Subjicienda, et examinanda modo sunt ea Patrum antiquorum dicta, quæ in speciem saltem adversari videntur, ac sanctorum animas nondum in cœlestem receptas beatitudinem asserere. Inter quos Irenæus primas tenebit. Hic enim in capite XXXI libri quinti, deduci animas censet in invisibilem locum, ibique resurrectionem expectare, ac tum demum ad conspectum Dei perduci. « Cum enim Dominus, inquit, in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, et post resurrectionem assumptus est ; manifestum est, quia et discipulorum ejus, propter quos et hæc operatus est Dominus, animæ abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem ; post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est corporaliter, quemadmodum et Dominus resurrexit, sic venient ad conspectum Dei. Nemo enim est discipulus super magistrum ; perfectus autem omnis erit, sicut magister ejus. Quomodo ergo magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens definitum a Patre resurrectionis suæ tempus, quod et per Jonam manifestatum est, post triduum resurgens assumptus est ; sic et nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostræ tempus, prænuntiatum a prophetis : et sic resurgentes assumi quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit. » Disputat autem hoc in loco adversus hæreticos illos, qui resurrectionem corporum negantes aiebant, animas suas, simul atque mortui essent, supergredi cœlos, et Demiurgum, et ad nescio quam matrem et commentitium evolare patrem. Quas nugas commemoravit etiam Epiphanius, cum Gnosticorum id genus dogmata persequitur. Hos vero redarguit Irenæus, quod minime deceat, homines plus sibi arrogare, quam Christus usurpaverit, qui non statim post mortem ad Patrem ascendit. Quare difficile est, quod viri quidam docti student[2], Irenæum intepretari sic, ut solam corporum felicitatem expectari ab illis putaverit. Nam si hoc vellet, animas ipsas, statim atque corporibus emissæ sunt, ad Deum evehi, ejusque frui conspectu, quod hæretici illi in suo dogmate ponebant, hoc eis totum ultro concederet. De sola enim animarum felicitate pugnabant.

Irenæus Millenariorum imbutus errore.

II. Sed si quis reliquas illius opinionis labes animadvertat, quam de sanctorum felicitate Irenæus habuit, non multum de eo vel defendendo, vel explicando laborabit. Imo absurdum esse judicabit, communem illi, et hoc tempore ab Ecclesia definitam sententiam affingere ; cui prorsus adversatur Millenariorum illa fabula, qua imbutus est Irenæus[3].

1 II *Cor.* V. — 2 Bellar. lib. I, *de SS. Fel.*, c. IV et *Fevard.* — 3 Iren. lib. V, c. XXXIII

eamque se a Papia didicisse testatur[1], ac latius explicat in postremis quinque capitibus lib. V. Hieron. in lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. XXVIII de Papia : « Hic dicitur, inquit, mille annorum Judaicam edidisse δευτέρωσιν, quem secuti sunt Irenæus, et Apollinarius, et cæteri, qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in libro *de Spe fidelium*, et Victorinus Pictaviensis et Lactantius hac opinione ducuntur. » Et in prooemio ad caput LXV Esaiæ, commemorat eos, qui ad illam fabulam adhæserunt : « Latinorum Tertulliani, Victorini, Lactantii ; Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunensis episcopi faciam mentionem ; adversum quem Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ pontifex elegantem scribit librum, etc. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius. » Justinus quoque martyr errori huic affinis est* in *Dialogo cum Tryphone*[2].

Jam vero Chiliastarum, id est Millenariorum istorum dogma fuit ejusmodi, quod Irenæus capitibus illis quinque, et Lactantius in libro VII, cap. XXIII, et Hieronymus in commentario ad caput Esaiæ sexagesimum exponit, ut post resurrectionem mortuorum et judicium justi in terra mille annis cum Christo regnaturi sint, « crescentes, ait Irenæus, ex visione Domini, et per ipsum assuescentes capere gloriam Dei Patris, et cum sanctis angelis conversationem[3], » etc.

Necnon Lactantius et alii.

III. Quod Lactantius explicatius narrans ait, post Antichristi necem, statim « apertum iri inferos, et resurrecturos mortuos, de quibus judicium magnum idem ipse rex ac Deus faciet, cui summus Pater et judicandi, et regnandi dabit maximam potestatem, etc. Nec tamen, inquit, universi tunc a Deo judicabuntur, sed ii tantum, qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati, damnatique sunt, sanctis Litteris contestantibus, non resurrecturos impios in judicium. Judicabuntur ergo, qui Deum scierunt, et facinora eorum, id est mala opera cum bonis collata ponderabuntur, ut si plura, et gravia fuerint bona, justificentur ad vitam beatam ; si autem mala superaverunt, condemnentur ad pœnam[4]. » Postea, « Veniet, inquit, Dei filius, ut vivos ac mortuos judicet. Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, et erit eorum soboles sancta, et Deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ii præerunt viventibus velut judices. » Pergit idem Lactantius : « Cum vero completi fuerint mille anni, renovabitur mundus a Deo, et cœlum complicabitur, et terra mutabitur, et transformabit Deus homines in similitudinem angelorum, et erunt candidi, sicut nix, et versabuntur semper in conspectu omnipotentis, et domino suo sacrificabunt, et servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa, et publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos. Hi sunt, qui manufacta coluerunt, qui dominum mundi, ac parentem vel nescierunt, vel abnegaverunt[5]. »

IV. Quapropter, cum ad hanc Millenariorum opinionem implicatus Irenæus fuerit, prorsus animas sanctorum non statim ab discessu suo e corporibus divino frui conspectu credidit ; sed interim certo in loco detineri ad resurrectionis usque tempus, quando mille annis in terra degent : quibus confectis, tum demum ad cœlestem felicitatem potiundam admittentur. Ac notanda illa sunt, quæ ex Irenæo retulimus, per illud annorum mille spatium in summa quiete, ac secundarum rerum affluentia acturos esse justos sub imperio et gubernatione Christi, paulatim « assuescentes capere gloriam Dei Patris » per ipsum, quocum vivent, Christum. His enim ostenditur, nondum sanctos summa illa frui felicitate, quæ in visione Dei, ac perfecta ejus adeptione consistit.

Nam quod Irenæi locus affertur, ex quo subinde post obitum sanctis dari postremam felicitatem colligitur : non est ita. Irenæi verba sunt ejusmodi : « [a] Justis autem, et præcepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab

[a] IREN. lib. I. cap. II. Τοῖς δὲ δικαίοις, καὶ ὁσίοις, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας ζωὴν χαρισάμενος ἀφθαρσίαν δωρήσηται, καὶ δόξαν αἰωνίαν περιποιήσῃ.

* De Irenæo plura dabit Muratorius, in libro *de Paradiso* contra Burnetum, cap. III.

1 Dial. I. — 2 Lib. V, cap. XXXV. — 3 Cap. XX, lib. VII. — 4 Cap. XXIII. — 5 Cap. XXVI

initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem æternam circumdet. » Ibi quod dicitur, *quibusdam ab initio* dari vitam, de iis intelligunt, qui statim post baptismum, vel martyrio decedunt. Sed non hoc Irenæus voluit; quin potius alios integritate, et innocentia servata, alios recuperata resipiscendo gratia, vita et incorruptione donari. Nec tempus definit, quo ista donanda sunt; quod proinde ut erat illius opinio, subaudiendum est.

V. Cæterum idem Irenæus in libro V, cap. v, suam opinionem disertius aperit iis verbis, quæ ex *Parallelis* Damasceni Græce, Latine ex veteri enterprete reddemus. « Ubi ergo primus positus est homo? Scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit : Et plantavit Deus paradisum in Eden contra orientem, et posuit ibi hominem, quem plasmavit, et inde projectus in hunc mundum non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt apostolorum discipuli, eos, qui translati sunt, illuc translatos esse. Justis enim hominibus, et spiritum habentibus præparatus est paradisus, in quem et Paulus apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles quantum ad nos in præsenti; et ibi manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem coauspicantes incorruptelam [a]. » Nondum igitur in cœlum translatas esse sanctorum animas existimat, sed in terreno illo paradiso degere, in quo Adam collocatus est. Quem adhuc perseverare quidam veterum arbitrati sunt, ut suo loco dicemus.

Hunc eumdem in illis Christi ad latronem verbis, *Hodie mecum eris in paradiso* [1], intellexerunt aliqui. De quo loco disputandum hic obiter, quod nonnulli ad præsentem sanctorum gloriam probandam argumentum ex eo conficiunt [2]. Etenim paradisi nomine felicitatem ipsam, et gloriam significari putant, quæ in Dei visione posita est. Sed antiqui fere aliter intellexerunt. Chrysostomus in homilia *de Ligno scientiæ boni, et mali* negat, paradisum hic esse « bonorum illorum possessionem, quæ pollicitus est Deus : *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit* [3 b], » etc. At paradisum, inquit, et oculus vidit Adami, et auris audivit, et cor hominis cepit. Ac subinde : « Quomodo igitur bona recepit latro? Non enim se in paradisum introducturum nos esse promittit Deus, sed in ipsum cœlum; neque regnum paradisi, sed regnum cœlorum prædicavit [c]. » Itaque paradisum diversum quiddam a cœlesti regno esse credidit. Quanquam Titus Bostrensis videtur ipsum intelligere cœlum, qui et Christum ait, qua Deus est, ubique esse, adeoque in paradiso cum latrone fuisse [d]. Fortassis etiam, quia homo erat, prius in paradisum introduxisse latronem, tum ad inferos esse delapsum. At Chrysostomus post priorem illam responsionem, alteram mox subjicit, ut et paradisi nomine plena felicitas intelligatur, nec ejus tamen compotem adhuc latronem ante resurrectionem fecerit; verum, usitato more Scripturæ, quod futurum erat aliquando, id tanquam præsens ostendat; ut cum dicit : *Qui non credit in Filium, jam judicatus est* [4], quoniam certo judicandus est. De qua loquendi consuetudine alibi dixi [5].

VI. Theophylactus vero quæstionem istam proponit, quinam latroni aditus in paradisum, id est æternam felicitatem patuit, cum Apostolus dicat, neminem sanctorum *promissionem accepisse* [6]. Ac variis allatis sententiis, duas anteponit cæteris; primam Chrysostomi, paradisum a regno cœlorum esse distinctum; necdum latronem, aut ullum sanctorum supremam felicitatem attigisse : alteram, tametsi idem sit paradisus cum regno cœlesti, et huc latro sit introductus, nondum tamen summam

a Iren. Ποῦ οὖν ἐτέθη ὁ πρῶτος ἄνθρωπος; ἐν τῷ παραδείσῳ δηλονότι. καθὼς γέγραπται· καὶ ἐκεῖθεν ἐξεβλήθη εἰς τόνδε τὸν κόσμον, παρακούσας Θεοῦ. Διὸ καὶ λέγουσιν οἱ πρεσβύτεροι τῶν Ἀποστόλων μαθηταὶ τοὺς μετατεθέντας ἐκεῖσε μετατεθῆναι. δικαίοις γὰρ ἀνθρώποις, καὶ πνευματοφόροις ἡτοιμάσθη ὁ παράδεισος, ἐν ᾧ καὶ Παῦλος εἰσοικισθεὶς ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἐν τῷ παρόντι· κἀκεῖ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.

b Hom. vii. Εἰσῆλθεν εἰς τὸν παράδεισον ὁ λῃστής, φησι, καὶ τί τοῦτο; μὴ γὰρ ταὐτά ἐστι τὰ ἀγαθὰ, ἅπερ ὁ Θεὸς ἡμῖν ἐπαγγέλλεται; etc.

c Ibid. Πῶς οὖν ἀπέλαβε τὰ ἀγαθὰ ὁ λῃστής; οὐ γὰρ εἰς παράδεισον ἐπαγγέλλεται εἰσαγαγεῖν ἡμᾶς ὁ Θεός. ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανόν· οὐδὲ βασιλείαν παραδείσου, ἀλλὰ βασιλείαν οὐρανῶν ἐκήρυξεν.

d Tom. II *Bibl. Græco-Lat.* Πληρῶν τὰ πάντα τῇ θεότητι, καὶ ἐν τῷ σταυρῷ ἦν διὰ τὴν σάρκα, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ διὰ τὴν θεότητα, καὶ πάλιν καταβὰς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ὑπῆρχε, καὶ τὸν λῃστὴν εἰς τὸν παράδεισον εἰσήγαγε τῇ παρουσίᾳ τῆς θεότητος. τάχα δὲ πρῶτον τὸν λῃστὴν τὸν εἰς αὐτὸν πιστεύσαντα εἰς τὸν παράδεισον ἀποκατάστησας, καὶ τότε κατῆλθεν εἰς τὸν ᾅδην.

1 *Luc.* xxiii. — 2 Bellar. lib. I *de Felic. sanct.* c. iii. — 3 I *Cor.* ii, 9. — 4 *Joan.* iii, 18. — 5 Lib. IV, c. v. § 3. — 6 *Heb.* xi, 39.

illam bonorum adeptum fuisse. « Ut enim qui condemnati sunt, in palatio minime versantur, sed in custodiis clausi detinentur ad pœnas constitutas; honorati vero, et in palatium ingrediuntur, et in eo interim degunt : postea, cum tempus adest regiorum donorum distribuendorum, ea illis impertiuntur. Ita sancti, etsi nondum id, quod perfectum est capiunt; interim tamen in splendidis illis, et suave fragrantibus, ac regiis, ut uno verbo dicam, tabernaculis habentur, licet nondum perfecte regia dona perceperint. Sic igitur et latro ille in paradiso fuit, et nondum perfectionem assecutus est, ut ne sine nobis consummetur [a]. »

Ambrosius observatione altera in Michæam prophetam paradisum distinguit a regno cœlesti, et illum requietis duntaxat locum interpretatur. « Ut per paradisum ad regnum perveniatur, non per regnum ad paradisum. Servatur discipulis quod plus conferatur pro laboribus : ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is, qui sub ictu mortis convertitur, et confitetur Dominum Jesum, mercatur incolatum paradisi, qui vero multo ante se exercuit, et Christo militavit, acquisivit populorum animas, pro Christo se obtulit, habeat paratum stipendiis suis Dei regnum, cum se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum* [1]. Ex latrocinio conversus requiem habet : in apostolatum probatus, accepit potestatem. »

VII. Discernit et Chrysostomus paradisum a regno cœlorum homilia XV, in *Matthæum*, et illum aliquid esse terrenum existimat, nec non Cæsarius dialogo tertio, quæst. CXLIII, et Methodius apud Epiphanium [2]. Et insigniter Moses Barcepha, qui latronem negat in cœlum statim perductum fuisse, sed in paradisum illum, ubi Adamus habitavit [3].

Julianus quoque Toletanus ex Juliano Pomerio : « Hinc quoque videntur, inquit, animæ justorum duci, vel ire in paradisum recedentes a corpore, quo se raptum dicit Apostolus; mente profecto, non corpore [4]. » Atque in hunc locum latronis translatam esse animam; quem et terrenum esse demonstrat capite sequenti.

Auctor *Quæstionum ad orthodoxos*, quæ Justino solent inscribi, quæstione LXXV, justorum animas « subinde post mortem ab angelis duci ait in paradisum, ubi angelorum et archangelorum consortio fruuntur, nec non visione ipsius Servatoris Christi; ibique ad resurrectionis, et retributionis usque tempus attineri [b]. » Tum quæstione LXXVI percontatur, « quandoquidem ante resurrectionem operum merces nulla rependitur, quid utile fuerit latroni, quod ejus anima in paradisum intromissa sit, præsertim cum paradisus sub sensum cadat, animæ vero substantia ipsa non cadat sub sensus, » respondet, « eam opportunitatem redundasse ex illo loco, ut fidei emolumentum disceret, per quam dignus est sanctorum consortio factus. Ibi porro custodiri usque in diem resurrectionis, et remunerationis [c]. » Non est dubia scriptoris istius sententia, qui remunerationis tempus, ac proinde felicitatis, idem et resurrectionis esse credidit, itaque orthodoxos sentientes introduxit. Non enim gentiles interrogantes facit, ut vir doctus ait, qui et ex eo loci illius explicandi materiam sumpsit. Sed profecto nulla tergiversatione opus istic est, uti nec in quæstione LX, ubi de Lazaro et divite narrationem ait esse parabolam, non historiam; quod remunerationis tempus ante resurrectionem nondum

a THEOPH. Ὥσπερ γὰρ οἱ κατάκριτοι ἐπὶ τῶν βασιλείων οὐκ εἰσίν· ἀλλ’ ἐν φρουραῖς ἀποκεκλεισμένοι τηροῦνται ταῖς ἀφωρισμέναις ποιναῖς. οἱ δὲ ἔντιμοι εἴς τε τὰ βασίλεια εἰσέρχονται, καὶ τέως ἐπὶ τούτων διάγουσιν· εἶτα ὅτε ὁ καιρὸς ἐπιστῇ τῆς διανομῆς τῶν βασιλικῶν δωρεῶν, ἀξιοῦνται τούτων· οὕτως καὶ οἱ ἅγιοι, εἰ καὶ μήπω τοῦ τελείου ἀπολαύουσιν· ἀλλά γε τέως ἐν τούτοις τοῖς φωτεινοῖς, καὶ εὐώδεσι, καὶ βασιλικοῖς ἁπλῶς εἰπεῖν σκηνώμασι διάγουσιν· εἰ καὶ μήπω τῆς διανομῆς τῶν βασιλικῶν δώρων ἀξιοῦνται τελείως. οὕτως οὖν ὁ λῃστής καὶ ἐν παραδείσῳ ἐγένετο, καὶ οὔπω τοῦ τελείου ἀπέλαυσεν, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῇ.

b JUSTIN. Ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς ἀξίους αὐτῶν τόπους αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ εἰς τὸν παράδεισον, ἔνθα συντυχία τε, καὶ θέα ἀγγέλων τε, καὶ ἀρχαγγέλων, κατ’ ὀπτασίαν δὲ καὶ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ, etc. καί εἰσιν ἐν τοῖς ἀξίοις αὐτῶν τόποις φυλαττόμεναι ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως, καὶ ἀνταποδόσεως.

c Ibid. Εἰ πρὸ τῆς ἀναστάσεως οὐκ ἔστιν ἡ τῶν ἔργων ἀντίδοσις, ποῖον τῷ λῃστῇ προσγέγοναι ὄφελος. πρὸς τὸν παράδεισον αὐτοῦ τῆς ψυχῆς εἰσαχθείσης; καὶ μάλιστα ὅτι ὁ μὲν παράδεισος αἰσθητὸς, οὐκ αἰσθητὴ δέ ἐστι τῆς ψυχῆς ἡ οὐσία. Ἀπόκρισις. Ὄφελος γέγονε τῷ λῃστῇ εἰς τὴν παράδεισον εἰσελθόντι τὸ ἔργοις μαθεῖν τῆς πίστεως τὸ ὠφέλιμον, δι’ ἧς ἠξιώθη τοῦ συναθροίσματος τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάττεται ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεώς τε, καὶ ἀνταποδόσεως.

1 *Matth.* XVI. — 2 Hær. LXIX, n. 47. — 3 Par. I lib. *de Parad.* c. I et VII. — 4 Lib. II *Prognostic.* c. I, tom. IX *Biblioth. Patrum.*

sit. Verum illius scriptoris movere nos auctoritas non debet, quæ magna non est.

Augustinus, epistola LVII, paradisum, in quem latro cum Christo fuit, Abraami sinum esse suspicatur. « Generale enim paradisi nomen est, ubi feliciter vivitur. » Idemque proponit et in lib. XII *de Genesi ad litteram*, cap. XXXIV. Quam opinionem reliquis Maldonatus anteponit. Sane merito. Hic enim certum locum *paradisi* vox significat, non meram ipsam, et nulli addictam loco felicitatem animi, quæ in Dei aspectu posita est. Quare non satis ex illo loco probari videtur, sanctos statim post exitum e corpore ad Dei visionem admitti *.

VIII. Ut ad Millenarios revertar, quos dixi non arbitrari, subinde post mortem animis æternæ felicitatis copiam fieri; cum ex horum numero Tertullianus fuerit, non est mirandum in eadem illum opinione fuisse differendæ in longum tempus beatitudinis. Ac mille quidem annorum habitationem in nova et terrestri Hierosolyma describit in tertio libro *contra Marcionem*, cap. XXIV, et pluribus exposuerat in libro *de Spe fidelium*, ut testis est ipsemet in eodem libro *contra Marcionem*, et Hieronymus in *Ezechielis* cap. XXXVI, atque in præfatione ad lib. XVIII *in Esaiam*. Paradisum vero idem putat esse « locum divinæ amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ a notitia orbis communis segregatum [1], » ex quo Elysiorum camporum manasse fidem existimat. Tum in libro *de Anima*, capite VII, et aliis in locis; quæ studiose colligit Pamelius [2].

Idem de Lactantio, Victorino Pictaviensi, cæterisque sectæ ejusdem Millenariorum est judicium.

Ambrosius quoque, tametsi ex illa secta non fuit, libro *de Bono mortis* capite X, *promptuaria* nescio quæ commemorat *animarum* ex apocrypho *Esdræ* quarto libro, cap. VII, indidemque colligit, animas novissimum expectare judicii diem, ut in eo coronentur. Quod in sequentibus capitibus clarius exponit. Idem etiam in secundo *de Abel et Cain*, capite II: « Solvitur, inquit, corpore anima, et post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri ambiguo suspenditur. Ita finis nullus, ubi finis putatur. »

IX. Augustinus libro *Enchiridii ad Laurentium*, cap. CIX, ad eadem illa promptuaria respiciens, « Tempus, inquit, quod inter hominis mortem, et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie, vel ærumna. » Eadem *secreta animarum receptacula*, in quibus requiescunt, commemorat in libro XII *de Civitate Dei*, capite IX. Item in lib. XII *de Genesi ad litteram*, de paradiso agens, in quo et Abraamus cum Lazaro conspectus est, et latro collocatus, dubitat, an in tertio cœlo sit, quo raptum se Paulus affirmat; an supra tertium cœlum. Imo vero an locus omnis ita vocetur, etiam spiritualis, ubi animæ bene est; atque ipse sinus Abrahæ, in quo apud inferos latro requievit. Vel certe cœlum intelligi putat, ac dubius huc illucque trahitur. Sed in cap. XXXV scribit, mentem hominis « post mortem ipsam, carne deposita, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quandiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. » Et sermone CXVII, *de Diversis*, sub finem: « Nondum ergo receptis fructibus suis, ait, beati sunt modo sancti martyres, quoniam cum Christo sunt animæ eorum. Quid autem paretur illis in resurrectione, quis potest verbis explicare? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* [3]. » Vide et librum *de Prædestinatione sanctorum*, cap. XII, et tractatum XLIX, *in Joannem*. Et in tractatu *ad Psalm.* XLIII: « Illa, inquit, visio facie ad faciem liberatis in resurrectionem servatur. » Rursus tractatu in *Psalmum* XXXVI: « Post vitam istam parvam, nondum eris, ubi erunt sancti, quibus dicetur, *Venite, benedicti*, etc. Nondum ibi eris, quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus, et sterilis in mediis suis tormentis vidit a longe requiescentem. In illa requie

Dubia mens Augustini.

* Videsis Muratorium *de Paradiso*, cap. XIV.

1 Apol. cap. XLVII. — 2 Pam. in *Parad.* — 3 *Esa.* LXIV, 4, et I *Cor.* II, 9.

positus, certe securus expectas judicii diem. » Tum in sermone CIII, *de Diversis*, capite V : « Et hæc quidem vita, inquit, quam nunc beati martyres habent, quamvis jam nullis possit sæculi hujus felicitatibus, vel suavitatibus comparari, parva particula promissionis istius, imo solatium dilationis, etc. Sicut enim plurimum distat inter lætitias, miseriasve somniantium, et vigilantium, ita multum interest inter tormenta vel gaudia mortuorum et resurgentium, non quod Spiritus defunctorum, sicut dormientium, necesse sit falli, sed quod alia est animarum sine ullis corporibus requies, alia cum corporibus cœlestibus claritas, et felicitas angelorum, quibus æquabitur resurgentium multitudo fidelium.

X. Quapropter anceps de hac re Augustini fuit animus ; ut in quibusdam illorum, quæ citavimus, locorum indicat. Constantior tamen in illo fuisse videtur, ut animas sanctorum in cœlo constitueret; non ut Novatianus[1], qui sub terra certam putavit esse sedem, « quo piorum animæ impiorumque ducuntur, futuri judicii præjudicia sentientes *. »

Gregorius Nazianzenus oratione X, animam corporis solutam vinculis ad Dominum migrare scribit, « ac jam velut per imaginem, et simulacrum reconditam beatitudinem percipere : post etiam aliquando, cum cognatam carnem a terra, quæ et dederat, et in fidem acceperat, receperit (quod quomodo fiet, is novit, qui ea inter se conjunxit, atque dissolvit), tum demum eam quoque ad gloriæ cœlestis hæreditatem secum admissuram [a]. »

Sunt et Chrysostomi, et aliorum tam Græcorum, quam Latinorum varia loca, in quibus suspensam ante ultimum judicii diem sanctorum felicitatem adstruere videntur, quæ apud Sixtum Senensem legi possunt. Quid quod idem Chrysostomus in homilia secunda *de Machabæis*, etiam ante Christi adventum sanctorum animas in cœlo versatas esse, et coronam percepisse docet[2]? Nam de postremo ex illis septem fratribus agens, et illustri ejus certamine, « Hoc spectaculum, inquit, adeo magnificum erat et ingens, ut vel ipsum angelorum cœtum, sive potius ipsos etiam fratres spectatores haberet, non jam e terra, sed e cœlo. Nam coronati illic sedebant, quemadmodum in olympiacis agonibus judices [b]. » Quibus illud Theodoreti licet adjungere ex dialogo primo : « Divinus, inquit, Apostolus, cum nondum communis resurrectio facta sit, nec adhuc regnum cœlorum fidelibus datum sit, clamat : *Simul excitavit nos, et sedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* [c]. » Nam de Bernardo notissima res est, hunc in opinione illa fuisse. In qua fluctuantem, et hæsitantem cernes Julianum Toletanum in libro secundo *Prognosticon*[3]. Et ibidem tamen Gregorium Papam citat, qui sine mora perduci animas censet in cœlum[4].

Nonnulli porro medium quemdam statum inter felicitatem, ac supplicia constituunt, non solum parvulis, quod Pelagiani et quidam etiam catholici fecerunt, sed adultis ipsis, ut Gregorius Nazianzenus, oratione XXVI et XL. Qua item in oratione infantes sine baptismo decedentes mediam illam in stationem compellit. Tum Gregorius Nyssenus in oratione

a Naz. Καὶ οἷον ἤδη τῇ φαντασίᾳ καρποῦται τὴν ἀποκειμένην μακαριότητα, μικρὸν δὲ ὕστερον καὶ τὸ συγγενὲς σαρκίον ἀπολαβοῦσα, ᾧ τὰ ἐκεῖθεν συνεφιλοσόφησε, παρὰ τῆς καὶ δούσης, καὶ πιστευθείσης γῆς, τρόπον, ὃν οἶδεν ὁ ταῦτα συνδήσας, καὶ διαλύσας Θεὸς, τούτῳ συγκληρονομεῖ τῆς ἐκεῖθεν δόξης.

b Chrys. Hom. XCV. Τοῦτο δὲ τὸ θέατρον οὕτω σεμνὸν ἦν, καὶ μέγα, ὥστε καὶ αὐτῶν τῶν ἀγγέλων τὸν δῆμον, μᾶλλον δὲ καὶ τοὺς ἀδελφοὺς εἶχεν αὐτὸν θεωμένους, οὐκέτι ἀπὸ τῆς γῆς, ἀλλὰ ἐκ τῶν οὐρανῶν· ἐστεφανωμένοι γὰρ ἐκάθηντο, καθάπερ ἐν τοῖς Ὀλυμπιακοῖς ἀγῶσιν οἱ δικασταί.

c Theodoret. Ὁ θεῖος Ἀπόστολος, μηδέπω μηδὲ τῆς κοινῆς ἀναστάσεως γενομένης, μήτε τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας τοῖς πεπιστευκόσι παρασχεθείσης, βοᾷ· Συνήγειρε, καὶ συνεκάθισεν ἡμᾶς ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

* Tournelius doctor Sorbonicus pereruditus Augustinum presbyterum censet cum Millenariis sensisse ; ab eorum deinde errore discessisse. Multis contra Tournelium *Vindicias Augustinianæ ab imputatione Regni millenarii doctrinæ* aggressus est edito Cremonæ libro a. 1747, sacerdos quidam Venetus Johannes Cadonici; cujus quidem laudarem consilium, nisi ingenio suo indulgere maluisset, quam veritatem tueri. Audi potius Muratorium *de Paradiso*, cap. XVII. A. Z.

1 *De Trin.* cap. I. — 2 Lib. VI *Biblioth.* Ann. 264 et 345. — 3 Ser. III et IV *de Sanct.* — 4 Cap. VIII et seq. Tom. IX *Biblioth. Patrum.* — 5 Cap. XII.

Contra differentes baptismum. Quibus affine quiddam habet Cyrillus lib. II *Glaphyrorum in Exodum.* De qua re legendus Billius Gregorii Nazianzeni eruditus interpres, et Petrus Arcudius lib. I *de Baptismo,* cap. xv. Et nos alias, si Deus dederit, hanc quæstionem pertractabimus[1].

De Græcis porro recentioribus, et Armenis, ac de Joanne XXII Papa, qui in eadem cum illis opinione fuisse dicitur, æternæ felicitatis nondum sanctos esse compotes, consuli possunt accurati et eruditi scriptores, qui inter hæreses alias, hanc etiam pertractarunt, et ejus historiam diligenter explicarunt; ut Guido Carmelita, Alphonsus a Castro, Bellarminus aliique non pauci*. Et nos alio in loco, si Deo visum fuerit, de hoc argumento plenius disputabimus.

* Quos inter omnino censendi Tournelius, Witassius *de Deo*, quæst. xi, artic. 2, sect. 8, et Natalis Alexander in *Hist. Eccles.*, sæc. XIII. et XIV, dissert. xi, art. 2. Z.

1 In com. ad. or. xxiii, num. 40.

THEOLOGICORUM DOGMATUM

DE DEO

DEIQUE PROPRIETATIBUS

LIBER OCTAVUS

IN QUO DE PROVIDENTIA ET DEI NOMINIBUS AGITUR.

CAPUT PRIMUM.

De Providentia Dei. Primum vis ipsa nominis explicatur: tum ejus definitio multiplex. Duplex illius pars ex duplici itidem fonte derivata, scientia Dei, et bonitate. Eam cur probare instituamus, cum et notissima sit, et sine perfidia negari nequeat.

De Dei providentia, quæ in præcipuis ejus ornamentis jure numeratur, ut invenire est facile quæ dicas, sic ex inventorum copia quid potius eligas, difficile est statuere. Habent hoc præstantes omnes res, et propter multiplicem opportunitatem iis, quibus prosunt, notissimæ, ut infinitate ipsa perplexum, et propemodum elinguem sui prædicatorem efficiant: dum, quod, si posset, maxime vellet, parem argumenti magnitudini facultatem explicare non potest. Quod de divina providentia usurpari potissimum convenit; cujus tam copiosa est, ac tam late diffusa tractatio, ut integri de hac una re libri tam ab antiquis editi, quam ab nostræ memoriæ doctis ac piis viris magno numero prodierint. Quod ut merito factum videtur, quia digna res est, ad quam ornandam ingenii et industriæ vires omnes adhibeantur: sic in orationis angustias cogere tot rerum jucundissimarum affluentem copiam, affert non solum operæ multum, sed etiam molestiæ aliquid ac doloris. Ac mihi prætermittenda pars illa prius hoc loco videbatur, ne, si pro eo ac postulat, eam persequi vellem, fieret justo longius hoc opus. Postea vero aliter apud me statui, ne, si omissa penitus fuisset, manca et imperfecta nostra de divinis proprietatibus disputatio videretur; ac se justissima sua spe frustratum etiam non iniquus lector conqueri posset. Præsertim cum istud ipsum, quod magnis, et excellentibus de rebus jactari solet, præstare nihil omnino de iis, quam pauca dicere, id in divinis minime locum habeat; quod in his prædicandis nonnisi pauca sint, quantumvis multa dicantur.

Quoniam igitur et breviter, et non perfunctorie de Dei providentia propositum est agere, ac methodo et ordine præsertim utrumque consequi possumus; summam rei amplissimæ tribus includam capitibus, in quæ Nemesius christianus, et cumprimis doctus ac disertus philosophus, in libro *de Natura hominis*, capite XLII, totam de providentia Dei inquisitionem partitus est. Nam tria quæri posse dicit: an sit providentia: tum quid sit; postremo quorum et circa quæ sit. Nos ab eo, quod secundum posuit, auspicabimur; quia

consentaneum est prius rem ipsam constituere, qua de agitur, quam eam esse monstrare: cum de re an sit sciri nequeat, nisi aliquid esse constet. Non est autem aliquid, nisi per essentiam, et id quod esse dicitur.

Quid sit providentia.

II. Igitur quam *providentiam* Latine dicimus, eam Græci πρόνοιαν appellant, et utrobique vocabulum a cognitione deducitur. Sed Græcum mentis notitiam exprimit; Latinum visionis; quæ propria cum sit oculorum, sæpius, uti hoc loco fit, ad animum refertur. Inest autem in ambobus illis, præter intuentis, scientisve significationem, antecessionis cujusdam inclusa notio, ut sit quasi præsensio, sive præsagitio mentis, aut, si mavis, prævisio. Quanquam Boetius in quinto et ultimo *de Consolatione*, prosa VI, « Providentiam appellari vult, non quasi prævidentiam; sed quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat. » Siquidem præscientiam in Deo proprie negat usurpari quasi futuri scientiam. Verum non est de vocis origine, ac notione litigandum. Et quatenus in Deo præscientia dici possit, suo loco declaravimus. Itaque πρόνοια sit quasi προνόησις, id est *antegressa notio*, atque *cognitio*. Vel Latina voce *providentia*, quasi *prævidentia*, nominetur *antecedens futuri cognitio*. Hinc auctor rhetorici operis *ad Herennium*, libro secundo, « Providentia, inquit, est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. »

Nec tamen simplici et nuda cognitione definienda est providentia, de qua hic agimus. Hæc enim voluntatem una complectitur, et ex utroque complexa tum ad mentem et intelligentiam spectat, ac notitiam consiliumve Dei, tum ad voluntatem ejus ac decretum. Nemesius certe, ex eoque Joannes Damascenus, ambo ista in providentiæ rationem conferunt. « Providentia, inquit Nemesius, est cura rerum a Deo profecta [a]; vel providentia est Dei voluntas, per quam res omnes apte administrantur. » Quæ verba, ut et alia pleraque Nemesii, Joannes Damascenus descripsit [1]. Ac licet sola voluntatis actio in illa definitione contineri videatur, tamen rationis intelligentiæque functio una etiam exprimitur. Nam et *curæ* vocabulum sedulam et intentam animi cogitationem ostendit, et *gubernatio* ipsa rerum et administratio, ad quam providentia respicit, eadem mentis acie perficitur. Tum βούλησις illa, quæ *rationalis voluntas* a Damasceno definitur [2], ex mentis cognitione pendet. Zacharias Mitylenæus providendi actionem ipsam ita describit: « Providere est iis, quæ sunt, et facta sunt, curæ aliquid impertiri [b]. » Ubi utramque illam operam mentis, et voluntatis, curationis vox amplectitur; tum quod in factas res derivari dicit, tacite, quod mox pluribus exponetur, indicat, ideo provideri a Deo rebus omnibus, quod earum procreator sit, et opifex. Quam rationem paucis attigit Lactantius in fine capitis decimi libri *de Ira Dei*. « Est igitur divina providentia, ut senserunt ii homines, quos nominavi: cujus vi ac potestate omnia, quæ videmus, et facta sunt, et reguntur. »

Boetius in quarto *de Consolatione philosophiæ*, prosa VI, providentiam sic definit: « Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit. » Quæ « cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, ait ibidem, providentia nominatur; cum vero ad ea, quæ movet atque disponit, refertur, *fatum* a veteribus appellatum est: ut sit fatum inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus. Quamobrem providentia dispositio est rerum omnium, ut in divina mente spectatur; fatum vero eadem dispositio, ut locis, formis ac temporibus distribuitur, velut *temporalis* quædam *ordinis explicatio*.

Duæ sunt ergo providentiæ partes; quarum altera in rerum futurarum præsensione ac scientia, altera in consulendi voluntate posita est. Quas paucis comprehendit Cyrillus Alexandrinus libro X *in Joannem*, « Deum appellans inspectorem universorum, et curatorem [c]. » Et Constantinus Pogonata in epistola *ad Agathonem Papam*, « Ipse, inquit, novit

a NEMES. lib. *de Nat. hom.* cap. XLII. Πρόνοια τοίνυν ἐστὶν ἐκ Θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια. ὁρίζονται δὲ καὶ οὕτως αὐτήν. Πρόνοιά ἐστι βούλησις Θεοῦ δι' ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρόσφορον διεξαγαγωγὴν λαμβάνει.

b ZACHAR. *de Mundi opif.* Προνοεῖσθαι δὲ, τὸ τοῖς οὖσί τε, καὶ γεγενημένοις φροντίδα τινὰ νέμειν.

c CYRIL. Τὸν ἐπόπτην τῶν ὅλων, καὶ ἐπιμελητὴν εἰσφέρουσα, τουτέστι Θεόν.

1 Lib. II, cap. XXIX. — 2 Lib. II, cap. XXII.

futura, et sic quæ nobis conducibilia sunt, pro bona sua voluntate perficit[a]. » Ita totidem ex attributis Deo proprietatibus efflorescit providentia, videlicet scientia, et bonitate, quarum alterutra detracta consistere non potest. Itaque Christus, cum de Dei Patris sui providentia sermonem haberet, eamque diligenter commendaret apostolis suis, duo illa præ cæteris inculcavit; scientiam quidem cum sic loquitur : *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*[1]; bonitatem vero, cum ita dixit: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se*[2]*?*

scientia onitate orescit ridentia.

III. Ad hanc definitionis formulam constituta providentia vix est, ut rationibus ullis approbanda sit. Est enim idem de hac quæstione, ac de altera judicium, qua utrum sit Deus inquiritur; ut iisdem prorsus argumentis esse providentiam in rebus ostendere oporteat, quibus Deum esse monstratur, ut ait Nemesius[b]. Etenim, quod *adversus Marcionem* Tertullianus opponit : « Nemo te sustinebit improvidentiam adscribentem Deo ei, quem Deum non negans confiteris et providum. Hæc enim illi propria divinitas constat[3]. » Et Lactantius *contra Epicurum :* « Si est Deus, inquit, utique providens est, ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et præterita teneat, et præsentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, et providentiam simul concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. » Hinc perinde qui de providentia, ac qui de Deo, an sit dubitat, pœna potius, quam responsione dignus habetur, ut ait Clemens Alexandrinus : « Constat jam, inquit, supplicium magis, quam confutationem mereri illum omnem, qui providentiam esse non putat, ac revera esse atheum[c]. » Nihilominus, uti Deum esse probaturi initio primi libri, cur id faciendum esse videretur certas causas attulimus, et hoc deinceps non sine fructu, ut opinor, agere studuimus. Ita modo providere rebus humanis Deum selectis quibusdam argumentis persuadere conabimur ; idque contracta, quoad licebit, eorum amplitudine : quæ quam late pateat, tot illa, quorum initio capitis memini, ab omnis generis scriptoribus hanc in unam rem collata volumina testantur.

CAPUT II.

Deum providentia sua gubernare res a se procreatas quibusdam argumentis asseritur, quæ triplici capite continentur, ratione, exemplo ac testimonio. Rationes ex Dei ipsius natura ducuntur, scientia, bonitate, justitia, omnipotentia. Quod res omnes procrearit : quod easdem conservet. Et probatur, Deum eadem, qua creavit, actione conservare. Item ex immensitate Dei.

I. Quæ ad propugnandam Dei providentiam afferri possunt et solent argumenta, triplici ex capite proficiscuntur, quod initio secundi libri Salvianus exponit. *Ratione*, *exemplis* ac *testimoniis*. Ratio bifariam fere patet. Nam aut ex Deo ipso, et ejus natura proprietatibusque ducimus argumenta, aut ex rebus, quas ille procreavit. Primum itaque genus argumenti Dei nobis conditio ac natura suppeditat; cujusmodi non ex fide solum christianisque litteris, sed ex communis naturæ sensu, ac velut disciplina gentiles etiam ipsi describunt. Deum enim cogitant, et agnoscunt omnes, qui esse sentiunt aliquem, optimum, justissimum, qui norit ac facere possit omnia quæ sunt, aut fuerunt, aut aliquando futura sunt; tum ubique saltem vi, et efficientia diffusum esse prædicant, ac reliqua tanta digna majestate ejus ornamenta tribuunt. Ex istis autem omnibus ejusdem providentia divinitatis adstruitur, imprimisque scientia, et bonitate, ex quibus præsertim efflorescit, ut antecedenti capite dixi. Etenim, « quia quantus est, bonitas, et sapientia, et origo rationis est, nihil nisi ratione constituit, et ad materiam suæ bonitatis creavit, ait Paulinus Nola-

a In sexta synodo. Αὐτὸς γὰρ ἐπίσταται τὰ μέλλοντα, καὶ τὰ συμφέροντα ἡμῖν οὕτως εὐδοκεῖ ἀποτελεῖν.

b Nemes. cap. xlii. Ὅτι τοίνυν ἐστὶ πρόνοια διὰ τῶν αὐτῶν ἄν τις ἐπιδείξειε, δι' ὧν ὅτι καὶ Θεός ἐστιν ἐδείξαμεν.

c Clem. Alex. *Strom.* VI : Καὶ πέφηνεν κολάσεως, οὐκ ἀντιῤῥήσεως ἄξιος ἅπας ὁ μὴ νομίζων εἶναι πρόνοιαν, καὶ τῷ ὄντι ἄθεος. Vide et IV *Strom.*

1 *Matth.* vi, 32. — 2 Luc. xi, 13. — 3 Lib. III *cont. Marc.*, c. xxiv.

nus [1]. Joannes item Damascenus, tum providentem esse Deum, tum optime id facere indidem demonstrat. « Etenim solus Deus, inquit, natura bonus est et sapiens. Igitur quatenus est bonus providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam et homines, et bestiæ propriorum fetuum providentiam habent naturali quodam instinctu; et qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit [a]. »

II. Ac recte prorsus Ammonius in commentario ad librum Aristotelis *de Interpretatione*, tum omnia scire Deum asserit, nec ignorare quippiam nostrarum rerum, tum, ut norit, fieri non posse, ut eas negligat, ac non cura sua, et providentia dignetur. Id enim bonitati illius est consentaneum, ut prosit, commodetque quam potest plurimis. Potest autem omnibus. Nemo autem, vel si magistram solam naturam, ac rationem adhibeat, dubitabit, quin verissimum sit, quod Clemens Alexandrinus scripsit, « id esse melius, quod ex animi proposito utilitatem affert aliis, quam quod nulli prosit [b]. » Quocirca Nemesius in libro *de Natura hominis* argumentationem jure ita nectit: « Bonus, inquit, est Deus. Quod si est bonus, etiam beneficus est; si beneficus, erit et providens [c]. » Imo vero providentiam Dei ipsammet esse bonitatem, Theophilus Antiochenus libro 1 *ad Autolycum* indicat: « Providentiam, ait, cum dico, bonitatem ipsius dico. » Alexander item Aphrodisiensis, in libro *de Providentia* ab Cyrillo Alexandrino citatus [d], in secundo *contra Julianum* similem ratiocinationem instruit: « Dicere, inquit, nolle Deum rebus nostris providere, prorsus alienum est a Deo. Est enim invidiæ cujusdam, et malignæ penitus naturæ, meliora, cum possit, non facere. Quoniam autem utrumque horum a Deo est alienum, neque ambo penes ipsum erunt, nec horum alterutrum. Superest igitur, ut et possit, et velit Deus rebus nostris prospicere. Quod si vult, potestque, perspicuum est, iis illum providere [e]. »

III. Hæc vero ratio, quæ ex Dei bonitate providentiam ejus et curam adstruit, a Platone sæpius adhibetur. Ut in decimo libro *de Legibus*, « Deos, quia in omni virtute perfecti sunt, omnium curam, ait, tanquam ipsis maxime congruentem suscipere [f]. » Et in *Timæo*, « Bonus, inquit, erat. Bono autem nulla unquam in aliqua re subrepit invidia [g]. » Etenim, ut ad hunc locum Proclus adnotat, « Invidiæ est, cum possis benefacere, non id agere, sed bonum apud se cohibere. Est autem et invidia ipsa bonorum inopia: cujusmodi nunc philosophus usurpare mihi videtur, cum eam a divina natura procul ablegat [h]. » Præclare id quidem Proclus, qui invidiam bonitatis adversariam in penuria et egestate sitam existimat. Ex quo fit, ut, cum Deus nullius egeat, sed infinita bonorum copia redundet, nulli invidere, ac bonitatis suæ fontes possit occludere. Nam, « nisi summe bonus esset, ait Fulgentius, non se gubernandis rebus quoque infimis præstitisset [2]. » Hinc Boetius bonitatem appellat « clavum, atque gubernaculum, quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur. [3] »

E bonita[te] Dei genti[um] provide[n]tiam adstruun[t]

Sic Augustinus in libro LXXXIII *Quæstionum*, quæstione XLIV, « nihil casu fieri concludit in mundo; quia Deus summum et immutabile est illud bonum, cujus participa-

a DAMASC. lib. II *de Fide*, cap. XXIX. Μόνος ὁ θεός ἐστι φύσει ἀγαθὸς, καὶ σοφός. ὡς οὖν ἀγαθὸς, προνοεῖ. ὁ γὰρ μὴ προνοῶν, οὐκ ἀγαθός. καὶ γὰρ καὶ οἱ ἄνθρωποι, καὶ τὰ ἄλογα τῶν οἰκείων τέκνων προνοεῖται φυσικῶς. καὶ ὁ μὴ προνοῶν ψέγεται. ὡς δὲ σοφὸς, ἄριστα τῶν ὄντων ἐπιμελεῖται.

b CLEM. ALEX. I *Pæd.* cap. VIII. Τὸ κατὰ γνώμην ὠφελοῦν τοῦ μὴ ὠφελοῦντος κρεῖττον.

c NEMES. c. XLII. Ἄλλως τε ἀγαθός ἐστιν ὁ θεός· ἀγαθὸς δὲ ὢν, εὐεργετικός· εἰ δὲ εὐεργετικὸς, καὶ προνοητικός.

d THEOPH. lib. 1 *ad Autol.* pag. 71. Πρόνοιαν ἐὰν εἴπω, ἀγαθωσύνην αὐτοῦ λέγω.

e ALEXAND. apud Cyril. Τὸ δὲ λέγειν, μὴ βούλεσθαι τὸν θεὸν τῶν ἐνταῦθα προνοεῖν, παντελῶς ἀλλότριον θεοῦ. φθόνου γάρ τινος καὶ παντάπασιν ἀτόπου φύσεως, τὸ τὰ βελτίω μὴ ποιεῖν, δυνάμενον. ἐπειδὴ δὲ ἑκάτερον τούτων ἀλλότριον θεοῦ, οὔτ' ἂν ἄμφω εἴη περὶ αὐτὸν, οὔτε θάτερον. λείπεται τοίνυν τὸ καὶ δύνασθαι, καὶ βούλεσθαι προνοεῖν τὸ θεῖον τῶν ἐνταῦθα. εἰ δὲ βούλεται, καὶ δύναται, δῆλον ὡς καὶ προνοεῖ.

f PLATO. Ὡς ἀγαθοί γε ὄντες πᾶσαν ἀρετὴν, τὴν τῶν πάντων ἐπιμέλειαν οἰκειοτάτην αὐτῶν οὖσαν κέκτηνται.

g Id. in *Tim.* Ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος.

h PROCL. in *Tim.* Φθόνος δὲ τὸ δυνάμενον εὖ ποιεῖν, μὴ εὖ ποιεῖν, ἀλλὰ παρ' ἑαυτῷ κατέχειν τὸ ἀγαθόν. φθόνος γε μὴν καὶ ἡ ἔνδεια αὐτὴ τῶν ἀγαθῶν· ἥν μοι δοκεῖ καὶ μάλιστα νῦν ὁ φιλόσοφος παραλαμβάνειν, ἐξορίζων αὐτὴν ἀπὸ τῆς θείας οὐσίας.

1 Paulin. ep. XXXVIII. — 2 Lib. *de Fide ad Petr.* c. III. — 3 Boet. III *de Cons.* pro. XII.

ione sunt bona cætera, quæcumque sunt : quod ipsum non per aliud, sed per seipsum bonum est : quam divinam etiam providentiam vocamus. »

Ibidem etiam Augustinus providentiam approbat ex eo, quod justus sit Deus, qui nihil propria carere mercede pati potest. « Deus enim quovis homine optimo, et justissimo longe atque incomparabiliter melior et justior est. Justus autem regens, et gubernans universa, nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari. »

Et in libro *contra Adimantum Manichæum*, capite undecimo, quod hæretici isti calumniabantur, Deum appellari zelotem, refellit sic. « Justum, inquit, Deum, et zelantem Deum, tanquam contraria sibi esse dissertant, et decipiunt miseros, non intelligentes, totam spem salutis nostræ esse zelum Dei. Hoc enim nomine illa ejus significatur providentia, qua nullam a se animam fornicari impune permittit. »

us provi- ens quia creator.

IV. Ex Dei quoque omnipotentia validum et invictum argumentum ducitur ad providentiam asseverandam; idque dupliciter, ut est duplex *omnipotentis* notio suo a nobis loco tradita. Nam et cum proprie significat, qui in omnes potestatem, id est dominatum exercet; et qui facere potest omnia. Utrumque autem Dei proprium esse, sic communis habet hominum sensus, ut, alterutro detracto, Deus intelligi amplius nequeat. Ut a posteriori significatione ordiar, providere omnibus Deum inde tam nostri, quam exteri, qui paulo elegantius philosophati sunt, probant, quod omnium auctor effectorque sit; non possit autem, qui opus aliquod fabricatus sit, præsertim si est probus, et malevolentia ac stultitia caret, non ejus gerere curam, quod molitus est. Sic artifex omnis, quo est præstantior et excellentioris effector operis, eo est ejus, quod elaboravit, tuendi ac perpoliendi studiosior; nihil ut in eo desiderari patiatur, quoad potest. At sunt ejusmodi creatæ res omnes, ut non modo produci et existere, sed ne puncto quidem temporis durare queant, nisi conditoris sui vis illis ac providentia succurrat. Sapienter hoc a Philone dictum est, parentes esse « socios et adjutores a nemine doctos, hoc est, συμμάχους ἀδιδάκτους. Etenim curam habet, naturali quodam instinctu; non disciplina suadente, quidquid aliquid effecit, operis sui, et ut incolume sit, ac perpetuo maneat, providet[a]. » Nec minus vere, ac prudenter item Philo in libro *de Mundi opificio :* « Qui mundum factum negant, inquit, non animadvertunt, se rem adimere omnium, quæ ad pietatem spectant, utilissimam, maximeque necessariam. Nam a parente, et opifice curam geri operis sui, ratio ipsa dictat. Etenim pater liberorum, et opifex eorum, quæ fabricavit, conservationi studet, et quæcumque detrimenti aliquid afferre, ac nocere possunt, ea quantum in illo situm est, repellit; quæ vero conducibilia et utilia sunt, omni ratione comparare cupit. Qui autem aliquid non fecit, nihil habet cum eo commercii[b]. » In his postremis verbis præcipuas duas providentiæ partes attigit Philo; ut et quæ utilia sunt, ac commoda procuret, et quæ sunt nocitura propulset : de quibus agemus postea.

V. Porro quod ab eodem Philone dictum est, eos, qui mundum negant esse conditum, providentiam tollere, apud Herennium philosophum in *Metaphysicis* idipsum legitur, ejusque causa sic redditur. « Si non factus sit mundus, nihil ei divina providentia opus est, inquit; si enim non factus est, neque corrumpi, neque pati quidquam poterit. Nam quod initium oriendi nullum prorsus habuit, nullum quoque, ne corrumpatur, metum habebit unquam. Itaque nullius cura eget, ac præsidio[c]. » Atticus etiam Platonicus apud Eusebium contra Aristotelem disputans[1], qui

a Philo. lib. *de Ebriet.* Κήδεται γὰρ ἀδιδάκτῳ τῇ φύσει τὸ πεποιηκὸς ἀεὶ τοῦ γενομένου, καὶ σωτηρίας, αὐτοῦ, καὶ διαμονῆς τῆς εἰσάπαν πρόνοιαν ἔχει.

b Philo. *de Opif. mun.* sub init. Τὸν δὲ κόσμον οἱ φάσκοντες ὡς ἐστὶν ἀγένητος, λελήθασι τὸ ὠφελιμώτατον, καὶ ἀναγκαιότατον τῶν εἰς εὐσέβειαν ἡκόντων ὑποτεμνόμενοι, τὴν πρόνοιαν· τοῦ μὲν γὰρ γεγονότος ἐπιμελεῖσθαι τὸν πατέρα καὶ ποιητὴν ἱστορεῖ λόγος. καὶ γὰρ πατὴρ ἐκγόνων, καὶ δημιουργὸς τῶν δημιουργηθέντων στοχάζεται τῆς διαμονῆς, καὶ ὅσα μὲν ἐπιζήμια, καὶ βλαβερὰ μηχανῇ πάσῃ διωθεῖται· ὅσα δὲ ὠφέλιμα, καὶ λυσιτελῆ, πάντα τρόπον ἐκπορίζειν ἐπιποθεῖ. πρὸς δὲ τὸ μὴ γεγονὸς, οἰκείωσις οὐδεμία τῷ μὴ πεποιηκότι.

c Heren. Ὅτι μηδὲ τὴν ἀρχὴν δεήσεται τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας ὁ κόσμος. εἰ γὰρ ἀγέννητος, καὶ ἄφθαρτος δήπου, καὶ ἀπαθής· ὃ γὰρ οὐδ' ὅλως ἔχε γενέσεως ἀρχὴν· οὐδ' ἂν ἐν φόβῳ ποτὲ καταστα ίη φθορᾶς· οὔκουν ἔτι προστασίας δεῖται.

1 Lib. XV *de Præpar.*, p. 468.

mundum a nullo esse productum asserebat, ait, ex hoc dogmate tolli providentiam, « Cum Plato, inquit, ita ratiocinaretur, ei quod non ortum habuit, neque factore opus, neque curatore ullo, ut bene habeat : ne mundo providentiam auferret, negavit ortum non fuisse[a]. »

Nemesius quoque, « Necesse est, inquit, eumdem et procreatorem esse rerum omnium et iis providentem. Non enim consentaneum est, nec decet, alium efficere, alium eorum, quæ sunt effecta, curam gerere. Ejusmodi enim prorsus imbecillitatis aliquid habet. Atque horum, quæ dixi, magna in animantibus inest significatio. Nam omne, quod genuit, alendi ejus, quod genitum est, curam suscipit. Homo vero cæteris insuper omnibus, quæ ad vitam necessaria sunt, pro virili providet. Quæ autem minime provident, propter imbecillitatem non provident[b]. » Quem locum Joannes Damascenus in suum opus transtulit[1].

Sic Ambrosius in primo *de Officiis*, capite XIII : « Et quis operator, ait, negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare, quod feceris, summa inclementia? Quod si aut Deum creatorem suum abnegant, aut ferarum et bestiarum se haberi numero censent, quid de illis dicamus, qui hac se condemnant injuria? » Hæc Ambrosius contra Epicureos, et eversores providentiæ. Auctor commentarii in epistolam *ad Romanos*[2], qui sub Ambrosii nomine est editus, « Si enim fecit, et negligit, inquit, malus opifex dicitur, quia per id, quod negligit, non bona se fuisse quæ fecit, ostendit. Sed quia bona fecisse negari non potest, (indignum est enim, et improbabile, bonum mala fecisse) curam eorum necesse est ut dicatur agere; quia contumelia ejus erit, et accusatio, si bonorum a se factorum negligens inducatur : quippe cum ejus nutu, ac providentia vita ipsa sustentetur ministerio elementorum, sicut ipse Dominus dicit, *Qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos*[3]. Qui ergo ista præstat, curam non agit, ut conservet quod fecit, ut amantes se remuneret, spernentesque condemnet? » Gregorius Papa, « Per se, ait, mundum regit, quem per se condidit; nec eget alienis adjutoriis ad regendum, qui non eguit ad faciendum. » Prosper vero in carmine *de Providentia* idem his versibus canit :

« Omnem autem hanc molem mundi qui con-
[didit, ipse
Et regit; utque nihil non ortum sumpsit ab
[illo,
Sic nihil est, quod stare queat, factore re-
[moto. »

Ac merito propterea Cyrillus Alexandrinus Platonem, ejusque laudatorem Julianum redarguit[4], quorum ille summum Deum asserit in *Timæo*, posteaquam Deos minores procreavit, iis ipsis operum reliquorum molitionem, quæ mutationi et interitui erant obnoxia mandasse, velut hominum : ne, si ea per sese elaboraret ipse, ut ab immortali et sempiterno facta, essent ipsa perpetua. Quam Platonis sententiam Julianus prædicans, Mosis historiæ non dubitavit anteferre; in qua Deus per se omnia, etiam homines ac bestias condidisse legitur. Cyrillus vero [c] vana hæc, et inepta solidis, ac veris argumentis refellit; quod non sit consentaneum illius bonitati, ut beneficam vim suam, et efficientiam subtrahat : tanquam superbia quadam, aut invidentia commotus nolit ad infima ista, et vilia se demittere. Deinde, quod ad præsentem ser-

a ATTICUS. Λογισάμενος ὅτι τῷ μὴ γενομένῳ οὔτε τινὸς ποιητοῦ, οὔτε τινὸς κηδεμόνος πρὸς τὸ γενέσθαι καλῶς χρεία, ἵνα μὴ ἀποστερήσῃ τὸν κόσμον τῆς προνοίας. ἀφεῖλε τὸ ἀγέννητον αὐτοῦ.

b NEMES. lib. *de Nat. hom.*, cap. XLIII. Ἀνάγκη δὲ καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι ποιητὴν τῶν ὄντων, καὶ προνοητήν. οὔτε γὰρ ἀκόλουθον, οὔτε πρέπον ἄλλον μὲν ποιεῖν, ἄλλον δὲ τῶν γενομένων ἐπιμελεῖσθαι. ἐν ἀσθενείᾳ γὰρ πάντως ὁρᾶται τὸ τοιοῦτον. πολλὴ δὲ καὶ τοῖς ζώοις ἔμφασις ἐναπόκειται τῶν εἰρημένων. πᾶν γὰρ τὸ γεννῆσαν καὶ τῆς τροφῆς ἐπιμελεῖται τοῦ γεννηθέντος. ὁ δὲ ἄνθρωπος καὶ τῶν ἄλλων πάντων τῶν κατὰ τὸν βίον, καθ' ὅσον οἷόν τέ ἐστι προνοεῖ. τὰ δὲ μὴ προνοοῦντα, δι' ἀσθένειαν οὐ προνοεῖ.

c CYR. ibid. Εἰ γάρ ἐστιν ἀγαθὸς ὁ δημιουργὸς, πῶς ἂν αὐτῷ καὶ ὄκνος ἐγγένοιτό τις περὶ τινος ὅλως; οὕτω γὰρ αὐτός που φησὶν ὁ Πλάτων· ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ φθόνος οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς ἐγγίνεται, τό γε μὴν ἀπαξιῶσαι λέγειν αὐτὸν, εἴη ἂν ἕτερον οὐδὲν, ἢ τύφον αὐτῷ προσνέμειν, καὶ ὑπεροψίας καθορίσαι γραφήν. πῶς δ' ἂν ἕλοιτο κρατεῖν, ὧν ἀτιμάζει τὴν γένεσιν;

1 Lib. I, c. XXIX. — 2 Ad c. II, col. 248, I. — 3 *Matth.* V. — 4 Cyr. l. II *contr. Jul.* Vide et lib. IV.

monem propius attinet, « quinam, inquit, imperare vellet iis, quorum procreationem aspernatur ? »

VI. Quæ Cyrilli postrema verba alteram *omnipotentis* notionem attingunt, quæ potentiam, sive potestatem, dominatumque, ac moderationem continet, et τοῦ παντοκράτορος significationi proprie respondet. Non enim dominari posset omnibus rebus, nisi earum creator esset, ac factor, ut adversus Marcionis Deum præscribere Tertullianus solet. Nam summus, ac verus utique Deus naturale hoc habet, ac proprium, ut sit dominus omnium, ac princeps, « adeo ut cum essentia ipsa implicatum, et insitum gerat dominatum in res omnes, et imperium [a], » ut ait Theodoretus. Quo et Augustini pulcherrima illa sententia spectat, quam Prosper adnotavit ex ejus libro quarto *de Genesi ad litteram*, capite XII : « Creatoris, inquit, namque potentia, et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ ; quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structuram ædium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante, atque abscedente stat opus ejus : ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde et quod Dominus ait : *Pater meus usque nunc operatur* [1], continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit, etc. Et quod scriptum est de sapientia ejus, *Pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [2] ; de qua item scriptum est, quod *motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus* [3], satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem, et, si possit intelligi, stabilem motum suum rebus eum præbere suaviter disponendis : quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras. » In his, et sequentibus Augustinus ostendit, Deum res ab initio conditas, eadem, qua creavit, actione continuata vegetare, ac « ne uno quidem die cessasse ab opere regendi, quæ creavit ; ne motus suos naturales, quibus aguntur atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, et in eo, quod sunt, pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, et esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter. »

Quod ex Pauli dicto illo oratione *ad Areopagitas* probat : *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus* [4]. Ac diserte idem Augustinus in lib. XII *de Civitate Dei*, cap. XXV, eamdem, qua omnia fabricavit, actionem ista ipsa conservare demonstrat, cum ait, « Et si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut, antequam fierent, non fuerunt. » Ex quo etiam apparet verum id esse, quod theologi ac philosophi omnes, paucis exceptis, et iis utroque indignis nomine, comprobant, conservare Deum res omnes, hoc est, postquam eas condidit, eadem, qua produxit actione fovere, ac continere, ne in priorem originem, hoc est nihilum relabantur, et intereant. Quod qui negat (sunt autem plures, quam oporteat, cum vel unum reperiri, qui sic sentiat, nimium quantum sit) ; sed si quis ei non assentitur, vix eum hominem, nedum christianum numero. Vere enim in lib. IV *Confession.*, capite XII, Augustinus, « Non fecit, inquit, atque abiit, sed ex illo in illo sunt. » Recte enim Lactantius, « Natura, inquit, remota providentia, et potestate divina, prorsus nihil est [5]. » Deus creata conservat ne in nihilum relabantur.

VII. Quanquam ab creatione distare conservationem censet Zacharias Mitylenæus in disputatione *de Mundi opificio ;* « qui creatorem, vel opificem (hic est δημιουργὸς) illum esse vult, qui substantiam ipsam prorsus ex nihilo produxit : et una cum forma congruentem materiam genuit. Deum enim substantiarum conditorem esse dicimus, etc. At vero continere, et providere diversum quiddam est a creatione. Nam continere est ea, quæ existunt, et facta sunt, circumstringere, et conservare. Providere autem est iis, quæ sunt, curæ nonnihil adhibere [b]. »

Nemesius item christianus philosophus in libro *de Natura hominis*, reprehendit eos, qui, cum de providentia disputant, et eam pro-

a THEOD. lib. II *de Provid.* Ὁ μὲν γὰρ ἀεί τέ ἐστι, καὶ αὐτῷ τῷ εἶναι συμπεφυκὸς ἔχει τὸ κρατος.

b ZACHAR. Δημιουργός ἐστι καθ' ἡμᾶς μὲν ὁ τὴν οὐσίαν αὐτὴν ἐκ μηδαμοῦ μηδαμῶς ὄντος παραγαγὼν, καὶ τῷ εἴδει τὴν ἁρμόττουσαν ὕλην συναπογεννήσας. οὐσιῶν, γὰρ τὸν θεὸν ποιητὴν εἶναί φαμεν, etc. τὸ δὲ συνέχειν, καὶ προνοεῖσθαι ἕτερόν τι παρὰ τὸ δημιουργεῖν ἂν εἴη· συνέχειν γὰρ ἐστι, τὸ τὰ ὄντα, καὶ γεγενημένα περισφίγγειν τε, καὶ φυλάττειν. προνοεῖσθαι δὲ, τὸ τοῖς οὖσί τε, καὶ γεγενημένοις φροντίδα τινὰ νέμειν.

1 *Joan.* v, 17. — 2 *Sap.* VIII, 1. — 3 *Sap.* VII, 24. — 4 *Act.* XVII, 28. — 5 Lib. III, c. XXVII.

bant, creatas res, et singularem in iis fabricandis solertiam prædicant. «Atqui non idem est, ait, providentia, et creatio. Nam creationis est recte, quæ fiunt, moliri : providentia vero in eo sita est, ut ea, quæ facta sunt, procurentur[a].» Hæc autem diversa esse argumentatur inde, quod non omnes, qui opus aliquod fecerunt, curam ejus habere perseverant, ut architectus domus, quam condidit. Verum, etsi in creaturis distent invicem ambo illa, et separata cernantur; tamen in Deo nonnisi ratione diversa, revera sunt idem : quia providentia idem est, ac conservatio, quæ ab creatione nihil discrepat. Ita Justinus, sive alius auctor *Quæstionum et responsionum Græcanicarum*, «Fecit, inquit, creaturam, quæ nondum erat, volens ipse, quam et providentia sua in eo, ut sit, conservat, hoc est facit[b].»

Joannes quoque Chrysostomus in homilia quadam *de Paralytico*, sub finem, providentiam nihil esse aliud, quam conservationem his verbis aperit. «Non solum creaturam produxit Deus, inquit, sed productam etiam fovet, et conservat. Sive tu angelos dixeris, sive archangelos, sive cœlestes virtutes, sive visibilia omnia, et invisibilia, hæc illius providentia fruuntur; ac si ejus efficientia destituantur, abeunt, et diffluunt, ac pereunt[c].» Ac, si providentia, ut supra docuimus, nihil aliud est, quam rerum cura procreatarum, est autem curæ pars, functioque præcipua, adhibere diligentiam, ut esse perseveret id quod procuratur, necesse est, conservationem, quæ rerum exstantiam tuetur, ipsam esse providentiam. «Nihil enim eorum, quæ sunt, permaneret, ut ait Maximus Tyrius, nisi Deus illius naturam attingeret, ac veluti contrectaret[d].» Ideo «providentiam vocat Gregorius Nazianzenus totam hanc universitatem continentem, et colligentem; quoniam eumdem providentia sua moderari oportet omnia, qui condidit[e],» ne, velut navis procella, subvertatur et in nihilum recidat.

Illustrat hanc rationem, quæ ex rerum procreatione curam earum, et providentiam adstruit, Gregorius Nyssenus in oratione *De iis, qui immatura morte subtrahuntur* : ac peculiarem ex ipso creatore, creandique modo contemplationem offert. «Etenim non fortuita, neque ratione destituta esse, inquit, quæ divinitus administrantur, quivis fateatur, qui norit, Deum esse rationem, et sapientiam, et virtutem omnem ac veritatem. Nihil autem rationis expers a ratione profectum; neque insipiens a sapiente : neque virtus, et veritas id unquam, quod virtute caret, aut extra veritatem est, admittet[f].» Quæ omnes divinæ proprietates summa ratione, cura, providentiaque, ac justitia res conditas regi administrarique persuadent; maxime autem illa rationis, quæ ad illarum productionem propius spectat : quoniam artis est opus, et artificis, adeoque rationis, et sapientiæ mundus iste; qui, ut minime fortuito ac temere coaluit, et initio extitit; ita neque sine summo consilio ac ratione continetur.

VIII. Quamobrem ut inter creationem et conservationem, sic inter ambas has, et providentiam, discrimen perpusillum est, ac τῇ ἐπινοίᾳ sola, id est *ratione* constat. De re quidem ipsa convenit, non posse creatas res, nisi a Deo conserventur, et ejus providentia regantur, tueri se atque consistere. Demonstrat hoc Origenes libro sexto *contra Celsum* iis ex Apostoli verbis : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*[1]. Quibus «ostendit, inquit, principium subsistendi rerum omnium in eo, quod dicit, ex ipso; conserva-

Inter creationem et conservationem discrimen perpusillum.

a Nemes. cap. xlii. Οὐ γὰρ ταὐτό ἐστι πρόνοια, καὶ κτίσις· κτίσεως μὲν γὰρ τὸ καλῶς ποιῆσαι τὰ γινόμενα· πρόνοια δὲ τὸ καλῶς ἐπιμελεῖσθαι τῶν γενομένων.

b Just. Resp. ad qu. iv. Ἐποίησε γὰρ τὴν κτίσιν οὐκ οὖσαν πρότερον, βουληθεὶς αὐτὸς, ἣν τῇ ἑαυτοῦ προνοίᾳ ἐν τῷ εἶναι διατηρεῖ, ὅπερ ἐστὶ ποιεῖ.

c Chrys. Οὐ παρήγαγε μόνον ὁ θεὸς τὴν κτίσιν, ἀλλὰ καὶ παραχθεῖσαν αὐτὴν συγκροτεῖ. κἂν ἀγγέλους εἴπῃς, κἂν ἀρχαγγέλους, κἂν τὰς ἄνω δυνάμεις, κἂν πάντα ἁπλῶς τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, τῆς προνοίας ἀπολαύει τῆς ἐκείνου. κἂν ἔρημα γένηται τῆς ἐνεργείας ἐκείνης, οἴχεται, καὶ διαῤῥεῖ, καὶ ἀπόλλυται.

d Max. Tyr. Orat. i. Τί γὰρ ἂν καὶ τῶν ὄντων σταίη ὅτι μὴ τοῦ θεοῦ ἐπαφησαμένου τῆς ἐκείνου φύσεως;

e Naz. Orat. *de Pauper. amore.* Καὶ πρόνοιαν εἰσάγομεν τὴν τοῦδε τοῦ παντὸς συνεκτικὴν καὶ συνδετικήν· ἐπεὶ καὶ προνοητὴν εἶναι τοῦτον ὧν ποιητὴν εἶναι ἀναγκαῖον.

f Nyssen. cit. a Damasc. Τὸ δ' αὖ πάλιν μὴ τυχαῖά τε, καὶ ἄλογα εἶναι τὰ θεόθεν οἰκονομούμενα πᾶς ἂν ὁμολογήσειεν εἰδὼς ὅτι ὁ θεὸς λόγος ἐστὶ, καὶ σοφία, καὶ πᾶσα ἀρετὴ, καὶ ἀλήθεια· οὐδὲν δὲ λόγου ἄλογον, οὐδὲ τοῦ σοφοῦ ἄσοφον· οὐδ' ἂν ἡ ἀρετὴ, καὶ ἀλήθεια τὸ μὴ ἐνάρετον, καὶ ἔξω τοῦ ἀληθοῦς καταδέξαιτο.

1 *Rom.* xi, 36.

tionem autem, cum ait, per ipsum, finem denique, cum dicit, in ipsum[a]. » Chrysostomus item homilia v *in Joannem*, ad hæc verba: *In ipso vita erat*[1], iis ipsis indicari putat perennem et inexhaustam vim divini Verbi ad res omnes creatas, et infinito plures, tum procreandas, tum conservandas; quemadmodum lux, quamvis innumerabili hominum multitudini luceat, nihil de splendore suo minuit. Ita Deus, « etsi decies mille tales esse mundos oporteat, aut etiam infinitos, idem manet, sufficiens omnibus, non tantum ad illos producendos, sed etiam ad conservandos, postquam fabricati sunt. Etenim vitæ vocabulum hoc loco non solam procreationem significat, sed etiam providentiam, qua illum in statu suo continet[b].

Quin idem alibi gubernationem, sive providentiam, qua res conditas fovet ac continet, creatione ipsa majorem esse defendit. Nam verba illa declarans primi capitis *ad Hebræos*, *Portans omnia verbo virtutis suæ*, sic scribit: « Hoc est gubernans, et quæ concidunt fovens ac conservans. Etenim conservare mundum non minus est, quam condere. Sed, si quid dicendum est admiratione dignum, etiam majus est. Nam creare est e nihilo quippiam producere. Conservare vero, ea, quæ facta sunt in nihilum abitura continere, et invicem pugnantia conjungere[c]. »

IX. Cyrillus Alexandrinus ex iisdem, quibus supra utentem vidimus Augustinum, Apostoli verbis *ad Areopagitas: In ipso vivimus, movemur, et sumus*[2], vim illam Dei continentem, ac providentia sua foventem omnia commonstrat. « Cuncta enim vivificat, inquit, cum secundum naturam vita sit, omnium opifex, proprietatis suæ vim inexplicabili ratione iis infundens. Non enim aliter conservari, et in eo, quod sunt, retineri poterant ea, quæ ortum e nihilo sortita sunt. Alioqui statim ad propriam naturam, hoc est nihilum rediissent, nisi necessitudine ipsa, quam cum eo, quod est, habent, ortus sui naturam superarent[d]. »

Divinam præterea providentiam ipsa Dei immensitas persuadet. Utitur hoc argumento Salvianus in primo libro *de Gubernatione Dei*. « Pythagoras, ait, philosophus, quem quasi magistrum suum philosophia ipsa suscepit, de natura, ac beneficiis Dei disserens sic locutus est: Animus per omnes mundi partes commeans, atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt. Quomodo igitur negligere mundum Deus dicitur? quem hoc ipso scilicet satis diligit, quod ipsum se per totum mundi corpus intendit? » Quam ad rem confert illud plurimum, quod sic Deus est ubique, ut otiosus, ac nihil agens esse nequeat, cum hoc ipsum agere οὐσιῶδες illi sit. *Essentiale.* Agit autem intelligentia utique, ac voluntate; qui sunt providentiæ fontes. Hinc Cyrillus Alexandrinus libro XI *in Joannem*, « virtutem et potestatem Deo dignam esse dicit ubique esse[e]; » quem locum libro tertio, capite nono in fine retuli. Augustinus tractatu secundo *in Joannem*, « Deus, inquit, mundo infusus fabricat, et non recedit aliquo, non extrinsecus quasi versat molem, quam fabricat. Præsentia majestatis facit, quod facit: præsentia sua gubernat quod fecit. » Ac merito sanctus Thomas Deum « inesse rebus omnibus ait, sicut agens adest ei, in quod agit[3]. » Hoc vero quid est aliud, quam providere? Cæterum quod Pythagoræ dictum commemoratur a Salviano, illud refert Clemens Alexandr., et nos supra ex eo descripsimus[4].

X. Ad extremum Theodoreti locum hic

a ORIG. VI *cont. Cels.* Παριστὰς τὴν ἀρχὴν τῆς τῶν πάντων ὑποστάσεως ἐν τῷ ἐξ αὐτοῦ. καὶ τὴν συνοχὴν ἐν τῷ δι' αὐτοῦ· καὶ τὸ τέλος ἐν τῷ εἰς αὐτόν.

b CHRYS. Hom. v *in Joan.* Ἀλλὰ κἂν μυρίους δέῃ γενέσθαι κόσμους τοιούτους, κἂν ἀπείρους, ὁ αὐτὸς μένει πᾶσιν ἀρκῶν, οὐ πρὸς τὸ παραγαγεῖν αὐτοὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ συγκρατῆσαι μετὰ τὴν δημιουργίαν αὐτούς. τὸ γὰρ τῆς ζωῆς ὄνομα ἐνταῦθα οὐ τῆς δημιουργίας μόνον ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ τῆς προνοίας τῆς κατὰ τὴν διαμονήν.

c CHRYS. Hom. II in ep. *ad Hebr.* Τουτέστι, κυβερνῶν, τὰ διαπίπτοντα συγκρατῶν. τοῦ γὰρ ποιῆσαι τὸν κόσμον οὐχ ἧττόν ἐστι τὸ συγκρατεῖν· ἀλλ', εἰ δεῖ καί τι θαυμαστὸν εἰπεῖν, καὶ μεῖζον. τὸ μὲν γὰρ, ἐξ οὐκ ὄντων ἐστί τι παράγειν· τὸ δὲ τὰ γεγόνοτα εἰς τὸ μὴ εἶναι μέλλοντα ἀναχωρεῖν, συνέχειν τε, καὶ συνάπτειν πρὸς ἄλληλα διαστασιάζοντα.

d CYRIL. lib. IX *in Joan.* Ζωογονεῖ γὰρ τὰ πάντα, ζωὴ κατὰ φύσιν ὑπάρχων ὁ πάντων δημιουργὸς, τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐντιθεὶς ἀῤῥήτως αὐτοῖς τὴν δύναμιν. οὐ γὰρ ἦν ἑτέρως διασώζεσθαι πρὸς τὸ εἶναι διακρατούμενα τὰ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος λαχόντα τὴν γένεσιν. ἢ γὰρ ἂν εὐθὺς εἰς τὴν οἰκείαν ὑπενέστησε φύσιν· φημὶ δὲ πρὸς τὸ μὴ εἶναι πάλιν· εἰ μὴ τῇ πρὸς τὸν ὄντα σχέσει τῆς οἰκείας γενέσεως ἐνίκησε τὴν φύσιν.

e CYR. Ἐνέργεια δὲ, καὶ δύναμις θεοπρεπὴς τὸ εἶναι πανταχῆ.

1 *Joan.* I, 4. — 2 Act. XVII, 28. — 3 In I par. q. VIII, art. 1. — 4 Lib. I, c. III, n. 3.

subjiciam, in quo collectæ conglobatæque rationes illæ continentur, quas singillatim hoc in capite proposuimus. Sic enim ille in libro secundo pulcherrimi et elegantissimi operis *de Providentia* : « Vide, inquit, quantæ ipsum injustitiæ condemnas, dum ei talia per calumniam impingis. Quid enim res omnes procreavit, si curam earum nollet gerere? Aut quid tandem causæ habet, cur non provideat? An cum possit, non vult? Atqui posse illum quidem, quæ ab eo sunt facta, testantur. Nam quomodo alioqui rerum aspectabilium pulchritudines, magnitudines, concentum, et concordiam fecisset, si non linguæ, qua ad illa molienda usus est, parem ac respondentem virtutem habuisset? Quinam vero in communionem et mutuam habitudinem distracta, et pugnantia congregasset; aquam et ignem, diem et noctem, et unam ex omnibus harmoniam ac concentum elaborasset, si providere non posset? Etenim longe majus est, e nihilo produxisse aliqua, quam jam exstantibus providere. Enimvero posse ipsum, creatura testatur. Velle autem, eadem iterum testis est. Quippe, nullo cogente alio, ad procreandum accessit. Sed neque tanquam indigus res omnes creatas produxit. Verum, quia bonus erat, et bonitate præditus mensuram omnem superante, voluit iis etiam, quæ non erant, ut essent tribuere. Jam qui tanta in ea, quæ non erant, bonitate usus est, quinam a se producta negligeret? Non enim dici hoc potest, illum productis rebus invidisse. Siquidem natura ejus ab omni est invidia remota, et ab omni perturbatione libera [a]. » Vide cætera.

CAPUT III.

Eadem Dei providentia ex effectis, rebusque conditis a Deo probatur. Velut e cœlestibus orbibus, ac sideribus, eorum motione, anniversariis tempestatibus. Tum ex rebus inferioribus : quæ mutationi obnoxiæ, et inter se confligentes, tamen perpetuo conservantur : ex animantium ac stirpium generatione : ex vultuum humanorum diversitate : ex brutorum animantium instinctu, ex structura corporum, præsertim animalium : ex varietate, quæ inest in rebus : ex vita, et rebus gestis sanctorum : ex incarnatione Filii Dei : tum ex variis et mirabilibus eventis, præsertim in puniendis sceleribus. Item e Scripturæ testimoniis : ac denique communi ex hominum sensu.

I. Laudanda cumprimis est illa Joannis Chrysostomi sententia, « duos nobis ab initio magistros ac doctores esse datos, creaturam et conscientiam; atque horum uterque sine voce ulla mortales instituebat. Etenim creatura aspectu ipso spectatorem obstupefaciens, ad conditoris sui admirationem illum perducit singula contuentem. Conscientia vero interius insonans, agenda omnia commonstrat [b]. » Ac vere istud auctor epistolæ *ad Demetriadem*, quæ inter Ambrosianas ponitur, « In pulchritudine cœli, et terræ quasdam esse paginas ad omnium oculos semper patentes, et auctorem suum nunquam tacentes; quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, et eloquia Scripturarum [1]. » Et quod ad Lycao-

a Theodor. lib. II. Ὅρα δὲ πόσην ἀδικίαν αὐτοῦ καταψηφίζῃ τοιαῦτα συκοφαντῶν· τί δήποτε γὰρ καὶ πεποίηκε, τούτων ἐπιμελεῖσθαι μὴ θέλων; τίνος δὲ χάριν οὐ κήδεται; ὡς δυνάμενος μὲν, οὐ βουλόμενος δέ; ἀλλ' ὅτι μὲν δύναται, μαρτυρεῖ τὰ γεγονότα· πῶς γὰρ ἂν ἐποίησε τῶν δρωμένων τὰ κάλλη, τὰ μεγέθη, τὴν ἁρμονίαν, δύναμιν οὐκ ἔχων ἀρκοῦσαν τῇ γλώττῃ; πῶς δ' ἂν εἰς κοινωνίαν, καὶ σχέσιν τὰ διεστῶτα συνήγαγεν, ὕδωρ, καὶ πῦρ, ἡμέραν καὶ νύκτα, καὶ μίαν ἐκ πάντων ἁρμονίαν, καὶ συμφωνίαν εἰργάσατο ὁ προνοεῖν οὐ δυνάμενος; μεῖζον γὰρ πολλῷ τῷ μέτρῳ τὸ ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν τοῦ τῶν ὄντων προνοεῖν. ἀλλ' ὅτι μὲν δύναται μάρτυς ἡ κτίσις· ὅτι δὲ καὶ βούλεται, πάλιν αὐτὴ μαρτυρεῖ. οὐ γὰρ ἄλλου τινὸς ἀναγκάζοντος ἐπὶ τὴν δημιουργίαν ἐλήλυθεν· οὔτε μὴν ὡς δεόμενος τὴν κτίσιν παρήγαγεν. ἀλλ' ἀγαθὸς ὢν, καὶ ἀγαθότητα ἔχων μέτρου παντὸς μείζονα, ἠθέλησε καὶ τοῖς μὴ οὖσι τὸ εἶναι δωρήσασθαι· ὁ δὲ τοσαύτῃ περὶ τὰ μὴ ὄντα χρησάμενος ἀγαθότητι, πῶς ἂν γεγονότων ἀμελήσειεν; οὔτε γὰρ ἔστιν εἰπεῖν ὡς ἐφθόνησε γεγονόσιν. ἄφθονον γὰρ ἔχει τὴν φύσιν, καὶ πάθους παντὸς ἐλευθέραν.

b Chrys. Orat. II, quæ est I *de Anna*. Δύο γὰρ οὗτοι διδάσκαλοι γεγόνασιν ἡμῖν ἐξ ἀρχῆς, ἡ κτίσις, καὶ τὸ συνειδός· καὶ οὐδέτερος αὐτῶν φωνὴν ἀφιεὶς, σιγῇ τοὺς ἀνθρώπους ἐπαίδευεν. ἥ τε γὰρ κτίσις διὰ τῆς ὄψεως ἐκπλήττουσα τὸν θεατὴν εἰς τὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν θαῦμα παραπέμπει τὸν ὁρῶντα ἅπαντα. τό τε συνειδὸς ἔνδον ἐνηχοῦν ἅπαντα ὑποβάλλει τὰ πρακτέα.

1 Ep. XXXIII.

nios dicebat Apostolus, *non sine testimonio Deum se reliquisse*[1]. Prosper « hoc testimonium ait esse mundi pulchritudinem, et cætera, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur; ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis et publica divinæ institutionis doctrina legeretur[2]. »

Atque inter illa, quæ ex aspectu rerum creatarum, et quodam velut magisterio de Deo discimus, præcipue nobis ejus æterna cura et providentia declaratur, quæ in sempiternis illis rerum voluminibus, insignibus, maximeque ferientibus ad visum, et memoriam est exarata litteris, quas non una gens, aut altera, sed omnes legant nationes tam politæ, quam barbaræ, tam christianis excultæ ritibus, quam incultæ, et in utrisque docti pariter et indocti. *Non* enim *sunt* ejusmodi *loquelæ*, *neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*[3]; sed quas omnes ii, quibus humanæ rationis adhuc scintilla lucet aliqua, nullo externo magistro ac doctore percipiunt. Dici hoc a nobis verissime argumento illa sunt, quæ hujus operis initio de Deo universe disputavimus; cum et esse Deum aliquem ostendimus auctorem et artificem omnium rerum iis ipsis ex rebus, et hunc unicum, ac singularem, hoc est unius individuæque naturæ, vel essentiæ. Ad id enim adstruendum tum veterum plurimæ sunt allatæ sententiæ, nostrorum pariter et exterorum; tum argumentationes ac rationes adhibitæ variæ. Quæ omnia non minus illam, de qua hic agimus, providentiam Dei, quam, cujus potissimum causa tunc afferebantur, exstantiam persuadere possunt. Et vero complures illarum providentiæ nominatim mentionem exprimunt, ut hic vel omnino rem hanc attingere sermone nostro, vel id copiosius et accuratius agere minime sit necesse. Quocirca pauca tantum expromam, quibus locus iste fiat illustrior, qui et ad providentiam Dei proprie pertinet, et ad illam per impressa creatis in rebus vestigia duce natura, et ratione paululum utentes potest perducere. Basilius enim vere scripsit, « nos creaturæ pulchritudinem solerter animadvertentes, per eam, velut per quasdam litteras, magnam Dei circa omnia providentiam, et sapientiam legendo cognoscere[a]. »

II. Duæ sunt mundi, sive universitatis amplissimæ partes; quarum altera cœlo, ac splendentibus illis, et sempiternis orbibus continetur; altera vero elementa comprehendit, et quidquid cœlo subjectum ejus ambitu coercetur. In utraque, Dei providentia, præsertim in humanum genus, cujus ista condita sunt gratia, insigniter elucescit. Cujus quidem asseverandæ invictum ex eo argumentum ducitur, quod illa omnia summa ratione, summoque consilio excogitata, et elaborata sunt; tum ita disposita et distincta, ut ad usus, et opportunitates mutuas, præsertim animantium, tum omnium, tum ex omnibus hominum, certo ac destinato studio accommodata esse constet. Nam et nihil in tanta rerum, tamque vasta mole temere ac sine causa esse factum, nihil non ad eum finem et usum, cujus gratia institutum sit, aptissimum, indicio est, intelligentis, ac ratione utentis opus artificis hunc esse mundum. Et ad singula, quæ cujusque necessitas flagitat, opportuna esse parata ibidem adminicula, prorsus amantis est quæ fecit, et succurrere, ac conservare cupientis. Quo ex duplici genere, scientiæ quid cuique sit opus, et ad hoc suppeditandum, voluntatis ac facultatis, providentiam efflorescere, natura hujus, et supra tradita definitio demonstrat. Etenim, non casu, atque fortuito vel mundum esse conditum; vel mutuis usibus respondentium rerum infinitarum admirabilem repente concentum, ac concordiam extitisse : supervacaneum est docere; quod nos quidem in primo hujus operis libro, cum Deum esse probaremus, facere studuimus. Et ut singillatim pauca modo delibentur, de superiori mundi parte primo disputantem hic Ciceronem audiamus : « Quis hunc, inquit, hominem dixerit, qui, cum tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ, quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An, cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis : cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute, et conservatione rerum om-

Cœli structura providentiam arguit.

a Basilius, Hom. *de Grat. act.* Καὶ τὰ κάλλη τῆς κτίσεως ἐντέχνως καταμανθάνοντες, δι' αὐτῶν, οἱονεὶ διὰ γραμμάτων τινῶν, τὴν μεγάλην τοῦ Θεοῦ περὶ πάντα πρόνοιαν καὶ σοφίαν ἀναγινώσκομεν.

1 *Act.* xiv. — 2 Lib. II *de Vocat. gent.* c. iv. — 3 *Psal.* xviii.

ingens argumentum est, non illa fortuito fieri, » etc. Rursus idem pergit. « Nam eorum, nium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam summa ratione [1]. » Pergit deinde per singulas mundi regiones ostendere, quanta sit in omnibus sapientiæ vis, et admirabilitas solerter, et ex arte fabricantis, ac modulantis illa numinis summi; quæ si hic descripsero, tædium erudito lectori afferam, qui hæc pervagata, et usu omnium contrita fastidiet. Ex iis autem seligenda sunt ista potissimum, non quæ ratione, ac sapientia mundum ordinatum esse conficiunt; sed quæ ad usum et utilitatem singulorum, quæ continet, illam eamdem factam esse descriptionem, ac designationem indicant. Id enim providentiæ proprium est, de qua hic agimus.

III. In quo maxime illud occurrit, quod ad animantium, ac satorum etiam omnium e terra propagationem, et conservationem necesse fuit; sic immensos illos orbes, quorum complexu omnia coercentur, esse constitutos, ut nunquam insistant, sed vicissitudine perpetua moveantur. Nam, nisi assidua illorum esset agitatio, exitialem quemdam torporem hæc cessatio rebus inferret, quæ animantes omnes, et stirpes, atque ipsa, uti credunt, etiam elementa perimeret. Tum est in cœlo siderum ac stellarum multitudo ac magnitudo, et earumdem in conficiendis motibus varietas mirabilis; quæ auctoris non minus curam ac sedulitatem, quam industriam ac sapientiam prædicat. Imprimis vero solis tum diurnæ conversiones, tum annuæ providentiam esse, ac procurationem rerum etiam infimarum penes Deum certissime declarant. Etenim illum Deus, ut et sidera alia, « moveri voluit, et tam varie moveri, ut scribit Lactantius, ut non modo lucis ac tenebrarum mutuæ vicissitudines fierent, quibus laboris et quietis alterna spatia constarent: sed etiam frigoris et caloris, ut diversorum temporum vis, ac potestas vel generandis, vel maturandis frugibus conveniret. Quam solertiam divinæ potestatis in machinandis itineribus astrorum, quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putaverunt; tanquam pedibus, et sponte, non divina ratione procederent [2]. » Vide Theodoretum in primo *de Providentia;* quam in cœlo ac sideribus, et superiori mundi regione contemplatur illo in libro.

Apud Xenophontem vero Socrates, collucentem omnibus in partibus universi, sed in sole ac reliquis sideribus præ cæteris emicantem illam Dei, præsertim in homines, curam ac sollicitudinem describit. Nam et lucem nobis impertiit, « sine qua nihil differremus a cæcis. Quod autem alterna requie opus haberemus, noctem indulsit ad quietem aptissimam. [a] » Præterea, « quoniam sol, qui est splendidissimus, diurnas horas, ac reliqua omnia nobis indicat; nox autem, quoniam est tenebrosa, obscurior est, sidera per noctem apparent, quæ noctis horas demonstrant, atque ideo multa necessaria nobis agimus [b]; et luna itidem non solum noctis, sed etiam mensis partes nobis manifestas reddit [c]. » Addit postea fruges, quibus alimur; ad quas educendas ac maturandas tempestates annuæ succedunt invicem; nec eæ repentina conversione molestæ, sed paulatim et per lenta incrementa tolerabiles. Quod solis anniversaria motio per transversum signiferi circulum oblique repentis efficit; quæ quidem ita temperatur, ut certis limitibus, ac velut obicibus definita teneatur, quos nec ultra progredi potest, neque citra consistere, ne vel accessu propiore, vel longinquiore recessu terrarum incolis infestam habitationem redderet.

IV. Alexander vero Peripateticus philosophus in libro *de Providentia,* [d] « Nihil, inquit, eorum, quæ in mundo sunt, absque providentia geritur. Nam omnia plena sunt divino numine, idque omnia, quæ sunt, pervadit. Idcirco quæcumque sunt, ex Dei voluntate sunt. Quod omnium, quæ cernuntur in rebus testimonio constare dicit. Etenim rerum, quæ fluunt, ordo semper eodem modo se habens,

a Xenoph. IV *Apomnemon.* 'Αλλ' οἶσθά γ', ἔφη, ὅτι πρῶτον μὲν φωτὸς δεόμεθα, etc. ὅ γ' εἰ μὴ εἴχομεν, ὅμοιοι τοῖς τυφλοῖς ἂν ἦμεν ἕνεκά γε τῶν ἡμετέρων ὀφθαλμῶν. ἀλλὰ μὴν καὶ ἀναπαύσεώς γε δεομένοις ἡμῖν νύκτα παρέχουσι κάλλιστον ἀναπαυτήριον.

b Ibid. Οὐκοῦν καὶ ἐπειδὴ ὁ μὲν ἥλιος φωτεινὸς ὢν τάς τε ε ὥρας τῆς ἡμέρας ἡμῖν, καὶ τἄλλα πάντα σαφηνίζει. ἡ δὲ νύξ, διὰ τὸ σκοτεινὴ εἶναι, ἀσαφεστέρα ἐστὶν, ἄστρα ἐν τῇ νυκτὶ ἀνέφηναν, ἃ ἡμῖν τὰς ὥρας τῆς νυκτὸς ἐμφανίζει, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ ὧν δεόμεθα πράττομεν.

c Ibid. 'Αλλὰ μὴν ἥ γε σελήνη οὐ μόνον τῆς νυκτὸς, ἀλλὰ καὶ τοῦ μηνὸς τὰ μέρη φανερὰ ἡμῖν ποιεῖ.

d Alexand. apud Cyril. lib. III *cont. Jul.* 'Αλέξανδρος τοίνυν ἀνὴρ ἐλλόγιμος ἐν τῷ περὶ προσίας φησὶν οὕτως· μηδὲν γὰρ τῶν ἐν τῷ κόσμῳ γίνεσθαι χωρὶς προνοίας. πάντα γὰρ εἶναι μεστὰ τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ πάντων αὐτὸ διήκειν τῶν ὄντων. διὸ καὶ πάντα τὰ γινόμενα γίνεσθαι κατὰ βούλησιν τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦτο μαρτυ-

1 Cic. II *de Natura Deorum.* — 2 Lib. II, c. v.

quæ hic fiunt, conservationem, et generationem, et in specie sua permansionem, non absque divina constare providentia, auctor est Aristoteles. Quippe vis illa, quæ a sole, ac cæteris sociis illius stellis emanat, ejusdem sententia, causa est omnibus, quæ constant natura, ortus et incolumitatis [a]. » Merito hic Alexander ex rerum perpetuitate ac constantia divinam esse, qua constitutæ sunt, ac deinceps conservantur, providentiam concludit. Si enim casu et fortuito, non certo consilio, et sapienter administrata constarent, ac nisi non universis modo, sed etiam singulis ratio aliqua prospiceret, inter tot eventus, ac varietates conservari ac retineri non possent, quominus interirent funditus. Quæ enim casu accidunt, ea carent stabilitate, ac constantia. Licet hoc in cœlestibus præcipue corporibus intueri, quorum immutabilis, ac sempiternis et nunquam interruptis vicissitudinibus descripta conversio, summam aliquam præesse rationem ostendit, quæ in illa gubernanda, ac tuenda prorsus intenta sit. Quam cum erroribus occæcati gentiles mentis oculis videre, et agnoscere non possent; nec tamen dubitarent, quin absque consilio et prudentia tot illa fieri, tamque admirabilia nequirent, ad illud postremo delapsi sunt, ut hæc ipsa totidem esse divina numina crederent. Quod Julianus Apostata tum communi ex sensu mortalium, tum ex cœlestium firmitate et immutabilitate, apud Cyrillum probare nititur. Primum, « quod nemo est, qui non manus attollat in cœlum, cum precatur, aut jurat, aut quoquomodo divinitatis nomen invocat. » Deinde « merito facere hoc illi videntur. Nam cum cernerent nihil rerum cœlestium vel minui, vel augeri, vel mutari, vel perturbatam aliquam affectionem perpeti, sed concinnam illius esse motionem, et æquabilem ordinem, definitas lunæ leges, solis ortus occasusque perfixos, et ratis temporibus perpetuo circumscriptos, jure Deum, Deique solium arbitrati sunt [b]. » At Cyrillus erroris illius impietatem castigat, et ex cœlestium globorum, ac siderum perenni statu, et æquabili agitatione, Deum horum ac cæterorum omnium præsidem rectoremque esse demonstrat.

Ex rebus inferioribus probatur Providentia

V. Jam in cœlo subjectis rebus, et caducis perspicua non minus est providentia numinis summi, cum et contrariæ res invicem, et mutabiles, ac suapte natura præcipites in occasum, et interitum, tamdiu in illa conflictione mutua perseverent, neque vel perimantur universæ, vel earum saltem species aliqua et natura, hostili velut impressione vastata, concidat. Itaque, uti paucis, et eleganter hunc locum pertractans Gregorius Nazianzenus disserit, « Deus, velut per orbem quemdam mundum hunc agit, et gubernat universum; resque adeo nostras tam agitabiles, quam inconcussas, quæ mutationibus cientur, et in alia vertuntur, et aliter atque aliter se habent, quanquam providentiæ ordine fixæ sint, et immobiles, tametsi per contraria progrediantur, quæ rationi quidem procuranti omnia manifesta sunt, nobis autem ignota [c]. » Paulinus itidem Nolanus epistola XXXVIII, « Quis non videt, inquit, mundum istum corporeum vi incorporea gubernari, totamque molem, infusa atque permista magno universitatis corpori divini spiritus mente, qua facta est, agitari ad vitam? temperari ad usum? contineri ad statum? ordinari ad diuturnitatem? Cum ergo constet, quod cernitur, aut sentitur alienæ opis, ut consistat et maneat, indigere; non potest ambigi, aliunde etiam, ut crearetur, eguisse. Quod cum ita sit, omnia ex Deo

ρεῖσθαι μὲν ὑπὸ τῶν φαινομένων. ἥ τε γὰρ τῶν γινομένων τάξις φύσει ἀεὶ παραπλησίως ἔχουσα, μέγας ἔλεγχος τοῦ μὴ κατὰ τύχην ταῦτα γίνεσθαι, etc.

a Alexand. ibid. Τὴν γὰρ τῶν ἐνταῦθα σωτηρίαν τε, καὶ γένεσιν, καὶ κατ' εἶδος ἀΐδιον διαμονὴν, οὐκ ἄνευ θείας προνοίας Ἀριστοτέλης φησὶ γενέσθαι. ἡ γὰρ ἀπό τε τοῦ ἡλίου, καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων τῷ ἡλίῳ συνόμων δύναμις κατ' αὐτὸν τῆς γενέσεως τοῖς φύσει συνεστῶσι, καὶ τῆς σωτηρίας αὐτῶν ἔχει τὴν αἰτίαν.

b Julian. apud Cyr. lib. II. Οὐδείς ἐστιν, ὃς οὐκ ἀνατείνει μὲν εἰς οὐρανὸν τὰς χεῖρας εὐχόμενος, ὀμνύων θεὸν, ἤ τοι θεοὺς, ἔννοιαν ὅλως τοῦ θείου λαμβάνων ἐκεῖσε φέρεται. καὶ τοῦτο οὐκ ἀπεικότως ἔπαθον· ὁρῶντες γὰρ οὔτε ἐλαττούμενόν τι τῶν περὶ τὸν οὐρανὸν, οὔτε αὐξόμενον, οὔτε τρεπόμενον. οὔτε πάθος ὑπομένον τι τῶν ἀτάκτων· ἀλλ' ἐναρμόνιον μὲν αὐτοῦ τὴν κίνησιν ἐμμελῆ δὲ τὴν τάξιν, ὡρισμένους δὲ θεσμοὺς σελήνης, ἡλίου δὲ ἀνατολὰς καὶ δύσεις ὡρισμένας ἐν ὡρισμένοις ἀεὶ καιροῖς, εἰκότως θεὸν, καὶ θεοῦ θρόνον ὑπέλαβον.

c Nazianz. Orat. I *cont. Jul.* Καὶ οἱονεὶ διὰ κύκλου τινὸς εὐθύνων καὶ διεξάγων τὸν πάντα κόσμον, καὶ τὰ ἡμέτερα σαλευόμενά τε ὁμοῦ, καὶ μὴ σαλευόμενα ταῖς μεταβολαῖς κινούμενα, καὶ περιτρεπόμενα, καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα, τῇ τάξει δὲ τῆς προνοίας πάγια, καὶ ἀκίνητα, κἂν διὰ τῶν ἐναντίων ὁδεύῃ τῷ λόγῳ μὲν δήλων, ἡμῖν δὲ ἀγνοουμένων.

orta fateamur necesse est. Quia nisi profanis in dubium venire non potest, mundum Deo auctore confectum. Proinde ventos, et omnia, quæ intra mundum partes molis ejusdem, et quasi viscera corporis sint, non ad alterius regimen esse referenda ; quia neque regi, contineri que paterentur divinorum operum virtutes, hoc est, substantiæ naturarum omnium, in tanta discordia sui, nisi ab ea tantum natura, atque virtute, hoc est Deo uno omnium conditore, a quo uno fieri ordinarique potuerunt, et cujus leges nisi servarent, statum suum non obtinerent. » Hanc rerum varietatem, et admirabilem concentum, sine quo mundus consistere nequit, attigit Ambrosius in lib. *de Noe et arca*, c. XXIII.

VI. Nemesius quoque simili argumentatione concludit esse providentiam. « Etenim rerum omnium permansio, præsertim earum, quæ in ortu, et interitu versantur ; tum situs et ordo eorum, quæ sunt, perpetuo eodemque modo servatus ; nec non siderum motus varietate carens ; anni circuitus ; tempestatum reversio ; noctium ac dierum anniversaria æqualitas ; utrisque vicissim paribus intervallis, ac neque majoribus, neque minoribus, aut crescentibus, aut diminutis ; hæc, inquam, omnia quomodo semper eadem ratione gubernata permanerent, si nullus esset qui provideret [a] ? »

E stirpium et animantium propagatione.

Imprimis autem stirpium, et animantium rata et perpetua propagatio, providentem esse rebus omnibus persuadet Deum. Etenim « quomodo ex homine homo, bos ex bove semper gignitur, ait idem Nemesius, et singula proprio ex satu nascuntur, non alieno, si non est providentia ? Quod si quis, inquit, naturali ac necessaria quadam serie progredi ista dixerit, nihil dicet aliud, nisi providentiam una cum creatione versari. Quod enim aliqua serie, et consecutione creatum omne procedit, id est argumento, cum creatione simul esse constitutam providentiam. Est enim providentia rerum, quæ sunt, postquam sunt conditæ, rectio et gubernatio. Ita nihil iste dicet aliud, quam eumdem et factorem, et providere rebus omnibus [b]. »

Quin ipsa varietas humanorum vultuum eidem Nemesio magnum videtur argumentum esse providentiæ ; quod in eum finem facta est illa, ut se homines mutuo cognoscerent. Quod, nisi certis lineamentis, ac diversitate formarum distincti invicem forent, mira in convictu quotidiano, et humana societate perturbatio sequeretur. Imo nulla inter ipsos commercia fieri possent, eaque res ingentium malorum et immanium scelerum, atque internecionis omnium esset occasio, si neque conjuges se mutuo discernerent, nec amicus ab hoste dignosceretur, neque liberi parentes, nec hi filias ab externis, aut uxoribus suis signo ullo distinguerent. Scelerati denique, ac facinorosi impune quidvis facerent, cum illa communi omnium similitudine, ac confusione delitescerent. Quod et Julius Firmicus libro primo *Astronomicorum*, capite quarto, his verbis aperit : « Consideremus, inquit, conciliationem generis humani, et retractando inveniemus quam nefaria, quam impia poterant illic scelera committi, si cunctorum una facies populos illos æqua similitudinis formatione confunderet. Ad sororem frater deceptus similitudine, quasi maritus intraret, traheretque alius contracti impudentia alieni juris uxorem. Alii de filio erratici contentionis conflictatione certarent, alii nescirent, qui essent illi, qui sibi paulo ante servierant. Alter ingenuis natalibus natus, quasi servus, ex confusa similitudine obstinati ducentis errore traheretur, nisi uniformem istam colorum similitudinem maxima vultuum dissimilitudo variaret. »

E vultu dissimilitudine.

VII. Multo autem maxima sunt in brutis animantibus, eorumque vitæ cultu, et administratione divinæ signa providentiæ ; quæ, quod scientia et consilio non utuntur, eo mirabilior est in plerisque solertia, et industria in vita tuenda, in procurando pabulo, in

Ex animali solerti

a Nemes. cap. XLII. Ἡ γὰρ διαμονὴ τῶν ἁπάντων, καὶ μάλιστα τῶν ἐν γενέσει, καὶ φθορᾷ· καὶ ἡ θέσις, καὶ ἡ τάξις τῶν ὄντων ἀεὶ φυλαττομένη κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον· καὶ ἡ τῶν ἄστρων φορὰ μηδὲν μηδέποτε διαλλάττουσα, καὶ ὁ κύκλος τοῦ ἐνιαυτοῦ· καὶ ἡ τῶν ὡρῶν ἀποκατάστασις· τῶν τε νυκτῶν, καὶ τῶν ἡμερῶν ἡ κατ' ἔτος ἰσότης, παρὰ μέρος ἑκατέρας αὐξανομένης τε, καὶ μειουμένης οὔτε ἐλάττονι, οὔτε πλείονι μέρει, πῶς ἂν διετέλεσεν ὁμοίως διεξαγομένη μηδενὸς προνόουντος ;

b Nemes. ibid. Πῶς οὖν ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου, καὶ βοῦς ἐκ βοὸς ἀεὶ γεννᾶται, καὶ ἕκαστον ἐκ τοῦ οἰκείου σπέρματος φύεται, καὶ οὐκ ἐξ ἄλλου, προνοίας ἀπούσης ; εἰ γὰρ λέγοι τις, ὅτι κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς γένεσιν, εἱρμῷ προβαίνει τὸ πρᾶγμα, τοῦτο ἂν εἴη λέγων, ὅτι τῇ κτίσει συνυπάρχει πάντως ἡ πρόνοια. τὸ γὰρ εἱρμῷ προβαίνειν τὸ κτισθὲν, δηλοῖ τῇ κτίσιν συγκαταβεβλῆσθαι τὴν πρόνοιαν. προνοίας γὰρ ἡ μετὰ τὴν κτίσιν διεξαγωγὴ τῶν ὄντων. καὶ οὕτως οὐδὲν ἂν ἄλλο λέγοι, ἢ τὴν αὐτὸν εἶναι ποιητὴν ἅμα, καὶ προνοητὴν τῶν ὄντων.

quærendis, aut fabricandis latibulis ac nidis, in evitandis periculis, in persequendis ac captandis aliis. Quæ quidem, uti sine summa ratione, et excellenti sapientia, quæ nulla, uti dixi, inest ipsis, fieri possunt, præsertim tam certo, atque constanter, ita supremum esse clamant moderatorem aliquem, cujus ad singula quæque gubernanda et dirigenda vis et providentia pertineat. Hic quam infinite pateat locus, ac quantam ubertatem orationis, et quam copiosam rerum, sententiarum, exemplorum varietatem capiat, facile est intelligere. Non faciam tamen in eo ornando longiorem moram; quia res est, ut ad dicendum amplissimam, sic obvia cuivis, et cognitu perfacilis: de qua innumeri exstant antiquorum, ac recentiorum libri. Imo oculis ipsis, ac sensibus, et quotidiana consuetudine magis ista, quam disciplina, aut cujusquam oratione discuntur. Juvat tamen quædam ex Ambrosio hic describere; qui eleganter, et ad id, quod agimus, opportune sic ex brutorum animantium indole et instinctu Dei providentiam commendat: « Omnia, inquit, penetrat divina sapientia, implet omnia; idque locupletius ex irrationabilium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturæ testimonium, quam doctrinæ argumentum. Cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus suppetit, resistendo; si velocitas, fugiendo; si astutia, præcavendo. Quis eas usum medendi, herbarumque docuit habere notitiam? Homines sumus, et sæpe specie herbarum fallimur, et plerumque quas salubres putamus, noxias reperimus. Quoties inter dulces epulas cibus lethalis irrepsit, et inter ipsas aulicorum excubias ministrorum vitalia regum feralis esca penetravit! Feræ solo norunt odore noxia et profutura discernere, nullo prævio, nullo prægustatore carpitur herba, nec lædit. Melior enim magistra veritatis natura est. Hæc sine ullius magisterio suavitatem sanitatis nostris infundit sensibus: eadem doloris acerbitatem docet esse fugiendam. Hinc vita dulcior, mors amarior. Hæc commendat leænæ catulos suos, et immitem feram materno mollit affectu; hæc tigridis interpolat ferocitatem, et imminentem eam prædæ reflectit[1], » etc. Longum est omnia percensere, quæ Ambrosius toto illo libro sexto, et antecedente, de variis animantium proprietatibus, ac naturali industria et solertia disputavit, necnon Basilius in homilia VII et VIII, in *Hexaemeron*; quæ ab aliis pluribus tam exteris, quam nostris diligenter exposita sunt, et quotidiano a nobis usu percipiuntur. Quæ omnia declarant, esse aliquem, cujus ista consilio ac potestate geruntur administranturque, providentem omnibus, et consulentem singulis Deum.

VIII. « Nec minimo est indicio, providentiam esse aliquam, ait Nemesius, structura corporum in generatione et interitu, ac proportio, quæ eadem perpetuo servatur. Etenim in omni corporis parte manifesta est providentiæ cura; quæ res ex diversis auctorum libris a studiosis potest colligi[a]. » Legantur igitur potius illi, quam a me eorum dicta transcribantur, quæ sunt infinita; atque inter alios Aristotelis *de Partibus animalium* libri quatuor, et Galeni complures de humanis partibus corporis, Theophili protospatharii *Epitome*, et haud pauci alii a medicis perscripti; tum Cicero in secundo *de Natura Deorum*, et qui ex illorum contemplatione providentiam numinis summi eleganter adstruit Theodoretus in libro tertio, et quarto *de Providentia*; ut et Nemesius in aureo illo libro *de Natura hominis*. Nam nulla est tam artificiose conclusa ratio, nulla tam exquisita demonstratio, quæ vel certius de illa persuadere possit, vel majorem comperta re admirationem venerationemque tantæ sapientiæ industriæque parere; cui luculentum ab principe illius artis Galeno datum testimonium alibi descripsimus. E structura corporum.

Addit etiam varietatem, quæ inest in animantibus, colorum Nemesius, ad providentiæ fidem. Nos vero latius illam ipsam varietatis considerationem extendimus, ut ea per omnium rerum genera fusa spectetur. « Si enim cuncta ejusdem essent generis, atque similia, ait Ephræm Syrus, tunc res non providentia, sed natura sic disponi censeremus[2]. » Ac Nemesius quidem erudite probat, ratione et consilio carere bestias, quamvis multum in illis solertiæ inesse videatur; quod quæ in eadem sunt specie, uniusmodi singulæ habent E varietate quæ inest animantibus.

[a] Nemes. cap. XLII. Οὐχ ἥκιστα δὲ τὸ εἶναι πρόνοιαν δείκνυσιν ἡ τῶν σωμάτων ἐν γενέσει, καὶ φθορᾷ κατασκευὴ, καὶ ἀναλογία διὰ παντὸς ὁμοίως φυλαττομένη. παντὶ γὰρ μορίῳ τοῦ σώματος ἐμφαίνεται τῆς προνοίας ἡ προμήθεια· ἅ τινα τοῖς φιλοπόνοις ἔξεστιν ἐκ διαφόρων συγγραμμάτων ἀναλέγεσθαι.

1 Amb. VI *Hexaem* cap. IV. — 2 Serm. *de Divina grat.* p. 78.

agendi rationem, neque in tanta multitudine ulla est effectionum varietas, nisi quod idem magis, minusque fit. Verum uno impulsu species universa movetur. Etenim lepores omnes iisdem artificiis eludunt; lupi item omnes simili utuntur calliditate; simii omnes eumdem modum habent imitandi: quod neutiquam in homine cernitur. Sunt enim humanarum actionum innumerabiles viæ. Nam liberum quiddam est, et sui juris, quod rationis est particeps. Ideo non unum et idem opus est hominibus omnibus, ut unicuique speciei ratione carentium animalium. Solo enim hæc aguntur impulsu naturæ. Quæ autem natura fiunt, similia sunt apud omnes. At vero rationales actiones aliæ sunt apud alios, nec eædem necessario sunt apud omnes[a]. » Quamobrem varietas eadem, quam in rebus cernimus, quarum et diversæ sunt species, et ad agendum, aut resistendum vires, opportunitatesque variæ, nec ejusdemmodi proprietates, et in animantibus appetitiones instinctusque multiplices, tum quod singulæ facultates suos ad fines et efficientias aptissime factæ sunt: hæc, inquam, ipsa demonstrant, non sensus ac rationis expertem, sed intelligentem et sapientem esse causam aliquam, quæ universa designavit, et condidit, eademque deinceps contineat, ac regat; nec uno omnia modo et via proprios ad fines, sed unumquodque suo perducat, et maxime congruente. De humani structura corporis, et membrorum usu et varietate pulchre disputat Augustinus sermone VI, *de Diversis*, capite IV.

E gratiæ operibus. IX. Quid illa porro, quæ naturæ statum, ac vires excedunt, et *gratiæ opera*, sive *effecta* dicuntur? Parumne providere, ac consulere præsertim humanis rebus ostendunt Deum, quæ de eximiæ virtutis hominibus, eorumque gestis, ac vita, vel usu ipsi sensuum, vel gravissimis ac fide dignissimis argumentis testimoniisque comperimus? Certe apostolus Paulus ad Corinthios scribens, cum de cœlestibus donis ageret, quæ χαρίσματα vocat, quæ in publicis conventibus a fidelibus exprome- Charismata bantur, horum facto periculo cogi infideles ait, uti Dei præsentiam agnoscant. *Et ita cadens*, inquit, *in faciem adorabit Deum*, *pronuntians*, *quod vere Deus in vobis sit*[1]. Sic qui Sanctorum virtutes, integritatemque vitæ, morum omnium temperationem, et concentum admirabilem, incredibilem charitatem, lenitatem, patientiam, in perpetiendis pro Christi fide dirissimis tormentis fortitudinem, ac stupenda denique opera et miracula didicerit, fieri non potest, quin præsentem illis opem numinis fateatur, et providentiam affuisse, ac vere hoc usurpet, quod apud poetam de Ulysse falso ille dicebat:

> Οὐ γάρ πω ἴδον ὧδε θεοὺς ἀναφανδὰ φιλεῦντας,
> Ὡς κείνῳ ἀναφανδὰ παρίστατο Παλλὰς Ἀθήνη.

> Nunquam enim hactenus vidi deos sic manifeste diligentes,
> Ut illi palam aderat Pallas Minerva[2].

E constantia Martyrum. Certe Joannes Chrysostomus ad divinitatis, ejusque, quod est consequens, curæ in homines, ac providentiæ fidem, plus conferre putat sanctorum hominum, præsertim martyrum, quam cœli, ac terræ, et totius universitatis aspectum. « Ut in cœli pulchritudinem intuens quispiam dicit: Gloria tibi sit, o Deus! quale opus creasti! Sic virtutem hominis aspiciens, ac multo hic etiam amplius[b]. » Nam plerique, ubi cœlum suspexerint, Deum auctorem minime fatentur, sed vel casu, vel naturali necessitate universa esse facta putant; at cum vir bonus et sanctus cernitur, cujus in vita nihil est, quod offendat, sed apta omnia, et moderata sunt, Deum in eo statim agnoscunt omnes ac prædicant. « Etenim quis non miretur, inquit, cum is, qui et homo sit, et communis naturæ particeps, et in mediis hominibus versetur, tanquam adamas

a Nemes. cap. xx. Ὅτι δὲ οὐ λογικῶς ταῦτα ποιεῖ, δῆλον ἐκ τοῦ κατ' εἶδος ἕκαστον ζῶον ὁμοίως τὰ αὐτὰ ποιεῖν, καὶ μὴ διαλλάττειν αὐτῶν ἐν τῷ πλήθει τὰς ἐνεργείας, εἰ μὴ κατὰ τὸ μᾶλλον, καὶ ἧττον· ἀλλὰ κατὰ μίαν ὁρμὴν ὅλον τὸ εἶδος κινεῖσθαι· πᾶς γὰρ λαγωὸς ὁμοίως τεχνάζεται· καὶ πᾶς λύκος ὁμοίως πανουργεῖ· καὶ πᾶς πίθηκος ὁμοίως μιμεῖται. ὅπερ οὐκ ἔστιν ἐπ' ἀνθρώπου· μυρίαι γὰρ ὁδοὶ τῶν ἀνθρωπείων πράξεων. ἐλεύθερον γάρ τι, καὶ αὐτεξούσιον τὸ λογικόν. ὅθεν οὐχ ἕν, καὶ ταὐτὸ πᾶσιν ἔργον ἀνθρώποις, ὡς ἑκάστῳ εἴδει τῶν ἀλόγων ζώων. φύσει γὰρ μόνῃ ταῦτα κινεῖται. τὰ δὲ φύσει, ὁμοίως παρὰ πᾶσίν ἐστιν. αἱ δὲ λογικαὶ πράξεις ἄλλαι παρ' ἄλλοις, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης αἱ αὐταὶ παρὰ πᾶσιν.

b Chrys. Hom. xviii. in I *ad Cor.* Ὥσπερ γὰρ εἰς τὸ κάλλος τοῦ οὐρανοῦ τις ἀφορῶν, λέγει· δόξα σοι ὁ θεὸς, οἷον ἔργον ἔκτισας· οὕτω δὴ καὶ εἰς ἀνδρὸς ἀρετὴν βλέπων. καὶ πολλῷ πλέον ἐνταῦθα.

1 *Cor.* xiv, 25. — 2 Odyss. v.

inter tot malorum perpessiones invictus perseverat? cum inter ignes, atque gladios, et feras positus adamante fortior apparet, et omnia propter pietatis professionem superat? quando contumeliis afficitur, et benedicit? quando male audit, et collaudat? quando vexatur, et pro injuriam sibi facientibus precatur? quando, insidiis sibi factis, illis ipsis, qui sibi bellum inferunt, et insidiantur, beneficia rependit? Nam hæc, et his similia plus cœlis ipsis gloriæ Deo conciliant[a]. »

E Incarnatione.

X. Huic affine quiddam magna orationis copia disputat Theodoretus in decimo *de Providentia*; ibidemque alterum generis ejusdem, hoc est de iis, quæ ad gratiam spectant, desumptum argumentum providentiæ suppeditat: Deum hominem factum hominum causa; « quod caput est, inquit, longe præcipuum divinæ in humanum genus providentiæ. Non enim immensam bonitatem illius sic ostendit cœlum, et terra, mare, sol, et luna, sidera, atque universa denique creatura, tam quæ videri potest, quam quæ non potest, solo verbo condita, sive potius solo nutu voluntatis per verbum in medium educta: quemadmodum unigenitum ipsum Dei Filium, qui in forma Dei exstabat, splendorem gloriæ, figuram substantiæ, qui in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat, per quem omnia facta sunt, suscepta hominis forma in similitudinem hominis esse factum[b]. » Atque, ut ait Augustinus, « quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abjectas ab immortalitatis desperatione liberandas, quam ut demonstraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret[1]? » Hinc etiam Nemesius christianos asserit, « cum cæteris argumentis induci ad id, ut esse providentiam arbitrentur, tum præ omnibus, divinissimo illo, et propter benignitatis excellentiam maxime omnium incredibili providentiæ divinæ opere, incarnatione Dei propter nos facta[c]. » Nam quod tantum a nobis beneficentiæ divinæ, ac providentiæ specimen modo non cernitur, sed sola tenetur fide, nihil argumenti vim minuit. Tot enim ac tam illustribus res illa testimoniis, et ad convincendos animos manifestis ac certis rationibus adstruitur, ut de ea vel dubitare sit impudentis. Tum iisdem modis eodemque genere disputandi persuaderi debet illud, quo religio universe christiana probatur; quam iis etiam ex rebus demonstrare solent, quæ subductæ oculis, et obscuræ per se communi ex hominum sensu, et certissima auctoritate fidem exprimunt omni demonstratione majorem, qua de re alias. Interim legendus Augustinus libro XXII *de Civitate Dei*, capite V, VI et VIII.

E vitæ communis exemplis.

XI. Ducuntur et ex vitæ communis exemplis, et experientia quotidianorum eventuum argumenta providentiæ. Nam multa, quæ temere primum, et fortuito nata videbantur, tam opportune ad illarum rerum occasionem incidunt, quas maxime cupiebamus, vel quæ publicæ, aut privatim commodæ sunt, ut non casu accidisse, cum evenerint, sed superiore aliqua ratione moderante ordinatim dispositæ videantur. Id autem in puniendis hominum maleficiis, ac præsenti pœna castigandis potissimum elucet. Quo in genere admirabiles, et inopinati casus occurrunt, quos Græci περιπετείας vocant, qui nisi certa numinis provisione fieri, nec in unum aliquod confluere, ac velut conspirare tam accurate non poterant. Nemo hic exempla rei a me istius requirat. Sunt enim non infinita solum, *Peripetias.*

a Chrys. Hom. XVIII in I *ad Cor*. Τίς γὰρ οὐκ ἐκπλαγήσεται, ὅταν ἄνθρωπός τις ὢν, καὶ τῆς κοινῆς μετέχων φύσεως, καὶ ἐν μέσοις στρεφόμενος ἀνθρώποις, καθάπερ ἀδάμας, μὴ ἐπικάμπτηται πρὸς τὸν παθῶν ἐσμόν; ὅταν μεταξὺ πυρὸς, καὶ σιδήρου, καὶ θηρίων ὢν, ἀδάμαντος ἰσχυρότερος ᾖ, καὶ περιγένηται πάντων διὰ τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον; ὅταν ὑβρίζηται, καὶ εὐλογῇ; ὅταν κακῶς ἀκούῃ, καὶ ἐγκωμιάζῃ, ὅταν ἐπηρεάζηται, καὶ εὔχηται ὑπὲρ τῶν ἀδικούντων, ὅταν ἐπιβουλευήται, καὶ εὐεργετῇ τοὺς πολεμοῦντας αὐτῷ καὶ ἐπιβουλεύονται; ταῦτα γὰρ, καὶ τὰ τοιαῦτα, τῶν οὐρανῶν πολλῷ μᾶλλον δοξάσει τὸν Θεόν.

b Theod. lib. X *de Provid*. Ὃ κεφάλαιόν ἐστι μέγιστον τῆς τοῦ Θεοῦ περὶ τοὺς ἀνθρώπους κηδεμονίας. οὐδὲ γὰρ οὕτως αὐτοῦ δείκνυσιν ἀμέτρητον ἀγαθότητα οὐρανὸς, καὶ γῆ, καὶ θάλαττα, ἥλιός τε καὶ σελήνη, καὶ ἀστέρες, καὶ πᾶσα ἡ ὁρωμένη καὶ ἀόρατος κτίσις, λόγῳ μόνῳ δημιουργηθεῖσα, μᾶλλον δὲ ἅμα τῷ βουληθῆναι τῷ λόγῳ φανεῖσα, ὡς τὸ, αὐτὸν τὸν μονογενῆ τοῦ Θεοῦ υἱὸν, τὸν ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχοντα, τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης, τὸν χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως, τὸν ἐν ἀρχῇ ὄντα, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὄντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τὴν τοῦ δούλου λαβόντα μορφὴν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπου γενέσθαι.

c Nemes. cap. XLII. Χριστιανοὺς δὲ καὶ ταῦτα μὲν ἅπαντα διδάσκει πρόνοιαν εἶναι, μάλιστα δὲ τὸ θειότατον, καὶ δι' ὑπερβολὴν φιλανθρωπίας ἀπιστότατον ἔργον τῆς προνοίας, ἡ δι' ἡμᾶς ἐνσωμάτωσις τοῦ Θεοῦ.

1 Lib. XIII, *de Trin.* c. X.

sed etiam usitata, et ignota nemini. Duo strictim attigit Nemesius: unum e sacris Litteris sumptum, et Susannæ historia: alterum, quod profanæ commemorant historiæ, Ibyci poetæ; cujus, « ut periit, vindex fuit altivolans grus: » tertium, non amplius, ex Ambrosio subjiciam: « Antiochiæ ferunt, in remotiori parte urbis crepusculo necatum virum, qui canem sibi adjunctum haberet. Miles quidam prædandi studio minister cædis extiterat, tectus idem tenebroso adhuc diei exordio in alias partes concesserat. Jacebat inhumatum cadaver; frequens spectantium vulgus adstabat; canis questu lacrymabili domini deflebat ærumnam. Forte is, qui necem intulerat, ut se habet versutia humani ingenii, quo conservandi in medio auctoritate præsumpta fidem adstrueret innocentiæ, ad illam circumspectantis populi accessit coronam, et velut miserans appropinquavit ad funus. Tum canis sequestrato paulisper questu doloris, arma ultionis assumpsit, atque apprehensum tenuit; et velut epilogo quodam miserabile carmen immurmurans, universos convertit in lacrymas, fidemque probationi detulit, quod solum tenuit ex plurimis, nec dimisit. Denique perturbatus ille, quod tam manifestum rei indicem neque odii, neque inimicitiarum, neque invidiæ, aut injuriæ alicujus poterat objectione evacuare, crimen diutius nequivit refellere. Itaque, quod erat difficilius, ultionem persecutus est, quia defensionem præstare non potuit[1]. » Plura Salvianus exempla ad providentiam probandam in libro primo congessit.

Addidit vero ad commemorationem exemplorum hanc cautionem Nemesius oppido necessariam. « Quod autem, inquit, omnes, qui scelerate aliquid egerunt, non eodem omnes modo convincuntur, sed aliqui videntur effugere, nemo propterea providentiam neget. Etenim non uno duntaxat modo curam gerit hominum; sed pluribus, ac diversis[a]. » Atque hoc ipsum indicio est, summa ratione et consilio gubernari res nostras, cujus proprium esse dixi supra, ut non singularem, et uniusmodi agendi viam teneat.

XII. Postremum superest argumentandi genus de tribus ex Salviano propositis, a testimonio, quod bifariam intelligitur. Nam aliud est externum, quod scriptis proditur; aliud intestinum, et unicuique a natura insitum. De utroque pauca libanda sunt, non enim pluribus est opus. Scripturæ vel divinæ sunt, vel humanæ. Illæ non crebrius, aut gravius esse Deum testantur aliquem, quam eumdem providentem omnibus, et admirabili sapientia ac bonitate consulentem; imo eo tota fere divinarum Litterarum volumina spectant, ut partim rebus ipsis, et exemplis, partim exquisitis sententiis providentiam affirment. Quæ quidem testimonia triplicem vim habent. Aut enim præsentiam Dei, et aspectum; aut gubernationem; aut judicium demonstrant, ut initio secundi libri *de Gubernatione Dei* Salvianus exponit. De præsentia Dei, et intuitu hæc habentur: *In omni loco oculi Domini contemplantur malos, et bonos*[2]. « Ecce habet præsentem, ait Salvianus, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac provisione vigilantem. Idcirco enim et bonos ab eo considerari, et malos dixit, ut probaret scilicet, nihil ab eo negligi, quem ostenderet universa rimari. » Et alibi: *Oculi Domini super timentes eum, ut eripiat a morte animas eorum, et alat eos in fame*[3]. Et: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*[4]. Ubi « generalem esse in omnes Domini visionem, sed meritorum fieri disparilitate diversam » indicat; ut idem ait Salvianus. Regi autem et gubernari eadem illa, quæ coram videntur, a Deo docent ista: *Cum sis ergo justus*, ait liber *Sapientiæ*, *juste omnia disponis*, etc. *Et cum magna reverentia disponis nos*[5]. Tum apud Jeremiam: *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus*[6]. Cur autem impleat, addit Salvianus, ipse declarat: *Quia vobiscum sum*, inquit, *ut salvos faciam vos*[7]. *Matthæi* itidem capite VI, Christus eamdem Patris sui providentiam non in genus tantum hominum, sed etiam in volucres, floresque commendat. Cui illud *Psalmi* XXXV, consonat, *Homines, et jumenta salvabis, Domine*. Et Petrus apostolus: *Om-*

E Scriptu

a NEMES. cap. XLII. Εἰ δὲ μὴ πᾶσι τοῖς ἁμαρτάνουσιν ὁ αὐτὸς τρόπος τῶν ἐλέγχων ἐπάγεται, ἀλλ' ἔνιοι καὶ διαφεύγειν δοκοῦσι, μηδεὶς ἀρνείσθω καὶ διὰ τοῦτο τὴν πρόνοιαν. οὐ γὰρ καθ' ἕνα τρόπον μόνον ποιεῖται τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ κατὰ πολλούς, καὶ διαφόρους.

1 Lib. VI *Hexaem.* c. IV. — 2 *Prov.* XV, 3. — 3 *Psal.* XXXII. — 4 *Psal.* XXXIII. — 5 *Sap.* XII, 15. — 6 *Jer.* XXIII, 24. — 7 *Jer.* XLII, 11.

nem, inquit, *sollicitudinem vestram projicientes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis*[1].

Postremo judicari a Deo mortalium facta omnia, vera eadem Scriptura testatur : « *Cuncta*, inquit, *quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit*[2] » et alia sexcenta hujusmodi. Ac sæpe præsenti etiam in vita judicium illud, et scelerum pœna repræsentatur, ut providentiæ apud hebetes etiam et imperitos fides constet; quod late Salvianus prosequitur. Jam humana citare testimonia, uti propter infinitam copiam perfacile, ita supervacaneum est, et odiosum. Nam nullus fere, etiam profanos inter, divinitatis mentionem attigit, quin providentiæ ipsius, ac curæ, præsertim in homines, insigni aliquo dicto significationem dederit.

[...] ratione [n]aturali.

XIII. Sed humanis omnibus tum expressius, tum ad persuadendum efficacius est domesticum illud providentiæ testimonium, quod sibi quisque dicit, quacumque Dei notitia, et religione censetur; dum se tamen ipsum audiat, neque naturæ vocem perimat, postquam assiduitate scelerum, ac desperatione humanitatem exuerit. Tametsi non prius insitum animæ suæ sensum providentiæ divinæ, quam Dei ipsius obruat, si quis hoc potest, quod nemo fortasse penitus potest. Declarat hoc inter alios pulchre Tertullianus in libro *de Testimonio animæ*. Ubi cum dixisset, esse quosdam, « qui, etsi Deum non negent; dispectorem plane, et arbitrum, et judicem non putent ; in quo utique nos (christianos) maxime rejiciunt, qui ad istam disciplinam metu prædicati judicii transvolamus : sic Deum honorantes, dum curis observationis, et molestiis animadversionis absolvant, cui ne iram quidem adscribunt[3]. » Mox illos communi refellit humanæ animæ testimonio, et instinctu, quo Deum non agnoscit modo, sed quasi vindicem et cognitorem timet. « Annon timet, inquit, quem magis propitium velit, quam iratum? Unde igitur naturalis timor animæ in Deum, si Deus non novit irasci? Quomodo timetur, qui nescit offendi? » Hinc illæ voces vel aliud agentibus, minimeque advertentibus erumpunt : « Deus videt omnia, et, Deo commendo, et, Deus reddet, et, Deus inter nos judicabit. » Vide Clementem Alexandrinum in quinto *Stromateon*, qui innatum id esse generi omni mortalium asserit, maxime autem « philosophiæ studio deditis (et quidem) barbaræ (hoc est usu sacrarum Litterarum quæsitæ,) ut invisibili, soli, præpotenti, ac solertissimo, summo optimorum quorumque principio providentiam attribuant[a].»

Idem et Salvianus initio libri primi *de Dei gubernatione* prodidit : « Omnes, inquit, etiam religionis expertes vi ipsa, et quadam necessitate compulsi, et sentiri omnia a Deo, et moveri, et regi dixerunt. » Præsertim vero de hominibus, et eorum animis eum sensum habuerunt. « Nullum arbitror, ait Augustinus, aliquo religionis nomine teneri, qui non saltem animis nostris divina providentia consuli existimet[4]. » Hanc vero publicam, et natura inditam humanis mentibus notionem eximie comprobat instinctus ille communis omnium, ut subitis in casibus, ac periculis, et gravi aliquo impendente discrimine, oculos ac manus in cœlum erigant, indeque opem ac præsidium arcessant; quod ab Juliano Apostata notatum superius animadvertimus. « Necessitate aliqua compulsi, ait Nemesius, statim ad divinum numen, precesque confugimus, velut natura ipsa, sine cujusquam institutione, nos ad Dei implorandam opem trahente. Atqui nequaquam ad id, quod natura fieri non posset, natura ipsa, nullo docente, nos induceret. Etenim in repentinis tumultibus ac terroribus, citra electionem ac deliberationem ullam Deum inclamamus. Porro id omne, quod quamcumque rem naturaliter sequitur, firmam habet demonstrationem, cui contradici nequeat[b]. » Ejusdemmodi aliqua testimonia in primo hujus operis libro, capite tertio, proposuimus.

a Clem. Alex. V *Strom.* Πολὺ δὲ πλέον οἱ παρ' Ἕλλησι πολυπράγμονες οἱ φιλόσοφοι, ἐκ τῆς βαρβάρου ὁρμώμενοι φιλοσοφίας, ἀοράτῳ, καὶ μόνῳ καὶ δυνατωτεχνικωτάτῳ, καὶ τῶν καλλίστων αἰτιωτάτῳ τὴν πρόνοιαν ἔδοσαν.

b Nemes. cap. xliv. Ὑπ' ἀνάγκης γὰρ συσχεθέντες εὐθὺς ἐπὶ τὸ θεῖον, καὶ τὰς εὐχὰς καταφεύγομεν, ὡς ἂν τῆς φύσεως ἀγούσης ἡμᾶς ἀδιδάκτως ἐπὶ τὴν τοῦ θεοῦ βοήθειαν· οὐκ ἂν δὲ ἡμᾶς ἀδιδάκτως ἦγεν ἡ φύσις ἐπὶ τὸ μὴ φύσιν ἔχον γίνεσθαι. καὶ γὰρ ἐν ταῖς ἐξαίφνης ταραχαῖς, καὶ φόβοις, ἀπροαιρέτως, πρίν τι καὶ σκέψασθαι, τὸν θεὸν ἐπιβοώμεθα. πᾶν δέ τι ὁτωοῦν φυσικῶς ἑπόμενον ἰσχυρὰν ἔχει τὴν ἀπόδειξιν, καὶ οὐδεμίαν ἀντιλογίαν ἐπιδεχομένην.

1 I *Pet.* v. — 2 *Ecclesiastic.* xii, 14. — 3 Tertul. *de Test. an.* c. ii. — 4 Aug. lib. I *de Mor. Eccles. cath.* c. vi.

CAPUT IV.

Quarum rerum, et circa quas providentia sit. Platonis opinio de triplici providentia. Deum necessitate nulla teneri, eique contingentia esse vel illa, quæ necessaria sunt. Variæ antiquorum de fato sententiæ; præsertim Platonicorum, quæ refellitur. Dei providentiam ad ima et minima descendere variis rationibus ostenditur. Hieronymi locus difficilis, qui hoc negare videtur. Sed ex ipso etiam Hieronymo id astruitur. Idem est a natura fieri aliquid atque a Deo. Hominem primario regi divina providentia, et qua de causa. Quæ a libertate pendent, eidem subjici. Damasceni locus expensus.

I. Postremum de tribus a Nemesio propositis restat: quænam sint providentiæ subjecta, hoc est, quænam res illius administratione regantur. Nimirum an omnia, quæ sunt; an eorum aliqua, et præcipua; tum, si omnia, utrum universe ac generatim, an sigillatim, et particularia quæque curentur. Platonis hæc sententia fuit, ut erudite Nemesius idem exponit, tam omnia, quam singula divina regi providentia[1]. Sed interest scire, quinam istud fieri putaverit; quod ex *Timæo* maxime Platonis ille sic edisserit. Providentiam Plato trifariam distribuebat: primam aiebat summi esse numinis: huic curæ esse præcipue ideas: deinde totam hanc universitatem, uti cœlum, et astra: tum universalia omnia, ut sunt genera; videlicet substantiam, qualitatem, quantitatem, et ejusmodi cætera: necnon iis subjectas species. Secundam providentiam præficiebat ignobilium animantium propagationi, et stirpium, atque omnium, quæ gignuntur, et intereunt; quam minoribus mandabat diis, qui cœlum obeundo perlustrant. Tertium genus providentiæ occupari censebat in eorum gubernatione, quæ agenda sunt, iisque ad fines suos dirigendis. Item circa res naturales, et materia constantes, eaque bona, quæ organica vocantur, quales sunt divitiæ, ac fortunæ bona; ut in libro *de Regno* Synesius docet: necnon quæ sunt iis contraria. Atque huic curationi præesse dicebat dæmones, qui circa terram versantur, custodes actionum humanarum; de quibus Hesiodus, a quo Plato delirare didicit, dum ætatis aureæ homines describit, e quibus dæmones facti.

Providentiam Plato trifariam distribuebat

Rebus naturalibus præesse dæmones docebat.

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι, διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς
᾿Εσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
Οἵ ῥα φυλάσσουσί τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα,
᾿Ηέρα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν,
Πλουτοδόται, καὶ τοῦτο γέρας βασιλήϊον ἔσχον.

« Ii quidem, ait, dæmones facti sunt, Jovis [magni consilio,
Boni, terrestres, custodes mortalium homi- [num.
Qui observant justa, et prava opera,
Aerem induti, passim euntes per terram,
Opum largitores, atque hoc præmium regale [sortiti sunt[2]. »

II. Percrebuit ista Platonis, atque Hesiodi fabula, ac deinceps philosophorum, et eruditorum pene omnium animos occupavit, ut ex Augustino constat, qui in libris *de Civitate Dei* diligenter hunc gentilium errorem oppugnat[3], dæmones externa ista et caduca bona largiri, atque ideo venerandos esse mortalibus, ut quasi sequestres illos, et interpretes apud cœlestes deos habeamus. Verum, cum et secundi ordinis dii, et tertio in gradu positi dæmones, eorumque curationes, ac munera ab uno et summo Deo procreata ordinataque sint, una est tantummodo providentia, ad quam omnia referuntur. Nam quod ad secundum providentiæ genus attinet, id in cœli, ac siderum conversione contineri et esse, quod vocant fatum, recte Nemesius animadvertit; qui etiam fatalem hanc rerum descriptionem eo argumento confutat, « quod ea non providentia sit, sed necessitas. Siquidem prout est cœli astrorumque conformatio et configuratio, ita quæ fiunt, necesse est fieri, nec aliter contingere. Atqui nihil, quod secundum providentiam fit, necessitati subjicitur[a]. » Nimirum de providentia illa Dei proprie dicta, et particulari loquitur, quæ in causis liberis, ac rebus contingentibus moderandis gubernandisque versatur. Nam alioqui generalis est

a Nemes. ibid. Οὐ γὰρ πρόνοια τὸ γινόμενον, ἀλλ' εἱμαρμένη, καὶ ἀνάγκη. ὅπως γὰρ ἂν ἐκεῖνοι σχηματίζωνται, ἀνάγκη καὶ τὰ γινόμενα γίνεσθαι, καὶ ἄλλως μὴ ἐνδέχεσθαι, τῶν δὲ κατὰ πρόνοιαν οὐδὲν ὑποπίπτειν ἀνάγκῃ, πάλαι δέδεικται.

1 Cap. XLIV. — 2 Hesiod. I, Oper. — 3 Vide I *de Civit.* c. VIII, et lib. X, cap. XIV et seq.

Dei providentia, quæ in totius universitatis procreatione, et administratione cernitur, cui necessaria effecta subjiciuntur; tametsi quatenus illi subjecta sunt, quodammodo contingentia sunt; quippe nihil, præter Deum, necessitatem habet existendi. Sed quædam cum proximis, unde orta sunt, comparata causis necessitate constant; quatenus necessario ab illis oriuntur, alia non necessario fiunt, sed libere ita, ut possint non fieri : quo in genere peculiaris illa, de qua hic agimus, providentia consistit, cui servit etiam illa superior, quæ naturales ac necessarias causas, et efficientias ad istarum opportunitates accommodat; imo illas ipsas earumque cursum et ordinem mutat interdum, in quo illa, quæ dicuntur, miracula spectantur.

III. Disputat hac de re docte eleganterque Nemesius capite XXXVIII, ubi « Deum ait sub necessitatem non cadere, neque voluntatem illius necessitati parere, cujus est auctor ipse [a].» Etenim astra ipse condidit, iisque necessitatem imposuit ratæ ac perpetuæ conversionis; quod si quis, inquit, fatum appellare velit, non est cum eo de nomine litigandum ; dummodo concedat illud, Deum minime ista necessitatis lege teneri. « Cum enim potestas sit, et natura potestate prædita, nihil neque naturæ agit necessitate, neque legis obligatione constrictus; eique contingentia sunt omnia, etiam quæ necessaria sunt. Quod ut monstraret, ait idem, aliquando cursum repressit solis et lunæ, tametsi necessario et eodem semper modo ferantur; ut ostenderet, nihil sibi necessario fieri, sed omnia pro potestate esse contingentia [b].» Quare dicuntur illa necessaria, quatenus rerum ipsarum natura et conditio, earumque cursus ordinarius, et ratio, lexque, usitata spectatur, quæ est ipsa tamen in arbitrio, ac potestate Dei. Quam si quis « ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, inquit Augustinus, sententiam teneat, linguam corrigat. Fatum enim quando homines audiunt, usitata loquendi consuetudine non intelligunt, nisi vim positionis siderum, qualis est, quando quis nascitur, sive concipitur [1]. »

[Deo etiam necessaria sunt contingentia.]

IV. Huic fati necessitati quidam sine ullo discrimine subjici omnia voluerunt, ut Democritus, qui individuorum corporum motibus naturalibus, ac necessariis rapi universa putavit, ut in libro *de Fato* Cicero testatur. Alii liberas voluntates fatorum subduxere dominatui ; ut Platonici, et Stoici. Platonis sententiam Alcinous ita describit capite XXVI : « Omnia fato contineri, non tamen fato omnia constituta docuit. Etenim fatum legis instar habens, non ejusmodi est, ut dicat : Ille hæc faciet, iste vero hæc patietur ; (res enim in infinitum abiret, quod infinita sunt tam quæ oriuntur, quam quæ circa illa accidunt ; deinde quod et liberum nostrum arbitrium tolleretur, et laudes ac vituperationes, ac cætera hujus generis.) Verum ita potius decernit. Quæcumque anima vitam hujusmodi delegerit, atque ista fecerit, eam talia consequentur [c]. » Non igitur liberas actiones fato præfiniri ac determinari credidit Plato ; sed eas potestati nostræ relinqui : quæ vero libere susceptas voluntates et actiones deinceps sequuntur, ea fati lege constitui. Veluti, Paridem rapturum esse Helenam, non esse fatali necessitate fixum , sed libertati permissum Paridis; hoc vero si iste fecerit, bellum deinde, et excidium Trojæ, et quæ inde mala consecuta sunt, fato esse definita.

[Liberas hominum voluntates Platonici non subjecere fato.]

Idipsum quoque Nemesius tradidit in capite XXXVIII, ubi dogmata Platonis de fato explicat. « Omne id, quod fato fit, etiam providentia fieri; non autem quidquid providentia fit, fato fieri. Quippe divinam legem, quam providentiam, et fatum vocat, is se omnia continere, alia quidem ex hypothesi, alia vero re jam posita. Nam principales causas, tan-

a NEMES. cap. XXXVIII. Οὐ γὰρ ὑπ' ἀνάγκην ὁ Θεὸς, οὐδὲ τὴν βούλησιν αὐτοῦ δουλεύειν ἀνάγκῃ θεμιτὸν εἰπεῖν. καὶ γὰρ τῆς ἀνάγκης δημιουργός ἐστιν.

b NEMES. ibid. Ἐξουσία γὰρ ὢν, καὶ φύσις ἐξουσιαστικὴ, οὐδὲν οὐδὲ φύσεως ἀνάγκῃ, οὔτε θεσμῷ νόμου ποιεῖ. πάντα δέ ἐστιν αὐτῷ ἐνδεχόμενα, καὶ τὰ ἀναγκαῖα. Καὶ ἵνα τοῦτο δειχθῇ, ἔστησέ ποτε τὸν δρόμον ἡλίου, καὶ σελήνης τῶν ἀνάγκῃ φερομένων, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχόντων. ἵνα δείξῃ μηδὲν αὐτῷ κατ' ἀνάγκην γενέσθαι, ἀλλὰ πάντα κατ' ἐξουσίαν ἐνδεχόμενα.

c ALCIN. Πάντα μέν φησιν ἐν εἱμαρμένῃ εἶναι, οὐ μὴν πάντα καθειμάρθαι. ἡ γὰρ εἱμαρμένη νόμου τάξιν ἐπέχουσα, οὐχ οἷον λέγειν, ὅτι ὁ μὲν τάδε ποιήσει, ὁ δὲ τάδε πείσεται (εἰς ἄπειρον γὰρ τοῦτο, ἀπείρων μὲν ὄντων τῶν γεννωμένων, ἀπείρων δὲ τῶν περὶ αὐτὰ συμβαινόντων· ἔπειτα καὶ τὸ ἐφ' ἡμῖν οἰχήσεται, καὶ ἔπαινοι, καὶ ψόγοι, καὶ πᾶν τὸ τούτοις παραπλήσιον) ἀλλὰ ὅτι ἥ τις ἂν ἕληται ψυχὴ τοιοῦτον βίον, καὶ τάδε τινὰ πράξῃ, τάδε τινὰ αὐτῇ ἕψεται.

1 Lib. V *de Civit.* cap. I.

quam principia quædam, et hypothesi facta complectitur; quæ quidem in nostra potestate sunt, velut assensiones, judicia, et appetitiones. Quæ autem necessario ista sequuntur, ex hypothesi sunt[a]. » Exempli gratia, navigare, aut domi manere arbitrii est nostri, ac liberæ potestatis; cum autem navigare constituerimus, tum demum sequetur id necessario, quod fati lex decrevit, naufragium, vel prosper appulsus ad portum. Vide Ciceronem in libro *de Fato*, ubi illa eadem dogmata commemorat. Atque idcirco apud Eusebium Œnomaus, Democritum aiebat liberum hominis arbitrium δοῦλον, id est *servum* facere; Chrysippum vero, ἡμίδουλον, id est, *dimidia ex parte servum* : quod hic principia humanarum actionum, id est voluntates fatorum dominatu liberabat, ac sola iis illa subjiciebat, quæ deinceps consequuntur : Democritus vero totum fatis addicebat.

Platonicorum sententia refellitur.

V. Platonicorum porro sententiam docta et longiori disputatione Nemesius evertit; quod illa posita, providentia jam nulla sit, si ea necessitatis nexibus obligetur; ut verbi gratia, naufragium prohibere nequeat. Neque porro jam precibus ac votis humanis locus est, si verti in contrarium imminentia mala non possunt. De quo præterea [1] in septimo *contra Gentes* Arnobius. Idem et Aristotelis opinionem explodit Nemesius, qui Deum arbitrabatur nonnisi rerum universalium curam gerere; singulares autem natura sola gubernari. Celebratur autem illud, ac refellitur principis philosophi apud antiquos Patres decretum, curam Dei, ac providentiam iisdem, quibus cœlestes orbes regionibus esse descriptam, nec infra lunam porrigi. Quod libri *de Mundo* ad Alexandrum auctor affirmat, qui ab nonnullis Aristoteles creditus est; et in sexto capite diserta id oratione confirmat. Ambrosius quoque libro primo *de Officiis*, capite XIII, Aristotelis opinionem hanc refert, « usque ad lunam descendere ejus providentiam; et, Deum suis contentum esse finibus, et præscripto regni modo degere, ut poetarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt esse divisum. » Idem de eo refert et Diogenes Laertius : « Dei ab illo providentiam cœlestibus regionibus esse definitam; atque immobile ipsum esse. Terrena porro consensione quadam, et conspiratione cum illis administrari. » Hac ratione videbitur Aristoteles res humanas fatali necessitati subjecisse. Est enim fatum, quod Græci εἱμαρμένην vocant, nihil aliud, quam astrorum motus, et efficientia, ut ex Nemesio, et Eusebio, aliisque, quos citavimus, constat. Sed non puto, talem fuisse mentem Aristotelis, ut ad fatum humana omnia revocaret : de qua re hujus loci non est agere. Vide autem interim Atticum Platonicum[2], qui et superiora illa de Aristotelis opinione confirmat, et Epicuro deterius etiam de diis, et eorum providentia sensisse, quod nullam rerum terrenarum curam penes illos esse docuerit.

Providentia ad omnia etiam minima extendi.

VI. Verum divinam providentiam non summa tantum et præstantissima curare, sed etiam infima quæque; ac nihil neque universalium, neque singularum rerum negligere, certissimum est christianæ dogma religionis, cui Scripturæ omnes Testamenti utriusque fidem faciunt, uti nos capite antecedenti monstravimus. Eadem enim argumenta, et testimonia, quæ universe providentiam esse aliquam efficiunt, per omnia esse fusam, ac singula persuadent; præsertim vero Christi illa testificatio, quæ ab Evangelista prodita est, ad quam Paulinus allusit in quodam carmine.

« Quid soboles, virtusque Dei, et sapientia [Christus?
Nonne satis vanis curas erroribus aufert?
Nosque simul monitis, et factis edocet, unum
Cuncta Deum regere, et nihil ut sine mente [putemus
Principis esse Dei, dicens non arbore frondem,
Aere non volucrem sine jussu decidere? et [cum
Omnipotens verbo sternit mare, vel pede [calcat, etc.[3] »

a NEMES. cap. XXXVIII. Πᾶν γὰρ τὸ καθ' εἱμαρμένην καὶ κατὰ πρόνοιαν γίνεσθαι. οὐ μὴν πᾶν τὸ κατὰ πρόνοιαν καὶ καθ' εἱμαρμένην εἶναι. αὐτὸς γὰρ ὁ θεῖος νόμος, ὅν φησιν εἶναι πρόνοιαν καὶ εἱμαρμένην, πάντα περιέχει ἐν ἑαυτῷ τὰ μὲν καθ' ὑπόθεσιν, τὰ δὲ ἐξ ὑποθέσεως· τὰς μὲν προηγουμένας αἰτίας, ὥσπερ τινὰς ἀρχὰς, καὶ καθ' ὑπόθεσιν περιέχει, ἅπερ ἐστὶν ἐφ' ἡμῖν, συγκαταθέσεις, καὶ κρίσεις, καὶ ὁρμαί. τὰ δὲ ἐξ ἀνάγκης ταύταις ἑπόμενα, ἐξ ὑποθέσεώς ἐστιν.

b DIOG. *in Vita Arist.* Διατείνει δὲ αὐτοῦ τὴν πρόνοιαν μέχρι τῶν οὐρανίων, καὶ εἶναι ἀκίνητον αὐτόν· τὰ δὲ ἐπίγεια κατὰ τὴν πρὸς ταῦτα συμπάθειαν οἰκονομεῖσθαι.

1 Nemes. cap. XLIV. — 2 Apud Euseb. XV *Præp.* p. 468. — 3 Paul. *ad Jovium* in fine Ep. XXXVIII.

Probat hanc Dei providentiam vel minima quæque curantem, et intentam in singula Plato in libro X *de Legibus*. Cujus argumentationis hæc fere est summa. Si Deus, neglectis minoribus, in solis occupatur majoribus, id eo fit, vel quia omnibus administrandis par esse mens illius ac potestas nequit; vel quia non vult, tametsi potest. Neutrum autem Deo convenit. Nam si non potest, fit hoc duarum causarum ex altera. Aut enim non omnia novit, ut singulis consulat, aut ut sciat; non tamen infinitis rebus eodem momento gubernandis vim habet idoneam. Harum prior procul abest a Deo, cujus infinitam scientiam, et per omnia, etiam minima pertinentem demonstravimus in quarto libro. Ac præclare ibidem Plato « Deum ait nosse, et intueri, audireque omnia, nec cum latere rem ullam earum, quæ sensu, aut scientia percipiuntur[a].» Hinc vere Pindarus cecinit: « Si quis homo Deum sperat latere male aliquid faciens, aberrat [b].» Tum alter, puto Orpheus:

n deest in Deo scientia.

"Ομμα μέγα τρομέωμεν· ὃ καὶ γαίης ὑπένερθε
Λεύσσει, καὶ πόντοιο μέγαν βυθὸν, ὅσσα τε κεύθει
Νοῦς μερόπων· τέμνει δ' οὐδὲν χρόνος· ἀλλὰ πάρεστι
Πάντα Θεῷ.

« Magnum oculum tremamus, qui et sub [terra
Videt, et ponti ingens profundum, et quidquid [tegit
Mens hominum; neque quidquam abscondit [tempus, sed adsunt
Omnia Deo [1]. »

Nec potestas.

VII. Sed et vis infinitæ cognitioni par, et gubernandis omnibus idonea suppetit : quod in quinto libro probatum est. Et Plato, « posse Deum ait omnia, quorum potentia inest in mortalibus, et immortalibus [c]. » Quibus in verbis optima et christiana philosophia theologiaque digna ratio comprehenditur. Ut enim nihil in quavis creata re inesse dicimus; nullam, ut et cum Dionysio loquar, ὀντότητα, et cum scholis, *entitatem*; nihil denique perfecti, quod non eminenti quadam excellentia divina substantia contineat : ita nihil potestatis est in ulla re, quæ non præstantiori ratione Deo conveniat. Quare, si in rebus singulis vis quædam a natura est insita, qua se tueri, et conservare se possunt : præsertim iis, quæ cognitione aliqua præditæ sunt vel sensuum, vel animi : multo ea vis magis, et facultas inerit Deo, qua res easdem non universe solum, sed etiam singillatim tueri, et iis providere possit.

Nec voluntas.

Porro si et novit singula Deus, quibus quæque res opus habeat, et satis ad illa subministranda virium, ac facultatis inest ipsi; quod reliquum est, ut voluntas desit, ac bonitas, nisi unicuique prospiciat, id est longe quam superiora duo, absurdius, et indignius Deo, cui turpis ex eo labes imponitur vel malignitatis et invidentiæ, vel negligentis ac delicati fastidii. Utrumque vero procul abest ab infinita bonitate, et eadem actuosissima; imo quæ tota quanta est, nihil nisi actus est. Ac de invidentia, quantum absit a divinitate, celebris est Platonis ejusdem in *Timæo* sententia, qua causam procreatarum omnium rerum refert in Dei bonitatem. « Bonus erat, inquit : porro ei, qui bonus est, nulla in re quavis inest unquam invidia [d]. » Quem ad locum multa scitu digna Proclus adnotavit [2].

Exemplum boni patrisfamilias.

Adjicit his Plato non minus firmum, atque elegans argumentum in eodem decimo libro *de Legibus;* quod nemo sedulus ac diligens paterfamilias rem ullam, etiam minimam negligit earum, quas possidet; neque medicus in curatione ægris adhibenda; neque navis gubernator, aut quivis alius artifex. « Non enim sine parvis lapidibus magni recte, ac commode collocantur [e], » ait idem. Atqui omnia tam parva, quam magna, et singula Dei sunt bona, et quædam illius possessio, opera item, et effecta [f]. «Quare ne putemus unquam, Deum mortalibus esse deteriorem opificibus,

a Plato X *de Leg.* Θεοὺς ἀμφότεροι φατὲ γινώσκειν, καὶ ὁρᾷν, καὶ ἀκούειν πάντα, λαθεῖν δὲ αὐτοὺς οὐδὲν δυνατὸν εἶναι τῶν ὁπόσων εἰσὶν αἱ αἰσθήσεις τε, καὶ ἐπιστῆμαι.

b Pind. *Olymp.* I. Εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων ἁμαρτάνει.

c Plato ibid. Δύνασθαι πάντα, ὁπόσων αὖ δύναμίς ἐστι θνητοῖς τε, καὶ ἀθανάτοις.

d Plato *in Tim.* Ἀγαθὸς ἦν. ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος.

e Plato VI *de Leg.* Οὐδὲ γὰρ ἄνευ σμικρῶν τοὺς μεγάλους φασὶν οἱ λιθολόγοι λίθους εὖ κεῖσθαι·

f Ibid. Μὴ τοίνυν τόν γε θεὸν ἀξιώσωμέν ποτε θνητῶν δημιουργῶν φαυλότερον, οἳ τὰ προσήκοντα αὐτοῖς ἔργα ὅσῳ πὲρ ἂν ἀμείνους ὦσι, τόσῳ ἀκριβέστερα, καὶ τελεώτερα μιᾷ τέχνῃ σμικρὰ, καὶ μεγάλα ἀπεργάζονται.

1 Poeta vetus. — 2 Procl. lib. II *in Tim.*

qui opera sua, quanto meliores fuerint, tanto elaboratiora perfectioraque sive parva, sive magna eadem arte perficiunt. »

VIII. Ammonius quoque eodem ex Platonis libro testimonium profert, quo neminem ait esse tam parvum hominem, qui divinam providentiam subterfugere possit. Qui locus simillimus est ei, qui est in *Psalmo* CXXXVIII: *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum,* etc. ut, si vera sit Clementis Alexandrini, aliorumque veterum suspicio, prorsus illum inde transtulisse Plato videatur. Verba Ammonii in librum Aristotelis *de Interpretatione* : « Non enim potest esse quispiam, ut ait Atheniensis hospes, vel tam pusillus, ut in terræ profundum subiens latere possit providentiam illam, quæ omnia etiam minima contemplatur; neque tam magnus, ut supra cœlum evolet, et extra moderantem cuncta providentiam consistat [a]. » Plotinus quoque duplicem in universo providentiam agnoscit, communem, et propriam; « et communis quidem jussu quodam a sollicitudine libero regioque imperio cuncta componit: propria vero singillatim jam opera quadam, ut ita dixerim, manuaria opificium attrectando, opificem ipsum opifice conditione implet [b]. » Plura de eodem argumento Atticus Platonicus contra Aristotelem apud Eusebium disseruit, ac rerum etiam infimarum, et singularium curam a Deo geri probavit [1]. Sed non minorem vicissim plagam accipit iste ipse Plato, cujus causam defendit Atticus; quod inferiora hæc, et mutabilia non a Deo procreata, sed ejus jussu ab minoribus facta diis arbitratus est; ab iisdemque procurari singulatim, nec nisi universe ab summo Deo : in quo non minus, imo fortassis etiam absurdius deliravit, quam discipulus ejus Aristoteles. Quanquam Plotinus Platonicus de providentia disputans, ut refert Augustinus, « eam a summo Deo, cujus est intelligibilis, atque ineffabilis pulchritudo, usque ad hæc terrena, et ima pertingere flosculorum atque foliorum pulchritudine comprobavit; quæ omnia quasi abjecta, et velocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis, et incommutabilis simul habens omnia perseverat [2]. » Sed aliud est, providere Deum per se rebus singulis, aliud sub ejus imperio et auctoritate id alios facere. Vide Plotini ejusdem libros duos *de Providentia*, qui sunt enneadis tertiæ secundus, et tertius.

IX. Cyrillus Alexandrinus in secundo libro *contra Julianum*, Platonis opinionem illam exagitat, quam dixi, quæ summo Deo rerum caducarum, et singularum molitionem adimit. Ex qua sequi istud ostendit, nullam illarum curam esse penes Deum, « quas, velut ludicrum quiddam, diis aliis fabricandas mandaverit [c]. » Ac subinde rerum etiam tenuissimarum, vilissimarumque providentiam esse tum ex Alexandro Aphrodisiensi, tum aliunde probat; et hoc argumentum ex eodem affert simile illi, quo est usus Plato, quod neque voluntas desit invidiæ omnis expers Deo, neque potestas : ex quo necesse sit, rebus omnibus ab illo provideri.

Nemesius idem eadem ratione utitur, eique alteram adjungit non minus firmam [d]. « Tres, inquit, has solas quispiam causas afferre potest, ob quas nulla sit singularum rerum providentia. Aut enim ignorare Deum bonum esse, ut illorum etiam curam gerat; aut nolle, aut non posse ; atqui ignorantia quidem, et inscitia prorsus a beata illa substantia est alienissima. Est enim cognitio ipsa, et sapientia, et scientia. Quinam vero sapiens homo nescire hoc potest, si singularia omnia pereant, etiam

a AMMON. f. XCII. Οὐ γὰρ ἂν γένοιτό τις, ὅπερ φησὶν ὁ Ἀθηναῖος ξένος, ἢ οὕτω σμικρὸς, ὥστε καταδὺς εἰς τὸ βάθος τῆς γῆς λαθεῖν τὴν ἅπαντα, καὶ τὰ σμικρότατα ἐποπτεύουσαν πρόνοιαν· οὐδ' οὕτω μέγας, ὥστε ὑπερπτῆναι τὸν οὐρανὸν, καὶ γενέσθαι ἔξω τῆς διακοσμούσης τὰ ὅλα προνοίας.

b PLOT. *Enn.* IV, lib. VIII, cap. II. Διττὴ γὰρ ἐπιμέλεια παντὸς, τοῦ (for. τὸ) μὲν καθόλοῦ κελεύσει κοσμοῦντος ἀπράγμονι ἐπιστασίᾳ, βασιλικῇ. τὸ δὲ καθέκαστα ἤδη αὐτουργῷ τινι ποιήσει, συναφῇ τῇ πρὸς τὸ πραττόμενον τὸ πρᾶττον τοῦ πραττομένου τῆς φύσεως ἀναπιμπλᾶσα.

c CYR. II *con. Jul.* Προνοεῖ δὲ ὅλως ἀνθ' ὅτου τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, καίτοι κατά γε τῷ Πλάτωνι δοκοῦν, ἄθυρμα θεοῖς δοθέντων ἑτέροις·

d NEMES. cap. LXIV. Τρεῖς γὰρ ταύτας αἰτίας μόνας ἄν τις φαίη, τοῦ μή γίνεσθαι πρόνοιαν τῶν καθ' ἕκαστα· ἢ γὰρ ἀγνοεῖν τὸν θεὸν, ὅτι καλὸν καὶ τούτων ἐπιμελεῖσθαι· ἢ μὴ βούλεσται· ἢ μὴ δύνασθαι. ἀλλ' ἄγνοια μὲν, καί ἀμαθία παντάπασιν ἀλλοτριώτατον τῆς μακαρίας οὐσίας. αὐτὸ γὰρ γνῶσίς ἐστι, καὶ σοφία, καὶ ἐπιστήμη. πῶς δὲ ἄνθρωπος, εὖ φρονῶν ἀγνοήσειεν ὡς τῶν κατὰ μέρος πάντων διαφθειρομένων, καὶ τὰ καθόλου διαφθαρήσεται; ἐκ γὰρ τῶν κατὰ μέρος πάντων τὰ καθόλου συνίσταται. Vide Gregor. Nyss. lib. *in Hexaem.*

1 EUS. XV *de Præp*, cap. IV. — 2 Lib. X *de Civ. Dei*, cap. XIV.

universalia peritura? Nam ex particularibus omnibus conflantur universalia. » Jam si nolle Deum curare res istas aliquis dixerit, id vel ob negligentiam fiet, ac socordiam; vel quod illud Deo sit indignum, Deum socordem esse, insani sit suspicari. Hoc enim vitium vel ex voluptate oritur, qua irretitus animus contemnit cætera, vel ex timiditate; quorum neutrum in Deum convenit. At vero indignam esse Deo curationem illam, nec decere, ut se ad ima viliaque procuranda tanta majestas abjiciat, non minus est absurdum dicere. Hoc enim vel superbiam est tribuere Deo, vel infici, contaminarique illum credere tractatione sordidarum et abjectarum rerum. In quo quantus error sit, solis aspectus ipse demonstrat; cujus radii nulla cloacarum, ac cœnosarum voraginum, quas collustrant, contagione fœdantur. Postremo subjicit exemplum artificum; quorum nullus est, qui opus suum, quamlibet contemptum, neglectui habeat, quominus quantum potest elaboret, ac perpoliat.

Cura minimorum non indigna Deo.

Locus Hieronymi difficilis.

X. At Hieronymus *in Primum caput prophetæ Habacuc*, auctoritate sua difficilem facit quæstionem. Videtur enim non scientiam singulorum, præter hominem, animantium, sed curam et providentiam detraxisse Deo : quod his verbis explicat : « Sicut igitur in hominibus, etiam per singulos, Dei currit providentia; sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, et ordinem, cursumque rerum intelligere possumus. Verbi gratia, quomodo nascatur piscium multitudo, et vivat in aquis : quomodo reptilia, et quadrupedia oriantur in terra, et quibus alantur cibis. Cæterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotque moriantur, quæ cimicum, et pulicum, et muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, et qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nosipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes[1]. » Hic generalem tantummodo curam singulorum animalium, excepto homine, tribuit Deo, quem negat scire, quot sint, vel quotidie moriantur, aut nascantur. Cujusmodi scientia non est cognitio simplex, sed provida, et cum amore studioque peculiari conjuncta notitia. Quocirca, tametsi fatemur ingenue, melius ista concipi ab Hieronymo potuisse; non tamen arbitramur, tantum virum latuisse id, quod Christus ipsemet in Evangelio nos docuit, singulorum passerum curam gerere Deum, ut et alendis iis cibum provideat[2], et nullus in terram[3], nisi destinato Dei consilio, decidat. Sed nec illud, quod idem admonuit, agrestium liliorum vestitum quemdam[4], et ornatum curæ esse summo illi numini. Hæc vero non generalem tantum, et universæ speciei providentiam, sed particularem ac propriam individui cujusque testantur. Quemadmodum et illa *Psal.* CXLVI : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Et in *Jobi* libro : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos*[5]? Ejusmodi exempla, et testimonia sunt innumera omnibus in Scripturæ libris, præsertim in *Jobi* capitibus postremis, et in *Psalmis*, quæ hoc docent : Deum non universe solum, sed minutatim quoque rationem habere singularum rerum, iisque propria, et accommodata unicuique providentia consulere, et quæ opus habent suppeditare. Quapropter scientiam curamque duntaxat benevolam illam, et paternam adhiberi brutis, et inanimis negavit Hieronymus, hoc est eamdem, ut ipse loquitur, « irrationabilium, quam rationabilium providentiam. »

Curam minimorum Scriptura Deo tribuit.

XI. Utcumque autem Hieronymi habet iste locus, non est quæstionis illa res; nec dubitare christiano licet ulli, quin Deus rerum omnium tam anima carentium, quam animatarum peculiarem, et cujusque naturæ congruentem habeat curam; quod sacrarum Scripturarum constans auctoritas, ac perpetua demonstrat, et argumenta persuadent illa, quibus universe probavimus, esse aliquam Dei providentiam. E quibus id modo considerandum, ac præcipue notandum est, quod ex rerum omnium procreatione ducitur. Etenim, cum nulla sit res, quam non singillatim, ac per se Deus effecerit, fieri non potest, quin particulatim quoque, tanquam operi suo, illi curam adhibeat. Imo vero primaria, et præcipua providentia est rerum effectio, ut initio quarti capitis *de Cœlesti Hierarchia* testatur Dionysius : « Omnia, inquit ille, quæ sunt, providentia fruuntur, quæ manat e supersubstantiali, et causa omnium divinitate. Non

Deus minimorum curator quia creator.

1 Hier. in prim. c. *Habac.* — 2 *Matth.* VI, 26. — 3 *Matth.* X, 29. — 4 *Matth.* VI, 30. — 5 *Jobi* XXXVIII, 41.

enim essent, nisi entium essentiæ, et principii res illæ participes forent [a]. » Quod Dionysius deinceps varie dispensari administrarique pro captu docet singulorum; ut alia aliis majore haustu ex eodem providentiæ fonte satientur. Quem ad locum adnotavit Maximus Martyr, « Nihil in rebus esse, quod non particeps Dei sit, ejusque providentiæ. Ex quo concluditur, malum carere exstantia, quoniam Dei non est particeps. Nam ex privatione habitus apparet : non autem ipsum per se, ac primario essentiam habet [b]. »

XII. Hinc, ut supra vidisti, adversus Platonem, ac similia sentientes, recte Cyrillus, aliique Patres iisdem argumentis probant, non jussu tantum Dei, sed manu etiam, id est efficientia productas esse res omnes, quibus singillatim Dei cura, et providentia regi gubernarique res easdem adstruunt; quod nec indignum sit tanta majestate procreare quamlibet exiguas contemptasque res; et hoc non facere vel invidiæ sit, vel imbecillitatis, vel superbi ac delicati fastidii. Quæ quidem argumentatio etiam adversus Arianos ab iisdem instruitur, ut suo loco dicemus; qui Filium solum ἀμέσως, id est, *nullo interposito* genitum a Patre, ac procreatum putabant; creaturas vero cæteras jussu Patris a Filio : quod pus hæresis, ac venenum indidem, unde cætera fere illorum portenta temporum, ex Platonis lacunis derivatum esse, res ipsa clamat. Quinetiam Cyrillus Alexandrinus (quod amplius est, et ad communem singulorum providentiæ sanciendam fidem validius), Arianos ista, quæ dixi, profitentes ex iis Scripturæ testimoniis confutat, quibus singularium providentia conficitur. Tum concludit sic : « Quid esse potest fœno, et passerculis vilius, quorum ex bonitate providentiam ac curam habet Deus? Aut quomodo non dignetur esse creator eorum, quorum providentiam non detrectat? At isti imprudenter arrogantiam adscribunt Deo dicentes, ipsum dedignari minimorum esse factorem. Si ergo creator est omnium, et ad minima usque pertingit propter benignitatem, et ab omnibus capitur, inanis est hæreticorum species aientium, propter minores creaturas productum esse Filium [c]. » Nonne et Hieronymus ipse in minutis quoque animalculis, ut culicibus, ac muscis, non minus creatorem mirari nos ait, quam in cœlo, ac sideribus, aut bestiis magna mole constantibus? Ex quo etiam vitæ instituendæ præceptum insigne tradidit. « Ut enim creatorem, inquit, non in cœlo tantum miramur, et terra, sole, et oceano, elephantis, camelis, equis, bubus, pardis, ursis, leonibus; sed et in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, et istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina, eamdemque in cunctis veneramur solertiam : ita mens Christo dedita æque et in majoribus, et in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem [1]. »

XIII. Martyr quoque Irenæus non solum omnia, et singula scire Deum, sed etiam disponere, ac regere confirmat luculenta sententia, in qua commemoratis iis locis de passerum cæterorumque cura, quæ superius attuli, ita scribit : « Quid autem, si quis interroget nos, si omnis numerus omnium, quæ sunt facta, et quæ fiunt, scitur a Deo; et si secundum illius providentiam unusquisque eorum eam, quæ secundum se est, accepit quantitatem; nobisque consentientibus, et confitentibus, quia nihil omnino horum, quæ facta sunt, et quæ fiunt, et fient, Deum fugit; sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum, et ordinem, et numerum, et quantitatem accipere, et accepisse propriam, et nihil omnino neque vane, nec, ut provenit, factum, aut fieri, sed cum magna aptatione, et consonantia sublimi; et esse admirabilem rationem, et vere divinam, quæ possit hujus-

a Dion. Πάντα μὲν οὖν τὰ ὄντα μετέχει προνοίας ἐκ τῆς ὑπερουσίου, καὶ παναιτίου θεότητος ἐκβλυζομένης. οὐ γὰρ ἂν ἦν, εἰ μὴ τῆς τῶν ὄντων οὐσίας, καὶ ἀρχῆς μετειλήφει.

b Maxim. in cap. iv *de Cœl. Hierar.* Ὅτι πάντα τὰ ὄντα τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας μετέχει. οὐδὲ γὰρ οὔτε ἐν τοῖς οὖσιν ἐστι τὸ μὴ μετέχον τοῦ θεοῦ. ὥστε ἀνυπόστατον τὸ κακὸν, ἐπειδὴ μὴ μετέχει τοῦ θεοῦ κατὰ στέρησιν ἕξεως φαινόμενον. ἀλλ' οὐκ αὐτὸ πρωτοτύπως ὂν ἐν οὐσίᾳ.

c Cyril. lib. XV *Thesaur.* Τί δ' ἂν γένοιτο χόρτου, καὶ στρουθίων εὐτελέστερον, ὧν ἐξ ἀγαθότητος ὁ θεὸς προνοεῖ; εἶτα πῶς τὸ εἶναι ποιητὴς οὐκ ἂν ἀξιώσειεν ὧν οὐ παραιτεῖται τὴν πρόνοιαν; ἀλλ' οὗτοι τύφον οὐκ εἰδότες προσάπτουσι τῷ θεῷ, λέγοντες αὐτὸν οὐκ ἀξιοῦν τῶν ἐλαχίστων εἶναι ποιητήν. εἰ τοίνυν πάντων ἐστὶ ποιητὴς, φθάνει δὲ καὶ μέχρι τῶν ἐλαχίστων διὰ φιλανθρωπίαν τοῖς πᾶσι χωρούμενος, περιττὴ τῶν αἱρετικῶν ἡ πρόφασις, διὰ τὰ μικρὰ τῶν κτισμάτων προβεβλῆσθαι λεγόντων τὸν υἱόν. Vide et Dialog. IV *de Trin.*

1 Hieron. epist. iii, col. 20.

modi et discernere, et causas proprias enuntiare [1]; » etc. Atque « hoc divinæ naturæ proprium, ac præcipuum esse, dicit Cyrillus, quod possit omnia continere, et ad vilissima quæque providentiæ suæ, qua singula complectitur, rationes explicare [a]. » Quæ vox *rationis* admonet argumenti alterius, quo Dei providentia rerum vel minimarum adstruitur. Videmus enim summa ratione omnia esse facta, etiam tenuissima quæque, et abjectissima, ut sunt culicum, cimicum, pulicumque corpuscula, eorumque propagationes, incrementa, nutricatus, numerum, et quidquid est, quod sciri a Deo, ac regi singillatim majestate illius indignum videtur. Ex quo evidens est, *rationem* illam, quæ est ὁ λόγος, id est, *Verbum*, sive *ratio* sempiterna, Deique soboles, ad illa non modo tanto artificio fabricanda, sed etiam non minore industria fovenda tuendaque descendere. Præsertim cum, ut alibi ex theologiæ philosophiæque præscripto dixi, gubernatio rerum, et conservatio eadem sit ac creatio, nec nisi ratione, et continuatione distet. Ad hanc argumentationem allusit Origenes in sexto *contra Celsum*, ubi « Verbum, per quod omnia facta sunt, corpus non esse dicit; quod Verbum universa pervadit, ut ratione omnia fiant, non homine tenus, sed usque ad ea, quæ minima videntur, et a natura gubernantur [b]. » Quæ postrema verba rursus argumentum aliud in memoriam revocant.

[...]inima [...]nt admi[...]atione [...]digna.

XIV. Etenim natura regi, et administrari omnia et singula, tum magna, tum exigua, extra dubitationem est. Idem est autem ab natura fieri aliquid, atque a Deo dicere. Vis enim illa rebus omnibus indita, qua producta foventur, ac vegetantur, non est rationis consiliique expers, sed intelligentis opus artificis, ut in primo libro demonstravimus [2]. Quare quocumque natura pertinet, ac quidquid facere illa dicitur, eo necesse est divinam curam, et efficientiam pervenire. Audiamus Senecam, qui hac ratione contra providentiæ divinæ obtrectatores, et ingratos nititur. « Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, et divina ratio toti mundo, et partibus ejus inserta [3]? » Et cap. seq. : « Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat : opus suum ipse implet. Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ ; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura : sed idem est utrumque, nec distat. Officium si quod a Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio? Non creditorem mutares, sed nomen; quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille esset. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam : omnia ejusdem Dei nomina sunt varie utentis sua potestate. » Ac, tametsi Dei sit opus natura, non Deus, si accurate loquimur ; (in quo Plinii reprehensione digna est impietas, qui *id esse naturam* ait *quod Deum vocamus* [4]) nihilominus idem utriusque est opus; idem a natura, atque a Deo elaborari aliquid, ac perfici dicere. Unde illa manarunt veterum dicta, quæ alibi [5] commemorata sunt, voluntatem Dei rerum esse naturam. Ex quo firmissima ratiocinatione concluditur, minutissima quæque uti natura constant, et ejus impulsu aguntur, ita Dei providentia temperari.

XV. Hæc mens est Apostoli in epistola *ad Hebræos* ita scribentis de Dei Filio : *Portans omnia verbo virtutis suæ* [6]. Nam φέρων interpretatur Chrysostomus « gubernans, hoc est ea fovens, et continens, quæ alioqui excidunt. Quippe non minus est continere mundum, quam hunc procreasse. Imo, si quid mirum oportet dicere, etiam majus est. Etenim creare est ex nihilo producere ; conservare autem ea, quæ facta sunt, in nihilum abitura continere, et invicem dissidentia sociare [c]. » Ut igitur

a Cyr. lib. XXXII *Thesaur.* Ἔτι δὲ καὶ τοῦτό ἐστι τῆς θείας οὐσίας τὸ ἐξαίρετον, τὸ δύνασθαι πάντα συνέχειν δηλαδὴ, καὶ μέχρι τῶν εὐτελεστάτων τῆς ἐφ' ἑκάστῳ προνοίας λόγους ἐξαπλοῦν.

b Orig. VI *cont. Cels.* Οὐκ ἂν σῶμα εἴη ὁ θεὸς λόγος, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· ὁ φθάνων ἵνα πάντα διὰ λόγου γένηται, οὐχ ἕως ἀνθρώπων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐλαχίστων εἶναι νομιζομένων, καὶ ὑπὸ φύσεως διοικουμένων.

c Chrys. Hom. II. Τουτέστι κυβερνῶν, τὰ διαπίπτοντα συγκρατῶν. τοῦ γὰρ ποιῆσαι τὸν κόσμον οὐχ ἧττόν ἐστι τὸ συγκρατεῖν· ἀλλ' εἰ δεῖ τι καὶ θαυμαστὸν εἰπεῖν, καὶ μεῖζον. τὸ μὲν γὰρ ἐξ οὐκ ὄντων ἐστί τι παράγειν· τὸ δὲ, τὰ γεγονότα εἰς τὸ μὴ εἶναι μέλλοντα ἀναχωρεῖν, συνέχειν τε, καὶ συνάπτειν πρὸς ἄλληλα διαστασιάζοντα.

1 Iren. lib. II, c. XLV.—2 Cap. I et II. — 3 Sen. IV *de Benef.* c. VII.— 4 Lib. II, c. VII.—5 Lib. V, c. VII, n. 15.— 6 *Hebr.* I, 3.

nemo, nisi extrema linea impius, aut insanus, rem ullam quamlibet modicam aliunde, quam a Deo creatam esse sentiat; ita gubernari ab alio, quam ab eodem auctore Deo nefarium est credere; ne, quod adversus Pelagianos naturam, et hoc ipsum quod sunt, Deo, virtutem, et quod boni sunt sibi tribuentes, objicit sæpius Augustinus, quod minus est Deo, quod majus ac præstantius est, vel fortunæ, vel fatali nescio cui necessitati; cuivis denique potius, quam conditori omnium adscribatur. Nec ad idem persuadendum nihil attinet, parumve comprobat id, quod Chrysostomus de providentia, rerumque gubernatione docet, majus et excellentius quiddam illam esse creatione; quod præcipua Dei appellatio ab hac ipsa providendi functione deducitur : Θεὸς enim ἀπὸ τῆς θέας derivatur, ut postea dicemus; id est a *speculatione,* quam sic exponit Gregorius Nyssenus. « Ipsum deitatis nomen, inquit, sive inspectricem, sive providam potestatem significat, quam proprie in humanum genus habet. Qui enim iis, quæ sunt, vim existendi tribuit Deus, etiam inspector est eorum, quæ ab ipso facta sunt [a]. »

XVI. Est apud Ammonium Aristotelis interpretem pulcherrima ratio, qua Deum probat non magnis solum, et sempiternis mundi providere partibus, sed etiam infimis, et contingentibus; atque iis insuper prospicere, et particulatim curam eorum gerere magis esse consentaneum, ac dignum Deo, quam aliorum, quæ rata sunt, et perpetua lege fixa. « Propterea quod hæc natura sua definita sunt, et immutabilia, talemque divinitus exstantiam sortita sunt. Quæ autem generantur, quia fluxa constant materia, et ob id omni mutationis genere aguntur, neque esse, neque contineri, neque ordinari possunt, nisi ab conditrice, et providente causa sempiternorum, et eodem modo semper habentium illis abunde prospiciatur; causa, inquam, non generali modo, et ab rebus particularibus semota, sed quadam etiam singulari, et magis propinqua. Quemadmodum in hominum genere cernimus pueros majore opus habere cura, quam viros, et stolidos, quam prudentes [b]. »

Homo specialit Providen objectui

Quod idem argumentum suadet, ex omnibus, quæ in aspectabili hac universitate censentur, hominem peculiari Dei ope ac providentia dignum esse; tum inter corporatas res, quod omnium maxime imbecillum corpus habeat; tum inter ratione præditas, quod ultimum in iis gradum teneat, ac mentis et consilii infirmitate longe maxima sit, et utrobique infinitis et quotidianis adminiculis ad sui conservationem opus habeat. « Nullum enim animal morosius est, nullum majori arte tractandum, quam homo, nulli magis parcendum [1], » ait Seneca. Facit etiam illius dignitas, et naturæ præstantia, ut ei, si non soli, certe præcipue consulere, ac providere divina bonitas debeat; ut hoc unum in animal per se, hujus autem in cætera gratia, prona et intenta esse videatur.

XVII. Declarat hoc eleganti similitudine, ac sententia, in quarto *contra Celsum* Origenes. « Mea quidem, inquit, hæc sententia est, quemadmodum in civitatibus, qui annonæ et macelli curam habent, nullius alterius causa laborare, quam hominum; ejus tamen providentiæ fructum ad canes et alia bruta pervenire : ita divinam providentiam ratione præditis præcipue prospicere; ex consequenti autem etiam bruta animantia iis perfrui, quæ hominum gratia procreata sunt [c]. » Tale quiddam Clemens etiam Alexandrinus, opinor, innuit, dum in sexto *Stroma-*

a Greg. Nyss. lib. II *cont. Eun.* Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ τῆς θεότητος ὄνομα, εἴτε τὴν ἐποπτικὴν, εἴτε τὴν προνοητικὴν ἐξουσίαν σημαίνει, ἣν οἰκείως εἶχε πρὸς τὸ ἀνθρώπινον. ὁ γὰρ τὴν δύναμιν παρασχὼν τοῖς οὖσι τοῦ εἶναι θεὸς, καὶ ἐπόπτης τῶν ἐπ' (Cor. ὑπ') ἐκείνου γεγονότων ἐστίν.

b Ammon. in lib. *de Interpr.* Μᾶλλον γὰρ ἦν εἰκὸς τὰ ἀΐδια τῶν πραγμάτων περιορᾶσθαι ὑπ' αὐτῶν ἔρημα τῆς ἐπιβαλλούσης αὐτοῖς προνοίας, ἢ τὰ ῥευστὴν ἔχοντα φύσιν, εἴπερ ἐκεῖνα μὲν ἀπὸ τῆς ἑαυτῶν φύσεως τὸ ὡρισμένον ἔχει, καὶ ἄτρεπτον, τοιαύτην θεόθεν τὴν ὑπόστασιν εἰληχότα. τὰ δ' ἐν γενέσει, διὰ τὸ ῥευστὸν τῆς οἰκείας ὕλης, ἐν παντοδαπῇ μεταβολῇ φέρεσθαι πεφυκότα, οὔτε εἶναι, οὔτε συνέχεσθαι, καὶ διακοσμεῖσθαι δυνατὸν, μὴ πολλῆς τυχόντα τῆς τῶν ἀεὶ ὡσαύτως δημιουργικῆς τε, καὶ προνοητικῆς αἰτίας, οὐ μόνον τῆς ὁλικωτέρας, καὶ ἐξῃρημένης, ἀλλὰ καί τινος μερικωτέρας, καὶ προσεχεστέρας. ὥσπερ καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς παῖδας ὁρῶμεν πλείονος δεομένους ἐπιμελείας, ἢ τοὺς ἄνδρας. καὶ τοὺς ἀνοήτους, ἢ τοὺς ἔμφρονας.

c Origen. IV *cont. Cels.* Καὶ ἡγοῦμαί γε ὅτι ὥσπερ ἐν ταῖς πόλεσιν οἱ προνοούμενοι τῶν ὠνίων, καὶ τῆς ἀγορᾶς, δι' οὐδὲν ἄλλο προνοοῦνται, ἢ διὰ τοὺς ἀνθρώπους, παραπολαύουσι δὲ τῆς δαψιλείας καὶ κύνες, καὶ ἄλλα τῶν ἀλόγων. οὕτως ἡ πρόνοια τῶν μὲν λογικῶν προηγουμένως προνοεῖ. ἐπηκολούθησε δὲ καὶ τὰ ἄλλα ἄλογα ἀπολαύειν τῶν δι' ἀνθρώπους γενομένων.

1 Sen. lib. *de Clem.* c. xvii.

teon de Dei scientia loquens ait ipsum « confertim omnia, et singula una applicatione contueri, non tamen universa principali incubitu[a]. » Ac, cum hominum causa, præsertim electorum condita esse constet universa; jure ad istos primario pertinere providentiam affirmare licet : ac secundo loco, id est horum gratia ad cætera permanare. Id enim Scripturis ac sanctorum Patrum doctrinæ consentaneum est; non ita tamen, ut ex accidenti, neque proprie Deus illorum curam gerat, ut Aristoteli cæterisque visum est, qui universalia duntaxat ab illo curari crediderunt. De quo vide Alexandrum Aphrodisiensem in secundo libro *Quæstionum et responsionum*, capite XXI et Lactantium libro *de Ira Dei*, cap. XIII, quemadmodum hominis gratia a Deo cuncta curentur. Facit autem illa, quam paulo ante commemoravi, hominum imbecillitas multo, quam cæterorum, major, ut quodam velut ex officio justitiæ præcipuam illis curam pro sua bonitate Deus impertiat. Ita enim docet Ambrosius his verbis : « Quia justus est, ut opus manuum suarum tueatur, ac servet; ut quos nudos indotata quadam naturæ sorte in hanc projecit corporis infirmitatem, vigore animi, et misericordiæ suæ dote pauperes vestire dignetur[1]. »

XVIII. Ad extremum, cur in homine gubernando præcipuum, ut ita dixerim, divinæ providentiæ negotium versetur, reddi et ista ratio potest, quod cætera, quæ intelligentia, ac libertate carent, necessariis, et eodem fere modo semper agentibus causis aguntur, nec in magna varietate posita sunt, ideoque tractatu sunt faciliora : ac qui principio, et origini, unde illa motum et impressionem capiunt, vim et agitationem indiderit, reliqua deinceps velut catena quadam stoici fati connexa, primam illam impulsionem sequuntur. Quæ causa philosophos veteres adduxit, ut, quod antea dixi, Deum negarent singulis quibusque rebus moderandis et regendis intentum habere animum; sed supremis duntaxat, et cœlestibus incumbere, quorum motu inferiora vegetantur. Quod libri *de Mundo ad Alexandrum* auctor hujusmodi similitudine declarat[2]. Nam Deum in summo cœli vertice collocatum asserit, cujus vi cœlum, et sol, et luna proxime moveantur; unde cætera, quæ indidem apta sunt, per interjecta illa corpora trajectam in se causæ superioris efficientiam accipiunt. « Non secus atque illi machinatores solent, qui instrumento uno demittendo multos et varios effectus edunt, aut ut illi præstigiatores faciunt, quos Neurospastas ob id appellant, qui cum funiculum ipsi, aut nervum adduxerunt, cieri cervicem, et manum quasi animantis simulacri, humerumque itidem, et oculum faciunt, interdum et omnia membra, idque quadam cum venustate, atque æqualitate motus. Hoc igitur modo natura divina ab uno, eodemque simplici motu primo vim suam immittit in ea, quæ sunt primo continentia, ab illisque subinde in ea, quæ longius, atque longius absunt, quoad permeaverit per universa[b]. » Quæ, quanquam falso ad Dei efficientiam, et providentiam translata sunt, tamen id, quod dixi supra, demonstrant, in iis quæ naturalibus et necessariis causis ad agendum impelluntur, non tantam ac tam sagacem, et ad singula pertinentem desiderari curam, et industriam; sed in primis, unde pendent reliqua, posse consistere. At humanæ res, quæ a voluntatis arbitrio libero, tanquam causa proficiscuntur lubrica et versatili, nec in uno aliquo defixa, incertæ sunt, et mutabiles ipsæ; adeoque curæ plus, ac sollicitudinis requirunt, ut ad ordinem finemque congruum tanta tamque inextricabilis varietas dirigatur.

XIX. Quanquam ea, quæ in libertate voluntatis humanæ posita sunt, a providentiæ complexu Joannes Damascenus excipit. « Quæ enim in nobis ipsis sita sunt, inquit, ad providentiam non pertinent; sed libertatis sunt,

a Clem. VI *Strom.* Ἀθρόως τε γὰρ πάντα, καὶ ἕκαστον ἐν μέρει μιᾷ προσβολῇ προσβλέπει. οὐ πάντα μέν τοι κατὰ τὴν προηγουμένην ἐπέρεισιν.

b Arist. Ὥσπερ ἀμέλει δρῶσιν οἱ μεγαλώτεροι, διὰ μιᾶς ὀργάνου σχαστηρίας πολλὰς, καὶ ποικίλας ἐνεργείας ἀποτελοῦντες. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ νευροσπάσται μίαν μήρινθον ἐπισπασάμενοι ποιοῦσι καὶ αὐχένα κινεῖσθαι, καὶ χεῖρα τοῦ ζώου, καὶ ὦμον, καὶ ὀφθαλμόν. ἔστι δὲ ὅτε πάντα τὰ μέρη μετά τινος εὐρυθμίας. οὕτως οὖν καὶ ἡ θεία φύσις ἀπό τινος ἁπλῆς κινήσεως τοῦ πρώτου, τὴν δύναμιν εἰς τὰ ξυνεχῆ δίδωσι· καὶ ἀπ' ἐκείνων πάλιν εἰς τὰ πορρώτερα, μέχρις ἂν διὰ τοῦ παντὸς διεξέλθῃ.

1 Ambr. in *Psal.* CXVIII. Octon. 8. — 2 Cap. VI.

arbitriique nostri[a].» Quæ nisi commode intelligantur, profecto sunt falsa. Sed nimirum providentiam eo sensu Damascenus usurpat, ut sit absoluta rerum futurarum ordinatio, ac dispositio, qua quid omnino velit fieri, discernit Deus; nec voluntatis nostræ rationem habet, ut sunt ea, quæ nos fortuita, et casu nata credimus. Ac tantum abest, ut quæ liberis ex causis oriuntur, providentiæ subjecta non sint, ut Nemesius neget, «ea quæ providentia geruntur, necessitati subesse[b].» Et elegantissimus interpres Aristotelis Ammonius in librum *de Interpretatione*, «ordinari ait a diis, quæ contingentia sunt, et eorum exitum determinate cognosci[c].» Quod et Hierocles in libro *de Providentia* tradidit. Qui «brutis ait sufficere generalem providentiam, ac toti impensam speciei. Nos vero, nisi singillatim, ac per omnia providentia regimur, adeo ut nihil, quod ad nos pertinet, extra rationem providentiæ sit, nequaquam consentaneam nobis curam assequimur[d].» Verum potest Hieroclis ea mens esse, quam et superius exposuimus : ut ea, quæ ex voluntate nostra pendent, in nobis esse posita velit. Providentiæ vero divinæ sit munus, hac velut occasione data, quid deinceps velit constituere : veluti pœnas, aut præmia certosque rerum exitus definire. Quæ Platonicorum, aliorumque fuit in fatali constituenda necessitate sententia; uti supra meminimus. Ac fortassis ad eum modum providentiam explicare voluit Joannes Damascenus, ut quæ liberi sunt arbitrii, nulla necessitate, aut definientis providentiæ lege teneantur; sed, iis sponte a nobis positis, jam quod suum est, Deus exequatur. Verum utcumque ista dicuntur, non est dubium, quin eorum, quæ ab libertate nostra pendent, quædam auctore ac volente Deo, alia permittente, omnia præsciente et ordinante contingant. Ex quo et singularum rerum providentia comprobatur; quia non possent ordinari, et ad eumdem exitum conspirare tot res, tanquam variæ ac dissonæ, nisi summa illis præesset sapientia, quæ unicuique modum, tempus, ac rationem præscriberet. Quem quidem sermonem postremo hac pulcherrima Augustini sententia concludam : «Voluntas, inquit, Dei est prima, et summa causa omnium corporalium spiritualiumque motionum. Nihil enim fit visibiliter, et sensibiliter, quod non de invisibili, et intelligibili summi imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum, et retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaque republica[1].»

CAPUT V.

De argumentis aliquot, quibus divina providentia oppugnari solet; quæ omnia ad certa redacta capita diluuntur. Veluti quod nimium negotiosus esset Deus : quod multa in mundo mala sint. Opinio Arnobii; mala etiam culpa carentia non esse a Deo : ac ne animas quidem mali capaces. Cur Deus mala esse velit; et quid utilitatis conferant, etiam illa, quibus mali fiunt homines. Item cur malis bene, bonis male interdum eveniat.

I. Ad institutam de Dei providentia claudendam disputationem postremum illud superest, ut quæ adversus eam opponuntur, in hoc caput conferamus; nec tamen omnia, quod infinitum sit, sed pauca ex omnibus, vel summa potius omnium capita, «ut tandem aliquando, quod ait Boetius, stultitiam magna latrantem sui pudeat[2].» Prorsus enim stultus, et *insipiens* est non minus qui providentiam non esse, quam qui *non esse Deum dicit in corde suo.* «Quid autem tam stolidum, ait Ambrosius, quam putare, quod Deum quidquam prætereat, cum sol, qui minister luminis est, (sed) etiam abdita penetret, et in fundamenta domus, vel secreta conclavia vis caloris ejus irrumpat[3]?» Magis adeo stultos

Mala conscien provide tiam respui

a Damasc. lib. II *de Fide*. Τὰ γὰρ ἐφ' ἡμῖν οὐ τῆς προνοίας ἐστίν. ἀλλὰ τοῦ ἡμετέρου αὐτεξουσίου.

b Nemes. cap. XLIV. Τῶν δὲ κατὰ πρόνοιαν οὐδὲν ὑποπίπτειν ἀνάγκῃ, πάλαι δέδεικται.

c Ammon. Καὶ διατάττεσθαι ὑπὸ τῶν θεῶν τὰ ἐνδεχόμενα ῥητέον. καὶ ὡρισμένως γινώσκεσθαι αὐτῶν τὴν ἔκβασιν.

d Hierocles. Ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν τῷ κατ' εἶδος σώζεσθαι τὴν ἀρκοῦσαν ἔχει πρόνοιαν. ἡμεῖς δὲ εἰ μὴ καθ' ἕνα ἕκαστον προνοηθησόμεθα, ὥστε μηδὲν ἀλογίστευτον εἶναι τῇ προνοίᾳ τῶν καθ' ἡμᾶς, οὔπω τῆς προσηκούσης τευξόμεθα κηδεμονίας.

1 In *Sent.* Prosp. sent. LVIII. — 2 Lib. III *de Consol.* prosa XII. — 3 Lib. I *Offic.* c. XIV.

esse constabit, qui hoc divinitati decus et ornamentum detrahunt, si cujusmodi sint, et qua de causa id faciant, animadvertere volumus. Nempe scelerati homines sunt, maleque conscii sibi, qui, ut ibidem ait Ambrosius, « Nolunt supra se esse judicem, quem nihil fallat : nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi. » Atenim, quod idem alibi scripsit : « Qui se existimat ab eo, qui omnia videt, non videri; et tenebris credit commissa sua posse celari, umbram prætendit. Sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, et intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta, et profunda descendat[1]. » Quamobrem « imposuistis, ait quidam ex illo genere hominum de providentia conquerens, et contra eam disputans, in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies, et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum[2]? »

II. Ac possunt omnia, quæ ad elevandam providentiæ fidem, humana id est *animalis*, quæ *non sapit quæ Dei sunt*, excogitavit sapientia, duo ad fastigia revocari. Aut enim Dei ipsius causa, aut eorum, quæ quotidie in mundo accidunt, potest esse nulla videri. Sed prior locus explicatu facilis est. Nam vanis, et ineptis ad argumentandum nititur; qualia sunt, quæ apud eumdem Tullium nugatur ex Epicuri disciplina nescio quis, ne sit *laboriosissimus* Deus : « Nisi quietum autem, nihil beatum est. » Proinde « si in ipso mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet, terras et maria contemplans, hominum commoda, vitasque tueatur, næ ille est implicatus molestis negotiis, et operosis[3]. »

iuntur Quod … esset nimis … tiosus.

Sed hanc opinionis dementiam castigat Ammonius philosophus, « et eorum esse dicit, qui quanto intervallo divina cognitio, et vis nostram superet, non intelligunt; et propter hanc inscitiam, ex nostris rebus conjecturam de iis facere, quæ ad Deum pertinent, ac nostram in illum imbecillitatem transferre[a]. » Subjicit solis deinde similitudinem, qui, cum sit corpus, universa tamen, et singula luce complet sua, et ad ima quæque pertinet, nisi si crassum, et opacum alicubi corpus obsistat. At divina vis, cum sit expers corporis, nec obstare quidquam possit, ubique diffunditur, et eodem momento pervadit omnia. Unum tamen est quod beneficam illius efficientiam interpellat, cum nos ad eam excipiendam inepti sumus. Verum ne tum quidem cursus illius interrumpitur. Ut enim qui in sole dormiunt, aut oculos claudunt, etsi ejus splendore non illuminantur, ardorem tamen sentiunt; ita qui pravitate sua providentiæ divinæ benignitatem a se repellunt, severitatem non effugiunt. Hæc eleganter Ammonius, et copiose illo in loco.

Plotinus vero tum idem dicit, tum rationem addit exquisitam, cur negotiosus non sit Deus, quamvis minima quæque procuret. « Nam laborare in opere disponendo nihil aliud esse videtur, quam aliena opera tractare, id est ea, in quæ potestatem non habet. At in iis, quæ quis habet in potestate, et quidem solus, quanam re alia indiget, nisi seipso, et voluntate sua? Hoc autem perinde est, ac suapte prudentia dicere. Qui enim hujusmodi est, huic voluntas ipsa prudentia est. Nihil itaque deest huic ad faciendum, quandoquidem non est ejus aliena prudentia. Sed ipse nulla re adventitia utitur. Ergo neque cognitione neque memoria. Hæc enim adventitia sunt[b]. » Quod argumentum ex Dei natura, ejusque simplicitate ductum est. Cum enim ille sit omne id, quod habet, neque quidquam

a Ammon. in lib. *de Interpr*. Τὸ γὰρ ὑπολαμβάνειν, ὡς ἐργώδη τε, καὶ ἄσχολον ποιοῦμεν τὸν τῶν θεῶν βίον, καὶ* ἄμοιρον τῆς τοῖς θεοῖς μὴ προσηκούσης ἔκφρονος ῥαστώνης, ἐπιμελεῖσθαι τῶν κατὰ μέρος αὐτοὺς ἀποφαινόμενοι, μὴ συνεωρακότων ἐστὶ τὴν ὑπεροχὴν τῆς τῶν θεῶν γνώσεώς τε, καὶ δυνάμεως πρὸς τὴν ἡμετέραν, καὶ διὰ τὴν ἄγνοιαν ταύτην ἀξιούντων ἐκ τῶν περὶ ἡμᾶς τὰ κατὰ τοὺς θεοὺς σταθμᾶσθαι, καὶ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν ἐπ' ἐκείνους μεταφέρειν. ' Quibus in verbis puto legendum ibi, ubi est asteriscus, καὶ οὐκ ἄμοιρον, etc. tum εὔφρονος.

b Plotin. *Enn*. IV, lib. IV, cap. XII. Τὸ γὰρ ἔχειν πράγματα ἦν, ὡς ἔοικε, τὸ ἐπιχειρεῖν ἔργοις ἀλλοτρίοις· τοῦτο δὲ, ὧν μὴ κρατεῖ. ὧν δέ τις κρατεῖ, καὶ μόνος, τίνος ἂν οὗτος δέοιτο, ἢ αὑτοῦ, καὶ τῆς αὑτοῦ βουλήσεως; τοῦτο δὲ ταὐτὸν τῆς αὑτοῦ φρονήσεως. τῷ γὰρ τοιούτῳ ἡ βούλησις, φρόνησις. οὐδενὸς ἄρα δεῖ τῷ τοιούτῳ εἰς τὸ ποιεῖν, ἐπειδὴ, οὐδ' ἡ φρόνησις ἀλλοτρία, ἀλλ' αὐτὸς οὐδενὶ ἐπακτῷ χρώμενος· οὐδὲ λογισμῷ τοίνυν οὐδὲ μνήμῃ. ἐπακτὰ γὰρ ταῦτα.

1 Idem, lib. *de Interp.*, c. II. — 2 Apud. Cic. I *de Nat. Deor.* — 3 *Ibid.*

insit illi multiplex, et adscititium, ac præterea δυνάμει, id est *potentia* nulla constet; sed unus sit ac simplicissimus actus: tam nullius cum præterire cognitio, vel voluntatis de illo decretum, et ordinatio potest, quam nec abesse a se ipse potest. Atque hoc perspicuum est ex secundo præsertim libro hujus operis; tum ex quinto, in quibus de divina simplicitate, tum

Efficientia.

de voluntate et ἐνεργεία, disputavimus. Itaque non est, ut dixi, pluribus in ea re occupandus stilus.

2° Mali existentia et impiorum prosperitas.

III. Locus alter, unde oppugnandæ providentiæ argumentum trahitur, bifariam patet. Nam et quotidiana vitæ hujus incommoda, et tot bonis admista mala quosdam permovent, ut fatali cursu, vel fortuito ferri cuncta potius existiment, quam ratione, ac prudentia gubernari. Et tanta rerum inæqualitas, ut et bonis viris pessima multa, et malis prospera contingant, de recta sententia deduxit aliquos, et in pestilentem errorem, velut in naufragium ac præcipitium impulit. Hanc utramque bonorum virorum querelam sic informat Boetius: «Sed ea ipsa est vel maxima nostri causa mœroris, quod cum rerum bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant.» Tum de altero genere: «At huic aliud majus adjungitur. Nam imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri[1].»

Sed, ut de universo malorum genere procedat oratio, etiam illa, quæ ideo mala dicuntur, quia corporibus cladem ac perniciem afferunt, contra providentiam intentarunt aliqui, «quærentes illud, ut ait Lactantius, cur si Deus omnia hominum causa fecerit, etiam multa contraria, et inimica, et pestifera nobis reperiantur, tam in mari, quam in terra[2].» Quod apud eumdem pressius ita concipit Epi-

2° Malum physicum objicit Epicurus.

curus: «Deus, inquit, aut vult tollere mala, et non potest; aut potest et non vult; aut neque vult, neque potest; aut et vult et potest. Si vult, et non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest et non vult, invidus; quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, et invidus et imbecillis est; ideoque neque Deus. Si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit?» Addit Lactantius, «plerosque philosophorum, qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari solere; et invitos pene adigi, ut Deum nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus.» Qui quidem, ut ait Paulinus, «dicebant, ideo hæc a divina potestate secerni oportere, quia casum magis, quam Deum deceant mala[3].» Lactantius præterea lib. III *Institutionum*, capite XVII, late hunc locum tractavit, quemadmodum Epicurus tanta rerum, tamque inæquali vicissitudine permotus sit, ut providentiam e medio tolleret.

Anim[...] a De[...] creat[...] nega[...] Arnob[...]

IV. Fuit hæc de malis opinio Arnobii, nequaquam auctorem illorum esse Deum. Nec de iis tantum loquor, quæ vere proprieque mala sunt, ut vitia, atque peccata; id enim certissimum est: sed de illis quoque, quæ ab culpa sejuncta, quoniam priorum pœnæ sunt, etiam justi et honesti laude continentur. Ex quo in eum lapsus est errorem, ut hominum animas non ab summo Deo procreatas crederet: «Sed alterum quempiam genitorem his esse dignitatis, et potentiæ gradibus satis plurimis ab imperatore disjunctum; ejus tamen ex aula, et eminentium nobilem sublimitate natalium.» Nam, si a Deo productæ essent animæ, «nihil eis ad perfectionem defuisset virtute perfectissima procreatis:» neque tot in mala descendissent. Et interjectis aliquot, «Sed procul, inquit, hæc abeat, ut eadem rursus, frequentiusque dicamus, tam immanis, et scelerata persuasio, ut ille salus rerum Deus, omnium virtutum caput, benignitatis et columen; atque, ut eum laudibus extollamus humanis, sapientissimus, justus, perfecta omnia faciens, et integritatis suæ conservantia mensiones, aut aliquid fecerit claudum, et quod eminus esset a recto; aut illi rei fuerit miseriarum, aut discriminum causa; aut ipsos actus, quibus vita transigitur et celebratur humana, ordinaverit, jusserit, et a sua fluere constitutione præceperit. Minora hæc illo sunt, et magnitudinis ejus destruentia potestatem; tantumque est, ut longe istarum auctor rerum esse credatur, ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat, quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem, et miseram: qui esse se doleat: qui conditionem suam detestetur, ac lugeat: qui nulla alia de causa sese intelligat

1 Lib. IV *de Consolat.* pros. I. — 2 Lib. *de Ira Dei*, c. XIII. — 3 Epistola XXXVIII.

procreatum, quam ne materiam non haberent, per quam diffunderent se mala, et essent miseri semper: quorum cruciatibus pasceretur nescio quæ latens et humanitati adversa crudelitas[1]. » Hæc Arnobius, quæ vix digna christianismi tirone, ut et alia multa ejusdem operis. Atque illis quidem anteponenda ista sunt Homeri, quæ in libro *de Providentia* secundo Synesius usurpavit :

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει,
Δώρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.

Duo enim dolia posita sunt in Jovis limine
Donorum, cujusmodi dat, malorum unum,
alterum commodorum[1].

V. Nam quibus de causis mala omnia vel oriri permittat, vel etiam velit efficiatque Deus, varie et copiose tam nostri, quam externi disserunt. Synesius in lib. secundo *de Providentia*, rationem ita reddit, ut, in propinquo positis malis, non solum notiora, sed etiam perfectiora fiant bona : quæ hoc modo purgantur, ac veluti defæcantur. « Ideo, inquit, ficus videmus suavissimum esse fructum ; folia vero, corticem, radicem, et truncum, omnia hæc acrioris esse succi. Videtur enim quidquid deterius habet arboris natura, id in iis, quæ non sunt esui, consumere ; quod vero est optimum, id in fructibus merum, ac sincerum relinquere[a]. » Hinc qui hortos colunt, « fragantibus fœtida, amaris dulcia solent adserere ; ut quidquid humoris pravi terræ est admistum, hoc illa naturali quadam ad se cognatione trahentia, sincerum, ac probe defæcatum humorem, halitumque meliorem bonis radicibus relinquant ; quæ est areolæ purgandæ ratio[b]. » Ideo, ut ait Euripides.

alis
ectiora
luntur
...

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ, καὶ κακά.
'Αλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.

Nunquam nascuntur seorsim bona, et mala.
Sed est quædam temperatio : ut recte habeant.

Vide Maxim. Tyrium dissert. xxxv.

Augustinus vero elegantibus perinde id similitudinibus illustrat : « Et divisit, inquit, Deus inter lucem, et tenebras, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente, atque administrante. Sicut in cantando inter positiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis, qui cantare sciunt, et suavitatis universæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt ; ac non specie, sed ordine placent. Nam et vitiorum nostrorum non est auctor Deus ; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram. Quædam ergo et facit Deus, et ordinat, quædam vero tantum ordinat[3]. » Et ut in lib. I *de Ordine* c. VII, scribit : « Ita quasi ex antithetis quodammodo, quod nobis etiam in oratione jucundum est, id est ex contrariis, omnium simul rerum pulchritudo figuratur. »

Illustratur comparationibus.

VI. Addamus Gregorii Nazianzeni affinem iis, et non minus illustrem de hoc argumento sententiam. « Habere ait æquabile quiddam apud Deum illam etiam, quæ videtur, inæqualitatem ; quemadmodum in corpore eminentias, et recessus, magnitudines, et pravitates, terræ tumores, et depressiones, ex quibus pulchritudo mutua inter se habitudine conflatur, et consideratur. Nam et artificis in materia quod perturbatum et inæquale hactenus erat, artificiosissimum erat, cum ad structuram operis alicujus eam præparabat ; quod tunc animadvertimus, et confitemur, cum absolutam effecti operis pulchritudinem intuemur[c]. » Tum, quod idem apte subjicit,

a SYNES. 'Επειδὴ καὶ τῆς συκῆς ὁρῶμεν γλυκύτατον μὲν τὸν καρπὸν, φύλλα δὲ, καὶ φλοιὸν, καὶ ῥίζαν, καὶ πρέμνον, ἅπαντα ὀπωδέστερα. δόξειε γὰρ ἂν ὅσον ἔχει χεῖρον ἡ φύσις τοῦ δένδρου, τοῦτο οὐκ ἐν τοῖς ἐδωδίμοις ὅλον ἐξαναλώσασα, ἀκραιφνὲς καταλιπεῖν ἐν τοῖς ἀκροδρύοις τὸ ἄριστον.

b Ibid. 'Εκεῖνοι τοίνυν ὑπὸ τῆς φύσεως αὐτοδιδαχθέντες, δύσοσμά τε εὐώδεσι καὶ γλυκέα δριμέσι παραφυτεύουσιν· ἵνα ὅσον ἡ γῆ μοχθηρὸν ἔχει συμπεπλεγμένον, τοῦτο τῇ συγγενείᾳ πρὸς ἑαυτὰ σπῶντα, μόνον ἐάσῃ, καὶ ἀπειλικρινημένον ἐν ταῖς βελτίοσι ῥίζαις τὸν χυμόν τε, καὶ τὸν ἀμείνονα. καὶ ἔστι τοῦτο πρασιᾶς καθαρτήριον.

c NAZ. Orat. XVI. 'Εχούσης ὁμαλόν τι παρὰ Θεῷ πάντως καὶ τῆς δοκούσης ἡμῖν ἀνωμαλίας· ὥσπερ ἐν σώματι τὰς ἐξοχὰς τε, καὶ εἰσοχὰς, μεγέθη τε, καὶ μικρότητας, καὶ γῆς ἐπαναστάσεις τε, καὶ ὑφέσεις· ἐξ ὧν τὸ κάλλος τῇ πρὸς ἄλληλα σχέσει συνιστάμενόν τε, καὶ θεωρούμενον. ἐπεὶ καὶ τεχνίτου τὸ περὶ τὴν ὕλην τέως ἄτακτον, καὶ ἀνώμαλον λίαν ἔντεχνον ἦν, ἂν πρός τινος ἔργου κατασκευὴν εὐτρεπίσηται, τότε καὶ ἡμῖν καταλαμβανόμενόν τε, καὶ ὁμολογούμενον. ὅτ' ἂν ἀποτελεσθὲν κάλλος τοῦ δημιουργήματος θεωρήσωμεν.

1 Arnobius II *cont. Gentes*. — 2 Hom. *Iliad.* ω ver. 527. — 3 Aug. lib. *de Gen. ad litt. imperf.* c. v.

«Nos similes nauseantium sumus, et vertigine laborantium, qui inverti, ac moveri omnia putant, cum ipsimet invertantur[a]. » De hac mirifica pugnantium varietate rerum, et sapienti omnium moderatione Prosper in carmine *de Providentia* sic canit :

« Quod vero adversis compugnat condita causis,
Atque aliis alia obsistunt, contraria discors
Omnia motus alit : dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem. »

Mox vero :

« Nec mihi fas dixisse, aliquid non rite creatum,
Aut ullas ausim mundi reprehendere partes,
Cum sator ille operum teneat momenta suorum,
Et carptim varios in totum temperet usus.
Denique quidquid obest, aut causa, aut tempore verso
Prodest, et gemino subsistunt cuncta periclo.
Frigora perpessus solem cupit : ustus ab æstu
Inter Hyperboreas mavult algere pruinas :
Injusto pluviam metuit sub fasce viator,
Quam poscit votis sitienti rusticus agro :
Cæruleos angues timor isti est visere : at illi
Intrepida excoctis oneratur mensa chelydris, etc.

Bonorum et malorum varietas ultra captum rationis humanæ.

VII. Hanc rerum varietatem, et vicissitudinem bonorum, ac malorum, qua divinæ providentiæ administratio distinguitur, recte Nemesius capite XLIV declarat, nec judicii, ac rationis esse probat, ob id, quod non uno modo res eveniunt, nec ad votum omnia cedunt, negare esse providentiam. Ut enim nemo propterea vel mare uspiam esse neget, quod ejus mensuram non assequitur ; vel arenam, quod eam numerare non potest : sic providentiam ob id e medio tollere non oportet, quod ejus effecta, et quasi vestigia comprehendere nequimus. Nam, cum individua formarum omnium numerum, et cogitationem nostram propter infinitatem superent ; unicuique autem adhibeatur a Deo peculiaris, et congruens curatio, præsertim hominibus, quorum sunt mores, studia, instituta, tempora diversa, et innumeræ mutationes prope momentis singulis : necesse est, convenientem cuique providentiæ modum esse multiplicem. « Pronum ad conversionem hoc animal est, ait, et quod pro opportunitatibus, ac temporibus celerrime mutatur. Unde necesse est, congruentem cuique providentiam diversam, et variam, et in multa dispersam, et concurrentem cum eorum, quæ multiplicantur, exæquari copia, quæ comprehensione major est omni. Quod si consentaneam unicuique in re qualibet, et propriam oportet illam esse ; est autem infinita particularium differentia ; erit etiam infinita congruentis illius providentiæ ratio. Si infinita est,nobis erit ignota. Quamobrem par non est, nostram inscitiam ad rerum curæ, ac providentiæ subversionem transferre[b]. » Plura alia ibidem disputat ; interque ista, nos de occultis, et difficillimis istiusmodi rebus, levibus ex argumentis, et conjecturis admodum incertis, et obscuris judicium facere : quod nonnisi temerarium potest esse, si plus illi, quam sit necesse, tribuatur.

Lactantius vero, cur tot malis, et incommodis obsepta sit et infesta vita nostra, erudite atque eleganter disserit ; ideo « proposuisse (Deum homini) bona, et mala, quia sapientiam dedit, cujus omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisquam eligere meliora, et scire quid bonum sit nisi sciat simul rejicere, ac vitare quæ mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrumque tolli sit necesse. Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit sapientia ; et quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem. Ergo, sicut bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset,

a NAZ. Οὐ πόῤῥω τῶν ναυτιώντων ἐσμὲν, καὶ ἰλιγγιώντων, οἵ στρέφεσθαι τὰ πάντα δοκοῦσιν, αὐτοὶ στρεφόμενοι.

b NEMES. cap. LXIV. Ἀγχίστροφον γὰρ τοῦτο τὸ ζῶον, ταῖς χρείαις, καὶ τοῖς καιροῖς ὀξέως συμμεταβαλλόμενον· ἀνάγκη καὶ τὴν ἁρμόζουσαν ἑκάστῳ πρόνοιαν διάφορόν τε, καὶ ποικίλην, καὶ πολυσχιδῆ, καὶ σύνδρομον τῇ τῶν πεπληθυσμένων ἀκαταληψίᾳ συνεκτείνεσθαι· εἰ δὲ πρόσφορον ἑκάστῳ δεῖ καθ' ἕκαστον πρᾶγμα, καὶ οἰκείαν ὑπάρχειν αὐτὴν, ἄπειρος δὲ τῶν κατὰ μέρος ἡ διαφορὰ, ἄπειρος ἅμα καὶ τῆς ἁρμοζούσης αὐτοῦ προνοίας ὁ λόγος. εἰ δὲ ἄπειρος καὶ ἄγνωστος ἡμῖν, οὐ δεῖ τοίνυν τὴν οἰκείαν ἄγνοιαν ἀναίρεσιν ποιεῖσθαι τῆς τῶν ὄντων κηδεμονίας.

sic etiam mala, quæ caveret. Nam, si malum nullum sit, nullum periculum nihil denique, quod lædere hominem possit, tollitur omnis materia sapientiæ, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione, cum quocumque porrexerit manum, id naturæ aptum, et commodum sit[1]? etc.»

Itaque, ut Paulinus scribit, « Omnia Dei facta pulcherrima sunt, et non est malum, quod bonum habet auctorem, qui cuncta per mundum nostris usibus præparavit, et nostris utilitatibus agit, et ita istius universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum, alia ad exercendum, alia ad dominandum creaverit. Itaque corporeis, animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsa potestatis nostræ licentia resolvamur, utiliter exercemur adversis aut spiritibus dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpe elementorum motibus, videlicet ut exagitati curis prudentiæ, et metu divinitatis acuamur[2]. »

...r malos ...omines ...atiatur ...e Deus, ...astratur variis ...mpara- ...onibus.

VIII. Verum illa, quæ in commune posita sunt, et ex æquo omnibus eveniunt, vitæ hujus incommoda, atque ex natura ipsa consequuntur, minus offensionis habent. Illud maxime movet, quod perditos, ac sceleratos homines esse in mundo patitur Deus, et ad bonorum, atque innocentum perniciem impune grassari. Vetus est hæc querela, et crebris ob id, et gravissimis Scripturæ ac Patrum notata sententiis. Sed in illis magis res ipsas, et exempla, quam dicta observare convenit; ex quibus verum esse liqueat, quod his verbis docet Augustinus : « Neque enim Deus ullum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commendaret : atque ita ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. » Et mox : « Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositiones sæculi pulchritudo commendatur[3]. » Hinc liber *Ecclesiastici* : *Contra malum bonum*, inquit, *et contra mortem vita. Sic et contra virum justum peccator; et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo contra duo, et unum contra unum*[a]. Vel, ut habent Græca, *duo duo, unum ex adverso est unius*. Non dissimili ejus, qua utitur sæpius Augustinus, comparatione Theodoretus quoque providentiæ causam defendit adversus obtrectatores Græcos. Nam primum universe diversitatem illam, et inæqualitatem conditionum, ac statuum purgat : ita : « Qui, inquit, varietatem istam, et differentiam moleste ferunt, et stomachantur, quod non omnes eorumdem sumus participes; pictores etiam redarguant, quod non uno colore pingunt, sed variis imagines suas distinguunt; accusent et cithararum artifices simul, et musicos ipsos, quod non æqualem chordæ omnes sonum reddant[b]. » Addit et alia exempla plurima; tum ex libris Plotini testimonia, quos hic de providentia scripsit duos[4]. Ubi et de malis hominibus cum bonis admistis ita Plotinum loquentem inducit : « Nos autem, inquit, illorum esse similes videmur, qui ignari picturæ id accusant, quod pictor non ubique pulchros colores adhibeat, cum tamen ille qui cuique congruebat loco, eum adhibuerit; aut si quis drama reprehendat, quod non omnes in eo sunt heroes; sed est etiam servus, et rusticus, ac vilis quispiam loquens. Atqui pulchrum illud non erit, si deteriores eximas quod ex istis completur[c]. » Quem Plotini locum ex ipsius libro nonnihil castigavimus[5], cum apud Theodoretum mendæ sint aliquæ. Sunt autem in duobus Plotini

a Ecclesiastici, XXXIII, 15. Ἀπέναντι τοῦ κακοῦ τὸ ἀγαθὸν, καὶ ἀπέναντι τοῦ ἁμαρτωλοῦ ὁ εὐσεβής· καὶ οὕτως ἀπέναντι ἀνδρὸς εὐσεβοῦς ὁ ἁμαρτωλός. καὶ οὕτως ἔμβλεψον εἰς πάντα τὰ ἔργα τοῦ Ὑψίστου δύο δύο, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός.

b Theod. lib. IX *cont. Græcos*. Οἱ δὲ τήνδε τὴν διαφορὰν δυσχεραίνοντες, καὶ χαλεπαίνοντες ὅτι μὴ πάντες τῶν αὐτῶν μετεσχήκαμεν, ἐγκαλείτωσαν καὶ τοῖς ζωγράφοις, ὅτι μὴ ἑνὶ χρώματι γράφουσιν, ἀλλ' ἐκ διαφόρων τὰς εἰκόνας δαιδάλλουσι· κατηγορείτωσαν δὲ καὶ τῶν λυροποιῶν· καὶ μέντοι καὶ αὐτῶν γε τῶν μουσικῶν, ὅτι μὴ ἴσην ἀφιᾶσιν ἅπασαι ἠχὴν αἱ χορδαι, etc.

c Plotin. apud Theod. ibid. Ἡμεῖς δὲ, ὥσπερ οἱ ἄπειροι γραφικῆς τέχνης αἰτιῶνται, ὡς οὐ καλὰ χρώματα πανταχοῦ, ὁ δὲ ἄρα τὰ προσήκοντα ἀπέδωκεν ἑκάστῳ τόπῳ· ἢ εἴ τις δρᾶμα μέμφοιτο, ὅτι μὴ πάντες ἥρωες ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ οἰκέτης, καί τις ἄγροικος, καὶ φαῦλος φθεγγόμενος. τὸ δὲ οὐ καλόν ἐστι, εἴ τις τοὺς χείρους ἐξέλοι, καὶ τὸ ἐκ τούτων συμπληρούμενον.

1 Lact. lib. *de Ira Dei*, c. XIII. — 2 Epist. XXXVIII. — 3 Aug. lib. XI *de Civ. Dei*, c. XVIII. — 4 Lib. II et III *Enneadis* tertiæ. — 5 Plot. *Enn.* III, lib. II, c. XI.

libris *de Providentia* ejusdemmodi non pauca, ut Theodoretus adnotat. Cur mali hac in vita tolerentur, vide Chrysostomum homilia XIII in *Matthæum*; et Honorium Augustodunensem [1]; tum Augustinum in tractatu *ad Psalmum* XCIII.

IX. Augustinus præterea libro XI *de Genesi ad litteram*, pluribus rem eamdem pertractat.

Malos esse, utile bonis.

Et capite XI, inter alia, cur malos esse Deus velit, ita rationem reddit : « Cum eos, inquit, vitiis propriis malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit, utilitati deputans eorum, quos in hoc genere ita creavit, ut ad bonum proficere, nisi malorum comparatione, non possent. Si enim non essent, nulli rei utique prodessent. Parumne boni actum est, ut sint qui certe generi illi utiles sunt; quòd genus quisquis non vult, ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit. » Et alibi : « Alios coronat, alios damnat, nusquam errat. Alios probat, de aliis probat, omnes ordinat. Quid faciunt in hoc mundo homines mali? In fornace aurificis palea quid facit [2]? » Tum sermone CX, *de Diversis* : « Nisi Deus antiquioribus sæculis servaret sua patientia peccatores, unde nascerentur hodie tot fideles? Alii mali servantur, ut boni inde nascantur, etc. Quid Diabolo nequius? Et de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam desertoris. » Et capite antecedente : « Sicut enim mali homines male utuntur creaturis bonis; sic creator bonus bene utitur hominibus malis. Novit, quid tamen agat, qui creavit totum genus humanum. Aurifex portat, appendit, aurifex librat. Pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura; et Deus nescit, ubi ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura? »

Sed hæc ab Augustino sæpe alibi disputantur [3]. Quocirca « maleficæ virtutes in mundo divinæ providentiæ usui sunt, » ut recte Synesius ait, qui et causam mox declarat sic : « Postquam igitur mala semel extiterunt, divinæ sapientiæ, et virtutis, et facultatis est, non solum bonum facere (natura enim, ut ita loquar, hæc Dei est, velut ignis calefacere, vel lucis illuminare), sed illud imprimis, per mala ipsa, quæ ab nonnullis excogitata fuerint, bonum aliquem et commodum finem efficere, et ad utilitatem ea quæ videntur mala, referre [a]. »

X. Hanc ipsam sapientiam, quæ in bonum mala convertit, et quæcumque ex omni æternitate futura decrevit, per ea ipsa perficit; quibus homines, vel dæmones disturbare illa conantur, multum ac sæpe prædicant veteres, nec admirandi finem ullum faciunt. Inde, inquit Gregorius Papa, « voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur; quia sæpe et hoc ejus dispositioni apte militat, quod ei per humanum studium frivole resultat [4]. » Atque hoc Josephi Jacobi filii memorabili exemplo probat; cujusmodi et alia sunt in sacris Libris innumerabilia. Sic etiam Basilius Seleuciensis ejusdem exemplo Josephi idipsum adstruit, occulta nescio, et mirabili ratione fieri, ut « quæ Dei consilia impedire moliuntur homines, ea ipsa perficiant; ac quibus modis illa prohibere contendunt, per hæc administrare ista ipsa cernantur, ut et repugnantes simul, et famulantes divinis consiliis arguantur [b]. » Ac solet omnino Deus « iis uti, quæ contraria maxime videntur ad ea peragenda, quæ apud se statuerit, summum inde nobis potentiæ suæ specimen præbens [c]. » Quod Dei proprium esse Plotinus apud Theodoretum docet in eo loco [5], quem supra laudavimus. Legendus Philo apud Eusebium in octavo libro *de Præparatione Evangelica*.

a SYNES. Ep. LVII. Αἱ κακοποιοὶ δυνάμεις ἐν κόσμῳ συντέλουσι μὲν τῇ χρείᾳ τῆς προνοίας.

MOX : Ἐπεὶ δ' οὖν ἅπαξ γέγονε τὰ κακὰ, τῆς θείας σοφίας, καὶ ἀρετῆς, καὶ δυνάμεως ἔργον ἐστὶν, οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν· φύσις γὰρ, ὡς εἰπεῖν, αὕτη θεοῦ, ὡς τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν, καὶ τοῦ φωτὸς τὸ φωτίζειν· ἀλλὰ κᾀκεῖνο μάλιστα, τὸ διὰ κακῶν ἐπινοηθέντων πρὸς τινῶν, ἀγαθόν τι, καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι κακοῖς χρῆσθαι.

b BASIL. SELEUC. Orat. *de Joseph*. Ἵνα ἃ κωλύειν ἐθέλουσιν, ἀνύοντες φαίνωνται· καὶ δι' ὧν ἐπέχειν βιάζονται, διὰ τούτων συνεργοῦντες εὑρίσκονται, ἵνα καὶ πολεμοῦντες ὁμοῦ, καὶ δουλεύοντες ἀπελέγχωνται.

c CHRYS. Hom. IX *in Matth*. Εἴωθε γὰρ ἀεὶ διὰ τῶν ἐναντίων τῆς οἰκονομίας αὐτοῦ πληροῦν, μεγίστην ἐντεῦθεν τῆς αὐτοῦ δυνάμεως παρεχόμενος ἡμῖν ἀπόδειξιν.

1 Tom. IX *Biblioth. Patrum*. — 2 Ser. III *de Dedic*. et est CCLIV *de Temp*. — 3 Lib. XVI *cont. Faust*. cap. XXI et lib. XXII, cap. LXXVIII, LXXIX; et XXII *de Civ*. cap. I. Vide Prosp. ad. cap. XIII *Gallor*. — 4 Lib. VI *Mor*. cap. XII. Vide et lib. IV in cap. I *Reg*. — 5 Lib. VI *cont. Græc*.

XI. His affinis est, et connexa querela mortalium, et expostulatio adversus divinam providentiam, quod et bonis male, et malis bene sæpius accidat. Ex quo affectus ille in bonis viris nascitur, quam νέμεσιν Græci vocant, de quo late Aristoteles disserit in secundo *Rhetoricorum*, et eo definit, quod « propter indignas res adversas, aut secundas stomachamur[a], » hoc est quæ indignis accidunt. Atque hujus testimonia in sacris Libris frequentissima sunt, nec istis querelis crebrius est quidquam in libris *Job*, *Psalmorum*, ac propheticis cæteris; cum quo quisque sanctior est, eo molestius patitur, vexari opprimique similes sui, atque omni calamitatum genere affici : e contrario vero nefarios, et quovis ob scelera supplicio mactandos, florentes et incolumes abundare bonis omnibus, nec ullam propemodum partem capere earum molestiarum, et ægritudinum, quibus vita communis obsidetur. Scripsit hac de re librum Seneca, cum inscriptione hac : *Quare bonis viris mala accidant, cum sit providentia.* Quo in libro trita illa, et omnium fere commentariis, ac disputationibus tractata respondet. Quid autem, nisi vulgare potest, et notum omnibus dici de ea re, quæ sole ipso clarius lucet præsertim iis, quos christianæ veritatis splendor afflavit? Ergo ita disputat, summamque rationum conficit sic. Ista, quæ videntur mala, « primum pro ipsis esse ; » hoc est iis prodesse potius, quam nocere. « Deinde pro universis, » quod exemplis cæteros adjuvant. « Post hæc, volentibus accidere, ac dignos malo esse, si nolint. » Quartum addit, « eadem lege bonis evenire, qua boni sunt[1]. » Hæc præcipua quatuor argumentorum capita, quæ toto deinde libro illustribus et sententiis, et exemplis asserit. Sed ab nostris plenius, ac nervosius ista tractantur, quibus et ad disputandum rationum præsidia firmiora sunt, et ad persuadendum vis major exemplorum, ac testimoniorum suppetit.

Cur mala patiantur justi.

XII. Nemesius in capite XLIV, complures causas recenset, propter quas Deus viros bonos ac sanctos plerumque jactari rebus adversis patitur, quæ ad illas Senecæ quatuor pertinent. Vel ut eorum variis exercita casibus, ac probata virtus illustrior existat, ut in Jobo, Tobia, aliisque contigit, qui in magna sunt patientiæ fama. Vel ut ingens aliquod inde commodum oriatur; quemadmodum Judæorum nefarium facinus ideo permisit, ut ex eo Christi nex, et totius generis salus ac vita sequeretur. Vel ut privatim illis ipsis, qui adversa tolerant, salutaris sit perpessio; sic enim Apostolus, ne tot bonorum successibus insolesceret, a Satana vexatus est. Vel aliæ sunt causæ denique, quas commemorare nimis longum est. Et est alioquin, ut in re vulgata, et protrita argumentorum, ac rationum plus satis. Legi potest Salvianus in libris *de Providentia;* Ambrosius libro I *Officiorum*, capite XII, Junilius Africanus libro secundo *de Partibus divinæ legis*, capite XII, Theodoretus in libris quinque postremis *de Providentia.* Adde Augustinum in *Psal.* XXXVI et CXXXVI, et in primo *de Civitate Dei*, capite VIII ; Gregorium Magnum lib. XIV *Moralium*, capite XXIII et XXIV, et libro XVIII, capite XIII, et libro XXI, cap. IV ; Gaudentium Brixianum, in *Præfatione ad Benevolum*[2]; Eucherium in *Parænesi; Æ*neam Gazæum in *Theophrasto;* imprimis vero Chrysostomum in libris *de Providentia*, et in *Genesim* homilia XXXIII, atque alibi sæpius; et Titum Bostrensem in libro secundo *contra Manichæos*. Sed et Plotinus in libris *de Providentia* duobus; et Philo Judæus de hoc argumento multa et luculenta scripserunt, ex quibus plurima transtulit Eusebius in librum VIII *de Præparatione Evangelica.* Lege insuper Cyrilli tertium librum *adversus Julianum ;* ubi ex gentilibus ipsis divinam in rebus humanis gubernandis sapientiam prædicat, in iis etiam, quæ maxime aliena ratione sunt opinione hominum. Ex his autem memorabile imprimis est, quod ex Chrysippo refert : « Chrysippus Socratem secutus de iis, quæ fiunt, ne dici quidem putabat oportere : Quis scit? sed omnino melius istud fuisse. Nam si administratio fingi nulla potest divina melior, prorsus de his, quæ fiunt, existimandum est sic evenire, ut eveniunt, esse satius[b].» Exstat Chrysippeæ isti

a Arist. II *Rhet.* cap. IX. Τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις κακοπραγίαις, καὶ τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ ταῖς ἀναξίαις εὐπραγίαις.

b Cyr. III *cont. Jul.* Χρύσιππος δὲ ὁ Σωκράτει ἑπόμενος, οὐδὲ τοῖς γινομένοις ἐπιλέγειν ἠξίου τὸ, τίς οἶδεν; ἀλλ' ὅτι πάντως τοῦτο ἦν ἄμεινον, εἰ γὰρ μή ἐστι διοίκησιν βελτίονα τῆς θείας ὑπογράψαι, πάντως τὰ γινόμενα χρὴ νομίζειν, ὅτι οὕτως ἦν ἄμεινον ἔχειν, ὡς ἔχει.

1 Senec. *de Prov.* cap. III. — 2 Tom. II *Biblioth. Patrum.*

sententiæ similis quædam Titi Bostrensis ex libro *de Providentia* apud Joannem Damascenum in *Eclogis*, quam hic adscribam : « Non oportebat, inquit, ut videtur, pervia omnibus esse divinorum operum argumenta; neque sermone, ac comprehensione omni majorem mentem penitus esse manifestam hominibus : quandoquidem regis etiam hominis, et magistratus interdum pleraque sunt occulta consilia adeo, ut quod geritur, obscurum sit qua ratione geratur. Quocirca mirum non est, si homines non omnino capiunt rationem divinæ administrationis, quibus conveniens est, absque ulla curiositate cedere, ac quiete sese continere, nec inexplicabili gubernationi illi resistere. Etenim sæpenumero, ne in artificem quidem, velut architectum, aut navium ædificatorem, aut ærarium fabrum artis suæ peritum curiose inquirimus, qui singula opera consentanee molitur, cum illorum experientiæ fidamus[a]. » Sic *Catena Græca in Psalmos.*

CAPUT VI.

De nominibus Dei, ac primum universe de impositione nominum, quam sapienti Plato, imo diis attribuit, nos Adamo, ac Deo vero defendimus. An nomina rerum naturas exprimant. Aristotelis locus, in quo voces signa, et notas esse rerum ait; notiones autem esse imagines. Deum nomen habere nullum, multi veteres dixere tam gentiles, quam christiani : cujus affertur ratio. Quibusdam tamen nominibus congrue appellari ex effectis, et divinis emanationibus. Variæ divisiones nominum divinorum.

I. Postremum inter attributas Deo proprietates assignamus locum ei, quod τὸ ὀνομαστὸν vel κλητὸν Græce, Latine *nominabile*, vel *appellabile* vocare licet. Hoc enim universe rei cuilibet, ac τῷ ὄντι convenit; quia *ens* omne eo ipso quod est, et non est nihil, intelligi potest, et interiore mentis notitia percipi : cujus interpres est vox, et dictio. Itaque dici, ac nominari posse tam proprietas esse τοῦ ὄντος videtur, quam intelligi. Ac propterea, uti perfecte res animo percipere, sic eas propriis definire nominibus jure dicitur esse sapientis. Quod apud Platonem in *Cratylo* disputat Socrates, et « nominum impositionem non vilium, nec quorumcumque esse dicit hominum; ac vere, inquit, dictum est a Cratylo, natura convenire nomina rebus : neque quemlibet artificem esse nominum : sed eum solum, qui in illud nomen ea intueatur, quod unaquæque res habet a natura, et qui ejus speciem in litteras syllabasque possit includere[b]. » Tum eo postea progreditur, ut primigenia vocabula ab diis inventa, et rebus indita fuisse, ob idque recte habere sentiat[c]. Et omnino legendus de hac re Alcinous capite IV. Nos autem non a diis, qui nulli sunt, sed ab uno veroque Deo, hoc est omnium sapientissimo, ac fonte, et auctore sapientiæ prima fluxisse nomina rerum merito dixerimus; cujus instinctu afflatuque primus homo imposuisse illa legitur præcipuis mundi partibus, hoc est animantibus[1], quod etiam de stirpibus, ac cæteris, quibus communis vita juvatur, facile credimus. Siquidem, uti nemo fuit illo sapientior, ita nemo magis ad res appellandas idoneus adhiberi potuit.

Enti.

A Deo prim. fluxere nomina.

II. Hinc Philo Judæus in libro *de Cherubimis*, « reliquum vulgus ait hominum rebus imponere nomina ab ipsis diversa rebus, ut aliud ipsæ sint, aliud sonent earum vocabula. Apud Mosem vero nominum impositiones evidentias esse rerum, quæ eas quam perfectissime declarant : adeo, ut ipsamet res

a Titus in *Ecl. Dam.* lit. K. tit. XXII. Οὐκ ἐχρῆν, ὡς ἔοικεν, βατὰ τοῖς πᾶσιν ὑπάρχειν τοῦ Θεοῦ τὰ τεκμήρια, καὶ τὸν ἄῤῥητον, καὶ ἀκατάληπτον νοῦν πάντη γνώριμον εἶναι ἀντρώποις· ὅπου γε καὶ βασιλέως ἀνθρώπου, καὶ ἄρχοντος ἔστιν ὅτε τὰ πλεῖστα τῶν βουλευμάτων κρύπτεται, ὡς καὶ τὸ πραττόμενον ἄδηλον εἶναι ὅτῳ λόγῳ πράττεται. οὐ τοίνυν γε θαῦμα εἰ ἄνθρωποι μὴ χωροῦσιν ὅλως τῆς διοικήσεως τοῦ Θεοῦ τὸν λόγον. οἷς ἁρμόττει καὶ δίχα τοῦ πολυπραγμονεῖν, καὶ ὑπείκειν τε, καὶ ἡσυχάζειν, καὶ ἥκιστα ἀνταίρειν κατὰ τῆς ἀῤῥήτου διοικήσεως. πολλάκις γὰρ οὐδὲ τεχνίτην, εἴτουν οἰκοδομίας, ἢ ναυπηγίας, ἢ χαλκευτικῆς ἔμπειρον οἰδούμενοι περιεργαζόμεθα ποιοῦντά γε τὸ οἰκεῖον ἕκαστον, ἀλλὰ τῇ πείρᾳ καταπιστεύσαντες.

b Plato. *Crat.* Κινδυνεύει ἄρα, ὦ Ἑρμόγενες, εἶναι οὐ φαῦλον, ὡς σὺ οἴει, ἡ τοῦ ὀνόματος θέσις, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν, οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων. καὶ Κρατύλος ἀληθῆ λέγει, λέγων φύσει τὰ ὀνόματα εἶναι τοῖς πράγμασι, καὶ οὐ πάντα δημιουργὸν ὀνομάτων εἶναι· ἀλλὰ μόνον ἐκεῖνον τὸν ἀποβλέποντα εἰς τὸ τῇ φύσει ὄνομα ὂν ἑκάστῳ, καὶ δυνάμενον αὐτοῦ τό γε εἶδος τιθέναι εἴς τε τὰ γράμματα, καὶ τὰς συλλαβάς.

c Ibid. Ὅτι τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν, καὶ διὰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει.

1 *Gen.* II, 20.

necessario sit nomen, et ab eo, cui hoc imponitur, nullo modo discrepet [a]. » Quibus uterque in locis, Plato ac Philo quæstionem illam attigere neque novam, neque ignobilem : utrum nomina rerum naturas, an solas earum proprietates significent : quod de primis, maximeque propriis præsertim intelligitur, ut ea Cyrillus vocat Alexandrinus, qui in libro *Thesauri* decimo nono, « nomina, præsertim illa, quæ prima sunt, maximeque propria, substantias rerum significandi vim habere [b] » scribit. Ac videtur id esse consentaneum nominum institutioni et origini. Nam vocibus tanquam rerum vicariis uti nos natura docuit. « Etenim, quia fieri non potest, ut inter disserendum res in medium afferamus, ac nominibus vice rerum utimur tanquam signis ; ideo quod in nominibus accidit, id etiam ipsis in rebus putamus accidere, quemadmodum iis usuvenit, qui in supputandis rationibus calculos adhibent [c], » ait Aristoteles. Qui quod monet, sophistas in nominibus insidias facere, dum quod inest vocibus, id ad res ipsas transferunt ; declararunt Aetii, et Eunomii multiplices calliditates, et astutiæ, quarum vis omnis erat in vocabulis. E quibus unam hic referam, quæ ad præsens negotium facit ; nam cæteras suo loco tractabimus [1].

Prima nomina substantias rerum exprimunt.

III. Cum igitur, ut Cyrillus Alexandrinus exponit, Filium Dei λόγον, id est *Verbum* appellari videret, ex eoque catholicos argumentari, similem in omnibus, et æqualem illum esse Patri, utpote hujus imaginem expressam, ac cætera, quæ ex Verbi notione consectaria sunt ; ut hoc declinaret Eunomius, ad solitas confugit artes. « Nomina dixit imposita rebus ab his esse diversa. Ecce enim cœlum quod vocatur, Dei opus est tam ingens, et eximium ; at nomen ipsum, quo significatur, ab illo diversum est. Quippe cœlum res est aspectabilis : nomen vero, quod significando illi est impositum, non oculis subjicitur, sed solo auditu percipitur. Quare non idcirco, quia Filius dicitur Verbum, idipsum est, quod nonnulli cogitant ; sed ita Verbum nominatur, ut aliud quippiam natura suapte sit [d]. » Quam argutulam ineptiam ex illo fonte sophistices exortam, quem designat Aristoteles, Cyrillus irridet, ac refellit asserens, « Nomina proprie rebus indita earum significare substantias, licet ab his diversa sint. Sicut vox, homo, naturam hominis significat, et est tamen quiddam ab eo diversum [e]. » Quare solam nominis attendendam esse significationem, non ipsum per se nomen ait Cyrillus.

Sic etiam Titus Bostrensis in primo libro *contra Manichæos* illam nominum potestatem commendat, « Quorum, inquit, eadem sunt nomina, et eadem descriptio, horum substantia quomodo contraria, aut pugnans esse potest? Siquidem nomina res significant. Dicitur enim de unoquoque, quod unumquodque est, ut esse potest. Itaque cognoscimus, vim nominum esse res [2]. »

IV. Quid igitur ? utrum nomina res natura ipsa significare concedemus Platoni ? aut hoc Aetio [3], et Eunomio dabimus, eum, qui, quod nomini alicui rei proprio subjicitur intelligat, rei naturam, et essentiam nosse perfecte ? aut illud, quorum diversæ sunt appellationes, ea natura esse diversa [3] ? Neutrum quidem, si sapimus. Etenim sic nomina rerum significare substantiam asserimus, ut nec eam perfecte, et ut in se est, exprimant ; neque cum tota amplitudine illius adæquentur. Ac naturam

Nomina imperfecte rerum naturas repræsentant.

a Philo, pag. 117 edit. Patr. Græco-Lat. Ὁ μὲν ἄλλος ἅπας ἀνθρώπων ὅμιλος ὀνόματα τίθεται πράγμασι διαφέροντα τῶν πράγματων, ὡς ἕτερα μὲν εἶναι τὰ τυγχάνοντα, ἑτέρας δὲ κλήσεις τὰς ἐπ' αὐτοῖς· παρὰ Μωσεῖ δὲ αἱ τῶν ὀνομάτων θέσεις ἐνέργειαι πραγμάτων εἰσίν ἐμφαντικώταται, ὡς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ἐξ ἀνάγκης εἶναι τοὔνομα. καὶ καθ' οὗ τίθεται διαφέρειν μηδὲν.

b Cyril. Σημαντικὰ μὲν τὰ ὀνόματα τῶν οὐσιῶν ἐστι, τὰ πρῶτα δὴ μάλιστα, καὶ τὰ κυριώτατα.

c Arist. *de Elench.* cap. i. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἔστιν αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας, ἀλλὰ τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα συμβόλοις, τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τῶν ὀνομάτων, καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἡγούμεθα συμβαίνειν, καθάπερ ἐπὶ τῶν ψήφων τοῖς λογιζομένοις.

d Eunom. apud Cyril. lib. XIX *Thes.* Καὶ τίς οὕτω, φησὶν, ἀμάθης ὡς τολμῆσαι λέγειν τὰ ὀνόματα κατὰ πραγμάτων κείμενα, μὴ ἕτερα εἶναι παρ' αὐτά ; ἰδοὺ γὰρ, ὁ μὲν οὐρανὸς, ἔργον οὕτω μέγα καὶ ἐξαίρετον θεοῦ· τὸ δὲ ὄνομα, δι' οὗ σημαίνεται, ἕτερόν ἐστι παρ' αὐτόν· ὁ μὲν γὰρ οὐρανὸς πρᾶγμά ἐστιν ὁρατὸν· τὸ δὲ ἐπ' αὐτῷ κείμενον ὄνομα οὐ ταῖς ὄψεσιν ὑποπίπτει, ἀλλ' ἔστι μόνον ἀκουστόν· οὐκ οὖν διὰ τὸ λέγεσθαι λόγος ὁ υἱὸς, καὶ πάντως ἐστὶ τοῦτο, ὃ νοοῦσί τινες, ἀλλὰ καλεῖται μὲν λόγος, ἔστι δὲ ἕτερον τι κατὰ φύσιν.

e Cyril. ibid. Εἰ μὴ τὰ ὀνόματα κυρίως κατὰ πραγμάτων κείμενα τὰς οὐσίας αὐτῶν σημαίνει, κἂν ἕτερα παρὰ ταῦτα τυγχάνῃ. καὶ γοῦν τὸ ἄνθρωπος ὄνομα σημαίνει μὲν τοῦ ἀνθρώπου τὴν φύσιν, ἕτερον δέ τι ἐστὶ παρ' αὐτόν.

1 Lib. V *de Trin.*, c. i et seq. — 2 Tom. IV *Biblioth. Patrum.* — 3 Vide lib. V *de Trin.* c. iii. — 4 Vide libr. II *de Trin.* c. v, n. 14.

quidem, et substantiam ipsam rerum significare nomina, satis eorum institutio, et origo demonstrat. Nam ex hominum consensu et voluntate imposita sunt ad res ipsas quodammodo repræsentandas, id est exhibendas. Qui enim rem appellat aliquam, is rem ipsam, ejusque substantiam essentia, et natura sua constantem designare vult, et hanc, quoad potest licetque, ponit in medio, quoquo id tandem modo facit; hoc est sive vocibus, earumque sonis utitur rerum affectionem ac conditionem imitantibus, ut aspera scabris, et asperis, lenia suavibus et mite quiddam sonantibus subjiciat; sive hoc simpliciter, nec affectato strepitu, aut similitudine ista consequi studet. Quorum prius adeo Platonem delectat in *Cratylo,* de quo paulo ante monui, ut non solum nomina integra, sed etiam litteras ipsas, quibus ea constant, ad illam exigat exprimendi, et imitandi diligentiam. Quanam porro ratione rerum substantiam vocabula significent, scire, ac notare interest ex iis, quæ initio libri *de Interpretatione* tradit Aristoteles, adjuncto et hujus præstantissimo interprete Ammonio. Est enim non inutilis, imo vero ad theologicas certas quæstiones necessaria ista contemplatio.

V. Aristotelis verba sunt : « Quæ sunt in voce, sunt notæ, ac velut tesseræ affectionum; et quæ scribuntur, eorum, quæ sunt in voce. Atque, ut litteræ non sunt apud omnes eædem; ita nec voces sunt eædem. Sed affectiones animi, quarum hæc primum sunt signa, eædem sunt apud omnes; et quarum affectiones istæ simulacra sunt, res etiam sunt eædem [a]. » Hic Aristoteles *affectiones animi,* quæ sunt παθήματα, *notiones* appellat, id est νοήματα, ut interpretatur Ammonius; qui et istud adnotat, Aristotelem « notiones vocare similitudines rerum; at voces non itidem nominare similitudines notionum, sed notas, ac velut tesseras; quemadmodum et vocum, litteras. Porro differt a nota simulacrum, quod simulacrum naturam ipsam rei, quoad potest, tanquam effigie quadam studet exprimere : neque in nostra potestate situm est, illud immutare [b]. » Nisi enim, verbi gratia, Socratis effigies picta caput habeat calvum, simas nares, et prominentes oculos, quæ omnia erant in Socrate, hujus similitudo non constabit. « At vero nota, vel signum (utroque enim vocabulo rem eamdem significat philosophus) quidquid in se habet, totum hoc in voluntate nostra est situm, utpote quod sola nostra ex cogitatione consistit. » Uti prælii signum dat tuba, vel, ut olim, facis injectio; de qua poeta,

« Princeps ardentem conjecit lampada Tur-
[nus. »

Possunt tamen homines alia pro his signa constituere, quemadmodum et hoc posterius immutatum est.

Igitur voces non habent ipsæ quidem similitudinem rerum, nec earum naturam, et essentiam referunt, uti notiones, quæ illarum imagines dicuntur. Sed sunt notionum velut tesseræ, ac rerum adeo; quarum naturas non repræsentant, sed significant, proque iis in usum hominum cedunt. Nam, dum voces, et nomina pro rebus, et earum imaginibus usurpamus, hoc est pro rebus, quatenus eas mente capimus, et intelligimus; hoc, opinor, volumus, res ipsas, ut in se sunt, et earum naturas tum eloqui ipsi, tum aliis intelligendas afferre. Atque hoc sensu nomina dicuntur naturas significare rerum; sed eatenus, ut eas intelligendo capimus, quod perfecte non facimus. Ideo vocabulis ipsis, eorumque notionibus inest semper aliquid minus proprium, et eo tolerandum, quod aliter appellare nequimus ignotas per sese res, et ex effectis tantummodo cognitas, imo levi, et ea quidem aliena notitia perstrictas.

VI. Etenim « homines, ut recte scribit Alcinous, tanquam affectionibus oppleti sensuum, ita ut, cum intelligibile quippiam mente percipere student, semper aliquid sensibile in phantasia sua admistum habeant; ac

a Arist. cap. i. *de Interpr.* Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ· καὶ ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτὰ, οὕτως οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί. ὧν μέν τοι ταῦτα σημεῖα πρώτως, τὰ αὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς καὶ ὧν ταῦτα ὁμοιώματα, πράγματα ἤδη τὰ αὐτά.

b Ammon. Τούτων οὖν τὰ μὲν νοήματα ὁμοιώματα καλεῖ τῶν πραγμάτων, τὰς δέ γε φώνας, οὐκ ἀξιοῖ καλεῖν ὁμοιώματα τῶν νοημάτων, ἀλλὰ σύμβολα, καὶ σημεῖα· καὶ τὰ γράμματα, τῶν φωνῶν ὡσαύτως. διαφέρει δὲ τὸ ὁμοίωμα συμβόλου, καθόσον τὸ μὲν ὁμοίωμα τὴν φύσιν αὐτὴν τοῦ πράγματος κατὰ τὸ δυνατὸν ἀπεικονίζεσθαι βούλεται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐφ' ἡμῖν αὐτὸ μεταπλάσαι, etc. τὸ δέ γε σύμβολον, ἤτοι σημεῖον· ἀμφότερα γὰρ ὁ φιλόσοφος αὐτὸ ὀνομάζει· τὸ ὅλον ἐφ' ἡμῖν ἔχει, ἅτε καὶ ἐκ μόνης ὑφιστάμενον τῆς ἡμετέρας ἐπινοίας.

magnitudinem una sæpius cogitent, et figuram, et colorem; neutiquam sincere intelligibilia percipiunt[a]. »

Ut autem ab universi contemplatione generis transeamus ad propositam de Dei nominibus quæstionem, id ante omnia considerandum venit, quatenus sub appellationem cadat Deus ejusmodi, quæ naturam illius significet. De quo non tam sentire diversa, quam loqui veteres animadvertimus. Sunt enim qui Deo nomen imponi posse nullum arbitrentur, etiam gentiles, nedum christiani, qui, quo plura de illo, ac certiora norunt, eo magis humana tum intelligentia, tum voce comprehendi non posse perspectum habent.

Deus ineffabilis juxta Platonicos.

Platonici quidem Deum ἄῤῥητον, id est, *ineffabilem* esse dixerunt, ut Alcinous, et Maximus Tyrius ex Platonis sententia referunt. « Hujus, inquit Maximus de summo Deo Platonico loquens, nomen neutiquam eloquitur[b]. » Et mox, « Divinum nomen, ait, oculis minime aspectabile, voce inexplicabile[c]. » Et in calce orationis XXXVIII, vocat illum « Legislatorem nomine carentem, voce ineffabilem, nec oculis aspectabilem[d]. »

Plotinus vero « reipsa ait esse ineffabilem, neque nomen ullum habere. Quidquid enim dixeris, aliquid tandem dices. Sed enim quod est supra omnia, supraque mentem augustissimam, inter omnia solum est verum, nec ullum aliud ipsius est nomen; neque aliquid est omnium, nec ipsius nomen est, quia nihil de ipso dicitur. Sed nos, quoad possumus, nonnihil de illo significare conamur[e]. » Et alibi idcirco nominari negat posse, quia nihil est certi, ac determinati, cum sit omnium principium. « Quoniam ergo nihil est eorum, solum id dicetur, esse supra omnia. Hæc autem sunt entia, et ens. Illud igitur ente superius. Quod enim est supra ens, non dicit hoc aliquid; neque enim ponit aliquid, neque nomen illius dicit, sed affert solum hoc ipsum, non est hoc. Id autem faciens neutiquam comprehendit ipsum. Ridiculum est enim velle immensam illam comprehendere naturam[f]. » Hæc vera est ratio, cur nullum proprium Deo nomen imponi queat, quia nullo in certo rerum genere consistit, neque comprehendi, ac circumscribi, sive determinari potest. Nomen autem certa rei definitio est. Propterea Mercurius ille ad Tatium, apud Stobæum, « Deum, inquit, cogitare difficile est, eloqui vero impossibile[g]. » Quod planus iste ex *Timæo* Platonis imitatus est, qui sic scribit : « Igitur conditorem, et parentem universitatis hujus cum invenire difficile est, tum, ubi inveneris, eloqui impossibile[h]. »

VII. Cum gentiles ista philosophi de summo Deo perhibuerint, nemo mirabitur, Judæum hominem Philonem eadem, quæ sacris e Libris didicerat, de illo tradidisse. Atque hujus istud est eximium in libro *de Nominum commutatione*, sub initium, ubi de cognitione : « Unde, inquit, rationi consentaneum erat, nullum ei proprium nomen imponi posse, quod revera est. Nonne vides, quemadmodum Prophetæ rei veritatem studiosius inquirenti, quidnam nomen illius quærentibus respondere oporteret, ita est locutus? *Ego sum, qui sum*, tanquam diceret: *Natura mea est esse, non dici*[i]. » Et in libro *de Legatione ad Caium*, negat posse sermonem nostrum « propriis nominibus, velut gradibus niti ad declarandum illum,

a Alcin. cap. x. Ἄνθρωποι μὲν δὴ, ἅτε τοῦ τῆς αἰσθήσεως πάθους ἐμπιπλάμενοι, ὥστε καὶ ὁπότε νοεῖν προαιροῖντό τι νοητὸν, ἐμφανταζόμενον ἔχειν τὸ αἰσθητὸν, ὡς καί μέγεθος συνεπινοεῖν, καὶ σχῆμα, καὶ χρῶμα, πολλάκις, οὐ καθαρῶς τὰ νοητὰ νοοῦσι.

b Maxim. Tyr. Orat. i. Τούτου ὄνομα μὲν οὐ λέγει.

c Ibid. Τὸ δὲ θεῖον αὐτὸ ἀόρατον ὀφθαλμοῖς, ἄῤῥητον φωνῇ.

d Idem, Orat. xxxviii. Ἀνώνυμος νομοθέτης, καὶ ἄῤῥητος φωνῇ, καὶ ἀόρατος ὀφθαλμοῖς.

e Plotin. *Enn.* V, lib. III, cap. xiii. Διὸ καὶ ἄῤῥητον τῇ ἀληθείᾳ. ὅ, τι γὰρ ἂν εἴπῃς, τί ἐρεῖς. ἀλλὰ τὸ ἐπέκεινα πάντως, καὶ ἐπέκεινα τοῦ σεμνοτάτου, νοῦ, ἐν τοῖς πᾶσι μόνον ἀληθὲς, οὐκ ὄνομα ὂν αὐτοῦ ἀλλό τι· οὔτε τι τῶν πάντων· οὔτε ὄνομα αὐτοῦ· ὅτι μηδὲν κατ' αὐτοῦ· ἀλλ' ὡς ἐνδέχεται ἡμῖν αὐτοῖς σημαίνειν, ἐπιχειροῦμεν περὶ αὐτοῦ.

f Idem, lib. V, cap. vi. Οὐδὲν δὲ τούτων ὂν μόνον ἂν λέγοιτο ἐπέκεινα πάντων. ταῦτα δὲ τὰ ὄντα, καὶ τὸ ὄν. ἐπέκεινα ἄρα ὄντος. τὸ γὰρ ἐπέκεινα ὄντος, οὐ τόδε λέγει· οὐ γὰρ τίθησιν. οὐδὲ ὄνομα αὐτοῦ λέγει· ἀλλὰ φέρει μόνον τὸ, οὐ τοῦτο. τοῦτο δὲ ποιῶν οὐδαμοῦ αὐτὸ περιλαμβάνει. γελοῖον γὰρ ζητεῖν ἐκείνην τὴν ἄπλετον φύσιν περιλαμβάνειν.

g Mercur. Θεὸν μὲν νοῆσαι χαλεπόν· φράσαι δὲ ἀδύνατον.

h Plato *Tim.* Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν, καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν.

i Philo *de Nom. comm.* Ἦν οὖν ἀκόλουθον τὸ, μηδ' ὄνομα κύριον ἐπιφημισθῆναι δύνασθαι τῷ ὄντι πρὸς ἀλήθειαν. οὐχ ὁρᾷς ὅτι φιλοπευστοῦντι πρὸς ἀλήθειαν τῷ Προφήτῃ, τί τοῖς περὶ ὀνόματος αὐτοῦ ζητοῦσιν ἀποκριτέον, φησίν· ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ὤν· ἴσον τῷ εἶναι πέφυκα, οὐ λέγεσθαι;

qui est ; ac ne cœlum quidem universum, si in articulatam vocem verteretur, idonea, et congrua vocabula reperturum[a]. »

Ex nostris Justinus martyr in *Apologia* priore « nomen universorum Patri ingenito nullum impositum esse dicit. Siquidem, quocumque tandem appellatur nomine, antiquiorem seipso habeat oportet eum, qui nomen imposuerit[b]. » Clemens Alexandrinus causam etiam reddit hanc, cur nominari, aut efferri sermone nequeat, quod nihil definite determinateque sit, « ac neque genus, neque differentia sit, neque species, neque individuum, neque numerus ; sed nec accidens , neque subjectum accidenti[c]. » Qui et in VII *Stromateon*, « Omne, inquit, quod sub nomen cadit, creatum est[d]. »

Gregorius quoque Nyssenus in libro XIII *contra Eunomium* hoc argumentum latius prosequitur, nominum aucupem, et cavillatorem hæreticum exagitans. Ac sola illa, quæ « cognita sunt nobis, nominum appellationibus exprimi ait ; quæ autem cognitionem nostram superant, nullis vocabulis comprehendi. Quomodo enim nota aliqua discernere potest id quod penitus est ignotum[c]? » Et, ut ait Didymus, « Humanæ dictiones Dei essentiam interpretari nequeunt[1]. »

VIII. Novatianus in libro *de Trinitate*, capite IV : « Nomen Dei proprium edici non posse, quoniam non potest nec concipi. Id enim nomine continetur, quidquid etiam ex naturæ suæ conditione comprehenditur. Nomen enim significantia est ejus rei, quæ comprehendi potuit ex nomine. At quando id, de quo agitur, tale est, ut condigne nec ipsis intellectibus colligatur, quomodo appellationis digne vocabulo pronuntiabitur? » Quamobrem cum « unus sit hominis intellectus de Dei natura, si scias, et sentias, nihil de illo posse mortali oratione depromi, » ut scribit Arnobius[2], consequens est nec posse nominari. « Quid est enim nomen, ait Ambrosius, nisi quo proprie unusquisque significatur, quod ei non sit commune cum cæteris[3] ? » At nihil de Deo, nisi ex creatis rebus percipimus. Quare communes cum his appellationes oportet esse, quas in illum conferimus, non proprias ; adeoque nec nomina,

Eamdem ob causam Justinus Martyr in *Cohortatione ad Græcos*, « Fieri posse negat, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur. Etenim nomina ad designationem, et distinctionem subjectarum rerum imponuntur, quæ multæ diversæque sunt[f]. » Et in *Apologia* priore, « Nomen, inquit, universorum parenti, qui ingenitus est, nullum est impositum[g]. » Et in *Apologia* posteriore, « Nomen , inquit , ineffabili Deo nemo potest imponere. Quod si quis ullum inesse audebit dicere, is intemperanter insanus est[h]. »

Dionysius item in primo capite libri *de Divinis nominibus* accurate id docet, Deum et ἀνώνυμον esse, et πολυώνυμον, hoc est et *nomine carere*, nempe proprio, et *multa simul habere*, sed non propria. Et ex Trismegisto Lactantius : « Deo igitur nomen non est, quia solus est, nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo ; ut unamquamque personam sua nota, et appellatione designes[4]. Deo autem , quia semper unus est, proprium nomen est Deus. » Deus Anonymi et polynomi

Longius etiam procedit Gregorius Nazianze-

a Philo in *Legat.* Οὐ γὰρ φθάνει προσαναβαίνειν ὁ λόγος ἐπὶ τὸν ἄψαυστον καὶ ἀναφῆ πάντη θεόν· ἀλλ' ὑπονοστεῖ, καὶ ἀποῤῥεῖ κυρίοις ὀνόμασιν ἀδυνατῶν ἐπιβάθρα χρῆσθαι πρὸς δήλωσιν· οὐ λέγω τοῦ ὄντος. οὐδὲ γὰρ ὁ σύμπας οὐρανὸς ἔναρθρος φωνὴ γενόμενος, εὐθυβόλων, καὶ εὐσκόπων εἰς τούτο ἂν εὐποροίη ῥημάτων.

b Justin. Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θετὸν ἀγεννήτῳ ὄντι οὐκ ἔστιν. ᾧ γάρ ἂν καὶ ὀνόματι προσαγορέυηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα.

c Clem. V *Strom.* Πῶς γὰρ ἂν εἴη ῥητὸν, ὃ μήτε γένος ἐστὶ, μήτε διαφορὰ, μήτε εἶδος, μήτε ἄτομον, μήτε ἀριθμός· ἀλλὰ μήτε συμβέβηκός τι, μηδὲ ᾧ συμβέβηκέν τι ;

d Clemens Alex. Πᾶν τοίνυν ὁ ὑπὸ ὄνομα πίπτει, γενητόν.

e Greg. Nyss. XII *cont. Eunom.* Ἐπειδὴ τοίνυν μόνα τὰ γινωσκόμενα διὰ τῆς ὀνοματικῆς σημειούμεθα κλήσεως· τὰ δὲ ὑπὲρ τὴν γνῶσιν ὄντα, σημειωτικαῖς τισι προσηγορίαις, διαλαμβάνειν οὐχ οἷόν τε· πῶς γὰρ ἄν τις τὸ ἀγνοούμενον σημειώσαιτο.

f Justin. *cont. Græc.* Οὐδὲν γὰρ ὄνομα ἐπὶ θεοῦ κυριολογεῖσθαι δυνατόν. τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν, καὶ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων, πολλῶν καὶ διαφόρων ὄντων.

g Just. Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θετὸν ἀγεννήτῳ ὄντι, οὐκ ἔστιν.

h Idem, *Apol.* II. Ὄνομα γὰρ τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ οὐδεὶς ἔχει εἰπεῖν. εἰ δέ τις τολμήσειεν εἶναι λέγειν, μέμηνε τὴν ἄσωτον μανίαν.

1 Apud Dam. lib. I *Paral.* c. III ubi alia de eadem re habet testimonia. — 2 Lib. III. — 3 In *Psal.* XLIII. tom. II col. 785. — 4 Lact. lib. I c. VI.

nus [a], qui non solum Deo, sed etiam rei spirituali nulli proprium nomen tribui posse confirmat; quod ea videri a nobis, aut ullis percipi sensibus nequeat. Quare multo minus Deo nomen proprium convenit, qui etsi ne menti quidem, ut in se est, cogitari possit, « verius tamen cogitatur, quam dicitur [1], » ut ait Ambrosius. Angelis certe, atque animæ ipsi nullum affingi posse proprium nomen ait Chrysostomus homilia secunda in caput primum *ad Hebræos*.

IX. Verum, cum per se proprium nullum nomen affingi Deo possit, quod ejus naturam declaret, « quia nihil digne de Deo humanus sermo dicit [2] », ait Isidorus Hispalensis; « tamen, cum de illo nihil digne dici possit, ut inquit Augustinus, admisit humanæ vocis obsequium, et verbis nostris in sua laude gaudere nos voluit [3]. » Origines vero libro sexto *contra Celsum*, quod Epicureus impostor ille dixerat, « Deum non esse τὸ ὀνομαστὸν, id est, *nominabilem*,» ut sic loquar, « distinctione opus esse scribit. Si enim eo sensu intelligitur, nihil ut in dictionibus, aut rebus significatis positum Dei proprietates exprimere possit, vere illud est dictum, etc. Sin ita nominari posse accipis, quatenus possumus nominibus quippiam, quod ad eum pertinet, exhibere, ut auditorem velut manu deducat, et de Deo nonnulla cogitare faciat, qualia potest hominis natura consequi, nihil absurdi est, si nominabilem illum esse dicamus [b]. »

Quæcumque ergo Dei nomina sive in Scripturis tradita sunt, sive ab hominibus excogitata, non ipsam, cujusmodi in se est, naturam illius significant, sed aliquid eorum, quæ circa illam sunt, ut ait Gregorius Nyssenus [c], qui et idcirco Eunomianos irridet, acriterque refellit asseverantes, nomen habere se Dei, quod ipsam ejus naturam proprie significaret, idque esse τὸ ἀγέννητον, hoc est *ingenitum*; de quo Gregorius passim in libris *adversus Eunomium* [4]. Nam, quia simplex est Patris substantia, non aliud esse dicebat Eunomius, præter ἀγεννησίαν, ut idem Gregorius in libro XII refert. Quod ipsum et de omnibus aliis Dei vocabulis affirmare licet. Quinetiam nomina omnia haud ex hominum instituto et voluntate, sed natura ipsa significare dicebat, quod eodem in libro scribit, et refutat Gregorius. Chrysostomus item in oratione v *contra Anomœos* late de Dei nominibus istis agit, et naturam illius nequaquam significare demonstrat. Et Basilius in secundo *adversus Eunomium*; Gregorius item Nazianzenus, Cyrillus Alexandrinus, aliique, quos in quinto libro *de Trinitate*, capitibus primis tribus citavimus, ubi de voce τοῦ ἀγεννήτου, et Eunomianorum errore plura diximus.

Innascibilitatem.

Ingeniti.

X. Hinc apparet, cur πολυώνυμος ab Dionysio, cæterisque Patribus appelletur *Deus*, id est, *in magno nominum ambitu positus*. Nam, cum nullum nomen illius essentiæ, quæ est simplex, proprium inveniri queat, nec aliunde, quam ex effectis, communicationeque sui nosse illum, et appellare possimus, ut sunt ista varia, et multiplicia; ita nomina, quæ iis significandis adhibentur, necesse est esse diversa. « Deus, inquit Gregorius Nyssenus, per seipsum est quidquid esse creditur. Nominatur autem ab iis, qui invocant, non hoc ipsum quod est; (est enim natura ejus, qui est, inexplicabilis) sed ex iis, quæ circa vitam nostram operari creditur, varia cognomina sortitur [d].» Synesius item oratione *de Regno*, « Nullum, inquit, usquam nomen inventum est, quod Dei naturam attingeret. Sed, cum ab ea exprimenda homines aberrarent, per ea, quæ ab

Polynomius

Nullum nomen Deo proprie convenit.

a NAZ. Orat. XLV. Προσηγορίας δὲ πάσης ἐκτός· ἐπειδὴ κύριον ὄνομα τῶν νοητῶν τε, καὶ ἀσωμάτων οὐδέν.

b ORIG. VI *cont. Cels.* Καὶ τὸ οὐκ ὀνομαστὸς δὲ, διαστολῆς δεῖται. εἰ μὲν γὰρ ὅτι οὐδὲν τῶν ἐν λέξεσι, καὶ σημαινομένοις δύναται παραστῆσαι τὰς ἰδιότητας τοῦ Θεοῦ, ἀληθές ἐστι τὸ λεγόμενον, etc. εἰ δὲ τὸ ὀνομαστὸν λαμβάνεις καθὸ οἷόν τέ ἐστιν ὀνόμασι παραστῆσαί τι τῶν περὶ αὐτοῦ, εἰς τὸ χειραγωγῆσαι τὸν ἀκροατὴν, καὶ ποιῆσαι νοῆσαι περὶ Θεοῦ κατὰ τὸ ἐφικτὸν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει τινὰ τῶν περὶ αὐτοῦ, οὐδὲν ἄτοπον λέγειν αὐτὸν ὀνομαστόν.

c GREG. NYSS. in epist. *ad Ablab.* Πᾶν ὄνομα εἴτε παρὰ τῆς ἀνθρωπίνης οὐσίας ἐξεύρηται, εἴτε παρὰ τῶν γραφῶν παραδέδοται, τῶν τί περὶ τὴν θείαν φύσιν νοουμένων ἑρμηνευτικὸν εἶναι λέγομεν, οὐκ αὐτῆς δὲ τῆς φύσεως περιέχειν τὴν σημασίαν.

d NYSSEN. XII *cont. Eun.* Ἀλλ' ὁ μὲν Θεός ἐστι καθ' ἑαυτὸν ὅ δή ποτε καὶ εἶναι πεπίστευται, ὀνομάζεται δὲ παρὰ τῶν ἐπικαλουμένων οὐκ αὐτὸ ὅ ἐστιν· ἄφραστος γὰρ ἡ φύσις τοῦ ὄντος· ἀλλ' ἐξ ὧν ἐνεργεῖν τι περὶ τὴν ζωὴν ἡμῶν πεπίστευται, τὰς ὁμωνυμίας ἔχει.

1 Tract. *de Symb.* cap. I. — 2 Lib. I, *de Sum. bono*, c. I n. 4. — 3 Lib. I *de Doct. christ.* cap. VI. — 4 Vide lib. VI, p. 198 et lib. XII, pag. 303.

illo manant, ipsum assequi conantur. Sive Patrem, sive conditorem, sive quid aliud nomines, sive principium, sive causam; hæc omnia quædam illius sunt ad ea, quæ ab ipso oriuntur, habitudines[a]. » Quas Dionysius in capite primo libri *de Divinis nominibus* vocat « boni efficientes divini principatus emanationes[b]. »

Clemens Alexandrinus libro V *Stromateon*, cum Deo per se nullum nomen tribui possit, atque ex effectis utcumque a nobis appelletur, hæc ipsa numero adhiberi multa idcirco asserit, « quod singula illi significando satis esse nequeunt. Sed omnia simul collata vim, ac potentiam Omnipotentis indicant[c]. » Ita et Gregorius Nyssenus, quoniam Deus, utpote nobis ignotus, « nativam et propriam nullam appellationem capere potest, propterea nos ait multis, ac diversis nominibus, quantum possumus, eniti, ut insitam nobis de Deo opinionem explicemus[d].» Sic Augustinus tractatu in *Psalmum* XXXV : « Quidquid vis, inquit, illud vocas, quia non est quod vocas; quia non potes congruum nomen invenire, non remanet in uno nomine.» Et tractatu XIII *in Joannem*: « Omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum, non invenis; quæris quoquo modo dicere, omnia invenis. »

XI. Ut autem cognoscendæ divinitatis ratio est duplex; una qua ei convenire aliquid intelligimus, quæ *affirmans* dicitur; altera *negans*, quæ quod indignum, imperfectumque est, inficiando detrahit; ita nomina, quæ Deo affinguntur, itidem sunt duo, quædam *affirmantia* sunt, quæ θετικὰ Græci vocant, alia ἀφαιρετικὰ, id est *ablativa* vel *negantia*. Utraque porro confirmant, quod hactenus docemus, esse verissimum, nullum nomen Deo proprie convenire, ita ut ejus naturam, aut etiam proprietatem, ut in se est, exprimat. Nam quod ad priora spectat, ea primum naturam ipsam minime significant, sed quæ circa naturam sunt, ut vulgo Patres asserunt[1]. Deinde ne illa ipsa quidem, quæ circa naturam sunt, proprie declarant, sed eo modo duntaxat, quo capere ista possumus, ex rerum creatarum similitudine, tanquam accidentia quædam, et adventitias qualitates, affectionesque substantiæ. Propterea nomina ista posteriora minus Deo convenire, præstare autem negantia, theologorum est veterum opinio, quam alio loco proposui[2]. Et legi potest Gregorius Nyssenus in XII *contra Eunomium*; et Joannes Damascenus libro primo *de Fide*, capite IV. Quanquam neque negantia ista vel naturam, vel naturæ proprietatem accurate significant; sed hoc potius, quid non sit Deus, quam quid sit : ut alibi pluribus exposui[3].

Rursus nomina alia sunt *absoluta*, alia σχετικὰ, id est, *relativa*, et utraque tam aientia, quam negantia. Ac priora personis omnibus communia sunt, posteriora quarumdam ex illis propria. Neutra tamen naturam ipsam, aut attributam Deo proprietatem exprimunt perfecte, ac θεοπρεπῶς, ut Græce dicitur, hoc est pro eo ac dignum est Deo; sed creatarum rerum, unde translata sunt, affectionibus nonnihil infuscantur.

CAPUT VII.

Expenditur illud, utrum nomina Dei aliqua substantiam ejus significent. Veterum super hac re diversæ opiniones; quorum alii negant, alii affirmant. Eæ inter se conciliantur. Damascenus explicatur. Falsa de nominum significatione R. Mosis sententia; tum etiam Damasceni minus probabilis, si absolute dicatur, nominum Dei notionem esse causalem. Nicolai Cusani multiplex error.

I. Existit autem ex iis, quæ hucusque disputata sunt, nonnulla quæstio. Videntur enim antiqui theologi non satis consentire invicem, cum alii, et sane complures, nullum Dei no-

a SYNES. Οὐδὲν οὐδαμῆ πω πέφηνεν ὄνομα τῆς οὐσίας ἁπτόμενον τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' ἀτευκτοῦντες αὐτοῦ τῆς ἐμφάσεως ἄνθρωποι, διὰ τῶν ἀπ' αὐτοῦ ψαύειν ἐθέλουσιν αὐτοῦ .κἂν πατέρα, κἂν ποιητὴν· κἂν ὅ, τιοῦν εἴπῃς· κἂν ἀρχὴν, κἂν αἴτιον· ταῦτα πάντα σχέσεις εἰσίν· αὐτοῦ πρὸς τὰ παρ' αὐτοῦ.

b DION. Ἀγαθουργοὺς τῆς θεαρχίας προόδους.

c CLEM. V *Strom.* Οὐ γὰρ τὸ καθ' ἕκαστον μηνυτικὸν τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἀθρόως ἅπαντα ἐνδεικτικὰ τῆς τοῦ παντοκράτορος δυνάμεως.

d GREG. NYSS. lib. XII *cont. Eunom.* Διὰ τοῦτο οὐδεμιᾶς ἐπ' αὐτῶν προσφυοῦς εὑρισκομένης προσηγορίας, ἢ τὸ ὑποκείμενον ἱκανῶς παραστήσει, πολλοῖς, καὶ διαφόροις ὀνόμασιν, ὅπως ἂν ᾖ δυνατὸν, ἀνακαλύψαι βιαζόμεθα τὴν ἐγγενομένην ἡμῖν περὶ τοῦ θείου ὑπόνοιαν.

1 Vide inter cæter. Dam. lib. I, cap. IV. — 2 Lib. I, cap. V. — 3 Lib. I, c. V et in V *de Trin.* cap. I, II et III.

men esse putent, quod ejus naturam substantiamque ipsam significet : alii e contrario nomina Dei esse propria quædam, quæ ipsius naturam exprimant. Horum prius illud affirmant ii fere, quos supra retulimus, et alii, quos, ut in re notissima, missos fecimus. Alterum autem nonnulli etiam eorum, quos citavimus, docent, ut Cyrillus Alexandrinus in libro *Thesauri* XIX, et luculenter Athanasius in libro *de Decretis Nicænæ synodi*, dum illud adversus Arianorum calumnias tuetur, quod synodus illa sanxit, Filium ex Patris esse substantia ; ubi illos arguit, qui hoc nomine, *Deus*, non ipsam significari substantiam asserunt, sed aliquid, quod circa substantiam est. « Si quis igitur, ait, Deum esse compositum, existimat, uti substantiæ inest accidens ; aut exteriorem aliquem amictum habere, quo tegatur ; aut circum ipsum esse nonnulla, quæ ejus substantiam compleant : adeo ut, cum dicimus Deum, vel Patrem nominamus, non invisibilem ipsam et incomprehensibilem significemus substantiam, sed aliquid eorum, quæ circum ipsam sunt ; reprehendat synodum, quæ scripsit, e substantia Dei esse Filium [a] » etc. Ita qui Deum, vel Patrem nominant, non aliquid, quod circa divinam substantiam sit, sed ipsam illius substantiam significare vult Athanasius ; ne corporum instar compositus esse putetur Deus ; aut non ex ipsa substantia, sed ex aliquo alio substantiam afficiente Filius credatur esse genitus, ut propterea non sit Dei Filius. Ad hæc in libro *de Synodis* eodem argumento utitur, et Arianos ipsos suapte confessione premit, qui dixerant ex Patre genitum esse Filium. « Atqui si, cum Patrem nominatis, aut Deum dicitis, non substantiam significatis ipsam, neque ipsum, qui est id, quod est, secundum substantiam intelligitis, sed aliquid aliud circa ipsum ; aut deterius etiam quippiam, quod nolo dicere, vocabulis istis significetis : non debebatis scribere, ex Patre esse Filium, sed ex iis, quæ circa ipsum, aut in ipso sunt [b].»

II. Quinam igitur inter hos, et superiores illos convenit, qui nullum Dei nomen ejus putant significare substantiam? quorum sententiam, argumentationemque paucis Joannes Damascenus complectitur [1]. Etenim nomina, ut in fine antecedentis capitis dixi, alia sunt negantia, alia sunt aientia. Horum priora « non quid sit Deus, hoc τὴν οὐσίαν, significant, sed quid non sit. Oportet autem eum, qui cujuspiam rei substantiam explicare velit, quid ea sit eloqui, non quid non sit. At quæcumque affirmando de Deo dicimus, non ejus naturam indicant, sed quæ circa naturam illius sunt [c].» Et capite XII : « Quodlibet eorum, quæ de Deo dicuntur, non quid secundum substantiam sit, significare (scribit), sed vel quid non sit, vel habitudinem quamdam ad aliquid eorum, quæ ex adverso distinguuntur, aut quippiam eorum, quæ naturam sequuntur, aut efficientiam [d]. » Quo in loco nominum divinorum species omnes attigit, videlicet negantia, relativa, et quæ naturæ proprietates, aut efficientias significant.

Credidit sanctus Thomas [2], eam beati Joannis Damasceni mentem fuisse, ideo nullum Dei nomen quid ipse sit significare, quia hoc perfecte nullum exprimit ; « sed unumquodque imperfecte eum significat, sicut et creaturæ imperfecte eum repræsentant. » Clarius, et ad Damasceni sententiam aptius responderi sic potest. Nomina omnia, quæ Deo tribuuntur ab hominibus, alia ad ejus substantiam repræsentandam instituta esse, ut est nomen *Deus*, et similia ; alia vero, ad ea significanda, quæ

a ATHAN. Εἰ μὲν οὖν τὸν θεὸν ἡγεῖταί τις εἶναι σύνθετον· ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ τὸ συμβεβηκός· ἢ ἔξωθέν τινα περιβολὴν ἔχειν, καὶ καλύπτεσθαι· ἢ εἶναί τινα περὶ αὐτὸν τὰ συμπληροῦντα τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ὥστε λέγοντας ἡμᾶς θεὸν, ἢ ὀνομάζοντας πατέρα, μὴ αὐτὴν τὴν ἀόρατον αὐτοῦ, καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν σημαίνειν· ἀλλά τι τῶν περὶ αὐτὴν, μεμφέσθωσαν μὲν τὴν σύνοδον γράψασαν ἐκ τῆς οὐσίας εἶναι τοῦ θεοῦ, τὸν υἱόν, etc.

b ATHAN. lib. *de Syn.* Εἰ μὲν οὖν τὸν πατέρα ὀνομάζοντες, ἢ τὸ, θεὸς, ὄνομα λέγοντες, οὐκ οὐσίαν σημαίνετε, οὐδὲ αὐτὸν τὸν ὄντα, ὅπερ ἐστὶ, κατ' οὐσίαν νοεῖτε, ἀλλ' ἕτερόν τι περὶ αὐτὸν, ἢ τὸ γοῦν χεῖρον, ἵνα μὴ παρ' ἐμοῦ λέγηται, διὰ τούτων σημαίνετε, ἔδει μὴ γράφειν ὑμᾶς ἐκ τοῦ πατρὸς τὸν υἱὸν, ἀλλ' ἐκ τῶν περὶ αὐτὸν, ἢ τῶν ἐν αὐτῷ.

c DAM. Ταῦτα γὰρ οὐ τὸ τί ἐστι σημαίνει, ἀλλὰ τὸ τί οὐκ ἔστι. χρὴ δὲ τὸν βουλόμενον τήν τινος οὐσίαν εἰπεῖν, τί ἐστι φράσαι, οὐ τί οὐκ ἔστι, etc. ὅσα δὲ λέγομεν ἐπὶ θεοῦ καταφατικῶς, οὐ τὴν φύσιν, ἀλλὰ τὰ περὶ τὴν φύσιν δηλοῖ. Vide et cap. XI et XIII.

d Idem, cap. XII. Χρὴ τοίνυν ἕκαστον τῶν ἐπὶ θεοῦ, λεγομένων, οὐ τί κατ' οὐσίαν ἐστὶ σημαίνειν οἴεσθαι· ἀλλ' ἢ τί οὐκ ἔστι δηλοῦν, ἢ σχέσιν τινὰ πρός τι τῶν ἀντιδιαστελλομένων, ἤ τι τῶν παρεπομένων τῇ φύσει, ἢ ἐνέργειαν.

1 Lib. I *de Fide* cap. IV. — 2 In 1 p. qu. XIII ar. 2 ad 1.

præter substantiam ipsam, vel essentiam inesse Deo, et eum afficere more nostro cogitamus, aut etiam ab eodem effici: neutra porro Deum, ut in se est, atque ejus substantiam exprimere. Quod in posterioribus perspicuum est, quibus ea directe significantur, quæ ratione, et ἐπινοίᾳ, different ab illius substantia, et tanquam huic accidentia a nobis intelliguntur. Prioris vero generis nomina, quæ ad substantiam designandam indita sunt, non eam, ut in se est, referunt, sed ut a nobis intelligi potest.

III. Et quoniam, ut in capite antecedenti dixi, nomina non sunt imagines rerum, sed notæ, ac veluti tesseræ, quæ ex hominum arbitrio institutoque res indicant: facile id intelligimus, quemadmodum certa vocabula ad res ipsas, et earum οὐσίας, ac substantias quoquo modo denotandas imposita sunt: alia vero ad earum proprietates, et qualitates, quæ substantiam consequuntur. Ita verum est, quod Joannes Damascenus aliique prædicant, nomina nulla proprie Deum, et ejus, ut in se est, significare substantiam; sed ex proprietate aliqua, vel habitudine, aut efficientia duci appellationis causam et originem; tametsi ex instituto quædam facta sint ad ipsam designandam substantiam. Quam ob causam alii e contrario dixerunt, nonnulla nomina non ea, quæ circa substantiam sunt, significare, sed ipsam substantiam; nimirum quoniam id ex hominum arbitrio, et usu, non ex significandi vi et proprietate sortiuntur. Cæterum, quatenus illa ipsa notarum ac signorum institutio ab doctis, et sapientibus rerumque peritis est orta; sic ea signa Deo ac divinis proprietatibus exprimendis delecta sunt, ut, quod Græci dicere solent, θεοπρεπῶς, id est, *prout Deo dignum est*, *ac decet*, illis accommodata sint: videlicet ut ita convenire, ac significationem exercere suam intelligantur, uti non creatarum substantiarum instar habeamus divinam illam, et quæ circa eam cogitatione primum, deinde varietate nominum exprimuntur; sed ut errorem ratio castiget, agnoscatque, nihil ista differre invicem; sed reipsa, et, ut in se est, consideratam Dei substantiam omnibus occurrere vocabulis, tam quæ ad ipsam notandam substantiam præscripta sunt humani usus, voluntatisque magisterio, quam quæ proprietates ipsas referre jussa sunt. De quibus summa hæc cogi poterit: ubique divinam significari substantiam, sed non eodem modo; verum aliquando prout sola simplexque per se spectatur, hoc est ipsum τὸ τί ἦν εἶναι Dei, alias autem prout sapiens est, aut bona, aut providens. Item prout a nullo communicatur, aut ab alio seu generatione, seu processione transfunditur; qui omnes modi differentes habent rei ejusdem unius, ac simplicissimæ tum notiones, tum voces notionum interpretes. Hinc ille Basilii locus interpretandus mihi videtur in epistola LXXX, *ad Eustathium*, ubi idem omnia significare Dei nomina verbis istis asserit. « Omnia, inquit, Deo congruentia tam cogitata, quam nomina ejusdem inter se sunt conditionis, eo quod circa subjecti significationem nihil habent discriminis. Non enim mentis cogitationem ad aliud subjectum ducit appellatio boni, et ad aliud sapientis, potentis, et justi; sed quæcumque nomina protuleris, unum est in omnibus, quod significatur. Ac si Deum dixeris, eumdem expressisti, quem et in aliis cogitasti nominibus[a]. » Loquitur hic Basilius de subjecta re, cui ἐμφάσεις, id est *notiones*, et proprietates variæ conveniunt, quæ nominibus ipsis continentur, et *formales* vulgo dicuntur; ut subinde idem explicat, cum ait, « varia illi nomina intelligentiam nostram aliis alia notionibus ad idem perducere. » Subjecto itaque rem eamdem significant, forma vero diversam. Sed videnda sunt omnino, quæ de notionibus istis, et attributis, quæ vocant, universe diximus in primo hujus operis libro, nec non in secundo, de Dei simplicitate. *Quid . esse, i[...] essent[...]*

IV. Ad hoc vero, quod modo agimus, plurimum pertinet Paschasii Diaconi dictum illud in primo libro *de Spiritu sancto*, cap. V. « Cognosce, inquit, quia id, quod apud homines nomini solemus adjungere, Dei non condecet majestati. In ejus nomine quidquid est, nequaquam adjectivum, sed sine dubio naturaliter sempiternum est. » Ubi *sempiternum* pro

a Basil. Πάντα γὰρ τὰ θεοπρεπῆ νοήματά τε, καὶ ὀνόματα ὁμοτίμως ἔχει πρὸς ἄλληλα, τῷ μηδὲν περὶ τὴν τοῦ ὑποκειμένου διαφέρειν σημασίαν. οὐ γὰρ ἐπ' ἄλλο τι ὑποκείμενον χειραγωγεῖ τὴν διάνοιαν τοῦ ἀγαθοῦ ἡ προσηγορία, ἐφ' ἕτερον δὲ ἡ τοῦ σοφοῦ, καὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ τοῦ δικαίου· ἀλλ' ὅσα περ ἂν εἴπῃς ὀνόματα, ἓν διὰ πάντων ἐστὶ τὸ σημαινόμενον. κἂν Θεὸν εἴπῃς, τὸν αὐτὸν ἐνεδείξω, ὃν διὰ τῶν λοιπῶν ὀνομάτων ἐνόησας· εἰ δὲ πάντα τὰ ὀνόματα τῇ θείᾳ φύσει ἐπιλεγόμενα ἰσοδυναμεῖ ἀλλήλοις κατὰ τὴν τοῦ ὑποκειμένου ἔνδειξιν· ἄλλα κατὰ ἄλλην ἔμφασιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὴν διάνοιαν ἡμῶν ὁδηγοῦντα.

substantivo posuit. Nam et sempiterna nihilominus sunt, quæ substantiæ ipsi velut adjecta finguntur; nisi quod ratione saltem prius istis illa cogitatur.

Hic etiam commemoranda est opinio R. Mosis Maiemonidæ *de Nominibus Dei propriis* [1], quorum alia sunt aientia, alia negantia. Ex iis enim, quæ affirmant, ea proprie non convenire Deo asserit; uteunque vero tribuimus, non asseverare aliquid de Deo; sed negantium more significare, non inesse illi contrarium ejus, quod præ se ferunt. Exempli causa : « Dicimus de Deo, ipsum existentem esse; cujus sensus est, privationem ejus esse falsam [a]; » id est falsum esse, Deum non existere. Similiter cum vocamus illum « vivum, sensum esse, non eum esse mortuum [b]. » Quæ interpretatio nominum vera non est, et negantia vocabula cum aientibus confundit.

Sed neque Joannis Damasceni usquequaque probanda ratio est; qui in libro *de Fide Orthodoxa,* cap. XIV, de affirmantibus agens Dei nominibus, ait, illa significare Deum esse causam rerum illarum, quarum notiones iis subjectæ sunt. Verbi gratia, « quoniam causa est entium omnium, et essentiæ omnis, idcirco ens, et essentiam nominari. Item quatenus rationis omnis, et sapientiæ causa est, nec non ejus, quod rationale est, et sapiens, appellari rationem, et rationalem sapientiam et sapientem. Similiter et mentem, et mente præditum; vitam et viventem; potentiam, et potentem, et sic in reliquis [c]. » Sed sic Damasceni interpretanda mens est, non ut affirmantium nominum hanc solam esse notionem ratus fuerit, verum, ut cum reliquis, et istam. Ac nos alibi opinionem illorum refellimus, qui ea, quæ dicuntur *attributa* Dei, nullam habere significationem alteram putant, nisi causalem. Sunt enim quæ proprie, et absolute, non comparate, ac σχετικῶς de Deo dicuntur. Itaque et per se, et quatenus causalem rationem continent, Deo tribuuntur tam proprietates illæ, quam earum nomina. Nam et supra, cum de Dei perfectione, et eminentia egimus [2], eam inter alias causam reddidimus, cur in Deo contineantur omnia; quod omnium principium sit, efficiensque causa. Atque adeo nominum istiusmodi duplex discernenda notio est; una quæ *formalis* vocetur; altera causalis : et harum prior propria, et primaria; posterior secundaria merito censebitur. Ut horum nominum, sapiens, bonus, pulcher, *formalis* significatio est, quam ex se, ac directe statim illa præ se ferunt; Deum omnia cognoscere per seipsum, tanquam altissimam causam : esse convenientem appetitui : esse aptum, et si quid aliud vocabula ista significant : At causalis notio sic est : esse Deum sapientiæ fontem, et originem; bonitatis item, pulchritudinis, ac reliquorum omnium.

Cusani de Dei nominibus sententia rejicitur.

V. Hoc loco Nicolai Cusani de Dei nominibus sermonem quemdam præterire non debeo, doctum illum quidem, sed in quo sunt aliqua nonnihil animadversione digna. In primo libro *de Docta ignorantia,* capite XXIV, Deo nullum proprium nomen imponi posse asserit, quod, cum sit rerum universitas, id est omnia comprehendat, necesse foret, « omni nomine Deum, aut omnia ejus nomine nuncupari, cum ipse in sua simplicitate complicet omnium rerum universitatem. » Post, nullum a nobis excogitari posse nomen ait, cujus notioni non statim oppositum aliquid occurrat. Ut cum dico *unum,* statim ei contrarium *multiplex* in mentem venit. Ergo « hæc unitas Deo non convenit; sed unitas, cui non opponitur aut alteritas, aut pluralitas, aut multitudo, etc. Qui enim intelligere posset unitatem infinitam per infinitum omnem oppositionem antecedentem, ubi omnia absque compositione sunt in simplicitate unitatis complicata, ubi non est aliud, vel diversum; ubi homo non differt a leone, et cœlum non differt a terra, et tamen verissime ibi sunt, non secundum finitatem suam, sed complicite ipsamet unitas maxima. Unde si quis posset intelligere, aut nominare talem unitatem, quæ, cum sit unitas, est omnia, et cum sit minimum, est maxi-

a Rambam. ואמרנו על זה שהוא ומצא הענין כי מן השקר העדרו.

b Ibid. ואמרנו שהוא חי הענין שהוא יתעלה איננו מת.

c Damasc. Τὰ δὲ καταφατικῶς λεγόμενα ὡς αἰτίου τῶν πάντων κατηγορεῖται. ὡς γὰρ αἴτιος πάντων τῶν ὄντων, καὶ πάσης οὐσίας, καὶ ὢν λέγεται, καὶ οὐσία, καὶ ὡς αἴτιος λόγου παντὸς, καὶ σοφίας λογικοῦ τε, καὶ σοφοῦ, λέγεται λόγος, καὶ λογικὸς, σοφία καὶ σοφός. ὁμοίως καὶ νοῦς, καὶ νοερὸς, ζωὴ, καὶ ζῶν, δύναμις, καὶ δυνατὸς, καὶ ἐπὶ πάντων τῶν λοιπῶν ὁμοίως.

1 Lib. I *More Neb.* cap. LVIII. — 2 Lib. VI, cap. VII, n. 5.

mum, ille nomen Dei attingeret. » Proinde affirmantia nomina, quia particulam quamdam τοῦ ὄντος singula significant, non proprie ait convenire Deo. « Nam si dicis substantiam, occurrit accidens, et ita de reliquis. Cum autem ipse non sit substantia, quæ non sit omnia, et cui nihil opponitur ; et non sit veritas, quæ non sit omnia absque oppositione, non possunt illa particularia nomina, nisi diminute valde, per infinitum ipsi convenire. » Addit mox, eadem affirmantia nomina, « si ei conveniunt, nonnisi in respectu ad creaturas convenire. Non quod creaturæ sint causa, quod ei conveniant; quoniam maximum a creaturis nihil habere potest; sed ei ex infinita potentia ad creaturas conveniunt. Nam ab æterno Deus potuit creare, quia nisi potuisset, summa potentia non fuisset. » Ex quo concludit, creatoris nomen, « quamvis ei in respectu ad creaturas conveniat, tamen etiam convenire antequam creatura esset; quoniam ab æterno creare potuit. Ita de justitia, et cæteris nominibus affirmativis, quæ nos translative a creaturis Deo attribuimus, propter quamdam perfectionem per ipsa nomina significatam. »

Entis.

VI. Hæc si absolute universeque pronuntientur, vera non sunt. Sed nimirum distinguenda sunt Dei nomina. Nam alia vim agendi, et efficientiam in res creatas proprie significant; ut sunt *creator*, *conservator*, *gubernator*, et ejusdemmodi alia. Quæ σχέσιν, et comparationem, vel relationem habent ad res conditas, nec nisi his una comprehensis intelliguntur. Itaque *creator* ex omni æternitate nominari potuit Deus, quod ex eadem æternitate mundum creare potuit. In quo cavenda est enuntiati hujus ambiguitas, ad quam offendisse Cusanus videtur. Non enim, cum dico : *Potuit ab æterno creare mundum Deus*, mundum dico ex æterno esse, ac creari potuisse; sed hoc tantum assero, fuisse penes Deum vim ac potentiam, qua mundum creare potuit, quando mundus ipse natura sua potuit existere; qui nonnisi in tempore, id est non ex æterno exstare potuit, ut supra[1], cum de æternitate Dei actum est, ostendimus. Neque consequens est, quod Cusanus affert, « nisi potuisset mundum creare ab æterno, non fuisse summam potentiam. » Potuit enim utique creare mundum, id est creandi vim habuit ex æterno, tametsi mundus ab æterno esse non potuit : sicut infinita est Dei potentia rerum omnium efficiens, etsi infinita res esse creata nulla possit. Sed hæc alterius sunt loci. Alia sunt porro vocabula, quæ absoluta licet appellare, quæ respectum ad res conditas nullum continent in sua notione, ut bonus, sapiens, et cætera. Hæc vero minime ad creaturas referuntur; quamvis ex earum notitia colliguntur, et ortum habent indidem; uti omnis ex illis cognitio nostra, et scientia ducitur.

In quo nec illud Cusani probare possum, qui nomina personarum propria, ut sunt, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, « in habitudine creaturarum ipsis imponi » asserit, non eo sensu, quod eorum imponendorum origo creatis e rebus petita sit; id enim certissimum est : « Sed ita videlicet, quod est Filius, ex eo quod est æqualitas entitatis rerum, quas Deus facere poterat, licet eas etiam facturus non esset; quas si facere non posset, nec Deus Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus, imo nec Deus esset. Quare si subtilius consideras, Patrem Filium gignere, hoc fuit omnia in Verbo creare. » Hæc plus subtilitatis, quam solidæ et exactæ veritatis continent. Etenim nomen Patris, et Filii non utique respectum, et habitudinem ad res creatas significant; quæ, si nulla esse possent, constaret tamen propria illis et nativa notio. Quod est argumentum, nequaquam iis inesse, id est eorum significationibus implicari relationem ad res conditas; ut est in *creatoris* ac *domini* vocabulis, quæ proinde non consisterent, si nihil posset esse, quod crearet, aut cui dominaretur Deus. Nec illud nos movet, quod Cusanus injicit, si nulla creatura posset esse, neque Deum fore. Nihil enim hoc ad *formalem*, ut vocant, *notionem* vocum pertinet; quod consequenti potius, et, ut loqui solent, *materiali*, quam propria, et *formali* ratione concluditur. Quare falsa est, ut absolute dicam, Cusani illa sententia, et veterum Patrum contraria decretis; qui personarum illa nomina ad sese mutuo, non ad creatas res σχέσιν, et relationem habere adversus Arianos dictitant : de quo suo loco disputabitur.

Melius Philo Judæus in libro *de Nominum mutatione*, quædam esse dicit nomina Dei absoluta, quibus nulla subest σχέσις, et *relatio;* alia referri ad illius effecta, resque conditas. Exempli causa nomen illud, « Ens, vel qui est ut ens, non refertur ad aliud. Ipsum enim seipso plenum est, ac sibi ipsum sufficiens, et tam ante, quam post omnium productionem,

Nomina l. alia absolut alia relativ.

1 Lib. III, cap. VI

in eodem statu perseverans[a]. » Cæterum virtutes ejus « aliquæ, quas ad conditi a se operis beneficam procurationem extendit, dici quodammodo ad aliquid evenit; ut est facultas regia, et vis benefica. Rex enim alicujus rex, et benefactor item alicujus; ita ut alter omnino sit, qui regitur, et qui beneficio afficitur[b]. »

Joannes quoque Damascenus in primo libro *de Fide*, capite XII, quadrifariam, imo quinquefariam divinorum nominum significationes dividit. « Non est, inquit, arbitrandum, unumquodque nominum eorum, quæ de Deo dicuntur, quid secundum essentiam sit, significare; sed vel quid non sit indicare, vel habitudinem quamdam ad ea, quæ ex adverso opponuntur, vel aliquid naturam consequens, vel actionem[c]. » Ac primarium, et præcipuum esse nomen ait ὁ ὤν, id est *ens*, vel *qui est*, quod ipsum esse Dei significat, non qualis sit. Secundum est ὁ Θεός, quod ἐνεργείας, id est *operationis* esse vult, de quo capite sequenti. Tertium genus nominum, quod quid res non sit indicat, immortale, incorruptum, etc. Quartum est, quod affectiones quasdam, et proprietates significat : ut bonus, justus. Quintum, respectum et habitudinem : ut dominus, rex, etc., quibus et personarum nomina possunt annecti, quæ omissa sunt a Damasceno.

CAPUT VIII.

Exponuntur particulatim Dei propria nomina. Ac primum ὁ Θεός, *quod alii divinam substantiam proprie significare volunt : alii negant. Ejus interpretatio varia. Græcorum Palamitarum opinio de divinitate multiplici refellitur. Quomodo nomina* Θεός, *et* Deus *essentiam significent, aut non significent. Et utrum relative dicantur ad res creatas.*

I. Nune singulatim Dei nomina contemplabimur, ea scilicet, quæ propria, et οὐσιώδη putantur eo sensu, quem capite superiori proposui; quod ad notandam, et indicandam ipsam Dei substantiam, non ei attributas proprietates imposita sunt. Res est majoris operæ, et uberioris tractationis, quam forte aliquis existimet; de qua, imo de cujus particula libros integros superiore sæculo elucubratos esse constat[1], ut de Dionysio taceam, a quo editus est liber ille qui *de Divinis nominibus* inscribitur. Quanquam in eo non propria tantum, et οὐσιώδη, sed appellativa quoque, et cujusquemodi tandem Dei nomina declarantur. Nos priora tantum consectabimur; nec id valde multis; quod in superioribus libris plurima ad idem argumentum spectantia jam occupavimus, cum de Dei essentia, et proprietatibus, sive attributis egimus, Deique notionibus, atque etiam nonnulla de appellationibus aientibus, ac negantibus exprompsimus; quemadmodum et in secundo, et quarto, cæterisque *de Trinitate* : quæ sunt omnia cum hac, quam aggredimur, disputatione connexa. *Substantialia.*

Horum primarium est, et velut fundamentum reliquorum, Græcos apud, ὁ Θεός, apud Latinos *Deus*. De Græco prius. Θεοῦ nomen quidam proprium esse negant, et *appellativum*, id est ἐπιθετικὸν numerant; alii contra

a Philo Jud. Τὸ γὰρ ὄν, ᾗ ὄν ἐστιν, οὐχὶ τῶν πρός τι. αὐτὸ γὰρ ἑαυτοῦ πλῆρες, καὶ αὐτὸ ἑαυτῷ ἱκανὸν, καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, καὶ μετὰ τὴν γένεσιν τοῦ παντὸς ἐν ὁμοίῳ.

b Ibid. Τῶν δὲ δυνάμεων, ἃς ἔτεινεν εἰς γένεσιν ἐπ' εὐεργεσίᾳ τοῦ συσταθέντος, ἐνίας συμβέβηκε λέγεσθαι ὡσανεὶ πρός τι, τὴν βασιλικὴν, καὶ εὐεργετικήν. βασιλεὺς γάρ τινος, καὶ εὐεργέτης τινός· ἑτέρου πάντως βασιλευομένου, καὶ εὐεργετουμένου.

c Damasc. Χρὴ τοίνυν ἕκαστον τῶν ἐπὶ Θεοῦ λεγομένων οὐ τί κατ' οὐσίαν ἐστὶ σημαίνειν οἴεσθαι· ἀλλ' ἢ τί οὐκ ἔστι δηλοῦν, ἢ σχέσιν τινὰ πρός τι τῶν ἀντιδιαστελλομένων· ἤ τι τῶν παρεπομένων τῇ φύσει· ἢ ἐνέργειαν.

1 Velut a Reuchl. Caninio, Petro Fabro, Drusio, etc.

proprium faciunt. Priores ἀπὸ τῆς ἐνεργείας, id est *ab efficientia aliqua* derivatum volunt. « Ne Θεὸς quidem (verba sunt Chrysostomi) nomen est substantiæ; nec omnino proprium illius substantiæ nomen inveniri potest[a]. »

tymologia nominis Θεοῦ Dei.

II. Est autem communis hæc apud antiquos nominis illius notatio, dici Θεὸν ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod est intueri, et contemplari, quam Gregorius Nyssenus non semel usurpat. Ut in libro *ad Ablabium de tribus diis,* « divinam, a quo Deus nominatur, facultatem, et operationem vocat contemplatricem[b]. » Et antea late disseruit, nullum nomen naturam significare Dei, ac vocem ipsam θεὸς, « operationem inspectricem, et contemplatricem exprimere, qua intuetur, inspicitque omnia, cogitationes videns, et ea, quæ aspici nequeunt, considerandi facultate penetrans. Itaque ab eo, quod est θέα, id est consideratio, deducta est θεότης quæ est *deitas*[c]. » Idem et in libro *de Communibus notionibus* indicat[1]; et luculenter in libro duodecimo *adversus Eunomium.*

Basilius in Epist. CXLI eamdem vocem ab eo, quod est *ponere omnia,* id est producere, vel a *contemplando* deductam putat[d].

Plato vero in *Cratylo* a *currendo,* quod est θεῖν. « Videntur enim mihi, inquit, primi hominum in Græcia solos illos putasse Deos, quos hodie complures agnoscunt barbarorum, solem, lunam, terram, astra, cœlum. Cum igitur omnia illa cernerent perpetuo cursu progredientia; ab hac naturali proprietate currendi, quod est θεῖν, θεοὺς, id est *Deos* illos nominarunt. Postea vero, cum cæteros intellexissent, omnes eodem appellarunt vocabulo[e]. » Sic auctor *Quæstionum,* qui est inter Athanasii spuria, utramque illam nominis interpretationem affert, sive ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, sive ἀπὸ τοῦ θεῖν; quod ubique præsens adsit. Quartam addit Joannes Damascenus ἀπὸ τοῦ αἴθειν, id est *ab urendo.* « Deus enim ignis est consumens omnem malitiam[f]. » Imo Gregorius Nazianzenus, a quo ille sumpsit, ἀπὸ τοῦ θέειν, vel αἴθειν nominari θεὸν ait, « propter sempiternam agitationem, et vim vitiosarum affectionum consumptricem. Nam et ignis consumens inde dicitur[g]. » Quare nomen istud « non absolutum aliquid, sed relativum esse sentit; velut vox, *Dominus,* qua et ipsa nomen est Dei[g]. » Et ante hos omnes rursus Theophilus Antiochenus in primo *ad Autolycum,* ubi et illam adjicit ἀπὸ τοῦ τεθεικέναι. « Deus, inquit, dictus est, quod omnia in sua securitate posuit; et quod currat. Est autem θέειν currere, movere, operari, alere, providere, gubernare, et vivificare omnia[h]. »

III Græci Palamitæ, de quibus in primo libro egimus[2], opinionem illam cupide amplexi sunt, nomen θεότητος non ipsam Dei naturam significare, sed ἐνέργειαν, id est efficientiam. Ex quo dogmati suo viam munierunt, quo asserebant, multas esse divinitates, easque ab summo Deo diversas, et increatas. Itaque in tomo illo synodico contra Barlaami, et Acindyni fautores[3] multis id antiquorum testimoniis asseverant, nomen θεότητος actionis esse, non naturæ; imprimis ex Basilii epistola LXXX *ad Eustathium :* ubi nescire se dicit, « quomodo ad naturæ significationem appellationem divinitatis aliqui trahant; qui nihil

Deitati

a CHRYS. Hom. II in Epist. *ad Heb.* Ἐπεὶ οὐδὲ τὸ Θεὸς ὄνομα οὐσίας ἐστίν· οὐδέ ἐστιν ὅλως τῆς οὐσίας ἐκείνης ὄνομα εὑρεῖν.

b GREG. NYSS. Τὴν θεϊκὴν ταύτην, ἤτοι ἐποπτικὴν δύναμίν τε, καὶ ἐνέργειαν. Et pag. seq. τὴν ἐποπτικὴν, καὶ θεατικὴν δύναμιν.

c Idem. Μίαν δὲ καὶ ταύτην εἶναι τὴν ἐνέργειαν τὴν ἐποπτικὴν, καὶ ὁρατικὴν, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις θεατικὴν, καθ' ἣν τὰ πάντα ἐφορᾷ, καὶ πάντα ἐπισκοπεῖ, τὰς ἐνθυμήσεις βλέπων, καὶ ἐπὶ τὰ ἀθέατα τῇ θεωρητικῇ δυνάμει διαδυόμενος, ὑπειλήφαμεν τῆς θείας τὴν θεότητα παρωνομάσθαι.

d BASIL. Παρὰ γὰρ τὸ τεθεικέναι τὰ πάντα, ἢ θεᾶσθαι τὰ πάντα, λέγεται.

e PLATO CRATYLO. Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ γῆν, καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν. ἅτε γοῦν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ, καὶ θέοντα, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι· ὕστερον δὲ κατανοοῦντες τοὺς ἄλλους, πάντας ἤδη τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν.

f DAM. lib. I *de Fide,* cap. XII. Ἢ ἀπὸ τοῦ αἴθειν, ὅ ἐστι καίειν. ὁ γὰρ θεὸς πῦρ καταναλίσκον πᾶσαν κακίαν ἐστί.

g NAZ. Orat. XXXVI. Ἡ μὲν γὰρ τοῦ θεοῦ, κἂν ἀπὸ τοῦ θέειν, ἢ αἴθειν ἠτυμολόγηται τοῖς περὶ ταῦτα κομψοῖς διὰ τὸ ἀεικίνητον, καὶ δαπανητικὸν τῶν μοχθηρῶν ἕξεων. καὶ γὰρ πῦρ καταναλίσκον ἐντεῦθεν λέγεται· ἀλλ' οὖν τῶν πρός τι λεγομένων, ἐστὶ, καὶ οὐκ ἄφετος, ὥσπερ ἡ κύριος φωνὴ, ὄνομα εἶναι θεοῦ, καὶ αὐτὴ λεγομένη.

h THEOPH. Θεὸς δὲ λέγεται, διὰ τὸ τεθεικέναι τὰ πάντα ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ ἀσφαλείᾳ, καὶ διὰ τὸ θέειν, τὸ δὲ θέειν ἐστὶ τὸ τρέχειν, καὶ κινεῖν, καὶ ἐνεργεῖν, καὶ τρέφειν, καὶ προνοεῖν, καὶ κυβερνᾷν, καὶ ζωοποιεῖν τὰ πάντα.

1 Tom. I, Nyss. p. 59. — 2 Cap. XIII, n. 15. — 3 De quo lib. I, cap. XII.

non moliuntur, tanquam a Scriptura non audierint, naturam non in electione et ordinatione sitam esse. Nam Moses Ægyptiorum electus est Deus, sic illi divino oraculo dicente: *Quoniam Deum te dedi Pharaoni* [1] [a]. » Sed in epistolæ fine velut in medio rem relinquere videtur; ac sive θεότης ἐνέργειαν significet, sive naturam, quod plerique putant, unam esse θεότητα, non plures affirmat : quod quidem Palamitarum factionem conturbat. Verba Basilii capite illo XIII libri primi descripsimus [2].

Addunt et Gregorii Nysseni locum ex libro *de Divinitate Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, in quo ita scribit. « Asserunt Pneumatomachi, naturæ significandæ vim habere divinitatis nomen. Nos autem dicimus, divinam naturam nomen significativum vel non habere, vel nobis non habere. Sed si quod dicitur vel ex humana consuetudine, vel ab sacra Scriptura, aliquid est eorum, quæ circa illam exprimuntur. Ipsa autem divina natura explicari, ac pronuntiari non potest, manetque omni vocum significatione superior [b]. » Et in epistola *ad Ablabium*, « Deus, inquit, operantem indicat; divinitas vero operationem. Nullus autem ex tribus est operatio; sed potius unusquisque est operans illorum [c]. »

Præter hæc alia non pauca testimonia Patrum referunt; quibus ostendunt, ἐνεργείας ἀκτίστας, id est *increatas operationes* Dei, quæ sunt multiplices, appellari θεότητας. Quæ quidem imperite ab novis illis hæreticis in medium afferri supra demonstravimus [3]. Nam istiusmodi ἐνέργεια, quæ quidem interior est, et in operante manens, atque increata, re est una tribus in personis, ut iidem illi Patres docent; ratione vero, et ἐπινοίᾳ multiplex. Porro efficientiæ, operationesque, quas extra se divinitas profundit, uti creatæ sunt, et in tempore productæ, sic reipsa diversæ; siquidem in Deo ipso, id est in substantia ejus non resident. Nihil enim in Deo, nisi divinum, adeoque unum et idem cum ipso, ac Deus potest esse. Nec aliud somniandum est in omnibus illis locis, quæ ex Græcis Patribus congerunt. Exempli causa citatur ab illis Anastasius Sinaita ita scribens : « Dei appellatio actuosum quiddam sonat. Non enim ipsam Dei substantiam exhibet; impossibile est enim hanc cognoscere : sed contemplatricem ipsius operationem nobis repræsentat, ostenditque vox Dei [d]. » Quod deinde ex Dionysii testimonio confirmat asseverantis, vel ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν dici, vel a *currendo*, quod est θέειν, vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, quod est *urere*. (*A contemplari.*) Quin etiam, « Divinitas, inquit idem Dionysius, est omnia contemplans providentia [e]. » Atqui providentia actio quædam est, aiunt Palamitæ; quod ex Athanasio probant hæc scribente : « Non alia et alia providentia Pater et Filius operantur; sed secundum unam et eamdem substantivam divinitatis operationem [f]. » Hæc sunt certissima; sed inepte, imo vero impie colligunt inde Palamitæ, multiplicem esse θεότητα. Nam nec ἐνέργεια multiplex est, sed unica, et simplicissima, uti et substantia, a qua nihil differt. (*Deitatem. Efficientia.*)

IV. Cæterum ex antecedentibus capitibus facile est hanc litem dirimere. Si enim notionem ipsam nominum spectes, hoc est rem illam, quæ voci subjecta est, et unde petita est appellatio; perspicuum est, nullum nomen Dei substantiam exprimere. Nam quodcumque tandem Dei vocabulum audimus, nulla ex eo divinæ substantiæ notitia in mentibus nostris

a Basil. Ἀλλ' οὐκ οἶδα ὅπως ἐπὶ τὴν τῆς φύσεως ἔνδειξιν τὴν προσηγορίαν τῆς θεότητος φέρουσιν οἱ πάντα κατασκευάζοντες, ὥσπερ οὐκ ἀκηκοότες παρὰ τῆς γραφῆς ὅτι χειροτονητὴ φύσις οὐ γίνεται. Μωσῆς γὰρ τῶν Αἰγυπτίων ἐχειροτονήθη θεός· οὕτω πρὸς αὐτὸν εἰπόντος τοῦ χρηματίζοντος, ὅτι θεόν σε δέδωκα τῷ Φαραῷ.

b Greg. Nyss. Φασὶν οἱ πνευματομάχοι φύσεως εἶναι σημαντικὴν τὴν θεότητα· ἡμεῖς δέ φαμεν ὅτι ὄνομα σημαντικὸν ἡ θεία φύσις ἢ οὐκ ἔχει, ἢ ἡμῖν οὐκ ἔχει. ἀλλ' εἴ τι καὶ λέγεται εἴτε παρ' ἀνθρωπίνης συνηθείας, εἴτε παρὰ τῆς θείας γραφῆς, τῶν περὶ αὐτὴν ἀποσημανθέντων ἐστί τι. αὐτὴ δὲ ἡ θεία φύσις ἄφραστός τε, καὶ ἀνεκφώνητος μένει, ὑπερβαίνουσα πᾶσαν τὴν διὰ φωνῆς σημασίαν.

c Idem *ad Ablad.* Θεὸς, φησὶν, ἐνεργοῦντα δηλοῖ· θεότης δὲ ἐνέργειαν, οὐδὲν δὲ τῶν τριῶν ἐνέργεια, ἀλλὰ μᾶλλον ἐνεργοῦν ἕκαστον αὐτῶν.

d Anast. Ἡ θεὸς προσηγορία πρόδηλον ὡς ἐνεργητικὴ τυγχάνει. οὐ γὰρ αὐτὴν τὴν τοῦ θεοῦ οὐσίαν παρίστησιν. ἀδύνατον γὰρ ταύτην γνῶναι· ἀλλὰ τὴν θεωρητικὴν αὐτοῦ ἐνέργειαν ἡμῖν παρίστησι, καὶ δηλοῖ τὸ θεός. Vide eumdem in VII *Hexaem.* To. I *Biblioth. Patrum.*

e Dion. Θεότης ἐστὶν ἡ πάντα θεωμένη πρόνοια.

f Athanas. Οὐ κατὰ ἄλλην, καὶ ἄλλην πρόνοιαν ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς ἐργάζεται· ἀλλὰ κατὰ μίαν, καὶ τὴν αὐτὴν οὐσιώδη τῆς θεότητος ἐνέργειαν.

1 *Exod.* VII, 1. — 2 Num. 15. — 3 Lib. I, c. XII et XIII et lib. V, c. XIX et seq.

efficitur; sed si vim vocis ipsius sequimur, occurrit aliqua proprietas, vel affectio, quam creatis ex rebus collectam in Deum transfundimus. Quod si ad humanum institutum respicis, a quo, velut tessera quædam, et nota nomen illud exortum est, pro eo atque hominum est consensus; sic nomina Dei omnia ejus substantiam indicant, κατὰ τὸ ὑποκείμενον, ut Græci loquuntur, ut nostri, *ratione subjecti*, vel *materiæ*. Nam nullum est, quod non substantiam illam significet, quæ vel simpliciter sit, vel tale quippiam sit. Ac si formam ipsam, modumque significationis intuemur, vel potius impositionis, et, ut cum Tertulliano dicam, *contesserationis*, id est quem in finem communis consensus eam appellationem indidit; prorsus invenies, alia nomina ad ipsam notandam essentiam, et τὸ τί ἦν εἶναι rei subjectæ referri, ut sunt Θεὸς, *Deus*, et alia, quæ *tetragrammata* vocantur; alia ad id instititui, ut rem eamdem demonstrent, qua certo modo affecta cogitatur a nobis, ut sunt omnipotens, æternus, et similia. Hoc modo conciliantur inter se, qui dissidere nonnihil videntur, antiqui, ut supra diximus. Siquidem nomina etiam appellativa Dei naturam ejus, et substantiam repræsentant, quodam affectam modo, nec absolute, ut est, sed ut tale quiddam est. Propria vero quæ dicuntur, etsi ab effectis, vel proprietatibus originem traxerunt, tamen ad substantiam illam οὐσιωδῶς exprimendam accommodata sunt: quemadmodum signa quædam ex humano placito res plane diversas notant, ut sagum, vel paludamentum phœniceum imperatoris tabernaculo impositum, prælii signum dabat; vel facularum jactatio, ut ex Ammonio supra meminimus.

Quid sit esse

Substantialiter.

V. Hinc *nomen* Θεὸς ait Dialogista in primo *contra Macedonianos* dialogo, qui Athanasio inscriptus est « naturam significat contemplantem, vel cuncta percurrentem [a]. » Naturam, inquit, significat, ut *rem subjectam*, et quasi *materiam*. Sed expressus, et insignis est Theodori Abucaræ locus in opusculo XXVII, qui quod paulo ante scripsi, egregie confirmat. « Nomen, inquit, Dei a quadam operatione dictum est, non tamen operationem significat, sed naturam operantem [b]. » Quod argumentis aliquot deinde probat, quæ lib. V, cap. undecimo superius expendimus, ac demum in fine concludit sic: « Natura igitur est Deus, et nomen Deus naturæ significandæ vim habet. Nam, ut vox homo, ab quadam operatione derivata, non tamen operationem significat, sed naturam, et substantiam; item anima, et angelus, et quæ omnia fere nomina substantiarum ab operatione, vel affectione dicuntur, non tamen operationem, vel affectionem significant: sic in Dei vocabulo intellige; nec aberra consectando notiones nominum, et leges grammaticæ, neglecta regula veritatis, qua multi profitentur uti se, non tamen utuntur [c]. »

Sic Latina vox *Deus* eodem modo, quo Græca Θεὸς (nam et ab ea derivatur) naturale Dei nomen est, cum sit ex aliqua proprietate sumptum. Ita Tertullianus in tertio libro *contra Marcionem*, cap. XV. « Dei nomen, inquit, quasi naturale divinitatis, potest in omnes communicari, quibus divinitas vindicatur, sicut et idolis, dicente Apostolo: *Nam et sunt, qui dicuntur dii sive in cœlo, sive in terris* [1]. » Et in libro *contra Hermogenem*, capite tertio, « Deus substantiæ ipsius nomen, id est divinitatis; Dominus vero non substantiæ, sed potestatis. » At commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in epistolam *ad Galatas*, « Deus, inquit, naturæ nomen est, et potestatis. » Quare, ut ait Augustinus, omnes « Latinæ linguæ scios, cum aures eorum sonus iste nominis Deus tetigit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque naturam; » ut quod statim subjicit, et nos alibi commemoravimus [2], eo audito nomine, id statim mentibus occurrat, quo nihil esse queat præstantius. Fortunatus vero *in Sym-*

a Athan. Τὸ γὰρ, Θεὸς, ὄνομα φύσεως ἐστὶ θεωρουμένης. εἴτουν τὰ πάντα διαθεούσης δηλωτικόν.

b Theod. Abuc. Τὸ Θεὸς ὄνομα ἀπό τινος ἐνεργείας εἴρηται, οὐ μὲν τῆς ἐνεργείας ἐστὶ σημαντικόν· ἀλλὰ τῆς φύσεως τῆς ἐνεργούσης.

c Ibid. Φύσις ἄρα ἐστὶν ὁ Θεὸς, καὶ τὸ Θεὸς ὄνομα φύσεως ἐστὶ δηλωτικόν. ὥσπερ γὰρ τὸ ἄνθρωπος ὄνομα παρά τινος ἐνεργείας (λεγόμενον, ἐνεργείας οὐκ ἔστι) σημαντικόν· ἀλλὰ τῆς φύσεως, καὶ τῆς οὐσίας· ὁμοίως δὲ καὶ ψυχὴ, καὶ ἄγγελος, καὶ σχεδὸν πάντα τὰ ὀνόματα τῶν οὐσιῶν ἀπὸ τῆς ἐνεργείας, ἢ τοῦ πάθους εἴρηται, οὐ μὴν ἐνέργειαν, ἢ πάθος σημαίνει, ἀλλ' οὐσίαν, καὶ φύσιν· οὕτως μοι νόει καὶ ἐπὶ τοῦ Θεοῦ ὀνόματος, καὶ μὴ πλανηθῇς ἀκολουθῶν ἐτυμολογίαις καὶ νόμοις γραμματικοῖς, παρορῶν τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα, ᾧ πολλοὶ μὲν ἐπαγγέλλονται χρῆσθαι, ὀλίγοι δέ εἰσιν οἱ χρώμενοι.

1 I *Cor.* VIII. — 2 Lib. I, c. I.

bolum Apostolorum. « Dei appellationem ait esse substantiæ, sive timoris divini. » Quod de timore injicit, id ex Arbitro mutuatus est, cujus protritum est hoc; « primus in orbe Deos fecit timor. » Vide Isidorum libro VII *Originum.*

Substantialiter. VI. Nec obstat, quo minus οὐσιώδη sint ista vocabula Θεὸς, et Deus, quod vel creaturis *Relative.* communicantur, vel ad easdem velut σχετικῶς dicuntur. Nam et θεοὶ, ac *dii* nominantur in Scripturis excellenti dignitate præditi, qui summi numinis effigiem propius in terris referunt; et Deus Abraam, Isaac, et Jacob, vel Deus Judæorum, ac gentium vocatur. Non id, inquam, prohibet, quin proprie substantiam ipsam Dei significet; quamvis Basilius epistola LXXX, θεοῦ nomen ideo contendit, non significare substantiam ipsam, quoniam idolis hominibusque nonnunquam tribuitur, verum quatenus, et quo sensu οὐσιῶδες censeri debeat, ex antecedentibus liquet. Tum vero, cum vel Græci articulum addunt, ut sit ὁ Θεὸς, vel sine articulo præcipuo quodam modo exprimitur, satis intelligunt omnes unicam et singularem nomine illo significari substantiam; quantumvis impositionis origo ex aliqua, et quidem insigni proprietate descendat.

Hinc illud Cyrilli Alexandrini disputandi impetu effusum magis, quam accurata dictum ratione videtur, « Dei nomen relationem habere ad ea, quæ servilis sunt conditionis et creatam habent substantiam[a]. » Ex quo contra Anomœos invehitur, qui Dei nomen primæ Trinitatis personæ solum tribuentes, detrahebant *Patris;* cum hoc illo longe sit præstantius : de qua re alias dicetur. At Justinus Martyr paulo temperatius scripsit, « Dei appellationem non esse nomen, sed rei inexplicabilis insitam naturæ hominum opinionem[b]. » Quorum verborum consentanea sententia est iis, quæ supra diximus, nullam vocabulo τοῦ Θεοῦ subjici notionem, quæ naturam ipsam divinitatis repræsentet animo nostro; verum ex hominum placito, et consensu vocabulum illud ad ipsam adhiberi designandam Dei substantiam.

Eodem spectat illud Junilii Africani libro secundo *de Partibus divinæ legis,* capite XIII, ubi duobus modis divinam essentiam significari ait, « principaliter, et consequenter. » Principaliter ait exprimi « octo modis. Dicitur enim aut Deus, aut Dominus, aut simul Dominus Deus, aut Adonai, aut Sabaoth, aut Heli, aut Heloi, aut est. Nihil enim aliud, quam Deum hæc verba significant. Duo tantum nonnunquam et de aliis abusive dicuntur, Deus, et Dominus, teste Paulo. *Quoniam dii multi, et domini multi*[1]; reliqua vero sex nunquam nisi de Deo dicuntur. » Hæc autem « non quid est, sed quia est » significare dicit; quid enim sit Deus comprehendi non potest. » At consequenter significatur Deus, « cum personas, aut operationem, aut collationem ejus ad creaturas Scriptura significat. » Ut, cum Patrem dicimus, « licet primus auditus generantem significet, consequenter tamen intelligimus Deum. Et, cum dicit, Omnipotens, licet operationem ejus primus sermo denuntiet, consequenter tamen intelligimus Deum. » Qui Junilii locus præclarus est, et consentaneus iis, quæ de nominum potestate, et usu paulo ante memorata sunt. Sed illorum nominum pleraque sunt Hebræa; de quibus deinceps agendum videtur.

CAPUT IX.

De Dei nominibus apud Hebræos decem; de tetragrammato memorabilis locus Origenis : ex quo dubium sit, an Hebraice sciverit. Exponitur vis et proprietas illius nominis. Iao, Ieuo, Iabe, Iaou, Jova, vel Jehova quid sint. Nomen septem vocalium. Item litterarum XII, *vel* XIII. *Cur nomen illud ineffabile. Quid sit Eloim, Saddai, Adonai, Sabaoth.*

I. Propria quæ dicuntur nomina Dei plura sunt apud Hebræos, quam apud nationes cæteras : ac sunt præcipua decem, quæ Hieronymus epist. CXXXVI, paucis recenset hoc ordine. Primum nomen est *El :* secundum *Eloim :* tertium *Eloe :* quartum *Sabaoth :* quintum *Elion:* sextum *Eser eheie:* septimum *Adonai:* octavum *Ia:* nonum *Tetragrammaton:* decimum *Saddai.* Quæ Isidorus Hispalensis[2], et Rhabanus Maurus[3], aliique descri-

a CYRIL. V *Thes.* Θεὸς μὲν γὰρ ὡς πρὸς τὰ δοῦλα, καὶ τὰ γενητὴν ἔχοντα τὴν οὐσίαν ἔχει τὴν σχέσιν.

b JUSTIN. *Apol.* I. Ὃν τρόπον καὶ τὸ, Θεὸς, προσαγόρευμα οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα.

1 *Gal.* IV. — 2 Lib. VII *Orig.* c. I. — 3 Lib. I de *Univ.* c. I.

bunt. Nos de iis pauca quædam adnotabimus, non eo ordine, quo sunt proposita, sed ab præstantissimo omnium exorsi *tetragrammato*, De quo sic Origenes hom. XIV, *in Numeros*: « In Hebræorum, ait, litteris nomen Dei, hoc est Deus, vel Dominus diverse scribi dicitur. Aliter enim scribitur Deus quicumque Deus; aliter Deus ipse, de quo dicitur : *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Iste ergo Deus Israel, Deus unus et creator omnium certo quodam litterarum signo scribitur, quod apud illos tetragrammaton dicitur. Si quando ergo sub hoc signo in Scripturis scribitur Deus, nulla est dubitatio, quin de Deo vero, et mundi creatore dicatur. Si quando vero aliis, id est communibus litteris scribitur, incertum habetur, utrum de Deo vero, an de aliquo ex illis dicatur, de quibus Apostolus dicit : *Tametsi sunt, qui dicantur dii sive in cœlo sive in terra ; sicut sunt dii multi, et domini multi : nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos per ipsum.* Aiunt ergo qui Hebraicas litteras legunt, in hoc loco Deus non sub signo tetragrammati esse positum : de quo qui potest, requirat. » Hunc Origenis locum adscripsi, quod quædam scitu non indigna continet. Hinc enim discimus, nomen Dei aliis credidisse Origenem, idem atque aliis litteris consuevisse scribi; tanquam in solis litterarum signis discrimen situm fuerit : quod signum tetragrammaton ab illis vocati asserit. De quo amplius cogitandum. Fieri enim potest, ut nomen istud ob excellentiam certis notis distinguendum ab cæteris Judæi tum crediderint, easque notas *tetragrammaton* vocaverint; quia nomen Dei quadrilitterum illis exprimebant; quemadmodum repetita littera י *iod* scribi ab hodiernis Hebræis solet. Sane ex istis Origenis verbis magna suspicio est, nihil tum, cum ista scriberet, ipsum Hebraice scisse. Nam si usu aliquo linguæ istius esset præditus, non ita loqueretur, « Aiunt qui Hebraicas litteras legunt; et, de quo qui potest requirat. » Hoc vero mirandum magis est, si homilias istas in Numeros edidit post Hexaplorum compositionem, quod Eusebius indicat in sexto *Historiæ*. Nam capite XVI [1], et sequenti refert, Origenem, antequam ad scribendum animum appelleret, litteras Hebraicas didicisse, ac varias illas Bibliorum interpretationes in unum corpus redegisse. At capite XXII narrat[2], eumdem Origenem longe postea ad commentarios in Scripturam elucubrandos operam adhibuisse, hortante Ambrosio quodam. Cæterum quæ de notis propriis istius nominis tetragrammatis habet Origenes, Basilius ex eodem, ut apparet, sumpta in quadam ad Amphilochium epistola posuit; quem locum citat Damascenus in libro primo *Selectorum*, titulo I. « Vetus, inquit, Hebræorum religio propriis notis ineffabile Dei nomen exarabat, ut ex eo illius, qua excellit omnibus, præstantiam ostenderent [a]. »

Dubium est an Origenes hebraice sciverit.

II. Nonum, inquit Hieronymus, « τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, id est ineffabile putaverunt, quod his litteris scribitur, *iod* י, *he* ה, *vau* ו, *he* ה quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis libris repererint *pipi* legere consueverunt. » Dupliciter porro dicitur ineffabile; vel quia propter reverentiam ubicumque occurrit non legitur, sed ejus loco *Adonai;* vel quia propria illius pronuntiatio nescitur : quod posterius Judæi sanctissime dejerant, qui inextricabili superstitione nomen illud implicarunt. Eusebius libro XI *de Præparatione Evangelica*, capite VI. « Hebræi, inquit, supremum Dei nomen ac proprium proferri, ac pronuntiari posse non putant, neque mentis imaginatione capi [b]. » Multa de eo R. Moses in primo libro *More Nebochim*, capite LXI, et sequenti; ubi docet, « nomen illud tetragrammaton esse Dei proprium, quod ideo vocetur nomen expositum, quoniam ipsam substantiam significat clare, et citra ambiguitatem ullam, et æquivocationem [c]. » Reliqua vero nomina non solam ait substantiam exprimere, sed eam, qua proprietatibus attributis afficitur : nempe quod omnia derivativa sint : cujusmodi vocabula duo quædam habent in notione sua ; pro-

Exponitur nomen tetragrammaton.

a Basil. Ὡς ἡ παλαιὰ τῶν Ἑβραίων εὐλάβεια ἰδίοις σημείοις τὸ ἀνεκφώνητον ὄνομα τοῦ θεοῦ διεχάρασσε, καὶ ἐκ τούτου τὴν κατὰ πάντων ὑπεροχὴν παριστῶσα.

b Euseb. XI *Præpar.* Πάλιν Ἑβραῖοι τὸ μὲν ἀνωτάτω τοῦ θεοῦ κύριον ὄνομα ἄῤῥητον εἶναι, καὶ ἄφθεγκτον, οὐδὲ φαντασίᾳ διανοίας ληπτόν.

c Ramb. שם כיוחד לו יתעלה ולזה נקרא שם המפורש ענינו שהוא יורה על עצמו ותעלה הוראה ומבואר אין השתתפות בה.

1 Quod a Ruffino ponitur XIII. — 2 Ruff. cap. XVII.

prietatem, et hujus subjectum, hoc est substantiam ipsam: quasi nomen illud non sit derivatum. Atqui deductum est ab themate היה vel potius הוה, quod est *substantivum* verbum. Quare non procedit ratio illa R. Mosis, nisi aliunde fulciatur; ut illud accedat, quod in libro primo hujus operis, capite VI, demonstratum est, Dei *essentiam*, et τὸ τί ἦν εἶναι, quatenus intelligi a nobis potest, in eo versari, quod *est*, et *existit*. Cum ergo vox יהוה hoc ipsum sit, quod ὁ ὢν, merito substantivum, et οὐσιῶδες nomen dici meretur. Nam ab eo verbo derivatur, quod essentiam ipsam significat. Ideo appellativum non est, neque communicari cum creatis rebus potest. « Quia non convenit Deo secundum aliquam habitudinem ad creaturas, sed secundum propriam essentiam, » ait Nicolaus Cusanus[1].

III. Aben Hezra in commentario ad caput tertium *Exodi*, quatuor differentias proprii, et appellativi nominis refert; ac proprium appellat שם עצם *nomen substantiæ*; appellativum vero, שם תאר *nomen attributi*. Nam prioris generis vocabula ipsam rei substantiam indicant; posteriora qualitatem rei, et affectionem, vel actionem, vel quippiam denique rei adjunctum. Ad illud pertinere ait nomen *tetragrammaton*, quod ab nulla actione derivatur; nec ipsum actionis vocabulo dat originem. Sicut Θεὸς deducitur ab eo, quod est θέειν, vel θεᾶν, et ab eodem derivatur θεοῦν; quod est *divinum*, vel *Deum facere*. Ideo nomen Θεὸς, ut capite superiore dictum est, non est proprium, et οὐσιῶδες ex multorum sententia. Quinetiam dicimus Θεός μου, et Latine *Deus meus;* vel potius, si latina consuetudo pateretur, *Deus mei:* qui status regiminis vocatur. Nomen vero יהוה hoc modo non usurpatur; sicut non dicitur *Socrates mei*, ὁ Σωκράτης μου. Reliquas amborum generum differentias, et quæ ibidem disputat Aben Hezra, prætermitto.

Græce nomen illud auctores exprimun sic, Ἰαώ, vel,ut quatuor litteris constet, Ἰαοὺ, vel Ἰευώ. Priori modo conceptum est in *Oraculo Clarii Apollinis* apud Macrobium[2]. Et apud Theodoretum Porphyrius[3] Ierombalum vocat *sacerdotem Dei* Ἰαοὺ[a]. Et Irenæus apud Epiphanium in Valentinianis[4]. De Ἰαοὺ locus est insignis Clementis Alexandrini in quinto *Stromateon*: «Nomen, inquit, litterarum quatuor mysticum, quod circumponebant sibi, quibus solis adytum ingredi licebat, dicitur Iaou; quod interpretatur, *qui est, et erit*[b]. » At Scaliger in *Fragmentis* legit apud Porphyrium[5] Ἰευὼ, quod apud Theodor. est Ἰαὼ. Theodoretus quæstione XV, *in Exodum*, nomen idem « a Samaritanis appellari ait Iabe, a Judæis Aia[c]. » Quod posterius corruptum videtur. De nomine Ἰαὼ meminit Eusebius in calce libri quarti *de Demonstratione Evangelica*[d], ubi agit de nomine Ἰησοῦς, et Ἰωσουέ; quod sic interpretatur[d], quasi sit Ἰαὼ σωτηρία, hoc est *Dei salus:* quod ineptum est.

IV. Idem Eusebius in libro XI *de Præparatione evangelica*, meminit nominis Dei, quod ex septem vocalibus componitur[e]; quod nomen ait Hebræos quatuor litteris, hoc est tetragrammato vocabulo significare: de quo versus illos affert cujusdam e Græcia sapientis.

Ἑπτά με φωνήεντα Θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
Γράμματα τὸν πάντων ἀκάματον πατέρα.

« Septem me vocales Deum magnum immor-
[talem laudant
Litteræ universorum infatigabilem patrem[6]. »

Quod illud sit nomen septem vocalibus constans, nondum comperi. Non enim τὰ φωνήεντα puto, quaslibet significare litteras, etiam consonantes, ut quidam arbitrantur, et inter hos Scaliger[7]. *Vocales.*

Sic apud Hebræorum magistros celebratur emen Dei litteris contextum duodecim; et

a Porph. Σαγχωνιάθων ὁ Βηρύτιος εἰληφὼς τὰ ὑπομνήματα παρὰ Ἱερομβάλου τοῦ ἱερέως τοῦ θεοῦ Ἰαώ.

b Clem. Alex. V *Strom.* Ἀτὰρ καὶ τὸ τετράγραμμον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ περιέκειντο οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν· λέγεται δὲ Ἰαοὺ, ὃ μεθερμηνεύεται ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐσόμενος.

c Theodoret. Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβέ· Ἰουδαῖοι Ἀϊά.

d Euseb. IV *de Demonst.* Ἰσουὰ μὲν γὰρ παρ' Ἑβραίοις σωτηρία· υἱὸς δὲ Ναυῆ παρὰ τοῖς αὐτοῖς Ἰωσουὲ ὀνομάζεται· Ἰωσουὲ δέ ἐστιν Ἰαὼ σωτηρία· τουτέστι θεοῦ σωτήριον.

e Euseb. Ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ σύνθεσιν μιᾶς τινος ἀποῤῥήτου προσηγορίας περιέχειν φασὶν ἐκφώνησιν, ἣν διὰ τεσσάρων στοιχείων παῖδες Ἑβραίων σημειούμενοι.

1 Lib. I *de docta Ignor.* cap. XXIV. — 2 Lib. I *Saturn.* c. XVIII. — 3 Ser. *de Provid.* p. 28. — 4 Epiphan. *Hær.* XXXI, n. 16. — 5 Scal. *Frag.* p. 6, in calce lib. *de Emen. temp.* — 6 Apud Euseb. ibid. — 7 In Notis *ad Fragment.* in calce lib. *de Emen. temp.* p. 38.

alterum litterarum duarum et quadraginta : de quibus mira somniant, ut apud R. Mosem legimus[1].

Josephus in libro sexto *de Excidio*, cap. XV, nomen Dei tetragrammaton ait esse τέτταρα φωνήεντα, vocales quatuor. Nam non solum י, et ו, sed etiam ה, *vocalis* fuit apud antiquos Hebræos, priusquam puncta vocalia succederent : quod inventum qui non Hieronymi sæculo longe recentius agnoscit, multum vel Hebraismi rudis, vel pertinax est. De quo alibi plura. Hieronymus sane in *Quæstionibus Hebraicis in Genesim*, litteram ה per *a* legi asserit, ubi agit de nomine *Abram*. Itaque cogitandum, an nomen illud יהוה, Græci ita concipere soliti fuerint ἰαωὰ, ut esset litterarum quatuor; pro quo irrepsit ex errore in usum communem trilittera vox ἰαὼ, propter euphoniam, cui repetita vocalis prima obstrepere videtur.

Nunc passim obtinuit, ut *Jehova* nomen istud Latine pronuntiaretur, quod ante Galatinum nemo usurpasse creditur[2]. Et vero a plerisque reprehenditur, ut a Genebrardo[3], qui nativam pronuntiationem putat esse *Jehue*, ab הוה, quemadmodum ab היה, fit יהיה Iihieh, *erit*. Ut, cum Deus de seipso loquitur, vocari se dicat אהיה Ehieh, *ero;* cum alius loquitur, tertiam personam exprimat. Sane *Jova* illud, quod Angelus Caninius usurpat[4], ut et *Jehova* confictum videtur, et est veteribus ignotum, a quo *Jovem* suum gentiles commenti sunt. Pro hoc vero legunt Hebræi אדני *Adonai*, quod est *Dominus*, vetere, ut apparet, instituto; cui et LXX interpretes suffragati sunt, qui ubique nomen κύριος illius loco substituerunt, magis, ut apparet, reverentiæ causa, quam quod vera illius esset ignota prolatio. Sed vulgo, ac passim efferri non placuit; ut ne pronuntiandi assiduitate vilesceret. Nam et alioqui revera κυρίου nomen Deo potissimum, et soli proprie convenit; qui unus omnium vere dominus est. « Hujus enim mancipio sunt omnia, ut ait Philo Judæus, usu vero duntaxat, creaturæ. Nihil inquit, in perpetuum creaturæ ulli venditur, tanquam unus sit, ad quem proprie spectat omnium possessio[a]. » Quod deinceps luculenter ostendit. Et Augustinus in *Psalmum* LXIX. « Ille non eget nostri : nos egemus ipsius. Ideo verus dominus. Nam tu non valde verus dominus servi tui. Ambo homines : ambo egentes Deo. » Et ad *Psalmum* LXXXII, sub finem, ad illa verba, *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus*, « Tanquam, inquit, nec vero, nec suo nomine nuncupentur, quicumque alii domini nominantur, quoniam serviliter dominantur, et vero Domino comparati nec domini sunt. »

Magna nomini Dei debetur reverentia.

V. Quod magno Christianorum probro in his, quæ habent, summæ majestatis propria, contingere, graviter Chrysostomus conqueritur homilia IX *in Acta;* cujus verba hic legenda sunt : « Christus, inquit, nostri adeo rationem habet, ut per proprium caput jurare prohibeat. At nos ita majestati Dei non parcimus, ut ubique ipsum trahamus. Nescitis, quid sit Deus, et quo ore sit appellandus. Verum, si forte de aliquo probo et honesto viro loquimûr, dicere solemus, ablue prius os tuum, quam illum nomines. Ac nomen illud pretiosum, quod nomine omni præstantius est, quod per totam terram admirabile est, quod audientes dæmones horrescunt, promiscuo in usu ferimus. O consuetudinem! Inde enim contemptum esse cœpit[b]. » Et mox : « Nonne, cum Deus nominatur, horror quidam invadere nos deberet? Atqui apud Judæos tam augustum illud nomen fuit, ut in laminis inscriberetur; nec ulli gestare fas esset, nisi summo pontifici. Nunc autem, velut rem aliquam despicabilem, nomen ipsius circumferimus[c]. » Hæc Chrysostomus.

VI. Quod ad nomen *Elohim* attinet, ejus

a PHILO lib. *de Cherubim*. Κτήσει μὲν τὰ πάντα θεοῦ, χρήσει δὲ μόνον γενέσεώς ἐστι. βεβαίως γὰρ, φησὶν, ουδὲν οὐδενὶ πέπραται τῶν ἐν γενέσει, ὡς ἂν ἑνὸς ὄντος, οὗ κυρίως βεβαία ἡ τῶν ὅλων κτῆσις.

b CHRYS. Hom. IX *in Acta*. Ἀλλὰ ὁ μὲν Χριστὸς οὕτως ἡμῶν φείδεται, ὡς κωλύειν καὶ κατὰ τῆς οἰκείας ὀμνύειν κεφαλῆς. ἡμεῖς δὲ οὕτως ἀφειδοῦμεν τῆς δόξης τῆς τοῦ θεοῦ, ὡς πανταχοῦ αὐτὸν ἕλκειν. οὐκ ἴστε τί ἐστι θεὸς, καὶ ποίοις στόμασι καλεῖσθαι ὀφείλει. ἀλλ' ἂν μὲν περὶ τινὸς λέγομεν ἀνδρὸς ἐναρέτου, φαμὲν, ἀπόπλυνον τὸ στόμα σου, καὶ οὕτω μνήσθητι· νυνὶ τὸ τίμιον ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, τὸ θαυμαστὸν ἐν πάσῃ γῇ, ὃ δαίμονες ἀκούοντες φρίττουσιν, ἁπλῶς περισύρομεν. ὢ τῆς συνηθείας· ἀπὸ γὰρ ταύτης γέγονεν εὐκαταφρόνητον.

c MOX : Οὐ γὰρ φρίκην ἔδει γενέσθαι, ὀνομαζομένου τοῦ θεοῦ; ἀλλ' ἐπὶ μὲν Ἰουδαίων οὕτως αὐτοῦ τὸ ὄνομα

1 Lib. I *More*, cap. LXII. — 2 Vide Buxtor. in *Thes.* in הוה. — 3 Genebrard. in *Psal.* LXXXII et lib. I *de Trinit.* — 4 Lib. *de Locis*, c. I.

singularis est אלוה, sed pluralis in usu frequentiore est; ac tam in statu regiminis, quam absoluto ponitur. Ex quo mirari subit, Hieronymum duo, ac distincta ex uno fecisse nomina, cum secundum esse ait *Elohim*, tertium *Elohe*, quod a priore non est diversum, nisi regiminis statu. Dicitur enim אלהי אלהים: *Deus deorum*, vel *Deus exercituum*. De hoc vide Rambam in libro secundo *More*, cap. VI, et Aben Hezra, in *Geneseos* initium. Constat, ea voce tum Deum significari, tum angelos, tum judices, et illustri in loco dignitatis ac functionis positos. Ac nos alibi de illa diximus [1].

Large autem peccat Eusebius, qui in lib. XI *de Præparatione Evangelica*, cap. VI, Eloim dici ait παρὰ τὸ ἦλ ab *El*, quod est nomen aliud Dei. Sed diversa utriusque est origo, ut norunt vel leviter Hebraismi periti. Hæc autem posterior dictio *fortem* proprie designat.

De nominis *Saddai* interpretatione major est quæstio. Quod Hieronymus ait, verti ab Aquila ἄλκιμον, « quod nos, inquit, robustum, et sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus. » Aben Hezra in sextum caput *Exod.* et Kimhius in *Radicibus* deducunt a verbo שדד, quod est *diripere*, et *vastare*, ut *robustum*, quod ait Hieronymus, ac *fortem* exprimat. At Rabbi Moses in libro primo *Moreh*, ex duabus voculis conflatam esse dictionem putat, quæ sunt, ש pro אשר, et די quasi dicas: *Qui est sufficiens*. Cui consentanea vox est *Omnipotens*, quam ei noster interpres accommodat *Exodi* VI. Ille enim omnipotens est, qui omnia habet in potestate, cuique nihil deest, et est « sibi solus ipse sufficiens [a], » ut Basilius Seleuciensis ait. Utraque probabilis est origo. Ridiculus est Oleaster, qui a voce שד, vel שדים deducit, quæ *ubera* significat. Apud Joelem exstat elegans paronomasia, « Quasi vastitas a potente veniet [b]. » Sed Hebræa nomen שדי derivare videntur a verbo שדד, quod est *vastare*: tanquam ita vertendum esset. *Et vastitas a vastatore veniet*: unde et Græci ita reddunt. *Et calamitas ex calamitate veniet*. Nimirum inter argumenta omnipotentiæ illud est, quod, cum interire non possit Deus, interitum affert omnibus.

VII. Sed, ut plenior notitia tam hujus, quam superioris et ineffabilis nominis constet, expendenda sunt illa Domini verba *Exodi* VI: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* [2]. Pro *omnipotente*, in Hebræo est *Saddai;* et pro *Adonai*, est nomen arcanum, quod *Jehova* legunt. Aben Hezra in commentariis opinionem refert R. Jesuah existimantis patriarchas veteres ante Mosem non cognovisse nomen illud tetragrammaton, quamvis eo nonnunquam sit usus, cum eos alloqueretur; ut cum ita dicit Abraamo: *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum* [3]. Sed hæc opinio merito displicet. Quare qui probabilius judicant, in eo consentiunt, per nomen non litteras ejus, ac sonum intelligi, sed vim, ac proprietatem. Ego, inquit, interpretante Aben Hezra, notum me illis feci, ac reipsa monstravi me esse *Saddai*, hoc est *fortem*, vel sufficientem in illis gubernandis, atque omni ope, ac subsidio levandis. Verum nomen meum יהוה non indicavi illis, quia, tametsi illud audiissent et scirent, vim tamen ejus ignorabant. Non enim didicerant, me ita nominari, quia *sum is, qui est*: vel *ero, qui erit*. Quod Mosem primum *Exodi* tertio docuit [4]. Hoc enim significant ista verba. *Ehieh, escher ehieh*. Quod unum ex Dei nominibus computat Heronymus; de quo vide quæ supra diximus [5], ut et de altero nomine, quod est *Iah;* nec non de essentia Dei, quam esse demonstravimus in eo positam, ut sit, et existat.

Sequitur nomen *Sabaoth*, quod Hieronymus ait, Septuaginta seniores interdum vertere *omnipotentem*, interdum *virtutum* [6]. Quæ eodem ambo recidunt, si *omnipotens* sit παντοκράτωρ, id est *omnibus dominans*. Sunt

σεμνὸν ἦν, ὡς ἐν πετάλοις γράφεσθαι, καὶ μηδενὶ τὰ γράμματα ἐξεῖναι φρονεῖν, ἀλλ᾽ ἢ μόνῳ τῷ ἀρχιερεῖ. νυνὶ δὲ, ὡς τὸ τυχὸν, οὕτω περιφέρομεν αὐτοῦ τὸ ὄνομα.

a BASIL. SELEUC. Orat. *de Jona*. Θεὸς μόνος ἀνενδεής. Et Orat. *de Cain et Abele*, ἀνενδεὲς τὸ θεῖον.

b *Joel*. I. XV. וכשד משדי יבוא. LXX. Καὶ ὡς ταλαιπωρία ἐκ ταλαιπωρίας ἥξει.

1 Lib. II *de Trinit*, cap. VII, n. 3. — 2 *Exod*. VI, 3. — 3 *Gen*. XV, 7. — 4 *Exod*. III, 14. — 5 Lib. I *de Deo* cap. VI, num. 5. — 6 In *Zach*. c. I.

autem *virtutes* illæ, hoc est *exercitus*, angeli, et sidera. Nam utraque militiæ cœlestis voce continentur. Ambrosius in quarto *de Fide,* capite primo, ex eo, quod Filius appellatur *Dominus virtutum*[1], ostendit eum Patri æqualem esse. Quippe, ut ait Origenes, nomina illa *Sabaoth*, *et Adonai*, soli apud Hebræos tributa sunt omnium opifici[2]. Cætera nomina nihil opus habent enarratore.

Habent et Rabbini peculiaria Dei nomina decem, de quibus, ut et de superioribus, Angelum Caninium vide[3].

1 *Psal.* XXIII. — 2 In Philoc. c. XVII. — 3 Cap. II *de Locis.*

FINIS TOMI PRIMI.

ologica
3211

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

3211.